~~30 h 3~~

Digitized by Google

Digitized by Google

BULLARIUM
ORDINIS
FF. PRÆDICATORUM.

SUB AUSPICIIS

SS. D. N. D.

CLEMENTIS XII.
PONTIFICIS MAXIMI.

OPERA

REVERENDISSIMI PATRIS

F. THOMÆ RIPOLL.
MAGISTRI GENERALIS.

EDITUM,

Et ad autographum fidem recognitum, variis Appendicibus, Notis, Diſſertationibus, ac Tractatu de Conſenſu Bullarum, illuſtratum

A P. F. ANTONINO BREMOND. S. T. M.

PROVINCIÆ TOLOSANÆ ORDINIS MEMORATI ALUMNO,
AC EJUSDEM REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS SOCIO PRO GALLIARUM REGNO.

TOMUS TERTIUS
Ab Anno 1430 ad 1484.



ROMÆ MDCCXXXI.
EX TYPOGRAPHIA HIERONYMI MAINARDI

Digitized by Google

SANCTISSIMO
D. N. D.
CLEMENTI XII
PONTIFICI OPTIMO MAXIMO,

FR. THOMAS RIPOLL,
Totius Ordinis FF. Prædicatorum
GENERALIS MAGISTER.

M*Agnam quidem* , BEATISSIME PATER , *meritamque laudem ſibi conciliant tot Apoſtolicæ Sedis Sacroſancta Diplomata* , *quæ feliciſſimis* Tuæ Sanctitatis *auſpi-*

piciis hoc in opere renaſcuntur. His namque Princeps Paſtorum, Caput Eccleſiæ, Succeſſor Petri, Chriſti Vicarius, fundit oracula, myſteria pandit, illuſtrat fidem, hæreſes deſtruit, ceteris medetur erroribus, præmium virtutibus, vitiis proponit ſupplicia. Quid majus? Quid laude dignius?

Ipſi tamen operi CLEMENTIS XII *nomine tantum commendationis, ſplendoris, dignitatis accedit, ut ipſimet* Sanctitatis Tuæ *Prædeceſſores, quorum refert oracula, nullum alium præter Te*, Beatiſſime Pater, *Mecœnatem ambire videantur.*

Nec mirum, tot enim rerum ſimilitudo Prædeceſſores illos, ac Tuam Sanctitatem *conciliat, ut dum procul abſterret me tanta* Tuæ Beatitudinis *celſitudo, thronique* Tuæ Sanctitatis *majeſtas iniicit mihi formidinem, ipſimet e manibus meis advolant in ſinum* Tuæ Beatitudinis, *amicam nempe, ſibique cognitam Sedem petituri. Et ſane qui ſummam mortales inter dignitatem omni virtutum genere decorarunt, gratulantur ſibi*, Beatiſſime Pater, *quod, Te ſoſpite, reviviſcere videantur.*

Verum enim vero Prædeceſſor Tuus Eugenius IV *admirabundus agnoſcit in Te, B. P., quæ de ſe ipſo ſcripta ſunt:* Omnia (*a*) pruden-

ter

(a) *Ciaconius in Eugenio IV.*

ter & conſtantiſſime egit *Eugenius*, vir aſpectu inſignis, & veneratione dignus: gravis in dicendo... multæ cognitionis, hiſtoriæ præſertim: liberalis in omnes, tum vel maxime in literatos, quorum familiaritate delectatus eſt.

Quam lætus de Sanctitate Tua *diceret* Eugenius *ille, quæ de ipſo Poeta* (a) *cecinit:*

(a) *Vitalis.*

Si mentem... aſpicias, o maxima Roma,

Illa tuo Imperio major, & orbe fuit.

Si ſuperſtes foret eaſdem in laudes, de Te loquens, erumperet Nicolaus V, *quæ de ipſo leguntur* (b): Gratus erga de ſe & Eccleſia Dei meritos, amator juſtitiæ, pacis auctor, & conſervator fuit.

(b) Apud *Ciaconium in Nicolao V.*

Excellentiſſimi animi (c) magnique Conſilii *Caliſtus* III *in Te, B. P., ea videret quæ de ipſo narrat hiſtoria* (d): in omni vita integerrimus eſt habitus.... eleemoſynas.... pauperibus Chriſti, & Servis Dei frequenter dabat tum publice, tum privatim: virgines pauperes, collata dote, maritis collocabat: Nobiles ad inopiam redactos ſua impenſa ſuſtentabat: utebatur & munificentia erga Principes, quando opus erat, maxime vero erga eos qui nomen Chriſtianum auctoritate & opibus ſuis juvare poterant.... in

(c) *Stella in Caliſto III.*

(d) Apud *Ciaconium in Caliſto III.*

ſer-

ſermone modeſtiſſimus, facilis auditu quantum ei per ætatem licebat.

Quæ dicturus eſſet Religionis (a) & juſtitiæ cultor *Pius II*, vir (b) vere magnus cujus meritiſſimas laudes cuncti celebrant? *Sanctitati Tuæ cederet certe quæ de ipſo ſcripſere:* Fuit (c) vir plane omni laude dignus.. fortitudinis & prudentiæ ſingulariſſimus; Præclaræ (d) virtutis Antiſtes fuit: enituit in eo ſumma religio, ſumma vitæ integritas, ... humanitas eximia.

Paulus II Eccleſiaſticæ libertatis, majeſtatiſque defenſor (e) *conſtantiſſimus, Summus ille Pontifex clariſſimus in Principes munificentia, in pauperes miſericordia inſignis, libenter ſane prædicaret de Te, B. P., quæ de ipſo produnt Auctores* (f): Magni certe animi, magnæque prudentiæ vir, fuit inter cetera juſtus Pontifex, & pauperum, præſertim Cardinalium, Epiſcoporum, Principum, & nobilium virorum amator, quos una cum virginibus, viduis, & ægrotis, propriis pecuniis frequenter juvabat: ejuſque præcipua cura fuit, ut omnia ad victum neceſſaria Urbi non deeſſent.

Ille tandem, ſui ſeculi lumen Sixtus IV, Te, Sanctiſſime Pater, *decus noſtri, iiſdem profecto* lau-

(a) *Ciaconius.*

(b) *Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium.*

(c) *Stella, & Ciaconius in Pio II.*

(d) *Cardinalis Papienſis de Pio II.*

(e) Apud *Ciaconium.*

(f) *Stella, ceterique* paſſim, in *Paulo II.*

laudibus efferret, quibus ipſum Scriptores ornant: Principes (a)... & nobiles viros patria extorres... pecuniis adjuvare non deſtitit, & incredibili pietate confovit... Fuit... Pontifex hic inter ceteros optimus... Vir... erat juſtus: ſumma etenim inſtantia, & alacritate animarum cuſtos extitit: cupiditatem omnino a ſe reſecavit: iras compreſſit: & malitias omnes extirpavit, ac virtutibus ſemper inhæſit.

(a) *Stella.*

Hæc ſunt, B. P., Sanctitatis Tuæ *Prædeceſſorum geſta, Scriptorum literis æternæ memoriæ conſecrata. Hæc eadem nullo unquam tempore intermoritura, ceteraque jampridem* (b) *deſcripta, Pontificatum Tuum, ac, nominis immortalitate ſemper victuram, Nobiliſſimam* Corſinorum *Gentem, cui* CLEMENTEM XII *debet Eccleſia, ſemper illuſtrabunt. Deus Optimus Maximus Te nobis quam maxime diuturnum ſervet, quo, rebus humanis ex animi ſententia compoſitis, ſero in Cælum redeat* CLEMENS.

(b) In Epiſtola quæ legitur *Tomo II.*

APPROBATIO.

QUod in demiſſæ, debitæque obedientiæ erga Reverendiſſimum Patrem Magiſtrum Generalem Ordinis, præcipientem, contuli acrioris ſtudii argumentum, per ſingula expendens capita, membra, verba, Tomum Tertium Bullarii ejuſdem, meique Ordinis, cui Titulus. *Bullarium Ordinis Prædicatorum ſub auſpiciis SS. D.N.D. CLEMENTIS XII, Pontificis Maximi, Opera Reverendiſſimi P. F. Thomæ Ripoll Magiſtri Generalis editum, & ad autographam fidem recognitum, variis Appendicibus, Notis, Diſſertationibus, ac Tractatu de Conſenſu Bullarum, illuſtratum a P. F. Antonino Bremond, S.T.M., Provinciæ Toloſanæ Ordinis memorati Alumno &c. Tomus III ab anno* 1430 *ad an.* 1484: hoc idem in mei invidendum ceſſit commodum, gratamque utilitatem; ceſſurum in aliorum quoque, ſi publici juris fiat, non ex lectione modo tot hactenus ineditorum Apoſtolicorum diplomatum, quæ ad exornandam Ordinis, immo & Eccleſiæ hiſtoriam, plurimum conferent: incomperta, minuſque certa jure ſummo determinando; verum etiam ex iis, quæ de ditiſſimo penu ſuo Clariſs. addidit Auctor. In his ſiquidem nihil reperire datum mihi, quod orthodoxæ de Fide, de Moribus, doctrinæ vel leviter, me judice, adverſari videatur; Plurima vero legere eſt eorum, quæ eximii parentis ſui profundam eruditionem, accuratam æque ac caſtigatam criticen, compertamque ſapientiam, ac pietatem redoleant, commendent. Ea propter quum præcedentium Voluminum hocce quoque pretium æmuletur, ac dignitatem, dignum plane illud credidi, quod typis in univerſorum tranſeat notitiam, atque profectum. Ita ſentio &c. Romæ in Conventu ad S. Mariam ſupra Minervam hac die 2. Octobris 1731.

Fr. Johannes Dominicus de Agnanis, ejuſdem Ordinis, S.T.M. Bibliothecarius Caſanatenſis, ac Sacræ Congregationis Indicis Conſultor.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſcopus Bojanen. Viceſgerens.

APPROBATIO.

BUllarium inclyti Prædicatorum Ordinis, demandante Reverendiſſimo Patre Fr. Jo: Benedicto Zuanelli Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, debita Summorum Pontificum Oraculis cum veneratione legi; doctaſque Notas, & luculentas diſſertationes, quibus illud accurate illuſtravit, atque auxit Admodum Reverendus Pater Fr. Antoninus Bremond ejuſdem Ordinis Sac. Theologiæ Magiſter, non ſine ingenti animi mei voluptate percurri. In his enim, non modo ſolida eruditio, verum etiam eximia pietas Auctoris mirifice elucet; adeo ut nihil, quod ab orthodoxæ Fidei Dogmatibus, aut caſtæ Ethices regulis, vel minimum diſcrepet, in ipſis deprehendere potuerim. Quamobrem egregium hoc Opus, atque omni ex parte, mea quidem ſententia, abſolutum typis mandari poſſe cenſeo.

Tibure 15. Kal. Auguſti 1729.

Fr. Placidus indignus Caſæ-Marii Abbas Epiſcopus Tiburtinus.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum Sac. Palatii Apoſtolici Magiſter.

BUL-

BULLARIUM
ORD. FF. PRÆDICATORUM.

(a) Odor. ad an. MCCCCXXXI num. VIII ex Bullis Eugenii IV.
(b) Ciaconius in Eugenio IV.
(c) Odor. ad an. MCCCCXLVII num. XIII, & XIV ex S. Antonino, & Ms. Vaticani.

EUGENIUS IV,

Venetus, e gente Condelmeria, Romæ apud S. Mariam ſupra Minervam Electus (*a*) eſt Die III Martii MCCCCXXXI. Coronatus (*b*) fuit XI ejuſdem Menſis. Obiit (*c*) XXIII Februarii MCCCCXLVII, Sedit Annos XV, Menſes XI, Dies XXI.

Ut San-Maximinenſes (1) Fratres ab iiſdem poſſint abſolvere, quibus Epiſcopi ſubditos ſuos ſolvunt, — Anno 1431 Die 11 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. I.

Rationi congruit, & convenit honeſtati, ut ea, quę de Romani Pontificis gratia proceſſerunt, licet, ejus ſuperveniente obitu, literę Apoſtolicę ſuper illis confectę non fuerint, conſequantur effectum. *Exordium.* Dudum ſiquidem pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Conventus Fratrum Prędicatorum Eccleſię B. Marię Magdalenę de Sancto Maximino, Aquenſis Dięceſis, Romanę Eccleſię immediate ſubjectę, felicis recordationis Martino Papę Quinto Prędeceſſori noſtro expoſito, *Diplomatis cauſa.* quod olim pię memorię Bonifatius Papa Octavus, etiam Prędeceſſor noſter, inclytę memorię Caroli ſecundi Regis Sicilię, qui ad eandem Sanctam, cujus corpus in Eccleſia ipſa reconditum eſt (3), ſingularem gerebat devotionis affectum, precibus inclinatus, *Nota;* quod habitatorum locorum Sancti Maximini prędicti, ac de Balma Maſſilienſis Dięceſis, ubi pęnitentiam egiſſe dicitur ipſa Sancta, & illuc advenientium, quandiu ibi forent, animarum Cura Priori pro tempore exiſtenti dictę Eccleſię immineret, quodque ratione dictę Curę Priores locorum hujuſmodi pro tempore exiſtentes, juriſdictioni Dięceſani nullatenus ſubjecti eſſent, nec tenerentur ſibi, vel alteri de prędictis rationem reddere, inter alia per ſuas literas ſtatuerat, & decreverat, prout in ipſius Bonifatii literis plenius continetur. Cum autem ob reverentiam ipſius Sanctę de diverſis Mundi partibus, cauſa devotionis maxime ſępius illuc confluat peregre populi multitudo, quorum confeſſiones, & Eccleſiaſticorum Sacramentorum adminiſtrationes ad Priorem prędictum ratione dictę Curę pertinere noſcuntur, & ſępe in Confeſſionibus ipſis caſus occurrant, in quibus abſolutiones, & diſpenſationes ad confitentium animarum ſalutem neceſſario requiruntur; pro parte Prioris, & Conventus eorundem eidem Martino, Prędeceſſori, fuit humiliter ſupplicatum, ut habitantibus, & advenientibus hujuſmodi, ac animarum eorundem ſaluti conſultius provideri valeret, Priori, & ſucceſſoribus ipſis abſolvendi habitatores, & advenientes prędictos in caſibus ſaltem locorum Ordinariis reſervatis, & in illis cum eiſdem diſpenſandi, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaretur. Ipſe igitur Prędeceſſor, ſalutem quęrens ſingulorum, & cupiens ſuper premiſſis ſalubriter providere, premiſſorum intuitu, necnon conſideratione Cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ludovici (4) Jeruſalem, & *Idem conceſſum a Martino V.* Sicilię Regis illuſtris, ſibi ſuper hoc humiliter ſupplicantis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, ut Prior pro tempore exiſtens, & ejus Succeſſores hujuſmodi, per ſe, vel alium, ſeu alios, quos ad hoc ducerent deputandos, quoties expediret, Confeſſiones habitatorum, & advenientium prędictorum quorumlibet utriuſque ſexus, cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis forent, audirent, & ipſis diligenter auditis, a commiſſis, necnon generalibus excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententiis, generaliter, vel ſpecialiter ab homine, vel a jure prolatis, & in Caſibus duntaxat quibus locorum Ordinarii ſubditos ſuos abſolvere poſſunt, in foro conſcientię Apoſtolica auctoritate abſolvendi, eiſque pro modo culpę pęnitentiam ſalutarem, & alia, quę juris fuerint, prout eis videbitur, injungendi, necnon cum prędictis in eiſdem caſibus diſpenſandi, Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutiſque, & conſuetudinibus dicti Ordinis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, conceſſit, die videlicet ſexto Nonas Martii, Pontificatus ſui Anno Septimo, plenam & liberam facultatem. Ne autem pro eo, quod ſuper conceſſione Martini Prędeceſſoris hujuſmodi literę Apoſtolicę confectę non fuerint, Prior, Conventus, habitatores, & advenientes prędicti fruſtrentur effectu, volumus, & *Facultas.* Apoſtolica auctoritate decernimus, quod hujuſmodi Martini Prędeceſſoris conceſſio perinde valeat, ſuumque debitum ſortiatur effectum, ac ſi ſuper ea ejuſdem Martini Prędeceſſoris literę, ſub ipſius diei data, confectę fuiſſent, prout ſuperius enarratur, quodque pręſentes literę ad probandum plene conceſſionem prędictam ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conſtitutionis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, Indignationem omnipotentis Dei & Bea-

& Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo (5) Quinto Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *San-Maximinenſes.*) Conſulendæ *Conſtitutiones III, IV, V, & VI, Bonifatii VIII.*

2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar *ex Archivo Apoſtolico Libro* ſcilicet *XVII fol.* 10, & *Libro XCVII fol.* 75. Ibidem duplex aſſervatur Exemplar authenticum *Libro B. fol.* 19. & 119 ex Autographo *San-Maximinenſi*. Legitur etiam in Libro Bullarum Cœnobii *San-Maximinenſis* typis *Pariſien.* edito anno MDCLXVI *pag.* 17.

3. *Reconditum eſt.*) Vide *Notam III ad Conſtitutionem III Bonifatii VIII pag.* 40 *Tomo II.*

4. *Ludovici.*) Hujus nominis *III.*

5. *Triceſimo.*) Stylo Bullarum, Æra autem communis anno *MCCCCXXXI.*

Anno 1431 Die 11 Martii.

Archiepiſcopo Narbonenſi, de F. Bernardo Boxedos Pœnitentiario Avenione (1) conſtituendo.

Ex Archivo (2) Ordinis.

II.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Francisco (3) Archiepiſcopo Narbonen., Camerario noſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. RAtioni congruit &c. (4). Dudum ſiquidem felicis recordationis Martino Papę Quinto Prędeceſſori noſtro pro parte tua, & dilectorum filiorum Syndici, & Conſilii, necnon Primicerii, & Univerſitatis Studii Civitatis noſtrę Avenionen., expoſito, quod ipſi Syndicus, & Primicerius, ac dilecti filii univerſi Cives Civitatis prędictę in eadem Civitate quendam minorem Pęnitentiarium, qui eo ea, qua alii minores Pęnitentiarii noſtri in Urbe poteſtate utuntur, eadem gauderet, & uteretur, per ipſum Prędeceſſorem inſtitui, & deputari, deſideriis ſinceris exoptarent, idem Prędeceſſor ſupplicationi- Diplomatis causa. bus ipſorum inclinatus, ac volens dilectum filium Bernardum Boxedos, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, apud eum de Religionis zelo, vitę ac morum honeſtate, aliiſque virtutum donis multipliciter commendatum, favoribus proſequi gratioſis, voluit, & conceſſit, videlicet Decimo Septimo Kalendas Septembris, Pontificatus ſui Anno Tertio decimo (5), tibi dari in mandatis, quatenus pręfatum Bernardum, ſi ad hoc eum idoneum eſſe reperires, auctoritate noſtra (6) Pęnitentiarium noſtrum in dicta Civitate uſque ad biennium conſtitueres, & ordinares, eumque ad illud admitti faceres, ut eſſet moris, ei ut interim dictum officium Pęnitentiarię inibi, ſicut Pęnitentiarii noſtri in dicta Urbe illud gerere, & exercere conſueverunt, diligenter, & fideliter exequeretur, plenarie committendo. Ne autem Syndici, Primicerius, & Cives prędicti, voluntatis, & conceſſionis prędictarum, pro eo quod ſuper illis dicti Prędeceſſoris literę, ejus ſuperveniente obitu, confectę non fuerunt, fruſtrentur effectu, volentes, & auctoritate Apoſtolica decernentes, quod hujuſmodi voluntas, & conceſſio perinde ſortian- Mandatum. tur effectum, ac ſi ſuper illis ejuſdem Prędeceſſoris literę ſub data dictę diei decimo ſeptimo Kalendas Septembris confectę fuiſſent, prout ſuperius enarratur, quodque pręſentes literę ad probandum plene voluntatem, & conceſſionem antedictas ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi dictum Bernardum ad hoc idoneum eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, eum in Civitate prędicta in minorem Pęnitentiarium conſtituas, & ordines, juxta voluntatem & conceſſionem antedictas. Volumus autem, quod idem Bernardus, priuſquam officium ipſum incipiat exercere, pręſtet in manibus tuis de illo fide- Tenor juramenti. liter exercendo corporaliter juramentum, juxta formam pręſentibus annotatam quę talis eſt: Ego Frater Bernardus Boxedos, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, Domini noſtri Papę in Civitate Avenionen. Pęnitentiarius ab hac hora in antea fidelis ero Beato Petro, Sanctęque Romanę Eccleſię, ac Domino meo Domino Eugenio Papę Quarto, ejuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus. Non ero in facto, conſilio, vel conſenſu, ut vitam perdant, aut membrum, aut capiantur mala captione. Conſilium quod per ſe, vel per nuncium ſuum, ſeu literas mihi credituri ſunt, ſigno, verbo, vel nutu, me ſciente, ad eorum damnum, ſeu prędjudicium, nulli pandam. Si damnum illorum tractari ſcivero, pro poſſe meo impediam, ne fiat, quod ſi per me impedire non poſſem, per nuncium, aut literas, eis ſignificare curabo, vel illi per quem citius ad illorum notitiam deducatur. Papatum Romanum, & Regalia Sancti Petri, ac omnia jura Romanę Eccleſię, quę habet, ubique, manutenebo totis viribus, & defendam contra omnem hominem. Res quoque ipſius Domini noſtri Papę, & Romanę Eccleſię quę meę cuſtodię committentur diligenter cuſtodiam, & fideliter conſervabo. Ambaſciatas etiam, & quęcunque alia negotia mihi commiſſa, firmiter portabo, ac fideliter, & diligenter referam ſine fraude, & pro Confeſſionibus audiendis, & abſolutionibus faciendis, ſeu aliis, quę ſpectant ad meum officium, nihil omnino per me, vel alium, exigam, vel petam, aut recipiam, etiam ſub titulo vel ſpecie eleemoſynę, aut exenii, ſeu mutui, vel alio quovis modo, & non abſolvam, vel diſpenſabo ſcienter in aliquo caſu ambiguo, nec etiam in hujuſmodi caſu ambiguo ſcienter cum aliquo diſpenſabo, niſi de ſpeciali mandato Summi Pontificis, vel Pęnitentiarii majoris, cui exprimam dictum caſum ſine alicujus revelatione, vel expreſſione perſonę, & non injungam pęnitentias pecuniarias expreſſe mihi, vel alicui certę perſonę, vel Ordini meo, aut alteri applicandas. Super reſtitutionibus injungendis, & faciendis ſervabo prout eſt per pię memorię Benedictum Papam Duodecimum ordinatum, & ſupradicta, omnia, & ſingula promitto, & juro attendere, & obſervare, ſine omni dolo, & fraude, ac malitia. Sic me Deus adjuvet, & hęc ſancta Dei Evangelia. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo (7), Quinto Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Ave-*

1. *Avenione.*) In ejuſdem nominis Comitatu, in *Gallo-Provincia.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. II fol. 74.*

3. *Franciſco.*) Adeas *Sammarthanos* in *Archiep. Narbonen.*

4. *Congruit &c.*) Ut in præcedenti ad hæc uſque verba: *conſequantur effectum.*

5. *Tertio Decimo.*) Chriſti *MCCCCXXX.*

6. *Auctoritate noſtra.*) Apoſtolica ſcilicet auctoritate, quæ eadem erat in *Martino V*, & in *Eugenio IV.*

7. *Triceſimo.*) Stylo nempe Bullarum, ſtylo vero Æræ communis *MCCCCXXXI.* Ceterum ex hac, ex præcedenti, ac ſequentibus Conſtitutionibus, *V* Idus Martii Pontificatus Anno Primo datis ab *Eugenio IV*, liquet ipſum *Eugenium* hac die *XI* Martii, non autem *IV* Idus, die ſcilicet *XII* ejuſdem Menſis, uti cenſet *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCCXXXI num. VIII*, inauguratum fuiſſe Summum Pontificem. Id evincitur ex Incarnationis Anno *MCCCCXXX* hic in Diplomatibus inſcripto. Ex hoc enim Anno, qui ex Æra Communi eſt *MCCCCXXXI*, & ex ſtylo Bullarum dicitur *MCCCCXXX*, conſtat hæc Diplomata remitti non poſſe ad Æræ communis Annum ſequentem *MCCCCXXXII*, ut ex ſe patet. Data ſunt ergo Æræ communis Anno *MCCCCXXXI* die *XI* Martii, ipſa igitur die *XI* Martii *Eugenius IV* Summus Pontifex inauguratus erat; nec enim *Eugenius* Conſtitutiones tulit ante ſolemnem inaugurationem, uti non diffitetur *Odoricus Raynaldus*. Unam nobis obiicit *Odoricus* Conſtitutionem datam *IV* Idus Martii, ipſo *die Coronationis Eugenii IV.* Tanta, ut candide loquar, auctoritate victus, a communi ſententia, *Raynaldo* duce, declinaveram, verum tot alias repetii Conſtitutiones ejuſdem *Eugenii*, datas Anno Incarnationis Dominicæ *MCCCCXXX* Quinto Idus Martii, Pontificatus Anno Primo, ut nullus dubitem, quin Amanuenſis, quem ſectatus eſt *Odoricus*, aliquid humani paſſus ſit ſcribens *IV Idus* pro *V Idus*. Et ſane tria notari poſſunt in quibus idem Librarius *Odorici* a communi Stylo Bullarum deviat tranſcribens hæc verba. *Dat. Romæ apud S. Petrum IV Id. Martii Anno I.* Annos enim Incarnationis quos nunquam prætermiſſos voluit *Eugenius*, miſſos facit Amanuenſis. Numeros, ſeu *Ziffras*, ut vocant, ab *Eugenio IV* e Diplomatibus ſubmotos, adhibet. Hæc autem verba *Die Coronationis noſtræ*, quæ in quodam codice legit *Odoricus*, in nullo prorſus alio Diplomate reperire potui, & præter, immo contra ſtylum Bullarum inſcripta, negligenda videntur.

Privilegium de non ſolvenda *Canonica portione* ad jus commune revocatur (1). Anno 1431 Die 11 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. III.

RAtioni congruit &c. (3). Dudum ſiquidem dilectis filiis Magiſtro, Prioribus, & Fratribus univerſis Ordinis Prędicatorum felicis recordationis Martino Papę Quinto Prędeceſſori noſtro referentibus, quod pię memorię Gregorius Papa Undecimus, etiam Prędeceſſor noſter, eis inter alia ſepulturam in locis, cęmeteriis, & Eccleſiis ipſorum conceſſerat, & eam liberam eſſe cenſuerat, ut eorum devotioni, & extremę voluntati, qui ſe illic ſepelire deliberarent, nullus obſtaret, ſalva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum, a quibus mortuorum corpora aſſumerentur, quodque nulli canonicam portionem aliquam tenerentur exhibere, & ne quis ab eis, & ultimarum executoribus voluntatum, ſeu decedentium hęredibus de donatis, vel de his, quę eis in ultimis voluntatibus, abſolute legarentur, vel alias pro ipſorum neceſſitatibus conferrentur, aliquid exigere, vel extorquere prę ſumeret, diſtrictius inhibuerat, per ſuas, quas idem Martinus Prędeceſſor noſter ex certa ſcientia literas innovaverat, & communiverat, declarans Clauſulam illam, ſalva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum, a quibus mortuorum corpora aſſumuntur, in omnibus aliis debere intelligi pręterquam in his, de quibus in ipſis ipſius Gregorii Prędeceſſoris literis ſpecialiter caveretur, quod Canonica portio minime exigeretur, prout in eiſdem literis plenius continetur. Et deinde pro parte Venerabilium Fratrum noſtrorum, Bracharen. (4), & Ulixbonen. (5) Archiepiſcoporum, ſuorumque Suffraganeorum, nec non dilectorum filiorum Capitulorum Cathedralium, & Collegiatorum, ac Rectorum Parochialium Eccleſiarum, & in illis Beneficiatorum Civitatum, Dięceſum, & Provinciarum Bracharen., & Ulixbonen. eidem Martino Prędeceſſori noſtro expoſito, quod inter ipſos aſſerentes portionem hujuſmodi de jure fore ſolvendam, necnon Priores, & Fratres prędictos in civitatibus, Dięceſibus, & Provinciis prę fatis commorantes, illam, prętextu literarum hujuſmodi, ſolvere negantes, ſuper prę miſſis, & eorum occaſione quamplurimę diſſenſiones, diſcordię, turbationes inſurrexiſſent & ſcandala, & majora, & animarum pericula veriſimiliter exoriri timerentur in futurum, ac pro parte Archiepiſcoporum, ſuffraganeorum, Capitulorum, Rectorum, & Beneficiatorum prędictorum, ad quorum inſtantiam contra Priores & Fratres prędictos, prę miſſorum occaſione, cauſam idem Martinus Prędeceſſor nobis in Minoribus conſtitutis audiendam commiſit, fine debito terminandam, qui in ea Citationem ad partes decrevimus, humiliter ſupplicato, ut literas prę fatas ad Jus commune reducere, & alias eis ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaretur. Idem Martinus Prędeceſſor, videlicet quinto Nonas Julii, Pontificatus ſui anno Tertio decimo (6) cauſam ad ſe advocans, & litem hujuſmodi penitus extinguens, hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, conceſſionem, inhibitionem, innovationem, communitionem, declarationem, & literas prędictas, quantum ſine conſenſu Archiepiſcoporum, Suffraganeorum, Capitulorum, Rectorum, & Beneficiatorum, & aliorum, quorum intererat, proceſſiſſe dignoſcebantur, ac omnia alia privilegia, ſive Indulta ſuper non ſolutione portionis ejuſdem, quacunque ipſis Magiſtro, Prioribus, & Fratribus auctoritate conceſſa, ad jus commune auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia reduxit, illudque circa ea obſervandum fore, & obſervari debere, ac ex tunc irritum decrevit, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus literis prędictis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Ne autem de reductione, & decreto prę fatis, pro eo quod ſuper illis literę prędicti Martini Prędeceſſoris, ejus ſuperveniente obitu, confectę non fuerunt, valeat quomodolibet hęſitari, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod prę ſentes literę ad probandum plene reductionem, & decretum hujuſmodi ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo &c. Noſtrę voluntatis, & Conſtitutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo (7), Quinto Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

Clauſula derogans.

Sanctio pœnalis.

1. *Revocatur.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico.*
3. *Congruit &c.*) Ut in *Conſtitutione I* ad hæc uſque verba: *Conſequantur effectum.*
4. *Bracharen.*) *Bracaren.*, vulgo *Braga*, in *Portugallia.*
5. *Ulixbonen.*) Seu *Ulyſſipponen.*, in eodem Regno.
6. *Tertiadecimo.*) Chriſti *MCCCCXXX.*
7. *Triceſimo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCXXXI.*

Anno 1431
Die 11 Martii.

De Sacræ Theologiæ Doctoribus in Armenia Majori creandis (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

IV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Nachuanen. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

Rationi congruit &c. (4). Dudum ſiquidem felicis recordationis Martino Papę Quinto Prędeceſſori noſtro pro parte dilecti filii Joſeph de Aparaver (5), profeſſoris Ordinis Fratrum Unitorum (6) de Armenia majori, Magiſtri in Theologia, expoſito, quod licet ipſe Joſeph ex animi ſui affectu fidem catholicam inter Chriſtiani nominis zelatores poſſet ampliare, ac Lectionibus publicis Divinę Scripturę, prout ad ipſius Magiſterii gradum pertinebat, inſiſtere deſideraſſet, tamen quia nonnulli ejuſdem Chriſtiani nominis charactere inſigniti, pro eo quod ipſi Joſeph, dum alias in facultate Theologię pro hujuſmodi gradu aſſequendo examinatus, & promotus fuerat, ac in eadem Magiſtralia inſignia receperat, Sceptrum, ſive Baculus Magiſtralis dumtaxat abſque Birreti traditione aſſignatus extiterat, ſub nomine Magiſtri publice legere, & hujuſmodi Magiſtrales actus exercere abſque Birreto, & aliis Magiſtralibus

Nota.

inſigniis ſibi non licere, aſſerebant, & pro parte dicti Joſeph eidem Prędeceſſori humiliter ſupplicato, ut cum juxta antiquum, & approbatum morem illarum partium magiſtrandis in aliqua facultate in eorum promotionibus ad hujuſmodi magiſterii gradum duntaxat baculus ſine Birreto, & aliis inſigniis hujuſmodi dari conſueviſſet, quatenus ad obtruendum ora obloquentium, ne ipſe in Chriſtianę Religionis & Verbi Dei propagatione, ac Sacrarum Scripturarum Lectionibus hujuſmodi, occaſione pręmiſſorum, impediretur, & ut circa talia ferventius intendere, & invigilare valeret, in pręmiſſis opportune ſibi providere dignaretur; prędictus Prędeceſſor, dicti Joſeph, apud eum de Religionis zelo, litterarum ſcientia, vitę ac morum honeſtate, aliiſque probitatis, & virtutum meritis commendati, in ea parte ſupplicationibus inclinatus videlicet Quarto Idus Januarii, Pontificatus ſui Anno Quartodecimo (7), certo Judici conceſſit dari in mandatis, ut ſi de impenſo hujuſmodi Magiſterii gradu conſtaret, eidem Joſeph hujuſmodi Birretum, etiam auctoritate Apoſtolica, traderet, necnon quod in dicta facultate Theologię alios, quos ad hoc idoneos reperiret, & poſtquam curſum conſuetum legendo, & diſputando juxta morem, & conſuetudinem Univerſitatum generalium Studiorum in dictis partibus, in quibus ipſum Joſeph pro tempore legere, & hujuſmodi Magiſtrales actus exercere contingeret, impleviſſent,

Facultas.

promovendi, & inſignia hujuſmodi illis tunc debita concedendi, & aſſignandi, licentiam concederet & etiam facultatem. Ne autem ex eo, quia idem Prędeceſſor literis ſuper conceſſione mandati hujuſmodi non confectis diem clauſit extremum, idem Joſeph illius fruſtretur effectu, volentes, & auctoritate Apoſtolica eidem Joſeph concedentes, quod conceſſio Prędeceſſoris hujuſmodi a dicta die Quarto Idus Januarii ſuum conſequatur effectum, perinde ac ſi ſuper ea dictę Prędeceſſoris literę ſub ipſius diei data confectę fuiſſent, quodque pręſentes literę ad probandum plene ipſius Prędeceſſoris hujuſmodi conceſſionem ubique ſufficiant, nec ad id alterius probationis adminiculum requiratur, Fraternitati tuę per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus conceſſionem mandati Prędeceſſoris hujuſmodi executioni debite demandare procures, in omnibus, & per omnia, prout ſuperius eſt expreſſum. Non obſtantibus

Mandatum.

omnibus ſupradictis, & aliis contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo (8), Quinto Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Creandis.*) Ex hoc Diplomate diſcimus Univerſitates, ſeu Studia Generalia, in *Armenia Majori* fuiſſe *XV* Seculo.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico.*
3. *Nachuanen.*) In *Armenia*, ſub Archiepiſcopo *Soltanienſi.* Oppidum eſt *Armeniæ majoris* juxta fluvium *Alingeac.* Ibi Fratres Prædicatores habent Cœnobium, cui nomen *Omnium Sanctorum.*
4. *Congruit &c.*) Ut in *Conſtitutione I* ad hæc uſque verba: *Conſequantur effectum.*
5. *De Aparaver.*) Legendum videtur *De Abaraner.*
6. *Unitorum.*) Vide Notas ad *Conſtitutiones V*, & *VII Innocentii VI Tomo II pag. 246. &c.*
7. *Quartodecimo.*) Chriſti *MCCCCXXXI.*
8. *Triceſimo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCXXXI.*

Anno 1431
Die 11 Martii.

Firmat omnia Privilegia Fratribus Unitis (1) conceſſa.

Ex Archivo (2) Ordinis.

V.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Caffen., & dilecto filio Guardiano Domus Caffen. Ordinis Fratrum Minorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

Rationi congruit &c. Dudum ſiquidem felicis recordationis Martinus Papa Quintus, Prędeceſſor noſter, volens dilectorum filiorum Conventus Domus Fratrum Unitorum nuncupatorum de Caffa piis votis favorem benevolum impertiri, ipſorum in ea parte ſupplicationibus inclinatus, videlicet ſub data

Quare-

Quarto Idus Januarii, Pontificatus Sui Anno Quartodecimo (3) voluit, & conceſſit certis Judicibus dari in mandatis, quatenus ipſi privilegia, immunitates, exemptiones, & indulgentias, quę ipſi Fratres coram eis originaliter exhibere curarent, eiſdem Conventui, & Fratribus per Romanos Pontifices, noſtros & dicti Martini Papę Prędeceſſores, conceſſa, & indulta reperirent, ſuper quibus idem Martinus Prędeceſſor eorum conſcientias oneravit, illa prout ipſis juſte conceſſa forent, auctoritate Apoſtolica confirmarent, eaque obſervari facerent, neque permitterent Conventum, & Fratres prędictos, contra illorum tenores per quoſvis indebite moleſtari. Ne autem prędicti Conventus, & Fratres hujuſmodi voluntatis, & conceſſionis pro eo quod literę dicti Martini Prędeceſſoris, ejus ſuperveniente obitu, hujuſmodi confectę non fuerint, fruſtrentur effectu, Nos, qui poſtmodum, Divina favente clementia, ad apicem ſummi Apoſtolatus fuimus aſſumpti, eorundem Prędeceſſorum veſtigiis inhęrentes, volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod voluntas, & conceſſio Martini Prędeceſſoris hujuſmodi perinde a dicta die Quarto Idus Januarii valeant, ſuumque ſortiantur effectum, ac ſi ſuper eis dicti Martini Prędeceſſoris literę ſub ipſius diei data confectę fuiſſent, prout ſuperius enarratur, quodque pręſentes literę ad probandum plene ipſius Martini Prędeceſſoris voluntatem, & conceſſionem prędictas, ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Quocirca diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, omnia & ſingula privilegia, immunitates, exemptiones, & indulgentias ſupradicta, ac deſuper confectas literas, illis originaliter coram vobis exhibitis, & per vos diligenter viſis, & examinatis prout ipſi Conventus, & Fratres illa ex conceſſione Romanorum Pontificum, Prędeceſſorum noſtrorum hujuſmodi, ut pręfertur, obtinent, auctoritate prędicta confirmetis, & approbetis, ac ea faciatis, vel alter veſtrum faciat, per eos, ad quos pertinebit pro tempore, inviolabiliter obſervari, non permittentes Conventum, & Fratres prędictos contra illorum tenores per quoſvis indebite moleſtari: contradictores per cenſuram &c. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo (4), Quinto Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Confirmatio.

1. *Unitis.*) De quibus ſæpius dictum fuit. Vide *Notas ad Conſtitutiones V*, & *VII Innocentii VI.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro II fol.* 130.

3. *Quarto Decimo.*) Chriſti *MCCCCXXXI.*

4. *Triceſimo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCXXXI.*

Anno 1431 Die 19 Aprilis.

Electionem cujuſdam Prioriſſæ reſcindendam jubet, ſublata appellatione (1) ad Apoſtolicam Sedem.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

VI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Bartholomęo Texerii (3) Sacrę Theologię Profeſſori, Ordinis Fratrum Prędicatorum Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Inter cetera, quibus ex ſuſcepti regiminis onere vigilantius intendere Nos convenit, hoc ſumme cupimus, ut debemus, noſtris efficere temporibus, quod Eccleſiarum & Monaſteriorum omnium, quorum Nobis cura generalis eſt commiſſa, ſtatus proſpere dirigatur, poſſintque Eccleſię, & Monaſteria ipſa, ac perſonę in eis divinis obſequiis mancipatę, ab imminentibus nedum pręſervari diſpendiis, ſed etiam votivis, auctore Domino, proficere incrementis. Sane petitio, pro parte dilecti filii Petri Coſta (4) Magiſtri in Theologia, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, ac dicti Ordinis in Provincia Aragonię ſecundum morem ejuſdem Ordinis Prioris Provincialis, Nobis exhibita continebat, quod olim, poſtquam ipſe dilectam in Chriſto filiam Catharinam Angles, tunc Prioriſſam Monaſterii (5) Monialium Sanctę Marię Magdalenę Valentin., per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura, & ſecundum inſtituta Fratrum dicti Ordinis Prędicatorum viventium, ejuſdem Catharinę culpis, & demeritis exigentibus, a regimine, & adminiſtratione bonorum dicti Monaſterii, ſecundum morem dicti Ordinis Prędicatorum, ex officio ſuo realiter conveniſſet, dilectę in Chriſto filię Conventus ejuſdem Monaſterii, quę viginti numero erant, pro celebranda electione futurę Prioriſſę ejuſdem Monaſterii convenientes in unum die ad eligendum pręfixa, ut moris eſt, votis earum in plures diviſis, ſex Catharinam Dezpla Prioriſſam Monaſterii Sanctę Marię de Monteſyon Barchinonen. ejuſdem Ordinis, Ordinem ipſum expreſſe profeſſam, poſtularunt, & quatuordecim ex ipſis Monialibus, quo ſpiritu ductę neſcitur, Iſabellem de Pulchroviſu Monialem dicti Monaſterii Sanctę Marię Magdalenę, quam alias, ſimilibus culpis, & demeritis exigentibus, dilectus filius Magiſter Julianus Tallada (6) dicti Ordinis Prędicatorum profeſſor, ac ipſius Petri in Provincialatus officio Aragonię immediatus prędeceſſor, regimine, & adminiſtratione prędictis privaverat, & amoverat ab eiſdem, elegerunt in ipſarum & dicti Monaſterii Sanctę Marię Magdalenę Prioriſſam, quodque, ne ipſe Petrus aliquid contra electionem hujuſmodi poſſet etiam attentare, dictę quatuordecim eligentes a pręfata poſtulatione ad Sedem Apoſtolicam appellarunt. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi pręfata Iſabellis dicto Monaſterio Sanctę Marię Magdalenę in Prioriſſam pręficeretur, gravia illi pręfato Ordini exinde diſſenſiones, & ſcandala veriſimiliter ſequerentur, cultuſque divinus, ac regularis diſciplina vileſceret in Monaſterio Sanctę Marię Magdalenę memorato, pro parte pręfati Petri, aſſerentis in Conſtitutionibus Capituli Generalis dicti Ordinis Prędicatorum, etiam Apoſtolica auctoritate confirmatis, expreſſe caveri, quod ipſius Ordinis perſonę extra Ordinem pręfatum appellare non poterint, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut appellationem hujuſmodi tanquam frivolam, caſſare, & irritare, ac alias in his ipſius Monaſterii Sanctę Marię Magdalenę indem-

Exordium.

Diplomatis cauſa.

Nota.

indemnitati providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui cultum, & diſciplinam hujuſmodi noſtris potiſſime temporibus vigere, & augeri intenſis deſideriis affectamus, ſcandalis vero, Mandatum. & diſſenſionibus, quantum cum Deo poſſumus, libenter obviamus, ac de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus vocatis pręlatis Conventu, Iſabelle, & aliis, qui fuerint evocandi, de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, eorumque circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ea vera eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, quamcunque cauſam, ratione appellationis prędictę ubilibet commiſſam, auctoritate noſtra advoces, necnon illam, & litem ſuper eadem electione pendentes ſupprimas, & extinguas, ipſamque electionem de ipſa Iſabelle factam hujuſmodi eadem auctoritate caſſes, revoces, & annulles, &, ſi caſſationem, revocationem, & annullationem hujuſmodi per te fieri contigerit, ut pręfertur, ad proviſionem dicti Monaſterii de perſona dictę poſtulatę juxta ſtatuta, & conſuetudines pręfati tui Ordinis perinde procedas, ac ſi nulla electio de perſona dictę Iſabellis facta, & aliqua appellatio ob pręmiſſa ad dictam Sedem non interpoſita fuiſſent. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſteriorum, & Ordinis prędictorum quibuſcunque contrariis, juramento, confirmatione apoſtolica, Clauſula derogans. vel quacunque firmitate alia roboratis: aut ſi dictis Conventui, vel quibusvis aliis communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem: contradictores per cenſuram &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo primo, Tertiodecimo Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Appellatione.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro II fol.* 119.
3. *Bartholomæo Texerii.*) Legendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXXVI pag.* 776.
4. *Petri Coſta.*) Cujus meminit *Diago Hiſtor. Provinciæ Aragon. Lib. I. Cap. XXXVI pag.* 65.
5. *Monaſterii.*) Adeas *Vincentium* noſtrum *Beaumont de Navarra*, qui hujuſce Monaſterii perſcripſit hiſtoriam, anno *MDCCXXV* publici juris factam.
6. *Julianus Tallada.*) De quo *Diago Hiſtor. Provinciæ Aragon. Lib. I Cap. XXXIV pag.* 61.

Anno 1431 Die 29 Aprilis.

F. Sebaſtianum Abbatis Pœnitentiarium, & Capellanum ſuum conſtituit.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

VII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Sebaſtiano Abbatis, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe, ac Romana Curia Pęnitentiario, & Capellano noſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Religionis zelus, vitę, ac morum honeſtas, ſpiritualium providentia, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus perſonam tuam fide dignorum teſtimoniis, eſſe percepimus inſignitam, Exordium. promerentur, ut te condignis favoribus, & gratiis honoremus. Hinc eſt, quod Nos de perſona tua, quam ad hoc idoneam, & ſufficientem per diligentem examinationem in pręſentia venerabilis Fratris noſtri Juliani Epiſcopi Tuſculani, Cardinalis Sancti Angeli nuncupati, majoris Pęnitentiarii, eſſe cognovimus, pręmiſſorum obtentu plenam in Domino fiduciam obtinentes, te in Baſilica Principis Conſtituit ut ſupra. Apoſtolorum de Urbe ac Romana Curia Pęnitentiarium & Capellanum noſtrum cum omnibus, & ſingulis honoribus, & oneribus conſuetis, auctoritate Apoſtolica conſtituimus, & etiam deputamus, ac in dilectorum filiorum noſtrorum in Baſilica, & Curia prędictis Pęnitentiariorum, & Capellanorum collegio favorabiliter aggregamus, tibi tenore pręſentium committentes, ut hujuſmodi Pęnitentiarię officium in pręfatis Baſilica, & Curia, ſicut alii noſtri Pęnitentiarii, & Capellani illud ibidem gerere, & exercere conſueverunt, fideliter, & prudenter exequaris, cum emolumentis, libertatibus, gratiis, prędrogativis, exemptionibus, & indultis omnibus, dictis Pęnitentiariis, & Capellanis noſtris conceſſis. Volumus autem, quod tu, priuſquam officium ipſum incipias exercere, in manibus Juliani Epiſcopi prędicti de officio hujuſmodi fideliter exercendo pręſtes corporaliter juramentum juxta formam pręſentibus annotatam, quę talis eſt; Ego Sebaſtianus Abbatis, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe, & Romana Curia Domini noſtri Papę Pęnitentiarius, & Capellanus ab hac hora in antea fidelis ero Beato Petro, Sanctęque Romanę Eccleſię, ac Domino noſtro Domino Eugenio Papę Quarto, ejuſque Succeſſoribus canonice intrantibus, nec ero in facto, conſilio, vel conſenſu, ut vitam perdant, vel membrum, aut capiantur mala captione. Conſilium, quod per ſe, vel nuncium ſuum mihi credituri ſunt, ſigno, verbo, vel nutu me ſciente ad illorum damnum, vel pręjudicium nemini pandam. Si damnum illorum tractari ſcivero, pro poſſe meo impediam, ne fiat; quod ſi per me impedire non poſſem, per nuncium, aut literas eis ſignificare curabo, vel illi, per quem citius ad eorum notitiam deducatur. Papatum Romanum, & Regalia Sancti Petri, ac omnia jura Romanę Eccleſię, quę habet, manutenebo totis viribus, & defendam, ac adjutor eis ero ad tenendum, & defendendum contra omnem hominem. Res quoque ejuſdem Domini noſtri Papę, quę meę cuſtodię committentur, diligenter cuſtodiam, & fideliter reaſſignabo. Ambaſciatas etiam, & quęcunque alia negotia, quę mihi fuerint commiſſa, portabo fideliter, & diligenter referam ſine fraude. Pro Confeſſionibus audiendis, & abſolutionibus faciendis, ſeu aliis, quę ſpectant ad meum officium, nihil omnino exigam, ſeu petam, aut recipiam, etiam ſub titulo, vel ſpecie eleemoſynę, Exenii, vel mutui, aut alio quovis modo, & non abſolvam ſcienter in aliquo caſu, vel diſpenſabo, mihi non permiſſo, nec ſcienter quem-

quenquam abſolvam a peccato, vel peccatis aliquibus in aliquo caſu ambiguo, nec etiam in hujuſmodi caſu ambiguo ſcienter cum aliquo diſpenſabo, niſi de ſpeciali mandato Summi Pontificis, vel Pęnitentiarii majoris, cui exprimam dictum caſum, ſine alicujus revelatione perſonę, vel expreſſione, & non injungam pęnitentias pecuniarias expreſſe mihi, vel alicui certę perſonę applicandas. Super reſtitutionibus injungendis ſervabo prout eſt per pię memorię Benedictum Papam Duodecimum ordinatum. & ſupradicta omnia promitto, & juro attendere, & obſervare, ſine omni dolo, & fraude. Sic me Deus adiuvet, & hęc Sancta Dei Evangelia. Nulli ergo &c. noſtrę conſtitutionis, deputationis, aggregationis, commiſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo primo, Tertio Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLVII fol.* 31.

F. Jacobus Navarrus, Valentin., in Theologia Bacallarius, fit Capellanus & Pœnitentiarius Summi Pontificis in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe, ac Romana Curia. Conſtitutio ſic incipit. *Vitæ ac morum honeſtas &c. Hinc eſt quod nos de perſona tua, quam ad hoc idoneam & ſufficientem per diligentem examinationem factam in præſentia venerabilis Fratris noſtri Jordani Epiſcopi Sabinenſis Majoris Pœnitentiarii eſſe cognovimus &c. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Sexto, Septimo Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXXVIII fol.* 199.

Anno 1436 Die 25 Novembris.

VIII.

F. Jacobus Navarrus inſtituitur Capellanus & Pœnitentiarius Summi Pontificis in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe, ac Romana Curia. Iſte nec Valentinenſis, nec Bacallarius dicitur. Hinc alius a præcedenti videtur. Conſtitutio ſic incipit. *Religionis zelus &c. Hinc eſt quod Nos de perſona tua quam ad hoc idoneam & ſufficientem per diligentem examinationem factam in præſentia venerabilis Fratris noſtri Juliani Epiſcopi Tuſculani, Cardinalis Sancti Angeli nuncupati, Majoris Pœnitentiarii noſtri, eſſe cognovimus &c. Datum Romæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Octavo* (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCXXXIX) *Quinta Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.* Ex Archivo Apoſtolico. *Lib. LXXXI. fol.* 203.

Anno 1439 Die 25 Februarii.

IX.

F. Jacobus Blscden Magiſter in Theologia, Batonien. Diœceſeos, creatur Capellanus & Pœnitentiarius Summi Pontificis in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe, ac Romana Curia. Conſtitutio ſic incipit. *Religionis zelus &c. in præſentia dilecti filii noſtri Nicolai titulo S. Crucis in Jeruſalem Presbyteri Cardinalis, Majoris Pœnitentiarii, aſtantibus ibidem nonnullis Pœnitentiariis ac in Theologia Magiſtris &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo, Tertio Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro CXXVIII fol.* 283.

Anno 1440 Die 11 Junii.

X.

F. Nicolaus de Blavis de Alexandria, Bacallarius in Theologia, renunciatur Capellanus & Pœnitentiarius Summi Pontificis in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe, ac Romana Curia. Conſtitutio ſic incipit. *Religionis zelus &c. in præſentia dilecti filii noſtri Nicolai titulo S. Crucis in Jeruſalem Presbyteri Cardinalis, Majoris Pœnitentiarii, aſtantibus ibidem nonnullis Pœnitentiariis ac in Theologia Magiſtris &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Secundo, Tertio Decimo Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CLVI fol.* 191.

Anno 1442 Die 20 Decembris.

XI.

Rogatu Caroli (1) Francorum Regis F. Jacobum Ragongeey Eccleſiaſtico beneficio donat.

Anno 1431 Die 1 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Jacobo Ragongeey, Ordinis Fratrum Pręedicatorum profeſſori, in Theologia Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Religionis zelus, literarum ſcientia, vitę ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, ut te favoribus Apoſtolicis & gratiis proſequamur. Hinc eſt, quod Nos, cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Regis Francorum Illuſtris, pro te dilecto ſuo, ſuper hoc humiliter ſupplicantis, ac tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tecum, qui, ut aſſeritur, in diverſis Studiis, & ejuſdem Ordinis Conventibus pro hujuſmodi gradu magiſterii conſequendo hactenus laudabiliter inſudaſti, multoſque labores cum tuis amicis (3), & parentibus in ſervitiis dicti Regis ſuſtinuiſti, ut unam Domum Dei, ſeu Leproſariam, aut unum hoſpitale per ipſum Regem, vel alium Magnatem quemcunque de ſanguine Regio exiſtentem, tibi concedendam, ſi tibi alias juxta formam conſtitutionis felicis recordationis Clementis Papę Quinti Prędeceſſoris noſtri in Concilio Viennen. ſuper hoc editę canonice committatur, recipere, & quoad vixeris regere, & gubernare, ac etiam poſſidere libere, & licite valeas, Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & Conſuetudinibus dicti Ordinis, ac domus, ſeu hoſpitalis hujuſmodi, ceteriſque contrariis nequaquam obſtan-

Exordium.

Collatio.

obſtantibus, auctoritate Apoſtolica tenore preſentium, de ſpecialis dono gratię, diſpenſamus. Nulli ergo &c. noſtrę diſpenſationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo primo, Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Caroli.*) Hujus nominis *VII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro III fol.*83.
3. *Amicis.*) Conſule *Fontanam Monumen. Dominicano Parte III Cap.I ad an. MCCCCXXXII pag.*326.

Anno 1431 Die 13 Julii.

F. Johannes Graveran (1) Inquiſitor Rotomagenſis (2) renunciatur.

Ex Archivo (3) Ordinis.

XIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Graveran. (4) Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, in Theologia Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

CONſiderantes tuę circumſpectionis induſtriam, in multis & arduis ſępius approbatam, ac alia grandia virtutum inſignia, quibus perſonam tuam bonorum dator Altiſſimus decoravit, ea, quę gravis ſunt ponderis, tuę fiducialiter curę committimus, ſperantes firmiter, quin potius pro certo tenentes, quod ad illa efficaciter exequenda ferventer intendes, intentum animum diriges, & operoſę ſolicitudinis ſtudio proſequeris. Hinc eſt, quod Nos, qui conſideramus, & in votis gerimus, ut fides catholica noſtris proſperetur temporibus, & pravitas perverſorum hominum in Dięceſi Rotomagen. (5) vigentium de finibus fidelium extirpetur, circa extirpationem eandem ſalubriter & utiliter providere intendentes, te, qui, ut aſſeritur, Inquiſitor hereticę pravitatis auctoritate Sedis Apoſtolicę deputatus exiſtis (6), in Dięceſi Rotomagen. cum omnibus, & ſingulis immunitatibus, privilegiis, gratiis, & libertatibus Inquiſitoribus dictę pravitatis, a jure, vel conſuetudine, hactenus conceſſis in cauſis hereſum, Inquiſitorem facimus, conſtituimus, & etiam deputamus, dantes & concedentes contra prędictę hereticę pravitatis credentes, receptores, fautores, & defenſores eorum, tam eccleſiaſticas quam ſeculares utriuſque ſexus perſonas, exemptas, & non exemptas, cujuſcunque etiam dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant, necnon infamatos, vel ſuſpectos de hęreſi aut erroribus prędictis, procedendi, ac officium Inquiſitoris tibi commiſſum exequendi juxta canonicas ſanctiones, necnon alia faciendi, quę de jure, vel conſuetudine Inquiſitores pravitatis prędictę quomodolibet facere conſueverunt, ſeu etiam potuerunt, plenam & liberam auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus facultatem. Per conceſſionem autem hujuſmodi non intendimus poteſtati, ac juriſdictioni aliorum Inquiſitorum a Nobis, vel aliis ad hoc auctoritatem habentibus, deputatorum in aliquo derogare. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo primo, Tertio Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Inquiſitor conſtituitur.

1. *Johannes Graveran.*) De quo conſulendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXXXI pag.*782.
2. *Inquiſitor Rotomagenſis.*) Hunc non novit *Fontana in Theatro Dominicano Parte III de Miniſtris S. Inquiſit.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. VI fol.*145.
4. *Graveran.*) In editione Operum *Johannis Gerſonii* noviſſimis anno *MDCCVI* adornata ſtudio *Ellies Dupin* corrupte nominatur *Granoram*. Vide *Tom.V Edit. Antuerpianæ*. Extat in Bibliotheca *Caſanatenſi* Codex Manuſcriptus (numero *CCXI*) in quo leguntur Acta omnia in cauſa *Johannæ de Arca Puellæ*, vulgo *Pucelle, Aurelianen.* Hoc in Codice *Johannes* noſter *Griunvent* nuncupatur. Sic enim legitur. *Univerſis præſentes literas, ſeu præſens publicum inſtrumentum inſpecturis Petrus miſeratione Divina Belvacenſis Epiſcopus, & Frater Johannes Magiſtri, Ordinis Fratrum Prædicatorum, a magnæ religionis atque circumſpectionis viro Magiſtro Johanne Griunvent in ſacra pagina profeſſore eximio ejuſdem Ordinis Inquiſitore fidei & hæreticæ pravitatis in toto Regno Franciæ auctoritate apoſtolica deputato in Diœceſi Rothomagen., & præſertim quoad præſentem proceſſum per eundem Dominum Inquiſitorem deputatus & commiſſus, ſalutem &c.* *Die martis Nona menſis Januarii anno Domini milleſimo quadringenteſimo triceſimo, ſecundum ritum & computum meum . . . . . Guillermum Indictione nona Pontificatus in Chriſto Patris & Domini Domini Martini Divina Providentia Papæ Quinti Anno Decimo Quarto in domo Conſilii Regii &c.* Johannis Magiſtri, cujus hic mentio, meminit *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCCCXXXI pag.*782, ubi de Actis ipſis loquens, & transcribens initium, ſcribit *Graverent*. In *Caſanatenſi* codice legitur *Griunvent*, uti mox dictum fuit: Erraſſe tamen amanuenſem conſtat ex eodem Codice, in quo ſæpius *Johannes* noſter *Graveran* poſtea nuncupatur.
5. *Rotomagen.*) In *Normannia*.
6. *Exiſtis.*) Ergo jam antea Quæſitorem Fidei *Johannes* agebat. Et ſane variis hoc anno literis ita ſubſcripſit: *Ego F. Johannes Graverant Ordinis Prædicatorum in ſacra Teologia Profeſſor, Inquiſitor Fidei & hæreticæ pravitatis in toto Regno Franciæ auctoritate Apoſtolica deputatus.*

Anno 1431 Die 21 Auguſti.

Inſcribit Conſtitutionem, qua Martinus V inhibet, ne Fratres Mendicantes ad alios Ordines tranſeant (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XIV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Minorum, Prędicatorum, Beatę Marię de Monte Carmeli, & Eremitarum Sancti Auguſtini, Ordinum Fratribus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

TEnorem quarundam literarum felicis recordationis Martini Papę Quinti Prędeceſſoris noſtri in favorem Ordinum veſtrorum conceſſarum, quas in Cancellaria noſtra diligenter conſpici, & pro eo, quod illis pro ipſorum Ordinum ſtatus conſervatione in diverſis mundi partibus, in quibus, cum expe-

expedierit, literas originales habere non poteſtis, indigere vos aſſeritis, pręſentibus annotari fecimus, qui talis eſt. Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. Viam ambitioſę cupiditatis &c. (3). Dstum Gebennis Quarto Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo. Ceterum ut idem tenor ſic inſertus rei ſeu facti certitudinem faciat, auctoritste Apoſtolica decernimus, ut illud idem robur, eamque vim, ac eundem vigorem ipſe tenor per omnia habeat, quem haberent originales literę ſupradictę, ac eadem prorſus dicto tenori fides adhibeatur, quandocunque, & ubicunque, in judicio, vel extra fuerit exhibitus, vel oſtenſus, ac illi ſtetur firmiter in omnibus, ſicuti eiſdem literis originalibus ſtaretur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Nulli ergo &c. noſtrę Conſtitutionis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo primo, Duodecimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Tranſeant.*) Dicetur in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro II fol.* 190.
3. *Cupiditatis &c.*) Ut in *Conſtitutione XIX Martini V* ad finem uſque. Legitur pag. 550 *Tomo II.*

Bugellenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Anno 1431 Die 8 Octobris.

XV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii de Molegio, Vercellen. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

PIis ſupplicum votis, illis pręſertim, quę Religionis propagationem, & divini cultus augmentum reſpiciunt, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis, nuper pro parte dilecti filii Nobilis Viri Amedei (3) Ducis Sabaudię, petitio continebat, quod nuper ipſe ob ſingularis devotionis affectum, quem gerit ad Ordinem Fratrum Prędicatorum, locum Caſtri ſui Bugellę, Vercellen. Diœceſis, cum ipſius turri, plateis, & poſſeſſionibus circumquaque, non tamen magno ambitu, conſiſtentibus, pro fundando, & conſtruendo inibi unam domum, cum Eccleſia, campanili, campana, domibus, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione unius Prioris, & nonnullorum Fratrum dicti Ordinis, de obſervantia nuncupatorum, in perpetuum dedit, atque donavit, prout in literis dicti Ducis, deſuper confectis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte dicti Ducis, ac dilecti filii Bartholomęi (4), Generalis Magiſtri ejuſdem Ordinis, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſis Magiſtro, & Fratribus locum dicti Caſtri cum turri, plateis, & poſſeſſionibus prędictis, pro fundando inibi hujuſmodi Domum pro uſu, & habitatione dictorum Prioris, & Fratrum, recipiendi, & retinendi, ibique domum cum Eccleſia, campanili, campana, domibus, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis fundandi, & conſtruendi, ſeu fundari, & conſtrui faciendi, concedere licentiam, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divinum cultum noſtris temporibus augeri intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, dictis Magiſtro & Fratribus locum cum turri, plateis, & poſſeſſionibus, prędictis recipiendi, & retinendi, ac inibi domum cum Eccleſia, campanili, campana, domibus, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis hujuſmodi, juxta formam Conſtitutionis felicis recordationis Clementis Papę Sexti, Prędeceſſoris noſtri, fundandi, & conſtruendi, ſeu fundari, & conſtrui faciendi, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, plenam, & liberam auctoritate noſtra licentiam largiaris. Non obſtantibus pię memorię Bonifatii Papę Octavi, etiam Prędeceſſoris noſtri, illis pręſertim, qua prohibetur, ne quis Mendicantium, in Caſtro, ſeu villa, aut loco quocunque Domos, vel loca de novo recipere, ſeu recepta mutare pręſumat, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo primo, octavo Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Ducis Sabaudiæ ſupplex petitio.

Facultas.

1. *Bugellenſis.*) Vulgo *Biela*, in agro *Vercellenſi*, in *Pedemontio*. Hocce Cœnobium juris eſt Provincialis Provinciæ *S. Petri Martyris*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro VIII fol.* 54.
3. *Amedei.*) Hujus nominis *VIII.*
4. *Bartholomai.*) Cognomento *Texerii*.

F. Leonardus de Chio (1) Fidei Cenſor conſtituitur.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Anno 1431 Die 29 Octobris.

XVI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Leonardo de Chio, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, in locis, Societas Peregrinantium (3) nuncupatis, hereticę pravitatis Inquiſitori, in Theologia Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

INter ſolicitudines varias, quę noſtris humeris incumbunt aſſidue, ea potiſſime premimur, ut noſtrę operationis miniſterio de vinea Domini ſabaoth, cujus cura Nobis, quanquam immeritis, eſt commiſſa, pſeudochriſticolę, qui velut vulpeculę latitantes perverſis morſibus vineam ipſam demoliri ſatagunt, penitus extirpentur, & fides catholica, eradicatis penitus cunctis erroribus, proſperetur, & amplius

amplius dilatetur, taleſque ad id peragendum cupimus deputari perſonas, quarum honeſta converſatio puritatis exemplum prębeat, & erudita labia doctrinam tribuant ſalutarem. Sane, ſicut fide digna relatione accepimus, nuper dilectus filius Bartholomęus Texerii (4), Ordinis Fratrum Prędicatorum Generalis, quoſcunque hęreticę pravitatis Inquiſitores, in locis, Societas Peregrinantium nuncupatis pro tunc Apoſtolica, vel alia quavis auctoritate deputatos, certis de cauſis eadem auctoritate, ſibi ſuper hoc conceſſa, ab Inquiſitionis officii exercitio duxit removendos. Nos igitur, cupientes adverſus peſtem pravitatis hujuſmodi in dictis locis pręcipue, ſalubriter providere, ac ſperantes, quod tu, qui, ut aſſeris, in triceſimo ſexto tuę ętatis anno conſtitutus per pręfatum Generalem ad hujuſmodi Inquiſitionis officium exercendum deputatus fuiſti, & quem, ut etiam fide dignis teſtimoniis accepimus, conſtantia fidei, religionis zelo, literarum ſcientia, & aliis multiplicium virtutum meritis Dominus inſignivit, ſcies, & poteris per tuę diligentię & ſollicitudinis ſtudium labem pravitatis hujuſmodi extirpare, & catholicę fidei fructuoſos palmites transplantare, te, non obſtante quod in ętate prędicta conſtitutus exiſtis, necnon Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus pręfati Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate vallatis, cęteriſque contrariis quibuſcunque, Inquiſitorem hęreticę pravitatis in pręfatis, & aliis locis Vicario Generali dictorum Fratrum in partibus illis ſubjectis, uſque ad Apoſtolicę Sedis beneplacitum, tenore pręſentium, auctoritate pręfata deputamus, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandantes, tibique in remiſſionem peccaminum injungentes, quatenus in caritate Dei, hominum timore poſtpoſito, virtutem ſpiritus induens ex alto, officium prędictum tibi commiſſum, in locis pręfatis, prout tanti negotii utilitas ſuadebit, ſub ſpe mercedis ęternę ſic efficaciter proſequi, & exequi ſtudeas, ut per tuę ſolicitudinis prudentiam radix pravitatis ejuſdem exinde penitus evellatur, & dicta Vinea, exterminatis eiſdem vulpeculis, fructus afferat catholicę puritatis, in hujuſmodi negotio proceſſurus tam ſecundum indulgentias, & privilegia Inquiſitoribus pravitatis ejuſdem auctoritate Apoſtolica deputatis, ſeu officio Inquiſitionis hujuſmodi, a Sede Apoſtolica conceſſa, quam ſecundum canonicas ſanctiones. Per hujuſmodi autem deputationem de perſona tua in officio hujuſmodi per nos factam locorum Ordinariis, quo minus ipſi Inquiſitionis officium ſuper labe prędicta, prout voluerint, juxta ſanctiones eaſdem exercere valeant, necnon quibuſcunque privilegiis, eis a dicta Sede forſan conceſſis, nullum volumus pręjudicium generari. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo primo, Quarto Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Diplomatis cauſa.

Inquiſitor conſtituitur.

1. *Leonardus de Chio.*) Sic a patria nuncupatus eſt *Leonardus*, vir eruditione necnon præclare geſtis percelebris. Archiepiſcopus *Mitylenenſis* poſtea renunciatus fuit, ut in *Appendice ad præſentem Pontificatum* dicetur.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*.

3. *Peregrinantium.*) De hac *Societate* conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. VIII.*

4. *Bartholomæus Texerii.*) Adeas *Echard tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXXVI pag. 776.*

Anno 1432 Die 1 Februarii.

Conſervatores creat qui Conſtitutionem (1): *Super Cathedram*: in Sicilia ſervandam curent.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XVII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Sancti Placidi, & Sancti Martini de Scalis, ac Sanctę Marię Novę lucis, Meſſanen, Montis-regalis, & Cathanien. Dięceſum Monaſteriorum Abbatibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

FRequentes hactenus, immo innumeras quodammodo de diverſis mundi partibus venerabilium Fratrum noſtrorum Epiſcoporum, aliorumque Superiorum Pręlatorum, necnon dilectorum filiorum Rectorum, Curatorum, & Parochialium Sacerdotum, querelę contra dilectos filios, Prędicatorum & Minorum Ordinum Fratres Apoſtolicę Sedis jam dudum excitarunt, noſtrumque clamoſis inſinuationibus excitare, & fatigare non ceſſant, auditum, quod iidem Fratres Decretalem dudum editam a felicis recordationis Bonifatio Papa Octavo, Prędeceſſore noſtro, quę incipit: Super Cathedram: & deinde per pię memorię Clementem Papam Quintum etiam Prędeceſſorem noſtrum, in Viennen. Concilio innovatam, temere obſervare non curant; ſed ipſam tranſgredi non verentur in ejuſdem Sedis contemptum, animarum ſuarum periculum, & eorundem conquerentium, & Eccleſiarum Parochialium pręjudicium, & gravamen. Intelleximus quoque, quod plerumque pręfatis dicti Ordinis Prędicatorum, & Minorum, necnon Eremitarum Sancti Auguſtini, & Carmelitarum, Ordinum, Fratribus, in cujus Ordinis dictorum Eremitarum perſonis idem Prędeceſſor Bonifatius Decretalem prędictam, in qua tantum de ipſis Prędicatorum, & Minorum cavetur Ordinibus, per omnia voluit poſtmodum integraliter, & inconcuſſe ſervari, quamque ſubſequenter fel. recor. Johannes Papa Vigeſimus ſecundus, Prędeceſſor noſter, ad dictorum Carmelitarum Fratrum Ordinem, antedictum, quoad omnia in ea contenta extendit, a prędictis Epiſcopis, Pręlatis, Rectoribus, Curatis, & Sacerdotibus contra tenorem Decretalis prędictę graves injurię, atque moleſtię in diverſis Mundi partibus inferuntur. Nuper etiam pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus Sancti Dominici Panormitan., nobis extitit intimatum, quod venerabilis Frater noſter Archiepiſcopus Panormitan., & dilecti filii Capitulum Majoris, & aliarum Eccleſiarum Civitatis, & Dięceſis Panormitan., necnon Pręlati, Conventus, Rectores, Curati, Sacerdotes, & Vicarii Parochialium Eccleſiarum, tam Regulares, quam Seculares Civitatis, & Dięceſis Panormitan., contra tenorem Decretalis ejuſdem, multa ipſis, & eorum ſingulis gravamina, & injurias inferunt, & jacturas. Quia igitur parum eſſet jura condere, niſi qui eadem tueatur exiſtat, Nos, dictâ

dicti Johannis Prędeceſſoris, qui Decretalem prędictam de Fratrum ſuorum conſilio voluit, & mandavit integraliter obſervari, veſtigiis inhęrentes, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, etiamſi ſint extra loca, in quibus deputati eſtis Conſervatores, ſeu Judices, tam eiſdem Priori, & Fratribus ipſius Domus adverſus Archiepiſcopum, Capitula, Pręlatos, Conventus, Rectores, Curatos, Sacerdotes, Vicarios & Clerum prędictos, quam e converſo Archiepiſcopo, Capitulo, Pręlatis, Conventibus, Rectoribus, Curatis, Sacerdotibus, Vicariis, ac Clero pręfatis, ac ſingulis eorundem adverſus Priorem, necnon ipſius Domus Fratres prędictos, efficacis defenſionis prędidio aſſiſtentes, ac facientes Decretalem prędictam quoad omnia ejus Capitula firmiter obſervari, non permittatis contra tenorem ipſius per memoratos Archiepiſcopum, Capitula, Pręlatos, Rectores, Curatos, Sacerdotes, Vicarios, ac Clerum, vel aliquem ipſorum dictis Priori, & ejuſdem Domus Fratribus, nec etiam per ipſos Priorem, & dictę Domus Fratres Archiepiſcopo, Capitulis, Conventibus, Rectoribus, Curatis, Sacerdotibus, Vicariis, ac Clero prędictis, vel ipſorum alicui gravamina, aut injurias irrogari, facturi ipſis hinc inde de quibuſcunque injuriis, moleſtationibus, gravaminibus, & damnis illatis hactenus, & etiam in poſterum inferendis eiſdem, contra tenorem Decretalis ejuſdem, in illis videlicet, quę judicialem requirunt indaginem, ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, in aliis vero prout qualitas ipſorum exegerit, juſtitię complementum; moleſtatores, & injuriatores, hujuſmodi, necnon contradictores quoſlibet, & rebelles, quandocunque, & quotieſcunque expedierit, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, non obſtantibus quibuſcunque exemptionibus, ſpecialibus, vel generalibus, tam Fratribus, & Ordinibus prędictis, vel alicui, ſeu aliquibus Fratrum, & Ordinum eorundem, quam pręfatis Archiepiſcopo, Capitulis, Pręlatis, Conventibus, Rectoribus, Curatis, Sacerdotibus, Vicariis, ac Clero, ſeu ipſorum alicui, ſeu aliquibus communiter, vel diviſim ſub quacunque forma, vel expreſſione verborum ab eadem Sede conceſſis, ac ejuſdem Bonifatii, qua cavetur, ne aliquis extra ſuam civitatem, vel dięceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſuę Dięceſis ad judicium evocetur, ſeu ne judices, & conſervatores a Sede deputati prędicta extra civitatem, & dięceſim in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, ſive alii, vel aliis vices ſuas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine dięceſis eorundem trahere pręſumant, dummodo ultra duas dietas aliquis extra ſuam Civitatem, vel Dięceſim, auctoritate pręſentium non trahatur; ſeu quod de aliis, quam manifeſtis injuriis, & moleſtiis, & aliis quę judicialem indaginem exigunt, pęnis in eos, ſi ſecus egerint, & in id procurantes adjectis, Conſervatores ſe nullatenus intromittant, quam aliis quibuſcunque Conſtitutionibus, a Prędeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, tam de Judicibus delegatis, & Conſervatoribus, quam perſonis ultra certum numerum per literas Apoſtolicas ad judicium non vocandis, aut aliis editis, quę veſtrę poſſent in hac parte juriſdictioni, aut poteſtati, ejuſque libero exercitio, quomodolibet obviare, aut ſi tam eiſdem Fratribus, vel eorum Ordinibus, aut alicui, ſeu aliquibus, Fratrum, & Ordinum prędictorum, quam Archiepiſcopo, Capitulis, Pręlatis, Rectoribus, Curatis, Conventibus, Sacerdotibus, Vicariis, ac Clero prędictis, vel aliquibus ipſorum, ſeu quibusvis aliis communiter, vel diviſim, a pręfata ſit Sede indultum, quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici, ſeu extra, vel ultra certa loca, vel alio quocunque modo ad judicium evocari non poterint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo, ad verbum de indulto hujuſmodi, perſonis, locis, Ordinibus, & nominibus propriis mentionem, & quibuslibet aliis indulgentiis, ſeu privilegiis dictę Sedis generalibus, vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta veſtrę juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum ſpecialem oporteat in noſtris literis fieri mentionem. Ceterum judicibus, ſeu Conſervatoribus quibuſcunque per literas Apoſtolicas ſub quacunque alia, quam pręſenti, verborum forma, & expreſſione confectis, aut tam eiſdem dictorum Prędicatorum, Minorum, Eremitarum, & Carmelitarum Ordinum Fratribus, ſeu ipſis Ordinibus, quam Archiepiſcopo, Capitulis, Pręlatis, Conventibus, Rectoribus, Curatis, Sacerdotibus, Vicariis, ac Clero, vel aliquibus, ſeu alicui eorum communiter, vel diviſim, ſuper damnis, & injuriis, & aliis quibuſcunque rebus, ſeu negotiis, alias deputatis, & ſubdelegatis eorum, pręſentibus, & futuris, auctoritate pręſentium diſtrictius inhibemus, ne aliquem, ſeu aliquos, auctoritate literarum ipſarum, prętextu, ſeu occaſione, omnium damnorum, vel injuriarum, ſive gravaminum, contra tenorem prędictę Decretalis: Super Cathedram: tam ipſis Fratribus, ſeu eorum Ordinibus, quam Archiepiſcopo, Capitulis, Pręlatis, Conventibus, Rectoribus, Curatis, Sacerdotibus, Vicariis, & Clero, vel alicui, ſeu aliquibus, communiter, vel diviſim a quibuſcunque perſonis illatorum hactenus, & etiam inferendorum in poſterum, coram ſe, aliquomodo deinceps ad judicium, vel alias quoquomodo vocare, ſeu in cauſam aliquatenus trahere pręſumant, inhibitionem hujuſmodi non ſolum ad futura, ſed etiam ad quovis modo adhuc pendentia, & jam cępta negotia volentes extendi, ac etiam declarantes irritum, & inane, ſi ſecus ſuper pręmiſſis per quoſcunque, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari; vobis nihilominus injungentes, ut inhibitionem noſtram hujuſmodi ad dictorum judicum, ſeu Conſervatorum, & ſubdelegatorum notitiam, de quibus vobis videbitur expedire, deducere procuretis. Inſuper volumus, & auctoritate Apoſtolica decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat articulum, etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico prępeditus, quodque a data pręſentium ſit liberum vobis, & unicuique veſtrum in pręmiſſis omnibus, & eorum ſingulis cęptis, & non cęptis, pręſentibus, & futuris, & pro prędictis procedere, ac ſi prędicta omnia, & ſingula coram vobis cępta fuiſſent, & juriſdictio veſtra, & cujuslibet veſtrum in prędictis omnibus, & ſingulis per citationem, vel modum alium perpetuata legitime extitiſſet. Conſtitutione prędicta ſuper Conſervatoribus, & alia qualibet in contrarium edita, non obſtantibus. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Primo (3), Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo,

Mandatum.

Clauſulis derogans.

Decretum irritum faciens.

1. *Conſtitutionem.*) De qua in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. VII, & IX.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ea *Archivo Apoſtolico Libro III fol.* 208.

3. *Tricesimo Primo.*) Stylo ſcilicet Bullarum, quo producitur Annus ad diem uſque *XXV* Martii, ut dictum eſt in *Præfatione ad Primum Tomum*. Stylo ſiquidem *Æræ* communis aſcribendus eſſet Annus *MCCCCXXXII*, ut attentum lectorem non fugiet: *Eugenius* enim Coronatus fuit die duntaxat *XI* Martii Anno Chriſti *MCCCCXXXI*. Summus Pontifex renunciatus erat ejuſdem menſis die *III*. Kalendis igitur Februariis anno Chriſti *MCCCCXXXI* nondum electus fuerat, immo vivebat adhuc *Martinus V.* Hæc ergo Conſtitutio, data Kalendis Februarii Pontificatus *Eugenii IV* anno Primo, lata eſt Anno Chriſti, ſtylo communi, *MCCCCXXXII*, ſtylo Bullarum, *MCCCCXXXI*. De his fuſius in *Præfatione* laudata.

Anno 1432 Die 18 Februarii.

Firmat Compoſitionem (1) Fratres inter Mendicantes initam de jure præcedendi in Univerſitate Toloſana.

Ex Bullario (2) Carmelitano in Eugenio IV Conſtitut. II pag. 183.

XVIII. Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii S. Saturnini Toloſan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

JUſtis, & honeſtis ſupplicum votis, illis præſertim, per quę pax, & tranquillitas inter perſonas Eccleſiaſticas, potiſſime Sacrę Religioni, & pię vitę ſtudio dicatas..... (3) libenter annuimus, & quę propterea facta comperimus, ut illibata perſiſtant, cum a Nobis petitur, mandamus Apoſtolico munimine roborari. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Bartholomęi Magiſtri generalis (4), & Fratrum Conventus Toloſani Ordinis S. Marię de Monte Carmelo petitio continebat: quod dudum Rector, & plerique in Theologia Magiſtri Univerſitatis Studii Toloſani pro pace, & quiete ejuſdem Univerſitatis ſtatuerunt, & ordinarunt; quod de cetero perpetuis futuris temporibus inter Baccalarios (5) profeſſores Ordinum Mendicantium in eadem Univerſitate in quibuslibet actibus ſcholaſticis talis ordo inter dictos Mendicantes ſervari deberet; videlicet quod quando Prędicatores haberent pręcedere Minores, tunc Fratres de Monte Carmeli deberent pręcedere Fratres Eremitarum Sancti Auguſtini; Cum vero ad ipſos Minores pertineret Prędicatores ipſos anteire, tunc Fratres Eremitarum Fratribus eiſdem de Monte Carmelo venirent pręferendi. Quare pro parte ipſorum Magiſtri, & Fratrum de Monte Carmelo Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dictis ſtatuto, & ordinationi pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiici, mandare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus: quatenus, ſi ita eſſe repereris, ſtatutum, & ordinationem prędicta auctoritate noſtra approbes, & confirmes, ſupplendo omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem; & nihilominus, ſi confirmationem hujuſmodi per te vigore pręſentium fieri contigerit, ut pręfertur, facias eadem ſtatutum, & Ordinationem auctoritate ſimili inviolabiliter obſervari; non obſtantibus ſtatutis, & Ordinationibus dictorum Studii, & Univerſitatis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo primo (6), Duodecimo Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Compoſitionem.*) Legitur hæc Compoſitio apud *Percinum* noſtrum *Monumen. Conventus Toloſani Seculo III ad an. MCCCCXXX pag.* 97. Aliam refert idem Auctor *pag.* 98 ex Autographo *Biterrenſi*, quæ hic inſcribenda videtur ex alio Autographo, *Brixienſi* ſcilicet, cujus Exemplar authenticum aſſervatur in Archivo Ordinis. Hujus tenoris eſt:

Univerſis, & Singulis Fratribus Sacrarum Religionum, & Ordinum Prædicatorum B. Dominici, Minorum B. Franciſci, Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum B. Mariæ Carmelitarum; Fratres Bartolomæus Texerii Prior Generalis Magiſter Ordinis Prædicatorum, Guilhelmus de Caſali Miniſter Generalis Ordinis Minorum, Gherardus de Arimino Prior Generalis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, & Johannes Faebi Prior Generalis Ordinis Carmelitarum Fratrum Beatæ Mariæ, æternæ ſalutis ac perpetuæ pacis munus.

SUmma Divinæ bonitatis affluentia, Fratres Cariſſimi, quæ multis modis peccatores ad pœnitentiam revocans, neminem vult perire, ſed omnes homines ſalvos fieri, vel in eo quam latiſſime patet, quod in noviſſimis quoque diebus langnenti jam morum ſterilitate Mundo remedia ſanitatis afferre dignata eſt, humiles, ac ſpirituales ſervulos ſibi deligens, qui populum acceptabilem ſtudioſe ei pararent, ac fidelibus monitis inſtituerent; Ita quod quatuor Ordinum Mendicantium religiones Sacras, velut quatuor flumina Paradiſi, in omnes ſuorum Fidelium Regiones mira benignitate diffudit, quæ exemplo piæ vitæ, doctrinæque, ac Prædicationis ubertate terrenorum hominum mentes velut cæleſti quodam humore foverent, miteſque, ac ſaluberrimos æternæ vitæ alerent fructus, ægris peccatorum animis non opem modo, ſed & Divinæ ſuavitatis guſtum optimum allaturos, cujus dulcedine illecti fideles omnem diabolicæ ſuggeſtionis infectionem vitare diſcerent, & in ſolo ſupremæ voluptatis deſiderio jocundari. Verum ſanctiſſimæ hujus noſtræ irrigationis operationem, tam prudenti, & concordi moderatione exerceri, ac regi neceſſe eſt, ne ipſæ Religiones, aut mutuo exhauſtæ, penuria ſacri humoris areſcant, aut ſuis invicem fluctibus obruantur; Nam profecto, ſi ullus ipſorum Ordinum, dum exuberare cupit, ſpernat, & impugnet ceteros, fama, honoribus, aut commodis, ipſos evacuare laborans, neceſſe eſt illud accidere, ut, altero repugnante, aut referre moliente, multi utrinque ad contemptiones, & adverſus prædicationes incitentur; Sic quod ſtudia, quæ non ad propriam modo, ſed ad alienam ſalutem, ac concordiam ſuſceperunt, converſis inter ſe odioſis animis graves diſcordias nutrient; Quo peſſimo exemplo, & multorum fidelium mentes auctoritatem vitæ ac doctrinæ noſtræ contemnunt, & nos ipſi, alternis occurſibus diffidentes, in magna noſtra ſcandala, ac damna præ-

præcipitamur. Quæ mala, ut in futuram, Deo ſavente, vitemus, omneſque intelligant Sacrarum Religionum Ritus, quanquam pulchra diverſitate varios, ex unico tamen Divinæ gratiæ ſonte profluere, atque eadem caritatis via, unum finem, ac terminum petere; Nos prænominati Quatuor Ordinum Mendicantium Priores Generales, Sanctiſſimorum Patrum noſtrorum veſtigiis inhærentes, qui unitatem ſpiritus, & pacis vinculum, cum omnibus tenentes, ab omni ſemper fuerunt diſcordia remotiſſimi, habito in ea re multorum RR. Provincialium & aliorum S. Theologiæ profeſſorum, qui ex diverſis ipſorum Ordinum Provinciis, ad Sacrum Baſileenſe Concilium convenerant (anteaquam ab Eugenio IV Baſileenſes deficerent) *ſano, ac maturo conſilio, nonnulla inter Nos, ac Religiones Nobis creditas, omni auctoritate, & conſenſu ordinanda, ac ſtatuenda eſſe, cenſuimus, quæ ab univerſis eorundem Ordinum Fratribus ubique terrarum obſervata perpetuo, paci, & commodis ipſarum Religionum toto orbe conſulerent, & rebus, quæ inter Fratres diſſidium ullum, aut ſcandalum excitare poſſent, opportunis ordinationibus obviarent. Earum autem ordinationum forma, & ſeries talis eſt. Firmam Sacrarum quatuor Religionum pacem perpetuo duraturam juſto, & ſtabili fœdere conjuncturi, dignum duximus inde initium facere, unde nobis, ad ipſam conſervandam, tuendamque præſtari auxilium cupimus, a Sanctis videlicet, quos Religiones veluti primos cujuſque auctores, aut illuſtratores cultu præcipuo venerantur. Nos enim, etſi æquum ſit, ſummis Fratrum ſuorum laudibus celebrari, quos omnes eximia pietate colere, ac venerari debemus, tamen, quoniam temerarium eſt tam ſublimiter de unius meritis diſputare, tamque excellenter ſentire, ut alteri, vel Religioni, vel Sancto in comparationem adducto, derogetur, & ex cæleſtis Regni Beatitudine, ubi ſumma pax & æterna felicitas eſt, cauſæ litium contrahantur, unumquenque noſtrarum religionum Fratrem, qui in derogationem Sanctorum alterius Ordinis, Patronorum, aut profeſſorum, ſeu univerſalis ſtatus, & honoris ipſius ſcienter, & publice linguam laxare præſumpſerit, a Priore, ſeu Guardiano, aut altero Superiore ſuo, ad quem pertineat, digna punitione volumus caſtigari. Et nihilominus ad revocationem, aut aliam juſtam emendationem dicti ſui eodem loco, quo offenderat, omnino compelli. Scholaſticos quoque Fratres, etſi nemo prohibeat diverſorum Doctorum doctrinam, atque opinionem ſequi, ea tamen moderatione linguam honeſtare præcipimus, ne quis aliorum Ordinum Doctores, ullo contemptu, aut turpi dicto inſectari præſumat, a quibus forte ipſe aliorum imitator, de veritate diſſentit. Illud vero vel maxime eſt cavendum, ne contra confirmationem, approbationemque alicujus harum ſacrarum Religionum quiſpiam aliorum Ordinum Frater aliquid prædicare, aut diſſeminare præſumat, ſed magis omnes ſtudeant illarum dignitatem invicem attollere, ac profiteri, quarum non dubitent caritatem ſancto vinculo ſociatam, fortiorem ad commune præſidium poſſe ſuccedere. Itaque & auctoritatem audiendi Confeſſiones, & abſolvendi, diligentiſſime omnes caveant, ne prædicatione, aut aſſertione ſua in ullo aliorum Ordinum, minorem, aut diſparem faciant videri, ſed alternæ poteſtati, & auctoritati, non modo conſentiant, ſed diligenter faveant, parique laude, & approbatione aliis tribuant, quæ ab illis ipſi deſiderant. Omnino autem in Romana Curia, unde tanquam ex primo fonte, ſeu conjunctionis Matre, bona, ſeu diſſenſionis mala, ad certas orbis partes facile diramari, atque diffundi poſſunt, ſolidam pacem, & tanquam individuam rerum, ac periculorum omnium, ſervari convenit ſocietatem: ut quoties neceſſitas, & æqualis periculi metus impendat, Procuratores Ordinum, qui in ipſa Curia fuerint, cujuſque alterius Ordinis negotia, non aliter quam proprio curent, atque ſuſtineant, collatis inſuper æquali ſorte ſumptibus ubi, & cauſæ magnitudo, & communis rei diſcrimen, ita exigere videatur. In ceteris vero invicem ſibi faveant, aſſiſtantque, quantum & honeſtas permiſerit, & rerum opportunitas poſtulaverit. Neque ullus ipſorum, acceptis a quibuſdam Fratribus, aut Conventibus ſui Ordinis adverſus Fratres alterius Religionis querelis, litem contra illam moveat, aut moveri ſinat, ſeu literas impetrari, niſi Provincialem, aut alterum illorum Prælatum, contra quos querelæ producuntur, ad quem pertineret, prius admonitum eſſe, & in adminiſtranda juſtitia, negligentem fuiſſe cognoverit; etiamſi ejuſmodi cauſa ſit, quæ videretur extra Curiam commode agitari non poſſe. Illud præterea in eo loco ſervari volentes, ut quicquid litis, & controverſiæ, inter duarum Religionum Fratres, ac proinde, & inter earum Procuratores ſuboriri videatur, alii duo Procuratores omni diligentia, & ſtudio componere, & interceptam cauſam juſto moderamine terminare procurent, illis, qui litem acturi erant, nihil interim moventibus, quibus præcipimus, & mandamus, ut omnem cauſam ſuſpenſam teneant, donec alii tentatæ concordiæ fortunam experiantur. Cum vero inter ſervos Dei, qui non eſt Deus diſſenſionis, ſed pacis, aut nullæ lites habendæ ſint, aut quam celeriter finiendæ, decernimus tenore præſentium, & jubemus, ut ſi quando inter dictorum Ordinum Fratres, ſuper nimia vicinitate, aut aliis impedimentis, ob quæ aliorum loca commode ædificari non poſſint, controverſia aliqua fuerit exorta, Priores, & Miniſtri Provinciales, ſi ſuper hoc duxerint ſe requirendos, ad locum, ubi litis occaſionem naſci noverint, intra duorum Menſium ſpatium, ſe perſonaliter transferant, & omnem controverſiam ſubortam curent unius Menſis ab eorum adventu ſpatio terminare, qui ſi in unam ſententiam convenire nequiverint, tres arbitros eligant, qui ſimiliter intra Menſem omnem litem juſto fine decidere teneantur, & quicquid tres ſimul, aut duo ipſorum decreverint, firmiter obſervetur; Quod ſi prædicti Prior Provincialis, & Miniſter, ex juſtis cauſis, & legitimis, illuc ire non poterint, aut noluerint ſe transferre, committant quibuſdam Fratribus amatoribus pacis, & concordiæ, vices ſuas, qui ſuſceptæ cauſæ arbitrium, uſque ad juſtam terminationem, intra unius Menſis ſpatium, ut prædiximus, exequantur, & quicquid per eos, vel per arbitros ab ipſis electos, ordinatum fuerit, robur obtineat firmitatis. Ordinationibus quoque, & inhibitionibus Apoſtolicis eſt parendum, ne ullius Ordinis Fratres ad conſtructionem Monaſterii, Eccleſiæ, ſeu Oratorii, locum præſumant accipere vicinum loco Fratrum alterius Ordinis, infra centum quadraginta cannarum ſpatium, per ſedem Apoſtolicam prætaxatum, ſine ipſorum licentia, & aſſenſu. Rogamus tamen, ne ſe ad hujuſmodi gratiam fiendam difficiles reddant, ubi ex diſpoſitione ſituationis Loci nullum, aut exiguum ipſis præjudicium generetur. Caveant inſuper omnes diligenter, ne alterius Ordinis novitio zelo attrahendi ipſum ad ſuum Ordinem quiſquam ſuadeat primæ Religionis egreſſum; Et ſi quis ita illectus exiverit, non recipiatur infra annum in Ordinem, cujus deſiderio alium exire viſus eſt, niſi de licentia illius Ordinis, quem reliquit, in qua re ne ulla injuria, aut fraus fiat, inhibemus omnino, ne de hujuſmodi alienorum Novitiorum receptione ulla diſpenſatio Apoſtolica impetretur. Præterea cum quiſquam cavere debeat, ne alteri faciat, quod ſibi nollet fieri, neque electionem ſepulturæ alicujus perſonæ apud Fratres alterius Ordinis factam, perſonis Patris, & Matris, Fratris, ac Sororis, duntaxat exceptis, immutari, neque legata eiſdem relicta variari, vel minui, quiſquam per ſe, vel per alium procurare præſumat. Attendant etiam ſinguli, ne honori ſui*

ſui Ordinis improvide providentes, in contentione, & æmulatione aliorum ſermones corripiant, vel impediant; Inſuper, cum ſecurius ſit conſilium, & firmius judicium, quod plurimorum ſententiis fuerit approbatum, circa obſervationem Sententiarum excommunicationis, & interdicti, quæ ab aliis, quam a Summo Pontifice, & Legatis Sedis Apoſtolicæ, quibus eſt ſimpliciter deferendum, prolatæ fuerint, quæque ullo modo vertantur in dubium, inter omnium prædictorum Ordinum, qui in loco erunt Fratres collatione præhabita, requiſito etiam diligenter, ſi neceſſe fuerit, conſilio ſapientum, quantum conſcientia permiſerit, uniformitas obſervetur. Ceterum, quia quicquid in Fidei Chriſtianæ Religionem committitur, in omnium noſcitur injuriam redundare, Inquiſitores hæreticæ pravitatis nullus impediat, vel perturbet, quin potius, & ipſi ſibi mutuo, & alii eiſdem in proſecutione officii indefeſſe faveant, & aſſiſtant. Hæc ſunt, quæ exacta diligentia ab omnibus noſtrorum Ordinum Fratribus volumus obſervari, & tranſgreſſores, juxta culparum exigentiam, debita caſtigatione puniri. Quocirca omnibus, & ſingulis eorundem Ordinum Fratribus, Provincialibus præſertim, Miniſtris, Vicariis, & aliis Rectoribus quibuſcunque harum ſerie præcipimus, & mandamus, quatenus ſuper dictis, & aliis, quæ diſtrimen turbationis, aut adducere conſueverunt, aut poſſe adducere videantur, omni diligentia ſtudeant efficacibus monitis, & opportunis correctionibus taliter providere, ut & cœpta, ſi quæ invenerint, componantur, & in poſterum ſimilia non contingant. Et ut firmius teneantur, atque ſerventur, quæ ſæpius repetita, ac memorata fuerint, omnibus Prioribus, & Guardianis dictorum Ordinum, ad quos præſentium Literarum noſtrarum exemplar, quod ipſos nihilominus diligenter volumus inveſtigare, pervenerit, ut ſingulo anno, quater cœpta æquali interpolatione moræ, ipſis Prioribus, & Guardianis ſingularum Religionum, qui in eo loco fuerint, ſimul congregatis, recitent, & ſtudioſe perlegant, tenore præſentium, præcipimus, & mandamus, ac ſi quid adverſus communem pacem, & has noſtras ſanctiones interim cognoverint accidiſſe, illud reformare, & componere omni diligentia ſtudeant, communique paci, & concordiæ ita conſulere, ut ea integra, & illibata perpetuis temporibus conſervetur. Datum Baſileæ Anno Domini MCCCCXXXV, Die II Menſis Aprilis ſub appenſione Sigillorum quatuor Generalium.

Ego Fr. Bartolomæus Generalis prænominatus ſupradicta confirmo manu propria.
Ego Fr. Guilhelmus Generalis ſupradictus omnia ſuperius notata propria manu confirmo.
Ego Fr. Johannes prænominatus Generalis omnia ſupradicta manu propria aſſero.
Et Ego Fr. Johannes de Haſpergh Vicarius Generalis ac Prior Provincialis Provinciæ Rheni, & Slaviæ, quia præſentibus interfui propter abſentiam Prioris Generalis manum, & ſigillum proprium præſentibus appoſui. Extat in Archivo Ordinis in Bullario *Brixienſi pag.* 14. Antographum *Brixiæ* aſſervatur. Hocce Decretum legis inſtar inviolabilis apud nos certe fuit. Ut etenim cetera mittam. Sic in Actis Capituli Generalis *Noviomagi* anno *MCCCCLIX* celebrati legere eſt. *Item denuntiamus, quod R. Magiſter Ordinis* (is erat Martialis Auribelli) *acceptavit unionem factam in Concilio Baſileenſi inter Generales & Procuratores Quatuor Ordinum Mendicantium. Quam unionem acceptavit expreſſe Generalis Miniſter modernus ſupraſcripti Ordinis Minorum.*

2\. *Bullario.*) Ex Autographo *Avenione* ſervato.
3\. *Dicatas...*) Nonnihil hic deeſt.
4\. *Magiſtri Generalis.*) Supple: *Prædicatorum*. Is erat *Bartholomæus* noſter *Texerii*. Prior vero Generalis Carmelitarum per id tempus erat *F. Iohannes Fachi*.
5\. *Baccalarios.*) Ordinem, quo ſedebant iſti, *Percinus* mox laudatus exhibet in *Opuſculo de Academia Toloſana Parte III Cap.III pag.*158.
6\. *Triceſimo Primo.*) Stylo Bullarum, Æræ vero Communis anno *MCCCCXXXII*.

Anno 1432 Die 18 Martii.

Fratres Panormitanos (1) Quarta portione de legatis ſolvenda immunes reddit (2).

Ex Archivo (3) Ordinis.

XIX. Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus Sancti Dominici Panormitan. Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. SAcrę Religionis, ſub qua devotum, & ſedulum exhibetis Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut veſtris, quantum cum Deo poſſumus, petitionibus favorabiliter annuamus. Sane pro parte veſtra
Diplomatis cauſa. Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod Eccleſia Domus Sancti Dominici Panormitan. Ordinis Prędicatorum, in qua Divinis obſequiis mancipati eſtis a multis annis citra conſtrui, & reparari de novo ſit incepta, & magnę propterea fuerunt expoſitę, necnon pro ipſius Eccleſię perfectione plures quibus dicta Domus ſufferta non eſt, neceſſarię ſunt pecuniarum quantitates. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, plerique Chriſti fideles pro dictę Eccleſię fabrica vobis plurima legare, ac donationis titulo relinquere, conſueverunt, & ſi illa ſine alicujus de eis facienda, Quartę ſive Cancellarię portionis ſolutione, in uſus ejuſdem fabricę converterentur, hujuſmodi perfectio decentius ſuccederet, Altiſſimo ſuffragante, Nos veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, ut de illis, quę pro fabrica prętata,
Indultum. veſtriſque pictantiis, & victu, necnon ornamentis, libris, & luminaribus, ac peragendis anniverſariis ibidem vobis legari, vel donari contigerit, venerabili Fratri Archiepiſcopo Panormitan. pro tempore exiſtenti, aut cuicunque alteri Quartam, ſive portionem hujuſmodi nullatenus exhibere teneamini, auctoritate Apoſtolica concedimus per prępentes. Non obſtantibus Conſtitutionibus Domus, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Primo (4), Quinto decimo Kal. Aprilis, Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

1\. *Panormitanos*) In *Sicilia*.
2\. *Reddit.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*
3\. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXX. fol.* 109.

Mo-

Monaſterium Sancti Dominici de Via Levata committit curæ Fratrum noſtrorum Conventus S. Euſtorgii de Mediolano (1). Anno 1432 Die 10 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Conventui Monaſterii Sancti Dominici de Via Levata Mediolanen. Ordinis Sancti Auguſtini per Prioriſſam ſoliti gubernari, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XX.

SAcrę Religionis, ſub qua devotum & ſedulum exhibetis Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut votis veſtris, illis pręſertim, per quę Divinis laudibus quietius inſiſtere valeatis, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Exordium. Sane petitio, pro parte veſtra Nobis nuper exhibita, continebat, quod licet vos, quę ſecundum Regulam, & inſtituta Ordinis Prędicatorum degitis, conſueveritis, & a tanto tempore citra, quod de contrario memoria non habetur, a Fratribus Domus Sancti Euſtorgii extra Muros Mediolaneo. dicti Ordinis Prędicatorum in Eccleſia veſtri Monaſterii, quod infra limites Parochię Parochialis Eccleſię Sancti Michaelis ad Cluſiam Mediolanen. conſtitutum exiſtit, Miſſas, & alia divina officia, ac Prędicationes audire, necnon eccleſiaſtica Sacramenta, & in Confeſſionibus abſolutiones, & pęnitentias recipere, eccleſiaſticę quoque ſepulturę tradi, tamen nonnulli Archiepiſcopi Mediolanen., qui interim fuerunt, ſe aliquando pręmiſſis opponentes, Prioriſſam, & Conventum dicti Monaſterii a Clericis ſecularibus Miſſas, officia, Sacramenta, ac confeſſiones, & abſolutiones hujuſmodi habenda, & recipienda, compellere ſunt moliti, in illarum diſplicentiam, & ſcandalum plurimorum. Supplex Monialium petitio. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, hujuſmodi ſeculares Clerici vobis in Prędicationibus omnino deficiant, ac in divinis officiis, Miſſali, & Regula a vobis diſcrepent, vos in pręmiſſis, & aliis divinis recreationibus detrimentum non modicum patiamini, pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis, & ſtatui veſtro ſuper hoc opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nota. Nos igitur, ut per quietem vobis procurandam animarum veſtrarum ſaluti conſulatur, pręmiſſis attentis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, & poſteris veſtris, quod a dictis Fratribus dictę Domus Sancti Euſtorgii qui probatę vitę fuerint, & quinquageſimum ſuę ętatis annum attigerint, quoties opus fuerit, Miſſas, Prędicationes, & Confeſſiones audire, ac Sacramenta, & pro commiſſis abſolutiones debitas recipere, & quod ſepulturę hujuſmodi tradi valeatis, ipſique quinquagenarii, & probatę vitę Fratres illa miniſtrare, & impendere vobis, alicujus alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, libere & licite valeant, vobiſque, quod a Rectore dictę Parochialis Eccleſię, vel aliis quibuſvis Clericis eccleſiaſticis ad ea habenda, & recipienda per quempiam invitę coarctari non poſſitis, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium de ſpeciali gratia indulgemus. Conceſſio. Non obſtantibus ſtatutis, & conſuetudinibus Mediolanen. Eccleſię, ac Monaſterii, necnon Domus, & Ordinum prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, jure tamen dictę Parochialis Eccleſię, & cujuſcunque alterius alias in omnibus ſemper ſalvo. Clauſula derogans. Nulli ergo &c. Noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo ſecundo, Sexto Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Mediolano.*) In Ducatus ejuſdem nominis Metropoli, in *Italia*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ax *Archivo Apoſtolico Libro XXII fol.* 84.

Curam *Monaſterii S.* Petri Apoſtoli extra muros Mediolanen. (1) demandat Fratribus Cœnobii S. Euſtorgii. Anno 1432 Die 10 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę & Conventui Monaſterii Sancti Petri Apoſtoli in Terraſancta, extra Muros Mediolanen., Ordinis Sancti Auguſtini, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXI.

SAcrę Religionis &c (3). in Eccleſia veſtri Monaſterii, quod infra limites Parochię Collegiatę Eccleſię Sancti Laurentii Majoris Mediolanen., quę & Parochialis eſt, conſtitutum exiſtit, Miſſas, & alia divina officia, ac prędicationes audire, necnon eccleſiaſtica Sacramenta, & in Confeſſionibus abſolutiones, & pęnitentias recipere, eccleſiaſticę quoque ſepulturę tradi, tamen nonnulli Archiepiſcopi Mediolanen. &c (4). Libere & licite valeatis, & valeant; voſque ad ea a Prępoſito dictę Eccleſię Sancti Laurentii Majoris, vel alio ad illius Parochianorum curam pro tempore deputato, aut quibuſvis aliis Clericis ſecularibus habenda, & recipienda per quempiam invitę coarctari non poſſitis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, de ſpeciali gratia indulgemus. Non obſtantibus ſtatutis, & conſuetudinibus Majoris Mediolaoen. & prędictę Sancti Laurentii Majoris Eccleſiarum, ac Monaſterii, necnon Domus & Ordinum prędictorum, & juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, jure tamen dictę Eccleſię Sancti Laureotii Majoris, & cujuſcunque alterius, alias in omnibus ſemper ſalvo. Clauſula derogans. Nulli ergo &c. Noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę

Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo ſecundo, Sexto Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Mediolanen.*) In Metropoli Ducatus ejuſdem nominis, in *Italia*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXI fol.* 8.
3. *Sacræ Religionis &c.*) Ut in præcedenti ad hæc uſque verba: *Ordinis Prædicatorum*.)
4. *Mediolanen.*) Ut in eodem ad hæc uſque: *Minime requiſita*.

Anno 1432 Die 12 Maii.

Ut Sorores Recluſorii Colonien. (1) apud Fratres Prædicatores peccata deponant, & ſepeliantur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Prępoſito Eccleſię Beatę Marię ad Gradus Colonien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. CUm de Religionis incremento ex ſuſcepto miniſterio Apoſtolatus officii ſoliciti eſſe teneamur, fęminis, quę fragilitatem ſexus ſalubris virtute propoſiti, inſpirante Domino, ſuperarunt, & Chriſto ſpecialiter nubere decreverunt, benignius Nos convenit Apoſtolicum pręſidium impertiri, ut eo melius in Religioſę vitę obſervantia ſolidentur, quo celerius in earum petitionibus honeſtis a Sede Apoſtolica fuerint exauditę. Supplex Sororum petitio. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Magiſtrę, & Sororum Domus Recluſorii, nuncupatę in Vico Sancti Marcelli Colonien., ſub cura & regimine Fratrum domus Ordinis Pręedicatorum Colonien., ſecundum Regulam Sancti Auguſtini viventium, inſtitutę, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod dudum bonę memorię Walramus Archiepiſcopus Colonien. Magiſtrę, & Sororibus prędictis de licentia fel. memorię Archiepiſcopi Colonien. cohabitantibus gratioſe conceſſit, quod ipſę Fratribus dicti Ordinis confiteri, & ab eis eccleſiaſtica Sacramenta recipere, ac quod Sorores prędictę poſſent unam ex prędictis, quę aliis pręeſſet Sororibus, & in eas diſciplinam cum conſilio etiam Confeſſoris earum, ſeu alterius Fratris dicti Ordinis, atque aliarum Sororum exercere valeret, eligere in Magiſtram, quodque Rector Parochialis Sancti Pauli, infra cujus Parochię limites ipſa Domus Recluſorii conſiſtit, ac Theſaurarius Sancti Andreę Colonien. Eccleſiarum, mediantibus probis, & honeſtis, ſuper diſſenſionum, quę tunc vertebantur inter eos, articulis, ad talem devenerunt concordiam, quod Sorores in dicta domo Recluſorii pro tempore incluſę Viatici & Extremę Unctionis Sacramenta a dicto Rectore certis diebus reciperent, & aliis temporibus Euchariſtię Sacramentum a noto, & Catholico Sacerdote, qui etiam in dicta domo Recluſorii Miſſas celebraret, recipere, & Corpus Dominicum in loco, & Pixide condecentibus inibi ad hoc deputandis cum reverentia debita conſervare poſſent, clave apud eundem Plebanum in cuſtodia manente, donec in ipſa domo Recluſorii Sacerdos dotatus per eundem Theſaurarium inſtitutus eſſet, pro quibus omnibus Sorores prędictę ipſi Rectori tres ſolidos denariorum Colonien. . . . . . pro tempore uſualium nomine Miſſalium, ſingulis annis in medio quadrageſimę perpetuo ſolverent, ac quęlibet in dicta domo Recluſorii incluſa ſingulis annis in Paſchę, Pentecoſtes, Nativitatis Chriſti, & omnium Sanctorum feſtivitatibus eidem Rectori oblationes ſibi debitas miniſtrari procuraret, omneſque oblationes, quas in die Paſchę Sacerdoti in pręfata Domo Recluſorii celebranti offerri contingeret, eidem Rectori aſſignari tenerentur, ac his mediantibus Magiſtra, & Sorores prędictę, ab omni alio jure Parochiali eſſe deberent penitus abſolutę, ſalvo quod nulla alia defunctorum, quam ipſarum Magiſtrę, & Sororum corpora apud Domum Recluſorii hujuſmodi ſepeliri poſſent, & ſi aliqua ex eis apud dictam domum ſepeliretur Recluſorii, omnia funeralia ex ſepultura hujuſmodi provenientia Rectori integre aſſignari deberent antedicto, prout hęc, & alia in Inſtrumento publico deſuper confecto dicuntur plenius contineri. Quare pro parte Magiſtrę & Sororum prędictarum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut inſtitutioni, conceſſioni, & concordię, necnon omnibus & ſingulis in dicto Inſtrumento contentis, ſalvis infraſcriptis, pro eorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, & earum commoditatibus, ac mentium ſuarum paci, & tranquillitati alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus ſuper pręmiſſis omnibus, & ſingulis, Facultas. ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ea vera eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, inſtitutionem domus Recluſorii, conceſſionem, concordiam, & contenta ſupradicta, ac omnia inde ſecuta ſub modificatione infraſcripta eadem auctoritate approbes, & confirmes, ſupplendo defectus, ſi qui intervenerint in eiſdem, & nihilominus eiſdem Magiſtrę, & Sororibus, ut apud Eccleſiam Fratrum Prędicatorum, quę earum Domui propinqua eſſe dignoſcitur, ſepulturam eligere, & quoties eis placuerit unum ex prędictis Fratribus, qui confeſſiones earum audire, ac eas peccatis abſolvere, & pro illis debitam pęnitentiam iniungere, niſi talia fuerint, propter quę Sedes Apoſtolica fuerit merito conſulenda, necnon eis, pręterquam in feſto Paſchę Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare poſſit, eligere valeant, auctoritate concedas memorata, jure tamen dictę Parochialis Eccleſię alias in omnibus ſemper ſalvo. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo ſecundo, Quarto Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Colonien.*) In *Germania*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXII. fol.* 30.

Bubuen.

Bubuenſis (1) Cœnobii fundandi facultas. Anno 1432 Die 29 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Traguriens. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXIII.

Exordium.

SIncerę devotionis affectus, quem dilecti filii cives, & incolę civitatis Traguriens. ad Nos, & Roman. gerunt Eccleſiam, promeretur, ut votis eorum, illis pręſertim, quę Fratrum Ordinis Pręedicatorum, & divini cultus augmentum concernunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Sane petitio, pro parte dictorum civium & incolarum Nobis nuper exhibita, continebat, quod ipſi ſingularem devotionem gerentes ad Fratres Ordinis Pręedicatorum, de obſervantia nuncupatorum, propter ipſorum laudabiles, & ſalutares fructus, cupiunt pro ſuarum animarum ſalute, Ordinem ipſum propagare & propterea de bonis eis a Deo collatis in Inſula de Bua, tuę Diœceſis, loco habili, & honeſto domum unam pro uſu, & habitatione perpetuis dictorum Fratrum fundare, & erigere proponant, ſi ad hoc Sedis Apoſtolicę conſenſus accedat. Quare pro parte dictorum, civium, & incolarum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis Domum eandem, cum Eccleſia, campanili, campania, cęmeterio, dormitorio, domibus, & aliis neceſſariis officinis, fundandi, & erigendi, ac Fratribus antedictis domum ipſam pro uſu, & habitatione pręfatis, recipiendi, & retinendi, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Traguriensium ſupplex petitio.

Facultas.

Nos igitur pium & laudabile dictorum civium & incolarum propoſitum in Domino plurimum commendantes, ac volentes eos in hujuſmodi propoſito confovere, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus & ſingulis auctoritate noſtra informatione diligenti per te ſuſcepta, ſi ea veritate fulciri, & aliud canonicum non obſtare repereris, ſuper quibus tuam conſcientiam oneramus, civibus, & incolis Domum pręedictam in dicto loco, dummodo prope illum ad centum & quadraginta cannas aliqua Domus, ſeu Eccleſia, vel Monaſterium pręedicti, aut alterius Ordinis Mendicantium non fuerit, fundandi, & erigendi, ac Fratribus pręedictis illam pro eorum uſu, & habitatione recipiendi, & perpetuo retinendi, eadem auctoritate licentiam largiaris, fel. rec. Bonifatii Papę Octavi Pręedeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinis Mendicantium in aliqua civitate, caſtro, vel Villa, ſeu alio loco quocunque ad habitandum Domos, ſeu loca quęcunque de novo recipere, ſeu recepta mutare pręſumant abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & qualibet alia Conſtitutione Apoſtolica contraria non obſtante. Nos enim eiſdem Fratribus, ut, poſtquam Domum pręfatam receperint, omnibus, & ſingulis privilegiis, exemptionibus, indulgentiis, libertatibus, gratiis, & immunitatibus, quibus Domus, & Fratres dicti Ordinis Apoſtolica, vel alia quavis auctoritate conceſſis, quomodolibet gaudent, uti pariter, & gaudere valeant, auctoritate ſimili, tenore pręſentium concedimus. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo ſecundo, Quarto Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Bubuenſis.*) In ejuſdem nominis Inſula *Dalmatiæ*, vulgo *Bua*, Slave *Cikovo*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXV fol.* 113.
3. *Traguriens.*) Vulgo *Trau*, Slave *Troghir*, in *Dalmatia*.

F. Bartholomæus de Florentia (1) Lector (2) Sacri Palatii Apoſtolici renunciatur. Anno 1432 Die 30 Maii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Magiſtro Bartholomęo de Florentia, Fratri Ordinis Pręedicatorum, Lectori Sacri Palatii, & Familiari noſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXIV.

Exordium.

VIrtutibus pollens, & meritis, ac ſacrę Theologię pręditus ſcientia ſingulari, prout famę laudabilis teſtimonio commendaris, illam in noſtro, & Apoſtolicę Sedis conſpectu gratiam meruiſti, quod perſonam tuam paterna benevolentia proſequamur. Ut igitur percipias, quod ſuggerit noſtrę mentis affectus, te, qui ſacrę Theologię profeſſor exiſtis, in Lectorem Sacri Palatii noſtri, necnon familiarem, continuum commenſalem gratioſe recipimus, ac familiarium noſtrorum, continuorum commenſalium conſortio favorabiliter aggregamus. Intendentes ergo quod per hoc favoris Apoſtolici pręſidia plenius ſortiaris, te omnibus, & ſingulis privilegiis, indulgentiis, pręrogativis, honoribus & aliis gratiis, quibuſcunque Lectoribus, & familiaribus hujuſmodi domeſticis, continuis commenſalibus, competentibus de cetero effectualiter uti volumus, & gaudere. Age, igitur, & ſic demum circa pręfatum officium proficere ſatage, quod a Nobis, & dicta Sede digne honorem & gratiam conſequi merearis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę receptionis, aggregationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, Indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Secundo, Tertio Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Lector Sacri Palatii creatur.

1. *Bartholomæus de Florentia.*) Sic a patria nuncupatur Eccleſiæ columen, ac præclarum Ordinis, & ævi ſui ſidus, venerabilis noſter *F. Bartholomæus Lapaccius*, de quo ſæpe dicetur in *Appendice ad Præſentem Pontificatum*. Adeas Echard

(Tomo I *Scriptor. Ord. ad an. MCCCCLXVI pag.* 834.

2. *Lector*.) Lectores Sacri Palatii Apoſtolici dicebantur ii, qui Theologiam docebant in Palatio Apoſtolico. Nunc *Romanæ Sapientiæ* Lectores vocantur ex eo tempore, quo *Leo X* auditorum commodo conſulturus tranſtulit Scholas eum in locum qui *Sapientia* Romæ nuncupatur.

3. *Archivo*.) In quo Exemplar Authenticum ex Autographo Cœnobii *Florentin. S. Maria Novella*.

Anno 1432 Die 22 Septembris.

Si Moniales Monaſterii S. M. Magdalenæ Epiſcopi Valentini (1) poteſtati ſe ſubiiciant, immutent veſtitum.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Monaſterii Sancti Bernardi, extra Muros Valentin., & Johanni Caſtro Valentin., ac Johanni de Claromonte Valentię commoranti, Tiraſonen. (3) Eccleſiarum Canonicis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. VEnerabilis Eccleſię regimini, licet immeriti, diſponente Domino pręſidentes, ex incumbentis Nobis ſollicitudinis officio vices temporum, locorum, ac perſonarum, conditiones, & ſtatum, ſolerti meditatione penſare debemus, ut debitum ad ſingula reſpectum habentes, ſic inter cetera circa Monaſteriorum & locorum Religioſorum ſalubrem, ac proſperum ſtatum vigilanti ſtudio intendamus, quod, gratia favente ſuperna, pręſerventur a noxiis, ac votiva proſperitate lętentur, & optata ſuſcipiant incrementa. Sed inter hęc Monaſteria Monialium, quę propter fragilitatem ſexus majorem Apoſtolicę Sedis noſcuntur ſuffragio, & caritatis auxilio indigere, ut Chriſto Sponſo ſuo reddere valeant quietius, & devotius vota ſua, ac corda, & corpora ſua in caſtimonia cuſtodire, propenſius Apoſtolico favore proſequimur, & noſtrę ſinum benevolentię impartimur. Sane pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Alfon-
Regis ſupplex petitio. ſi (4) Regis Aragonum Illuſtris Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod licet Monaſterium Sanctę Marię Magdalenę Civitatis Valentin. per Prioriſſam ſolitum gubernari, Ordinis Sancti Auguſtini, ab ejus fundatione, & dotatione primęvis, illiuſque Prioriſſa pro tempore exiſtens, necnon Conventus Epiſcopo Valentin. etiam pro tempore exiſtenti, & illius correctioni & coarctationi lege Dięceſani, & juriſdictioni ordinario jure ſubjecta fuiſſent, ac ipſorum Monaſterii, Prioriſſę, & Conventus viſitatio, correctio, & punitio ſecundum Canonicas Sanctiones ad eundem Epiſcopum ſpectarent, & pertinerent, tamen poſtmodum fel. rec. Honorio (5) Papę Prędeceſſori Noſtro ſuggeſto, quod ipſa Prioriſſa & Conventus de inſtitutionibus Ordinis Fratrum Prędicatorum illas, quę ipſis Prioriſſę & Conventui competebant, laudabiliter eatenus duxerant obſervandas, & affectabant dilectis filiis Magiſtro, & Priori Provinciali pro tempore exiſtentibus Provincię Hiſpanię Ordinis dictorum Fratrum, & illorum curę committi, pręfatus Prędeceſſor inter alia per ſuas certi tenoris literas Prioriſſam, & Conventum eaſdem, ac pręfatum Monaſterium Magiſtro, & Priori pręfatis commiſit, dummodo ejuſdem Epiſcopi, loci Dięceſani, ad id accederet aſſenſus, ac ſtatuit, quod ipſę Prioriſſa, & Conventus ſub Magiſterio, & doctrina Magiſtri, & Prioris prędictorum ex tunc in antea permanere deberent, ipſique Magiſter, & Prior earundem Prioriſſę, & Conventus animarum ſollicitudinem, & curam gererent, pręfatoque Monaſterio per ſe, vel alios ejuſdem Ordinis Fratres, quos adhoc idoneos viderent, quoties expediret, officium viſitationis impenderent, corrigendo, & reformando ibidem, tam in capite, quam in membris, quę correctionis & reformationis officio cognoſcerent indigere, ac inſtituerent, deſtituerent, immutarent, & ordinarent, prout in aliis Monaſteriis Monialium ejuſdem Ordinis erat fieri conſuetum, electio tamen ejuſdem Prioriſſę ad eaſdem Conventum libere pertineret, prout hęc, & alia in eiſdem literis dicuntur plenius contineri; & quod deinde, poſtquam Prioriſſa & Conventus, ac Monaſterium hujuſmodi ſub cura Magiſtri & Prioris, & ſecundum Inſtituta Fratrum Prędicatorum per aliqua tempora vixerant, dilecta in Chriſto filia Iſabel de Beluis Prioriſſa impręſentiarum exiſtens dicti Monaſterii, necnon pręfati Conventus cupientes, ex certis rationabilibus cauſis reduci ad poteſtatem, & ſubjectionem, Epiſcopi memorati, pręfatas literas dicti Prędeceſſoris per viros in jure peritos videri, & recognoſci fecerunt, ac dubitantes, an commiſſioni, & aliis pręmiſſis in dictis literis ejuſdem Prędeceſſoris contentis pręfati Epiſcopi conſenſus acceſſiſſet, poſtquam per Curiam dilecti filii Nobilis viri Gubernatoris Regii in Regno Valentię, quod de pręfati Re-
Nota. gis ditione exiſtit, quę quidem Curia, de antiqua inibi diutius tenta obſervantia, perſonas eccleſiaſticas, ſeculares, & regulares ab Epiſcoporum, & aliorum Ordinariorum judicum juriſdictione exemptas in ſuis viribus protegere conſuevit, ad inſtantiam Venerabilis Fratris noſtri Alfonſi (6) Epiſcopi Valentin., ſeu ipſius in ſpiritualibus Vicarii Generalis, ac Iſabelis Prioriſſę, & Conventus prędictorum, ſeu majoris partis earum, Prior, & Fratres Domus Ordinis Fratrum Prędicatorum per diverſa edicta, ut de hujuſmodi pręfati Epiſcopi ad commiſſionem, & alia pręmiſſa pręſtatione conſenſus, ſi quis acceſſiſſet, legitime docerent, requiſiti fuiſſent, ac ipſi ſuam poſſeſſionem, de cujus contrario memoria, ut aſſerebant, non exiſteret, allegantes, de ejuſdem Epiſcopi conſenſus acceſſu minime docuiſſent, pręfatus Alfonſus Epiſcopus, ſeu Vicarius antedictus poſſeſſionem ordinarię ſubjectionis, ac regiminis, & gubernationis Prioriſſę, & Conventus, ac Monaſterii prędictorum recepit, ſeu potius recuperavit, ac ex tunc Iſabel Prioriſſa, & Conventus pręfatę ſub ipſius Epiſcopi, ſeu Vicarii cura, & regimine, ac gubernatione perſtiterunt, prout de pręſenti perſiſtunt, & in futurum pręſtante Domino perſiſtere intendunt. Quare pro parte dicti Regis, necnon dilectorum filiorum Juratorum Civitatis prędictę fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut ne Magiſter, ac Prior, & Fratres prędicti futuris temporibus, ſuper eo pręſertim, quod forſitan vellent, ſe poſſeſſione ipſorum hujuſmodi ſpoliatos allegare, aut ipſę alias, pręmiſſorum occaſione, valeant per Magiſtrum, Priorem & Fratres prędictos, aut quoſvis alios quomodolibet moleſtari, ipſas Iſabelem & pro tempore exiſtentem Prioriſſam, & Conventum, ac Monaſterium hujuſmodi, in ipſius Epiſcopi loci Dięceſani ordinaria juriſdictione, ac dominio, & poteſtate confirmare, ſeu ad ea de novo redu-

reducere, & alias eis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui perſonas eccleſiaſticas pręſertim ſub ſexu fragili virtutum Domino famulantes, a quibuslibet futuris moleſtationibus, quo quietius Deo ſervire valeant pręſervare intendimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus vos, — Mandatum.
vel duo, aut unus veſtrum ſuper pręmiſſis vos auctoritate noſtra diligenter informetis, &, ſi per informationem hujuſmodi repereritis ita eſſe, Iſabelem, pro tempore exiſtentem Prioriſſam, & Conventum, necnon Monaſterium hujuſmodi in ejuſdem Alfonſi pro tempore exiſtentis Epiſcopi Valentin. ſubjectione & dominio, ac omnimoda ſuperioritate, & jurisdictione hujuſmodi confirmetis, ſeu eas, & Monaſterium ipſum ad curam, regimen, & gubernationem, necnon omnimodam juriſdictionem, poteſtatem, & dominium, ac ſubjectionem, lege juriſdictionis Dięceſan. Alfonſi, & pro tempore exiſtentis Epiſcopi prędicti plenimode reducatis, & reponatis, & etiam reſtituatis, facientes confirmationem, ſeu reductionem veſtras hujuſmodi eadem auctoritate inviolabiliter obſervari; non permittentes Iſabelem, & pro tempore exiſtentem Prioriſſam, & Conventum prędictos, ac Monaſterium hujuſmodi, contra confirmationem, ſeu reductionem, ac repoſitionem, & reſtitutionem veſtras hujuſmodi a quibuslibet, quomodolibet moleſtari; contradictores per cenſuram &c. non obſtantibus prędictis literis dicti Prędeceſſoris, ac omnibus, & ſingulis pręmiſſis, necnon Apoſtolicis, & Provincialibus, ac ſynodalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ſtatutis quoque, conſuetudinibus Monaſterii, Domus, & Ordinum prędictorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, ſeu ſi Magiſtro, Priori, & Fratribus prędictis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictę Sedis Indulgentia generali, vel ſpeciali cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam veſtrę juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, quę quoad hoc ipſis nolumus aliquatenus ſuffragari. Volumus autem, quod ſi dilectę in Chriſto filię Catharina Gallen., & Iſabel Cerioia dicti Monaſterii Moniales cum ſingulis earum ſociabus, quas — Nota.
diſcipulas appellant, ſub cura dictorum Fratrum voluerint permanere illis cum omnibus bonis ſuis ad alia ejuſdem Ordinis, & ſub cura hujuſmodi Fratrum viventium Monialium Monaſteria tranſeundi, auctoritate prędicta, licentiam concedatis, quodque Moniales quę ſub cura, poteſtate, & juriſdictione dicti Epiſcopi permanebunt, habitum per Magiſtrum, ac Priorem, & Fratres eis traditum, quem geſtant ad pręſens, — Nota.
mutare teneantur (7), & alium habitum de novo recipere ad arbitrium Epiſcopi memorati. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo ſecundo, Decimo Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Valentini.*) In *Hiſpania Tarraconenſi.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XX fol.* 216.
3. *Tiraſonen.*) *Turiaſonen.*, vulgo *Taraçona*, Italis *Taracona*, in *Hiſpania Tarraconenſi.*
4. *Alfonſi.*) Hujus nominis *V.*
5. *Honorio.*) *IV.*
6. *Alfonſi.*) Adeas *Ægidium* in *Theatro Eccleſiæ Valentinæ.*
7. *Teneantur.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*

Ut Carolus Secundus, Dominus Deſpotatus (1), & Lentatæ (2), ac Ceſaloniæ (3) Dux, arbitratu ſuo, uti poſſit opera duodecim Prædicatorum, aut alterius Ordinis Fratrum.

Anno 1432 Die 2 Decembris.

Ex Archivo (4) *Ordinis.*

XXVI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nobili viro Carolo Secundo Domino Deſpotatus, & Lentatę, ac Ceſalonię Duci, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Facultas.

SIncerę devotionis affectus, quem ad Nos, & Romanam geris Eccleſiam, promeretur, ut votis tuis, illis pręſertim, quę animarum ſalutem, & Chriſti nominis exaltationem reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Tuis itaque ſupplicationibus inclinati, ut duodecim Ordinis S. Benedicti, Prędicatorum, vel Minorum, aut aliorum quorumcunque Ordinum Mendicantium profeſſores, vita, moribus, & virtute pręclaros, ac literarum ſcientia pręditos, & ad hoc voluntarios, quos duxeris eligendos, pro Divinorum officiorum celebratione, vel aliis tuis ſervitiis licitis, & honeſtis, necnon pro corroboratione & amplificatione fidei catholicę, quę per illorum prędicationem, miniſterium, & exemplum laudabilis vitę in illis Partibus, auctore Domino, ſuſcipere poterit incrementum, recipere, illoſque, tecum & in locis tibi ſubditis, retinere valeas, pręfatiſque profeſſoribus, per te, ut pręmittitur, eligendis, & nominandis, & Superiorum ſuorum licentia, ſeu conſenſu minime requiſitis, vel obtentis, tecum morari, & hujuſmodi officia celebrare, ac tuis, & ejuſdem fidei ampliandę ſtudiis, & negotiis intendere, libere, & licite poſſint, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium indulgemus, eiſdem nihilominus profeſſoribus eadem auctoritate de ſpeciali gratia concedentes, quod hujuſmodi ſervitiis, & obſequiis inſiſtendo, per eorum Superiores, aut alios quoſcunque, ad eorum clauſtra abſque rationabili cauſa revocari, ſeu ad alia loca, vel Conventus ſuorum Ordinum transferri inviti nequeant quoquomodo. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac provincialibus & ſynodalibus conſtitutionibus, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus eorundem Ordinum, & aliis gratiis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Secundo, Quarto Nonas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Deſpotatus.*) Dignitas eſt apud *Græcos* æqualis Regiæ, Imperatoriæ proxima. Conſulendus *Johannes Laſcaris* in Epiſtola quæ legitur in *Hierolexicon Macri pag.* 200, *Edit. Veneta MDCCXII*.

2. *Lentata.*) Sic in ipſo Diplomate ſcripſit Amanoenſis. Ubi autem ſita, & quænam ſit hæc Regio, me fugit. Legerem *Leucata*, ſeu *Leucadia*, Vulgo *Santa Maura*. Inſula eſt *Græcia*.

3. *Ceſalonia.*) *Cephalonia*, vulgo *Ceſalonia*, Inſulæ maris Ionii, nunc ſub dominio *Venetorum*.

4. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXI fol.* 111.

Anno 1433 Die 27 Januarii.

Firmat donationem Sacelli *Domini* factam Cœnobio de Villalon. (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXVII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

APoſtolicę, Nobis deſuper injunctę, ſervitutis officium mentem noſtram excitat, & inducit, ut circa ea quę pro divini cultus propagatione, pia, ac provida intentione facta conſpicimus, operoſis impenſius ſtudiis intendamus, illiſque, quatenus firma, & illibata perſiſtant, cum a Nobis petitur, Apoſtolici volumus adjici muniminis firmitatem. Sane pro parte cariſſimę in Chriſto filię noſtrę Eleonorię (3) Reginę Aragonum Illuſtris Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim ipſa, ad hujuſmodi propenſius aſpirans cultus augmentum, jus patronatus, & pręſentandi perſonam idoneam ad quandam Capellam ſine cura, Capellam Domini communiter nuncupatam, ſitam in Villa de Villalon., Legionen. (4) Diœceſis, cujus dictę Reginę prędeceſſores fundatores fuere, & cujus ipſa Regina unica patrona exiſtit, cum omnibus ſuis pertinentiis, dilectis filiis Priori, & Fratribus domus Ordinis Fratrum Prędicatorum dictę Villę ad hoc, quod in ipſa Capella Divinum attentius perageretur officium, libere donavit, & conceſſit, ac in eos totaliter tranſtulit, ita quod Prior & Fratres prędicti, fructus, redditus, & proventus hujuſmodi Capellę ex tunc in antea perpetuis futuris temporibus percipere, & habere, ac in ſuis, & ipſius Domus uſus communes perpetuo convertere poſſent, atque deberent. Quare pro parte dictę Reginę Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut donationi, conceſſioni, & translationi prędictis, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adjicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, donationem, conceſſionem, & translationem pręfatas, ac quęcunque inde ſecuta, rata habentes, & grata, illa auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręfati ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Noſtrę confirmationis, & communitionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Secundo (5), Sexto Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Reginæ ſupplex petitio.

Confirmatio.

1. *Villalon.*) In *Hiſpania Tarraconenſi*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXI fol.* 155.

3. *Eleonoriæ.*) *Eleonora*.

4. *Legionen.*) In ejuſdem nominis Regno *Hiſpaniæ Tarraconenſis*.

5. *Triceſimo Secundo.*) Stylo Bullarum, Æræ communis *MCCCCXXXIII*.

Anno 1433 Die 28 Februarii.

F. Andream Ros (1) Inquiſitorem Regni Valentiæ (2) conſtitutum declarat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXVIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Andreę Ros, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Magiſtro in Theologia, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

DEvotionis tuę probata ſinceritas, quam ad Nos, & Romanam Eccleſiam gerere comprobaris, fidei quoque integritas, & morum probitas, literarum ſcientia, vitę honeſtas, & alia dona virtutum, quibus perſonam tuam, prout fide dignorum teſtimonio juvari percepimus, Dominus inſignivit, merito Nos inducunt, ut illa exequenda tibi fiducialiter committamus, per quę, gratia Domini tibi aſſiſtente propitia, extirpatis erroribus hęreticę pravitatis, catholica fides valeat dilatari. Dudum ſiquidem Martinus Papa V, Prędeceſſor noſter, in Civitate, & Regno Valentię, quę in ditione cariſſimi in Chriſto filii noſtri Alfonſi (4) Regis Aragonum Illuſtris, conſiſtere dignoſcuntur, officium Inquiſitionis hujuſmodi pravitatis certo modo duxit deputandum, necnon te Inquiſitorem ipſius pravitatis in Civitate, & Regno prędictis ad beneplacitum Sedis Apoſtolicę auctoritate Apoſtolica conſtituit, & etiam deputavit, ac voluit, & eadem tibi auctoritate conceſſit, quod in executione officii Inquiſitionis hujuſmodi, omnibus, & ſingulis etiam ſpecialibus, poteſtatibus, aliis Inquiſitoribus ejuſdem pravitatis pro tempore exiſtentibus a pręfata Sede conceſſis, non tamen hactenus revocatis, libere uti poſſes, aliiſque ejuſdem pravitatis inhibuit Inquiſitoribus in illis partibus deputatis, ne te in executione prędicti officii infra Civitatem, & Regnum hujuſmodi quoquomodo impedire, ſeu perturbare pręſumerent, ac decrevit ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari, prout in ejuſdem Prędeceſſoris literis plenius continetur. Nos igitur, cupientes, quod tu officium Inquiſitionis hujuſmodi eo ferventius proſequaris, quo poteſtate potiori te noveris eſſe munitum, te Inquiſitorem pravitatis ejuſdem in Civitate, & Regno prędictis juxta continentiam, & tenorem dictarum literarum pręfati prędeceſſoris, quoad vixeris, de novo facimus, conſtituimus, & harum ſerie deputamus, tibi hujuſmodi Inquiſitionis officium in Civitate & Regno prędictis gerendi, exercendi, & exequendi, juxta formam literarum earundem pręfati Prędeceſſoris, poteſtatem plenariam concedentes. Non obſtantibus omnibus, & ſingulis, quę in eiſdem literis idem Prędeceſſor voluit non obſtare. Nulli &c.

Diplomatis cauſa.

Declaratio.

Noſtrę

Noſtrę ſactionis, conſtitutionis, & conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Secundo (5), Pridie Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Andream Ros.*) Cujus meminit *Diago Hiſtor. Provincia Aragon. Ord. Prædicator. Libro I Cap. XXXV pag. 64.* Adeas *Fontanam Monumen. Dominican. Parte III Cap. I ad an. MCCCCXXXIV pag. 328.*
2. *Valentia.*) In *Hiſpania Tarraconenſi.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXVIII fol. 57.*
4. *Alfonſi.*) Hujus nominis *V.*
5. *Triceſimo Secundo.*) Stylo Bullarum, Æra communis *MCCCCXXXIII.*

F. Sebaſtianus Abbatis (1) Inquiſitor Rotomagenſis creatur.

Anno 1433 Die 28 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXIX.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Sebaſtiano Abbatis Ordinis Fratrum Prędicatorum, Theologię profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

CONſiderantes &c (3). Hinc eſt, quod Nos, qui conſideramus, & in votis gerimus, ut fides catholica noſtris proſperetur temporibus, & pravitas perverſorum, in Dięceſi Rotomagen. (4) vigentium, de finibus fidelium extirpetur, circa extirpationem eandem ſalubriter, & utiliter providere intendentes, te, qui, ut aſſeritur, Inquiſitor hęreticę pravitatis auctoritate Sedis Apoſtolicę deputatus exiſtis, in prędicta Dięceſi cum omnibus & ſingulis immunitatibus, privilegiis, & libertatibus, Inquiſitoribus dictę pravitatis a jure, vel conſuetudine hactenus conceſſis, in cauſis hęreſum, Inquiſitorem facimus, conſtituimus, & etiam deputamus; dantes & concedentes contra prędictę hęreticę pravitatis credentes, receptores, fautores, & defenſores eorum, tam eccleſiaſticas, quam ſeculares utriuſque ſexus perſonas, exemptas, & non exemptas, cujuſcunque etiam ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant, necnon infamatos, vel ſuſpectos de hęreſi, aut erroribus prędictis, procedendi, ac officium Inquiſitoris tibi commiſſum exequendi, juxta Canonicas ſanctiones, necnon alia faciendi, quę de jure, vel conſuetudine Inquiſitores pravitatis prędictę quomodolibet facere conſueverunt, ſeu etiam potuerunt, plenam & liberam auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus facultatem. Per conceſſionem autem hujuſmodi non intendimus poteſtati, ac juriſdictioni aliorum Inquiſitorum a Nobis, vel aliis, ad hoc auctoritatem habentibus, deputatorum, derogare in aliquo. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Secundo (5), Pridie Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Inquiſitor conſtitutus.

1. *Sebaſtianus Abbatis.*) Hunc inter Inquiſitores non recenſet *Fontana in Theatro Dominicano.* Ipſius mentio in *Conſtitutione VII Eugenii IV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro III fol. 253.*
3. *Conſiderantes &c.*) Ut in *Conſtitutione data XIII Julii MCCCCXXXI.*
4. *Rotomagen.*) In *Normannia.*
5. *Triceſimo Secundo.*) Stylo Bullarum, Æræ communis *MCCCCXXXIII.*

Indulgentias (1) die feſto SS. Corporis Chriſti, & quoties defertur infirmis, conceſſas firmat, & auget.

Anno 1433 Die 26 Maii.

Ex Arch. (2) *Ordinis.*

XXX.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

EXcellentiſſimum Corporis, & Sanguinis Domini Noſtri Jeſu Chriſti Sacramentum, quod appropinquante paſſionis hora Dominus ipſe ſigno pręcipui, quo Nos dilexit, amoris, ſalubriter inſtituit, ejuſque commemorationem ſacratiſſimam jugi mentis exultatione contemplantes, ad hoc inter ſingulos hujuſmodi mercatos Sanguine ſpiritualia diſpenſare munera, votis expoſcimus, ut illi condignis aſſurgentes laudibus, ſua frequentius ad ipſius venerationem Sacramenti corda dirigant, & eo, quo corporalis habetur pręſentia Salvatoris, viatico, fructus vitę complectentes ęternę, cęleſtia conſcendant, ipſum, qui ſe Nobis in edulium tribuit, perpetuo conſpecturi. Sane dudum pię memorię Urbanus PP. IV Prędeceſſor noſter ad orthodoxę corroborationem, & exaltationem Fidei, digne, & laudabiliter ſtatuens, ut de tanto Sacramento pręter illam, quę dietim in Eccleſia fieret, annuatim memoria ſolemnior, & ſpecialior haberetur, & ad celebrandum ejus, tam excelſum, tam glorioſum Feſtum, quintam poſt octavam Pentecoſtes feriam deſignans, ac Chriſti fideles quoslibet, ad colendum illud, donis ſpiritualibus animare volens, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui in Matutinali officio feſti ejuſdem in Eccleſia, in qua illud celebraretur, intereſſent, centum: qui vero Miſſę, totidem: & qui in primis ipſius Feſti Veſperis, ſimiliter centum: qui autem in ſecundis, totidem: illi vero, qui Primę, Tertię, Sextę, Nonę, & Completorii Horarum Officiis, pro qualibet ipſarum, quadraginta: eis autem, qui per Octavas ipſius Feſti Matutinalibus, Veſpertinis, Miſſę, ac prędictarum Horarum Officiis intereſſent, ſingulis Octavarum ipſarum diebus, ſimiliter centum, & ſubſequenter fel. rec. Martinus PP. V, etiam Prędeceſſor noſter fideles eoſdem, ad impertienda, pro veneratione Sacramenti hujuſmodi potiora, reverentię, & devotionis exercitia, firmare cupiens, ſingulis ex eis vere pęnitentibus, & confeſſis, qui, & quoties in ipſius Sacramenti pro feſto, jejunium, vel loco ipſius, aliud pium juxta ſuorum conſilia Confeſſorum, opus facerent, etiam centum; Et qui pręmiſſis, in Eccleſiis, in quibus illa celebrari contigerit, Offi-

Ab aliis SS. Pontificibus conceſſa refert.

Indulgentia, jejunantibus, vel aliud opus, pium de Confeſſarii conſilio peragentibus conceſſa.

Officiis intereſſent, necnon Epiſcopis, & aliis Prælatis Superioribus, qui dictis Officiis, libenter intereſſent, ſed quo minus eis in ipſis Eccleſiis intereſſe poſſent, pro conſervandis ſuarum Dignitatum juribus, & alias, tunc legitime impeditis, pro Matutinali ducentos; & pro Miſſę Officiis totidem; ac pro qualibet Veſperarum, etiam ducentos; reliquarum vero, videlicet: Primę, Tertię, Sextę, Nonę, & Completorii Feſti, Octuaginta; Rurſus autem in quibuslibet Octavarum diebus, pro ſingulis Matutinalium, Miſſarum, & Veſperarum, ſimiliter centum; necnon reliquarum horarum Officiorum hujuſmodi, Quadraginta; Illis pręterea, qui Proceſſiones, in quibus ipſum vivificum Sacramentum dicto Feſto, juxta prefatarum Ritus Eccleſiarum deferretur, continuo ſecuti forent, ac quibuslibet, in Feſto, & Octavarum diebus hujuſmodi, pro pace, & tranquillitate Eccleſię, Miſſas devote celebrantibus, pro ſingulis ipſarum, necnon aliis in eodem Feſto Euchariſtię Sacramentum devote ſumentibus, etiam centum ſingulis annis; Pro vice qualibet eis, qui dum Corpus Dominicum, communicandis deferretur Infirmis, illud cum incenſo luminari pręcedendo, vel ſequendo venerarentur, ſimiliter centum. Qui tunc illud alias devote ſecuti forent, quinquaginta dies, de injunctis eis pęnitentiis, miſericorditer relaxarunt. Ac etiam ipſe Martinus Prędeceſſor, quod in Feſto, & diebus Octavarum hujuſmodi, in terris, & locis Eccleſiaſtico quavis auctoritate ſuppoſitis interdicto, pulſatis campanis, januis apertis, & alta voce, excommunicatis prorſus excluſis, ſed interdictis, ut citius reconciliari ſtuderent, admiſſis, & illis, qui cauſam, vel occaſionem hujuſmodi Interdicto dediſſent, Altari, tunc nullatenus appropinquantibus, Miſſę, & Officia, licite celebrari poſſent, auctoritate Apoſtolica duxit concedendum. Nos vero, quos interim ad Summi Apoſtolatus apicem Divina Clementia provexit, etiam pro frequentiori hujuſmodi veneratione Sacramenti ſummis geſtientes affectibus noſtri partes miniſterii ſalubriter impertiri, necnon relaxationes, & conceſſiones prędictas Apoſtolici muniminis ipſorum nationi fidelium committentes, pręmiſſis per eundem Martinum Prędeceſſorem, ut prefertur, relaxatis diebus, alios totidem dies pariformiter ab ipſis fidelibus conſequendos adjicimus per pręſentes; & inſuper univerſos Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Eccleſiarum Prelatos, monemus, & hortamur in Domino, ac eis per Apoſtolica ſcripta in virtute S. Obedientię, diſtricte pręcipiendo mandamus, & in remiſſionem peccaminum injungimus, ut per ſe, vel alios eorum ſubditis per ſingulas ſuarum Civitatum, & Diœceſum Eccleſias in Dominica, Feriam, & Feſtum prędictum proxime pręcedente, ſalutaribus ad venerationem potiſſime Sacramenti hujuſmodi monitis, & exhortationibus, pręſentium, quarum etiam tenor, inter Matutinales Feſti, necnon dierum Octavarum hujuſmodi, lectiones recitetur, literarum continentiam, & officium publicare, & inſinuare procurent, ut ejuſdem Sacramenti ſuffragante myſterio, ſubditi, & fideles ipſi ſpiritualium gratiarum uberiori fulciantur augmento, & ab illo, qui ſe, pro ipſis immolavit hoſtiam, poſt hujus vitę curſum, ad gloriam perducantur ęternam. Verum, quia difficile foret hujuſmodi Literas ſingulis exhiberi, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod ipſarum tranſumpto manu publica, & ſigillo alicujus Epiſcopalis, vel Superioris eccleſiaſticę Curię munito, tanquam prefatis, ſi originales exhiberentur, literis, plena fides adhibeatur, ac perinde ſtetur, ac ſi originales literę forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Tertio, Septimo Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Confirmat, & auget, ut ſupra.

Nota ſtylum.

1. *Indulgentias.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. XV.* Adeas *Bzovium Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCCXXXIII num. CCCLXXVII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Viterbienſi*. Legitur apud *Bzovium* mox laudatum. In *Bullario Romano* eſt *VI.*

Anno 1433 Die 30 Junii.

Parochiam B. Mariæ in Camuccia Tudertin. (1) committit curæ Fratrum Prædicatorum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori & Fratribus domus Beatę Marię in Camuccia Tudertin., Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. AD ea, per quę Eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum, illarum preſertim, quę ſub Regulari habitu devotum & ſedulum Domino exhibent famulatum, ſtatui, & indemnitatibus, ac fidelium animarum ſaluti conſulitur, & libenter intendimus, illiſque, quantum cum Deo poſſumus, favorem Apoſtolicum impertimur. Exhibita ſi quidem Nobis nuper pro parte veſtra, & dilectorum filiorum Parochianorum Eccleſię Parochialis Beatę Marię in Camuccia Tudertin., Ordinis Fratrum Prędicatorum petitio continebat, quod cum animarum cura Eccleſię, & Parochianorum prędictorum per ſecularem Presbyterum, per Priorem pro tempore exiſtentem, & eoſdem Fratres deputandum, exerceri conſueverit, & modernus Presbyter, dudum, ut pręmittitur, deputatus, adeo decrepitus exiſtat, quod hujuſmodi curam gerere, & exercere non poteſt, ipſique Parochiani propterea in Sacramentalibus miniſtrationibus, ac aliis divinis Officiis non modica ſuſtinuerint, & ſuſtinent detrimenta, nec inter alios Civitatis Tudertin. Presbyteros, qui pauci ſunt, aliquis alius Presbyter idoneus reperiatur, qui curam ipſam commode, & decenter valeat exercere. Quare pro parte veſtra, & eorundem Parochianorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis necnon animarum ſuarum ſaluti ſuper hoc de benignitate Apoſtolica providere dignaremur. Nos igitur, qui fidelium animarum ſalutem quęrimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, ut, cedente, vel decedente Presbytero prefato, aut Eccleſiam, & curam ipſam quomodolibet dimittente, Eccleſiam, & curam hujuſmodi ſicuti dilecti filii Beatę Marię ſuper Minervam de Urbe, ejuſdem Beatę Marię Narnien., necnon Sancti Blaſii Tiburtin. (3) ejuſdem Ordinis, domorum Fratres Eccleſiarum ſuarum, quę ſimiliter Parochiales ſunt, curam gerunt, & exercent, gerere & exer-

Supplex petitio.

Conceſſio.

& exercere libere & licite valeatis; Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon domus & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium indulgemus. Nulli ergo &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Tertio, Pridie Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

X
X
X

Expedita de ſpeciali mandato D. noſtri Papę B. gratis.

Super partem inflexam, ſeu plicum, legitur,

a tergo.

Regiſtrata gratis.

R.

A. Dardsnonus.

1. *Tudertin.*) *Todi*, in *Umbria*, *Peruſiam* inter & *Narniam*.
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur. Ibidem aſſervatur Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXXVI fol.* 178.
3. *Tibartin.*) Nota, quod non ſolum in Italia, ubi *Narnienſe*, *Tiburtinum*, *Minervitanum &c.* Cœnobia, ſed in *Galliis* etiam, in *Hiſpania*, in *Germania &c.* Fratres Prædicatores Eccleſias Parochiales regunt.

Facultatem concedit Societati Sanctæ Catharinæ erectæ in Eccleſia Sanctæ Catharinæ Barchinonen. celebrandi tempore interdicti (1).

Anno 1433 Die 29 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

XXXII.

Exordium.

PAſtoris ęterni, qui pro dominici ſalvatione gregis in pretium ſe contulit, vices, licet immeriti, gerentes in terris, fidelium vota quorumlibet, pręſertim, quę ad ſuarum ſalutem cedere valeant animarum, libenter Apoſtolico ſavore proſequimur, &, ut illorum ſuccedant effectus, noſtri partes Miniſterii pręſidialiter impertimur. Cum itaque, ſicut accepimus, in domo Barchinonen. Ordinis Fratrum Prędicatorum, quędam Chriſti fidelium utriuſque ſexus perſonarum Congregatio, fraternitas Sanctę Catharinę nuncupata, pręcipue cauſa devotionis convenire, necnon in Eccleſia dictę domus diebus ſingulis in aurora ſolemnem cum Cereis magnis Miſſam celebrari facere conſueverit. Nos ipſarum perſonarum in hac parte ſupplicationibus inclinati, fidelibus de Congregatione hujuſmodi pręſentibus, & futuris, auctoritate pręſentium indulgemus, ut, ſi, & quoties Civitatem Barchinonen. eccleſiaſtico ſupponi contigerit interdicto, liceat eis in dicta Eccleſia januis clauſis, interdictis, & excommunicatis excluſis, ſummiſſa voce, & non pulſatis campanis, Miſſas, & alia divina officia in eorum pręſentia duntaxat facere celebrari; dummodo ipſi, vel eorum aliquis cauſam non dederint interdicto, nec id ipſis contigerit ſpecialiter interdici. Per hoc autem fraternitatem prędictam non intendimus aliquatenus approbare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Tertio, Quarto Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Facultas.

Nota.

1. *Interdicti.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. XV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXVI fol.* 210. Aliud ibidem aſſervatur Authenticum ex Autographo *Barchinonenſi*.

Privilegia conceſſa Confratribus Societatis (1) S. Catharinæ Barchinonen.

Anno 1433 Die 29 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

XXXIII.

Exordium.

INjunctum Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officium digne peragere non ambigimus, ſi ad ea ſolitę benignitatis extendamus affectum, per quę Chriſti fideles devotę conſcientię pacem conſequi, & animarum ſuarum ſalutis afferre valeant incrementum. Cum itaque, ſicut accepimus, in Domo Barchinonen. Ordinis Fratrum Prędicatorum quędam Chriſti fidelium utriuſque ſexus perſonarum Congregatio, Fraternitas Sanctę Catharinę nuncupata, ſingularis cauſa devotionis convenire, necnon in Eccleſia dictę Domus diebus ſingulis in aurora ſolemnem cum Cereis magnis Miſſam celebrari facere conſuevit; Nos, cupientes, ut hujuſmodi devotio ferventius vigeat, & augeatur, ampliorque ſuccedat inde ſalus animarum, necnon fidelium prędictorum in hac parte ſupplicationibus inclinati, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus perſonis, quę de Congregatione hujuſmodi ſunt, & infra biennium a data pręſentium computandum fuerint, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium indulgemus, ut confeſſores idonei, quos duxerint eligendos, omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contritę & ore confeſſę fuerint, ſemel tantum in mortis articulo, plenam remiſſionem ipſis in ſinceritate fidei, unitate Sanctę Romanę Eccleſię, & obe-

Privilegia.

Digitized by Google

& obedientia, & devotione noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium perſiſtentibus, eadem auctoritate concedere valeant, ſic tamen quod ipſi Confeſſores de his, de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, eam perſonis ipſis, prout illis contigerit, per ſe, ſi ſupervixerint, vel per heredes ſuos, ſi tunc forſan tranſierint, faciendam injungant, quam hujuſmodi perſonę vel heredes, ut prefertur, facere teneantur, & ne, quod abſit, perſonę ipſę propterea proclivіores reddantur ad illicita in poſterum committenda, volumus, quod ſi ex confidentia remiſſionis hujuſmodi aliqua forte commiſerint, eis, quoad illa, remiſſio prędicta nullatenus ſuffragetur; quodque ſingulę perſonę hujuſmodi per unum annum a tempore, quo pręſens noſtra conceſſio ad earum notitiam pervenerit, ſingulis ſextis feriis, impedimento ceſſante legitimo, jejunent, & ſi prędictis feriis ex pręcepto Eccleſię, Regulari obſervantia, injuncta pęnitentia, voto, vel alias jejunare teneantur, una alia die ſingularum ſeptimanarum ejuſdem anni, qua ad jejunandum, ut pręmittitur, non fuerint aſtrictę, jejunent, quodque ſi in dicto anno, vel aliqua ejus parte legitime fuerint impeditę, anno ſequenti, vel aliis, quamprimum potuerint, modo ſimili ſuppiere hujuſmodi jejunium teneantur. Verum ſi forſitan alias prefatum jejunium in toto, vel in parte quandocunque adimplere commodę nequierint, eo caſu Confeſſores

Sanctio pœnalis. idonei, quos ad id elegerint, jejunium ipſum in aliqua pietatis opera, prout hujuſmodi animarum ſuarum ſaluti expedire viderint, commutare valeant, quę perſonę prędictę pari modo debeant adimplere, alioquin quoad eas hujuſmodi conceſſio, nullius ſit roboris, vel momenti. Per hoc autem Fraternitatem prędictam non intendimus aliquatenus approbare. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo tertio, Quarto Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Societatis*.) Conſulendum præcedens Diploma.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro* LXXXVIII *fol.*45. Aliud Authenticum legitur *Libro B. fol.*619 ex Autographo *Barchinonenſi*.

Anno 1433 Die 30 Septembris.

Fratres Minores donat Privilegiis a Johanne XXII Fidei Præconibus Ordinis Prædicatorum conceſſis (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXIV. Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Vicario dilecti filii Miniſtri Generalis, & Fratribus Ordinis Minorum Vicarię Boſne ſecundum morem dicti Ordinis pręſentibus & futuris, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. ROmanus Pontifex Beati Petri cęleſtis clavigeri ſucceſſor, & Vicarius Jeſu Chriſti, cuncta Mundi climata, omniumque nationum, in illis degentium qualitates paterna conſideratione diſcutit, ex officii debito ſalutem quęrens, animarum, & appetens, ſingulorum quoque votis favorabiliter annuit per quę ſibi grex creditus ad Dominicum reducatur Ovile, necnon Supernę Majeſtatis laude pariter, & gloria dilatationem, incrementumque ſuſcipiat fidei veritas orthodoxę. Dudum ſiquidem felicis recordationis Johannes Papa XXII, Prędeceſſor noſter, ſuas conceſſit literas tenoris ſubſequentis. Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus de Ordine Fratrum Prędicatorum &c.(3), & deinde per pię memorię Urbanum Papam Quintum, etiam Prędeceſſorem noſtrum, intellecto, quod & vos in Bulgarię (4) & Valachię (5), Raſcię (6), & Boſnę (7) Partibus, in quibus heretici, & ſchiſmatici commorabantur, illos, per prędicationem, & exemplum vitę laudabilis cum auxilio Divinę gratię ad unitatem, & obedientiam ſacroſanctę Romanę Eccleſię Matris cunctorum, & Magiſtrę jugiter reducere piis, & ſolicitis ſtudiis curabatis, vobis per quaſdam conceſſit, quod vos, & veſtrum ſinguli omnibus, & ſingulis pręſcriptis gratiis, privilegiis, indulgentiis, facultatibus, & auctoritatibus in literis Johannis Papę contentis hujuſmodi ſecundum earum formam in pręmiſſis partibus, cum ea tamen modificatione, quod Indulgentias majores pro uno anno dare, & votum peregrinationis, ſeu viſitationis Dominici Sepulcri commutare, aut illa quę ad Epiſcopalem pertinent dignitatem exercere minime valeatis, perinde uti, ſeu frui poſſetis, ac ſi literę Johannis Papę hujuſmodi vobis, & ſingulis veſtrum nominatim & ſpecialiter directę extitiſſent, ac ſucceſſive quondam Urbanus in ſua obedientia, de qua tunc eratis, VI nuncupatus, per alias ſuas literas vobis conceſſit atque decisravit, quod prefato ipſius Johannis Papę privilegio uti poſſetis quoad omnia in eo contenta, non obſtante quod Epiſcopus catholicus in locis, ſeu partibus ipſis reſideret, vel pręſens exiſteret, dummodo Clerum, vel Sacerdotes, aut Curatorum copiam non haberet, qui fidelibus, ſive noviter converſis partium earundem ſufficienter pręeſſe valerent in miniſtrando eis eccleſiaſtica Sacramenta, & fidem catholicam prędicando, illis tamen, quę de jure, vel obſervata conſuetudine ad eandem Epiſcopalem dignitatem pertinerent, exercitio veſtro penitus interdictis, ac ſubſequenter pię recordationis Martinus Papa V, ſimiliter Prędeceſſor noſter, aliis ſuis literis devotioni veſtrę, quod vos, & ſinguli veſtrum gratiis, privilegiis, Indulgentiis, facultatibus, & aliis pręmiſſis in dictis ipſius Johannis Papę literis expreſſis, illis videlicet, quę ad Epiſcopalem hujuſmodi dignitatem pertinerent, in abſentia, aliis vero omnibus, & ſingulis, tam in pręſentia, quam in abſentia catholicorum Epiſcoporum, inibi locorum Dięceſanorum, in Bulgarię, Valachię, Raſcię & Boſnę prędictis, & etiam aliis in quibus, vos, ut earum habitatores, & incolę ad unitatem fidei, devotionemque, & obedientiam Eccleſię hujuſmodi reducerentur, ſive in illis perſiſterent, dictę Sedis concurrente miniſterio, ſubieratis tunc, & ut ceteri, quibus opus foret, paſſim cooperante Domino reducerentur ad eas in futurum, perferre contingeret labores, & ſtudia, partibus, fungi, & uti, necnon omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui in Nativitatis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Trinitatis, Corporis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Nativitatis Beati Jo-

Tenor Diplomatis Johannis XXII.

Johannis Baptiſtę, Petri & Pauli Apoſtolorum, necnon Beati Michaelis, & omnium Sanctorum feſtivitatibus, ac illarum octavarum, necnon Palmarum, Cęnę Domini, & duobus immediate ſequentibus diebus, Eccleſias veſtrorum Domorum, & Conventuum in pręmiſſis, & aliis quibuslibet partibus infra Vicariam Boſnę ſecundum morem veſtri Ordinis, conſiſtentium, pręſentium, & futurorum devote viſitarent annuatim, illam Indulgentiam, ſive ei ſimilem, quę fidelibus hujuſmodi vere pęnitentibus, & confeſſis Eccleſiam Fratrum Ordinis prędicti in feſto Beati Franciſci devote viſitantibus a Sede prędicta generaliter conceſſa fuerat, elargiri poſſetis, duxit concedendum, prout in ipſis literis plenius continetur. Cum autem, ſicuti Cariſſimi in Chriſto filii Noſtri Sigiſmundi (8) Roman. Regis Illuſtris, & ſemper Auguſti, relatione percepimus, ut uberiores in Dei Eccleſia fructus afferre, necnon plures fidelium animas Domino lucrifacere poſſitis, in de Harablech (9), Reſan (10), Thabol (11), Kovinum (12), Haram (13), Orſua (14), Keweſd (15), Cheri (16), Sebes (17), & Haczach (18), terris eidem Regi ſubjectis, & in quibus heretici, ac ſchiſmatici plerique, necnon Populus veram Dei notitiam non habens, moram trahunt, evangelizationis miniſterium proſequi, ac ſalutaribus hujuſmodi populum monitis, & doctrinis ad eandem fidem reducere, in illaque firmare ferventius inſiſtatis, Nos, ut ampliora deſuper vobis adminicula ſuffragentur, Regis prędicti, necnon veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, ut in terris pręfatis ad habitandum Domos & loca quęcunque de novo recipere, necnon omnibus, & ſingulis gratiis, privilegiis, indulgentiis, facultatibus, & conceſſionibus prędictis uti, ac etiam in ſingulis ipſarum terrarum villis, atque locis, a quibus, tunc Epiſcopi Catholici inibi Dięceſani ultra duas dietas legales remoti fuerint, ea, quę ad hujuſmodi Epiſcopalem dignitatem pertinerent exercere alias juxta conceſſiones pręmiſſas libere, liciteque valeatis, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium indulgemus. Non obſtantibus modificationibus & reſtrictionibus per ipſos Urbanum Quintum, Prędeceſſorem, & Urbanum nominatum VI, ut pręfertur, factis, ac ipſius pię recordationis Bonifatii Papę Octavi, Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua civitate, ſive villa, vel quovis caſtro, aut alio loco, ad inhabitandum quęcunque Domos, vel loca de novo recipere, ſeu hactenus recepta mutare, pręſumant abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, necnon aliis Conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo tertio, Pridie Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Conceſſis.*) Conſulendus *Waddingus Annal. Minor. Tomo V ad an. MCCCCXXXIII num. XII pag.* 256. De his in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VIII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLVI fol.* 16. Legitur apud *Waddingum* mox laudatum, *num. XIII*, ex *Lib. I de Regularibus An. III fol.* 11.

3. *Prædicatorum &c.*) Ut in *Conſtitutione XXXIII Johannis XXII* ad finem uſque. Legitur *Tomo II pag.* 154.

4. *Bulgariæ.*) *Bulgarorum* regio ſita eſt inter *Danubium, Serviam, Thraciam*, & *Pontum Euxinum*.

5. *Valachia.*) Pars eſt antiqui Regni *Hungariæ*.

6. *Raſcia.*) Regio eſt ſeptentrionalis *Serviæ*.

7. *Boſnæ.*) Seu *Boſniæ*, & *Boſſena*.

8. *Sigiſmundi.*) Imperatoris Regis *Hungariæ*, & *Bohemiæ*. Ipſe eſt *Sigiſmundus* qui pro pace Eccleſiæ tantum deſudavit tempore Synodorum *Conſtantienſis*, & *Baſileenſis*.

9. *Harablech.*) Sic *Narabo* dicta videtur ex amanuenſis incuria. Urbs eſt *Pannoniæ Superioris*, A Gallis *Javarin*, ab Hungaris *Gevver*, ab Italis *Giavarin*, a Germanis *Raab* vocatur, Latine *Arabo*, *Arrabo*, *Narabo*, & *Jaurinum*.

10. *Reſan.*) *Rezan*. Provincia eſt *Moſcoviæ*.

11. *Thabol.*) *Thabor*, in *Bohemia*, ubi tunc *Huſſitæ*, qui ex hoc Caſtro *Thaboritæ* ſunt nuncupati. Vel legendum *Toboll* Urbs eſt *Moſcoviæ*.

12. *Kovinum.*) Fortaſſis *Kovvno*, in *Lithuaniæ* Ducatu; vel potius *Duvvina*, in *Moſcovia*.

83. *Haram.*) *Harnland*, in *Livonia*.

14. *Orſua.*) *Orſa*, & *Orſſa*, in *Lithuania*;

15. *Keveſd.*) In *Hungaria*.

16. *Cheri.*) *Keri*, in *Hungaria*.

17. *Sebes.*) *Seben*, in *Tranſylvania*.

18. *Haczach.*) *Haczag*, in *Valachia*.

Urlarienſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1434 Die 15 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Eugenius, Epiſcopus Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Akaden. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXXV.

Piis fidelium votis gratum Nos decet pręſtare aſſenſum, & ut ea, quę Religionis propagationem, divini quoque cultus augmentum reſpiciunt, optatum ſortiantur effectum: necnon iis per quę Chriſti fidelium, ſub hujuſmodi Religionis obſervantia Domino famulari geſtientium, ſtatui, Indemnitatibuſque conſulitur, libenter interponimus ſolicitudinis noſtrę partes. Exordium. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Willielmi de Angelo, & Thomę Igrugan, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorum, petitio continebat, olim ipſi tunc prohibitionis, ne fratres Ordinum Mendicantium, ſub pęna excommunicationis, quam alias incurrant, Domos aliquas, ſive loca ad habitandum de novo abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali recipere pręſumant, per felicis recordationis Bonifatium Papam Octavum, Prędeceſſorem noſtrum, factę prorſus immemores, & ſimplicitate ducti, pręfatę Sedis deſuper licentia non obtenta, pro eorum, necnon aliorum dicti Ordinis Fratrum uſu, & habitatione unum in Tuamen. (4) primo, & ſubſequenter eo, poſtquam illum per biennium, & ultra tenuerant, aliquibus cauſis ſuadentibus, dimiſſo, alium Urlar vulgariter nuncupatum, necnon eis legitime donatum in tua Dięceſi loca receperint, & etiam in dicto alio loco, aliquandiu deguerint, ſua cum quibuſdam aliis ipſius Ordinis Fratribus in ipſis locis vota alias laudabiliter Altiſſimo dirigendo, pro parte Willielmi, & Thomę prędictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſos, necnon alios ex dictis Fratribus, qui excommunicationis hujuſmodi ſententia, pręmiſſorum occaſione, ligati ſunt, ab ipſa ſententia abſolvi mandare, & alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionem & cultum hujuſmodi

Supplex petitio.

Facultas.

di vigere, & augere intenſis deſideriis affectamus, prędictis ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam de pręmiſſis legitime conſtiterit, ipſos illigatus, ſi hoc humiliter petierint, a dicta ſententia hac vice duntaxat auctoritate noſtra abſolvas in forma Eccleſię conſueta, injunctis eis inde pro modo culpę pœnitentia ſalutari, necnon aliis quę de jure fuerint injungenda, & cum eis ſuper irregularitate, quam ſic ligati, Miſſas, & alia divina officia celebrando, necnon illis ſe immiſcendo contraxerunt, eadem auctoritate diſpenſes, aboleaſque omnem inhabilitatis, & infamię maculam, ſive notam per ipſos propterea contractam, & inſuper Willielmo, ac Thomę, necnon aliis Fratribus prędictis, ipſum alium locum pro uſu, & habitatione pręfatis tenendi, ac inibi Eccleſiam, cum campana, campanili, necnon aliis neceſſariis officinis conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, eadem auctoritate licentiam largiaris; Nos enim, ſi illam conceſſeris, univerſis, & ſingulis Fratribus, quos in dicto alio loco pro tempore reſidere contigerit, ut omnibus privilegiis, indulgentiis, libertatibus, & exemptionibus, Ordini pręfato, & ipſius domibus, ac perſonis per Sedem prędictam, & alias quomodolibet generaliter conceſſis, uti, & gaudere valeant, auctoritate Apoſtolica concedimus per pręſentes. Non obſtantibus pręmiſſis, & Apoſtolicis Conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Datum Romę apud Sanctum Griſogonum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Tertio (5), Quinto decimo Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Urlarien.*) *Urlar*, in *Connacia*, Regione *Hiberniæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLVII fol.* 77.
3. *Akaden.*) Vulgo *Achonry*, in *Hibernia*.
4. *Tuamen.*) Vulgo *Team*, in *Connacia*, Regione *Hiberniæ*.
5. *Triceſimo Tertio.*) Stylo Bullarum, Æræ communis *MCCCCXXXIV*.

Anno 1434 Die 18 Martii.

Ut Moniales Sancti Blaſii de Tenax (1) quoddam Caſtrum, annua penſione propoſita, cedere poſſint, alti dominii jure ſervato.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXVI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Officiali Conchen. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AD ea ex Apoſtolicę ſervitutis officio ſolerter intendimus, per quę Monaſteriorum, & aliorum piorum locorum, necnon in illis ſub regulari caſtimonia Domino militantium, nobiſque, & Apoſtolicę Sedi devotarum perſonarum, ſtatui, & indemnitatibus valeat ſalubriter provideri, & iis, quę propterea proceſſiſſe comperimus, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolici volumus adjici muniminis firmitatem. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Sancti Blaſii de Tenax, prope Villam de Ziſnentes, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura, & ſecundum inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, Seguntin. (4) Diœceſis, ac dilecti filii Alfonſi Alvari de Toleto, Civis Toletan., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim ipſa Prioriſſa, & Conventus in earum Domo Capitulariter pro negotiorum dicti Monaſterii directione, ut moris eſt, congregatę, recenſentes, quod locus, Tannada Negreta nuncupatus, apud Villam Caſtri de Garcimunos, Conchen. Diœceſis, conſiſtens, & ad ipſum Monaſteriorum legitime pertinens, a longis citra temporibus inhabitatus fuerat, ac illum ſine gravibus damnis, & expenſis, Prioriſſa, & Conventus prędictę gubernari & manuteneri facere non poterant, eundem locum cum univerſis Vaſſallis, juriſdictionibus, necnon mero, & mixto Imperio, ac aliis juribus, & pertinentiis ſuis, tunc expreſſis, dilecti filii Lupi de Galdo Prioris Provincialis Provincię Hiſpanię ſecundum morem Fratrum Ordinis hujuſmodi ad id accedentibus voluntate, & aſſenſu, pręfato Civi pro ſe, ſuiſque Succeſſoribus, & hęredibus pro annuo quatuor millium Moribetinorum (5), partium illarum uſualis monetę eujus duę Albę (6) faciunt unum Moribetinum per Civem, necnon ſucceſſores, & hęredes, ſingulis annis per tria cujuslibet eorum tempora Prioriſſę & Conventui prędictis, de quibuſdam redditibus tunc expreſſis, perſolvendo cenſu in perpetuum, conceſſerunt, ea conditione, quod ſi aliquis ex Cive, necnon ſucceſſoribus, & hęredibus prędictis per biennium a ſolutione cenſus hujuſmodi ceſſaret, ex tunc dictus locus ad pręfatum Monaſterium reverteretur eo ipſo, & nonnullis tunc adjectis prout in literis antedictis, deſuper confectis, Prioriſſę, & Conventus, ac Civis eorundem ſigillis munitis, dicitur plenius contineri.

Supplex petitio.

Nota.

Facultas.

Quare pro parte Prioriſſę, & Conventus, ac Civis prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſioni, & adjectis hujuſmodi pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adjicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, qui de pręmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus ſuper pręmiſſis omnibus, & ſingulis, eorumque circumſtantiis univerſis, auctoritate Noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem prędictam ita eſſe, necnon ceſſionem, & adjecta hujuſmodi in evidentem ipſius Monaſterii utilitatem cedere repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, conceſſionem, & adjecta pręmiſſa, necnon quęcunque inde ſecuta, auctoritate Apoſtolica approbes, & confirmes, ſupplendo omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Datum Romę apud Sanctum Griſogonum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Tertio (7), Quinto decimo Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Tenax.*) In *Hiſpania Tarraconen.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLIX fol.* 49.
3. *Conchen.*) Vulgo *Cuenca*, in *Hiſpania Tarraconenſi*.
4. *Seguntin.*) *Ciguenza*, in *Hiſpania Tarraconen.*
5. *Moribetinorum.*) *Marabotinorum*, *Morbotinorum*, *Ma-*

Marabotinorum, *Morabetinorum*, variis enim aliis nominibus ex his deductis vocarunt *Hiſpani* monetæ ſpeciem, quæ poſtea *Maravedina* dicta fuit. Adeas *Johannem Mariana de Ponderibus & Menſuris Cap. XXII &c.*

6. *Albæ.*) Altera monetæ ſpecies, à Gallis *Blanc*, ab Italis *Biancho* nuncupata. *Biancus* etiam, & *Albus* apud Auctores infimæ latinitatis nonnunquam vocatur. Hinc *ſolidi Blanci*. Ceterum ex his verbis: *cujus duæ Albæ faciunt unum Moribetinum*, firmatur ſententia *Didaci Covarruvias*, qui in *Veterum Collatione Numiſmatum Capite I* docet, *Maravedinum*, ſeu *Moribetinum*, non tam eſſe nummum, quam nummorum numerum, conſtantem ex duabus *Blancis*, ſeu *Albis*, aut *Coronatis* ſex, vel *denariolis* decem.

7. *Triceſimo Tertio.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCXXXIV*.

F. Mundonus Beluayletus Pœnitentiarius Avenionenſis (1) conſtituitur.

Anno 1434 Die 25 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXVII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Mundono Beluayleto Ordinis Fratrum Prędicatorum, & in Theologia Profeſſori in Civitate noſtra Avinionen. Pęnitentiario, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Religionis zelus &c. (3). Hinc eſt, quod Nos de perſona tua, quam ad hoc idoneam, & ſufficientem per diligentem examinationem factam in pręſentia dilecti filii Georgii de Ceſarinis, Notarii noſtri officium venerabilis Fratris noſtri Juliani Epiſcopi Tuſculani Cardinalis Sancti Angeli nuncupati, majoris Pęnitentiarii, in ipſius abſentia regentis, te in Civitate noſtra Avinionen. Pęnitentiarium, cum omnibus, & ſingulis honoribus, & oneribus conſuetis auctoritate Apoſtolica conſtituimus, & etiam deputamus, tibi tenore pręſentium committentes, ut hujuſmodi Pęnitentiarię officium in pręfata Civitate noſtra, ſicut alii Pęnitentiarii illud ibidem gerere, & exercere conſueverunt, fideliter, & prudenter exequaris, cum emolumentis, libertatibus, gratiis, prerogativis, exemptionibus, & indultis omnibus, dictis Pęnitentiariis, & Capellanis noſtris conceſſis. Volumus autem, quod tu, priuſquam officium ipſum incipias exercere de hujuſmodi officio fideliter exercendo pręſtes juramentum juxta formam pręſentibus annotatam, quę talis eſt. Ego Mundonus Beluayletus &c. (4). Nulli ergo &c. noſtrę Conſtitutionis, deputationis, aggregationis, commiſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quarto, Octavo Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Avenionen.*) In ejuſdem nominis Comitatu in *Gallo-Provincia*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXVI fol. 28.*

3. *Zelus &c.*) Ut in *Conſtitutione VI Eugenii IV.*

4. *Beluayletus &c.*) Ut in *Conſtitutione II ejuſdem Eugenii* ad finem uſque.

De reformando Panormitano (1) Monaſterio S. Catharinæ de Caſſero.

Anno 1434 Die 12 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXVIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Ubertino (3) Archiepiſcopo Panormitano, & dilectis filiis Priori domus Sanctę Zitę Panormitan. Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac Juliano de Majali, Monacho Monaſterii S. Martini de Scalis Montis Regalis Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Monaſteriis, & aliis piis locis, quę divino dedicata ſunt cultui, ſic decet per Apoſtolicę Sedis providentiam ſubveniri, ut ſi deformatione diſpliceant, per reformationis decorem fiant placita, & in ſtatu proſpero duratura. Dudum ſiquidem per Nos accepto, quod Monaſterium Monialium S. Catharinę de Caſſero Panormitan. ſub cura & ſecundum Inſtituta Ordinum Fratrum Prędicatorum degentium, reformatione in capite & in membris indigere plurimum noſcebatur, tibi, Frater Archiepiſcope, per alias noſtras literas dedimus in mandatum, ut ad Monaſterium ipſum te perſonaliter conferens, illud tam in eiſdem membris quam capite corrigeres, & reformares, prout in dictis literis plenius continetur.

Diplomatis cauſa.

Nos igitur, qui ex injuncto Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio Eccleſiarum, & Monaſteriorum omnium curam gerimus generalem, cupientes, dictum Monaſterium, quod, ut accepimus, per te, Frater Archiepiſcope, in aliquibus extitit reformatum, ne illud in aliqua ſui parte negligentię videatur expoſitum, in altera ſui parte debite, & ſalubriter reformari, utque reformatio hujuſmodi omni ſuſpectione & negligentia careat, vos Priorem, & Julianum, licet veſtrum neuter Abbatiali dignitate pręfulgeat, ſeu Conventualem obtineat Prioratum, tibi Archiepiſcopo duximus adjungendos, vobiſque omnibus per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus ad dictum Monaſterium perſonaliter accedentes, illud omni dilatione poſtpoſita in ſimili, prout ſecundum Deum, & regularis obſervantię diſciplinam, dictarumque Monialium animarum ſaluti expedire videritis, auctoritate noſtra ſalubriter reformetis, contradictores per cenſuram &c. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii P.P. Octavi, & Clementis Quinti Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum de hujuſmodi conceſſionibus certis perſonis, de quarum nunc vos Prior, & Juliane, non eſtis, duntaxat faciendis & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Griſogonum, Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quarto, pridie Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Mandatum.

1. *Panormitano.*) In *Sicilia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLIII fol.6.*
3. *Ubertino.*) Adeas *Pirrum de Panormitanis Archiep. in Sicilia Sacra*.

Anno 1434 Die 4 Julii.

Compoſitionem Parochos inter & Fratres Cœnobii de Pontevedra (1) initam confirmat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXIX.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Burgen.; Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. SEdis Apoſtolicę circunſpecta benignitas juſtis conſuevit deſideriis favorabiliter annuere, & ea, quę pro Monalleriorum, aliorumque locorum piorum, necnon dedicatarum in illis divinis laudibus perſonarum, ſtatu, & indemnitate ſalubriter proceſſiſſe comperit, libenter Apoſtolici confovet muniminis firmitate. Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus Sancti Dominici loci de Pontevedra, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Compoſtellan. (3) Diœceſis, nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod cum dudum inter ipſos ex una, & dilectos filios univerſos Rectores Parochialium Eccleſiarum dicti loci, necnon Beneficiatos in eiſdem, ex altera parte, ſuper ſolutione quartę partis funeralium de corporibus defunctorum, quę in Eccleſia dictę Domus pro tempore ſepeliuntur, materia fuiſſet quęſtionis exorta, tandem amicabilis deſuper intervenit compoſitio inter partes, talis videlicet, quod Rectores, & Beneficiati dictarum Eccleſiarum pro tempore exiſtentes funeralium Mortuorum, ſcilicet omnium pecuniarum, quę ratione ſepulturarum dictę Domui, ſive illius Eccleſię quomodolibet pro tempore legarentur, necnon panis, vini, carnium, piſcium, candelarum, & pecuniarum, quę in Domo, & ejus Eccleſia, hujuſmodi tempore ſepulturę offerrentur, ac panni ſub quo corpus defuncti ad Eccleſiam deferretur, necnon offertorium, quę in Miſſis dicto tempore erogarentur, ſive fierent, necnon etiam illorum, quę pro legendis, & recitandis pſalmis, ſive dicendo pſalterio, ac celebrandis triginta Miſſis Tercenariis (4) nuncupatis, necnon aliis Miſſis annualibus pro Defunctorum animabus quę in dicta domo pro tempore legarentur, quartam partem, dummodo legata hujuſmodi temporalia, & non perpetua forent, habere, & percipere deberent, reliqua vero omnia pręmiſſa occaſione obvenientia, ad eandem Domum integre, & plenarie pertinerent, & illi cederent, prout in inſtrumentis publicis, inde confectis, ipſorum Prioris & Fratrum, necnon Rectorum, & Beneficiatorum ſigillis munitis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte Prioris, & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dictę compoſitioni, pro firmiori illius ſubſiſtentia, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, & alias eis ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, qui de pręmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper pręmiſſis omnibus, & ſingulis, eorumque circumſtantiis univerſis, auctoritate Noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi tibi de dicta compoſitione legitime conſtiterit, illam, prout rite, & provide facta eſt, necnon quęcunque exinde ſecuta, auctoritate Noſtra approbes, & confirmes, ſupplendo omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Domus, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo quarto, Quarto Non. Julii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Supplex petitio.

Tenor compoſitionis.

Confirmatio.

1. *Pontevedra.*) Sic vulgo vocant *Hellenſum* Cœnobium. *Pontivedrenſe* nuncupatur ab aliis. Juris eſt Provincialis *Hiſpaniæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLIX fol.153.*
3. *Compoſtellan.*) In *Gallacia*.
4. *Tercenariis.*) *Tricenariis*, vel *Trentenariis*, officium nempe *XXX* Miſſarum, quod totidem diebus peragitur pro defunctis.

Anno 1434 Die 16 Julii.

Facultatem concedit F. Bartholomæo Texerii (1) inſtituendi Inquiſitorem Valentiæ.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XL.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Bartholomęo Texerii, Sacrę Theologię Profeſſori, Ordinis Prędicatorum Generali Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm dilectum filium Magiſtrum Andream Ros (3), Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Sacrę Theologię profeſſorem, in Regno Valentię Inquiſitorem hereticę pravitatis, Apoſtolica vel alia quavis auctoritate ad vitam, vel ad tempus hactenus deputatum, ſeu confirmatum, ex certis cauſis animum noſtrum moventibus, ab officio Inquiſitionis hereticę pravitatis hujuſmodi, ejuſque exercitio auctoritate Apoſtolica duxerimus amovendum, prout etiam tenore pręſentium penitus abſolvimus, & amovemus, Nos, volentes dicto officio de perſona utili, & idonea debite provideri, diſcretioni tuę perſonam ad officium Inquiſitionis hujuſmodi providam, & condignam ponendi, ſtatuendi, & deputandi, eum arbitrio, exercitio, auctoritate, privilegiis & poteſtate conſuetis, plenam, & liberam, auctoritate pręfata, facultatem concedimus, & etiam poteſtatem, literis Apoſtolicis, etiamſi de illis de verbo ad ver-

verbum ſpecialis & expreſſa mentio pręſentibus habenda eſſet, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadriogeoteſimo Triceſimo quarto, Decimo ſeptimo Kalendas Auguſti, Pontificatua noſtri Anno Quarto.

V. de Curia Jo: de Nurcia.

R. in Camera Apoſtolica.

1. *Bartholomaeo Texerii.*) Conſulendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXXVI pag. 776.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Valentiae* aſſervato.
3. *Andream Ros.*) De quo in *Conſtitutione XXVIII data XXVIII Februarii MCCCC XXXIII.*

Anno 1434 Die 13 Septembris.

Eximit Conventum Bononienſem a quovis tributo (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Conventui Vitę Regularis, Bononię degentibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrę Religionis, ſub qua devotum & ſedulum exhibetis Domino famulatum, promeretur honeſtas, ut illa vobis de ſpeciali gratia favorabiliter concedamus per quę veſtrę & ipſius Monaſterii commoditatibus utiliter conſulatur. Sane cum Monaſterium Sancti Dominici, in quo ſub arcta regularis obſervantię norma Altiſſimo redditis vota veſtra, propter varios bellorum turbines, & alias temporum calamitates, in ſuis fructibus, redditibus, & proventibus, ac etiam ędificiis, & ſtructuris adeo diminutum, & deſolatum exiſtat, quod in eo, etiamſi alia onera non immineant, non poteſtis pro Religionis honeſtate decenter ducere vitam veſtram, ipſumque Monaſterium reparatione non modica indigere noſcatur, ac etiam ad ſolvendum gabellas pro rebus uſui veſtro, & dicti Monaſterii neceſſariis, pręfati Monaſterii, in quo etiam numerum Fratrum Deo famulantium augmentare intenditis, non ſuppetunt facultates, Nos, vobis paterno compatientes affectu, ac illis cupientes remediis ſubvenire, per quę quantocitius Deo ſervire, commodius vivere, ac monaſterii ędificia reparare facilius valeatis, vos, ac veſtros in eodem Monaſterio ſucceſſores in perpetuum, necnon pręfatum Monaſterium, omnes poſſeſſiones, bona, & jura, cum pertinentiis ſuis ab omni ſolutione quorumcumque datiorum, ſeu gabellarum, Macinatę Molendinorum, vel Moliturę, ſgramiatorum, emptionis, & venditionis frumenti, aliorumque bladorum, vini, uvarum, olei, fructuum horti, & aliorum victuallum, feni, palearum, lignorum, piſcium, calcis, geſſi, laterum, lapidum, tegularum, ac conductionum, ſeu gabellę groſſę portarum, paſſuum, pedagiorum, necnon venditionum, & emptionum, ſeu aliorum quorumcunque fructuum, ac etiam imbottati pro frumento, & aliis bladis, vino, affictibus, & aliis quibuſcunque redditibus, ſeu bonis, ac menſurationum gabellationum, bullarum, & fuxolli Molendinorum, aut alterius alicujus oneris, datii, vel gabelię omnium, & ſingularum rerum, quas pręſentibus volumus haberi pro expreſſis ſufficienter, de quibus datium, ſeu gabella ſolvi conſuevit, necnon conſtructionis, ſeu reparationis pontium, viarum & fracturarum, fluminum, vel foundationis aquarum, Camerę Civitatis noſtrę Bononien., aut quibusvis officialibus, vel ipſarum gabellarum emptoribus, conductoribus, ceſſionariis, aut alicui alteri perſonę, univerſitati, vel Collegio, eccleſiaſticis, vel ſecularibus quocunque nomine cenſeantur, modo aliquo facienda. Inſuper a ſolutione, & contributione quorumvis extimorum, collectarum, pręſtantiarum, & fabricę Sancti Petronii, caritativi, ſeu aliorum quorunlibet ſubſidiorum realium, vel perſonalium impoſitorum, vel in poſterum imponendorum, eorumque Monaſteriis, locis, & perſonis eccleſiaſticis, ſecularibus, vel regularibus quibuſcunque dictę Civitatis, & Dięceſis, in genere, vel ſpecie, auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia, prorſus eximimus, & tenore pręſentium habilitamus, ac immunes, & exemptos eſſe decernimus; Volentes inſuper, & etiam ſtatuentes, quod contrahentes vobiſcum ſuper rebus, bonis, & negotiis quibuſcunque aliquid pro vobis ſolvere, aut aliquid pręédictorum onerum ſubire, nullatenus teneantur, ſeu etiam compellantur, ac mandantes omnibus, & ſingulis pręedictę Civitatis, ac ejus Comitatus, territorii, & diſtrictus Officialibus, & aliis quibusvis perſonis, quorum intereſt, ſeu intereſſe poſſit quomodolibet in futurum, quatenus vos, ſucceſſoreſque veſtros hujuſmodi, ſeu Monaſterium contra exemptionem veſtram hujuſmodi nullatenus ad ſolvendum ſeu contribuendum aliquid pręmiſſorum occaſione compellere, aut exinde modo aliquo moleſtare, ſeu inquietare pręſumant, ſed eam in omnibus inviolabiliter obſervent, & faciant obſervari. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper pręmiſſis a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę exemptionis, liberationis, Conſtitutionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadriogeoteſimo Triceſimo Quarto, Idibus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Concessio.

Decretum irritans.

Sanctio pœnalis.

1. *Tributo.*) Dicetur in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. X.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum *Lib. E fol. 76.*

Se-

Anno 1434 Die 5 Octobris.

Sepulturam (1) in Cœmeterio Cœnobii Muriani (2) liberam eſſe, declarat.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

XLII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Caſtellano (4), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. JUſtis, & honeſtis petentium votis, pręſertim perſonarum ſub regulari habitu, virtutum Domino famulantium, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus Muriani, Ordinis Pręadicatorum de obſervantia nuncupatorum, Torcellanę Diœceſis, petitio continebat, quod licet, Magiſtro Generali, Prioribus, & Fratribus prędicti Ordinis, per indulta privilegiorum Sedis Apoſtolicę, conceſſum exiſtat in Eccleſiis eorum Sepulturam habere, eamque liberam eſſe, ut eorum devotioni, & extremę voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi excommunicati, aut interdicti, aut etiam publice uſurarii, fuerint, nullus obſiſtat, ſalva juſtitia illarum Eccleſiarum, a quibus mortuorum corpora aſſumuntur, ipſique Prior, & Fratres dictę domus, parati fuerint hactenus, & exiſtant, Eccleſiis, a quibus corpora mortuorum, qui apud ipſorum Eccleſiam eligunt ſepeliri, pro tempore aſſumuntur, juxta conſuetudinem laudabilem in partibus illis hactenus obſervari conſuetam juſtitiam reddere, tamen venerabilis Frater noſter Philippus (5) Epiſcopus Torcellanus, & dilecti filii Cherubim S. Stephani, & Petrus S. Donati, & nonnulli alii aliarum Parochialium Eccleſiarum Muriani, Torcellanę Diœceſis, Plebani, eoſdem Priorem, & Fratres dictę Domus, contra tenorem Privilegiorum, & conſtitutionis hujuſmodi, contra juſtitiam, impedire pręſumunt, in eorundem Prioris, & Fratrum dictę Domus pręjudicium, & gravamen. Quare pro parte ipſorum Prioris, & Fratrum dictę Domus, fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut providere eis ſuper hoc opportune, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus vocatis Epiſcopo, & Plebanis prędictis, & aliis, qui fuerint evocandi, ſi per ſummariam informationem, per ſe ſuper his auctoritate noſtra recipiendam, de impedimentis hujuſmodi, tibi legitime conſtiterit, eoſdem Epiſcopum, & Plebanos, & quoſcunque alios, ut ab impedimentis hujuſmodi, contra tenorem Privilegiorum, & Conſtitutionis prędictorum, eiſdem Priori, & Fratribus dictę domus, hactenus illatis, deſiſtant, & ab inferendis abſtineant, monitione pręmiſſa, per Cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, compellas. Non obſtantibus ſi Epiſcopo, ac Plebanis prędictis, vel quibusvis aliis, communiter, vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quarto, Tertio Nonas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Margin notes: Diplomatis cauſa. — Mandatum.

Fr. De Laude.

1. *Sepulturam.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. IX.*
2. *Muriani.*) Seu *Murani* in Adriatico non longe a *Venetiis* in *Italia.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Muranì* aſſervatur.
4. *Caſtellano.*) Seu *Veneto.* Adeas *Ughellum* in *Epiſcop. Caſtellan.*
5. *Philippus.*) Conſulendus idem Auctor in *Epiſcop. Torcellanis.*

Anno 1434 Die 28 Octobris.

F. Daniel de Paniceriis Pœnitentiarius Avenionenſis (1) creatur.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Danieli de Paniceriis, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Magiſtro in Theologia, in Civitate noſtra Avinionen. minori Pęnitentiario noſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. RElligionis zelus, literarum ſcientia, vitę ac morum honeſtas, ſpiritualium providentia, aliaque multiplicia probitatis, & virtutum merita, quibus perſonam tuam fide dignis teſtimoniis fore percepimus inſignitam, Nos inducunt, ut te condignis favoribus, & Apoſtolicis gratiis proſequamur. Hinc eſt, quod Nos omnes, & ſingulos, Apoſtolica vel alia quavis auctoritate in Civitate noſtra Avinionen. hactenus conſtitutos, & deputatos Minores Pęnitentiarios noſtros, cujuſcunque gradus, ſtatus, ordinis, vel conditionis exiſtant, ab officio minorum Pęnitentiariorum hujuſmodi, ejuſque exercitio auctoritate Apoſtolica prędicta tenore pręſentium realiter amoventes, ac de perſona tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, ſperanteſque, quod ea, quę tuę devotioni commiſerimus pro ſalute animarum, & reductione peccantium ad viam veritatis, juxta conceſſam tibi a Domino bonitatem fideliter exequeris, te, pro quo etiam venerabilis Frater noſter Petrus Epiſcopus Albanen. Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicavit, uſque ad Sedis Apoſtolicę beneplacitum, in Civitate prędicta Minorem Pęnitentiarium noſtrum eadem auctoritate Apoſtolica hujuſmodi tenore pręſentium conſtituimus, & etiam ordinamus; tibi nihilominus committentes, ut officium Minoris Pęnitentiarii, hujuſmodi dicto beneplacito durante, in pręfata Civitate ſic geras, & exequaris fideliter, & prudenter veluti minores Pęnitentiarii noſtri in Romana Curia exiſtentes illud gerere, & exercere conſueverunt pariter, & tenentur. Volumus autem, quod

Margin note: Pœnitentiarius conſtitutus.

quod antequam officium hujuſmodi incipias exercere, in manibus venerabilis Fratris noſtri Jordani Epiſcopi Sabinen. Majoris Pęnitentiarii noſtri pręſtes fidelitatis debitę, juxta formam pręſentibus annotatam, juramentum: forma autem juramenti, quod te pręſtare contigerit, ſequitur, & eſt talis: Ego Daniel de Faniceriis, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, Magiſter in Theologia, in Civitate Avinionen Domini Noſtri Papę minor Pęnitentiarius &c. (3). Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quarto, Quinto Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Avenionen.*) In ejuſdem nominis Comitatu, in *Gallo-Provincia*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLIX fol.*236.

3. *Pœnitentiarius &c.*) Ut in *Conſtitutione II Eugenii IV* ad finem uſque.

De reficiendis Ædibus Sacris, & Cœnobio S. Floriani Brixien. (1).

Anno 1434 Die 19 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XLIV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Prioratus Sancti Salvatoris Brixien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD ea per quę Monaſteriorum &c. (3) Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Conventus Domus Sancti Floriani ſuper montem, prope muros Brixien., Ordinis Fratrum Prędicatorum, nobis Exordium. nuper exhibita, petitio continebat, quod licet jam a decem & octo annis, vel circa elapſis, nonnulli dicti Ordinis Fratres ex conceſſione Apoſtolica poſſeſſionem pręfatę domus, quę tunc Monaſterium Monialium per Prępoſitiſſam ſolitum gubernari Ordinis S. Auguſtini erat, in quo quędam illius tunc Prępoſitiſſa per triginta tunc ante annos, ac Moniales non permanſerant, cum ſuis hortis, & hortalitiis libere Supplex petitio. auctoritate propria apprehenderint, & eam ex poſt tam ipſi, quam alii diverſi pręfati Ordinis Fratrum Prędicatorum Religioſi continuo tenuerunt, necnon in illa ſub Regulari obſervantia, & vitę caſtimonia laudabiliter permanſerunt, prout ipſi exponentes permanent de pręſenti, & alias pro reparatione, & reformatione Domus prędictę, quę tempore conceſſionis hujuſmodi in ſuis, ac illius Eccleſię ſtructuris, & ędificiis plurimum deſtructa erat, plures expenſę factę extiterint, tamen poſtmodum ſupervenientibus in Civitate, & Diœceſi Brixien. guerrarum turbinibus, dicta Eccleſia in ſuis ſtructuris, & ędificiis plurimum ruinoſa & deſolata remanſit, quam ipſi Fratres ex poſt juxta eorum poſſe reędificarunt, & reformarunt, ſed quia ad perfectionem reędificationis, ac reformationis, ſtructurarum, & ędificiorum Eccleſię ac domus hujuſmodi magnis pecuniarum ſummis opus exiſtit, quas exponentes prędicti ex fidelium ſuffragiis acquirere poſſe dubitant, &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, dicta Prępoſitiſſa poſt pręfatam conceſſionem nonnullas poſſeſſiones, & bona immobilia, quę pręfati Monaſterii ante tempus, & tempore dictę conceſſionis, erant, in alio Monaſterio degendo continuo tenuerit, & poſſederit, prout tenet, & poſſidet de pręſenti, quę ſi Priori, & Conventui, ac domui pręfatis, per eos vendenda, & illorum pretium pro reędificatione & reformatione prędictis convertendum concederentur, ex hoc Religioſi in dicta domo pro tempore degentes plura ſuſciperent commoda, & facilius in Eccleſia ipſa, ad laudem & gloriam divini nominis divina celebrarent officia, pro parte dictorum Prioris moderni, & Conventus, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc eorum, & dictę domus ſtatui opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per ipſam informationem, ea fore vera repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, prędicta, ac omnia alia ſingula, & quę dicti olim Monaſterii S. Floriani fuerint poſſeſſiones, & bona, quę per eorum valores, Mandatum. loca, qualitates, quantitates, & confines pręſentibus haberi volumus pro expreſſis, dummodo tempore datę pręſentium illa ad aliam quam pręfatam Prępoſitiſſam non pertineant, domui, ac Priori pro tempore, & Conventui pręfatis ad uſum reformationis, reparationis, & fabricę domus, Eccleſię, ac eorum ſtructurarum, & ędificiorum hujuſmodi duntaxat, auctoritate Apoſtolica dones, concedas pariter, & aſſignes. Ita quod cedente, vel decedente dicta Prępoſitiſſa, vel alias, poſſeſſiones, & bona pręfata quomodolibet dimittente, liceat Priori pro tempore, & Conventui pręfatis per ſe, vel alium, ſeu alios, poſſeſſionem corporalem omnium, & ſingulorum poſſeſſionum, & bonorum prędictorum ad uſum prędictum libere apprehendere, ac illa omnia ſimul, vel ſucceſſive quibusvis perſonis ea emere volentibus convenienti pretio vendere, dictumque pretium in reparationem, reędificationem, & fabricam prędictas duntaxat, & non alias convertere, Diœceſani loci, & cujuſcunque alterius ſuper hoc licentia minime requiſita. Non obſtantibus conſtitutionibus &c. quibuſcunque &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quarto, Tertio decimo Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Brixien.*) In Ditione *Veneta*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LIII fol.*159.

3. *Monaſteriorum &c.*) Ut in *Conſtitutione XXXVI data XVIII Martii MCCCCXXXIV* ad hæc uſque verba: *Muniminis firmitatem*.

Anno 1434 Die 6 Decembris.

Ut Tertii Ordinis Fratres veniant in poſſeſſionem Cœnobii Sancti Michaelis de Agnano Piſanæ (1) Diœceſeos.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Feſulan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrę Religionis, ſub qua dilecti filii Bartholomęus Johannis de Trottis de Alexandria, & univerſi alii Tertii Ordinis S. Dominici, de Pęnitentia nuncupati, profeſſores devotum & ſedulum exhibent Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut eorum petitionibus, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. (Supplex petitio.) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte Bartholomęi, & aliorum profeſſorum prędictorum, petitio continebat, quod dudum dilecti filii Lupus Sancti Alexii de Urbe, & Clemens Sanctę Marię de Sancto Sepulcro, prope Florentiam Ordinis Monachorum Eremitarum Sancti Hieronymi, Prioratuum Priores, habentes ſuper hoc, ut dicebant, a dilecto filio Johanne de Robres Ordinis Monachorum Eremitarum hujuſmodi Generali Prępoſito, ac tunc Capituli Generalis ipſius Ordinis auctoritate fungente, ſpecialem per ejuſdem Prępoſiti literas poteſtatem, illius vigore Eremitorium Monaſterium nuncupatum Sancti Michaelis de Agnano, Piſan. Dięceſis, cum illius Oratorio, ſeu Capella, ſine cura, ad Ordinem Monachorum Eremitarum hujuſmodi legitime pertinens, & in quo, ut etiam dicebant, nec ipſi, nec alii eorum Confratres ad dicti ſui Ordinis utilitatem commode reſidere, ſeu alias inibi proficere poterant, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis pręfato Bartholomęo, etiam tunc in Sacerdotio conſtituto, per eum, & quoſcunque alios profeſſores antedictos, qui tunc erant, & eſſent pro tempore, tam pro divino cultu inibi peragendo, quam etiam pro uſu, & habitatione, & utilitate ipſorum perpetuo tenendum, regendum, gubernandum, & etiam poſſidendum ſub annua reſponſione duorum Vitreorum olei boni, dulcis, & nitidi, per Bartholomęum prędictum, & alios ex profeſſoribus eiſdem, qui dictum Eremitorium pro tempore tenerent, regerent, & gubernarent, Fratribus Ordinis Monachorum Eremitarum hujuſmodi qui in pręfato Prioratu de Sancto Sepulcro pro tempore degerent, ſeu reſiderent in certo tunc expreſſo termino, annis ſingulis realiter facienda, ac alias ſub certis tunc ſpecificatis modo, & forma, tradiderunt, conceſſerunt, & etiam aſſignarunt. prout in quodam Inſtrumento publico, ex inde confecto, dicitur plenius contineri. Quare pro parte Bartholomęi. & aliorum profeſſorum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut traditioni, conceſſioni, & aſſignationi hujuſmodi, aliiſque in dicto Inſtrumento contentis, pro eorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac alias ſuper hoc opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, (Facultas.) fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra, te diligenter informes, &, ſi per informationem repereris ita eſſe, traditionem, conceſſionem, & aſſignationem pręfatas, & quęcunque inde ſecuta eadem auctoritate approbes, & confirmes, ac ſuppleas omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, ac Prioratuum, & Ordinum prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quarto, Octavo Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Piſanæ.*) In *Hetruria.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LV fol.* 102.

Anno 1435 Die 11 Martii.

In Montalbanenſes (1) qui Fratres Prædicatores morti dederant.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLVI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Mirapiſcen. (3), & dilecto filio Abbati Monaſterii Sancti Saturnini Toloſan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

GRavem dilecti filii Raymundi de Tilhio (4) Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Theologię profeſſoris, Provincię Toloſan., ſecundum morem dicti Ordinis Provincialis (5) Prioris querelam accepimus, continentem quod Cives Montis Alban., & nonnulli de Seneſcallia Caturcen. (6) partium Aquitanię in Fratres dicti Ordinis machinantes, & ad Domum Montis Alban. ejuſdem Ordinis armata manu in copioſa multitudine accedentes, tres ex illius Fratribus in Sacerdotio conſtitutos auſu ſacrilego, Dei timore poſtpoſito, violentas manus iniicientes, ceperunt, & auctoritate propria captos publicis carceribus manciparunt, crimen proditionis Civitatis ejuſdem imponentes eiſdem, & adeo diverſis tormentis & Martyriis inhumaniter afflixerunt, quod Fratres ipſi eligentes prius in humilitate ſpiritus mori, quam in periculum animarum in tormentis vivere compulſi fuerunt . . . . (7), & demum eos ultimo mortis ſupplicio affligentes, tradi Eccleſiaſticę ſepulturę minime permiſerunt, & in Cleri, & Religionis opprobrium, eccleſiaſticę cenſurę contemptum, animarum ſuarum periculum, pernicioſum quoque exemplum, & ſcandalum plurimorum, excommunicationis, & alias ſententias, cenſuras, & pęnas a jure in tales generaliter promulgatas, damnabiliter incurrendo. Nos igitur nolentes, prout nec debemus, talia con-

conniventibus oculis pertranſire, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, inquiſita ſuper his, auctoritate noſtra, diligentius, & cognita veritate, omnes, & ſingulos, quos tanti exceſſus, & criminis patratores, & alias culpabiles in pręmiſſis fuiſſe inveneritis, excommunicatos publice nuncietis, & ab aliis in prędictorum, & aliorum locorum circumvicinorum, de quibus vobis videbitur, Eccleſiis, dum major in illis populi multitudo convenerit ad divina, faciatis, publice nunciari, & ab omnibus arctius evitari, donec injuriam paſſis, ſi non ſatisfecerint, ſatisfaciant competenter, & ſuum confitendo reatum ad Sedem Apoſtolicam, cum veſtrarum teſtimonio literarum venerint, humiliter veniam petituri, & abſolutionis beneficium a dicta Sede meruerint obtinere. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quarto (8), Quinto Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Mandatum.

1. *Montalbanenſes.*) Vulgo *Montauban*, in *Aquitania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXVII fol.* 49.
3. *Mirapiſcen.*) *Mirepoix*, in *Occitania Superiori*.
4. *Raymundi de Tilbio.* Vulgo *de Tilli*, uti nuncupatur a *Percino* noſtro *Monumen. Conventus Toloſani Seculo III ad annum MCCCCXXXI pag.* 100. Ipſius mentio in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.
5. *Provincialis.*) Electus erat in Capitulo *Toloſæ* celebrato. Provinciam rexit novem Annis. *Percinus* loco laudato.
6. *Caturcen.*) *Cadurcen.*, vulgo *Cahors*, in *Gallia Aquitanica*.
7. *Fuerunt....*) Quædam hic deſunt.
8. *Triceſimo Quarto.*) Stylo Bullarum, Æræ communis *MCCCCXXXV*.

Unit Monaſterium S. Archangeli extra muros Fanen. (1) Monaſterio Sanctæ Catharinæ Ariminen. (2).

Anno 1435 Die 12 Martii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum Provincię Sancti Dominici (4) nuncupatę, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XLVII.

AD ea, per quę Monaſteriorum, ac aliorum Regularium locorum quorumlibet, & in eis ſub Religionis habitu degentium perſonarum ſtatui, & commodo conſulitur, libenter intendimus, illiſque, quantum cum Deo poſſumus, favorem benevolum impertimur. Exordium. Sane pro parte dilecti filii Jacobi de Regno, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, ac illius in Romana Curia generalis Procuratoris, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod licet ex quodam antiquo Monaſterio Monialium Ordinis S. Auguſtini ſub cura Fratrum Prędicatorum tunc degentium extra muros Fanen., pro eo quod illud tunc cauſantibus guerris, & aliis diverſis calamitatibus, quę partes illas afflixerant, totali deſolatione deditum extiterat, & ruinę, Moniales inibi tunc degentes ad quandam Domum cum Eccleſia intra eandem Civitatem ſitam, quę Monaſterium S. Archangeli, dicti Ordinis, nuncupatur, ſe reduxerint, & tranſtulerint, & de pręſenti in ea tres, ſeu quatuor dicti Ordinis Moniales, ſub ſimili cura degentes, exiſtant, tamen Domus cum Eccleſia hujuſmodi propter illius ędificiorum ruinam nullam Monaſterii formam habere videtur, ac Clauſtro, & aliis neceſſariis officinis penitus caret, nec aliqua ſpes exiſtit, quod de cetero, illa, obſtante etiam ipſius fructuum, & reddituum exiguitate, ampliari, & officinę hujuſmodi conſtrui, regulariſque inibi obſervantia, prout congrueret, & deceret, ſervari valeant, ſive poſſint. Supplex petitio. Et, ſicut eadem petitio ſubjungebat, in Civitate Ariminen. ſit quoddam Monialium ſub ſimili cura degentium dicti Ordinis S. Auguſtini Monaſterium, ſub vocabulo S. Catharinę, quod temporalibus, & ſpiritualibus reparatione, & reformatione indigere dignoſcitur, ad quod ſi Moniales domus, ſive Monaſterii S. Archangeli hujuſmodi cum omnibus eorum bonis ſe transferrent, & reducerent, ex hoc non ſolum utilitas pręfato Monaſterio S. Catharinę, ſed etiam Ordinibus prędictis laus, & honor plurimum reſultarent; Quare pro parte dicti Procuratoris Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, & committimus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, & eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi, ea fore vera repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Moniales in domo, ſive Monaſterio S. Archangeli hujuſmodi pręſentialiter exiſtentes, cum omnibus, & ſingulis ad eas, ac Monaſterium S. Archangeli prędictum pertinentibus, bonis mobilibus, & immobilibus, ac juribus, & pertinentiis ad pręfatum Monaſterium S. Catharinę, dummodo illud, ac ipſum Monaſterium S. Archangeli cum eorum Monialibus hujuſmodi, ſub eadem cura perſiſtant, ut pręfertur, auctoritate noſtra transferas, & commutes, ipſaque bona, jura, & pertinentia eidem Monaſterio S. Catharinę eadem auctoritate noſtra perpetuo concedas, pariter, & aſſignes. Mandatum. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſteriorum, & Ordinum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod propter hoc domus, ſive Monaſterium S. Archangeli hujuſmodi ad profanos uſus velut hęreditas minime reducantur, ſed quod inibi in Miſſis, & aliis divinis officiis interdum laudabiliter ſerviatur. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quarto (5), Quarto Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Fanen.*) Vulgo *Fano*, in *Umbria maritima*.
2. *Ariminen.*) *Rimini*, in *Romandiola*.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro V fol.* 55.
4. *S. Dominici.*) Seu *Lombardia*.
5. *Triceſimo Quarto.*) Stylo Bullarum, Æræ communis *MCCCCXXXV*.

Anno 1435
Die 6 Maii.

Conſervatores creat, qui Decretalem: *Super Cathedram* (1). Patavii (2) ſervandam curent.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

XLVIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Paduan., & dilectis filiis Beatę Marię de Avantio, ac S. Sophię Paduan. Prioratuum Prioribus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

FRequentes hactenus &c (4). Nuper etiam pro parte dilectorum filiorum Capituli Paduan., ac Cleri Civitatis & Dięceſis Paduan., necnon Pręlatorum, Conventuum, ipſorum Rectorum, & Sacerdotum tam Regularium, quam ſecularium, Civitatis & Dięceſis prędictarum Nobis extitit intimatum, quod prędicti eorundem Prędicatorum, Minorum, Eremitarum, Carmelitarum, & Servorum Ordinum Fratres contra tenorem Decretalis ejuſdem multa eiſdem & eorum ſingulis gravamina, & injurias inferunt, & jacturas. Quia igitur parum eſſet jura condere, niſi qui eadem tueatur, exiſtat, Nos dicti Johannis Prędeceſſoris, qui Decretalem prędictam, de Fratrum ſuorum conſilio, voluit, & mandavit integraliter obſervari, veſtigiis inhęrentes, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, etiamſi ſint extra loca, in quibus deputati eſtis Conſervatores, ſeu judices, tam eiſdem Capitulo, Pręlatis, Conventibus, Prioribus, Rectoribus, Sacerdotibus, & Clero Civitatis & Dięceſis prędictarum, & eorum cuilibet adverſus Fratres prędictos, quam e converſo eiſdem Fratribus adverſus Capitulum, Pręlatos, Conventus, Priores, Rectores, Sacerdotes, & Clerum hujuſmodi, & ſingulos eorundem efficacis defenſionis prędidio aſſiſtentes, ac facientes Decretalem prędictam, quoad omnia ejus Capitula firmiter obſervari, non permittentes contra tenorem ipſius per memoratos Fratres dictorum Ordinum Capitulo, Pręlatis, Prioribus, Conventibus, Rectoribus, Sacerdotibus, & Clero, vel alicui, ſeu aliquibus eorundem, nec etiam per dictos Capitulum, Pręlatos, Priores, Conventus, Rectores, Sacerdotes, & Clerum, ſeu aliquem, vel aliquos ipſorum eiſdem Fratribus gravamina &c (5). Pręſentibus poſt decennium minime valituris. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto, Pridie Nonas Maii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Super Cathedram.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII, & IX.*
2. *Patavii.*) Vulgo *Padova*, in Ditione *Veneta*.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro V fol. 292.*
4. *Frequentes hactenus &c.*) Ut in *Conſtitutione data I Februarii MCCCCXXXII* ad hæc uſque verba: *Partibus inferuntur.*
5. *Gravamina &c.*) Ut in eadem ad finem uſque.

Anno 1435
Die 18 Maii.

Fundationem Monaſterii Venetiarum Corporis Chriſti (1) ratam habet & firmat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLIX.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

APoſtolicę injunctę Nobis deſuper officium ſervitutis mentem noſtram continuis excitat, & perurget inſtantiis, ut circa ea, quę pro ſtatu proſpero Monaſteriorum, aliorumque piorum locorum, necnon in illis ſub religionis obſervantia pie vacantium ſtudio, perſonarum, & pręſertim, quę mundi ſpretis illecebris illi, qui prę filiis hominum ſpecioſus eſt, ſponte ſe voverunt, profutura conſpicimus, & per quę ſuis indemnitatibus conſulitur, operoſis ſtudiis intendamus, & his quę propterea proceſſiſſe comperimus, ut illibata perſiſtant, Apoſtolici libenter adiicimus, dum a Nobis petitur, muniminis firmitatem.

Diplomatis cauſa.

Dudum ſiquidem quondam Urbanus (3) in ſua obedientia, de qua Piſan., necnon Caſtellan. Civitates & Dięceſes erant tunc, VI nuncupatus, dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Sancti Dominici, Piſan., Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, ſupplicationibus inclinatus, ſtatuit, & ordinavit, quod de cetero nullus maſculus ſecularis, vel regularis, ſepta, & clauſuras dicti Monaſterii ſub excommunicationis pęna, quam incurreret ipſo facto, ingredi quovis modo prędumeret, niſi in caſibus infraſcriptis, videlicet, Magiſter dicti Ordinis Prędicatorum, & Prior Provincialis Provincię Roman. ſecundum morem ipſius Ordinis, de qua dictum Monaſterium etiam tunc erat, cum uno ſocio duntaxat ętatis provectę probatęque famę ſemel tantum in anno, & cauſa viſitationis, & non alias, ac etiam quando aliquam ex Sororibus dicti Monaſterii velari contingeret, unus Frater ipſius Ordinis Prędicatorum antiquus, & probatus cum uno ſocio tantum ſimilis conditionis, & etiam, cum expediret, communionem, & extremam Unctionem Sororibus dicti Monaſterii graviter ęgrotantibus, miniſtrari, aut Sorores mortuas ſepeliri pro debitis officiis peragendis: medici quoque tempore infirmitatis hujuſmodi Sororum, aut operarii pro victualibus inferendis, vel ędificiis reparandis, cum expediret, qui tamen omnes honeſtę conditionis exiſterent, quodque ante cratem, ubi Sorores cum forinſecis loqui ſolebant, pannus extenſus, & undecunque affixus perpetuo maneret, itaut colloquentes ſe mutuo videre non poſſent, & etiam quando pannus hujuſmodi aut caſu, vel antiquitate laniatus eſſet, ante ipſam cratem ſimilis pannus ſimiliter apponeretur, & ſub ſimilis ſententię excommunicationis incurſu nulla perſona dictum pannum auderet amovere. Quicunque vero hujuſmodi ſententiam incurreret, ab ea non poſſet, niſi per Romanum Pontificem, prętérquam in articulo mor-

mortis, abſolvi, & ſubſequenter quondam Bonifatio, qui in dicta obedientia ſucceſſit, & VIIII nominabatur, pro parte Abbatiſſę, quę tunc erat, ac dilectarum in Chriſto filiarum Conventus Monaſterii Corporis Chriſti loci de Venetiis Ordinis tunc S. Benedicti, Caſtellan. Diœceſis, expoſito, quod cum earum Monaſterium, in quo ipſa Abbatiſſa, & duę duntaxat Moniales degebant, non haberet aliquos redditus, unde ipſa Abbatiſſa, & Moniales valerent ſuſtentari, eſſentque in ipſo loco nonnullę virgines, & viduę cupientes in aliquo Monaſterio Sororum dicti Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura & ſecundum Inſtituta hujuſmodi viventium, necnon ſub perpetua clauſura, ubi nulli ſecularium, vel Regularium perſonarum quovis modo, pręterquam temporibus, vel caſibus a jure permiſſis, intrare, liceret, ſub regulari habitu virtutum Domino famulari, & vivere in communi, ac vellent de bonis ſibi a Deo collatis pręfatum Monaſterium Corporis Chriſti pro ſe, ac dictis Abbatiſſa, & duabus Monialibus ſufficienter dotare, pręfatus Bonifatius (4) venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Caprulen., ejus proprio nomine non expreſſo, dedit in mandatis, ut poſtquam virgines, & viduę ipſum dictum Monaſterium Corporis Chriſti ſufficienter dotaviſſent, Abbatiſſę, & duabus Monialibus, necnon virginibus, & viduis prędictis pręfatum Ordinem S. Auguſtini profitendi, ac ſub cura, & ſecundum inſtituta hujuſmodi vivendi, necnon abſque pręjudicio Parochialis Eccleſię, & alterius cujuslibet in dicto Monaſterio Corporis Chriſti neceſſarias officinas conſtruendi, ſeu conſtrui faciendi, & in eo perpetuo remanendi, licentiam largiretur, ac ſtatueret, & ordinaret, quod poſtquam Abbatiſſa, & duę Moniales, necnon virgines, & viduę ſupradictę Ordinem Sancti Auguſtini hujuſmodi expreſſe profeſſę forent, ipſum Monaſterium Corporis Chriſti, non S. Benedicti, ſed S. Auguſtini, Ordinis per Prioriſſam, & non Abbatiſſam, in antea gubernandum perpetuo cenſeretur, ac nulli ſecularium, vel Regularium perſonarum hujuſmodi, pręterquam temporibus, vel caſibus a jure permiſſis, illud intrare liceret, Abbatiſſatumque ibidem extingueret, ac ejus loco Prioratum erigeret, itaquod deinceps inibi non Abbatiſſa, ſed Prioriſſa nuncuparetur, & illę, necnon Moniales illius Monaſterii Corporis Chriſti pro tempore exiſtentes, ſub cura Fratrum, & perpetua Clauſura, necnon ſecundum Inſtituta hujuſmodi vivere tenerentur, ac omnibus & ſingulis privilegiis, necnon Indulgentiis uti, & gaudere valerent quibus S. Dominici prędicti & aliorum quorumcunque Monaſteriorum ipſius Ordinis Sancti Auguſtini Sorores, ſub cura, & ſecundum Inſtituta hujuſmodi viventes, ex indulto Sedis Apoſtolicę potirentur, ſeu potiri poſſent quoquo modo. Rurſus autem dictus Bonifatius (5) ipſis Prioriſſę, & Conventui dicti Monaſterii Corporis Chriſti, poſtquam pręfatus Epiſcopus, ſtatutum, & ordinationem hujuſmodi feciſſet, ſex ex Monialibus aliorum Monaſteriorum dicti loci, non ſub ipſa clauſura, nec in communi viventibus, etiamſi forent arctioris obſervantię regularis, & aliud canonicum non obſiſteret, in Moniales & Sorores ejuſdem Monaſterii Corporis Chriſti, recipiendi, necnon ipſis a ſuis ſuperioribus petita, licet non obtenta, licentia, ad dictum Monaſterium Corporis Chriſti tranſeundi, & inibi perpetuo remanendi, facultatem conceſſit, prout in diverſis ipſorum Urbani & Bonifatii deſuper confectis literis plenius continetur. Poſtmodum vero, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę & Monialium dicti Monaſterii Corporis Chriſti, petitio continebat, licet virgines & vidue pręfatę dictum Monaſterium Corporis Chriſti nullatenus ſufficienter dotaſſent, ipſe tamen Epiſcopus ad earundem ſibi directarum literarum executionem procedens in vim illarum pręmiſſam dictis Monialibus, virginibus, & viduis licentiam conceſſit, ac ſtatuit, & ordinavit, alias juxta mandati, necnon dictarum literarum hujuſmodi continentiam, atque formam. Prioriſſa vero, & Moniales pręfatę, quę dictis conceſſioni, necnon per ipſum Epiſcopum factis ſtatutis, & ordinationibus inhęſiſſe noſcuntur, pręmiſſorum auctoritate, ſuarum ſcrupulis conſcientiarum plurimum ſunt permotę. Quare pro parte earundem, aſſerentium Monaſterium Corporis Chriſti hujuſmodi etiam nondum ſufficienter dotatum fore, Nobis extitit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque prędictis ſupplicationibus inclinati, conceſſionem, necnon per ipſum Epiſcopum, ut pręmittitur, facta ſtatuta, & ordinationes hujuſmodi prout alias rite proceſſerunt, & quęcunque inde ſecuta, etiam perinde ac ſi dictum Monaſterium Corporis Chriſti per eaſdem virgines, & viduas ſufficienter tunc dotatum fuiſſet, rata, grataque habentes, illa auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes illum, qui occaſione non factę dotationis hujuſmodi ſubeſſe dignoſcitur, & omnes alios, ſi qui forſitan intervenerint, defectus in eiſdem. Volentes inſuper, ac ipſis Prioriſſę, necnon Monialibus dicti Monaſterii Corporis Chriſti pręſentibus, & futuris diſtrictius injungentes, ut ſecundum ſtatuta Monaſterii S. Dominici hujuſmodi perpetuo vivant, & ęterno ſub regulari caſtimonia ſatagant Sponſo famulari. Nulli ergo &c. Noſtrę confirmationis, communitionis, ſuppletionis, voluntatis, & injunctionis infringere &c. Si quis &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto, Quinto Decimo Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Supplex Monialium petitio.

Confirmatio.

Sanctio pœnalis.

1. *Corporis Chriſti.*) Hujuſce Monaſterii, Sanctimonialium nobilitate, vitæque religioſæ cultu celeberrimi, Chronica ſcripſit Soror *Riccobona*. Conſulendus *Johannes Dominicus Armanus* in *Monumen. Selectis Conventus Sancti Dominici Venetiar. Cap. V, a pag. 25 ad 33.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro V fol. 75.*

3. *Urbanus.*) Diplomate mox tranſcribendo in *Conſtitutione LII.*

4. *Bonifatius.*) IX, *Conſtitutione XLIII*. Legitur *Tomo II pag. 335.*

5. *Bonifatius.*) IX, *Conſtitutione XLII*. Legitur *Tomo II pag. 334.*

Anno 1435
Die 21 Maii.

Firmat (1) ea quæ de Monaſterio Venetiarum Corporis Chriſti a Bonifatio IX ſancita ſunt.

Ex Archivo (2) Ordinis.

L.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

Diplomatis cauſa.

IIs, quę pro Religionis, ac divini cultus augmento in favorem Sanctimonialium, quę mundanis abjectis illecebris vitam ſuam in decore honeſtatis Altiſſimo dedicarunt, provide facta, & conceſſa ſunt, ut illibata perſiſtant, adiicimus Apoſtolici muniminis firmitatem. Sane dudum felicis recordationis Urbanus, VI in ſua obedientia nominatus, dilectarum in Chriſto filiarum Priorisſę & Conventus Monaſterii Sancti Dominici Piſan. Ordinis Sancti Auguſtini ſub cura & ſecundum inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, ſupplicationibus annuens, per ſuas certi tenoris literas ſtatuit, & etiam ordinavit, quod ex tunc de cetero nullus maſculus ſive laicus, ſive eccleſiaſtica perſona, ſecularia, vel regularis exiſteret, ſepta, & clauſuras dicti Monaſterii ſub excommunicationis pęna, quam incurreret ipſo facto, niſi in infraſcriptis caſibus ingredi quoquo modo pręſumeret. Hujuſmodi autem caſus expreſſit videlicet: Magiſter dicti Ordinis Prędicatorum, aut Prior Provincialis Provincię Romanę ſecundum morem ipſius Ordinis, de qua quidem Provincia dictum Monaſterium exiſtit, cum uno ſocio duntaxat ętatis provectę, & probatę famę, ſemel tantum in anno, & cauſa viſitationis, & non alias, & etiam quando aliquam ex Sororibus dicti Monaſterii velari contingeret, unus Frater dicti Ordinis Prędicatorum antiquus, & probatus cum uno ſocio tantum ſimilis conditionis, & etiam cum expedit Communionem & extremam Unctionem Sororibus dicti Monaſterii graviter ęgrotantibus miniſtrari, aut Sorores mortuas ſepeliri pro debitis officiis peragendis, medici quoque tempore infirmitatis hujuſmodi Sororum, aut operarii pro victualibus inſerendis, aut ędificiis reparandis, cum expedierit, qui tamen omnes honeſtę conditionis exiſterent, exceptis duntaxat his caſibus, ſepta, & clauſuras prędicta valerent introire, pręmiſſis etiam adiiciens, quod ante cratem, ubi Sorores cum forinſecis loqui ſolent, pannus extenſus, & undecunque affixus perpetuo maneret, itaut alloquentes ſe mutuo videre non poſſent, & etiam quando pannus hujuſmodi aut caſu, aut antiquitate, laniatus foret, ante ipſam Cratem ſimilis pannus ſimiliter apponeretur, quodque ſub ſimilis ſententię excommunicationis incurſu nulla perſona dictum pannum auderet amovere, & quod quicunque hujuſmodi ſententiam excommunicationis incurreret quovis modo, ab ea nonniſi per Romanum Pontificem, pręterquam in mortis articulo poſſit abſolvi. Poſtmodum vero fel. rec. Bonifatio, IX in ſua obedientia nuncupato, pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſę & Conventus Monaſterii Corporis Chriſti de Venetiis Ordinis Sancti Benedicti, Caſtellan. Dięceſis, expoſito, quod cum earundem Monaſterium in quo ipſa Abbatiſſa, & duę duntaxat Moniales degebant, non haberet aliquos redditus unde ipſa Abbatiſſa, & Moniales valeant ſuſtentari, eſſentque in loco de Venetiis pręfatę Dięceſis nonnullę virgines, & viduę cupientes in aliquo Monaſterio Sororum Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium ſub perpetua clauſura, ubi nulli ſecularium, vel regularium perſonarum quovis modo, pręterquam temporibus, vel caſibus a jure pręmiſſis introire liceat, ſub regulari habitu virtutum Domino famulari, & vivere in communi, ac vellent de bonis ſibi a Deo collatis prętatum Monaſterium Corporis Chriſti pro ſe, & dictis Abbatiſſa, & duabus aliis Monialibus ſufficienter dotare, ac pro parte ipſarum eidem Bonifatio ſupplicato, ut ipſis, ac virginibus, & viduis hujuſmodi prętatum Ordinem Sancti Auguſtini profitendi, ac ſub cura exiſtentibus dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum inſtituta prętata eo modo quo prętatę Sorores in Monaſterio Sancti Dominici ex indulto Sedis Apoſtolicę viventes vivere tenentur, vivendi, ac in dicto Monaſterio Corporis Chriſti perpetuo remanendi, & ibidem neceſſaria ędificia conſtruendi, licentiam concedere, quodque ipſum Monaſterium Corporis Chriſti, non S. Benedicti, ſed Sancti Auguſtini Ordinis Prędicatorum de cetero cenſeretur, & cenſeri deberet, ſtatuere, & ordinare dignaretur, idem Bonifatius venerabili Fratri Epiſcopo Caprulen., ejus proprio nomine non expreſſo, dedit per ſuas literas in mandatis, ut poſtquam virgines, & viduę ipſę Monaſterium prętatum Corporis Chriſti ſufficienter dotaviſſent, Abbatiſſę, & duabus aliis Monialibus, necnon virginibus, & viduis prędictis prętatum Ordinem S. Auguſtini profitendi, ac ſub cura hujuſmodi, & ſecundum Inſtituta prędicta vivendi, & abſque pręjudicio Parochialis Eccleſię, & alterius cujuſvis in dicto Monaſterio Corporis Chriſti neceſſarias officinas conſtruendi, ſeu conſtrui faciendi, & in eo perpetuo remanendi, auctoritate Apoſtolica licentiam largiretur, & nihilominus eadem auctoritate ſtatueret, & ordinaret, quod poſtquam Abbatiſſa, & alię duę Moniales, necnon virgines, & viduę ſupradictę hujuſmodi Ordinem S. Auguſtini expreſſe profeſſę eſſent, dictum Monaſterium Corporis Chriſti non S. Benedicti, ſed S. Auguſtini Ordinis Prędicatorum, per Prioriſſam, & non Abbatiſſam, ex tunc in antea gubernandum perpetuo cenſeretur, quodque nulli ſecularium, vel regularium perſonarum, pręterquam temporibus, vel caſibus jure permiſſis dictum Monaſterium Corporis Chriſti intrare liceret, Abbatiſſatumque Monaſterii extingueret, ejuſque loco erigeret Prioratum, ita quod tam Abbatiſſa, quę tunc erat, quam quę eſſet in futuro pro tempore, ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus non Abbatiſſa ſed Prioriſſa nuncuparetur, quę quidem Prioriſſa, necnon Moniales ipſius Monaſterii, quę pro tempore eſſent, ſub cura Fratrum, & ſecundum Inſtituta hujuſmodi, & ſub perpetua clauſura vivere tenerentur, ac omnibus & ſingulis privilegiis, & Indulgentiis uti, & gaudere valerent, quibus prętatę S. Dominici, & aliorum quorumcunque Monaſteriorum dicti Ordinis Sancti Auguſtini Sorores, ſub cura, & ſecundum Inſtituta hujuſmodi viventes, ex indulto Sedis Apoſtolicę potirentur, ſeu potiri poſſent quoquo modo, & deinde ſupplicato pro parte dictarum Prioriſſę & Conventus Monaſterii Corporis Chriſti prętato Bonifatio, quod cum nonnullę Moniales bonę famę, converſationis, & vitę quo-

quorundam aliorum Monaſteriorum dicti loci de Venetiis non ſub hujuſmodi clauſura, nec in communi viventes, deſiderarent in aliquo alio Monaſterio ſub hujuſmodi clauſura Domino perpetuo famulari, ac vivere in communi, eiſdem Prioriſſę, & Conventui recipiendi ſex ex ipſis Monialibus, licentiam concedere dignaretur: dictus Bonifatius Prioriſſę & Conventui Monaſterii Corporis Chriſti, poſtquam prędictus Epiſcopus ſtatutum, & ordinationem ſupradicta fecisset, ſex ex eiſdem Monialibus aliorum Monaſteriorum, etiam ſi forent arctioris obſervantię regularis, & aliud Canonicum non obſiſteret, in dicto eorum Monaſterio Moniales, & Sorores recipiendi, ipſiſque a ſuis ſuperioribus, licet non obtenta, petita licentia, ad ipſum Monaſterium tranſeundi, & inibi perpetuo remanendi facultatem conceſſit, prout in dictis prędictorum Urbani, & Bonifatii literis, quorum tenores hic haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, idem Epiſcopus ad executionem literarum ſibi commiſſarum procedens prędicta ſtatuta, & ordinationem, ac alia in literis ipſis comprehenſa juxta ipſarum continentiam, & formam, prout in Inſtrumento inde confecto plenius continetur, fecerit, & executioni demandaverit, pro parte ipſarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Corporis Chriſti Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſtatutis, & ordinationi, ac omnibus & ſingulis ſupradictis robur Apoſtolicę confirmationis adiicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ſtatutum, & ordinationem prędicta, ac omnia, & ſingula per ipſum Epiſcopum facta, & ordinata, omniaque, & ſingula exinde ſecuta, rata habentes, & grata, ea auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia confirmamus, & prędentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem: volentes nihilominus & mandantes, ut ipſę Prioriſſa & Conventus Corporis Chriſti Monaſterii prędicti ſecundum hujuſmodi ſtatuta prędictarum Prioriſſę, & Conventus dicti Monaſterii Sancti Dominici perpetuis futuris temporibus famulari Altiſſimo teneantur. In contrarium editis non obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergo &c. Noſtrę confirmationis, communitionis, ſupletionis, voluntatis, & mandati infringere &c. Si quis &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto, Duodecimo Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Confirmatio.

Sanctio pœnalis.

1. *Firmat.*) Conſulenda præcedens *Conſtitutio* eadem de re data, licet aliis verbis perſcripta.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro V fol. 60.*

Quædam Beneficia confert Conventui S. Maximini (1).

Anno 1435 Die 23 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Tolonen. (3), & dilectis filiis Priori Prioratus Sancti Zacharię (4) Maſſilien. Diœceſis, ac Archidiacono Eccleſię Aquen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AD Monaſteriorum, & Religioſorum locorum, ac in eis ſtudio pię vitę deditarum perſonarum quorumlibet ſtatum ſalubriter & proſpere dirigendum, paternę dirigentes conſiderationis intuitum, illorum profectibus libenter intendimus, & his, per quę ipſorum commodo, & utilitati conſulitur, favorem, cum a Nobis petitur, benevolum impertimur. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Conventus Domus S. Maximini, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Aquen. Diœceſis, petitio continebat, quod Eccleſia prędictę Domus ampliſſimis ſtructuris, & ędificiis a diu ędificari inchoata, in qua corpus Sanctę Marię Magdalenę honorifice conſervatur (5), propter ipſius operis nimiam ſumptuoſitatem, & facultatum carentiam nondum perfecta reperitur, necnon domus de Balma (6), Ordinis prędicti, ſita in Monte de Balma, Maſſilien. Diœceſis, in quo Monte eadem Sancta per triginta duos annos ſpirituali interim cibo duntaxat refecta, ac ſepties in die ab Angelis miraculoſe uſque ad ipſius Montis verticem (7) ſublevata, aſperrimam peregit pœnitentiam, in ſuis ſtructuris, & ędificiis reparatione non modica indigere dignoſcitur, ac etiam Peregrini (8), & pauperes ad dictam Domum de Balma pro tempore confluentes, in quodam inibi fundato Hoſpitali per Fratres in dicta Domo de Balma pro tempore exiſtentes, pro eo quod illa in loco aſpero, & ab aliis habitationibus (9) fundata exiſtit, recipi, & eorum vitę neceſſaria hactenus benigne ſuſcipere conſueverunt (10), & ſuſcipiunt etiam de prędenti, quodque ad perfectionem Eccleſię, ac Domus de Balma reparationem, necnon confluentium hujuſmodi proviſionem, S. Maximini, a qua dicta domus de Balma dependet (11), ac per illius Fratres gubernari conſuevit, fructus, redditus, & proventus, ac illius, & de Balma domorum earundem oblationes, & emolumenta ſuppetere non videntur; &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi ſex perpetuę ſine cura Capellanię ad diverſa in Eccleſia prędicta Altaria fundatę, Clericis ſecularibus aſſignari ſolitę, quarum aliquę de jure patronatus laicorum exiſtunt, & quas pro tempore obtinentes illarum ratione Miſſas, & alia divina officia a multis annis citra, inibi celebrare penitus neglexerunt pariter, & negligunt, S. Maximini, pro fabrica dictę Eccleſię, necnon Parochialis Eccleſia Prioratus nuncupata Caſtri de Gaileto dictę Aquen. (12) Diœceſis, quę pro eo quod Caſtrum ipſum totali deſolationi ſubjacet, & ruinę penitus Parochianis caret pro reparatione Domus de Balma, & illius conſervatione, ac quoddam Hoſpitale Pauperum penitus dirutum, & deſolatum extra Muros Villę Brinonię (13), dictę Aquen. Diœceſis, ſitum, quod per quendam dicti Ordinis Religioſum ad prędens, ex diſpenſatione Apoſtolica detinetur, pro ſuſceptione, & proviſione confluentium hujuſmodi de Balma Domibus prędictis perpetuo unirentur, ex hoc ipſę Domus, quę unicum faciunt Conventum, plura in ſpiritualibus, & temporalibus incrementa ſuſciperent, Fratreſque earundem circa fabricam, reparationem, & proviſionem prędictas commodius intendere valerent. Quare pro parte dictorum Prioris & Conventus, aſſerentium etiam quod in Eccleſiis domorum hujuſmodi die, ac nocte bene, & laudabiliter divina continuant officia, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in prędmiſſis eis, ac dictarum Domorum ſtatui opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Supplex petitio.

Nos

Mandatum. Nos igitur, de premiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel unus veſtrum, vocatis, qui fuerint evocandi, de premiſſis omnibus, & ſingulis, & eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra vos diligenter informetis, &, ſi per informationem hujuſmodi ea fore vera repereritis, ſuper quo veſtras conſcientias oneramus, Capellanias, quarum omnium viginti, ſi ad id Patronorum earundem, prefatę Domui S. Maximini pro illius Eccleſię fabrica, necnon Parochialem Eccleſiam cujus triginta, ſi etiam ad id Prioris, pro tempore exiſtentis Prioratus loci de Torves (14), Ordinis S. Benedicti, prefatę Aquen. Dięceſis, ad quem preſentatio perſonę idoneę ad dictam Parochialem Eccleſiam, dum vacat, de antiqua & approbata, hactenuſque pacifice obſervata, conſuetudine pertinere dignoſcitur, expreſſius accedat aſſenſus, pro eiſdem reparatione, & conſervatione, ac Hoſpitale dirutum hujuſmodi, cujus duodecim, eidem Domui de Balma, cujus, & dictę Domus S. Maximini ducentarum, & quinquaginta librarum Turonen. parvorum fructus, redditus, & proventus ſecundum communem ęſtimationem, valorem annuum, ut ipſi Prior, & Conventus aſſerunt, non excedunt, ad receptionem, & proviſionem confluentium hujuſmodi duntaxat, cum juribus, & pertinentiis eorum omnibus, auctoritate Apoſtolica, perpetuo uniatis, incorporetis, & annectatis, ita quod modernis Parochialis Eccleſię, ac Hoſpitalis diruti Rectoribus, necnon ad Capellanias ac Altaria hujuſmodi deputatis Capellanis ſimul, vel ſucceſſive cedentibus, vel decedentibus, aut illa alias quomodolibet dimittentibus, liceat Priori pro tempore exiſtenti dictę Domus S. Maximini, & Conventui prefatis, per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem Parochialis Eccleſię, ac Hoſpitalis diruti, necnon Capellaniarum, juriumque, & pertinentiarum eorundem poſſeſſionem auctoritate propria libere apprehendere, & Capellaniarum in fabricam Eccleſię Sancti Maximini, & Parochialis Eccleſię in reparationem, & conſervationem ſtructurarum, & ędificiorum Domus de Balma, necnon Hoſpitalis diruti fructus, redditus, & proventus, in receptionem, & proviſionem peregrinorum & pauperum hujuſmodi, & non alias expendendos, & convertendos, recipere, & retinere, Dięceſanorum locorum, & quorumcunque aliorum ſuper his licentia minime requiſita; non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Prioratus de Torves, necnon Domorum, & Ordinum predictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alias roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod propter unionem, annexionem, & incorporationem predictas, ſi eas per vos, vel unum veſtrum vigore preſentium fieri contigerit, Parochialis Domus, & Sancſi Maximini Eccleſia hujuſmodi debitis non fraudentur obſequiis, ſed dictę Parochialis Eccleſię Parochianorum, ſi quos pro tempore forſan habuerit, animarum cura, nullatenus negligatur, ac ſingula ratione illius, & Capellaniarum, necnon Hoſpitalis diruti predictorum debita ſupportentur onera conſueſa. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto, Decimo Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *S. Maximini.*) Conſulendæ *Conſtitutiones III, IV, V, & VI Bonifatii VIII.* Tom. II.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXIX fol. 76.*
3. *Telonen.*) Vulgo *Toulon*, in *Gallo-Provincia*.
4. *S. Zacharia.*) Vulgo *S. Zacharie*, novem milliaribus diſtat ab Urbe *San-Maximinenſi*, *Maſſiliam* verſus.
5. *Conſervatur.*) Lege *Notam III ad Conſtitutionem III Bonifatii VIII Tomo II pag.* 40.
6. *De Balma.*) Vulgo *Sainćte Baume*.
7. *Verticem.*) Ibi conſtructum fuit ſacellum, vulgo *Sainct Pillon* nuncupatum.
8. *Peregrini.*) Eo enim religionis ergo ex toto qua late patet terrarum orbe confluunt Catholici.
9. *Habitationibus.*) Adderem: *Semoto*.
10. *Conſueverunt.*) Uti nunc etiam fieri ſolet.
11. *Dependet.*) Prior enim *San-Maximinenſis* Cœnobii Vicarium *S. Balmæ* conſtituit.
12. *Aquen.*) Vulgo *Aix*, in *Gallo-Provincia*.
13. *Brinonia.*) Seu *Brinolii*, aliis *Brincola*, vulgo *Brignoles*, in eadem Provincia.
14. *Torves.*) *Brinolium* inter & Urbem *San-Maximinenſem*.

Anno 1435
Die 29 Maii.

Innovat, & confirmat ea, quæ de Clauſtris (1), ſeu Clauſura, Monialium Urbanus VI decreverat.

Ex Archivo (2) Ordinis

LII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium. EX Apoſtolicę Sedis proviſione, ac perſonarum, preſertim ſub Regulari obſervantia Domino famulantium ſtudio pię vitę, devotione provenire dignoſcitur, ut Romanus Pontifex quandoque Predeceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum geſta innovet, innovata reſtauret, & auctoritate Apoſtolica fulciat innovata. Supplex Monialium petitio. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Priorillę & Conventus Monaſterii Corporis Chriſti de Venetiis, Caſtellan. Dięceſis, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Predicatorum viventium Nobis extitit humiliter ſupplicatum, ut cum fel. recordationis Bonifatius PP. Nonus per ſuas certi tenoris literas (3) indulſiſſet Priorillę, & Conventui prefatis, ut vivere tenerentur ſecundum Inſtituta, ſecundum quę dilectę in Chriſto filię Priorilla, & Moniales Monaſterii S. Dominici Piſan., dicti Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Predicatorum vivere tenerentur, ut in literis, quas ante felicis recordationis Urbanus PP. VI Predeceſſor noſter predictis Priorillę & Conventui dicti Monaſterii S. Dominici Piſan. conceſſerat, expreſſius continetur, quarum tenorem Bonifatius predictus prefatis Priorillę, & Monialibus dicti Monaſterii Corporis Chriſti ſub ſua Bulla concedi mandavit, Nota. quarum literarum Urbani prefati tenor, ſignis, ac ſubſcriptionibus & characteribus duntaxat exceptis, ſequitur in hęc verba: Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. Tenor Diplomatis Urbani VI. Ut inter beatitudinis ęternę amatrices, quę habitu ſacrę Religionis aſſumpto uni viro Chriſto ſe voto celebri deſponſarunt, flores honoris & honeſtatis fructus in ubertate creſcant, & ne, dum divinis obſequiis harum ſedulitas officioſa verſatur, aliquid obrepat, quod fructum ſalutis impediat, & oculos divinę Ma-

Majeſtatis offendat, illarum ex his ſupplicationibus libenter annuimus, quę dirigentem ad vitam rectam viam mandatorum Domini dilatato corde percurrere cupiunt, quo mereantur in electarum ſuarum numero computari. Hinc eſt, quod Nos, attendentes, quod mulierum ſexus fragilis, lubricoſa pudicitia, & tenera fama eſt, dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſę, & Conventus Monaſterii S. Dominici Piſan. Ordinis S. Auguſtini ſub cura, & ſecundum inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica preſenti perpetua, & Irrefragabili conſtitutione ſtatuimus, & etiam ordinamus, quod de cetero nullus maſculus, ſive laicus, ſive eccleſiaſtica perſona, ſecularis, vel regularis exiſtat, ſepta, & clauſuras dicti Monaſterii ſub excommunicationis pęna quam incurrat ipſo facto, niſi in infraſcriptis caſibus, ingredi quoquo modo pręſumat. Hujuſmodi autem Caſus ſunt hi videlicet Magiſter dicti Ordinis Prędicatorum, ac Prior Provincialis Provincię Romanę, ſecundum morem ipſius Ordinis, de qua quidem Provincia dictum Monaſterium exiſtit, cum uno ſocio duntaxat ętatis provectę & probatę famę, ſemel tantum in anno, & cauſa viſitationis, & non alias, & etiam quando aliquam ex Monialibus dicti Monaſterii velari contigerit, unus Frater dicti Ordinis Prędicatorum antiquus, & approbatus cum uno ſocio tantum, ſimilis conditionis, & etiam cum expedit Communionem, & extremam Unctionem Monialibus ipſius Monaſterii graviter ęgrotantibus miniſtrari, aut Moniales mortuas ſepeliri pro debitis officiis peragendis, medici quoque tempore infirmitatis hujuſmodi Monialium, ac operarii pro victualibus inferendis, aut ędificiis reparandis, cum expedierit, qui tamen omnes honeſtę conditionis exiſtant, ſupradictis duntaxat caſibus, ſepta, & clauſuras prędicta valeant introire: pręmiſſis etiam adiicimus, quod ante Cratem ubi Moniales cum forinſecis loqui ſolent, pannus extenſus, & undecunque affixus perpetuo maneat, ſic quod alloquentes ſe mutuo videre non poſſint, & etiam quando pannus hujuſmodi, aut caſu, aut antiquitate laniatus fuerit, ante Cratem ipſam pannus ſimilis, & ſimiliter apponatur, & quod ſub ſimilis pęna excommunicationis nulla perſona dictum pannum hujuſmodi audeat amovere, & quod quicunque hujuſmodi excommunicationis ſententiam incurrerit quovis modo, ab ea nonniſi per Romanum Pontificem, pręterquam in mortis articulo, poſſit abſolvi, & inſuper ex tunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conſtitutionis, & ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Lucę VIII Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Decimo (4); Cumque ipſę Prioriſſa & Moniales dicti Monaſterii Corporis Chriſti literas hujuſmodi Urbani pręfati caſu fortuito amiſerint, ipſas in perſonis earundem innovari, mandare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui etiam hujuſmodi indulta per fel. rec. pręfatos Urbanum, & Bonifatium Prędeceſſores noſtros, per alias noſtras literas confirmavimus, approbavimus, ac de novo conceſſimus, quarum tenores hic haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, & per prędictas Prioriſſam, & Moniales pręfati Monaſterii Corporis Chriſti perpetuis temporibus volumus obſervari, earum precibus inclinati, pręfatas literas Urbani prędicti de noſtro mandato diligenter inſpectas in perſonis dictarum Prioriſſę & Conventus Monaſterii Corporis Domini auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium innovamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Noſtrę innovationis, & communitionis infringere &c. Si quis &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto, Quarto Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Confirmatio.

1. *Clauſtris.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro V fol.* 19.
3. *Literas.*) Legenda pręcedentia Diplomata.
4. *Decimo.*) Chriſti *MCCCLXXXVII.*

Hoſpitium pauperum Montis Politiani (1) curæ Fratrum Prædicatorum committit. Anno 1435 Die 2 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Cluſin. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. LIII.

GErentes in deſideriis cordis noſtri, ut Hoſpitalia, & alia pia loca ſub bono, & felici regimine angeantur, illa talibus perſonis committi volumus, per quas poſſeſſiones, & bona ipſorum manuteneri valeant, & augeri ipſa Hoſpitalia, & loca ſalubriter gubernari. Exordium. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris Provincialis, & Fratrum Provincię Romanę Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, quod cum olim Angelus Daneſii laicus, Aretin. (4) Diœceſis, de bonis a Deo collatis ſibi, quoddam Hoſpitale ſub vocabulo S. Petri extra muros Terrę Montis Politiani, & in Diœceſi Cluſin. de tunc (5) Ordinarii loci conſenſu fundaſſet, atque dotaſſet, voluit inter cetera, & etiam ordinavit, quod per Priorem Domus Fratrum Prędicatorum de Urbe veteri, & Guardianum Ordinis Fratrum Minorum in eadem Civitate pro tempore degentium una cum dilectis filiis communi, & univerſitate dictę Terrę Montis Politiani, poſt deceſſum nonnullorum de dicta terra, quibus idem Angelus gubernationem dicti Hoſpitalis tunc commiſerat, ad gubernationem Hoſpitalis hujuſmodi de cetero perpetuo Rector eligeretur, & etiam deputaretur, prout in ſerie Teſtamenti ipſius Angeli, cujus tenorem pręſentibus haberi volumus pro expreſſo. Supplex petitio. Et deinde ob certas rationabiles cauſas Communitas pręfata una cum Guardiano Fratrum Minorum hujuſmodi pręfatę deputationi cedentes, vices ſuas Priori, & Fratribus Domus Prędicatorum hujuſmodi ſponte, & libere commiſerunt, prout in Inſtrumentis, inde confectis, dicitur plenius contineri; cujus quidem commiſſionis vigore Prior, & Fratres Prędicatorum hujuſmodi Hoſpitale prędictum ex poſt rexerunt, & gubernarunt, prout regunt, & gubernant etiam de

prę-

pręſenti. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Prior, & Fratres hujuſmodi dubitent de dicto Hoſpitali in futurum debere, & poſſe forſan aliter provideri, pro parte ipſorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut providere eis ſuper hoc de opportuno remedio paterna diligentia curaremus. Nos igitur, cupientes in dicto Hoſpitali divinum cultum, necnon pauperum ad illud confluentium gratam Deo Hoſpitalitatem, ac Chriſti fidelium devotionem noſtris pręſertim temporibus adaugeri, ac de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę, de qua in his, & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi, ea omnia & ſingula fore vera repereris, & ad id, quorum intereſt, accedat aſſenſus, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Hoſpitale prędictum, cujus fructus, redditus, & proventus viginti florenorum auri ſecundum communem ęſtimationem valorem annuum, ut aſſeritur, non excedunt, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis Provinciali hujuſmodi Provincię, necnon Priori, & Fratribus hujuſmodi pro tempore exiſtentibus, auctoritate noſtra committas; Ita quod liceat de cetero Provinciali hujuſmodi Provincię, qui pro tempore fuerit, curam, regimen, & gubernationem cuicunque dicti Ordinis profeſſori Presbytero, vel Converſo, perpetuo, vel ad tempus committere, & ad illa etiam deputare, prout ſibi ſecundum Deum in hujuſmodi Hoſpitalis augmentum, ac ſubventionem Pauperum videbitur expedire, inducens per te, vel alium, ſeu alios, Priorem, & Fratres Domus hujuſmodi in corporalem poſſeſſionem Hoſpitalis hujuſmodi, juriumque, & pertinentiarum prędictorum, & defendens inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac faciens hujuſmodi deputando de ipſius Hoſpitalis fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus univerſis in ſubventionem pauperum & infirmorum, & alias in utilitatem dicti Hoſpitalis, juxta formam conſtitutionis fel. rec. Clementis Papę Sexti, Prędeceſſoris noſtri, in Concilio Viennen. ſuper hoc editę, convertendis, & expendendis, integre reſponderi. Contradictores auctoritate noſtra &c. Non obſtantibus, ſi aliqui ſuper provisionibus ſibi faciendis de hujuſmodi Hoſpitalibus in illis partibus ſpeciales vel generales dictę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quibus omnibus in aſſecutione dicti Hoſpitalis eoſdem Priorem, & Fratres volumus anteferri, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem aliorum Hoſpitalium pręjudicium generari, ſeu ſi Epiſcopo Cluſin. pro tempore exiſtenti, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod ad receptionem, vel proviſionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, vel excommunicari non poſſint; quodque de Hoſpitalibus hujuſmodi ad eorum commiſſionem conjunctim, vel ſeparatim ſpectantibus, nulli valeat provideri per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictę Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, effectus hujuſmodi gratię impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, cujuſque toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis; Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto, Quarto Nonas Junii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Commiſſio. | Clauſula derogans. | Decretum irritum faciens.

1. *Montis Politiani.*) Vulgo *Monte Pulciano*, in *Hetruria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LX fol.* 18.
3. *Cluſin.*) Vulgo *Chiuſi*, in *Hetruria*.
4. *Aretin.*) *Arezo*, in *Hetruria*.
5. *Tunc.*) Nunc Epiſcopalis eſt Urbe *Montis Politiani*.

Anno 1435 Die 17 Junii.

Quæ de Monaſterio Corporis Chriſti (1) Venetiarum ſancita ſunt, refert, & firmat.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LIV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

APoſtolicę Nobis injunctę deſuper officium ſervitutis &c (3). Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto, Decimo Quinto Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

A. Fidelis

Gratis de Mandato D. N. Papę.

Jo: de Steccatis.

1. *Corporis Chriſti.*) Vide *Notas ad Conſtitutionem XLIX* *datam XVIII Maii MCCCCXXXV. Venetiis* in Monaſterio *Corporis Chriſti*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo aſſervato
3. *Servitutis &c.*) Ut in *Conſtitutione XLIX* mox laudata ad finem uſque.

Faeul-

Digitized by Google

Facultas fundandi Florentini (1) Cœnobii, cui Parochiam S. Georgii confert.

Anno 1435 Die 19 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. LV.

AD Eccleſiarum & eccleſiaſticorum locorum quorumlibet ſtatum ſalubriter, & proſpere dirigendum, paterna ſolicitudine vigilantes, illorum profectibus libenter intendimus, & his, per quę divini cultus augmentum & Religionis propagatio procurantur, favorem, cum a Nobis petitur, benevolum impertimur. Exordium. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum parochianorum Parochialis Eccleſię Sancti Georgii Florentin., petitio continebat, quod olim ipſi jam pluribus elapſis temporibus propter injuriam, & negligentiam, ſeu potius malum regimen eorum, ad quos Cura pręfatę Eccleſię pro tempore pertinuit, in Miſſis, & aliis divinis officiis audiendis, ac eccleſiaſticis Sacramentis recipiendis, & alias diverſimode plura hactenus ſuſceperunt, prout quotidie ſuſcipiunt, incommoda pariter, & detrimenta, quodque etiam propterea ipſius Eccleſię fructus, redditus, & proventus plurimum diminuti exiſtant. Supplex Parochianorum petitio. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, dicti parochiani dictam Eccleſiam ad hoc, quod illa, ad laudem, & gloriam divini nominis, Religioniſque hujuſmodi propagationem, in ſpiritualibus, & temporalibus incrementa ſuſcipiat, Ordini Fratrum Prędicatorum pro uſu & habitatione nonnullorum ipſius Ordinis Fratrum, ſub illius Regulari obſervantia inibi continuo degentium, per Sedem Apoſtolicam concedi, & appropriari deſiderent, & ferventius concupiſcant, ac, ſicut accepimus, dilectus filius Thomaſius de Caſtellanis Prior Prioratus S. Andreę de Moſtiano, Ordinis S. Auguſtini, Florentin. Dięceſis, ex certis rationabilibus cauſis ad id animum ſuum moventibus, prędictam Eccleſiam, quam tunc vigore cujuſdam unionis eidem Prioratui jam dudum, ut aſſeritur, factę, obtinebat, ac omne jus ſibi in ea, ſeu ad eam quomodolibet competens, coram dilecto filio Jacobo Antonii Jacobi de Florentia publico imperiali auctoritate Notario, & nonnullis teſtibus fide dignis in civitate Florentina, in qua cum noſtra Curia tunc reſidebamus, prout reſidemus, ſub conditione tamen reſervationis ſibi factę quarundam poſſeſſionum ad dictam Eccleſiam legitime pertinentium, extra muros Florentin. conſiſtentium, quam quidem reſervationem arbitrio noſtro confirmandam, aut infirmandam reliquit, alias ſponte, & libere reſignaverit, pro parte pręfatorum parochianorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eorum deſiderio hujuſmodi annuere, ac alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, prout ex debito Summi Pontificatus officii tenemur, cultus augmentum, & Religionis propagationem hujuſmodi ubique locorum, quantum Nobis ex alto conceditur, ſummopere proſequentes, Facultas, & collatio. & alias de pręmiſſis fide dignorum relatu certam notitiam habentes, necnon reſignationem prędictam, conditione tamen reſervationis hujuſmodi penitus rejecta, harum ſerie admittentes, ac ſperantes, quod Eccleſia pręfata per Fratres pręfati Ordinis Fratrum Prędicatorum in Obſervantia hujuſmodi degentes, Nota. qui ſub ſuavi religionis jugo, exemplo pię vitę, variis hactenus multiplicarunt, prout in dies multiplicant virtutum meritis, bene, & feliciter dirigetur, populique propterea devotio non mediocriter augebitur ad eandem, & ipſorum parochianorum animarum cura diligentius exercebitur, omnes, & ſingulas uniones, annexiones, & incorporationes de dicta Eccleſia pręfato Prioratui per Sedem prędictam, aut alias quomodolibet hactenus factas, ex nunc auctoritate Apoſtolica diſſolvimus pariter, & reſcindimus. Et nihilominus Eccleſiam prędictam, cujus fructus, redditus, & proventus centum, & decem florenorum auri de Camera ſecundum communem extimationem, valorem annuum, ut ipſi parochiani aſſerunt, non excedunt, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis Ordini Fratrum Prędicatorum pro uſu, & habitatione Fratrum hujuſmodi, auctoritate prędicta, tenore pręſentium, perpetuo concedimus, appropriamus, pariter & applicamus, ita quod liceat ex nunc eiſdem Fratribus, per ſe, vel per alium, ſeu alios, corporalem pręfatę Eccleſię, etiamſi per reſignationem, aut diſſolutionem, ſeu reſciſſionem hujuſmodi, vel alias quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona vacet, poſſeſſionem libere apprehendere, hujuſmodi fructus, redditus, & proventus in conſtructionem, & Conſervationem unius domus Conventualis pręfati Ordinis Fratrum Prędicatorum inibi erigendę, necnon in eccleſiaſticorum ornamentorum, & aliorum inibi occurrentium neceſſariorum proviſionem duntaxat convertere, exponere, & perpetuo retinere, Dięceſani loci, & cujuſcunque alterius ſuper hoc licentia minime requiſita. Et inſuper pręfatis Fratribus Eccleſiam prędictam cum illis contiguis domibus, & hortis in Domum Conventualem dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum ad inſtar aliarum illius Domorum, cum Clauſtris, dormitoriis, refectoriis, & aliis neceſſariis officinis reducendi, erigendi, & conſtruendi, ſeu reduci, conſtrui, & erigi faciendi, ac in ea tunc conſtructa perpetuo ſub hujuſmodi obſervantia permanendi, & habitandi, plenam, & liberam licentiam, & facultatem, necnon quibuſcunque in Domo erigenda hujuſmodi pro tempore degentibus Fratribus, eorumque ſervientibus, & perſonis, ac eidem Domui, ut ipſi, & eorum quilibet omnibus, & ſingulis exemptionibus, privilegiis, indultis, indulgentiis, & gratiis per Sedem pręfatam, vel alias quomodolibet aliis pręfati Ordinis Fratrum Prędicatorum Domibus Fratribus, ſervientibus, & perſonis ſpecialiter, vel generaliter conceſſis, uti valeant, ſeu valeat, pariter, & gaudere, hujuſmodi tenore pręſentium, auctoritate, pręfata, de ſpecialis dono gratię concedimus, & etiam indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, qua prohibetur, ne Religioſi Ordinis Clauſula derogans. Fratrum Prędicatorum hujuſmodi in aliqua Civitate, Caſtro, vel Villa, aut aliquo quocunque loco Domum de novo conſtrui facere, ac recipere, & in ea habitare pręſumant abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, & quibuſvis aliis conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alias roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus

Digitized by Google

ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod propter conceſſionem, appropriationem, ac alia prędicta Parochianorum animarum cura hujuſmodi nullatenus negligatur, ſed per unum ex Fratribus in Domo pro tempore degentibus prędictis, aut alium Sacerdotem idoneum ad hoc per eos, quoties ipſis placuerit, eligendum, laudabiliter exerceatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę admiſſionis, rejectionis, diſſolutionis, reſciſſionis, conceſſionis, appropriationis, applicationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & BB Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto, Decimo Tertio Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Sanctio pœnalis.

A. De Florentia.

1. *Florentini.*) In *Hetruria*. Ex hoc *S. Georgii* ad Cœnobium *S. Marci* tranſlati fuere FF. Prædicatores, ut ex Diplomate dato *XXI Januarii MCCC-XXXVI* videre eſt.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Florentiæ* in Cœnobio *S. Marci* aſſervato.

Anno 1435 Die 20 Junii.

Montis-Politiani (1) Monaſterium (2) S. Agnetis (3) concedit (4) Fratribus, & Moniales transfert ad Urbevetanum Monaſterium S. Pauli.

Ex Fontana (5) in Libro de Romana Provincia Cap. II Tit. XIX pag. 147.

LVI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Provincię Romanę Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſecundum morem dicti Ordinis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

PIis votis fidelium, iis pręſertim quę divini cultus augmentum, & animarum ſalutem reſpiciunt, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Jacobi de Regno, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, & in Romana Curia ejuſdem Ordinis Generalis Procuratoris petitio continebat, quod Moniales Monaſterii Sanctę Agnetis extra muros Montis-Politiani, Ordinis Sancti Auguſtini, Aretinę Diœceſis, ſub habitu & cura dictorum Fratrum viventes, propter guerras, & alias calamitates, quibus Provincia illa hactenus afflicta fuit, & converſationem malarum gentium armigerarum, a ſemitis Religioſę pietatis fuerint abductę, & devię factę, adeo quod eis eſt neceſſarium pro earum ſalute, cum de earum reductione ſpes non habeatur, ut ad alia Monaſteria transferantur, quodque in Civitate Urbevetana eſt Monaſterium Monialium Sancti Pauli, ejuſdem Ordinis, & ſub habitu, & cura dictorum Fratrum viventium, in quo admodum paucę Moniales remanſerunt, quę paratę ſunt Moniales dicti Monaſterii Sanctę Agnetis recipere, & etiam retinere. Quare pro parte dicti Jacobi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in pręmiſſis opportune providere, ac Monaſterium prędictum Sanctę Agnetis pro uſu & habitatione unius Prioris, & nonnullorum Fratrum dicti Ordinis Prędicatorum concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus & ſingulis, auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem juridicam vera eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Moniales prędicti Monaſterii Sanctę Agnetis ad pręfatum Monaſterium Sancti Pauli, ſi ſint honeſtę converſationis & famę, vel ad alia ſimilia Monaſteria nova dictorum Fratrum exiſtentia, in quibus voluntarias invenerint receptrices, cum dotibus, ac rebus, & bonis ſuis, eadem auctoritate transferas, & nihilominus, poſtquam eas, ut prefertur, tranſtuleris, Monaſterium Sanctę Agnetis pręfatum, dignitate Abbatiali in eo pariter ſuppreſſa penitus, & extincta, pro uſu & habitatione unius Prioris & nonnullorum Fratrum dicti Ordinis Prędicatorum eadem auctoritate deputes, & eis concedas. Nos enim, ſi tranſlationem, & ſuppreſſionem, & conceſſionem hujuſmodi feceris, ut prefertur, Priori & Fratribus, qui in ipſo Monaſterio Sanctę Agnetis pro tempore morabuntur, ut omnibus & ſingulis privilegiis, habilitate, exemptionibus, gratiis & indultis, quibus alia Monaſteria, atque Domus Fratrum ejuſdem Ordinis Prędicatorum gaudent, & utuntur, ipſi pariter uti valeant, & eis gaudere, tenore pręſentium indulgemus. Felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi, Prędeceſſoris noſtri, illa pręſertim, qua prohibetur, ne Fratres Ordinis Mendicantium in aliqua Civitate, Caſtro, ſeu villa, aut loco quocunque Domus ad habitandum denuo recipere, vel habitare, & receptas mutare pręſumant abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Parochialis Eccleſię, & cujuſlibet alterius pręmiſſis omnibus ſemper ſalvis. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto, Duodecimo Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

1. *Montis-Politiani.*) In *Hetruria*.

2. *Monaſterium.*) A Sancta *Agnete de Monte-Politiano* fundatum. Adeas *Fontanam de Romana Provincia Cap. II Tit. XIX pag. 139.*

3. *S. Agnetis.*) Virginis Ordinis Prædicatorum, in album Sanctorum a S. Pontifice *Benedicto XIII* relatæ anno *MDCCXXVI*. Ipſius mentio ſæpius erit inferius. Hic duo notanda. Primo Monaſterium iſtud alias *Sanctæ Mariæ Novellæ* nuncupatum fuiſſe. At poſtea quam Cœlos petiiſſet *S. Agnes*, Monaſterium *S. Agnetis* vocatum eſt. Secundo Summum Pontificem eadem nomenclatura ſæpius hoc in Diplomate uſum fuiſſe. Hinc in Actis ad Canonizationem *B. Agnetis* probatum eſt, eandem Virginem *Sanctæ* nomen obtinuiſſe ante ſolemnem ipſius inter Sanctos relationem.

4. *Concedit.*) Conſulendus *Fontana* mox laudatus *pag. 139, 140, 141, & 142.*

5. *Fontana.*) Legitur etiam in Actis ad Canonizationem *B. Agnetis*, in *Poſitione* nempe *ſuper Dubio: An & quomodo ſit ſignanda Commiſſio pag. 17.*

Ge-

Genuenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1435 Die 22 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LVII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis univerſis Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum in illius Regulari Obſervantia degentibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAerę Religionis zelus, ſub qua, mundanis abjectis illecebris, devotum, & ſedulum exhibetis Altiſſimo famulatum, non indigne meretur, ut petitionibus veſtris, illis pręſertim, quę divini cultus augmentum, & Religionis propagationem reſpicere dignoſcuntur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Hinc eſt, quod Nos, veſtris, necnon dilecti filii Jacobi de Regno, Sac. Theologię Magiſtri, ac Generalis Ordinis veſtri principaliter in Romana Curia Procuratoris, in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, & veſtrum cuilibet unam, vel unum, Eccleſiam, capellam, ſive locum eccleſiaſticum in Civitate, vel Dięceſi Januen. conſiſtentem, etiam ſi Eccleſia ipſa Parochialis exiſtat, ſi vobis, aut veſtrum alicui, ſeu aliquibus alias canonice concedatur, recipiendi, necnon illam, vel illum, in Domum Conventualem ad inſtar aliarum domorum Ordinis veſtri pro uſu, & habitatione perpetuis nonnullorum ipſius Ordinis Fratrum cum Eccleſia, campanili, clauſtro, refectorio, dormitorio, & aliis neceſſariis officinis, jure Parochialis Eccleſię alieno quolibet in omnibus ſemper ſalvo, ac Dięceſani loci & cujuſcunque alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, recipiendi, ędificandi, & conſtruendi, ſeu recipi, ędificari, & conſtrui faciendi, & in ea perpetuo habitandi fel. rec. Bonifatii Papę VIII, Prędeceſſoris noſtri, qua prohibetur, ne Fratres dicti Ordinis in aliqua Civitate, caſtro, vel villa, aut alias quocunque loco domum de novo conſtruere, & ędificare, ſeu conſtrui & ędificari facere pręſumant, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, non faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, & quibuſvis aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, plenam, & liberam licentiam concedimus, & etiam poteſtatem. Et nihilominus, ſi, & poſtquam Eccleſiam, Capellam, ſeu locum concedi, & in Domum Conventualem hujuſmodi erigi contigerit, ut pręfertur, domui tunc conſtructę prędictę ac omnibus & ſingulis, in ea pro tempore degentibus, Fratribus, eorumque ſervientibus, & perſonis, ut omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, indultis, & gratiis, aliis domibus pręfatis per Sedem Apoſtolicam, vel alias generaliter conceſſis, uti, & gaudere valeant auctoritate prędicta concedimus pariter, & indulgemus. Volumus tamen, quod ſi conceſſio hujuſmodi de Parochiali Eccleſia forſan facta fuerit, illa propterea debitis non fraudetur obſequiis, ſed quod Prior, & Fratres in Domo pro tempore degentes hujuſmodi illius parochianorum animarum Curam per unum ex eis, aut alium regularem, ſeu ſecularem idoneum Presbyterum, quem ad hoc, quoties eis placuerit duntaxat, eligendum, habere, & exercere, aliaque ipſius pro tempore debita, & conſueta onera ſupportare omnino teneantur, & debeant. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto, Decimo Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Supplex petitio.

Facultas.

Nota.

1. *Genuenſis*.) In *Liguria*. Notandum ex hac Conſtitutione in ipſa Civitate Genuenſi Cœnobium illud erectum fuiſſe, dictumque S. Mariæ de Caſtello, quodque in eadem clariſſima Urbe aliud Cœnobium jamjam poſitum erat, Conventus nempe *S. Dominici*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro V fol.* 214. Autographum eſt *Genuæ* in laudato Cœnobio *S. Mariæ de Caſtello*.

Ut Ædes ſacræ San-Maximinenſis (1) Cœnobii perficiantur, Indulgentiam elargitur.

Anno 1435 Die 22 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LVIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

HOneſtis ſupplicum votis libenter, illis pręſertim, quę Eccleſiarum augmentum, & animarum ſalutem concernunt, annuimus, eaque, quantum cum Deo poſſumus, favoribus proſequimur opportunis. Sane petitio pro parte noſtrorum cariſſimorum in Chriſto Caroli (3) Francorum, & Renati (4) Regum Illuſtrium, necnon dilectorum filiorum Prioris, & Conventus Domus Fratrum Prędicatorum de Sancto Maximino, Aquen. Dięceſis, Nobis nuper exhibita continebat, quod licet Parochialis Eccleſia dicti loci, in qua Corpus Sanctę Marię Magdalenę cum pluribus aliorum Sanctorum Corporibus requieſcit (5) per recolendę mem. Carolum Secundum Sicilię Regem Illuſtrem mirę magnitudinis fuerit pro majori ſui parte conſtructa, & ad eam ob devotionem dictę Sanctę maxima bis annuatim (6) confluat populi multitudo, nihilominus propter imperfectum opus hujuſmodi, & ruinam, quam in diverſis ejus partibus comminatur, multa, & diverſa pericula imminent confluentibus antedictis, ac loci ipſius partium vicinarum perſonę, ob totius patrię extenuationem, nequeunt hujuſmodi reparationi intendere quoquo modo. Quare pro parte Regum, Prioris, & Conventus prędictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in pręmiſſis Eccleſię, & confluenti populo prędictis de alicujus ſubventionis remedio providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Eccleſiarum, & Chriſti fidelium animarum commoda paterna diligentia procuramus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Priori, & Conventui prędictis, vel ei, aut iis, quos ad id duxerint deputandos, ut ſingulis nobilibus, vel alias potentibus, qui ad fabricam, vel reparationem ipſius Eccleſię uſque ad viginti, mediocribus vero, qui uſque ad quindecim, ceteria

Supplex Caroli, & Renati Regum petitio.

autem minoribus, utriuſque ſexus hominibus Arelaten., & Ebredunen. Provinciarum, qui uſque ad decem Jurnatarum (7) valorem de bonis eis a Deo collatis, manus per ſe, vel alium porrexerint adjutrices, concedere valeant, quod Confeſſor quem eorum quilibet duxerit eligendum, omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, ſemel tamen in mortis articulo, plenam remiſſionem eis in ſinceritate fidei, unitate Sanctę Romanę Eccleſię, ac obedientia, & devotione noſtra, vel Succeſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, perſiſtentibus, auctoritate Apoſtolica concedere valeat, tenore pręſentium indulgemus; ſic tamen quod idem Confeſſor de his, de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, eam cuilibet confitentium prędictorum, per ſe, ſi ſupervixerit, vel per hęredes ſuos, ſi tunc forte tranſierit, faciendam injungat, quam ipſi confitentes, vel hęredes pręfati facere teneantur, ut pręfertur, &, ne, quod abſit, propter hujuſmodi gratiam reddantur procliviores ad illicita in poſterum committenda, volumus, quod ſi ex confidentia remiſſionis hujuſmodi aliqua forte committerent, quoad illa prędicta remiſſio eis nullatenus ſuffragetur: & inſuper quod per unum annum, a tempore quo Prioris & Fratrum conceſſio hujuſmodi ad eorum notitiam pervenerit computandum, ſingulis ſextis feriis, impedimento legitimo ceſſante, jejunent, quodque, ſi prędictis feriis ex pręcepto Eccleſię, regulari obſervantia, injuncta pœnitentia, vel alias jejunare tenerentur, una alia die ſingularum ſeptimanarum ejuſdem anni, quis ad jejunandum, ut pręmittitur, non ſint aſtricti, jejunare, &, ſi in dicto anno, vel in aliqua ejus parte eſſent legitime impediti, anno ſequenti, vel alias quam primum poterunt, modo ſimili ſupplere hujuſmodi jejunium, teneantur, alioquin hujuſmodi eorundem Prioris, & Conventus conceſſio, nullius exiſtat roboris, vel momenti. Nulli ergo &c. Noſtrę conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto, Undecimo Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Indulgentia.

Nota.

1. *San-Maximinenſis.*) Legendę *Conſtitutiones III, IV, V, & VI Bonifatii VIII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LVII fol.* 50.
3. *Caroli.*) Hujus nominis *VII.*
4. *Renati.*) Cognomento *Boni*, Regis Siciliæ &c.
5. *Requeſcit.*) Conſulenda *Nota III ad Conſtitutionem III Bonifatii VIII pag.* 40 *Tomo II.*
6. *Bis annuatim.*) Die nempe *XV* poſt Paſcha, & *XXII* Julii.
7. *Jornatarum.*) Dierum ſcilicet, quibus alii ſuam ipſis operam commodabunt.

Anno 1435 Die 13 Auguſti.

Ut Tolonenſe (1) Cœnobium perficiatur Quingentas libras Turonenſes aſſignat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LIX.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Officiali Tolonen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Humilibus ſupplicum votis &c (3). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris & Conventus Domus Tolonen. Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, quod olim ipſi, vigentibus in illis partibus guerrarum turbinibus, declinantes tam inimicorum, quam piratarum, & infidelium incurſus, de quadam eorum Domo extra muros Tolonen. prope maris litus conſiſtente ad civitatem Tolonen. ſe tranſtulerunt, ac inibi aliam Domum cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, & aliis neceſſariis officinis pro ipſorum uſu, & habitatione perpetuis conſtruere, & ędificare, ſeu conſtrui, & ędificari facere inchoarunt, & in ea, licet ad ſui medietatem vix deducta exiſtat, per plures annos bene, & laudabiliter permanſerunt, prout permanent, etiam de pręſenti. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Domus incepta propter ipſius imperfectionem hujuſmodi in Miſſis, & aliis Divinis officiis detrimenta non modica, necnon Prior, & Conventus prędicti plurima incommoda hactenus ſuſtinuerint, & quotidie ſuſtineant, nec ad perfectionem fabricę hujuſmodi ſine fidelium ſuffragiis deveniri poſſit, pro parte dictorum Prioris, & Conventus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc eis, & dictę inchoatę Domus ſtatui opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, cupientes, ut dicta incepta Domus cum Eccleſia & aliis officinis prędictis ad ſui perfectionem, ad laudem, & gloriam, divini nominis, debite deducatur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, Priori dictę Domus pro tempore exiſtenti, ac Conventui pręfatis de quibuſcunque per utriuſque ſexus perſonas, cujuſcunque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtant infra Arelaten. (4) ac prędictam, ac alias Provincię Arelaten. Civitates & Dięceſes pro tempore commorantes generaliter duntaxat ad pias cauſas relictis hactenus, & de cetero relinquendis, pecuniis, rebus, & bonis, uſque ad ſummam quingentarum librarum Turonen. parvorum pro fabrica Domus inceptę hujuſmodi, & non alias, auctoritate Apoſtolica concedas, ipſamque ſummam ad uſum, & utilitatem fabricę hujuſmodi duntaxat convertendam eſſe, & converti, poſſe, eadem auctoritate ſtatuas, & declares; & nihilominus Priori, & Conventui prędictis de pręfatis pecuniis, rebus & bonis, uſque ad ſummam pręfatam, ut pręmittitur, exponendam, per illos, apud quos pro tempore ipſa pecunię, res, & bona, fuerint, reſponderi, & illa eis aſſignari cum effectu facias, & procures. Non obſtantibus, ſi aliquibus conjunctim, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod ad exhibitionem, ſeu aſſignationem pecuniarum, rerum, & bonorum hujuſmodi alicui faciendam, non teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas veritati teſtimonium perhibere. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto, Idibus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Supplex petitio.

Nota.

Conceſſio.

1. *Tolo-*

1. *Tolonenſe.*) Vulgo *Toulon* in *Gallo-Provincia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LVII fol.* 59.
3. *Supplicum votis &c.*) Ut in *Conſtitutione* precedenti.
4. *Arelaten.*) *Arles*, in *Gallo-Provincia*.

Abbati Monaſterii de Muſcheto Vallis Umbroſæ Ordinis, ac Priori Cœnobii Feſulani (1) Ordinis Prædicatorum poteſtatem facit, permutandi quaſdam poſſeſſiones.

Anno 1435 Die 13 Augusti.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Traguríen. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LX.

AD ea ex Apoſtolicę ſervitutis officio libenter intendimus per quę Monaſteriorum, & aliorum piorum locorum, ac perſonarum in illis Altiſſimo famulantium, ſtatui, & utilitati valeat opportune provideri. *Exordium.* Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Bartholomęi Abbatis Monaſterii de Muſcheto, ac Prioris, & Conventus Domus Sancti Dominici, Vallis-Umbroſę, & Prędicatorum Ordinum, Florentin., & Feſulan. Dięceſum, petitio continebat, quod ſi Abbas decem Domos cum hortis, hortalitiis, & aliis juribus, & pertinentiis ſuis in platea Sancti Georgii Florentin. ad menſam Abbatialem dicti Abbatis, ac Prior, & Conventus prędicti quandam mediam Apotecam in via Sancti Martini etiam Florentin., ſitas, ad eos legitime pertinentes permutarent, maximam ex hoc Abbati Priori, & Conventui prędictis reſultaret utilitas. *Diplomatis cauſa.* Quare pro parte eorundem Abbatis, Prioris, & Conventus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſis Domos, & mediam Apotecam pręfatas ad invicem permutandi, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. *Facultas.* Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper pręmiſſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi, ita eſſe repereris, necnon permutationem hujuſmodi, ſi fiat, in evidentem utilitatem Abbatis, ac menſę necnon Prioris, & Conventus pręfatorum, cedere repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, eiſdem Abbati, Priori, & Conventui permutationem hujuſmodi de Domibus, & media Apoteca prędictam invicem faciendi, auctoritate noſtra, licentiam largiaris. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac Monaſterii, & Conventus, necnon Ordinum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto, Idibus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Feſulani.*) In *Hetruria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXIX fol.* 90.
3. *Traguríen.*) Italis *Trau*, Slavis *Troghir*, in *Dalmatia*.

Aſſignat Conventui Sancti Maximini (1) quædam bona immobilia.

Anno 1435 Die 23 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Archidiacono Eccleſię Aquen. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LXI.

HUmilibus & honeſtis ſupplicum votis, illis pręſertim, per quę relicta ad pias cauſas juxta decedentium ultimas voluntates, quantum fieri poteſt, executionem debitam ſortiantur, libenter annuimus, favoremque Apoſtolicum impertimur. *Exordium.* Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus loci Sancti Maximini, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Aquen. Dięceſis, petitio continebat, quod olim Fulco Praerii Presbyter dictę Dięceſis, condens de bonis ad ſe ratione perſonę ſuę ſpectantibus, in ejus voluntate ultima Teſtamentum, inter cetera quoſdam ſibi heredes inſtituit, quibus dilectum filium Antonium Girardi Presbyterum ejuſdem Dięceſis ſubſtituit, & voluit, quod in eventum ſubſtitutionis hujuſmodi ipſe, & alius Presbyter eidem Antonio adjungendus ſimul in Capella Sancti Michaelis ſita in Parochiali Eccleſia dicti loci, Miſſas, & alia Divina officia pro dicti Teſtatoris animę remedio perpetuo celebrarent: & deinde Fulcone prędicto, ſicut Domino placuit, vita functo, exiſtenteque conditione ſubſtitutionis hujuſmodi, hereditateque teſtatoris ejuſdem per ipſum Antonium adita, idem Antonius, videns hereditatem hujuſmodi attenuari dietim, & vix poſſe ſingularem Presbyterum invenire, qui vellet, aut poſſet cum eodem Antonio ejuſdem Capellę ſervitio juxta ipſius Teſtatoris voluntatem inſiſtere, cum ad vitam duorum diceretur hereditas hujuſmodi vix ſuppetere facultates, experientia teſte, quia ſex ſucceſſive Presbyteri, ad hujuſmodi ſervitium deputati, receſſerunt, ob inſufficientiam hereditatis hujuſmodi, videnſque, per prędicta ipſius Teſtatoris voluntatem defraudari, quodque hereditatem ipſam gubernare gravatus ſenio non valeret, illam in manibus venerabilis Fratris noſtri Avinionis (4) Archiepiſcopi Aquen. libere reſignavit, ſic quod ipſa hereditas fabricę ipſius Eccleſię cederet, & ſingulis diebus Miſſam alter ex Fratribus ejuſdem Conventus pro ejuſdem Teſtatoris Anima perpetuo celebraret. *Supplex petitio.* Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, dictus Archiepiſcopus hereditatem ipſam eidem fabricę applicaverit, bonaque hereditatis hujuſmodi vendita fuerint, & eorum pretium in fabricam hujuſmodi fuerit rite converſum, & dietim in Capella prędicta Miſſa dicatur pro ipſius Teſtatoris anima, prout in ultima voluntate hujuſmodi continetur, pro parte dictorum Prioris, & Conventus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut aſſignationi, applicationi, venditioni, & converſioni hujuſmodi robur Apoſtolicę confirmationis adjicere de benignitate Apoſtolica *Collatio.*
digna-

dignaremur. Nos igitur, qui pias Teſtatorum voluntates adimpleri, Eccleſiarumque fabricis opem ferri, quantum cum Deo poſſumus, procuramus, ac de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra, te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi, ita eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, conſignationem, applicationem, venditionem, & Converſionem prędictas, eadem auctoritate confirmes. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto, Decimo Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *S. Maximini.*) De quo etiam in *Conſtitutionibus III, IV, V, & VI Bonifatii VIII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LVII fol. 59.*
3. *Aquen.*) *Aix in Gallo-Provincia.*
4. *Avinionis.*) Legendum: *Aimonis*. Is enim erat *Aimo* noſter, ſeu Aymo *Nicolai*, qui ſemel & iterum Provinciæ *Provinciæ* præfuerat, de ipſo in *Appendice ad Pontificatum Martini V.* Adeas *Sammarthanos in Archiep. Aquen.*

Anno 1435 Die 23 Auguſti.

De reficiendo S. Guillelmi Monaſterio de Monte-Peſſulano (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori ſecularis, & Collegiatę Eccleſię Sancti Salvatoris Montis-Peſſulan., Magalonen. (3) Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

HUmilibus ſupplicum votis &c (4). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Monialium Beatę Marię de Pruliano (5) nuncupatarum, in Monaſterio Sancti Guillelmi de Monte-Peſſulano, Magalonen Diœceſis, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, petitio continebat, quod Monaſterium ipſum, cauſantibus guerris, & aliis diverſis calamitatibus, quę partes illas diutius afflixerunt, in fructibus, redditibus, & proventibus plurimum exiſtit diminutum, quodque in ſtructuris, & ędificiis ſuis, & pręſertim choro, dormitorio, & clauſtro, reparatione non modica indigere dignoſcitur, ad quam faciendam, & alia illius onera pro tempore ſupportanda, hujuſmodi fructus, redditus, & proventus ſuppetere non videntur. Quare pro parte Monialium prędictarum, & dilecti filii Guillelmi Finaris Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, Prioris ipſius Monaſterii, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Monaſterii hujuſmodi ſtatui providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, cupientes, ut ſtructurę, & ędificia reparari, oneraque hujuſmodi ſupportari debite valeant, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, Priori, & Monialibus dicti Monaſterii pro tempore exiſtentibus, de quibuſcunque per utriuſque ſexus perſonas, cujuſcunque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtant, infra dictam Diœceſim commorantes, generaliter duntaxat ad pias cauſas relictis hactenus, & de cetero relinquendis, pecuniis, rebus, & bonis uſque ad ſummam trecentarum librarum Turonen parvorum pro reparatione & onerum ſupportatione hujuſmodi, & non alias, Apoſtolica auctoritate concedas, ipſamque ſummam, ad uſum, & utilitatem reparationis & ſupportationis hujuſmodi duntaxat convertendam eſſe, & converti, ac pertinere debere, eadem auctoritate ſtatuas, & declares, & nihilominus Priori, & Monialibus prędictis de pręfatis pecuniis, rebus, & bonis uſque ad ſummam pręfatam, ut pręmittitur, exponendam, per illos, apud quos pro tempore ipſa pecunię, res, & bona fuerint, reſponderi, & illas eis aſſignari cum effectu facias, & procures. Non obſtantibus, ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod ad exhibitionem, ſeu aſſignationem pecuniarum, rerum, ac bonorum hujuſmodi alicui faciendam minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Contradictores per cenſuram &c. teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas veritati teſtimonium perhibere. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto, Decimo Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Nota;

Indultum;

1. *Monte-Peſſulano.*) Vulgo *Mont-Pellier*, in *Occitania*. Hoc Monaſterium juris eſt Provincialis *Provinciæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LVII. fol. 62.*
3. *Magalonen.*) Nunc *Montem-Peſſulanum* tranſlata Sedes.
4. *Votis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Diplomatibus.
5. *Pruliano.*) *Prulliano*. Cur autem ſic vocetur hoc Monaſterium, dicetur in *Notis ad Conſtitutionem CLXVI.*

Anno 1435 Die 30 Septembris.

Unit Eccleſiam Sancti Laurentii terræ Sancti Geminiani Vulteran. (1) Diœceſis Conventui Sanctiſſimæ Annunciatæ.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Prioratus Sancti Michaelis de Ranza, Vulteran. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AD ea, per quę Monaſteriorum ac Religioſorum locorum, & in eis ſub Religionis habitu Altiſſimo famulantium perſonarum omnium commodo, utilitatique, conſulitur, ac opportunitatibus ſubvenitur, libenter intendimus, illiſque, quantum cum Deo poſſumus, favorem benevolum impertimur. Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Conventus Domus Annunciatę Terrę Sancti Geminiani, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Vulteran. Diœceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod licet

Supplex petitio.

licet dudum quędam antiqua dicti Ordinis Domus, pro quodam inibi fortalitio conſtruendo, penitus
deſtructa, ac illius loco pręfata Domus Annunciatę pro uſu, & habitatione perpetuis quorundam dicti Or-
dinis Religioſorum cum Eccleſia, & aliis neceſſariis officinis denuo erecta fuerit, tamen nova Domus hu-
juſmodi, pręſertim in Majori, & duabus aliis in ea fundatis Capellis adhuc imperfecta remanſit, &, quod
deterius eſt, Prior, & Fratres inibi decem numero, vel circa pro tempore degentes ex quadam ſine
Cura Eccleſia cum Oratorio Sancti Laurentii inibi eidem novę Domui per decem Cannas menſurę illa- Nota.
rum partium propinqua diverſimode in eorum prędicationibus faciendis, necnon miſſis, & aliis divi-
nis officiis celebrandis, plura hactenus ſuſceperunt, & quotidie ſuſcipiunt, perturbationes, & incommo-
da. Quare pro parte dictorum exponentium nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dictam Eccleſiam, ſine
Cura, cum Oratorio hujuſmodi, pręfatę novę Domui perpetuo unire, annectere, & incorporare de be-
nignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi
ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper pręmiſ-
ſis omnibus, & ſingulis, & eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &,
ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Eccleſia ſi-
ne Cura cum Oratorio hujuſmodi, cujus duodecim, ac aliis juribus, & pertinentiis ſuis omnibus, prę-
fatę novę Domui, eujus vigintiquinque florenorum auri fructus, redditus, & proventus, ſecundum Mandatum.
communem extimationem, valorem annuum, ut ipſi Prior, & Conventus aſſerunt, non excedunt, auc-
toritate prędicta in perpetuum incorpores, unias, & annectas, ita quod, cedente, vel decedente ſine
Cura Rectore, vel alias illam quomodolibet dimittente, liceat Priori, & Fratribus prędictis, per ſe, vel
alium, ſeu alios corporalem Eccleſię ſine Cura, ac Oratorii, juriumque & pertinentiarum prędictorum
poſſeſſionem auctoritate propria libere apprehendere, necnon hujuſmodi illius fructus, redditus, & pro-
ventus in ſuos, ac dictę novę Domus uſus, & utilitatem perpetuo convertere pariter, & retinere, Diœce-
ſani loci, & cujusvis alterius ſuper hoc licentia minime requiſita. Non obſtantibus conſtitutionibus, &
ordinationibus Apoſtolicis, necnon novę Domus, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Clauſula derogans.
Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis, qui-
buſcunque. Volumus autem, quod propter incorporationem, unionem, & annexionem prędictas, ſi
eas effectum ſortiri contingat, Eccleſia ſine Cura cum Oratorio hujuſmodi debitis propterea non frau-
dentur obſequiis, ſed eorum debite ſupportentur onera conſueta. Datum Florentię Anno Incarnationis
Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto, pridie Kalendas Octobris, Pontificatus
noſtri Anno Quinto.

1. *Volteran.*) In Hetruria.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXIX fol. 71.*

Florentina Monaſteria B. Marię, ſeu Reginę Cæli, & S. Lucię, unit Monaſterio S. Catharinę (1).

Anno 1435 Die 1 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. LXIV.

ROmani Pontificis providentia circumſpecta, ad Monaſteriorum, & Religioſorum locorum, ac in
eis, pręſertim ſub fragili ſexu degentium perſonarum omnium, directionem, & commodum ſem- Exordium.
per intendens, nonnunquam illorum ſtatum alternat, variat, & commutat, prout perſonarum hujuſ-
modi, ac locorum, & temporum qualitate penſata, juſtis etiam, & rationabilibus ſuadentibus cauſis id
conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Ad audientiam ſiquidem noſtram venerabili Fratre noſtro Tho-
ma Epiſcopo Tragurienſe (3) Generali Eccleſię Florentinę, pręſentialiter Paſtore carentis, in ſpirituali-
bus, & temporalibus adminiſtratore, ac ad viſitationem quorumlibet Civitatis, & Diœceſis Florentinę Diplomatis cauſa.
Monialium, ac Religioſorum quorumvis Ordinum, Monaſteriorum, & locorum a nobis ſpecialiter de-
putato, & nonnullis ejuſdem civitatis civibus referentibus, non abſque cordis diſplicentia pervenit, quod
licet quodlibet ex B. Marię, alias Reginę Cęli de Chiarito, & S. Lucię Florentin. S. Auguſtini Ordinis
Monaſteriorum pro Abbatiſſa, ac pluribus Monialibus, quę ſua inibi ſub regulari dicti Ordinis obſer-
vantia, ac vitę caſtimonia vota Altiſſimo reddere tenentur, dudum fundatum, & erectum extiterit, ac
in illis ante multos annos pro tempore degentes, Abbatiſſę, & Moniales, bene, & laudabiliter vixerint,
tamen a nonnullis citra temporibus Monaſteria ipſa illorum Prelatarum incuria, & negligentia, ſeu po-
tius malo regimine, non ſolum obſervantia hujuſmodi, & quaſi divino cultu deſtituta remanſerunt, &
remanent; ſed, quod deterius eſt, quatuor in B. Marię, ac tres in S. Lucię Monaſteriis prędictis prę-
ſentialiter degentes Moniales, & illorum ſingulę Abbatiſſę, ſeu earum major pars, mundanis potius va-
nitatibus, quam divinis Officiis ſe exponentes, Religionis, & honeſtatis ſemita penitus derelicta, ad
diverſas, & illicitas converſationes, & actus plurimum diverterunt, & quotidie divertunt, in ſuarum
animarum periculum, religionis opprobrium, ac ſcandalum, & pernicioſum exemplum etiam plurimo-
rum. Nos igitur, ad quos ex debito Summi Pontificatus Officii omnium Monaſteriorum, & locorum
hujuſmodi cura potiſſime pertinet, in pręmiſſis, ne ulteriora exinde diſpendia, & inconvenientia ſubſe-
quantur, opportune providere volentes, matura etiam ſuper his deliberatione pręhabita, motu proprio,
non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia,
harum ſerie in ſingulis Monaſteriis prędictis, ſingulas Abbatiſſales dignitates, ac dictum Ordinem ſup-
primentes, & penitus extinguentes, necnon Abbatiſſas pręſentes hujuſmodi dignitatibus prędictis, ac
regiminibus, & adminiſtrationibus omnibus Monaſteriorum eorundem privantes, & ab illis realiter
amoventes, ipſas, ac omnes, & ſingulas Moniales prędictas, cum earum, ac dictorum Monaſteriorum, &
ad

ad quodlibet eorum legitime ſpectantibus terris, vineis, poſſeſſionibus, juribus, pertinentiis, & immobilibus bonis, ac cenſibus, & redditibus omnibus, & ſingulis ad Monaſterium Sanctę Catharinę de Caſſagio etiam Florentin. dicti Ordinis, in quo, ut accepimus, Abbatiſſa, & plures Moniales ſub ſuavi Religionis jugo laudabilem vitam ducunt, auctoritate, & ſcientia prędictis transferimus, ipſaque terras, poſſeſſio-

Translatio.

nes, jura, pertinentias, atque bona, cenſus, & redditus, quę omnia per eorum qualitates, quantitates, nomina, cognomina, loca, & confines, necnon ipſorum, & dicti Monaſterii S. Catharinę fructus, redditus, & proventus, pręſentibus haberi volumus pro expreſſis, eidem Monaſterio S. Catharinę, eiſdem auctoritate, & ſcientia, perpetuo concedimus, donamus, applicamus, & etiam appropriamus, ipſorum nihilominus B. Marię, & S. Lucię Monaſteriorum Eccleſias, & alia infra eorum ſepta duntaxat conſiſtentia, domos, habitationes, ſtructuras, ędificia, curias, hortos, & hortalitia a conceſſione, donatione, & appropriatione prędictis ſpecialiter excipiendo, donationique, & diſpoſitioni noſtrę, & Sedis Apoſtolicę tantummodo reſervando, ita quod liceat ex nunc dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſę, & Conventui pręfati Monaſterii S. Catharinę, per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem terrarum, poſſeſſionum, jurium, pertinentiarum, & bonorum prędictorum poſſeſſionem libere apprehendere, & in earum ac dicti Monaſterii S. Catharinę uſus, utilitatemque convertere, & perpetuo habere, & retinere, Diœceſani loci, aut alicujus ſuper hoc licentia minime requiſita. Et inſuper volumus, ac auctoritate, & ſcientia ſimilibus, tenore pręſentium, ſtatuimus, decernimus, & declaramus, quod Abbatiſſa, & Conventus Monaſterii S. Catharinę hujuſmodi Abbatiſſas, & Moniales translatas prędictas in ſuas, & dicti Monaſterii S. Catharinę Sorores, & Moniales recipere, ac eis de communibus illius proventibus, ſicuti aliis ejuſdem Monialibus miniſtrare, ſinceraque inibi in Domino caritate tractare, ita quod ipſę translatę Abbatiſſę ſe de cetero pro Abbatiſſis nullatenus reputare, ſed debitam in dicto Monaſterio S. Catharinę, prout alię Moniales prędictę faciunt, obedientiam pręſtare, & exhibere omnino debeant, & etiam teneantur, quodque Abbatiſſa pro tempore, ac Conventus Monaſterii S. Catharinę hujuſmodi uſque ad vigintiquinque

Clauſula derogans.

annos a data pręſentium computandos aliquam perſonam in Monaſterii hujuſmodi Monialem recipere minime poſſint, atque valeant. Pręterea eidem Epiſcopo de omnibus, & ſingulis libris, paramentis, jocalibus, & aliis ad divini cultus decorem deputatis eccleſiaſticis ornamentis, B. Marię, & S. Lucię Monaſteriorum prędictorum inter illa, & dictum S. Catharinę Monaſterium diſtribuendi, illaque eis concedendi, & perpetuo aſſignandi, prout ſibi videbitur, & placebit, plenam, & liberam auctoritate prędicta concedimus facultatem, & etiam poteſtatem. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon privilegiis, & indulgentiis, ac literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, quibus quoad premiſſa duntaxat ſpecialiter derogamus, necnon omnium Monaſteriorum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli er-

Sanctio pœnalis.

go omnium hominum liceat hanc paginam noſtrę ſuppreſſionis, extinctionis, privationis, amotionis, translationis, conceſſionis, donationis, applicationis, appropriationis, voluntatis, ſtatuti, conſtitutionis, declarationis, & derogationis, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto, Kalendis Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Gratis de mandato Domini Papę

Johannes Manniol.

A. de Florentia.

Duplicata gratis de mandato Domini noſtri Papę

Johannes de Steccatis.

1. *S. Catharinæ.*) Quinque Monaſteria Sororum habet Ordo FF. Prædicatorum *Florentiæ*. Ea inter recenſentur Monaſteria *S. Catharinæ*, & *S. Luciæ*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar, ex Autographo *Florentiæ* aſſervato in Monaſterio *S. Luciæ*.

3. *Traguriem.*) Vulgo *Trau*, in *Dalmatia*.

Anno 1435 Die 29 Octobris.

Monaſterium Florentinum (1) S. Mariæ de Nive confert Sororibus de Pœnitentia S. Dominici.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

Paſtoralis officii debitum, quo ſumus univerſis Orbis Eccleſiis, & Monaſteriis, ac locis eccleſiaſticis obligati, nos compellit, ut circa ipſorum, pręſertim deformationis opprobrio ſubjacentium, ſtatum in melius dirigendum paternis & ſollicitis ſtudiis intendamus, &, ut illa debitę reformationis beneficio gaudeant, fructuſque exinde proveniant ampliores, nonnunquam eis, grata plantaria Deo, ad Religionis propagationem, & divinę laudis augmentum ſalubriter ſurrogamus. Nuper ſiquidem venerabile Fratre noſtro Thoma (3) Recanaten., & Maceraten. Epiſcopo, Tunc Traguriem., Generali Adminiſtratore Eccleſię Florentinę, ac ad viſitationem omnium & ſingulorum Civitatis Florentinę Monaſterio-

Diplomatis cauſa.

rum Ordinum quorumcunque a nobis tunc ſpecialiter deputato, necnon pluribus dictę civitatis notabilibus civibus referentibus & inſinuantibus per nos inter alia accepto, quod Monaſterium B. Marię de Nive, Florentin., Ordinis S. Benedicti, ex Prælatorum negligentia, & malo regimine, regulari ob-

obſervantia, & quaſi divino cultu penitus deſtitutum erat, quodque etiam in Religionis vilipendium, ac malum exemplum, & ſcandalum plurimorum, plura in ſpiritualibus, & temporalibus ſuſtinuerat, & tunc ſuſtinebat etiam detrimenta. Nos tunc ex pręmiſſis, & aliis rationabilibus, tunc expreſſis, cauſis dignitatem Abbatiſſalem, ac prefatum Ordinem in eodem Monaſterio ſupprimentes, ac illius Abbatiſſam exiſtentem regimine, & adminiſtratione pręfati Monaſterii privantes, & ab illis realiter amoventes, eamque, & ſingulas illius Moniales ad Monaſterium S. Agathę Florentin. dicti Ordinis transferentes, omnia, & ſingula bona, cenſus, & redditus pręfato Monaſterio S. Agathę, perpetuo conceſſimus, donavimus, appropriavimus, & applicavimus, Monaſterium ipſum B. Marię pręfatum, ſeu illius Eccleſiam, ac infra ejus ſepta duntaxat conſiſtentia, Domus, habitationes, ſtructuras, ędificia, hortos, curias, & hortalitia a donatione, & aliis pręmiſſis ſpecialiter excipiendo, ac ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę tantummodo reſervando, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Conceſſio. Nos ne Monaſterium ipſum B. Marię ob gubernatoris carentiam corrui, & ad profanos uſus deduci contingat, providere volentes, ac ſperantes, quod illud ſub bono, & felici regimine dilectarum in Chriſto filiarum, Prioriſſę ac Sororum, ſeu Religioſarum, de Pœnitentia S. Dominici nuncupatarum, in Civitate Florentina commorantium, plura in ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa, motu proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, Monaſterium B. Marię prędictum, ſeu Eccleſiam, Domos, habitationes, curias, hortos, & hortalitia hujuſmodi tam Prioriſſę, quam univerſis de Pęnitentia nuncupatis Sororibus, ſeu Religioſis prędictis pręſentibus, & futuris, ita quod de cetero Domus Sororum de Pęnitentia S. Dominici nuncupetur, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, concedimus, damus, perpetuo appropriamus, & etiam applicamus; Ita quod liceat Prioriſſę pro tempore exiſtenti, per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem Eccleſię, Domus, habitationum, curiarum, hortorum, & hortalitiorum prędictorum poſſeſſionem auctoritate propria libere apprehendere, & pro earum perpetuis uſu, & habitatione perpetuo retinere, alicujus ſuper hoc licentia minime requiſita. Et inſuper Prioriſſę, & Sororibus, ſeu Religioſis prędictis in Monaſterio B. Marię, ſeu Domo hujuſmodi pro tempore degentibus, illarumque ſervientibus, & perſonis, ut ipſę, ac earum ſingulę, omnibus, & ſingulis aliis Sororibus, & Religioſis de Pęnitentia S. Dominici nuncupatis, earumque Domibus, ac locis, & alias ubilibet conſiſtentibus, generaliter a Sede Apoſtolica, vel alias conceſſis privilegiis, exemptionibus, indultis, & gratiis uti valeant pariter, & gaudere, auctoritate pręfata harum ſerie indulgemus. Clauſula derogans. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę ſuppreſſionis, amotionis, privationis, tranſlationis, donationis, appropriationis, applicationis, voluntatis, & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto, Quarto Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Gratis de mandato D. N. Papę.

A. de Florentia.

Jo. Montani.

G. de mandato D.N. Papę.
M. de Piſtorio.

1. *Florentin.*) In *Hetruria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Florentiæ* in Monaſterio *S. Dominici* aſſervato.
3. *Thoma.*) Illum crediderim *Thomam Tomaſſinum* Epiſcopum *Recanatenſem* & *Maceratenſem*, de quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*. Ipſum inter Epiſcopos *Traguerienſes* recenſuimus in *Appendice ad Pontificatum Martini V*. Ceterum quod *Thomas* noſter Epiſcopus *Leſinenſis* renunciatus ſit, ex teſtimoniis in *Appendice* mox laudata citatis nullus quidem dubito, verum quia ex conſtitutionibus Eugenii IV datis 1 & 29 Octobris 1435 liquet *Thomam* Epiſcopum *Traguerienſem* fuiſſe hoc eodem circiter anno, crediderim, *Thomam* prius *Leſinenſem*, & poſtea *Traguerienſem* Epiſcopum fuiſſe. Vel dicendum, quod ſi *Leſinenſis* Epiſcopus hoc anno ſit deſignatus, illi Sedi paulo poſt nuncium remiſit.

Ut Hoſpitium Pauperum in Oppido Turnovi (1) conſtituatur, ipſique F. Claudius Hoſpitis præficiatur.

Anno 1435 Die 29 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXVI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii Beatę Marię de Intermontibus, Gebennen. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. ILla Chriſti fidelium vota, per quę divinus cultus intenditur, ipſorumque fidelium, quos rei familiaris premit inopia, neceſſitati conſulitur, merito commendantes, illa libenter concedimus, quibus talia poſcentes, exauditis votis eorum, valeant in Domino conſolari. Sane pro parte dilecti filii Johannis Hoſpitis Oppidani Turnovi, Tarantaſien. Diœceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ipſe terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare cupiens, in Oppido Turnovi dictę Diœceſis, pro receptione, & recreatione Chriſti pauperum per illud tranſmeare ſolitorum, quique propter auſteritatem loci illius magnas inibi inedias, conceptis nonnunquam exinde gravibus infirmitatibus pręferre conſueverunt, unum Hoſpitale, cum Capella, domibus, & aliis ad pręmiſſa habitationibus, de bonis a Deo ſibi collatis, erigere, conſtruere, & dotare proponit, ſi ad hoc ſibi Sedis Apoſtolicę ſuffragetur auctoritas; quodque dilectus filius Claudius Hoſpitis, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, ipſius Johannis natus unicus, Hoſpitale ipſum quamprimum conſtructum, & dotatum fuerit, Diplomatis cauſa.

regat quoad vixerit, & adminiſtret, ferventer exoptet. Quare pro parte ipſius Johannis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi erectionem, conſtructionem, & dotationem hujuſmodi faciendi, ac eidem Claudio, ut Hoſpitale ipſum poſt fundationem, conſtructionem, & dotationem hujuſmodi regendi, & adminiſtrandi, ſibique, ac perſonis aliis Eccleſiaſticis Miſſas, & alia divina officia in Capella ipſa celebrandi, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, dilecti filii nobilis viri Amedei, Ducis Sabaudię, aſſerentis, oppidum pręfatum ſub ejus temporali Dominio conſiſtere, ac ipſius Johannis in hac parte ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper pręmiſſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi ea, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, veritate ſuffulta repereris, tu ipſi Johanni, poſtquam congruam pro pręmiſſis

Mandatum. dotem aſſignaverit, erectionem, conſtructionem, & dotationem hujuſmodi faciendi, licentiam, quodque in eadem conſtruenda Capella Miſſa, & alia Divina officia, abſque tamen Parochialis Eccleſię, & cujuſvis alterius pręjudicio celebrari valeant, eadem auctoritate concedas, & inſuper pręfato Claudio, ſi alias ſit idoneus, & aliud Canonicum non obſiſtat, Hoſpitale pręđictum, poſtquam erectum, conſtructum, & dotatum fuerit, ut pręfertur, juxta conſtitutionem felicis recordationis Clementis Papę V, Prędeceſſoris noſtri, in Concilio Viennen. editam, per eum quoad vixerit, tenendum, regendum, & etiam gubernandum eadem auctoritate committas; inducens per te, vel alium, ſeu alios eundem Claudium, vel procuratorem ſuum ejus nomine in corporalem poſſeſſionem Hoſpitalis, juriumque, & pertinentiarum, ſuorum univerſorum, & defendens inductum, ac faciens, ipſum, vel dictum procuratorem pro eo, ad Hoſpitale prędictum, ut eſt moris, admitti, ſibique de illius fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus univerſis, in ſuſtentationem pauperum, & infirmorum, ac alias in Hoſpitalis prędicti utilitatem, & uſum, juxta conſtitutionem prędictam, convertendis, & exponendis integre reſponderi. Contradictores auctoritate noſtra &c. Nos enim pręfato Claudio, ut Hoſpitale prędictum, poſtquam illud ſibi conceſſum fuerit, ut pręfertur, recipere, ac juxta pręmiſſam conſtitutionem regere, & adminiſtrare libere & licite valeat, quod dicti Ordinis profeſſor exiſtat, ut pręfertur, necnon Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ipſius Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, conſuetudinibus, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque: & inſuper ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto Tertio Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Turnovi.*) In *Alpibus Graiis*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XV fol* 87.

Hic autem brevitatis ergo miſſa fiunt varia Diplomata, quibus *Eugenius IV* Eccleſiaſtica Beneficia contulit Fratribus Ordinis Prædicatorum. Quia vero Fratres his Beneficiis nonnunquam donati ſunt, ut ferrent qualecunque præmium laborum a cum in Conciliis, tum apud Principes Chriſtianos pro Eccleſia Sancta exantlatorum, paucis notabo nomina Fratrum, & tempus quo data fuere Diplomata.

Anno 1434 Die 6 Septembris. LXVII.

F. Rodericus de Colimbria fit Abbas Monaſterii S. Johannis de Teronca, Ciſtercienſis Ordinis, Lamecen. Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit. *Summi diſpoſitione Rectoris &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quarto, Octavo Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib.LIII. fol.*257.

Anno 1436 Die 13 Februarii. LXVIII.

UT F. Rodericus de Sintra quodcunque Beneficium *Seculare*, vel *Regulare* cujusvis Ordinis conſequi poſſit. Conſtitutio ſic incipit. *Religionis zelus &c. Hinc eſt quod Nos volentes, te, qui, ut aſſeritur, dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Iſabellis dilecti filii nobilis viri Philippi Ducis Burgundiæ Conſortis Confeſſor, & in Theologia Bacallarius formatus, necnon Ordinem Fratrum Prædicatorum expreſſe profeſſus exiſtis &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto* (ſtylo Bullarum æræ communis MCCCCXXXVI) *Idibus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto*. Ex Arch. Apoſtol. *Lib.CXIII. fol.*86.

Anno 1436 Die 25 Maii. LXIX.

F. Radolphus Engelberti renunciatur Abbas Monaſterii S. Johannis Baptiſtæ Bergen., in Regno Norwegiæ, Ordinis S. Auguſtini. Conſtitutio ſic incipit. *Solicitæ conſiderationis indagine &c. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Sexto, Octavo Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Sexto*. Ex Arch. Apoſtol. *Lib.XXXI fol.*113.

Anno 1436 Die 7 Julii. LXX.

F. Chriſtophorus de Campocurſo, Pœnitentiarius Summi Pontificis, præficitur *Capellæ*, & *Hoſpitali* S. Antonii de Pera prope Conſtantinopolim. Conſtitutio ſic incipit. *Religionis zelus &c. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Sexto, Nonis Julii, Pontificatus noſtri Anno Sexto*. Ex Arch. Apoſtol. *Lib.LXXVII. fol.*111.

Anno 1437 Die 7 Martii. LXXI.

F. Bermundus Coci creatur Abbas Monaſterii S. Scalidi, Præmonſtratenſis Ordinis, Diœceſis S. Pontii Thomeriarum. Conſtitutio ſic incipit: *Solicitæ conſiderationis &c. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Sexto* (ſtylo Bullarum, æræ communis MCCCCXXXVII.) *Nonis Martii, Pontificatus noſtri Anno Sexto*. Ex Arch. Apoſtol. *Lib.LXXXI. fol.*169.

F. Si-

F. Simoni de Laude, qui Iſabelli Duciſſæ Burgundiæ a confeſſionibus erat, ejuſdem Duciſſæ rogatu poteſtatem facit, obtinendi Beneficium Eccleſiaſticum *per S. Auguſtini Canonicos, vel S. Benedicti Ordinum Monachos gubernari ſolitum ... in aliquo Civitate, Diœceſi, ſeu loco ſub dominio nobilis viri Philippi Ducis Burgundiæ conſiſten.* Conſtitutio ſic incipit. *Religionis zelus &c. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Sexto* (ſtylo Bullarum, æræ communis MCCCCXXXVII) *Quinto Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Septimo*. Ex Arch. Apoſtol. *Libro LXXXVI. fol.*107.

Anno 1437 Die 11 Martii. LXXII.

F. Raymundus de Landa conſtituitur Abbas Monaſterii B. Mariæ de Borneto, Ordinis S. Benedicti Diœceſis Engoliſmen. Conſtitutio ſic incipit. *Solicitæ conſiderationis &c. Datum Ferrariæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo*, (ſtylo Bullarum, æræ communis MCCCCXXXVIII) *Tertio Decimo Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Septimo*. Ex Arch. Apoſtol. *Lib.XCVIII fol.*312.

Anno 1438 Die 17 Februarii. LXXIII.

UT F. Petrus Petri, *Capellanus* Renati Regis Siciliæ, poſſit aſſequi Beneficium Eccleſiaſticum cum Cura, vel ſine Cura, Cluniacen., vel S. Benedicti Ordinum. Conſtitutio ſic incipit. *Religionis zelus &c. Datum Ferrariæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Octavo, Pridie Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Octavo*. Ex Arch. Apoſtol. *Lib.CV. fol.*90.

Anno 1438 Die 30 Septembris. LXXIV.

F. Johanni de Turrecremata, Magiſtro S. Palatii Apoſtolici confert perpetuum Beneficium in S. Eutropii de Spinar, ac Præſtimonialem portionem in S. Johannis Caſtri, ſeu Villæ de Garcimonios Parochialibus Segobien., & Conchen. Diœceſeon Eccleſiis. Conſtitutio ſic incipit. *Religionis zelus &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, Sexto Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Nono*. Ex Arch. Apoſtol. *Lib.CXXIII. fol.*153.

Anno 1439 Die 8 Junii. LXXV.

F. Fernandus de Achellas inſtituitur Abbas Monaſterii S. Salvatoris de Fonte Archata, Ordinis S. Benedicti, Bracarenſis Diœceſis. *Fernandi Bracarenſis Archiepiſcopi Commenſalis continuus erat Fernandus noſter, ipſi multa ſervitia præſtiterat, per annos triginta & ultra populo illarum partium Verbum Dei prædicaverat, ac in prædicatione hujuſmodi ei plurimum utilis fuerat.* Verba ſunt conſtitutionis quæ ſic incipit. *Solicitæ conſiderationis &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, Decimo Septimo Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Nono*. Ex Arch. Apoſtol. *Lib.CXXVI. fol.*72.

Anno 1439 Die 15 Junii. LXXVI.

F. Johannes de S. Paulo, rogatu Caroli Francorum Regis conſtituitur Rector *Hoſpitalis* Pauperum, ſeu *Leproſariæ* Feritatis abreni (vulgo, mea quidem ſententia, *Ferte Aurain*) Aurelianenſis Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit. *Gerentes in deſideriis &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, Quinto Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Nono*. Ex Arch. Apoſtolico *Libro CXXIII fol.*296.

Anno 1439 Die 9 Septembris. LXXVII.

F. Petrus Franciſci de Cingnio fit Abbas Monaſterii S. Salvatoris de Scantrilia, Ordinis S. Benedicti Diœceſis Sabinenſis. Conſtitutio ſic incipit. *Inter ſolicitudines &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, Decimo Octavo Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Nono*. Ex Arch. Apoſtolico *Lib. CXVII fol.*258.

Anno 1439 Die 14 Septembris. LXXVIII.

F. Jacobus Laurentii, Prior Senenſis Cœnobii, creatur Abbas Monaſterii S. Anthimi Valliſtartiæ, Romanæ Eccleſiæ immediate ſubjecti, Ordinis S. Benedicti, Diœceſis Cluſin. Conſtitutio ſic incipit. *Suſcepti cura regiminis &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, Sexto Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Nono*. Ex Arch. Apoſtolico *Libro CXX fol.*248, & *Lib. XVI fol.*28.

Anno 1439 Die 27 Decembris. LXXIX.

F. Bartholomæus de Liaba, Mutinenſis, renunciatur Abbas Monaſterii S. Fulminii de Monte Lupono, Ordinis S. Benedicti, Diœceſis Firman. Conſtitutio ſic incipit. *Solicitæ conſiderationis &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo* (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCXLI) *Kalendis Januarii, Pontificatus noſtri Anno Decimo*. Ex Arch. Apoſtolico *Lib. CXXIX fol.*156.

Anno 1441 Die 1 Januarii. LXXX.

F. Opizo de Taculis conſtituitur Rector Eccleſiæ, *Prioratus nuncupatæ S. Jacobi Regin.* Conſtitutio ſic incipit. *Religionis zelus &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Primo, Nonis Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Undecimo*. Ex Arch. Apoſtolico *Libro CXLIV fol.* 181.

Anno 1441 Die 5 Aprilis. LXXXI.

Anno 1441 Die 12 Julii. LXXXII.

F. Jacobus Navarro, Capellanus & Pœnitentiarius Summi Pontificis præficitur Eccleſiæ S. Martini de la Saca, Diœceſis Bajonenſis. Conſtitutio ſic incipit. *Grata familiaritatis, & devotionis obſequia, quæ dilectus filius Jacobus Navarro Ordinis FF. Prædicatorum, & Theologiæ profeſſor, Capellanus noſter, nobis hactenus impendit, & adhuc ſolicitis ſtudiis impendere non deſiſtit, necnon Religionis zelus &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Primo, Quarto Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXLIV fol.* 167.

Anno 1441 Die 23 Augusti. LXXXIII.

F. Peregrinus, *loci de Bonifacio*, conſtituitur Prior Monaſterii S. Jacobi de Capiteſari, Ordinis S. Benedicti, Diœceſis Januenſis. Conſtitutio ſic incipit. *Religionis zelus &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Primo, Decimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXLIV fol.* 215.

Anno 1441 Die 14 Septembris. LXXXIV.

F. Johannes de Curte, rogatu nobilis viri Franciſci Foſcari Ducis Venetiarum, fit Præpoſitus Eccleſiæ S. Laurentii de Biſalba, Diœceſis Pergamen. (ſeu *Bergomenſis*). Conſtitutio ſic incipit. *Religionis zelus &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo, Quadrageſimo Primo, Decimo Octavo Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXLIV fol.* 283.

Anno 1441 Die 15 Septembris. LXXXV.

UT F. Michael Bars *Seculare*, aut *Regulare* cujuſcunque Ordinis Beneficium conſequi poſſit. Conſtitutio ſic incipit. *Religionis zelus &c. Te qui, ut aſſeris, Ordinem Fratrum Prædicatorum expreſſe profeſſus fuiſti, & in Theologia Baccalarius formatus exiſtis, ac pro gradu Magiſterii, in ea in brevi adipiſcendo, verbi etiam Divini prædicationi interdum inſiſtendo, vacare dignoſceris &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Primo, Decimo Septimo Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXLIV fol.* 79.

Anno 1441 Die 16 Septembris. LXXXVI.

UT F. Elias Bodandi *Theologiæ Profeſſor Seculare* Beneficium poſſit aſſequi. Conſtitutio ſic incipit. *Religionis zelus &c. Te, qui, ut aſſeritur, dilecti filii nobilis viri Ludovici Delfin. Viennen., cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Francorum Regis illuſtris primogeniti, Confeſſor, ac Ordinem Fratrum Prædicatorum expreſſe profeſſus exiſtis &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Primo, Sexto Decimo Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo*. Ex Archivo Apoſtolico *Libro CXLIV fol.* 289.

Anno 1441 Die 6 Octobris. LXXXVII.

EIdem F. Eliæ Bodandi *Magiſtro in Theologia* concedit quadraginta librarum Turonen. annuam penſionem ſolvendam a Petro, electo Carnoten., Abbate Monaſterii de Belloloco, Ordinis S. Benedicti, Diœceſis Lemovicen. Conſtitutio ſic incipit *Religionis zelus &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſim Quadrageſimo Primo, Pridie Nonas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo*. Ex Archivo Apoſtolico *Libro CXLIV fol.* 245.

Anno 1443 Die 5 Aprilis. LXXXVIII

UT F. Ciampolus de Bonſignoribus de Senis quodcunque Beneficium Eccleſiaſticum conſequi poſſit. Conſtitutio ſic incipit. *Religionis zelus &c. Datum Senis Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Tertio, Nonis Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CLXXIV fol.* 66.

Anno 1443 Die 21 Augusti. LXXXIX.

F. Nicolaus de Aymo, *Capellanus Mariæ de Baucio*, Reginæ illuſtris, ejuſdem Reginæ rogatu præficitur Eccleſiæ S. Mariæ de Salvatione extra muros Lycien. Conſtitutio ſic incipit. *Apoſtolicæ Sedis circumſpecta benignitas &c. Datum Senis Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Tertio, Duodecimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo*. Ex Archivo Apoſtolico *Libro CLXXIV fol.* 3.

Anno 1443 Die 20 Novembris. XC.

EIdem F. Nicolao de Aymo confert Eccleſiam S. Mariæ Incoronatæ extra muros Lycien. Hoc in Diplomate *Nicolaus* noſter dicitur *Mariæ de Angena* (eadem eſt ac *Maria de Baucio*, ut alibi notatum fuit) Reginæ illuſtris *Capellanus ex diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ*. Conſtitutio ſic incipit. *Piis fidelium votis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Tertio, Duodecimo Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo*. Ex Archivo Apoſtolico *Libro CLXXIV fol.* 252.

Anno 1443 Die 23 Novembris. XCI.

F. Mundonus Belvayleti (vulgo *Beauvillier*. Nobiliſſima gens eſt, heroum ferax, quæ nunc etiam floret in Gallia. Conſulendus *Robertus Couſin* in ejuſdem Familiæ Genealogia), ſacræ Theologiæ Profeſſor, *Nobilis viri Philippi Ducis Burgundiæ Conſiliarius*, creatur Prior Eccleſiæ S. Germani Enbriennen., Ordinis S. Auguſtini, Æduen. Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit. *Religionis zelus &c. Datum Romæ apud S. Pe-*

S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Tertio, Nono Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo. Ex Arch. Apoſtol. *Lib.CLXXIV fol.*217.

F. Dominicus Vannutii de Urbe Veteri renunciatur Prior Eccleſiæ S. Johannis Urbevetan., Ordinis Sancti Auguſtini. Conſtitutio ſic incipit. *Religionis zelus &c. Nos volentes tibi, qui, ut aſſeris, Bacallarius in Theologia formatus, ac de Civitate noſtra Urbevetan. oriundus, & in eu plurimum dilectus exiſtis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Tertio* (ſtylo Bullarum, æræ communis MCCCCXLIV) *Idibus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo.* Ex Arch. Apoſtol. *Lib.CLXX.fol.*125.

Anno 1444 Die 13 Februarii. XCII.

UT F. Martinus Swab, Frederici Regis Romanorum *Capellanus*, quodcunque ſeculare Beneficium poſſit obtinere. Conſtitutio ſic incipit. *Religionis zelus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quinto, Undecimo Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Quinto Decimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib.CXCVIII fol.*267.

Anno 1445 Die 21 Aprilis. XCIII.

UT F. Johannes Bergerane, Theologiæ Profeſſor, *Secularè*, vel *Regulare* Beneficium cujuſcunque Ordinis conſequi poſſit. Conſtitutio ſic incipit. *Religionis zelus &c. Hinc eſt quod nos volentes, te, qui, ut aſſeritur, de nobili genere procreatus, & dilecti filii nobilis viri Ludovici Delfini Viennen. Conſiliarius, ac illius Hoſpitii Requeſtarum Magiſter, & per ipſum Ludovicum ad Nos Nuncius, ſeu Ambaſciator deſtinatus exiſtis, favore proſequi gratiæ ſpecialis &c. Datum Romæ apud S.Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quinto, Quinto Decimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto Decimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib.CXCVIII fol.*220.

Ann 1445 Die 18 Auguſti. XCIV.

F. Johannes Meredich, *Bacallarius* in Theologia, renunciatur Abbas Monaſterii S. Mariæ de Truno, Ordinis S. Benedicti, Sarſenatenſis Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit. *Ad eu ex Apoſtolicæ &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quinto, Pridie Nonas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto Decimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro CC fol.* 143.

Anno 1445 Die 4 Septembris. XCV.

F. Johanes de S. Martino, Theologiæ Profeſſor, fit Rector Eccleſiæ S. Michaelis de Savego Fraucto, prope Villam de Frontineros, Abulenſis Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit. *Religionis zelus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quinto, Tertio Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto Decimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXCVIII fol.*9.

Anno 1445 Die 11 Septembris. XCVI.

UT F. Michael Rama, *Capellanus* Alfonſi Regis Aragonum, quodcunque Beneficium conſequi poſſit. Conſtitutio ſic incipit. *Religionis zelus &c. Hinc eſt, quod Nos volentes, te, qui, ut aſſeritur, quondam Petri Infantis Aragoniæ Confeſſor fuiſti &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Sexto, Sexto Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Sexto Decimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib.CCXVI fol.*80.

Anno 1446 Die 26 Septembris. XCVII.

F. Michael de Caligariis de Ferraria præficitur Eccleſiæ S. Johannis de Cotiliano, Nucerin. Diœceſeos, cui S. Nicolai de Voitulis, & S. Pauli de Morano, ac S. Luciæ de Perituio, ejuſdem Diœceſeos Eccleſiæ erant annexæ. Conſtitutio ſic incipit. *Religionis zelus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Sexto* (ſtylo Bullarum, æræ communis MCCCCXLVII) *Tertio Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto Decimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCXVI fol.*80.

Anno 1447 Die 11 Januarii. XCVIII.

Ut annua penſio illius Monaſterii ſit, in quo Soror, cui eſt aſſignata, diem obierit extremum.

Anno 1435 Die 13 Decembris.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Officiali Barchinonen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XCIX.

HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus, illaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectę in Chriſto filię Catharinę Deſpla, Prioriſſę Monaſterii Sororum Barchinonen. per Prioriſſam ſoliti gubernari, ſub cura Fratrum Predicatorum degentium, petitio continebat, quod cum olim ipſa tunc Monaſterii Sororum Beatę Marię Magdalenę Valentinen., etiam ſub ſimili cura viventium Soror exiſtens, in Prioriſſam dicti Monaſterii Barchinonen. Canonice electa

Exordium. Diplomatis cauſa.

Digitized by Google

electa fuiſſet, ac electionem hujuſmodi ex juſſu, & mandato Prioris Provincialis Ordinis Fratrum eorumdem Provinciȩ Aragoniȩ, ſecundum morem dicti Ordinis, acceptaſſet, Monaſteriumque ipſum Barchinonen. tunc regeret, & gubernaret, prout de pręſenti regit pariter, & gubernat, ac in primo ejus ingreſſu dicti Monaſterii Beatȩ Mariȩ, in quo per ſex annos, vel circa, profeſſionem inibi per illius Sorores emitti ſolitam regularem emittendo permanſit, cenſum, ſive redditum perpetuum decem Librarum Regalium Monetȩ Valentinen., illius ſibi ad vitam ſuam uſufructu reſervato, necnon in pecunia numerata octuaginta, vel circa ſimiles Libras ad illud aſportaſſet, tamen poſtmodum dilectus filius Bartholomęus Texerii, dicti Ordinis Generalis Magiſter, voluit, ſtatuit, decrevit, & ordinavit, quod cenſus, ſive redditus hujuſmodi, & bona alia dictȩ Catharinȩ, ſeu quȩ illi conceſſa fuerunt, poſt ejus obitum ad illud ex Sororum, ſub hujuſmodi cura viventium, Monaſteriis, in quo eam decedere contingeret, & cujus tempore ſui obitus Prioriſſa, ſeu Soror exiſteret, libere ſpectare & pertinere deberent, prout in ipſius Magiſtri, eius ſigillo munitis, literis dicitur plenius contineri. Quare pro parte dictȩ Catharinȩ Prioriſſȩ etiam aſſerentis quod dictum Monaſterium Valentinen. a cura, & obedientia Fratrum hujuſmodi, ita quod ipſius Sorores ſub cura prędicta vivere volentes, de illo ad quodcunque ſub hujuſmodi cura viventium, Sororum Monaſterium, cum omnibus earum bonis, & redditibus ſe libere transferre poſſent, nuper Auctoritate Apoſtolica ſeparatum & ſegregatum extitit, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut voluntati, ſtatuto, decreto, & ordinationi Magiſtri, ac illius literis hujuſmodi, ac omnibus, & ſingulis in eis contentis, & inde ſecutis pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicȩ confirmationis adiicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuȩ, per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra, re diligenter informes, &, ſi per informationem, ea fore vera repereris, ſuper quo tuam conſcientiam

Mandatum. oneramus, literis Magiſtri, ac voluntatem, ſtatutum, decretum, & ordinationem, ac alia in illis contenta, & inde ſecuta hujuſmodi, eadem auctoritate noſtra, approbes, & confirmes, ſuppleaſque omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, non obſtantibus quod dictum Monaſterium Beatȩ Mariȩ ſub Fratrum cura hujuſmodi per amplius non exiſtat, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſteriorum & Ordinis prędictorum, confirmatione, vel quacunque firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Florentiȩ Anno Incarnationis Dominicȩ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto, Idibus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXIX. fol.* 23.

Anno 1435 Die 20 Decembris.

Inſcribit Conſtitutionem qua Martinus V firmat Compoſitionem initam inter Moniales S. Sixti de Urbe, & Monaſterium S. Oſwaldi de Noſtle (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

C.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Conventui Monaſterii, ſive Prioratus S. Oſwaldi de Noſteliis (3), per Priorem ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, Eboracen. Diȩceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. PRoviſionis noſtrȩ debet provenire ſubſidio, ut jus ſuum cuilibet conſervetur. Hinc eſt, quod Nos tenorem quarundam literarum fel. rec. Martini Papȩ V Pędeceſſoris Noſtri, in ipſius Regiſtro repertum, pro eo, quod ſicut veſtra, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, vos indigere dicto tenore noſcimini, de Regiſtro ipſo de verbo ad verbum tranſcribi, & ad veſtram ſupplicationis inſtantiam pręſentibus annotari fecimus qui talis eſt. Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. Exigit (4) devotionis ſinceritas, quam dilecti filii Prior modernus, & Conventus Monaſterii Sancti Oſwaldi de Noſteliis per Priorem ſoliti gubernari, Ordinis Sancti Au-

Tenor Conſtitutionis Martini V. guſtini, Eboracen. Diȩceſis, ad Nos, & Romanam gerunt Eccleſiam, ut ipſorum petitionibus favorabiliter annuamus. Dudum ſiquidem pro parte dilecti filii Roberti, Prioris, & hujuſmodi Conventus, necnon dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſȩ, & Coventus Monaſterii Sancti Sixti de Urbe, ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, per Prioriſſam gubernari conſueti, ſub cura & ſecundum inſtituta Fratrum Pędicatorum viventium, Nobis expoſito, quod cum olim inter Priorem, & Sancti Oſwaldi ex una parte, ac Prioriſſam Sancti Sixti Monaſteriorum Conventus hujuſmodi, ſuper eo, quod eędem Prioriſſa, & Conventus Sancti Sixti dictos Priorem & Conventum Sancti Oſwaldi Monaſteriorum eiſdem Prioriſſȩ & Conventui Monaſterii Sancti Sixti in penſione annua quinquaginta Marcarum Sterlingorum ratione fructuum, & perventuum Parochialis Eccleſiȩ de Bamburgo Anneliven. (5) Diȩceſis quam dicti Prior, & Conventus Monaſterii Sancti Oſwaldi, in uſus proprios tenent, eorundem teneri & obligatos fore, ipſamque penſionem eiſdem Prioriſſȩ & Conventui Monaſterii Sancti Sixti per dictos Priorem, & Conventum Monaſterii Sancti Oſwaldi ſalva ceſſatione per ipſos poſtmodum diutius facta, pluribus retroactis temporibus, ſolutam fuiſſe, Prior vero, & Conventus Monaſterii Sancti Oſwaldi pręfati ad ſolutiones alicujus hujuſmodi penſionis ſe minime teneri, cum idem Monaſterium Sancti Oſwaldi ipſi Monaſterio Sancti Sixti in nullo ſubeſſet, aut cenſuale exiſteret, aſſerebat, diverſȩ controverſiȩ, & diſſenſionum materiȩ ex altera parte fuiſſent, tandem dilectus filius Magiſter Hermannus Dwerg Prępoſitus Eccleſiȩ Sancti Lebuini Daventrien, Trajecten. Diȩceſis, Decretorum Doctor Notarius, & Referendarius noſter, Procurator proprio nomine dictorum Prioris, & Conventus Monaſterii Sancti Oſwaldi, necnon pręfatȩ Prioriſſȩ, & Coventus Monaſterii Sancti Sixti ha-

habita primitus cum nonnullis perſonis mediis, viris probis, & honeſtis, inter ſe deliberatione matura, pro bono pacis ad hanc concordiam pervenilſent, videlicet quod ipſe Hermannus Procurator, de cujus procurationis mandato, & poteſtate ad infraſcripta facienda plene conſtiterat, & facta fides fuerat, nomine dictorum Prioris, & Conventus Monaſterii Sancti Oſwaldi prefatis Prioriſſę & Conventui Monaſterii Sancti Sixti pro omni jure ipſarum & intereſſe quod ſe in annua dictarum quinquaginta Marcarum, quę ſe ad valorem ducentorum Florenorum extendebant, penſione hujuſmodi ad ipſum Monaſterium Sancti Olwaldi, ratione fructuum, & proventuum dictę Eccleſię de Bamburgo quomodolibet habere prętendebant, ſeu prętendere poterant in futurum, Caſale nominatum communiter de Salice, quod in Regione Tranſtiberina extra Portam Portuſę ſitum eſt, ac quod ad Paulum Stati Civem Romanum ſpectaverat, ac quod eidem Monaſterio Sancti Oſwaldi juſto emptionis titulo acquiſierat, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis in hereditatem ipſarum propriam libere donaſſet, & aſſignaſſet, & pro neglectis in penſionum ſolutionibus quibuslibet ſummam trium millium, & octuaginta ſex Florenorum auri de Camera eiſdem Prioriſſę & Conventui Monaſterii Sancti Sixti in earundem utilitatem convertendam, realiter perſolviſſet, ipſęque Prioriſſa, & Conventus Monaſterii Sancti Sixti ex adverſo omni juri, quod ipſis in penſione prędicta futuris temporibus competere cenſeri poterat, actioni quoque, & intereſſe ipſarum penitus, & omnino cedentes, necnon de prędicta ſumma pro prętериtis neglectis ſolutionibus hujuſmodi ſe contentas reddentes, tam de ſumma prędicta pro neglectu, ut prefertur, quitaſſent, quam aliis deinceps perpetuis futuris temporibus quomodolibet debitis perſolvendis penſionibus, Priorem, & Conventum Monaſterii Sancti Oſwaldi prędictos totaliter liberaſſent perpetuo, & etiam abſolviſſent, prout in quodam Inſtrumento publico, exinde confecto, cujus tenorem in aliis noſtris literis annotari, & inſeri fecimus, plenius continebatur, Nos tunc ad dictorum Roberti Prioris, & Conventus Monaſterii Sancti Oſwaldi ſupplicationis inſtantiam, concordiam, donationem, aſſignationem ceſſionem, quitationem, liberationem, & abſolutionem prędictas, aliaque in dicto Inſtrumento contenta, ſicut provide facta, per utramque partium prędictarum ſuſcepta fuerant, & quęcunque inde ſecuta, rata habentes, & grata, ea auctoritate Apoſtolica per eaſdem literas ex certa ſcientia confirmavimus, & noſtri ſcripti patrocinio communivimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan interveniſſent in eiſdem, & nihilominus omnes & ſingulos proceſſus, deſuper forſan habitos, quaſvis etiam cenſuras, & pęnas cotinentes, ex tunc extinximus, & caſſavimus, & pro extinctis, ſublatis, & caſſatis haberi voluimus, prout in ipſis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Prioris moderni, & Conventus Monaſterii Sancti Oſwaldi prędictorum, petitio continebat, Prior, qui tunc fuit prefatus non Robertus, prout in aliis noſtrarum literarum narraturis expoſitum extitit, ſed Johannes nominatus fuerit; Nos ne propterea de literarum earundem viribus a quoquam hęſitari valeat in futurum, volumus, & Apoſtolica ipſis Priori moderno, & Conventui auctoritate concedimus, quod literę, necnon concordia, donatio, aſſignatio, ceſſio, quitatio, liberatio, & abſolutio prefatę, & omnia alia in dictis literis contenta, & quęcunque inde ſecuta, in omnibus, & per omnia valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, proinde ac ſi pro parte Johannis tunc ibidem Prioris, & non Roberti, hujuſmodi expoſitio in literis prędictis narrative premiſſa fuiſſet, & haberetur. Non obſtantibus premiſſis, & aliis contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę voluntatis, & conceſſionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos Tertio Nonas Decembris Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo. Ceterum, ut earundem literarum tenor ſic inſertus omnimodam rei, ſeu facti certitudinem faciat, auctoritate prefata, decernimus, ut illud idem robur, eoſdemque vim & vigorem dictus tenor per omnia habeat, quę haberent originales literę ſupradictę, & eadem prorſus ipſi tenori fides adhibeatur quandocunque & ubicunque in judicio, vel alibi, ubi fuerit exhibitus, vel oſtenſus, ac ei ſtetur firmiter in omnibus, ſicut dictis originalibus literis ſtaretur, ſi exhibitę forent, vel oſtenſę. Nulli ergo &c. noſtrę conſtitutionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto, Tertio Decimo Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Noſle.*) Legenda *Conſtitutio LI Innocentii IV Tomo I pag.*134.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXXIII fol.*56.
3. *Noſtellis.*) Seu *Noſle*.
4. *Exigit.*) Eadem de re lata eſt *Conſtitutio CCXXXVI Martini V*. Legitur *pag.* 690 *Tomo II*.
5. *Annelivem.*) In Conſtitutione mox laudata legitur *Duvelinem*. Neutrum placet. Vide *Notam III* ad eandem Conſtitutionem.

Fratres Prædicatores mittit in poſſeſſionem Cœnobii extra muros Papien. (1).

Anno 1436 Die 1 Januarii.

Ex Arch. (2) *Ordinis*.

CI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Generali, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrę Religionis, ſub qua devotum & ſedulum exhibetis Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut votis illis, per quę divinus cultus adaugeri, & prefata Religio propagari, locaque cultui dedicata prefato, votiva reformationis incrementa ſuſcipere valeant, gratum, & benevolum prębeamus aſſenſum. Sane per venerabilem Fratrem Noſtrum......(3) Epiſcopum Portuen. tunc tituli Sancti Clementis Presbyterum Cardinalem felicis recordationis Martino Papę V Prędeceſſori Noſtro expoſito, quod ipſe in Civitate Papien. unum Collegium pro ſcholaribus in Theologia, & in utroque jure in quibuſdam Domibus nepotum ſuorum in eadem Civitate conſiſtentibus, ipſorum ad id accedente conſenſu, fundare, & de bonis ſibi a Deo collatis dotare proponeret, ſed ei ad dotandum Collegium ip-

Diplomatis cauſa.

ipſum non effueret copia facultatum, ac pro parte ipſius Epiſcopi tunc Presbyteri Cardinalis, eidem Prędeceſſori humiliter ſupplicato, ut Monaſterium Sancti Apollinaris extra muros Papien.[1], Ordinis Sancti Benedicti, tunc per obitum quondam Placidi illius Abbatis apud Sedem Apoſtolicam defuncti vacans, Ordine hujuſmodi, & Abbatiali dignitate ſuppreſſis, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis pręfato Collegio incorporare, unire, & annectere dignaretur, idem Prędeceſſor per ſuas literas dilecto filio Archipresbytero Eccleſię Mediolanen., ejus proprio nomine non expreſſo, inter alia mandavit, ut in prędicto Monaſterio, ſi, ut pręmittitur, vacaret, Ordinem, & dignitatem prędictos ſupprimeret, ipſius quoque terras, poſſeſſiones, jura, & emolumenta ipſi Collegio in perpetuum incorporaret, uniret, & annecteret, ita quod liceret ſcholaribus, vel Rectori dicti Collegii qui eſſent pro tempore, corporalem terrarum poſſeſſionem auctoritate propria apprehendere, & in ſuos uſus convertere. Proviſo, ne Eccleſia dicti Monaſterii ad profanos uſus redigeretur, ſed inibi per aliquem diſcretum Presbyterum, per Rectorem, & ſcholares hujuſmodi deputandum, deſerviretur laudabiliter in divinis; & deinde Nobis, qui dicto Prędeceſſore, ſicut Domino placuit, ſublato de medio, fuimus, divina favente clementia, ad apicem Summi Apoſtolatus aſſumpti, pro parte ejuſdem Epiſcopi expoſito, quod dilectus filius Petrus de Caſtellenen. Archipresbyter dictę Eccleſię Mediolanen. ad earundem literarum executionem procedens, illarum vigore, Ordinem, & dignitatem in ipſo Monaſterio Sancti Apollinaris ſuppreſſiſſet, ac terras, poſſeſſiones, & emolumenta pręfata dicto Collegio in perpetuum univiſſet, annexuiſſet, & incorporaſſet, ipſi Rector, & ſcholares poſſeſſionem terrarum, poſſeſſionum, jurium, & emolumentorum hujuſmodi apprehendentes, ea in uſus tenerent antedictos, Nos tunc ſuppreſſionem, Unionem, annexionem, & incorporationem prędictas, & quęcunque inde ſecuta rata habentes, & grata, ea auctoritate Apoſtolica confirmavimus & noſtri ſcripti patrocinio communivimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan interveniſſent in eiſdem, prout in ipſius Prędeceſſoris, & noſtris, deſuper confectis, literis plenius continetur. Cum autem, ſicut pręfatus Epiſcopus Nobis nuper exponere curavit, ipſe ſummis deſideriis exoptet, ut in eodem Monaſterio, cultu reſtaurato divino, digna inibi Altiſſimo laudum pręconia exſolvantur, ac vigeant per amplius ſalutaria Deo grata. Quare idem Epiſcopus Nobis humiliter ſupplicavit, ut vobis Monaſterium prędictum cum Eccleſia, ędificiis, hortis, hortalitiis, illi adiacentibus, & ad illud pertinentibus, unione, incorporatione, & annexione prędictis alias ipſi Collegio in omnibus ſalvis perſiſtentibus, Vobis pro uno Priore, & aliquibus Fratribus veſtri Ordinis, qui ſub diſtricta ejuſdem Ordinis obſervantia in eodem Monaſterio vivant, & Altiſſimo pro humilitatis ſpiritu deſerviant, concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. *Conceſſio.* Nos igitur, qui cultum divinum in omnibus vigere, & adaugeri, Religionemque hujuſmodi propagari, intenſis deſideriis affectamus, piumque Epiſcopi in hac parte propoſitum in Domino multipliciter commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis Monaſterium prędictum cum Eccleſia, ędificiis, hortis, & hortalitiis pręfatis pro uſu, & habitatione prędictis, auctoritate Apoſtolica concedimus, Vobiſque, quod Monaſterium cum Eccleſia, ędificiis, hortis, & hortalitiis hujuſmodi pro prędictis uſu, & habitatione unius Prioris, & aliorum Fratrum dicti veſtri Ordinis, qui ſub hujuſmodi obſervantia, ibidem perpetuo morari, & perſiſtere, quique ſepulturam habere, ac pro tempore decedentium, ac ſepulturas apud eos eligentium corpora ſepelire poſſint, necnon omnibus, & ſingulis privilegiis, exemptionibus, & indulgentiis, quibus alii domorum dicti veſtri Ordinis Fratres ex quibuſvis conceſſionibus Apoſtolicis utuntur & gaudent, uti debeant pariter, & gaudere, eadem auctoritate indulgemus per prędentes, Diœceſani loci, & cujuſcunque alterius ſuper hoc licentia minime requiſita. *Clauſula derogans.* Non obſtantibus quod alia Domus dicti veſtri Ordinis in dicta Civitate ſit, ac felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium, in Civitate, Caſtro, Villa, ſeu loco quocunque Domos, ſeu loca quęcunque de novo recipere, vel recepta mutare prędumant, abſque Sedis prędictę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę Conſtitutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto (4), Kalendis Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Papien.*) *Ticinen.* ſcilicet, vulgo *Pavia*, in *Inſubria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXV fol.* 19.
3. *Noſtrum...*) Is erat vir celeberrimus *Branda Caſtellioneus*, vulgo *Cardinalis Placentinus*, de quo *Oldoinus* apud *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an.* MCCCCX *pag.* 801.
4. *Triceſimo Quinto.*) Stylo Bullarum, Æræ communis MCCCCXXXVI.

Anno 1436 Die 7 Januarii.

Priorem S. Sabinæ (1), ipſiuſque Succeſſores delegat, qui Ædes Sacras S. Mariæ in Porticu de Urbe reficiendas curent.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Domus Sanctę Sabinę de Urbe Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Quamvis de cunctis Orbis Eccleſiis, prout ex debito Nobis deſuper injuncti paſtoralis officii tenemur, ſollicite cogitemus, pro eorum ſtatu ſalubriter dirigendo, inter ceteras tamen ad Eccleſias almę Urbis, & prędertim quę venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalium Tituli fore noſcuntur, & eorum curę, & adminiſtrationibus committi conſueverunt, noſtrę conſiderationis intuitum propenſiori ſtudio dirigimus, ut Eccleſię ipſę in locis, in quibus ruinam minantur, reparentur, ac alias in ſuis ędificiis, & ſtructuris debite conſerventur. Cum itaque ex fide di-

digna relatione percepimus Eccleſiam Sanctę Marię in Porticu (3) de Urbe quę titulus Diaconi Cardinalis fore dignoſcitur, & quę tanto tempore vacavit, & alicujus eorundem Cardinalium curę, & adminiſtrationi commiſſa non extitit, quod in ſuis ędificiis, & ſtructuris prorſus quaſi ruinam minatur, & niſi celeriter provideatur eidem, ipſa Eccleſia totali deſolationi temporis ſucceſſu veriſimiliter ſubjacebit, Nos igitur, Eccleſiarum hujuſmodi, & aliorum piorum locorum deſolationibus ſummopere occurrere ſatagentes, diſcretioni tuę, de qua in his, & aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus, motu proprio, & non ad tuam, vel alterius Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus tu, necnon Succeſſores tui Domus Sanctę Sabinę de Urbe Ordinis Fratrum Prędicatorum pro tempore exiſtentes Priores, per vos, vel alium, ſeu alios, omnes, & ſingulos dictę Eccleſię, quandiu ipſa vacaverit, ſeu prędicto Diacono Cardinali vacaverit, necnon omnium, & ſingularum prębendarum ejuſdem Eccleſię pro uno Anno duntaxat fructus, redditus, & proventus, auctoritate noſtra, colligere, & recipere, illoſque in reparationes & fabricam ejuſdem Eccleſię convertere, ſeu converti facere, omnino curetis. Contradictores quoslibet per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris remedia appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictę Eccleſię, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto (4), Septimo Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Mandatum.

Clauſula derogans.

1. *S. Sabina.*) *Romæ* in Monte *Aventino*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXIII fol. 164.*
3. *S. Maria in Porticu.*) In Monte *Capitolino*.
4. *Triceſimo Quinto.*) Stylo Bullarum, Æræ communis *MCCCCXXXVI.*

Fratres Prædicatores e Cœnobio S. Georgii (1) transfert ad Cœnobium S. Marci Florentin. (2)

Anno 1436 Die 21 Januarii.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

CIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Tarentaſien. (4) & Terviſin. (5) ac Parentin. (6) Epiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUper gregem dominicum, Nobis deſuper creditum, aſſiduis curis intendentes in decore Sacrę Religionis, ſub qua Regularis Obſervantię cujuslibet profeſſores devotum, ac ſedulum exhibent Domino famulatum, ingenti mentis exultatione reficimur, proſpicientes potiſſime, quod profeſſores ipſi per pręclara ſanctitatis merita Chriſtifideles ad divinę majeſtatis obſequium virtutum trahunt per exempla, ac Domino Jeſu Chriſto, qui vita eſt, viventes, & mundo mortui, pro univerſorum ſalute fidelium preces, & orationes dirigunt inceſſanter, propter quę circa felicem eorum ſtatum ferventibus vigilamus deſideriis, & ut ab omnibus diſpendiis & perturbationibus ſecuri ſalubribus jugiter incrementis proficiant, viis, modis, & mediis Apoſtolicos jugiter diffundimus cogitatus. Sane pro parte dilectorum filiorum Priorum Artium, & Vexilliferi Juſtitię Populi ac Communis Florentię Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod Monaſterium S. Marci, Ordinis S. Benedicti Silveſtrinorum, de Monteſano nuncupatorum, quod locorum & ſpatii amplitudine abundat, ac in ſolemni Civitatis Florentin. loco conſiſtit, multoſque notabiles utriuſque ſexus Parochianos habet, & ad quod ſingularis devotionis cauſa dictorum Chriſti fidelium in copioſo numero confluere conſuevit multitudo, tam in vita, quam etiam morte, Monachorum & Fratrum ibidem degentium in numero ſatis parco, in temporalibus reformatione, necnon in ſtructuris & ędificiis reparatione plurimum noſcitur indigere, quodque illa per modernos Monachos ipſius Monaſterii votive ſuccedere debeant, apparentia non ſubſiſtit. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, plurimi tam in Sancti Georgii Florentin. quam etiam in Sancti Dominici in Monte, Feſulan. Diœceſis, Ordinis Fratrum Prędicatorum domibus invicem unitis, & per unicum Priorem regi, & ordinari ſolitis, Chriſti fidelibus dictę Civitatis propter eorum vitam piam, & devotionem, necnon commendabilia virtutum merita, multum grati & accepti ejuſdem Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſores, etiam in tanto numero quod in domibus ipſis commode permanere non poſſunt, reſideant profeſſores, qui pro eo quod in locis ſatis ſolitariis, ad quę tantus fidelium non eſt concurſus, degunt, fideles ipſos, prout deſiderio affectant, non ędificant, nec trahunt ad opera virtuoſa, &, ſi Priori & Fratribus dictarum domorum S. Dominici de Monte, & Sancti Georgii pro eorum uſu & habitatione perpetuis, dictum Monaſterium, ſuppreſſis inibi ejus dignitate, & dicto Ordine S. Benedicti, concederetur, & aſſignaretur, necnon ejus Monachi, & perſonę ad pręfatam Domum S. Georgii transferrentur, exinde fidelium ipſorum ad Omnipotentis Dei laudem, & gloriam, necnon Divini cultus incrementum multipliciter augeretur, ac reformatio & reparatio prędictę in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus, piis etiam fidelium ipſorum concurrentibus ſuffragiis, & adminiculis commutarentur, aliaque bona feliciter, dante Domino, provenirent, pro parte Priorum & Vexilliferi prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pro pręmiſſis feliciter procurandis Apoſtolici favoris patrocinium impertiri, & alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque qui Religionem propagari, & cultum, & devotionem hujuſmodi noſtris temporibus augeri ferventius expetimus, de his omnibus plenam notitiam habentes, dictis etiam ſupplicationibus inclinati in Monaſterio S. Marci, quod deinceps domum Sancti Benedicti, ac in Domo Sancti Georgii prędictis quam deinceps appellari volumus (7) Fratrum Prędicatorum, Ordines pręfatos ex certa ſcientia Auctoritate Apoſtolica penitus extinguimus, & ſupprimimus, ac in domo S. Marci Fratrum Prędicatorum, & in Prioratu S. Georgii prędic-

Exordium

Supplex Florentinorum petitio.

Tranſlatio.

prędictis S. Benedicti Silveſtrinorum, de Monteſano nuncupatorum, Ordioes pręfatos ex ſimili ſcientia inſtituimus, plantamus, & erigimus, dictoſque Monachos, & perſonas de pręfata Domo S. Marci ad prędictum Prioratum S. Georgii, ac Fratres hujuſmodi de dicto Prioratu S. Georgii ad ipſam Domum S. Marci transferimus, necnon Domum S. Marci, cum clauſtro, & aliis ędificiis, & officinis, ac horto, & quadam petia terrę ipſi horto contigua, ac quibuſdam domunculis, ſive caſellis prope Eccleſiam, ſeu ex oppoſito horti dictę domus S. Marci ſitis, quas per earum denominationes, confinia, & qualitates, earumque veros valores pręſentibus haberi volumus pro expreſſis, duntaxat Priori, & Fratribus S. Dominici de Monte, & olim S. Georgii domorum hujuſmodi conjunctis, & reliqua prędia, poſſeſſiones, vineas, & immobilia bona ipſius olim Monaſterii S. Marci, ac dictam olim domum, nunc Prioratum S. Georgii cum clauſtro, ędificiis, ac officinis, poſſeſſionibus, vineis, juribus, & pertinentiis ſuis univerſis. Monachis, & perſonis olim dicti Monaſterii S. Marci in perpetuum ex ſimili ſcientia aſſignamus, & appropriamus, & applicamus; quodque Prior, & Fratres dictarum S. Dominici de Monte & olim S. Georgii domorum, ſe ad domum S. Marci hujuſmodi transferre, & illius cum clauſtro, ędificiis, & officinis, horto, & petia terrę, ac domunculis, ſive caſellis prędictis, poſſeſſionem apprehendere, necnon Monachi & perſonę dicti olim Monaſterii S. Marci ad pręfatum Prioratum S. Georgii ſimiliter ſe transferre, & illius cum clauſtro, ędificiis, & officinis ſuis, cum reliquis prędiis, poſſeſſionibus, vineis, & bonis immobilibus, dicti olim Monaſterii Sancti Marci, ac cum univerſis poſſeſſionibus, vineis, juribus, & pertinentiis dicti Prioratus S. Georgii, poſſeſſionem apprehendere, & perpetuo detinere poſſint, debeant, & teneantur, Diœceſani loci, & cujuslibet alterius ſuper hoc licentia minime requiſita. Nos enim dictę domui S. Marci, ac Priori, & Fratribus dictarum domorum S. Dominici de Monte, & S. Marci, quas domos unitas fore, & perſiſtere, ac per unicum Priorem regi, & gubernari volumus, ut omnibus & ſingulis Ordini Fratrum Prędicatorum, & ipſius Fratribus, & domibus, privilegiis, exemptionibus, libertatibus, indulgentiis, immunitatibus, favoribus, gratiis, & indultis per Sedem Apoſtolicam vel alias quomodolibet in genere, vel in ſpecie, conceſſis, uti, & gaudere valeant, concedimus, & indulgemus per pręſentes. Quocirca, ut pręmiſſa celerem & expeditam executionem habeant, fraternitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum hujuſmodi extinctionem, ſuppreſſionem, inſtitutionem, erectionem, tranſlationem, aſſignationem, appropriationem, & reliqua ſupradicta debite, plenarie, ac celere executioni demandetis, dictoſque Priorem, & Fratres S. Dominici de Monte, & olim S. Georgii domorum hujuſmodi in pręfatę Domus, olim Monaſterii S. Marci, cum clauſtro, ędificiis, officinis, horto, petia terrę, & domunculis, ſive caſellis hujuſmodi, amotis abinde Monachis, & perſonis ipſius olim Monaſterii S. Marci prędictis, necnon Monachos, & perſonas hujuſmodi in poſſeſſionem pręfati Prioratus, amotis exinde pręfatis Fratribus, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, & reliquarum poſſeſſionum prędictarum, & vinearum, ac bonorum immobilium dicti olim Monaſterii S. Marci poſſeſſione, omni appellatione, & contradictione ſemotis, ac illis & quibuſcunque commiſſionibus cauſarum etiam auctoritate noſtra pro parte dictorum Monachorum, aut aliorum quorumcunque contra pręfatos Priorem, & Fratres, & domos, aut quoſvis alios ſuper pręmiſſis, aut aliquibus ex eis, vel illorum occaſione, cuicunque commiſſario, Judici, aut Auditori factis, vel faciendis, ac citationibus & inhibitionibus propterea emanatis, vel emanandis, quas, & ſtatum cauſarum hujuſmodi habendo ſufficienter pro expreſſis, pręſentium ſerie extinguimus, & aliis quibuſcunque, etiamſi ſpecialem & expreſſam, ac individualem derogationem, vel mentionem requirerent, non obſtantibus, inducatis, & inductos per cenſuras eccleſiaſticas, & alia juris remedia manuteneatis, & conſervetis; invocato etiam ad pręmiſſa, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi, Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua Civitate, Villa, Caſtro, vel alio quovis loco ad inhabitandum quęcunque domos, vel loca de novo recipere, vel hactenus recepta mutare pręſumant, abſque Sedis prę-

Clauſula derogans.

dictę licentia ſpeciali, faciente plenam & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & quibuſlibet aliis ejuſdem Monaſterii, vel aliorum Ordinum, ac Eccleſiarum quomodocunque propinquorum, privilegiatorum, privilegiis, exemptionibus, ac indultis ſpecialibus, vel generalibus quorumcunque tenorum exiſtant, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum mentio foret habenda, necnon Monaſterii, domorum, & Ordinum quorumcunque prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcunque. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto (8), Duodecimo Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Jo. de Steccatis.

1. *S. Georgii.*) Conſulenda *Conſtitutio LV data XIX Iunii MCCCCXXXV.*
2. *Florentin.*) In *Hetruria*.
3. *Archivo*,) In quo Exemplar ex Autographo *Florentiæ* in Cœnobio *S. Marci* aſſervato.
4. *Tarentaſien.*) Aliis *Tarantaſien*, in *Alpibus Graiis*.
5. *Terviſin.*) *Tarviſin.* in ejuſdem nominis Marchia.
6. *Parentin.*) Vulgo *Parenzo*, in *Iſtria*.
7. *Quod deinceps Domum S. Benedicti, ac in Domo S. Georgii prædictis, quam deinceps appellari volumus.*) Turbatus videtur locus, & ex *Conſtitutione data II Iunii MCCCCXXXVI* (Aſſervatur in Archivo Ordinis) ſic legerem: *Quod deinceps Domum, S. Benedicti, ac in Domo S. Georgii prædictis, quam deinceps Prioratum appellari volumus.*
8. *Triceſimo Quinto.*) Stylo Bullarum, Æræ communis *MCCCCXXXVI.*

De

Digitized by Google

De quibuſdam poſſeſſionibus Monaſterii Brixienſis (1) cum aliis commutandis.

Anno 1436
Die 3 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CIV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto Filio Abbati Monaſterii Sanctorum Fauſtini, & Jovitę Brixien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AD ea ex Apoſtolicę Servitutis officio libenter intendimus, per quę Monaſteriorum & in illis, prę ſertim ſeminei ſexus, ſub regulari habitu Altiſſimo famulantium perſonarum, commodo, & utilitati valeat ſalubriter provideri. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę & Conventus Monaſterii Beatę Catharinę Brixien. per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, petitio continebat, dictum Monaſterium in ſuis ſtructuris, & ędificiis adeo parvum & ſtrictum ſit, quod Sorores ejuſdem Monaſterii, quę ultra quadraginta numero inibi ſub regulari obſervantia Altiſſimo famulantur, cauſantibus ęgritudinibus, quibus plerumque aliquę ex eis gravantur, & aliis ſiniſtris eventibus in eodem Monaſterio habitare non poſſint, ſintque nonnulla poſſeſſio, terra, domus, & bona, ac jura in villa de Flerio, Brixien. Dięceſis, conſiſtentia, & ad olim Prępoſituram domus, ſeu Prioratus Sancti Lucę Burgi Sancti Alexandri etiam Brixien. pręfato Monaſterio canonice unitam, legitime pertinentia, ex quibus omnibus licet magni valoris ob loci amęnitatem, ac civium inibi vacantium delectationem, exiſtant, tamen propter devaſtationem terrarum, & domorum, quę ex hoſtium incurſibus, guerrarum temporibus, evenerant, & veriſimiliter evenire poterunt in futurum, Prioriſſa, & Conventus prędictę ultra centum & quadraginta libras uſualis monetę, in partibus illis currentis, annuatim percipere non conſueverunt, prout nec percipiunt de pręſenti, &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi Prioriſſa & Conventus prędictę poſſeſſionem, terras, domos, bona, ac jura hujuſmodi vendere, & pretium ex dicta venditione proveniens in emptionem aliorum poſſeſſionum, terrarum, & bonorum in territorio, ac diſtrictu Brixien. conſiſtentium, quę illis magis accommoda forent, convertere, ſeu ipſa primo dicta poſſeſſionem, terras, & bona in excambium, ſeu permutationem pro aliis terris, & poſſeſſionibus, ac bonis dare, & aſſignare poſſent, tot poſſeſſiones, terras, & bona acquirerent, ex quibus centum & ſexaginta libras monetę prędictę ad minus perciperent annuatim, ac tanta & ex prędicta venditione ſumma pecuniarum, ut veriſimiliter creditur, ſupereſſet, quod ex illa dictę Prioriſſa, & Conventus circa Monaſterii pręfati ampliationem, & aliarum domorum Monaſterio contiguarum ac vicinarum acquiſitionem impendere poſſent, in evidentem pręfati Monaſterii utilitatem; pro parte earundem Prioriſſę, & Conventus, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de pręmiſſis certam notitiam non habemus, primo dicta poſſeſſionem, terras, domos, bona, & jura prędicta per eorum qualitates, confinia, & veros valores pręſentibus pro expreſſis habere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus per te ipſum ſuper pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe, ac venditionem, ſeu permutationem hujuſmodi, ſi fiat, in evidentem ipſius Monaſterii utilitatem cedere, inveneris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, eiſdem Prioriſſę, & Conventui primo dicta poſſeſſionem, terras, domos, bona, ac jura pręfata quibuſvis perſonis vendendi, aut illa permutandi, cum omnibus, & ſingulis ſolemnitatibus & cautelis obſervari ſolitis, licentiam eadem auctoritate largiaris. Volumus autem, quod, ſi venditionem hujuſmodi per te vigore pręſentium fieri contigerit, pretium ex ipſa venditione proveniens in emptionem, & ampliationem antedictas, & non alias, penitus & omnino convertatur, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Sexto, Tertio Nonas Junii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Supplex petitio.

Facultas.

1. *Brixien.*) *Breſcia*, in *Longobardia* ditionis *Veneta*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXCVIII fol.* 259.

Ut F. Didacus de Quero (1) Eremiticam vitam agere poſſit.

Anno 1436
Die 10 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Monaſterii Sancti Sepulcri de Tauro (3), Zamoren. Dięceſis, per Priorem ſoliti gubernari, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AD ea, per quę ſingulorum fidelium, & pręſertim Religioſarum perſonarum, ſtatui, & quieti conſulitur, libenter intendimus, necnon his, quę propterea hujuſmodi perſonis provide indulta comperiuntur, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolici muniminis adjici volumus firmitatem. Sane pro parte dilecti filii Fratris Didaci de Quero, Ordinis Fratrum Prędicatorum. Toletan. Dięceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim dilectus filius Lupus de Galdo Prior Provincialis Provincię Hiſpanię juxta morem dicti Ordinis, pro ipſius Didaci conſolatione ſpirituali, ut divinę contemplationi liberius, & quietius ad proprię ac proximorum ſuorum animarum ſalutem

Diplomatis cauſa.

ſalutem procurandam, inſiſtere valeret, operam adhibere deſiderans efficacem, inter alia eidem Didaco in aliquo Eremitorio ſibi placito, in quo vitam ſuam ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei ducere valeret, ſtandi, inibique cum ſocio ſuo, quem reciperet, ejuſdem Ordinis Fratre, ſub regulari obſervantia Altiſſimo virtutum Domino perpetuo famulandi, pręfatum Didacum a quocunque ipſi Priori inferiore dicti Ordinis Pręlato eximendo, licentiam conceſſit pariter, & facultatem, pręmiſſorum ac aliorum privilegiorum, gratiarum, exemptionum, libertatum, per quoſcunque Pręſidentes ejuſdem Ordinis ſub quacunque verborum forma pręfato Didaco conceſſorum ratificatione, confirmatione, & approbatione, ac illorum de novo conceſſione per dilectum filium Fratrem Bartholomęum Texeri (4) ipſius Ordinis Magiſtrum generaliter ſubſecutis, prout in diverſis literis, ipſorum Prioris, & Magiſtri ſigillis munitis, plenius continetur. Quare pro parte dicti Didaci Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut licentię, & facultati, ac ratificationi, confirmationi, & approbationi, aliiſque in dictis literis contentis hujuſmodi pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adjicere de benignitate
Facultas. Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui quietem ſingulorum, & pręſertim ſingularum Religioſarum perſonarum pro ipſarum animarum ſalute libenter procuramus, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi quoque ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi pręmiſſa pro Didaci & proximorum animarum ſalute, ac contemplatione hujuſmodi expedire repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, licentiam, & facultatem, necnon ratificationes, confirmationes, & approbationes, aliaque in ipſis literis contenta hujuſmodi auctoritate noſtra ratifices, approbes, & confirmes, omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan in pręmiſſis intervenerint, eadem auctoritate ſupplendo, non obſtantibus ſtatutis, & conſuetudinibus Ordinis pręditi juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Sexto, Sexto Idus Iulii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Didacus de Quero.*) *De Davalos*, vel potius *de Avalos* nuncupatur in Diplomate dato *IV* Octobris *MCCCCXLI.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXVII fol.*113.
3. *Tauro.*) Vulgo *Toro*, in Hiſpania *Tarraconenſi*, ubi *Zamorenſis* Diœceſis.
4. *Bartholomaus Texeri.*) Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXXVI pag.*776.

Anno 1436 Die 27 Julii.

Cœnobii Bononienſis Sacellum in quo quieſcit Corpus (1) S. P. Dominici, viſitantes Indulgentiis donat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CVI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Ante thronum divinę clementię fideles Chriſti Sanctorum piis adjuti ſuffragiis, ad eorum colenda feſtiva ſolemnia, eo debent ferventius excitari, quo talium patronorum fulfulti pręſidiis potiora glorię, & retributionis pręmia promerentur, & propterea Nos boni paſtoris more vigiles, oves gregis Dominici curę noſtrę commiſſas, quas cupimus in loco paſcuę collocari, ad eorundem Sanctorum trahimus libenter obſequia, ut illos in conſpectu Domini debita veneratione collaudent. Cum itaque, ſicut acce-
S. P. Dominici corpus Bononiæ ſervatur. pimus, ad Eccleſiam domus Sancti Dominici Bononien. Ordinis Fratrum Pręedicatorum, in qua ejuſdem Sancti, pręditi Ordinis Fundatoris, in quadam Capella in arca marmorea Corpus venerabiliter requieſcit, ob crebra, quę inibi Altiſſimus meritis dicti Sancti, ut pie creditur, operari dignatur, miracula, in feſtivitate ipſius Sancti ſingularis devotionis cauſa hactenus annis ſingulis ingens Chriſti fidelium multitudo confluere conſueverit. Nos cupientes, ut Eccleſia, & Capella hujuſmodi congruis honoribus frequententur, necnon fideles ipſi, eo libentius ad illas cauſa devotionis hujuſmodi confluant, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentia Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & Confeſſis, qui in feſtivitate
Indulgentia. pręfata, a primis veſperis uſque ad ſecundas veſperas ejuſdem feſtivitatis Eccleſiam, & Capellam pręedictas devote viſitaverint annuatim, Decem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus Eccleſiam, vel Capellam hujuſmodi, ſeu alias aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, hujuſmodi pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Sexto, Sexto Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Corpus.*) Vide *Notam III ad Conſtitutionem LXII Clementis IV Tomo I pag.* 483.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXXII fol.*313. Legitur etiam in *Bullario Bononien. pag.*31. ex Authographo *Bononiæ* aſſervato.

Do-

Digitized by Google

Domum, & Sacellum a Sororibus noſtris relicta aſſignat Argentinenſi (1) Cœnobio.

Anno 1436 Die 11 Octobris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CVII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Officiali Argentinen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

EA, quę pro Monaſteriorum, & Religioſorum locorum, necnon in eis ſub ſacro Religionis jugo famulantium perſonarum, omnium commodo, & utilitate provide proceſſiſſe comperimus, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolico mandamus munimine roborari. Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Conventus Domus Argentinen. Ordinis Fratrum Prędicatorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim venerabilis Frater noſter Wilhelmus Epiſcopus Argentinen., provide tunc conſiderans, quod Monaſterium Monialium Beatę Marię prope oppidum Ebenheym Superioris, Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum olim degentium, Monialibus penitus deſtitutum, ac totali deſolationi, ac ruinę, quadam Capella, cum certa illi conjuncta Domo, Incluſorium in Brus nuncupata, duntaxat inibi remanente, deditum erat, ne illud ad profanos uſus deduceretur, ſed interdum Miſſę, & alia divina celebrarentur officia, ac ex certis aliis tunc expreſſis rationabilibus cauſis Monaſterium cum Capella, & Domo hujuſmodi Priori, & Conventui prędictis auctoritate Ordinaria deputavit, & aſſignavit, prout in dicti Epiſcopi, ejus ſigillo munitis literis, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio continebat, ipſi exponentes vigore deputationis, & aſſignationis prędictarum dictum Monaſterium aſſecuti, illud ex tunc cum Capella, & Domo prędictis tenuerint, & poſſederint, prout tenent, & poſſident, & aliás interdum de Domo, ac Capella hujuſmodi non modicam recreationem ſuſcipiant, & ſuſcipere ſperent veriſimiliter in futurum, pro parte dictorum Prioris, & Conventus, etiam aſſerentium, quod Monaſterii & Capellę hujuſmodi fructus, redditus, & proventus trium Marcarum argenti, ſecundum communem extimationem, valorem annuum non excedunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut deputationi, & aſſignationi prędictis pro earum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adjicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, & eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi, ea fore vera, repereris, ſuper quò tuam conſcientiam oneramus, deputationem & aſſignationem prędictas, dummodo tempore datę prękentium de Abbatiſſa, ſeu Priorissa proviſum ipſi Monaſterio Canonice non exiſtat, eadem auctoritate noſtra approbes, & confirmes. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii, & Ordinum prędictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Sexto, Quinto Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Supplex petitio.

Conceſſio.

1. *Argentinenſi.*) Vulgo *Strasbourg*, in *Alſatia*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXXIV fol.* 4.

Controverſiam Fratres Prædicatores Patavinos (1) inter & quoſdam Clericos, ac Laicos, dirimendam decernit.

Anno 1436 Die 21 Octobris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CVIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Monaſterii Sanctę Marię Pragen., Paduan. Dięceſis, & Franciſco de Alvarotis Canonico Paduan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus Sancti Auguſtini, Paduan., Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, quod olim dilecti filii Prior & Fratres domus Sanctę Coronę (3) Vicentin. ejuſdem Ordinis, omne jus eis in quibuſdam poſſeſſionibus & bonis in Dięceſi Vicentin. conſiſtentibus tunc expreſſis quomodolibet competens in eoſdem Priorem, & Fratres domus Sancti Auguſtini transtulerunt, & auctoritate quarundam literarum noſtrarum eis per Nos ſub certa modo, & forma conceſſarum, dilectos filios Antonium de Placentia, & Nicolaum de Vicentia de Cavazolis Presbyteros, ac Petrum dictum Prioratum (4) Laicos, Presbyteros Placentin., ac Vicentin, ac nonnullos alios Clericos, & laicos dictę Vicentin. Dięceſis, ſuper eiſdem bonis, ſuper hoc petendo illa, eis ad judicium, & ſuper ipſis Clericis, & laicis prędictis perpetuum ſilentium imponi, necnon eoſdem Clericos, & laicos ab occupatione, & detentione dictorum bonorum amoveri, ſeque in illorum poſſeſſionem induci, coram te, fili Canonice, ipſarum vigore literarum fecerunt ad judicium evocari. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, prędicti Clerici, & laici nonnullas exceptiones, contra Priorem, & Fratres domus Sanctę Coronę hujuſmodi ad effectum eos ab auctoritate repellendi coram te, fili Canonice, propoſuerint, ipſique Prior, & Fratres domus Sancti Auguſtini, in quos translatio hujuſmodi, ut pręmittitur, facta eſt, cauſam hujuſmodi, in qua etiam ad diverſos actus, ac nonnullorum teſtium productionem, & receptionem proceſſum eſt, & contra quos exceptiones hujuſmodi vendicare nondum potuerunt, ulterius pro-

Diplomatis cauſa.

Digitized by Google

proſequi deſiderant, & proponunt, pro parte ipſorum Prioris, & Fratrum domus Sancti Auguſtini hujuſmodi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis ſuper his providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, ſi, & poſtquam vobis, de translatione hujuſmodi conſtiterit, Priorem, & Fratres Domus Sancti Auguſtini prędictos, ac cauſam hujuſmodi, cujus etiam ſtatum

Mandatum. pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, ac illius proſecutionem, & defenſionem, in eo ſtatu, in quo coram te, fili Canonice, indeciſa pendet, auctoritate noſtra admittatis, & admitti faciatis, ipſamque cauſam ulterius audiatis, & appellatione remota, debito fine decidatis, facientes quod decreveritis per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellatis veritati teſtimonium perhibere. Non obſ-

Clauſula derogans. tante ſi Clericis, & laicis prędictis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim, a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Sexto, Duodecimo Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Patavinos.*) Vulgo *Padova*, in ditione *Venetorum*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXVIII fol.*107.
3. *S. Corona*) Sic etiam nunc Cœnobium *Vicentinum* vocatur ob inſignem Spinæ Coronæ D.N. Jeſu Chriſti Reliquiam, quam *S. Ludovicus* Gallorum Rex, hujus nominis *IX*, B. *Bartholomæo de Bragantiis* dono dedit.
4. *Dictum Prioratum.*) Turbatus videtur locus.

Anno 1436 Die 22 Novembris.

Firmat translationem (1) Conventus S. Archangeli Fanen. ad Monaſterium S. Catharinæ Ariminen., & quaſdam poſſeſſiones Monaſterii S. Archangeli aſſignat Cœnobio S. Dominici Fanen.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CIX.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium. HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Dudum ſiquidem, cum ſupplicationes dilecti filii Jacobi de Regno, Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac ſacrę Theologię profeſſoris, necnon Procuratoris Generalis dicti Ordinis in Romana Curia ex certis rationabilibus cauſis, ac certis modis, & formis tunc expreſſis dilecto filio Priori Provinciali Provincię Sancti Dominici prędicti Ordinis, per alias noſtras literas dedimus in mandatis, ut Moniales Monaſterii Sancti Archangeli Fanen., Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentes, ac inibi exiſtentes, cum omnibus, & ſingulis earum, ac dicti Monaſterii, bonis mobilibus, & immobilibus, ac juribus & pertinentiis, ad Monaſterium Monialium Sanctę Catharinę Ariminen., ſub eadem cura degentium,

Alias ſancita refert. prędicti Ordinis Sancti Auguſtini, auctoritate noſtra transferret, & commutaret, ipſaque bona, jura, & pertinentia ipſi Monaſterio Sanctę Catharinę perpetuo concederet, & aſſignaret, prout in dictis literis plenius continetur: Poſtmodum vero, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dicti Procuratoris, petitio continebat, dilectus filius Nicolaus Auguſti prędictę Provincię tunc Provincialis, ad literarum earundem executionem procedens, duas Moniales, & unam Converſam in prędicto Monaſterio Sancti Archangeli tunc exiſtentes, cum omnibus earum, ac illius, exceptis infraſcriptis, bonis, juribus, ac pertinentiis, ad Monaſterium Sanctę Catharinę hujuſmodi tranſtulit, ac ulterius, ne propter translationem ipſam dictum Monaſterium Sancti Archangeli ad profanos uſus deduceretur, ac ex aliis, tunc expreſſis, rationabilibus cauſis, matura etiam ſuper eo cum pluribus Civitatis noſtrę Fanen., Civibus deliberatione pręhabita, prędictum Monaſterium Sancti Archangeli, ac duas terrarum laborativarum, & totidem vinearum petias, ad illud pertinentes, quarum omnium fructus, redditus, & proventus duodecim Florenorum auri ſecundum communem extimationem valorem annuum, ut ipſe Prior aſſerit, non excedunt, domui Sancti Dominici Fanen. prędicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac dilectis filiis illius Conventui, ita, quod ipſi interdum in Eccleſia prędicti Monaſterii Sancti Archangeli Miſſas, & alia divina officia celebrare, aliaque illius onera ſupportare, teneantur, perpetuo deputavit, & aſſignavit, prout in quodam publico Inſtrumento deſuper confecto, de quo Nobis plena fides facta extitit, plenius continetur. Quare pro parte dicti Procuratoris Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut translationi, &

Confirmatio. deputationi, ac aſſignationi, & aliis, in Inſtrumento contentis, hujuſmodi pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, deputationem, aſſignationem Monaſterii Sancti Archangeli, necnon petiarum terrarum, & vinearum, domui & Conventui factas, quas perinde ac ſi idem Provincialis, ad id ſpecialem per eaſdem literas habuiſſet poteſtatem, valere decernimus, necnon translationem hujuſmodi, ac alia omnia & ſingula in dicto Inſtrumento contenta, & inde ſecuta, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, non obſtantibus omnibus illis, quę in dictis literis voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Noſtrę conſtitutionis, confirmationis, communitionis, & ſuppletionis infringere &c. Si quis &c. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Sexto, Decimo Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Translationem.*) Conſulenda *Conſtitutio XLVII data XII Martii MCCCCXXXV*, legitur *pag.*33.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXVIII fol.*21.

Ædes

Ædes Sacras Argentinenſis (1) Cœnobii, in quo nonnullæ Reliquiæ SS. Innocentium ſervantur, viſitantibus Indulgentias elargitur.

Anno 1436 Die 28 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CX.

Exordium.

LOca Sanctorum omnium pia ſunt devotione fidelium veneranda, ut Dei honorantes Amicos, ipſi nos devotos, & amabiles Deo reddant, & illorum Nobis quodammodo patrocinium vendicantes apud ipſum quod merita noſtra non obtinent, eorum piis interceſſionibus conſequi mereamur. Cupientes itaque, ut Eccleſia domus Sancti Bartholomęi Argentinen. Ordinis Fratrum Pędicatorum, in qua, ſicut accepimus, nonnullę Reliquię Sanctorum Innocentium Martyrum, quorum infantia, quę per ętatem loqui non poterat, gloriam Dei cum triumpho Martyrii reſonabat, quas dilecti filii Nobiles viri Franciſcus Foſcari Dux, & Comitatus Venetiarum dilectis filiis Magiſtro, Conſulibus, & Proconſulibus Communitatis Civitatis Argentinen. liberaliter donarunt, in loco dictę Eccleſię ad hoc congruo, & honeſto, cum debita reverentia, & honore reponendę ſunt, & conſervandę, ac, ut Chriſti fidelium multitudo ad venerationem dictarum Reliquiarum ardentiori devotione inflammentur, & Eccleſia ipſa congruis honoribus frequentetur, ac in ſuis ſtructuris, & ędificiis decenter conſervetur, ipſique fideles eo libentius ad illam cauſa devotionis hujuſmodi Eccleſię manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui in feſtivitate Beatorum Martyrum pędictorum Eccleſiam hujuſmodi, & pręſertim locum dictę Eccleſię in quo hujuſmodi Reliquię reponentur, devote viſitaverint annuatim, & ad conſervationem, atque fabricam pędictas manus adjutrices porrexerint, ſeptem Annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus Eccleſiam, vel ad conſervationem, ſeu fabricam hujuſmodi manus adjutrices porrigentibus, aut alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, ſeu alias aliqua alia Indulgentia, in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum, duratura per nos conceſſa fuerit, hujuſmodi pręſentes literę nullius exiſtant roboris vel momenti. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Sexto, Quarto Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Indulgentia.

1. *Argentinen.*) In *Alſatia*. Hujus Cœnobii meminit *Echard* in *Notitia Ordinis Prædicatorum Tomo I Scriptorum pag 9.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXXIV fol.* 34.

Ceterum in Archivo Ordinis aſſervantur alia Indulgentiarum Diplomata, quæ dedit idem Pontifex. Quia vero longum eſſet omnia referre, paucis notabo ſcitu digniora. Indulgentias ergo conceſſit *Eugenius IV*

PRo Cœnobio S. Nicolai Caſſen. Conſtitutio ſic incipit. *Rationi congruit &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo* (ſtylo Bullarum, æræ communis MCCCCXXXI) *Quinto idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo*. Ex Archivo Apoſtolico.

Anno 1431 Die 11 Martii.

CXI.

PRo Cœnobio S. Luciæ de Fabriano, Camerinen. Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit. *Licet is &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Primo, Kalendis Octobris, Pontificatus noſtri Anno* Primo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XI fol.* 20.

Anno 1431 Die 1 Octobris.

CXII.

PRo Cœnobio S. Spiritus in Novapilzena, Pragen Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit. *Licet is &c. Cum itaque, ſicut accepimus, Domus Sancti Spiritus in Novapilzena, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Pragen. Diœceſis, cum Eccleſia, & pertinentiis ſuis propter guerrarum turbines, & alias calamitates, quæ partes illas diutius concuſſerunt, per perfidos Huſſitas Hæreticos, catholicæ fidei inimicos, in ſuis ædificiis ac ſtructuris adeo deſolatæ & deſtructæ exiſtant, quod niſi de opportunæ reparationis ſubſidio eiſdem ſubveniatur, penitus corruent, illaſque Fratres inibi degentes deſerere, & divinum cultum hactenus laudabiliter impenſum negligere cogantur: Nos cupientes, ut &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Primo* (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCXXXII) *Quinto Decimo Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Secundo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXV fol.* 277.

Anno 1432 Die 18 Martii.

CXIII.

PRo Cœnobio S. Mariæ ſupra Minervam de Urbe. Conſtitutio ſic incipit. *Licet is &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Primo* (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCXXXII) *Quinto Decimo Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Secundo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXV fol.* 93.

Anno 1432 Die 18 Martii.

CXIV.

Anno 1432 Die 1 Aprilis.

PRo Cœnobio S. Dominici Urbevetan. Conſtitutio ſic incipit. *Licet is &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Secundo, Kalendis Aprilis,*

CXV.

Pon-

Pontificatus noſtri Anno Secundo. Ex Archivo Ordinis, in quo Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur.

Anno 1432 Die 12 Julii. CXVI.

PRo Cœnobio S. Dominici Oſnaburgen. Conſtitutio ſic incipit. *Licet is &c. Cum itaque, ſicut accepimus, Domus S. Dominici Oſnaburgen. Ordinis Fratrum Prædicatorum, cum ejus Eccleſia in ſuis ædificiis & ſtructuris, quæ ignis incendio iteratis vicibus conſumpta & deformatæ fuerunt, gravibus ruinæ ſubjaceat incommodis, ad quorum reparationem &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Secundo, Quarto Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro XXV fol.* 190.

Anno 1432 Die 25 Auguſti. CXVII.

PRo Cœnobio S. Trinitatis de Molynbreau, Mindenſis Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit. *Licet is &c. Cum itaque, ſicut accepimus, Eccleſia S. Trinitatis Domus Ordinis Fratrum Prædicatorum de Molynbreau, Minden. Diœceſis, in qua quadraginta dicti Ordinis Profeſſores inibi laudabiliter Altiſſimo in Divinis continuo ſervientes, qui de piis Chriſti fidelium eleemoſynis congrue ſuſtentabantur, reſidere ſolebant, ad tantam propter guerras, & alias calamitates, quæ partes illas diutius afflixerunt, calamitatem devenerit, quod vix octo in Sacerdotio conſtituti reſident in eadem, ipſaque Eccleſia, & Domus ruinam in ſuis ædificiis minari noſcuntur. Nos cupientes &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſima Quadringenteſimo, Triceſimo Secundo, Octavo Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Secundo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXV fol.* 221.

Anno 1433 Die 11 Martii. CXVIII.

PRo Cœnobio S. Brigidæ, Ardakaden. Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit. *Licet is &c. Cum itaque, ſicut accepimus, Domus S. Brigidæ Fratrum Prædicatorum, Ardakaden. Diœceſis, cauſantibus guerris, in illis partibus, maxime a ſex annis citra vigentibus, tam in ejus Eccleſia, ac aliis ſuis ſtructuris, & ædificiis, ignis voragine conſumpta, & ruinæ dedita, quam omnibus in ea ad divini cultus decorem neceſſariis ornamentis deſtituta exiſtat, adeo quod Religioſi inibi continuo Divinis officiis inſiſtentes ad aliena tranſire loca neceſſaria ſunt coacti &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Secundo,* (Stylo Bullarum æræ communis MCCCCXXXIII) *Quinto Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXXV fol.* 121.

Anno 1434 Die 18 Martii. CXIX.

PRo Cœnobio de Achieayn, Akaden. Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit. *Licet is &c. Datum Romæ apud S. Griſogonum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſima Quadringenteſimo Triceſimo Tertio*, (ſtylo Bullarum, æræ communis MCCCCXXXIV) *Quinto Decimo Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quarto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XLVII fol.* 77.

Anno 1434 Die 7 Julii. CXX.

PRo Cœnobio S. Dominici Villæ de Pontenedra, Compoſtellan. Diœceſis Conſtitutio ſic incipit. *Licet is &c Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quarto, Nonis Julii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro XLVI fol.* 226.

Anno 1434 Die 9 Septembris. CXXI.

PRo Monaſterio Beatæ Mariæ de Miſericordia Oppidi de Aveyro, Colimbrien. Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit. *Splendor paternæ &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quarto, Quinto Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XLIII fol.* 192.

Anno 1435 Die 21 Januarii. CXXII.

PRo Monaſterio S. Annæ de Nuceria Chriſtianorum. Conſtitutio ſic incipit. *Licet is &c. Cum itaque, ſicut accepimus, Monaſterium Monialium S. Annæ de Nuceria Chriſtianorum, Ordinis S. Auguſtini, in quo Prioriſſa cum pluribus Monialibus, ſub cura & habitu Fratrum Ordinis Prædicatorum, ac perpetua clauſura, laudabiliter & honeſte degunt, & continuo divina celebrantur officia, ob ſincerum Religionis cultum in partibus illis in magna veneratione habeatur, & cauſantibus guerris, & aliis diverſis calamitatibus, quæ partes illas hactenus afflixerunt, in fructibus, redditibus, & proventibus diminutum exiſtat, ac in ſtructuris, & ædificiis ſuis reparatione non modicum ſumptuoſa indigere noſcatur, & alias ad illius Eccleſiam, præſertim in Feſto S. Annæ, devotionis cauſa, magna diverſarum partium convicinarum Populi multitudo confluit, Nos cupientes &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quarto*(Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCXXXV) *Duodecimo Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XVII fol.* 48. In Archivo Ordinis aliud aſſervatur Exemplar authenticum ex Autographo quod eſt in Monaſterio *Nucerino*.

Anno 1435 Die 18 Januarii. CXXIII.

PRo Cœnobio SS. Johannis Evangeliſtæ & Petri Martyris, in Muriano prope Venetias, Torcellan. Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit. *Splendor paternæ &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quarto* (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCXXXV) *Quinto Decimo Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XLVI fol.* 51.

Pro

PRo Monaſterio Corporis Chriſti de Venetiis. Conſtitutio ſic incipit. *Splendor paternæ &c. Cupientes igitur, ut Eccleſia Monaſterii Sororum Corporis Chriſti de Venetiis, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura & habitu Fratrum Prædicatorum degentium, Caſtellan. Diœceſis, ad quam illarum partium fidelium, devotionis cauſa, confluit multitudo &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quarto* (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCXXXV) *Quinto Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XLVI fol. 97.*

Anno 1435 Die 28 Januarii. CXXIV.

PRo Cœnobio Pergamen. (ſeu *Bergomenſi* in ditione *Veneta*). Conſtitutio ſic incipit. *Licet is &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quarto* (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCXXXV) *Tertio Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Quinto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. V fol. 171.*

Anno 1435 Die 13 Martii. CXXV.

PRo Cœnobio Monteſilicis, Paduan. Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit. *Eccleſiarum fabricis &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto, Pridie Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quinto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LIII fol. 119.*

Anno 1435 Die 14 Octobris. CXXVI.

PRo Cœnobio S. Apollinaris extra muros Papien. Conſtitutio ſic incipit. *Splendor paternæ &c. Cum itaque Nos nuper Domum S. Apollinaris extra muros Papien. Ordinis Fratrum Prædicatorum, quæ ab olim Monaſterium S. Benedicti, & in quo Ordo ipſius Sancti, ac Abbatialis Dignitas ex certis cauſis auctoritate Apoſtolica ſuppreſſi extiterunt, ad humilem ſupplicationis inſtantiam venerabilis Fratris noſtri Brandi Epiſcopi Portuen. dilectis filiis Generali & Fratribus ejuſdem Ordinis Prædicatorum pro uno Priore, & nonnullis hujuſmodi Fratribus ſub regulari ipſius Ordinis Prædicatorum obſervantia inibi Domino perpetua ſervituris, cum Eccleſia, Domibus, hortis, hortaliciis, illi adjacentibus per alias noſtras literas duximus concedendas &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto* (ſtylo Bullarum, æræ communis MCCCCXXXVI) *Quinto Decimo Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.* Ex Archivo Apoſtolico. *Lib. LXV fol. 148.*

Anno 1436 Die 18 Januarii. CXXVII.

PRo Cœnobio in Phortheim, Spirenſis Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit. *Licet is &c. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Sexto, Pridie Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXXV fol. 158.*

Anno 1436 Die 31 Octobris. CXXVIII.

PRo Cœnobio Raguſino. Conſtitutio ſic incipit. *Licet is &c. Cum itaque, ſicut accepimus, dilecti filii Prior & Fratres Domus Raguſin., Ordinis Fratrum Prædicatorum pro Religionis propagatione & divini cultus augmento unam in Civitate Raguſin., vel extra eam dicti Ordinis aliam Domum cum Eccleſia, Campanili, & aliis neceſſariis officinis fundare, & conſtruere, ſive fundari, & conſtrui facere deſiderent &c. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Sexto* (ſtylo Bullarum, æræ communis MCCCCXXXVII) *Pridie Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Septimo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXXXVI fol. 152.*

Anno 1437 Die 14 Martii. CXXIX.

PRo Cœnobio S. Crucis extra muros Tragurien. Conſtitutio ſic incipit. *Licet is &c. Cum itaque, ſicut accepimus, Domus & Eccleſia S. Crucis Ordinis Fratrum Prædicatorum extra muros Traguerien., ubi Fratres dictæ domus ſub firma ipſius Ordinis obſervantia devotum Altiſſimo exhibent famulatum, pro earum decenti ac debita in ædificiis & structuris manutentione, & conſervatione, piis Chriſti fidelium ſuffragiis plurimum indigeat, quæ quidem ſuffragia myſtici diſpenſatione theſauri expedit præſtolari &c. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo, Sexto Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XCIV fol. 255.*

Anno 1437 Die 26 Junii. CXXX.

PRo Cœnobio Beatæ Mariæ Chien. Conſtitutio ſic incipit. *Dum præcelſa meritorum inſignia &c. cum itaque, ſicut accepimus, Eccleſia Domus B. Mariæ Chien. Ordinis Fratrum Prædicatorum, quæ Græcorum more olim conſtructa fuit, adeo in ſuis ſtructuris, & ædificiis ruinæ ſubjaceret incommodis, quod dilecti filii Conventus dictæ Domus non ſolum illam ad laudem & honorem Dei, ac pro divini cultus augmento, necnon ut Chriſti fideles inibi pro prædicationibus, aliiſque officiis divinis audiendis commode convenire, & collocari valerent, reparare, ſed quaſi de novo fundare & conſtruere compulſi ſint, ad cujus operis perfectionem &c. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo, Quarto Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Septimo*. Ex Archivo Apoſtolico *Libro LXXXVII fol. 9.*

Anno 1437 Die 4 Julii. CXXXI.

PRo Cœnobio S. Dominici Peruſin. Conſtitutio ſic incipit. *Eccleſiarum fabricis &c. Cum itaque, ſicut accepimus, fabrica Eccleſiæ S. Dominici Peruſin. Ordinis Fratrum Prædicatorum ſumptuoſa ſit, & ingens ædificium, quod in honorem dicti, & reverentiam præfati Sancti fabricatur, & conſtruitur, & pro ejus continuatione, perfectione, & conſervatione Chriſti fidelium eleemoſynæ ſint plurimum neceſſariæ &c. Datum Ferrariæ An-*

Anno 1438 Die 4 Februarii. CXXXII.

Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo (ſtylo Bullarum, æræ communis MCCCCXXXVIII) *Pridie Nonas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XCII fol.* 116.

Anno 1438 Die 16 Julii CXXXIII. PRo Cœnobio de Longfredia, Ardakaden Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit. *Eccleſiarum fabricis &c. Cum itaque, ſicut accepimus, Eccleſia Monaſterii, ſive Domus de Longfredia, Ordinis Prædicatorum, Ardakaden. Diœceſis, partim ignis incendio conſumpta fuerit, ac plura ejus ſtructuræ, & ædificia ruinæ ſubjaceant &c. Datum Ferrariæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Octavo, Decimo Septimo Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Octavo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CII fol.*26.

Anno 1438 Die 25 Auguſti. CXXXIV. PRo Cœnobio de Remperele, Veneten. Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit. *Splendor paternæ &c. Cupientes igitur, ut Capella S. Ivonis ſita juxta Domum Fratrum Prædicatorum loci de Remperele in Parochia de Redeve, Venetea Diœceſis &c. Datum Ferrariæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Octavo, Octavo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Octavo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CII fol.*159.

Anno 1439 Die 10 Februarii. CXXXV. PRo Januenſi Cœnobio S. Dominici. Conſtitutio ſic incipit. *Licet is &c. Cum itaque, ſicut accepimus, fabrica Eccleſiæ Domus S. Dominici Januen. Ordinis Fratrum Prædicatorum, quæ venuſti & ſumptuoſi operis initium & progreſſum dudum habuiſſe dignoſcitur, ex defectu facultatum compleri, ac ipſius Domus officinæ, præſertim in tectis & cameris, ſeu cellis ſecundi clauſtri, & Infirmariæ, aliiſque ſtructuris, & ædificiis magna reparatione indigentes reparari debite non poſſint &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Octavo* (ſtylo Bullarum æræ communis MCCCCXXXIX) *Quarto Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.* Ex Archivo Ordinis in quo Exemplar. In alio Exemplari legitur *datum anno MCCCCXXXIX, Pontificatus Anno Nono.*

Anno 1439 Die 16 Aprilis. CXXXVI. PRo Wratislavienſi Cœnobio S. Adalberti. Conſtitutio ſic incipit. *Licet is &c. Cupientes igitur, ut Eccleſia Domus S. Adalberti Wratislavien., Ordinis Fratrum Prædicatorum, in qua, ut accepimus, regularis viget obſervantiæ norma &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, Sexto Decimo Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Nono.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXIV fol.* 179. Aliud Exemplar habetur in Archivo Ordinis ex Autographo *Wratislavien.*

Anno 1439 Die 16 Aprilis. CXXXVII. PRo Wratislavienſi Monaſterio S. Catharinæ. Conſtitutio ſic incipit. *Licet is &c. Cupientes igitur, ut Eccleſia Monaſterii, ſive Domus Sororum S. Catharinæ Wratislavien. ſub habitu & cura Ordinis Fratrum Prædicatorum, ac regulari obſervantia viventium, in quo, ut accepimus, ſingulis annis a primis Veſperis Dominicæ Palmarum uſque ad Nonam, ſeu veſperas diei ſequentis de Sacratiſſimo Euchariſtiæ Sacramento magna ſolemnitas & devotio Chriſti fidelium illarum partium inibi confluentium habetur, congruis honoribus frequentetur &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, Sexto Decimo Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Nono.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXIV fol.* 179.

Anno 1440 Die 2 Julii CXXXVIII PRo Cœnobio Cremonenſi. Conſtitutio ſic incipit. *Licet is &c. Cum igitur Eccleſia ſine Cura S. Martini, quæ alias curata inſignis admodum & præclara fuit, quæque Eccleſiæ, ſive Domui Fratrum Prædicatorum Cremonen. contigua eſt, & quam quondam, ſicut nobis dilectus filius Magiſter Baptiſta Palavicinus Canonicus Cremonen., Scriptor, & familiaris noſter exponere curavit, Nobiles viri Marchiones Palavicini progenitores ſui, magno & excellenti opere laudabiliter fundaverunt, & erexerunt, in ſuis ſtructuris & ædificiis, quæ propter eorum nimiam vetuſtatem ruinam minantur, adeo quod in ea non ſine magno cum periculo Miſſæ & alia divina officia celebrari poſſunt, reparatione non modica indigere noſcatur &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo, Sexto Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XIV fol.* 27.

Anno 1440 Die 2 Octobris. CXXXIX. PRo Bononienſi Monaſterio S. Agnetis. Conſtitutio ſic incipit. *Eccleſiarum fabricis &c. Cum itaque, ſicut accepimus, Dormitoria Monaſterii Monialium S. Agnetis Bononien. Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Prædicatorum viventium, caſu ignis incendio ſint combuſta, & ad eorum reparationem Chriſti fidelium eleemoſynæ & ſuffragia ſint neceſſaria &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo, Sexto Nonas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Decimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXXXIV fol.* 132.

Anno 1442 Die 2 Julii. CXL. PRo Cœnobio B. Mariæ de Royas, Burgen. Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit. *Eccleſiarum fabricis &c. Cum itaque, ſicut accepimus, Eccleſia Domus B. Mariæ de Royas, Ordinis Fratrum Prædicatorum Burgen. Diœceſis, ad quam ſingulis annis, præſertim in feſtivitate Nativitatis ejuſdem Virginis, Devotionis cauſa, Chriſti fidelium confluit multitudo, in ſuis ſtructuris &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Secundo, Sexto Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro CLIV fol.*100.

Pro

PRo Cœnobio S. Dominiei de Scala Cœli, Corduben. Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit. *Paſtoris æterni &c. Cupientes igitur, ut Eccleſia Domus Sancti Dominici de Scala Cæli, Ordinis Prædicatorum, Corduben. Diœceſis, in qua nonnulli Fratres ſub regulari obſervantia ejuſdem Ordinis ſedulum & devotum exhibent Altiſſimo famulatum, & ad quam fideles illarum partium ſingularem gerunt devotionis affectum &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Secundo, Quinto Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CLIII fol.* 41.

Anno 1442 Die 3 Julii. CXLI.

PRo Salernitano Cœnobio S. Mariæ de Porta. Conſtitutio ſic incipit. *Licet is &c. Cum itaque, ſicut accepimus, Domus S. Mariæ de Porta nuncupata, Salernitan., Ordinis Fratrum Prædicatorum, in qua Fratres dicti Ordinis ſub regularis obſervantia norma Altiſſimo famulantur, tum propter ipſius paupertatem, tum ob diuturnas guerrarum calamitates, & diverſas ac miſerabiles mutationes, quæ Civitatem Salernitan., & vicina ipſius loca graviter afflixerunt &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Secundo, Pridie Nonas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXXXII fol.* 195.

Anno 1442 Die 4 Auguſti. CXLII.

PRo Monaſterio S. Dominiei Villæ de Vineyro, Mindonien Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit. *Licet is &c. Cum itaque, ſicut accepimus, ad Monaſterium S. Dominici Villæ de Vineyro, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Mindonien. Diœceſis, in quo quædam ſolemnis & notabilis Capella ad honorem B. Catharinæ fundata exiſtit, ob devotionem quam ipſi fideles ad eandem Virginem aſſidue gerunt, & propter Miracula, quæ inibi Altiſſimus meritis ejuſdem Virginis jugiter operatur, Chriſti fidelium confluat multitudo &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Secundo, Septimo Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CLIII fol.* 216.

Anno 1442 Die 7 Septembris. CXLIII.

PRo Cœnobio de Dirſaw, Wratislavienſis Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit. *Licet is &c. Cum itaque, ſicut accepimus, Domus Fratrum Prædicatorum de Dirſaw, Wratislavien. Diœceſis tam in Eccleſia, quæ etiam propter ipſius ſtructurarum & ædificiorum altitudinem, & latitudinem inſignis & notabilis erat, quam etiam in aliis ſtructuris & ædificiis ſuis ab hæreticis Huſſitis cum ignis incendio, & alias uſque ad terram fere deſtructa & ruinæ dedita olim extiterit, & hodie deſolationi & ruinæ hujuſmodi ſubjecta remaneat, nec facultates ad præmiſſorum reparationem faciendam habere noſcantur &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Secundo, Decimo Octavo Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXXVI fol.* 38.

Anno 1442 Die 15 Decembris. CXLIV.

PRo Lovanienſi Cœnobio B. Petri. Conſtitutio ſic incipit. *Licet is &c. Cum itaque, ſicut accepimus, ad perfectionem operis, quod pro ſtructuris & ædificiis Eccleſiæ B. Petri Lovanienſis, Leodien. Diœceſis, fieri inceptum eſt, fabricæ nullatenus ipſius Eccleſiæ facultates ſufficiant, ſed Chriſti fidelium ſuffragia ſint plurimum opportuna, meritis quoque glorioſiſſimæ Mariæ Virginis in ipſa Eccleſia, ſicuti pie creditur, diverſa miracula fiant unde fidelium ibidem devotio dietim propagatur &c. Datum Senis Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Tertio, Octavo Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CLXIII fol.* 96.

Anno 1443 Die 6 Junii. CXLV.

PRo variis Cœnobiis Tranſilvaniæ. Conſtitutio ſic incipit. *Licet is &c. Cum itaque, ſicut accepimus, in Alba, & in Veraſeo, ac in Winczia, necnon in Molbata, in Ezibuno, ac B. Mariæ, & S. Crucis in Biſtritia Prædicatorum & Minorum Fratrum Ordinum in partibus Tranſilvan. Regni Hungariæ conſiſtentes Domus videlicet partim a Turcis infidelibus deſtructæ, & nonnullæ earum in ſuis ſtructuris, & ædificiis plurimum defectuoſæ exiſtant &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quarto, Septimo Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Quarto Decimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CLXXXII fol.* 217.

Anno 1444 Die 26 Maii. CXLVI.

PRo Cœnobio de Athuari, Tuamen. Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit. *Licet is &c. Cum itaque, ſicut accepimus, Domus de Athuari, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Tuamen. Diœceſis, in qua Fratres numero triginta, vel circa degentes devote virtutum Domino famulantur, caſuali incendio in Eccleſia, & officinis ſuis, ac eorum ſtructuris, & ædificiis plurima damna perpeſſa fuerit &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quinto, Pridie Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quinto Decimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXCV fol.* 291.

Anno 1445 Die 31 Martii. CXLVII.

PRo Cœnobio de Roſehoman., Elphinen. Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit. *Licet is &c. Cum itaque ſicut accepimus, Domus loci de Roſchoman., Ordinis Fratrum Prædicatorum, Elphinen. Diœceſis, cauſantibus guerrarum turbinibus, & aliis ſiniſtris eventibus, in ſuis ſtructuris, & ædificiis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quinto, Tertio Nonas Maii, Pontificatus noſtri Anno Quinto Decimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXCVI fol.* 306.

Anno 1445 Die 5 Maii. CXLVIII.

Anno 1445 Die 17 Julii. CXLIX. PRo Valleoletano Cœnobio S. Pauli, Palentin. Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit. *Licet is &c. Cum itaque, ſicut accepimus, licet Eccleſia Domus S. Pauli de Valleoleti, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Palentin. Diœceſis, ad quam & dictam Domum per Chriſti fideles ipſarum partium devotio magna geritur, & habetur inter ceteras, Ordinum Mendicantium Domos infra Caſtellæ, & Legionis Regna conſiſtentes, ædificiis & ſtructuris ampliſſimis decorata, ac alias multipliciter famoſa & inſignis exiſtat, tamen Capella major ejuſdem Eccleſiæ mirabilis exiſtens amplitudinis, propter illius ſtructurarum, & ædificiorum vetuſtatem ab aliquo tempore citra in ſui maxima parte corruerit &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quinto, Sexto Decimo Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quinto Decimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro LVI fol.* 43.

Anno 1436 Die 28 Novembris.

Annuam penſionem Cœnobio FF. Prædicatorum Faventin. (1) debitam ſolvendam decernit.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CL.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Faventin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. SAcrę Religionis, ſub qua dilecti filii Prior, & Conventus domus Faventin., Ordinis Prędicatorum, devotum exhibent Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut eorum petitionibus, in his prę-ſertim, quę a nobis rationabiliter poſtulant, quantum cum Deo poſſumus, annuamus. Dudum ſiquidem pro parte dilectorum filiorum Antianorum Civitatis noſtrę Faventin. felicis recordationis Martino Papę V, Prędeceſſori noſtro, expoſito, quod in Civitate prędicta, & Diçceſi Faventin inter alia Do-

Hac de re geſta refert. minę Blanche, & de Amiola, Hoſpitalia ſita erant, in quibus ab aliquibus annis nulla Hoſpitalitas obſervata fuerat, & quę quaſi devenerant in collapſum, ejuſque facultates, & bona per laicales perſonas, quę ea gubernaverant, enormiter diſtracta fuerant, quodque dicti Antiani affectantes, quod in dicta Civitate vera Chriſti pauperibus hoſpitalitas impenderetur, intendebant de fructibus prędictorum, & nonnullorum aliorum tunc expreſſorum Hoſpitalium, unum Hoſpitale, ſub vocabulo Beatę Marię de Miſericordia, in aliquo ad id congruo, & honeſto dictę Civitatis loco fundare, ſeu fundari, & conſtrui facere, cum capella, domibus, & aliis neceſſariis officinis, ipſumque Hoſpitale de Miſericordia de bonis eorum cum hujuſmodi Hoſpitalitate in poſterum conſervare, & manutenere. Idem Prędeceſſor Epiſcopo Faventin., ejus proprio nomine non expreſſo, ſuis dedit literis in mandatis, ut, ſi ita eſſe reperiret, prętatis Antianis de fructibus ſupradictis Hoſpitale de Miſericordia cum capella, domibus, & officinis hujuſmodi, abſque tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius juris pręjudicio, ut prętertur, fundandi, & erigendi, ac dictos fructus in illius fabricam duntaxat convertendos, & exponendos, levandi, exigendi ab ipſis Hoſpitalibus, & quibuſcunque debitoribus eorundem, licentiam largiretur; & inſuper eidem Epiſcopo prętato Hoſpitali de Miſericordia, poſtquam fundatum, & erectum foret, omnia alia Hoſpitalia ſupradicta cum juribus, & pertinentiis ſuis, in perpetuum uniendi, & incorporandi, & annectendi, plenam, & liberam facultatem conceſſit. Poſtmodum vero pro parte dictorum Antianorum nobis expoſito, quod bonę memorię Silveſter Epiſcopus Faventin. ad executionem dictarum literarum procedens, illarum vigore Antianis licentiam conceſſerat, ac Hoſpitali (3) de Miſericordia, prętatę unionis, annexionis, & incorporationis hujuſmodi, ac nonnulla alia circa prę-miſſa utilia, & neceſſaria fecerat, quorum necnon certę conceſſionis, eis per dilectum filium noſtrum Ludovicum tituli Sanctę Cecilię Presbyterum Cardinalem, tunc in illis partibus Apoſtolicę Sedis Legatum, de vendendo quartam partem Bonorum immobilium dictorum aliorum Hoſpitalium factę vigore, prętati Antiani dictum Hoſpitale de Miſericordia ex fructibus, & pretio venditorum bonorum hujuſmodi opere laudabili, & decenti conſtrui fecerant, & ex tunc hoſpitalitatem, qualem juxta illius ędificiorum capacitatem potuerant, ſervari fecerant, & tunc faciebant, ac per eoſdem Antianos ſubjuncto, quod ipſi pro commoditate, ac refrigerio, & plenaria hoſpitalitate univerſorum pauperum, quorum propter ſtradam magnam, in qua dicta Civitas ſita eſt, illuc multitudo declinabat, deſiderabant dictum Hoſpitale de Miſericordia, in cujus opere dictum pretium totaliter conſumptum fuerat, & jam amplioribus protendi ſtructuris; Nos tunc per alias noſtras literas, etiam Epiſcopo Faventin., ejus proprio nomine non expreſſo, mandavimus, ut, ſi per diligentem informationem, per eum ſuper prędmiſſis, Nobis expoſitis, habendam, ea reperiret veritate fulciri, literas Prędeceſſoris hujuſmodi, necnon omnia, & ſingula, tam per Silveſtrum Epiſcopum illarum vigore, quam & Legatum, prędictos, conceſſa, & facta, ac quęcunque inde ſecuta auctoritate noſtra approbaret & confirmaret, ſupplendo omnes defectus, ſi qui forſan intervenillent in eiſdem, & nihilominus pro ipſius Hoſpitalis ampliatione, & perfectione eiſdem Antianis de prędictis bonis Hoſpitalium uſque ad ſummam mille ducatorum auri in hujuſmodi perfectionem, & fabricam integre & fideliter convertendam, etiamſi dicta Hoſpitalia, vel eorum aliquod, ſeu aliqua de jure patronatus laicorum fuiſſent, vel eſſent, & etiam ſi ſuper dicto Hoſpitali Dominę Blanchę inter ipſos, ac Priorem, & Conventum prętatos, aut quoſvis alios lis, cujus ſtatum dictis noſtris literis haberi voluimus pro expreſſo, penderet, ſeu remanſiſſet indeciſa, vendendi, & alienandi, licentiam, & facultatem eadem auctoritate noſtra concederet, prout in omnibus prędictis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dictorum Prioris, & Conventus, petitio continebat, gubernatio, & adminiſtratio, ac omnimoda diſpo-

Supplex Fratrum petitio. ſitio dicti Hoſpitalis Dominę Blanchę duntaxat ad prętatos Priorem, & Conventum ante impetratas dictas literas pertinuerint, ac ſuper illius, viginti, necnon ſuper ipſius Hoſpitalis de Amiola, novem, vel

Digitized by Google

vel circa, corbes frumenti annis ſingulis percipere conſueverint, ac in poſſeſſione, vel quaſi juris illas percipiendi, etiam ſpatio centum annorum, & ultra preſcripta extiterint, licet olim ipſi per quondam Antonium Girardum, & Magiſtrum Antonium de Barufaldis, laicos, qui ſe de regimine dicti Hoſpitalis Dominę Blanchę de facto intromiſerant, primo, & deinde a decem & octo, aut viginti quinque annis, vel circa, in dicto Hoſpitali de Amiola ſuper perceptione hujuſmodi per nonnullos alios, ac tandem per prefatos Antianos impediti, ſeu vexati fuerunt, ac ſuper ipſis vexationibus, vel impedimentis in partibus illis inter Priorem, & Conventum, ac Antianos prędictos, & per compromiſſum fuiſſet materia queſtionis exorts, de quibus in prefatis literis alias, quam, ut prefertur, mentio facta non fuit, pro parte dictorum Prioris, & Fratrum aſſerentium, ſe occaſione dictarum corbium pro animabus legantium illas, annis ſingulis unum ſolemne Anniverſarium in eorum Eccleſia celebrare, necnon qualibet ſeptimana per Miſſam, vel alias exorare Dominum paratos, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis ſuper his, ne omnino remaneant ſuis juribus deſtituti, opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, de premiſſis ultimo expoſitis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi, vocatis Antianis prędictis, ac Rectore, ſeu Rectoribus dicti Hoſpitalis de Miſericordia, & aliis, qui fuerint evocandi, tibi de hujuſmodi annuo debito viginti, & novem corbium frumenti eiſdem Priori, & Conventui, ut premittitur, ſolvendarum legitime conſtiterit, ut prefatum Hoſpitale de Miſericordia, ejuſque Rectores ad ſolutionem omnium, & ſingularum quantitatum frumenti, quas dictos Priorem, & Conventum a tempore intromiſſionis Antonii, & Magiſtri Antonii hujuſmodi uſque ad preſentem diem, occaſione prędicta, de jure habere debere invenies, necnon deinceps perpetuo annis ſingulis ad ſolutionem viginti novem corbium frumenti hujuſmodi per prędictum Hoſpitale de Miſericordia, ejuſque Rectores, ratione unionis, incorporationis, & annexionis Hoſpitalium Dominę Blanchę, & de Amiola, illi factarum hujuſmodi, dictis Priori, & Conventui integre faciendam, obligatos fuiſſe, & eſſe, auctoritate noſtra declares, ac ſolutionem ipſam, ſi hujuſmodi declarationem feceris, debitis, ac congruis locis, & terminis fieri facias cum effectu. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. Non obſtantibus literis aliis ſupradictis, ſeu ſi Antianis, & Rectoribus prefatis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Sexto, Quarto Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto. Mandatum.

1. *Faventin.*) Vulgo *Faenza*, in *Æmilia*,
2. *Archivo*. In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* LXXVIII *fol.* 11.
3. *Hoſpitali*.) Turbatus locus.

Anno 1436 Die 5 Decembris.

Incorporat & annectit Collegio Gregoriano Bononien. (1) Ordinis noſtri, aliqua bona immobilia.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. CLI.

Exordium.

APoſtolicę Sedis circumſpecta benignitas indulta ſibi deſuper poteſtatis plenitudine, ſicut conſpicit expedire, viros literarum ſcientiis deditos, ut in illis efficiantur idonei, congruo favore proſequitur, ipſiſque ſtudentibus libenter ea concedit, per quę eorum ſtatui, & opportunitatibus favorabiliter conſulatur. Sane dudum, ſicut nonnullorum fide digna relatione percepimus, bonę memorię Zoeo (3) Epiſcopus Avinion, condens in ejus voluntate ultima de bonis a Deo ſibi collatis Teſtamentum, inter alia domus, poſſeſſiones, terras, & bona in villa, & curia, ac territorio Saliceti, & Saviniani Bononien. Dięceſis, ad eum legitime pertinentia, Eccleſię Avinion. reliquit, & legavit, volens, & ordinans inter cetera, quod Epiſcopus Avinion. pro tempore exiſtens tres ex Clericis dictę Eccleſię, & duos de Civitate Avinionen., ac duos de Caſtro Novarum (4) Avinionen. Dięceſis, necnon unum de aliis Caſtris, ad dictam Eccleſiam ſpectantibus, clericos, beneficium Eccleſiaſticum nullatenus obtinentes, qui ad adipiſcendum ſcientię margaritam habiles forent, eligeret, illoſque ad Civitatem noſtram Bononien. ad ſtudendum inibi deſtinaret, & ſingulis eorum de fructibus, redditibus, & proventibus domorum, poſſeſſionum, terrarum, ac bonorum hujuſmodi, viginti quatuor libras Bononien. ſingulis ſolveret, & reſponderet, ſeu ſolvi, & reſponderi faceret, & ſub certis aliis modis, & conditionibus, prout in inſtrumento, deſuper confecto, plenius continetur. Cum autem, ſicut eadem relatione cognovimus, domus, poſſeſſiones, terrę, & bona prędicta propter guerrarum turbines, aliaſque calamitates varias, quę retroactis temporibus partes illas diutius afflixerunt, partim ruinę ſubjaceant, & partim ruinam minentur; ac deformata, collapſa, & deſtituta plurimum exiſtant, necnon terrę hujuſmodi pro majori parte Zerbidę (5) & incultę remanſerint, ac viginti quatuor librę hujuſmodi pro condecenti ſuſtentatione unius ſcholaris modernis temporibus nullatenus ſufficiant, &, ſi domus, poſſeſſiones, terrę, & bona prędicta Collegio Gregoriano in dicta Civitate noſtra Bononien. conſiſtenti, cujus fructus, redditus, & proventus, cauſantibus premiſſis guerris & aliis ſiniſtris eventibus quamplurimum tenues, & exiles effecti exiſtunt, perpetuo unirentur, annecterentur, & incorporarentur, ex hoc domus, poſſeſſiones, terrę, & bona hujuſmodi ad reparationem, & culturam debitas reducerentur, ac in prędicto Collegio plures ſcholares literarum ſtudio inſiſtentes decentius, & commodius ſuſtentari poſſent. Nos igitur, cupientes tam domorum, poſſeſſionum, terrarum, & bonorum, quam Collegii prędictorum indemnitati in premiſſis opportune providere, ac domorum, poſſeſſionum, terrarum, bonorum, & Collegii fructuum, redditium, & proventuum veros valores annuos, necnon ordi-

Diplomatis cauſa.

Conceſſio.

ordinationis, & voluntatis, ac inſtrumenti hujuſmodi tenores, necnon domos, poſſeſſiones, terras, & bona hujuſmodi, per eorum qualitates, quantitates, & confinia pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, motu proprio, non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, domos, poſſeſſiones, & terras, ac bona prędicta cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, quorum fructus, redditus, & proventus pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, pręfato Collegio auctoritate Apoſ-
Clauſula derogans. tolica, ex certa ſcientia, tenore pręſentium, in perpetuum unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod ex nunc liceat dilectis filiis Rectori, & ſcholaribus dicti Collegii qui pro tempore erunt, corporalem poſſeſſionem domorum, poſſeſſionum, terrarum, bonorum, juriumque, & pertinentiarum prędictorum, propria auctoritate per ſe, vel per alios libere apprehendere & perpetuo licite retinere, necnon illorum fructus, redditus, & proventus in ſuos, & dicti Collegii uſus convertere, Diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentia, vel aſſenſu minime requiſitis. Non obſtantibus conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Epiſcopi voluntate, & ordinatione, & in pręfato inſtrumento contentis pręmiſſis, necnon quibuſcunque literis Apoſtolicis, per nos, ſeu Sedem Apoſtolicam dilecto filio Jacobo Bertrandi de Provincia in dicta Civitate Bononien ſtudenti, vel quibuſvis aliis in ſpecie, vel genere conceſſis. ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi Apoſtolica, vel alia quavis auctoritate de domibus, poſſeſſionibus, terris, & bonis prędictis Collegium aliquod inſtitutum, ſeu fundatum exiſtat, & quibuslibes privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus eorum impediri valeant quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Nos enim voluntatis, ordinationis, & in dicto inſtrumento contentorum, ac omnium inde ſecutorum, necnon literarum, prędictorum plenam notitiam & illa pro expreſſis hic habentes, ipſis, & eorum ſingulis, ex ſufficientibus rationabilibus cauſis animum noſtrum moventibus ex dicta ſcientia derogamus, necnon literas ſuper domibus, poſſeſſionibus, terris, & bonis ipſis, ſeu dicto forſan fundato Collegio, dicto Jacobo, vel quibuſvis aliis, ut pręfertur, conceſſas & inde
Sanctio pœnalis. ſecuta, ac Collegium, ſi quod de pręmiſſis fundatum ſit, ut pręmittitur, motu, ſcientia, & auctoritate ſimilibus, revocamus, caſſamus, annullamus, & penitus extinguimus, per pręſentes, & inſuper ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę unionis, annexionis, incorporationis, habilitationis derogationis, revocationis, caſſationis, annullationis, extinctionis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Sexto, Nonis Decembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Bononien*) In *Italia*. Hujus autem *Gregoriani* Collegii mentio erit inferius, ubi Cœnobio noſtro unitum fuiſſe, dicetur.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar in *Bullario Bononien. pag.*32, ex Autographo *Bononiæ aſſervato*.
3. *Zoen.*) Adeas *Sammarthanos in Archiep. Avenionen.*
4. *Novarum*. Vulgo *Noves*, in *Gallo Provincia*.
5. *Zerbidæ*.) Sic *Sterilem* terram vocant. *Zerbolaris* etiam, & *Gerbida* dicitur. Vocabulo tamen hoc, communiter Longobardi utuntur ad denotandum agrum non ſolum ſterilem, ſed incultum, & vepribus, aut herbis ſilveſtribus plenum.

Anno 1427 Die 21 Februarii.

Bononienſium (1) Fratrum & Sororum S. Agnetis lites diſceptatione compendiaria (2) dirimendas eſſe decernit.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

CLII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus domus Sancti Dominici Fratrum Prędicatorum, ac dilectis in Chriſto filiabus, ſub eorundem Fratrum cura degentibus Priorillę & Sororibus Monaſterii Sanctę Agnetis Bononien., Sancti Auguſtini Ordinis, pręſentibus, & futuris, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. SAcrę Religionis, ſub qua mundanis abiectis illecebris devotum, & ſedulum exhibetis Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut ea vobis favorabiliter concedamus, quę veſtris quieti, & tranquillitati, & commodo fore conſpicimus opportuna. Hinc eſt, quod Nos, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, ut omnes, & ſinguli in quibuſcunque profanis duntaxat, tam principalibus, quam provocatoriis cauſis, inter vos, tam conjunctim, quam diviſim, ex una, & quoſcunque
Indultum. alios Civitatis Bononien., ſeu ejus Diœceſis, vel diſtrictus cives, incolas, vel habitatores, in genere, vel in ſpecie, ſuper quibuſvis pecuniarum ſummis, rebus, bonis, juribus, actionibus, cenſibus, ſeu redditibus, & eorum occaſionibus, partibus, ex alia, exortis hactenus, vel quę in poſterum exoriri forſan contigerit, per Nos, vel Sedem Apoſtolicam deputati hactenus, vel forſan in poſterum deputandi, ſeu alii dictę Civitatis pro tempore exiſtentes Judices, vel officiales, aut ab eis pro tempore delegati, vel delegandi de cetero, quandiu in regulari obſervantia permanſeritis, alias juxta modos, & formas, ſecundum quas Poteſtas, vel Capitaneus pro tempore exiſtens dictę Civitatis in cauſis viduarum, & pupillorum Civitatis, Diœceſis, vel diſtrictus hujuſmodi, vigore quorundam ſtatutorum, & proviſionum ejuſdem Civitatis, deſuper editorum, quorum omnium tenores pręſentibus haberi volumus pro expreſſis, pro tempore procedit, & terminat, procedere, & ipſas cauſas veſtras, quarum videlicet motarum hactenus ſtatus hujuſmodi
Clauſula derogans. pręſentibus haberi volumus pro expreſſis, cognoſcere, & terminare poſſint, & debeant, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus, & etiam indulgemus; non obſtantibus Conſtitutionibus, & or-

ordinationibus Apoſtolicis, ac domus, Monaſterii, & Ordinum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Noſtrę voluntatis, & conceſſionis, infringere &c. Si quis &c. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Sexto (4), Nono Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Bononien.*) In *Italia*.
2. *Compendiaria.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Lit. V.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXXIII fol.* 72. Legitur etiam in *Bullario Bononien. pag.* 80. Autographum habes *Bononiæ*.
4. *Triceſimo Sexto.*) Stylo Bullarum, Æræ communis *MCCCCXXXVII.*

Cœnobii Raguſini (1) fundandi facultas.

Anno 1437 Die 14 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus domus Raguſin., Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

PIis fidelium votis gratum Nos decet pręſtare aſſenſum, &, ut ea quę Religionis propagationem, divini quoque cultus augmentum reſpiciunt, optatum ſortiantur effectum, libenter interponimus, ſolicitudinis noſtrę partes. Sane, pro parte veſtra Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod vos aliam in Civitate Raguſin., vel extra illius muros Ordinis Fratrum Prędicatorum domum de obſervantia fundare, & conſtruere, ſive fundari, & conſtrui facere affectatis; ſperantes, quod pro eadem domo fundanda opportunum piis Chriſti fidelium largitionibus conquiretis locum, in quo pro uſu, & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis Eccleſiam, ſive capellam, cum campana, campanili, ac aliis neceſſariis officinis pro Religionis propagatione, ac divini cultus incremento conſtruere poteritis, & ędificare, ſi vobis Apoſtolicę Sedis licentia ſuffragetur. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis in pręmiſſis annuere, & deſuper opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, qui Religionis, & cultus eorundem propagationem intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis in aliquo loco congruo, & honeſto, quem ad hoc juſtis modis conquirere poteritis, in dicta Civitate, vel extra eam, Domum ejuſdem Ordinis quę de obſervantia ſit, cum Eccleſia, ſive capella, aut Oratorio, & campana, campanili, horais, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione Fratrum dicti Ordinis, qui inibi ſub illius regularibus habitu, & obſervantia degant, fundandi, & conſtruendi, ſive fundari, & conſtrui faciendi, Diœceſani loci, & cujuslibet alterius ſuper hoc licentia minime requiſita, Apoſtolica auctoritate, licentiam concedimus, & etiam facultatem. Et inſuper vobis, ut dictę fundandę domus, poſt fundationem hujuſmodi, ac ejus Prior, Fratres, & perſonę, qui inibi pro tempore reſederint, omnibus, & ſingulis privilegiis, exemptionibus, indulgentiis, libertatibus, gratiis, & indultis, aliis dicti Ordinis domibus, Priori, Fratribus, & perſonis a Sede Apoſtolica, ſeu alias in genere conceſſis, uti, & gaudere valeant, Apoſtolica auctoritate pręſentium ſerie, indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi, Prędeceſſoris Noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua Civitate, villa, caſtro, vel alio quovis loco, ad inhabitandum, quęcunque domos, vel loca de novo recipere, vel eatenus recepta mutare pręſumant, abſque Apoſtolicę Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis quibuſcunque, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nulli ergo &c. Noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Sexto (3), Pridie Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Supplex petitio.

Facultas.

Clauſula derogans.

1. *Raguſin.*) In ejuſdem nominis Republica.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXXVI fol.* 152.
3. *Triceſimo Sexto.*) Stylo Bullarum, *Æræ* communis *MCCCCXXXVII.*

Ut Cœnobium Ripanum (1) reficiatur ſexaginta Florenos aſſignat.

Anno 1437 Die 9 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLIV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Eſculan. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

HUmilibus ſupplicum votis, illis pręſertim, quę Monaſteriorum, & aliorum religioſorum locorum quorumlibet commodum, & utilitatem concernunt, libenter intendimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum, & Conventuum Domus loci Riparum Ordinis Fratrum Prędicatorum tuę Diœceſis petitio continebat, quod Eccleſia, clauſtrum, cęmeterium, & alia plura ędificia dictę Domus propter gentes armigeras, quę illam hactenus inhabitarunt, ac alias diverſas calamitates, reparatione non modicum ſumptuoſa indigere dignoſcitur, quę, niſi celeriter fiat, de ipſorum totali ruina veriſimiliter dubitatur, &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi reſiduum quorundam bonorum immobilium ad quendam Vetulum, alias Lanechia dicti loci habitatorem, olim

Supplex petitio.

olim ſpectantium, & per eum ad pias cauſas legatorum relictorum, quod ultra ſummam triginta Florenorum auri de camera communiter non valet, necnon omnia & ſingula per perſonas dicti loci a decem proxime elapſis annis citra percepta, & habita, ac ex nunc in antea uſque ad decennium a data preſentium computandum percipienda, & habenda ex uſuria, vel alias quomodolibet incerta male ablata, pecuniç, res, & bona, uſque ad ſummam ſexaginta florenorum ſimilium concederentur, & illorum omnium pretium, in reparationem prędictam converteretur, ex hoc domus prędicta in hujuſmodi reparatione non modicum ſuſciperet ſublevamen. Quare pro parte dictorum Prioris, & Conventus, etiam aſſerentium, quod in pręfata domo de cetero ſub regulari obſervantia vivere intendunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc pręfatę Domus ſtatui opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, Priori dictę Domus pro tempore exiſtenti, ac pręfatis Conventui, ut ipſi, poſtquam ſub obſervantia hujuſmodi inibi permanſerint,

Mandatum.

ut pręfertur, tam reſiduum bonorum per Vetulum legatorum, quam per perſonas percepta, & habita, ac percipienda, & habenda, ut pręfertur, male ablata pecunias, res & bona hujuſmodi a quibuſcunque ea habentibus, ultra ſummam ſexaginta florenorum non excedentia, exigere, petere, recipere, & habere, necnon illa per eos tunc recepta, & habita in reparatione Eccleſię, cęmeterii, clauſtri, & aliorum ędificiorum hujuſmodi duntaxat, convertere, & exponere, ac cum pręfatis perſonis, & earum qualibet de male ablatis incertis prędictis concordare, & de receptis habitis, & concordatis quitare, & liberare, ac alias ab excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdicti, aliiſque ſententiis, cenſuris, & pęnis, ſi quibus propter male ablata & percepta bona hujuſmodi forſan tunc irretiti fuerint, ac uſuraria pravitate abſolvere, & opportune habilitare, libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica concedas. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo, Quinto Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

2. *Ripanum*,) In *Piceno*.
2. *Archivo*,) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* Lib. LXXXVI fol. 223.
3. *Eſculan*.) Aliis *Aſculan*., vulgo *Aſcoli*, in *Piceno*.

Anno 1437 Die 11 Junii.

Cœnobii Montis Acuti (1) fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis*

CLV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii de Granatoria Lutionen. (3) Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

VOtis fidelium, illis pręſertim, quę ad Religionis propagationem, ac divini cultus augmentum cedere dignoſcuntur, libenter intendimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Johannis (4) de Bella Villa Militis, & Domini Caſtri de Monte Acuto, Lutionen. Diœceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ipſe zelo devotionis accenſus, & cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria ad ęterna felici commercio commutare, ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Prędicatorum gerit devotionis affectum, Eccleſiam ſine Cura Sancti Leonar-

Supplex petitio.

di, in ſuburbiis dicti caſtri conſiſtentem, quę de jure Patronatus ipſius Militis, ac in loco ad id apto, & honeſto exiſtit, de bonis ſibi a Deo collatis, aliorumque Chriſti fidelium, ope, atque ſuffragio, in domum conventualem dicti Ordinis pro quorundam illius Religioſorum, qui ſub regulari obſervantia inibi permanere, & ſua Altiſſimo vota reddere debeant, uſu, & habitatione perpetuis erigere, ſeu erigi facere proponit pariter, & intendit, ſi ei, ac dictis Religioſis ſuper hoc Apoſtolica ſuffragetur auctoritas. Quare pro parte dicti Militis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut propoſito annuere, & alias ſuper hoc opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionem, & cultum divinum noſtris potiſſime temporibus vigere, & augeri, intenſis exoptamus affectibus, hujuſ-

Facultas.

modi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de pręmiſſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi, ea fore vera repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, & ad id pręfati Militis expreſſus accedat aſſenſus, Eccleſiam prędictam in domum conventualem pro uſu, & habitatione perpetuis Religioſorum de obſervantia hujuſmodi, cum campanili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis, videlicet poſt ceſſum, vel deceſſum ipſius Rectoris, ſi quis principaliter exiſtit, erigendi, & conſtruendi, ſeu erigi, & conſtrui faciendi, necnon Religioſis prędictis dictam domum, ut pręmittitur, recipiendi, & in ea perpetuo commorandi, plenam, & liberam auctoritate prędicta licentiam largiaris. Nos enim, ſi vigore pręſentium conceſſionem hujuſmodi feceris, ut pręfertur, Priori, & Fratribus in eadem domo pro tempore degentibus, eorumque ſervientibus, & perſonis, ut ipſi, & eorum ſinguli, omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis, gratiis, & libertatibus dicto Ordini, & illius Fratribus per Sedem Apoſtolicam, vel alias generaliter conceſſis, uti, & gaudere, libere & licite valeant, eadem auctoritate, tenore pręſentium, indulgemus. Non obſtantibus tam felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi, Prędeceſſoris

Clauſula derogans.

Noſtri, illa pręſertim, qua prohibetur, ne quivis Ordinum Mendicantium Fratres in aliqua civitate, caſtro, villa, ſeu alio loco quocunque ad habitandum domos, vel loca de novo recipere, ſeu hactenus recepta mutare, pręſumant, abſque ipſius Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, quam aliis conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius alias in omnibus ſemper ſalvo. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo, Tertio Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

5. *Men-*

Digitized by Google

1. *Montis Acuti*.) Vulgo *Montagu en Laye*, in *Gallia Belgica*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXXI fol.* 207.

3. *Lutionen.*) Seu *Laudunen.*, vulgo *Laon*, in *Inſula Franciæ*.

4. *Johannis*.) E nobiliſſima gente *Montis Acuti*, Gallis *Montagu*.

Ut Argentinen. (1) Sorores de Pœnitentia S. Dominici juris ac poteſtatis ſint Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum.

Anno 1437 Die 4 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Juliano (3) tituli Sanctę Sabinę Cardinali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem,

CLVI.

Ex injuncto Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio ad ea libenter, per quę Eccleſiarum, ac Monaſteriorum omnium ſtatus in ſpiritualibus, & temporalibus ſalubriter dirigatur, & ut illa, necnon perſonę in eis preſertim ſub fragili ſexu degentes, ſublatis ab ipſis diſpendiis quibuslibet, debitę reformationis beneficio gaudeant, opem, & operam, quantum cum Deo poſſumus, impendimus efficaces. Exordium. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & nonnullarum Sororum reformatarum Monaſterii Sanctę Marię Magdalenę extra muros Argentinen. Ordinis Sancti Auguſtini, de Penitentia nuncupati, petitio continebat, quod olim pro parte Prioriſſę tunc exiſtentis, & majoris partis Conventus prefati Monaſterii tibi inter alia expoſito, quod Monaſterium ipſum pro eo, quod a pleriſque tunc antea annis debita viſitatione, & reformatione caruerit in regulari diſciplina, & Sanctimonia, ac alias in ſpiritualibus, & temporalibus ſuſtinuerat detrimenta, quodque ipſę illud reformari, & ad regularem obſervantiam deduci plurimum exoptabant, tu, qui tunc in partibus illis Apoſtolicę Sedis Legatus eras, prout exiſtis, dilectum filium Petrum de Eengebach, Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſorem, prefati Monaſterii viſitatorem auctoritate Legationis hujuſmodi per ſex annos ex tunc in antea proxime ſecuturos conſtituiſti, ei inter cetera in mandatis dando, ut una cum Curato prefati Monaſterii, & quibusdam aliis, de quibus ſibi videretur, ad dictum Monaſterium accederet, illudque viſitaret, & reformaret, ac inibi corrigenda corrigeret, necnon illius Prioriſſam, & Moniales ad perpetuam clauſuram, ac modum vivendi juxta conſtitutiones Monaſterii reformati Monialium Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura & regimine Fratrum Prędicatorum degentium, traditas, reduceret, aliaque inibi faceret, ſtatueret, & ordinaret, prout pro ſalubri ipſius Monaſterii ſtatu inibi expediens videretur, ei etiam alias Moniales in hujuſmodi obſervantia inſtructas in dicto Monaſterio recipi faciendi facultatem concedendo, prout in diverſis tuis, etiam tuo ſigillo munitis, deſuper confectis, literis, dicitur plenius contineri: quodque deinde licet prefatus Petrus vigore literarum, & mandati prędictorum ad prefatum Monaſterium accedens plures, quę tunc in eodem Monaſterio irrepſerant, deformitates reformaverit, ac illud ad debitam clauſuram, illiuſque Moniales ad communem de omnibus bonis ſuis deducendam vitam, necnon ad obſervantiam regularem inſtitutorum dicti Ordinis Sancti Auguſtini reduxerit, ipſaſque Nobis exponentes, quę tunc aliorum Monaſteriorum ſub cura Fratrum eorundem degentium Sorores extiterant, in reformatrices prefati Monaſterii, unam ipſarum in illius Prioriſſam preficiendo, deputaverit, tamen poſtmodum inter quaſdam ipſius Monaſterii Moniales ex una, ac dictas Nobis exponentes ſuper reformatione, & deputatione, ac aliis premiſſis, ex altera, partibus, diverſę queſtionum materię exortę fuerint. Monialium ſupplex petitio. Cum autem, ſicut eadem Nobis facta petitio ſubjungebat, Prior, ſeu Prępoſitus pro tempore tam predicti, quam aliorum omnium dicti Ordinis de Penitentia in partibus Alemanię conſiſtentium Monaſteriorum, quę illi, necnon cum prefato Prępoſito, ſeu Priore Sedi Apoſtolicę immediate ſubeſſe videntur, pro eo quod locus, in quo ipſe communiter reſidere conſuevit, in Civitate Argentinen. per ſexdecim dietas, vel circa, diſtare dignoſcitur, viſitationi dicti Monaſterii Sanctę Marię, ſicut congruebat, & debebat, hactenus intendere nequiverit, & quod etiam de cetero intendere poſſit veriſimiliter dubitetur, pro parte Prioriſſę modernę ac reformatricum prędictarum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut appellationem, ac alias quaſcunque lites, & tam ex noſtris, quam aliorum quorumlibet commiſſionibus in Romana Curia, & extra eam, ſuper premiſſis inter dictas, vel alias quaſcunque partes intendentes cauſas ad Nos advocare, & penitus ſupprimere, & extinguere, necnon omnia & ſingula per Petrum Viſitatorem hujuſmodi in premiſſis, & circa ea facta, geſta, ordinata, & reformata, deputata, reducta, & ſtatuta, etiam cum ſuppletione defectuum quorumcunque, ſi qui forſan in eis intervenerint, approbare, & confirmare, ipſumque Monaſterium Beatę Marię, ac illius partes, & futuras Prioriſſam, Moniales, Sorores, & perſonas, ab omni viſitatione, Dominio, ſuperioritate, juriſdictione, & ſubjectione Prioris, ſeu Prępoſiti Monaſteriorum Ordinis de Penitentia hujuſmodi pro tempore exiſtentis eximere, & liberare, ac Generali Magiſtro pro tempore exiſtenti, & Fratribus Ordinis Prędicatorum hujuſmodi, eorumque curę, & gubernationi, ita quod in eo de cetero juxta Regularia inſtituta reformatorum Monaſteriorum prędictorum vivatur, ſubiicere, & ſubmittere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de premiſſis certam notitiam non habentes, ac cauſarum prędictarum ſtatus preſentibus pro expreſſis haberi volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, circumſpectioni tuę, de qua in his, & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper omnibus & ſingulis petitis prędictis, ac in eis, & circa ea advoces, ſupprimas, & extinguas, approbes, confirmes, eximas, liberes, ſubiicias, ſubmittas, ac facias, prout tibi videbitur faciendum, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus. Non obſtantibus premiſſis, quodque tu certam contra quędam per Petrum Viſitatorem geſta, ſeu ordinata hujuſmodi feceris declarationem, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſteriorum, & Ordinum Mandatum

prę-

prędicto rum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo, Quarto Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Argentinen.*) Vulgo *Straſbourg*, in *Alſatia*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXXVI fol.* 98.
3. *Juliano*.) Cæſarino Romano, de quo conſulendus Oldoinus apud Ciaconium *Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCCXVII pag.* 861.

Anno 1437 Die 4 Julii.

Monaſterium de Clingental (1) Ordinis FF. Prædicatorum juriſdictioni reſtituit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLVII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Juliano, tituli Sanctę Sabinę Presbytero Cardinali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

EX injuncto Nobis deſuper Apoſtolicę Servitutis officio ad ea libenter intendimus, per quę Eccleſię, ac Monaſteria, & perſonę, pręſertim ſub fragili ſexu in eis degentes, ſub bono, & felici regimine dirigantur, ac ſubductis ab illis diſpendiis quibuslibet, optata in ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiant incrementa. Dudum ſiquidem pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę & Conventus Monaſterii in Clingental in minori Baſilica, Ordinis Sancti Auguſtini per Prioriſſam ſoliti gubernari, Conſtantien. (3) Dięceſis, inter alia Nobis expoſito, quod olim ipſę tunc in loco Zudenhuſern, Baſilien. (4) Dięceſis, ſub cura & regimine Fratrum Prędicatorum degentes, & tandem ad prefatum Monaſterium translatę, eorundem Fratrum negligentia in ſpiritualibus & temporalibus, non abſque ſcandalo ſubierant detrimenta, quodque propterea, ne gravioribus premerentur incommodis, exemptioni, quę illas ratione curę & regiminis prędictorum contingebat, quantum in ipſis fuerat renunciantes, ac a cura, & regimine prefatis declinantes, venerabili Fratri Noſtro Epiſcopo Conſtantien. ad hoc, ut eis in ſpiritualibus, & temporalibus prędictis etiam contra inferentes ipſis moleſtias & jacturas, illiuſque juriſdictioni, poteſtati, & dominio ſe ſubmiſerant, ac ſub illis circa biennium proſperis in Domino ſuſceptis incrementis conſervatę fuerant, Nos tunc dictarum Prioriſſę, & Conventus in ea parte ſupplicationibus inclinati, per alias noſtras literas certo dedimus judici inter alia in mandatis, ut, ſi eſſet ita, & aliud canonicum non obſtaret, declinationem, & ſubmiſſionem prędictas, ac omnia inde ſecuta auctoritate noſtra approbaret, & confirmaret, prefataſque Prioriſſam, & Conventum ſub Ordinarii cura, regimine, obedientia, & directione ex tunc in antea vivere debere eadem auctoritate decerneret, prout in dictis literis plenius continetur. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis pro parte dilectorum filiorum Communitatis, & Civium Civitatis Baſilien., quod Fratres Ordinis Fratrum Prędicatorum a pluribus annis tunc ſub regulari obſervantia eorum Ordinis hujuſmodi, ac vitę caſtimonia inibi Altiſſimo famulantes in Domo Sancti Johannis extra muros Baſilien. variis multiplicarunt, prout quotidie multiplicant, virtutum meritis, & Monaſterium Sanctę Marię Magdalenę ad lapides extra muros prędictos prefati Ordinis Sancti Auguſtini ex felici regimine Prioris, & Conventus eorundem multipliciter reformatum exiſtat, ac in eo illius Sorores ſub obſervantia prędicta, ac perpetua clauſura laudabiliter vivant, ac ipſi Communitas, & Cives ſperant, quod dictum Monaſterium de Clingental, ſi illud ab obedientia, cura, & juriſdictione Ordinarii hujuſmodi ſegregabitur, & ad primęvam curam, regimen, & adminiſtrationem, ita quod in eo ipſius Prioriſſa, & Conventus, ſub obſervantia, & clauſura prefatis de cetero permanere debeant, reducetur, ex operibus fructuoſis, & vita laudabili Prioris, & Conventus domus prefatorum utiliter, & ſalubriter dirigetur, pro parte dictorum Communitatis, & Civium Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper premiſſis ſtatui prefati Monaſterii de Clingental conſulere, & opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de prędictis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, circumſpectioni tuę, de qua in his, & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de premiſſis omnibus, & ſingulis, & eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi, ea fore vera, repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Monaſterium de Clingental, illiuſque Prioriſſam, Moniales, & perſonas, prędictas a cura, regimine, obedientia, & directione Ordinarii hujuſmodi auctoritate noſtra prędicta ſepares, atque ſegreges, necnon regimini, & gubernationi Magiſtri Generalis pro tempore exiſtentis, ac Fratrum dicti Ordinis Prędicatorum, ita quod illius Prioriſſa, Moniales, ſeu Sorores pręſentes, ſeu futurę in eo ſub obſervantia, & clauſura, prefatis vivant, auctoritate noſtra ſubiicias, & ſubmittas, illaque ex tunc in antea ad eos pertinere decernas. Non obſtantibus literis prędictis, etſi ad illarum executionem proceſſum exiſtat, necnon conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii de Clingental, & Ordinis Sancti Auguſtini prędictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo, Quarto Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Supplex Monialium petitio.

Mandatum.

Clauſula derogans.

X
X
X
Jo. de Steccatis

Gallo....dus.
A tergo.
R.

Super plicum, ſeu partem inverſam ſubſcripſerunt
.....
N. de Cremoneaſibus.

1. *Clin-*

1. *Clingental.*) Corrupte *Chilugendal* dicitur apud *Echard* in *Notitia Ordinis Tomo I Scriptor. Ord. pag.* 10.
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur. Exemplar ibidem legitur ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXXVI fol.* 99.
3. *Conſtantien.*) In *Suevia*.
4. *Baſilien.*) *Baſileæ*, in *Helvetiis*.

Beneficium Eccleſiaſticum confert Monaſterio de Cælicorona (1).

Anno 1437
Die 8 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLVIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Officiali Maguntin. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AD Monaſteriorum, necnon Religioſorum locorum, ac in eis degentium perſonarum omnium, ſtatum ſalubriter, & proſpere dirigendum, paterna ſolicitudine vigilantes, illorum profectibus libenter intendimus, ac ea, quę pro ipſorum commodo, & utilitate provide proceſſiſſe comperimus, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolico mandamus munimine roborari. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę & Conventus Monaſterii Monialium de Cęlicorona prope Wormatiam (4), Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim pro earum parte dilecto filio noſtro Juliano (5) tituli Sanctę Sabinę Presbytero Cardinali, in partibus illis Apoſtolicę Sedis Legato, inter alia expoſito, quod ipſę quę una cum tribus Religioſis Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſub quorum cura, & arctiſſima regulari obſervantia tunc degebant, prout degunt, in eodem Monaſterio Miſſas, & alia divina officia celebrando, Eccleſiaſticaque eis Sacramenta miniſtrando, continuo permanentibus, & aliis ipſius Monaſterii perſonis, quę ſexaginta numero erant, ex fructibus, redditibus, & proventibus dicti Monaſterii ſe, Religioſos, & perſonas hujuſmodi commode ſuſtentare, & alia eis & dicto Monaſterio pro tempore incumbentia onera ſupportare nequibant, quodque, ſi quoddam ſine cura beneficium perpetuum ad Altare Sanctę Agnetis ſitum in Eccleſia prędicti Monaſterii, per ſecularem Clericum regi conſuetum, ad ipſarum exponentium prę̨ſentationem pertinens, ratione cujus illud tunc obtinens vix unam Miſſam ſuper ipſo Altari, ſeu in eadem Eccleſia ſingulis menſibus celebrabat, ſeu celebrari faciebat, eidem Monaſterio uniretur, ex hoc ipſę exponentes, in ſuſtentatione, & ſupportatione prędictis aliquod ſuſciperent relevamen, & ut in Eccleſia, ſeu Altari hujuſmodi ratione prędicti Beneficii debita prę̨ſtarentur obſequia, effectualiter intenderent, idem tunc Cardinalis ad prędictarum exponentium inſtantias, auctoritate ſuę Legationis, ſub certis modo, & forma tunc expreſſis, certo dedit judici inter alia in mandatis, ut beneficium prędictum prędicto Monaſterio, ſeu illius menſę Conventuali eadem auctoritate uniret, annecteret, & incorporaret, prout in prędicti Cardinalis, ejus ſigillo munitis, literis dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio Nobis facta, ſubjungebat, prędictus judex ad literarum earundem, illarum forma ſervata, executionem procedens, beneficium prędictum Monaſterio, ſeu menſę prędictę univerit, annexuerit, & incorporaverit, pro parte ipſarum Prioriſſę, & Conventus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut unioni, annexioni, & incorporationi prędictis, ac omnibus, & ſingulis inde ſecutis pro earum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adjicere, ac alias earum, ac dicti Monaſterii ſtatui ſuper hoc opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de prę̨miſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de prę̨miſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ea fore vera repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, unionem, annexionem, & incorporationem prędictas, ac omnia, & ſingula in proceſſibus, per literas eaſdem habitis, contenta, & inde ſecuta hujuſmodi auctoritate noſtra prędicta approbes, & confirmes, ſuppleaſque omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & nihilominus ad prę̨miſſorum abundantiorem cautelam, prędictum beneficium, cujus quatuor, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, Monaſterio, ſeu menſę hujuſmodi, cujus quadraginta marcarum argenti fructus, redditus, & proventus ſecundum communem extimationem valorem annuum, ut ipſę exponentes etiam aſſerunt, non excedunt, auctoritate noſtra prędicta perpetuo unias, incorpores, & annectas, ita quod, cedente, vel decedente perpetuo ad Altare & beneficiis hujuſmodi beneficiato, ſeu illud alias quomodolibet dimittente, liceat Prioriſſę pro tempore exiſtenti dicti Monaſterii, ac prędicto Conventui, per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem beneficii, juriumque, & pertinentiarum prędictarum auctoritate propria libere apprehendere, ac perpetuo retinere, hujuſmodique illius fructus, redditus, & proventus, in ſuos & dicti beneficii uſus, & utilitatem convertere, Diœceſani loci, & cujuslibet alterius ſuper hoc licentia minime requiſita. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii, & Ordinum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales prędictę Sedis, vel Legatorum ejus, literas impetrarint, etiam ſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem, ad dictum beneficium volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem aliorum beneficiorum prę̨judicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, ac literis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, per quę prę̨ſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Voluntus autem, quod propter unionem, annexionem, & incorporationem factas, ſeu faciendas hujuſmodi, ſi illas vigore prę̨ſentium effectum ſortiri con-

Supplex Monialium petitio.

Indultum.

Clauſula derogans.

contingat, prefatum beneficium debitis propterea non fraudetur obſequiis, ſed eius debite ſupportentur onera conſueta. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo, Octavo Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Calicorona.*) In *Germania Superiori.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXXVI fol.* 178.
3. *Maguntin.*) Aliis *Moguntin.*, & *Magontin.* in *Germania* ad *Rhenum.*
4. *Wormatiam.*) Seu *Wormaciam*, & *Vormaciam*, vulgo *Worms*, in *Germania Superiori.*
5. *Juliano.*) Adeas *Oldoinum* apud *Ciaconium Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad an. MCCCCXVII pag.* 861.

Anno 1437
Die 14 Julii.

Beneficium confert Monaſterio Wormacienſi (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLIX.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Officiali Spiren. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AD ea per quę Monaſteriorum, & aliorum locorum Religioſorum, necnon perſonarum preſertim ſub fragilii ſexu in illis Altiſſimo famulantium, omnium utilitati conſulitur, & opportunitatibus ſubvenitur, libenter intendimus, illiſque, quantum cum Deo poſſumus, favorem benevolum impertimur. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę & Conventus Monaſterii in Lebeuario prope muros Wormacien., Ordinis Sancti Auguſtini per Prioriſſam ſoliti gubernari, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum jam ſeptuaginta annis elapſis quondam Robertus (4) Dux Bavarię pro ſua, ac eius tunc uxoris, ſuorumque progenitorum animarum ſalute, quoddam perpetuum beneficium in Eccleſia prefati Monaſterii inſtituit, illudque de bonis ſibi a Deo collatis pro uno Presbytero ſeculari,

Supplex petitio.

ſeu regulari, Miſſam hujuſmodi perpetuo celebraturo, & ad id per Prioriſſam pro tempore exiſtentem dicti Monaſterii, ac prefatas Conventum eligendo dotavit, prout in quodam publico Inſtrumento, deſuper confecto, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, exponentes ipſę quinquaginta & ultra numero exiſtant, ac in dicto Monaſterio ſub arctiſſima clauſura, & regulari obſervantia, ſingulis etiam ſeptimanis Sanctiſſimum Corpus Dominicum devotiſſime deſumendo a pluribus annis laudabiliter permanſerint, prout permanent etiam de preſenti, quodque pro ipſarum, necnon aliarum in dicto Monaſterio ſervientium perſonarum, ac duorum qui earum Confeſſiones audiendo, & ipſis Eccleſia Sacramenta miniſtrando, quaſi continuam inibi reſidentiam faciunt, vitę ſuſtentatione, necnon aliorum Fratrum Ordinis Predicatorum Religioſorum, ſub quorum cura ipſę exponentes degunt, ad dictum Monaſterium pro Miſſis, & aliis Divinis Officiis ſepius accedentium, & diverſarum neceſſariarum inibi occurrentium proviſione plura quotidie expenſarum onera ſupportare teneantur, & ſupportent, & alias provide conſiderent, quod ſi prefatum beneficium eidem Monaſterio perpetuo uniretur, incorporaretur, & annecteretur, ex hoc exponentes ipſę in ſuſtentatione, proviſione, & ſupportatione prefatis, aliquod ſuſciperent relevamen, pro parte dictarum Prioriſſę & Conventus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc earum, & dicti Monaſterii ſtatui opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de premiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de premiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra, te diligenter informes, & ſi per informationem, ea vera eſſe, repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, beneficium predictum, cuius quatuor, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis prefato Monaſterio,

Collatio.

cujus quadraginta marcarum argenti fructus, redditus, & proventus, ſecundum communem extimationem, valorem annuum, ut ipſę exponentes aſſerunt, non excedunt, auctoritate predicta perpetuo unias, incorpores, & annectas, ita quod, cedente, vel decedente perpetuo beneficiato ad beneficium in Eccleſia hujuſmodi, aut alias illud quomodolibet dimittente, liceat Prioriſſę pro tempore dicti Monaſterii, & prefatis Conventui, per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem beneficii, juriumque, & pertinentiarum predictorum auctoritate propria libere apprehendere, ac hujuſmodi illius fructus, redditus, & proventus in ſuos, ac dictorum Monaſterii, & Fratrum uſus, & utilitatem convertere, Diœceſani loci, & cujuſcunque licentia ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus inſtitutione & dotatione predictis, ac Apoſtolicis Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon Monaſterii, & Ordinis predictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales Apoſtolicę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiam ſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem

Clauſula derogans.

ad dictum beneficium volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum preiudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, per quę preſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Volumus autem, quod ſi unionem, annexionem, & incorporationem predictas vigore preſentium effectum ſortiri contingat, prefatum beneficium debitis propterea non fraudetur obſequiis, ſed quod Prioriſſa pro tempore, & Conventus prefatę illius ratione Miſſas, & alia Divina officia in dicta Eccleſia alias juxta ordinationem, & voluntatem dicti Ducis, in inſtrumento hujuſmodi expreſſas, celebrari facere, prout etiam ad id ſe ſponte obtulerunt, necnon alia eidem beneficio pro tempore incumbentia onera ſupportare teneantur. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo, Pridie Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. Wor-

1. *Wormacienſ.*) In *Germania Superiori*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXVI fol.* 12.
3. *Spiren.*) In ejuſdem nominis Tractu *Germaniæ*,
4. *Robertus.*) Hujus nominis varii *Bavariæ* Duces. De eo loquitur Diploma, qui vivebat anno *MCCCLXVII.*

Anno 1437 Die 15 Julii.

Cœnobio Dienſi (1) Beneficium confert.

Ex Arch. (2) *Ordinis.*

CLX.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio officiali Dien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AD ea libenter intendimus, quę tam perſonarum, & locorum eccleſiaſticorum, pręſertim regularium, utilitatibus, & commodis, quam & aliorum, qui ſincerę videntur illis exhibere pietatis affectum, animarum ſaluti redduntur, auctore Domino, profutura. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Domus Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac Nobilis viri Petri Clareti Militis Domini loci de Tribuschanutis, Dien. Dięceſis, petitio continebat, quod olim dictus Petrus verus patronus, & in pacifica poſſeſſione, vel quaſi, juris pręſentandi perſonam idoneam ad quandam perpetuam Capellaniam per quondam Hymbertum Clareti Domicellum, & ejus in Dominio dicti loci Prędeceſſorem in Parochiali Eccleſia de Noveriis dictę Dięceſis fundatam, & dotatam, dum vacat, exiſtens, provide conſiderans, quod vix Capellanus poteſt reperiri, qui in dicta Capellania poſſit, ac juxta voluntatem dictorum fundatorum, ex eo maxime quod ſupradicta Eccleſia eſt in loco Montoſo, & quaſi inhabitabili fundata, velit reſidere, quodque Domus & Eccleſia Fratrum hujuſmodi, in qua Divinus cultus dietim attentius adaugetur, tam in Calicibus & aliis ornamentis eccleſiaſticis, quam in earum ędificiis, reparationibus quamplurimis indigeant, ipſe Petrus paupertati, & indigentię Conventus, Eccleſię, & Domus eorundem pie compatiens, & aliquantulum illis, & aliis pręmiſſis providere cupiens, voluit, & ordinavit, divinum officium, quod eidem Capellano, ſeu illam pro tempore obtinenti, ex voluntate, & ordinatione dictorum fundatorum incumbit, in Eccleſia per unum ex Fratribus dicti Conventus, alias juxta ordinationem fundatorum eorundem de cetero fieri, ac perpetuis temporibus celebrari, quodque ipſius Capellanię fructus, redditus, & proventus ad uſum, & utilitatem Conventus, Eccleſię, & Fratrum Domus eorundem ſimiliter debeant applicari; &, ſicut accepimus, dilectus filius Johannes Perrini ipſius Capellanię Capellanus, ad id etiam venerabilis Fratris noſtri Johannis (3) Valentin. & Dien. (4) Epiſcopi accedente conſenſu. Capellaniam prędictam, quam obtinet, ſponte & libere reſignare proponit, pro parte Conventus & Petri prędictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dictum officium in pręfata Eccleſia Fratrum hujuſmodi de cetero fieri & celebrari, necnon fructus, redditus, & proventus eoſdem ad uſum & utilitatem prędictos ſimiliter debere applicari, decernere, ac dictos Fratres hujuſmodi, fructus, redditus, & proventus recipiendi, & ad uſum, & utilitatem prędictos ſic applicandi, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, ac votis Johannis Perrini in hac parte favorabiliter annuentes, hujuſmodi quoque ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus ab eodem Johanne Perrini, vel Procuratore ſuo ad hoc ab eo ſpecialiter conſtituto, reſignationem hujuſmodi, ſi eam in tuis manibus ſponte, & libere facere voluerit, ut pręfertur, auctoritate noſtra hac vice dumtaxat recipias, & admittas, eaque per te recepta, & admiſſa ſupradictum officium per unum ex dictis Fratribus in Eccleſia Conventus, alias juxta ordinationem fundatorum hujuſmodi, de cetero fieri, ac perpetuis temporibus celebrari, quodque hujuſmodi Capellanię fructus, redditus, & proventus, qui ultra duodecim libras Turonen parvorum ſecundum communem extimationem, ut aſſeritur, non valent annuatim, ſive dicta Capellania per reſignationem hujuſmodi, aut alias quovis modo tunc vacet, & ſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta, ipſaque Capellania diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos in Romana Curia, vel extra eam lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo tempore datę pręſentium non ſit in ea alicui ſpecialiter jus quęſitum, ad uſum, & utilitatem prędictos, & ad id eorundem Johannis Epiſcopi & Petri, ut pręmittitur, accedat conſenſus, perpetuis temporibus debere applicari, eadem auctoritate decernas, ac dictis Fratribus hujuſmodi fructus, redditus, & proventus recipiendi, necnon ad uſum, & utilitatem prędictos, ſic applicandi, licentiam eadem auctoritate concedas, inducens per te, vel alium, ſeu alios eoſdem Conventum & Fratres in corporalem poſſeſſionem jurium, pertinentiarumque Capellanię hujuſmodi, & defendens inductos, amotis quibuslibet detentoribus ab eiſdem, ac faciens ſibi de hujuſmodi fructibus, redditibus, proventibus, ac ejuſdem Capellanię juribus, & obventionibus univerſis, ad uſum, & utilitatem prędictos, ut pręmittitur applicandis integre reſponderi. Contradictores auctoritate Noſtra &c. Non obſtan. felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi Prędeceſſoris noſtri, & aliis conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Ordinis, Conventus, & Domus prędictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ac omnibus in fundatione Capellanię hujuſmodi contentis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales dictę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, necnon Proceſſus habitos per eaſdem ad dictam Capellaniam volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum prędiudicium generari, quibuslibet privilegiis, Indulgentiis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus

Supplex petitio.

Collatio.

Clauſula derogans.

non

non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum ſit habenda mentio ſpecialis, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem Sede indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Propterea quoque cum non ſit veriſimile, quod quis beneficia, multis forſan laboribus per eum acquiſita, de quibus vitę ſubſidium percipit, abſque magna cauſa ſponte reſignet, attente provideas, ne in reſignatione hujuſmodi, ſi fiat, ex parte Johannis Perrini, ac aliorum prędictorum aliqua ſimoniaca pravitas interveniat, ſeu etiam corruptela; Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo, Idibus Julii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Dienſ.*) Vulgo *Die*, in *Delphinatu*. Juris eſt *Toloſanæ* Provinciæ.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXVI fol.* 179.
3. *Johannis.*) De quo *Sammarthani* in *Epiſcop. Valentin. & Dien.*
4. *Valentin. & Dien.*) Tunc enim utrique Diœceſi unus Epiſcopus jus dicebat. Nunc unus Epiſcopatus ab alio diſtinctus.

Anno 1437 Die 15 Julii.

Imperatori Græcorum, & Conſtantinopolitano Patriarchæ F. Johannem de Raguſio (1), ceteroſque ad Græcos a Baſileenſi Concilio Legatos (2) commendat.

Ex Odorico (3) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCCXXXVII num. XII.

CLXI. Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Johanni Palęologo Romęorum Imperatori illuſtri, & venerabili Fratri Joſeph Conſtantinopolitano Patriarchę, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

CUm pridem Sacra Baſileenſis Synodus (4) pro futuro ęcumenico Concilio in Italia celebrando ad ſanctiſſimam unionem occidentalis & orientalis Eccleſię, Deo propitio, conſequendam locum elegerit (5), & dilectis filiis Johanni (6) tituli S. Petri ad vincula, ac Juliano (7) tituli S. Sabinę S. R. E. Presbyteris Cardinalibus, & venerabili Fratri Johanni (8) Archiepiſcopo Tarentino in ea Synodo Apoſtolicę Sedis Legatis, & Pręſidentibus, eligendi Oratores ad vos cum galeis ex parte prętatę Synodi deſtinandos, ac eis omnia & ſingula committendi, quę ad executionem incumbentium negotiorum fuerint neceſſaria, plenam dederit poteſtatem, veluti in Decreto (9) ſuper hoc confecto plenius continetur, prętati Legati & Pręſidentes ex hujuſmodi ſibi poteſtate conceſſa, venerabiles Fratres Petrum (10) Dignenſem (11), & Antonium Portugalenſem (12) Epiſcopos, cariſſimorum in Chriſto filiorum Francię, & Portugalię Regum illuſtrium in dicta Synodo Oratores, ac dilectum filium Nicolaum de Cuſa (13) Prępoſitum Monaſterii (14), Decretorum Doctorem ex parte dictę Synodi ad devotiones veſtras tranſmittendos elegerunt (15), quibus etiam dilectum filium Johannem de Raguſio Ordinis Prędicatorum, Sacrę Theologię profeſſorem, nunc apud Nos Oratorem, adjunxerunt (16), cum plena poteſtate pręmiſſa faciendo (17), ut in literis & inſtructionibus ſuper hoc eis traditis ſerioſius continetur, Nobis deinde inſtantius ſupplicantes, ut electionem, & commiſſionem hujuſmodi approbare, & Oratores ipſos cum literis noſtris cum dictis & aliis ad vos ulterius tranſmittere dignaremur. Nos autem omnia & ſingula ſupradicta rata & grata habentes, ipſorum Oratorum profectioni, ut petitum eſt, libenter annuimus. Quare caritatem veſtram exhortamur in Domino, quatenus Oratores prętatos, latores pręſentium, ad vos pro tanto pietatis opere venientes, placeat benigne ſuſcipere, ipſoſque ſimul cum venerabilibus Fratribus Marco Tarantaſienſi (18) Archiepiſcopo, & Chriſtophoro Coronenſi (19) Epiſcopo ſpecialibus Oratoribus noſtris, ſuper dicto Concilio, ut pręmittitur, in Italia celebrando, libenti animo exaudire, eisque cum prędictis Oratoribus noſtris in omnibus ad rem hujuſmodi pertinentibus, fidem plenariam adhibentes (20). Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo, Idibus Julii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Legatos commendat.

1. *Johannem de Raguſio*.) Conſulendi Scriptores quos laudat, & excipit *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXLIV pag.* 797.
2. *Legatos*.) Adeas *Odoricum ad an. MCCCCXXXVII num. XII*, & *XIII*.
3. *Odorico*.) Citat *Librum XI Eugenii IV pag.* 239. Legitur apud *Labbeum Tomo XIII Concilior. pag.* 850. *Edit. Pariſien.*
4. *Synodus*.) Potior nimirum illius Synodi pars, quæ a factioſis ſegregata id nomen meruit, ut notat *Odoricus*.
5. *Elegerit*.) Seſſione *XXV* Nonis Maii habita *MCCCCXXXVII*.
6. *Johanni*.) *Cervantes* nuncupato, natione *Hiſpano*. Ipſius meminit *Oldoinus* apud *Ciaconium in Martino V ad an. MCCCCXVII pag.* 860.
7. *Juliano*.) *Cæſarino*, ut videre eſt apud *Ciaconium pag.* 861.
8. *Johanni*.) Vide, ſi placet, Acta *Baſileenſis Concilii*.
9. *Decreto*.) Legitur apud *Odoricum Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCCCXXXVII num. VII*.
10. *Petrum*.) *De Vercellis* cognominatum, de quo *Sammarthani in Gallia Chriſtiana*.
11. *Dignenſem*.) *Dinienſem* ſcilicet, vulgo *Digne*, in *Gallo-Provincia*.
12. *Portugalenſem*.) Seu *Portucalenſem*, vulgo *Portugallo*, in *Luſitaniæ* Regno.
13. *Nicolaum de Cuſa*.) Cardinalem a *Nicolao V* poſtea creatum. *Oldoinus* apud *Ciaconium in Nicolao V ad an. MCCCCXLVII pag.* 973.
14. *Monaſterii*.) *Wotobergenſis*. Hanc vocem in ipſo Diplomate deſiderari notat *Labbeus*.
15. *Elegerunt*.) Nota quod *Baſileenſes* acephali, ſeu ſejuncti a Legatis Apoſtolicæ Sedis, alios Oratores *Johannem* ſcilicet *Lubricenſem*, *Ludovicum Viſenſem*, *Delphinum Parmenſem*, & *Ludovicum Lauſanenſem* Epiſcopos elegerant, ut liquet ex Decreto quod refert *Labbeus Tomo XII Concil. pag.* 578. *Edit. Pariſien. MDCLXXII*.
16. *Adjunxerunt*.) Hinc liquet *Johannem* noſtrum a ſaniori parte *Baſileenſis* Concilii, Legatis Pontificis adhærente, *Conſtantinopolim* legatum fuiſſe. Emendandus igitur *Echard* noſter, qui *pag.* 798 contrarium probandum ſuſcipit.
17. *Faciendo*.) Id præcedentem *Notam* confirmat. Apud *Labbeum* legitur *Faciendi*.
18. *Tarantaſienſi*.) In *Alpibus Graiis*. Legationis Bulla legitur apud *Labbeum Tomo XIII Concilior. pag.* 853 *Edit. Pariſien.*

19. Co-

Digitized by Google

19. *Coronenſ.*) In *Peloponneſo*.
20. *Adhibentes.*) Oratoribus ab *Eugenio IV* commendatis fidem adhibuiſſe *Palæologum*, & Patriarcham *Conſtantinopolitanum*, Oratoribus *Baſileenſium* acephalorum ſpretis, auctor eſt *Patricius* in *Summario Actorum Concilii Baſileenſis* apud *Labbeum Tomo XIII Concilior. pag.* 840 *&c. Edit. Pariſien.*

Beneficium Eccleſiaſticum confert Cœnobio Wormacien. (1) a Duciſſa Bavariæ Ordinis S. Dominici Moniale, fundatum.

Anno 1437 Die 1 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLXII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio officiali Maguntin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcræ Religionis zelus, ſub qua dilecti filii Prior, & Conventus Domus Wormacien., Ordinis Fratrum Prędicatorum, mundanis abjectis illecebris, devotum, & ſedulum exhibent Altiſſimo famulatum, non indigne meretur, ut eorum petitionibus, illis pręſertim per quę eorum, & dictę Domus commodo, & utilitati conſulitur, ac opportunitatibus ſubvenitur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Sane pro parte dictorum Prioris, & Conventus, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod dudum dilectę in Chriſto filię Prioriſſa, & Moniales Monaſterii in Lebenario Ordinis Sancti Auguſtini Wormacien., ſub cura dictorum Fratrum degentes, ſupponentes, & conſiderantes, quod dicti exponentes Miſſas & alia Divina Officia in dicto Monaſterio celebrando, necnon Confeſſiones earum audiendo, eccleſiaſtica Sacramenta ipſis miniſtrando, plura tunc eis prędiderant, & quotidie pręſtabant obſequia, ac cupientes, quod per aliquem ex dictis Fratribus una Miſſa in Eccleſia prędictę Domus decantaretur, nonnulla tunc expreſſa immobilia bona, quę tunc a quondam Iranegarde (3) Duciſſa Bavarię prętati tunc Monaſterii Moniali, & duabus aliis tunc expreſſis perſonis, certo modo receperant, Prioribus & Fratribus, dictę Domus pręſentibus, ac futuris de Duciſſę, & perſonarum earundem voluntate in puram eleemoſynam libere conceſſerunt pariter & donarunt, ita quod quondam tunc ipſius Duciſſę Capellanus Miſſam prętatam decantando, fructus, redditus, & proventus bonorum hujuſmodi, quandiu viveret, percipere deberet, & habere, prout in Prioriſſę, & Monialium prędictarum literis deſuper confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte Prioris & Conventus Domus hujuſmodi nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſioni, & donationi prędictis, ac omnibus & ſingulis in prętatis literis contentis, & inde ſecutis pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adjicere, & alias ſuper hoc eorum, & dictę Domus ſtatui, opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de premiſſis certam notitiam non habentes, ac omnium, & ſingulorum prędictorum bonorum qualitates, quantitates, valores, & confinia pręſentibus pro expreſſis haberi volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de premiſſis omnibus & ſingulis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi, ea fore vera repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, conceſſionem, & donationem, ac omnia, & ſingula in literis contenta, & inde ſecuta hujuſmodi, approbes, & confirmes, ſuppleaſque omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & nihilominus ad abundantiorem premiſſorum cautelam, omnia, & ſingula bona prędicta cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Domui auctoritate prędicta perpetuo applices, unias, incorpores, & annectas, ita quod Prior & Fratres prętati Miſſam prętatam juxta ordinationem Prioriſſę & Monialium prędictarum in dicto Monaſterio per unum ex eis decantari facere teneantur, quodque cedente, vel decedente ea perſona principaliter poſſidente, ſeu alias illa quomodolibet dimittente, liceat prętatis exponentibus per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem bonorum, juriumque & pertinentiarum prędictorum auctoritate propria libere apprehendere, & perpetuo retinere, Diœceſani loci, vel alicujus alterius ſuper hoc licentia minime requiſita. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii, Domus, & Ordinum prędictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis Beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus, ſpeciales, vel generales prętatę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiam ſi per eas ad inhibitionem, conſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem ad dicta bona volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem Beneficiorum aliorum prejudicium generari, & quibuslibet privilegiis, indulgentiis, ac literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in Noſtris literis mentio ſpecialis. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo, Kalendis Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Supplex petitio.

Collatio.

Clauſula derogans.

1. *Wormacien.*) In *Germania Superiori*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXXVI fol.* 103.
3. *Iranegarde.*) *Iramengarde*.

Fir-

Anno 1437 Die 12 Septembris.

Firmat donationem factam Monaſterio B. M. Magdalenæ, ad Lapides nuncupato, in Suburbiis Baſileæ (1) ſito.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Juliano, Tituli Sanctę Sabinę Presbytero Cardinali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

EA, quę pro Monaſteriorum, & aliorum Religioſorum locorum, ac in eis prẹſertim ſub fragili ſexu degentium perſonarum omnium, commodo, & utilitate provide proceſſiſſe comperimus, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a nobis petitur, mandamus munimine roborari. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Beatę Marię Magdalenę ad Lapides in ſuburbiis Baſilien., Ordinis Sancti Auguſtini, per Prioriſſam ſoliti gubernari, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, petitio continebat, quod olim dilecti filii Burkardus de Rono Miles, ac Antonius de Eptingen., alias Huſer Armiger Baſilien., cupientes terrena in cęleſtia, ac tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, Miles videlicet tertiam partem decimarum provenientium ex fructibus, ac redditibus omnium terrarum, & poſſeſſionum infra metas Parochialis Eccleſię Villę in Grentzingen., Baſilien. Diœceſis conſiſtentium, ac jus eaſdem decimas levandi, & percipiendi, ac juspatronatus, ſeu collationis dictę Eccleſię, necnon Armiger, pręfati quoſdam hortum, & aream, qui juxta ipſam Eccleſiam, ac infra eam, & flumen inibi proximum Dyeylle nuncupatum exiſtunt, ac ſimile jus ejuſdem Eccleſię cum decima minuta pręfatę Eccleſię, ac nemoribus tunc expreſſis & aliis univerſis juribus & pertinentiis ſuis, ad eos tunc legitime ſpectantia, a ſe, eorumque hęredibus, & ſucceſſoribus, abdicantes, illa omnia Prioriſſę, & Conventui, ac Monaſterio pręfatis, ſponte, pure, & libere, ſucceſſive donarunt, tradiderunt, & aſſignarunt, & in Prioriſſam, & Conventum, & Monaſterium hujuſmodi libere tranſtulerunt, eiſque de omnibus, & ſingulis decimis, area, horto, patronatus, ſeu conferendi, ac aliis, juribus, & pertinentiis ſupradictis, donationem liberam, quę donatio inter vivos communiter nuncupatur, fecerunt, volentes inter alia quod Prioriſſa pro tempore dicti Monaſterii, ac pręfatę Conventus nonnulla Anniverſaria, Vigilias, & Miſſas, tunc expreſſas, certis diebus tunc expreſſis ſingulorum annorum celebrari facere tenerentur, prout in diverſis publicis Inſtrumentis, deſuper confectis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte Prioriſſę & Conventus prędictarum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pręmiſſis omnibus, & ſingulis pro earum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis omnibus certam notitiam non habentes, ac decimarum, areę, horti, & jurium prędictorum qualitates, quantitates, valores, & confinia pręſentibus pro expreſſis haberi volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, circumſpectioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus donationes, traditiones, & tranſlationes, & voluntates prędictas, ac omnia, & ſingula in pręfatis Inſtrumentis contenta, ſi, & poſtquam de illis tibi legitime conſtiterit, & quęcunque inde ſecuta, auctoritate Apoſtolica approbes, & confirmes, ſuppleaſque omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo, Pridie Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Supplex petitio.

Confirmatio.

1. *Baſilea.*) In *Helvetiis.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* Lib. *XCI fol.* 58.

Anno 1437 Die 11 Octobris.

Monialibus Juliomagenſis (1) Monaſterii, quas voluerint, in numerum Sororum ſuſcipiendi, libera ſit facultas. Qua de re Conſervatores conſtituit.

Ex Archivo (3) Ordinis.

CLXIV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Conſtantien. (3), & dilectis filiis in Salem Conſtantien. Diœceſis, ac in Cryflingen., extra muros Conſtantien. Monaſteriorum Abbatibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

EX ſuſcepto ſervitutis officio ad ea per quę quorumlibet fidelium, illorum prẹſertim, qui carnalibus abjectis deſideriis in humilitatis ſpiritu, ſub regulari obſervantia gratum Altiſſimo jugiter impendunt famulatum, ſtatui votive conſulitur, noſtrę partes ſolicitudinis diffuſius impertimur. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum, Sororum Domus Sancti Dominici oppidi in Pfullendorf. Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum degentium petitio continebat, quod ipſę, quę ex piis Chriſti fidelium largitionibus, eleemoſynis, & donationibus, nonnulla redditus, poſſeſſiones, & bona immobilia, ex quibus ſuſtentantur, habent per ſeculare dominium dicti Oppidi, circa diſpenſationem, & expoſitionem redditu um & bonorum prędictorum, ac etiam receptionem perſonarum ad dictam Domum, & alias in ſuis privilegiis, juribus, & libertatibus dietim multipliciter gravantur adeo, quod propterea a contemplationis miniſterio, ac debita negotiorum dictę Domus directione plu-

Supplex petitio.

Digitized by Google

plurimum retrahuntur. Cum autem, ſicut petitio ſubjungebat, ipſius oppidi Gubernatores in domum, ac Sorores prędictas tanquam in perſonas, & res laicales, omnimodam juriſdictionem exercere, & vendicare, ipſaſque Sorores ad exponendum, & diſpenſandum, res, & bona, dictę domus ad eorum libitum, & beneplacitum, necnon ad recipiendum ad eandem domum in illius Sorores perſonas minus idoneas, ex quibus nonnulla ſcandala ſuſcitantur, compellere, & coercere temere contendunt in non modicum ipſarum Sororum prędjudicium, & jacturam, pro parte dictarum Sororum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum ſuper pręmiſſis omnibus, & ſingulis, eorumque circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra vos diligenter informetis, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereritis, dictis Sororibus in pręmiſſis efficacis defenſionis auxilio aſſiſtentes, Gubernatores prędictos, & quoſcunque alios in pręmiſſis, & circa ea, vel ipſorum aliquod culpabiles, ut a pręmiſſis penitus, & omnino deſiſtant, nec eaſdem Sorores contra juris communis diſpoſitionem, ac libertates, immunitates, & privilegia eidem domui quomodolibet conceſſa, temerarie inquietent, vel perturbent, aut damna, vel ruinas inferant, vel erogent, per cenſuram Eccleſiaſticam, vel alia opportuna juris remedia compellatis. prout de jure fuerit faciendum. Non obſtantibus ſi dictis Gubernatoribus, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut ad judicium evocari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo, ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo, Quinto Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Mandatum è ... Clauſula derogans.

1. *Juliomagenſis.*) Vulgo *Pfullendorf*, in *Suevia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* XCI *fol.* 184.
3. *Conſtantien.*) In *Suevia*.

Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici (1) conceſſa Privilegia (2) firmat & auget.

Anno 1437 Die 30 Octobris.

Ex Archivo (3) Ordinis.

CLXV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni (4) de Turrecremata (5) Ordinis Prędicatorum, in Sacra Pagina profeſſori, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Dudum ex pluribus virtutibus tuis, quibus famę laudabilis teſtimonio commendabaris, a nobis poſtmodum experientia comprobatis, te Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtrum, cum officio, exercitio, emolumentis, honoribus, & Privilegiis conſuetis deputavimus (6), prout in literis (7) Apoſtolicis ſuper inde confectis latius continetur. Cum autem ſcientia, virtutes, & probitas, tuę nobis, Sedi Apoſtolicę, & Romanę Eccleſię plurimum per hęc tempora fuerint fructuoſę, cupientes eiſdem, ut tenemur, aliquali ex parte, retribuere, & commiſſum tibi Magiſterium propter te in conſuetis honoribus redintegrare, ac novis honorare, ut in Capella noſtra, dum Divina celebrantur officia, ac in publicis, & generalibus Conſiſtoriis, & aliis publicis actibus tu, & ſucceſſores tui, immediate poſt dilectum filium Decanum dilectorum filiorum Capellanorum noſtrorum, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditorum, qui in obſequio Mitrę pro tempore nobis miniſtrat, teneatis, & habeatis, quodque eos, qui in dicta Capella coram nobis ſermocinaturi erunt, vos pro data vobis a Domino prudentia, viros doctos, & ſcientia, & ſermocinandi peritia pręſtantes, qui materiam, de qua ſermonem facturi erunt, vobis manifeſtare teneantur, quibuſque ſermones pro temporum, & feſtivitatum occurrentia imponere poſſitis, valeatis, atque debeatis. Inſuper cum juxta antiquam laudabilem conſuetudinem omnes in Theologia doctorandi in Romana Curia, nonniſi ab hujuſmodi Magiſtro Sacri Palatii legendi licentiam pro forma Magiſterii, & inſignia ejuſdem ſuſcipere conſueverint, quod nullus in poſterum, univerſitate civitatis, in qua Curiam eſſe contigerit, duntaxat excepta, poſſit legere, vel in Theologia in prędicta Romana Curia per aliquem doctorari, ſed vos viros ſeculares, conſiderata peritia, & vitę honeſtate, aliiſque ad id requiſitis, Religioſos vero de ipſorum Generalium licentia, ſi erunt digni, & idonei, ad lecturam ſcientiarum & Biblię promovere, ac Bacchalaureos inſtituere poſſitis, & lectura completa, habito proborum Magiſtrorum, quos, decreveritis aſſumendos, privato examine, prędicta Magiſterii inſignia eis dare, & concedere, ut ſic Magiſtrati gratiis, & Privilegiis, quibus alii Theologię profeſſores gaudent, ipſi etiam uti, & gaudere poſſint, & valeant, auctoritate Apoſtolica concedimus per pręſentes; Volentes, & auctoritate prędicta declarantes, ut omnes tui in dicto officio ſucceſſores, ac illi, quos in veſtrum locum, quoties pro factis Eccleſię, aut alia emergente cauſa, vos contigerit a Curia abſentare, de noſtra licentia ſubſtituere decreveritis, quibuſcunque privilegiis & indultis ſupra conceſſis uti valeant, & gaudeant. Conſtitutionibus Apoſtolicis, privilegiiſque quibuſvis perſonis, aut Univerſitati, ſub quavis verborum forma conceſſis, de quibus etiam de verbo ad verbum habenda eſſet mentio ſpecialis, ac aliis in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat &c. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo, Tertio Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Exordium a laude Johannis. Pivilegia. Nota. Clauſula derogans.

De Curia
Ja. de Viterbio.

1. *Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.*) Primus omnium hac ampliſſima Dignitate donatus fuit S. Patriarcha *Dominicus*, Ordinis FF. Prædicatorum Parens, cui ad hanc uſque Diem ſucceſſerunt ejuſdem Ordinis alumni, Seriem Magiſtrorum Sacri Palatii

Palatii ab anno *MCCXVIII*, quo renunciatus eſt S. P. *Dominicus*, ad ſua uſque tempore produnt *Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. V a pag. 425 ad 459*, & *Echard in Notitia Ordinis Tomo I Scriptor. Ord. Prædicator. pag. e 1. & Tomo II pag. e 2.*

2. *Privilegia.*) De quibus conſulendus *Fontana* mox laudatus a *pag. 408 ad 425.*

3. *Archivo.*) In quo Exemplar typis editum. Legitur etiam apud *Fontanam* loco laudato, *pag. 409* ex *Regeſtis Apoſtolicis.*

4. *Johanni.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.* Ex hac enim Dignitate Magiſtri Sacri Palatii ad Cardinalitiam fuit evectus *Johannes*, ut aliis e ſuis Succeſſoribus, & noviſſime Rmo P. F. *Gregorio Selleri* contigit.

5. *De Turrecremata.*) Vulgo *De Torquemada*. Natione *Hiſpanus* fuit, gentis, Ordiniſque ſui decus, Eccleſiæque univerſæ ſplendidiſſimum lumen, & columen, ut videre eſt apud Auctores, quos laudat & excipit *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCLXVIII pag. 837 &c.*

6. *Deputavimus.*) Anno ſcilicet *MCCCCXXXI*.

7. *Literis.*) Diplomata, quibus Magiſtri Sacri Palatii creati ſunt, hoc in *Bullario* miſſa ſunt, ne longum ſit, ut in *Præfatione ad Primum Volumen* dictum fuit.

Anno 1437 Die 5 Novembris.

Monaſterium de Bono Loco unitur Prioratui Montis-Peſſulani (1) Ordinis Prædicatorum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXVI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Secularis, & Collegiatę Eccleſię Sancti Salvatoris Villę Montis-Peſſulani, Magalonen. (3) Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. AD ea libenter intendimus, per quę Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum locorum, ac perſonarum eorundem ſalubriter, prout inſtantius requirit Eccleſiarum qualitas, & locorum perſuadet utilitas, valeat provideri. Sane exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Catharinę Prioriſſę & Conventus B. Marię de Prolhano (4) Villę Montis-Peſſulani, Ordinis Sancti Auguſtini Magalonen. Dięceſis, ſub habitu, & inſtitutione Ordinis Fratrum Pędicatorum, ac perpetua clauſura degentium, petitio continebat, quod licet dictus Prioratus in ejus primęva fundatione (5) pro illius Prioriſſę, & Monialium pro tempore, ac ejuſdem Prioratus ſuſtentatione ſufficienter dotatus extitiſſet, occaſione tamen guerrarum, necnon mortalitatum & aquarum inundationum, aliarumque multiplicium Supplex petitio. calamitatum, quibus dictę partes proh dolor! diu fuerunt concuſſę; adeo in ſuis facultatibus eſt diminutum, quod ipſa Prioriſſa, & decem alię Moniales dicti Ordinis ibidem degentes, vitę ſuę neceſſaria, & alia onera dicti Prioratus nequeunt commode ſupportare, quodque etiam Monialium Monaſterium de bono Loco alias Vinhogalo, Ciſtercien. Ordinis, dictę Dięceſis in loco utique nemoroſo exiſtens, & a dicta Villa non ultra leucam cum dimidia, ut communiter aſſeritur, diſtans, temporum etiam cauſante malitia, fuit a longo tempore, prout adhuc exiſtit, Monialibus adeo derelictum, quod in ipſo dumtaxat Abbatiſſa, quę interdum ibidem reſidere ſolet, & quędam alię Moniales ad aliud Monaſterium jam tranſlatę, remanſerunt, ac exinde bis, aut ter in anno in dicto Monaſterio Divina vix celebrantur, illius quoque bona, & proventus, ut plurimum deperduntur. Quare pro parte Prioriſſę, & Conventus earundem aſſerentium, quod ſi dictum Monaſterium, cujus quadraginta, eidem Prioratui, cujus totidem libratum Turonen. parvorum fructus, redditus, & proventus ſecundum communem ęſtimationem valorem annuum non excedunt, in perpetuum uniretur, illud in utilitatem tam Monaſterii, quam Prioratus eorundem redundaret, quodque dilecta in Chriſto filia Margarita Abbatiſſa dicti Monaſterii attente pręmiſſa conſiderans, ſeque diverſis infirmitatibus detentam, & adeo debilitatam exiſtere, quod inde.unitatibus dicti Monaſterii nequit commode providere, illius regimini, & adminiſtrationi, conſentiens, ut illud eidem Prioratui uniatur extra Romanam Curiam coram certis Notario, & teſtibus ſponte ceſſit, ac in eodem Prioratu transferri cupiat, & ibidem perpetuo Domino famulari, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Monaſterium hujuſmodi, illius dignitate Abbatiali, & Ordine ibidem ſuppreſſis, eidem Prioratui in perpetuum unire, annectere, & incorporare, ac in pręmiſſis providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, quorum pręcipua circa Eccleſiarum, Mandatum. & Monaſteriorum, aliorumque locorum Eccleſiaſticorum omnium ſtatus directionem verſatur inſtantia, cupientes in pręmiſſis ſalubriter providere, de his tamen certam notitiam non habentes, hujuſmodi quoque ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, eorumque circumſtantiis, auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi, ea repereris fore vera, ſuper quibus tuam conſcientiam oneramus, ceſſionem pędictam a dicta Margarita Abbatiſſa, ut pręmittitur, factam, ſi per habentem poteſtatem admiſſa non fuerit, ſeu illam, ſi de novo ipſam ſponte, & libere facere voluerit, eadem auctoritate noſtra recipias, & admittas, eaque per te recepta, & admiſſa, dignitatem Abbatialem, necnon ſupradictum Ordinem Ciſtercien. in dicto Monaſterio ſupprimas, hujuſmodi quoque Monaſterium, etiamſi nunc per dictam ceſſionem, aut alias quovis modo vacet, ſeu cum illud per ceſſum, vel deceſſum dictę Margaritę Abbatiſſę vacare contigerit, & ex quavis cauſa ejus diſpoſitio ad Sedem Apoſtolicam pertineat, ſuper quo lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo tempore datę pręſentium eidem Monaſterio, de perſona alterius canonice proviſum non fuerit, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Prioratui in perpetuum incorpores, unias, & annectas, dictęque Margaritę Abbatiſſę ad dictum Prioratum tranſeundi, & in eo perpetuo remanendi, licentiam concedas, auctoritate noſtra ſupradicta, ita quod liceat eidem Prioriſſę, & Conventui, per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem Monaſterii, juriumque, & pertinentiarum pędictarum, etiam auctoritate propria, apprehendere, ac illius fructus, redditus, & proventus, ac emolumenta recipere, & habere, necnon in ſuos, ac Monaſterii, & Prioratus pędictorum uſus perpetuo tenere, & convertere, Ordinarii loci, & cujuſcunque alterius licentia minime requiſita. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi, Pędeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis con-

Digitized by Google

conſtitutionibus, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Prioratus, Monaſterii, & Ordinum prędictorum, quibuſcunque contrariis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, necnon quibuſvis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Attente quoque provideas, ne in ceſſione hujuſmodi, ſi fiat, ex parte Margaritę Abbatiſſę, necnon Catharinę Prioriſſę, & Conventus hujuſmodi, aliqua interveniat ſimoniaca pravitas, ſeu etiam corruptela. Volumus autem quod poſt unionem hujuſmodi, ſi fiat, Prioriſſa pro tempore exiſtens, & Conventus hujuſmodi jura Epiſcopalia, ſi qua ratione dicti Monaſterii pro tempore debeantur, perſolvere, & in eo certis annorum ſingulorum diebus, per te deſignandis, Miſſam unam, in qua pro fundatorum, & aliorum Benefactorum dicti Monaſterii animarum ſalute, & remedio, ſpecialis oratio fiat, celebrari facere, & alia ipſi Monaſterio incumbentia onera omnino ſupportare teneantur, & inſuper ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis occaſione, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo, Nonis Novembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo, — Clauſula derogans.

1. *Montis-Peſſulani.*) In *Occitania*. Hoc Monaſterium juris eſt Provincialis *Provinciæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XCI fol.*10.
3. *Magalonen.*) Nunc *Montem-Peſſulanum* translatus eſt Epiſcopatus *Magalonenſis*.
4. *De Prolhano.*) Seu *Prulinno*. Sic autem nuncupatur Prioratus Sororum *Montis-Peſſulani*, quia fundatum fuit a Monialibus *Pruliani* Monaſterii. Hinc in *Mſs. Toloſanis* legitur: *Prulium in Condomio: Prulium in Monſpelio: Prulium Aquenſe*, uti notat *Percinus noſter Monumen. Conventus Toloſani ad an. MCCVII num. XXVI pag.* 6, ubi de *Prulianis* Monialibus loquens addit ex *S. Antonino*, quod *Sorores illæ numero, & merito creverunt in immenſum, odorem ſuum longe lateque diffundentes, multaſque Deo devotas ad imitationem ſui ſanctas Virgines provocarunt ad ſimilia Cœnobia conſtruenda; ita plane ut ex hoc ſanctiſſimo alveo, quotquot egreſſæ ſunt Deo dicatæ Virgines tanquam apes argumentoſæ ad Monaſteria conſtruenda nomen Prulii novis Monaſteriis indiderint*.
5. *Fundatione.*) De hac fundatione audiendus *Bernardus Guidonis* in Mſs. *Prulii* aſſervatis, ubi hæc habet. *Anno MCCLXXX cœpit locus Monaſterii Sororum Pruliani Montis-Peſſulani primitus promoveri, emptuſque eſt locus in Territorio prope Fratres* (extra muros ſcilicet *Montis-Peſſulani*, ubi tunc degebant Fratres). *Anno Domini MCCXC Dominica infra Octavam Aſcenſionis Domini electæ & eductæ fuerunt Sorores undecim de majori Monaſterio Pruliani, & ad Prulianum Montis-Peſſulani perductæ . . . . & inſtitutus eſt ibidem primus Prior F. Bernardus Grandis per Priorem Provincialem. Primus Prior in Monaſterio Sororum Pruliani Montis-Peſſulani fuit ſæpe dictus F. Bernardus Grandis, inſtitutus per Fratrem Petrum de Multone Priorem Provincialem anno Domini MCCXCI*.

Ut Toloſani Fratres aliquam partem ſacrarum Reliquiarum S. Thomæ Aquinatis Johanni (1) Caſtellæ, & Legionis Regi dono dare queant.

Anno 1437 Die 13 Novembris.

Ex Percino in Hiſtor. Translation. Sancti Thomæ Cap. XXX num. II pag. 224.

CLXVII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Prędicatoribus Conventus Toloſę, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm ex parte cariſſimi in Chriſto filii Johannis Caſtellę, & Legionis Regis Nobis fuerit ſupplicatum, quod ipſe zelo devotionis accenſus, quam ad memoriam S. Thomę de Aquino gerit, de Reliquiis Corporis ejus, quod in Eccleſia Conventus veſtri requieſcit, aliquid habere cupiat, vos vero, prout Nobis relatum eſt, ejuſdem Regis deſiderio complacere, Apoſtolicis, necnon Generalis veſtri Capituli prohibitionibus obſtantibus non poſſitis, licentia prius in hac re pręſertim Apoſtolicę Sedis non obtenta. Nos igitur, pręfati Regis ſupplicationibus annuere volentes, ut partem aliquam Reliquiarum prędictarum videlicet articulum (2), vel aliam partem tantę quantitati ęqualem dicto Regi concedere, ſeu tranſmittere poſſitis, prędictę Sedis, ac Capituli Generalis prohibitionibus non obſtantibus, devotioni veſtrę tenore pręſentium indulgemus. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo, Idibus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo. — Facultas.

1. *Johanni.*) Hujuſce nominis *II*.
2. *Articulum.*) Quænam pars ſacrarum Reliquiarum tranſmiſſa ſit, docet Inſtrumentum quod legitur apud *Percinum* mox laudatum.

Firmat donationem Monaſterii S. Mariæ de Virginibus factam Fratribus Ordinis Prædicatorum Peruſin (1).

Anno 1438 Die 4 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXVIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Abbati Monaſterii Sancti Pauli extra muros Urbis Peruſii commoranti, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus Sancti Dominici Peruſin., Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, quod dudum, poſtquam Monaſterium Monialium Sanctę Marię de Virginibus Peruſin., Ordinis Sancti Auguſtini, Monaſterio Monialium — Exordium. Supplex petitio.

 Sanctę

Sanctę Margaritę in ſuburbiis Peruſin. Ordinis Sancti Benedicti auctoritate Apoſtolica unitum, & incorporatum, ac Moniales ipſius Monaſterii Sanctę Marię ad dictum Monaſterium Sanctę Margaritę tranſlatę fuerunt, dilectę in Chriſto filię Abbatiſſa, & Conventus prefati Monaſterii Sanctę Margaritę dictum Monaſterium Sanctę Marię dilectis filiis Fratribus dicti Ordinis Prędicatorum de obſervantia, antequam dicta domus Sancti Dominici ad regularem obſervantiam reduceretur, ſub certis conditionibus conceſſerunt, videlicet: quod in eo habitarent quatuor Fratres dicti Ordinis de Obſervantia, qui in eo divina officia celebrarent, ita tamen quod ſi Fratres ipſi per duos menſes ſtarent extra dictum Monaſterium Sanctę Marię quod ex tunc Monaſterium ipſum Abbatiſſę, & Conventui prefatis liberum remaneret, ſicut prius; quodque non liceret eiſdem Fratribus Monaſterium ipſum Sanctę Marię deſerere, vel alteri concedere, aut in alios uſus commutare, & alias conditiones adjecerunt, prout in inſtrumento publico, deſuper confecto, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, prefatum Monaſterium Sanctę Marię in ſuis ędificiis minetur ruinam, ac Prior & Fratres predicti cupientes, quod Monaſterium ipſum reparetur, & deinceps bene conſervetur, ac ad profanos uſus

Confirmatio. minime convertatur, illud pro ejus conſervatione nonnullis Diſciplinatis (3) civibus Peruſin. concedere, & aſſignare proponant. Quare pro parte Prioris & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis Monaſterium ipſum dictis Diſciplinatis concedendi, licentiam concedere, & in premiſſis alias opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur literas unionis hujuſmodi, & alia inde ſecuta, ac inſtrumenta, & conditiones prędicta pro expreſſis habentes, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis, Abbatiſſa, & Conventu prędictis, & aliis qui fuerint evocandi, de prędictis omnibus, & ſingulis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi, ea vera eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Monaſterium Sanctę Marię prędictum a dicto Monaſterio Sanctę Margaritę auctoritate noſtra ſepares, & nihilominus eiſdem Priori, & Fratribus dictum Monaſterium Sanctę Marię ipſis Diſciplinatis prout alias eiſdem Priori & Fratribus conceſſum fuit, concedendi, & aſſignandi, ac de illo alias bene, & libere diſponendi; necnon inibi divina officia celebrandi, & celebrari faciendi, auctoritate Apoſtolica licentiam largiaris. Non obſtantibus Inſtrumento, & conditionibus premiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſterii & Ordinis prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Per hoc autem ſocietatem prędictorum, aut aliorum Diſciplinatorum quorumcunque non intendimus approbare. Datum Ferrarię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo (4), Pridie Nonas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Peruſin.*) In *Italia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XCI fol.* 120.
3. *Diſciplinatis.*) Adeas *Waddingum Annal. Minor. Tomo V ad an. MCCCCXLII num. XX pag.* 430. ubi hæc habet ex Libro Societatis Diſciplinatorum: *Ordo Diſciplinatorum inceptus fuit de anno MCCCCXXIX per prædicationes venerabilis, honeſti, & Religioſi viri Domini Fratris Bernardini de Senis* (Sancti), *Ordinis Fratrum Minorum, qui Dominus Frater Bernardinus mirifice prædicavit in Trivilio diebus quindecim &c.*
4. *Triceſimo Septimo.*) Stylo Bullarum, Æræ communis MCCCCXXXVIII.

Anno 1438 Die 4 Februarii.

De litibus Peruſinorum (1) Fratrum diſceptatione compendiaria ſtatuendum eſſe, decernit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXIX.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Gubernatori, Poteſtati, Prioribus, & Camerariis, ceteriſque officialibus Civitatis noſtrę Peruſin. pręſentibus, & futuris, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Quia pium reputamus, & debitum, quod viri Religioſi prefertim ambulantes in caritate non ficta, ſed dediti ſtudio pię vitę, & Religionis obſervantię, in ſuis agendis coram vobis ſummariam atque expeditam juſtitiam conſequantur, idcirco tenore pręſentium vobis & veſtrum cuilibet prę-

Mandatum. cipimus, & mandamus, quatenus dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus Sancti Dominici Peruſin. Ordinis Fratrum Prędicatorum, in omnibus caſibus, & negotiis, tam fabricam Eccleſię dictę Domus, quam eorum Conventum, atque Domum concernentibus, quicunque ſint hi cum quibus eorum vobis intereſſe per ſe, vel alios, aut quovis modo agere, vel conveniri eos oporteat, ſummariam, & expeditam juſtitiam miniſtretis, & miniſtrari faciatis, & in his, quę judicialem, & longiorem requirerent indaginem, ſummarie, ſimpliciter, & de plano, & ſine ſtrepitu, & figura judicii, ac ſola facti veritate inſpecta, procedatis, concludatis, & terminetis juſtitię (3) partibus adminiſtrando, ut Deo, cui dedicati ſunt, & divinis orationibus, cum mentium tranquillitate, & animarum quiete, intendere valeant, & vos tanquam filii obedientię apud ipſos per Sedem Apoſtolicam poſſitis merito commendari. Datum Ferrarię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo (4), Pridie Nonas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Peruſin.*) In *Hetruria* ditionis Pontificiæ.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XCI fol.* 119.
3. *Juſtitiæ.*) Adderem: *Complementum*.
4. *Triceſimo Septimo.*) Stylo Bullarum, Æræ communis MCCCCXXXVIII.

Ut

Digitized by Google

Ut Prior Cœnobii S. Dominici vota Cortonen. (1) commutare poſſit.

Anno 1438 Die 13 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLXX.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Domus Sancti Dominici Cortonen., Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EX Apoſtolicę ſervitutis officio inducimur non immerito, ut Eccleſię, quę in honorem Dei conſtrui Exordium.
ſunt inceptę, quantum cum Deo poſſumus, in ſuis ędificiis perficiantur, ac favorem Apoſtolicum impendentes, ea concedamus, quę alias de juris rigore penitus ſunt interdicta. Sane pro parte tua, & dilectorum filiorum Conventus Fratrum Domus Sancti Dominici Cortonen., Ordinis Fratrum Prędica- Supplex petitio.
torum, nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod Eccleſia dictę Domus continue conſtruitur, & etiam fabricatur, quodque pro ejus conſtructione, & perfectione, quę plurimum eſt neceſſaria, cum Fratres inibi conveniant ad Divina celebranda officia, non habeant Chriſti fidelium ſubſidia, undique ſint quęrenda, quodque ſi Prior, qui eſt pro tempore dictę domus, vota emiſſa, & emittenda quęcunque peregrinationis, & de pingendis figuris in Civitate, & Diœceſi Cortonen., ſi fideles ipſi, qui Nota.
vota hujuſmodi emittunt, tantum pro conſtructione, & fabrica dictę Eccleſię erogarent, quantum eundo ad peregrinationes hujuſmodi, & faciendo pingi figuras hujuſmodi expoſuiſſent, commutare poſſet, ex hoc fabrica hujuſmodi citius perficeretur, ipſique Fratres ad celebranda Divina in eadem Eccleſia poſſent citius, & commodius convenire. Quare pro parte Prioris, & Fratrum Prędicatorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis de premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi infra quatuor annos a data pręſentium computandos vota quęcunque fidelium quorumcunque Civitatis, & Diœceſis prędictarum & de faciendo pingi quaſcunque figuras, exceptis votis de viſitando ſepulcrum Dominicum, & alia Oratoria Terrę Sanctę, ac limina Apoſtolorum, dummodo ii, qui vota hujuſmodi emiſerint, atque emittent, Facultas.
tantum pro fabrica Eccleſię dictę erogent, quantum in adimplendo vota ſua hujuſmodi expoſuiſſent, ab hujuſmodi votis abſolvendi, ac vota ipſa in hujuſmodi pietatis opera commutandi, prout eorum animarum ſaluti videris expedire, plenam & liberam auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus facultatem. Datum Ferrarię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo (3), Idibus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Cortonen.*) In Hetruria.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XLI fol.* 121.
3. *Triceſimo Septimo.*) Stylo Bullarum, Æra communis MCCCCXXXVIII.

Declarat (1) Quartam partem eduliorum, panis, vini, carnium &c. quæ dantur ob ſepulturam, non eſſe ſolvendam Parochis.

Anno 1438 Die 3 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLXXI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii Sancti Angeli in Maſſa extra Muros Narnien. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD ea per quę Monaſteriorum, & aliorum Domorum, & Religioſorum locorum, necnon perſona- Exordium.
rum inibi ſub regulari habitu Altiſſimo famulantium omnium commodo, & indemnitati conſulitur, libenter intendimus, illiſque, quantum cum Deo poſſumus, favorem benevolum impertimur. Sane pro parte dilectorum filiorum Priorum Sancti Dominici, & Sancti Auguſtini, ac Guardiani Sancti Franciſci Reatin. (4) Domorum Fratrum Prędicatorum, ac Eremitarum ipſius Sancti Auguſtini, & Minorum Ordinum, eorumque Conventuum, nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod licet a tanto tempore citra, cujus initii ſeu contrarii memoria hominum non exiſtit, pro ſingulis fidelium utriuſque Diplomatis cauſa.
ſexus decedentium corporibus in Eccleſiis Domorum hujuſmodi, aut earum cęmeteriis pro tempore ſepeliendis ipſorum heredes, & conſanguinei ſingulis Conventibus Domorum hujuſmodi, in quibus corpora hujuſmodi ſepulta fuerunt, unum caſtratum (5), ſeu aliorum carnium, aut, dum illarum eſus ab Eccleſia interdicitur, piſcium, necnon vini, & panis certas quantitates, pia largitione donare, & concedere conſueverint, tamen nonnulli Rectores Parochialium Eccleſiarum, infra quarum Parochiarum metas dictę domus conſiſtunt, a duobus menſibus citra ſuper quarta parte donatorum, & conceſſorum hujuſmodi, aſſerentes falſo, illa ad eos de jure pertinere, prefatos exponentes multipliciter moleſtarunt, & moleſtant, ac fecerunt, & faciunt, quo minus ipſi Conventus donata, & conceſſa eis hujuſmodi integre percipere potuerint & poſſint. Quare pro parte dictorum exponentium nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de premiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę, cum ipſi exponentes, potentiam dictorum Rectorum perhorreſcentes in civitate & Diœceſi Reatin. Mandatum.
non ſperent conſequi poſſe juſtitię complementum, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi, vocatis dictis Rectoribus, & aliis, qui fuerint evocandi, tibi de conſuetudine hujuſmodi legitime conſtiterit, tu illam perpetuis futuris temporibus inviolabiliter obſervandam fore, & quod juxta eam ex nunc in antea dicti Conventus, & eorum ſinguli caſtratum, ac carnium & piſcium, necnon panis, & vini quantitates hujuſmodi integre, & cum effectu abſque alicujus quartę partis de illis Rectoribus ipſis, &

co-

Digitized by Google

eorum ſucceſſoribus, vel eorum alicui facienda aſſignatione, perpetuo percipere poſſint, & valeant, auctoritate Apoſtolica ſtatuas, ordines, & declares, necnon Rectoribus, & Succeſſoribus prędictis, ne de cetero prefatos Conventus, aut eorum aliquos contra conſuetudinem prędictam ſuper hoc impedire prę-

Clauſula derogans.

ſumant, eadem auctoritate inhibeas, ipſis etiam ſuper moleſtiis, & inquietationibus ſupradictis perpetuum ſilentium imponendo. Non obſtan. felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi, Prędeceſſoris noſtri, illa prefertim, qua cavetur, ne quis extra ſuam civitatem, & Diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine dictę Diœceſis computandam, ad judicium evocari poſſit, & conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Ferrarię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo (6), Quinto Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Declarat.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXIII fol.* 279. Authographum eſt in Cœnobio *Reatino*.
3. *Narnien.*) Vulgo *Narni*, in *Umbria*,
4. *Reatin.*) Vulgo *Rieti*, in *Umbria*.
5. *Caſtratum.*) Vervecem ſcilicet, Italice *Caſtrato*.
6. *Triceſimo Septimo.*) Stylo Bullarum, Æræ communis *MCCCCXXXVIII*.

Anno 1438 Die 13 Martii.

Ut Mantuani (1) Fratres e Cœnobio S. Matthæi ad Angelorum Cœnobium ſe transferant.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXXII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Mantuan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

PIis fidelium votis gratum nos decet prętare aſſenſum, & ut ea, quę Religionis propagationem, divini quoque cultus augmentum reſpiciunt, optatum ſortiantur effectum, libenter interponimus ſolicitudinis noſtrę partes. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Johannis Franciſci (3) Marchionis (4) Mantuan., petitio continebat, ipſe, qui ſingularem ad Ordinem Fra-

Supplex petitio.

trum Prędicatorum gerit devotionis affectum, in Domo, ſive loco Eccleſię Angelorum Mantuan., quam, ſeu quem idem Marchio de novo conſtrui, & ędificari fecit, Ordinem ipſum inſtitui, necnon domum, ſive locum Sancti Matthęi extra Muros Mantuan., ejuſdem Ordinis, ſuppreſſis inibi prefato Ordine, & ipſius domus dignitate ad Eccleſiam, ſive domum Angelorum hujuſmodi transferri, necnon Eccleſiam, ſive Domum Angelorum hujuſmodi cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis dilectis filiis Priori & Fratribus dictę Domus Sancti Matthęi, quorum expreſſus ad id accedit aſſenſus, pro ipſorum uſu, & habitatione perpetuis applicari, & aſſignari ferventius concupiſcat, pro parte dicti Marchionis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque qui de premiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati,

Facultas.

Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper premiſſis omnibus, & ſingulis, eorumque circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, translationem hujuſmodi facias, & in dicta Eccleſia Angelorum Ordinem ipſum inſtituas, ac illam cum omnibus ſuis ſtructuris, & ędificiis, domibus, & aliis neceſſariis officinis Priori, & Fratribus prędictis pro eorum uſu, & habitatione perpetuis, in perpetuum applices, appropries, & aſſignes; & nihilominus Priori, & Fratribus prędictis, ut ipſi, necnon alii, quos in prefata Domo Angelorum pro tempore reſidere contigerit Priores, & Fratres, omnibus, & ſingulis privilegiis exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis, gratiis, & indultis, aliis ejuſdem Ordinis Prioribus, ac Fratribus, Domibus, & perſonis per Sedem Apoſtolicam in genere quomodolibet conceſſis, & in antea concedendis, uti, & gaudere valeant, eadem Auctoritate concedas. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi, Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum

Clauſula derogans.

Mendicantium in aliqua civitate, aut villa, vel quovis caſtro, ſeu alio loco ad inhabitandum, quęcunque domos, vel loca de novo recipere, vel eatenus recepta mutare prefumant abſque Sedis prędictę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Datum Ferrarię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo (5), Tertio Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Mantuan.*) In ejuſdem nominis Ducatu *Italia in Longobardia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CII fol.* 159.
3. *Johannis Franciſci.*) E nobiliſſima Gente *Gonzaga*.
4. *Marchionis.*) Anno *MCCCCXXXIII* hoc titulo donatus erat *Johannes Franciſcus*. Ducatus nomine poſtmodum inſignita fuit *Mantua*.
5. *Triceſimo Septimo.*) Stylo Bullarum, Æræ communis *MCCCCXXXVIII*.

Ut

Ut Fratribus Prædicatoribus e S. Matthæi ad Angelorum Cœnobium Mantuanum (1) translatis eadem S. Matthæi Domus detur Eremitis de Societate F. Petri de Piſis.

Anno 1438 Die 24 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLXXIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Mantuan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

PIa vota fidelium, quę ex ſincera mentis devotione procedunt, libenter admittimus, & illis, ut ad finem perducantur optatum, cum a Nobis petitur, benevolum prębemus aſſenſum. Nuper ſiquidem pro parte dilecti filii Johannis Franciſci Marchionis Mantuan. nobis expoſito, quod cum olim ipſe ob devotionis fervorem, quem ad Ordinem Fratrum Prędicatorum gerere comprobatur, quendam locum, ſive Domum in Eccleſia Angelorum Mantuan. pro habitatione, & uſu Fratrum hujuſmodi, cum ſtructuris, & ędificiis & aliis neceſſariis officinis de bonis ſibi a Deo collatis de novo conſtrui, & ędificari, ac deinde pro parte ſua nobis, ut Fratres hujuſmodi Ordinis, qui quandam Domum aliam, ſive locum Sancti Matthęi nuncupatum, extra Muros Mantuan. inhabitabant, & inibi conventualiter perſiſtebant extra Civitatem, & ad Domum Angelorum prędictam transferri, reduci, & evocari poſſent, ſupplicari feciſſet, Nos tibi proprio nomine non expreſſo per alias noſtras literas dedimus in mandatis, ut, ſi ſic fore reperires, Ordine ipſo Prędicatorum in dicto loco Sancti Matthęi ſuppreſſo pariter, & extincto, hujuſmodi Ordinem in dicto loco & Domo Angelorum inſtituerea, ipſoſque Fratres ad Domum & locum hujuſmodi Angelorum transferres, ipſamque Priori, & Fratribus ipſis cum omnibus ſtructuris, ędificiis, Domibus, & officinis hujuſmodi pro uſu, & habitatione ipſorum in perpetuum applicares, & aſſignares, ac alia faceres prout in dictis literis, quarum tenorem pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, dicitur, plenius contineri. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dicti Marchionis petitio continebat, quia Domus Sancti Matthęi hujuſmodi ex translatione Fratrum Prędicatorum remanere videbatur penitus derelicta, ipſeque Marchio cupiebat, ut inibi pauperes Eremitę de Societate Fratris Petri de Piſis (3) nuncupati collocarentur, ipſaque Domus Sancti Matthęi pro uſu, & habitatione ipſorum Eremitarum illis cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis perpetuo deputaretur, & aſſignaretur, pro parte ipſius Marchionis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut piis ejus deſideriis occurrentes, Domum, ſive locum Sancti Matthęi prędictum pro uſu, & habitatione hujuſmodi Eremitarum concedere, & aſſignare, ac translationem, & commiſſionem, ſive applicationem curę animarum quę in Eccleſia Sancti Matthęi loci prędicti, ut aſſeritur, alias imminebat, ad Parochialem Eccleſiam Sanctę Catharinę Mantuan. dudum auctoritate ordinaria factas confirmare, & approbare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, cupientes Divinum cultum ubique noſtris-prę ſertim temporibus adaugeri, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę de qua in his, & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus ſi translationem, ſuppreſſionem, & applicationem, & aſſignationem de dicta Domo Angelorum eiſdem Fratribus per te fieri contigerit, poſtquam illa rite facta fuerint, ut pręfertur, locum ſive Domum Sancti Matthęi prędictum cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis Eremitis, & Societati hujuſmodi pro uſu, & habitatione ipſorum auctoritate noſtra concedas pariter, & aſſignes, ac translationem, ſive commiſſionem, vel applicationem curę animarum hujuſmodi ad Parochialem Eccleſiam Sanctę Catharinę prę fatam, ut prę mittitur, factas eadem auctoritate noſtra approbes, & confirmes, conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis in contrarium editis non obſtantibus quibuſcunque, jure tamen Ordinarii loci & cujuſcunque alterius in omnibus ſemper ſalvo; per hoc autem Societatem Eremitarum hujuſmodi non intendimus alias approbare. Datum Ferrarię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo (4), Nono Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Supplex petitio.

Confirmatio.

1. *Mantuano.*) Conſulenda præcedens *Conſtitutio.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CII fol.* 174.
3. *De Societate F. Petri de Piſis.*) Celebris eſt Ordo, ſeu Societas, cui a *S. Hieronymo* nomen eſt. Viros aluit eruditione, ac Sanctitate clariſſimos. Nunc etiam floret. Conſulendi *Hermenegildus a S. Paulo*, *Joſeph de Signença, de los Sanctos*, ſeu a *Sanctis*, ejuſdem Ordinis Hiſtorici. Adeas etiam *Miræum de Orig. Relig.* Societas *F. Petri de Piſis* vocatur cum in hoc Diplomate, tum in Conſtitutionibus *XII Eugenii IV*, & *XIII Sixti IV* apud *Cherubinum* in *Bullario Romano*.
4. *Triceſimo Septimo.*) Stylo Bullarum, *Æræ communis MCCCCXXXVIII.*

Monaſterium S. Agnetis Bononien. e quocunque tributo reddit immunes (1).

Anno 1438 Die 23 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLXXIV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Conventui Sororum Monaſterii Sanctę Agnetis, ſub cura, & habitu Fratrum Prędicatorum Bononię degentibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrę Religionis, ſub qua devotum, & ſedulum exhibetis Domino famulatum, promeretur honeſtas, ut illa vobis de ſpeciali gratia favorabiliter concedamus, per quę veſtrę, & ipſius Monaſterii commoditatibus utiliter conſulatur. Sane cum Monaſterium Sanctę Agnetis, in quo ſub arcta regularis obſervantię norma Altiſſimo redditis vota veſtra, propter varios bellorum turbines, & alias temporum calamitates, in ſuis fructibus, redditibus, & proventibus, adeo ſit diminutum, quod non ſolum ad ſolvendas gabellas pro rebus uſui veſtro, & dicti Monaſterii neceſſariis prę fati Monaſterii non ſuppetant facultates, ſed etiam, aliis oneribus non adjectis, vix poteſtis pro Religionis honeſtate decenter du-

Indultum.

ducere vitam veſtram, Nos, vobis paterno compatientes affectu, ac illis remediis cupientes ſubvenire, per quę quietius Deo ſervire, & commodius vivere valeatis, vos, & Prioriſſas, ac Sorores in eodem Monaſterio perpetuis futuris temporibus in obſervantia degentes, necnon prefatum Monaſterium ac omnes poſſeſſiones, bona, & jura cum pertinentiis ſuis, ab omni ſolutione quorumcunque datiorum, ſeu gabellarum macinatę (3) molendinorum, vel moliturę, Sgarmiatorum (4), emptionum, & venditionum frumenti, aliorumque bladorum (5), vini, uvarum, olei, fructuum horti, & aliorum victualium, fęni, palearum, lignorum, piſcium, calcis, gipſi, laterum, lapidum, tegularum, ac conductionum, ſeu gabellę groſſę portarum, paſſuum, pedagiorum, necnon emptionum, & venditionum, ſeu aliorum quorumcunque contractuum, ac etiam Imbottati (6), pro frumento, & aliis bladis, vino, affictibus (7), & aliis quibuſcunque redditibus, ſeu bonis, ac menſurationum gabellarum, bullarum, & fuſeli (8) molendinorum, aut alicujus alterius oneris, datii, vel gabellę omnium, & ſingularum rerum, quas pręſentibus haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, & ſpecifice declaratis, de quibus datium vel gabella ſolvi conſuevit, necnon conſtructionis, ſeu reparationis pontium, ſtratarum, & fracturarum fluminum, vel inundationum aquarum, camerę Civitatis noſtrę Bononien., aut quibuſvis officialibus, vel ipſarum gabellarum emptoribus, conductoribus, ceſſionariis, aut alicui alteri perſonę, univerſitati, vel collegio eccleſiaſticis, vel ſecularibus, quocunque nomine cenſeantur, modo aliquo facienda. Inſuper, a ſolutione, & contributione quorumvis extimorum, collectarum, pręſtantiarum (9), & fabricę Sancti Petronii, caritativi, ſeu quorumlibet aliorum ſubſidiorum, realium, vel perſonalium, impoſitorum, vel in poſterum imponendorum, Eccleſiis, Monaſteriis, locis, & perſonis eccleſiaſticis, ſecularibus, vel regularibus quibuſcunque dictę Civitatis, & Diœceſis, in genere, vel in ſpecie, auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia prorſus eximimus, & tenore pręſentium liberamus, ac immunes, & exemptas eſſe decernimus. Volentes inſuper, & etiam ſtatuentes, quod contrahentes vobiſcum ſuper rebus, bonis, & negotiis quibuſcunque aliquid pro vobis ſolvere, aut aliquod prędictorum onerum ſubire nullatenus teneantur, ſeu etiam compellantur, ac mandantes omnibus, & ſingulis prędictę Civitatis, ac ejus Comitatus, territorii, & diſtrictus officialibus, & aliis quibuſcunque perſonis, quorum intereſt, ſeu intereſſe poterit quomodolibet in futurum, quatenus vos, ac Prioriſſas, & Sorores hujuſmodi, ſeu Monaſterium prędictum, ac hujuſmodi contrahentes vobiſcum contra exemptionem veſtram hujuſmodi nullatenus ad ſolvendum, ſeu ad contribuendum aliquid, pręmiſſorum occaſione, compellant, aut exinde modo aliquo moleſtare, ſeu inquietare pręſumant, ſed eam in omnibus inviolabiliter obſervent, & faciant obſervari; Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam ſuper pręmiſſis, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo &c. Noſtrorum exemptionis, liberationis, conſtitutionis, voluntatis, ſtatuti, & mandati infringere &c. Si quis &c. Datum Ferrarię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Octavo, Decimo Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Sanctio pœnalis. (margin note)

1. *Immunes.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. C fol. 92.*

3. *Macinatæ.*) *Macina* vocatur ab *Italis* Mola Molendinaria. Hinc *Macinata* Molituram ſignificat, ut innuit Diploma dicens *Macinata .... vel Molituræ*. Nec enim Conjunctio *Vel* ibi copulativa eſt aut disjunctiva, ſed exprimit latine, quod Italice dictum fuerat.

4. *Sgarmiatorum.*) Italice *Sgarmigliati.* Tributi ſpecies, cujus mentio in Computo *Theſaurariæ Bononienſis* an. MCCCLXIV. *A Primirano .... conductore Dacii Sgarmigliati pro uno anno &c.*

5. *Frumenti, aliorumque Bladorum.*) Nota verba. Ibi enim *Frumentum* triticum duntaxat ſignificat, licet vox generica ſit, & ſeges cujuslibet ſpeciei *Frumentum* dici poſſit. *Blada* autem, Italice *Biada*, quo nomine *Galli* triticum *Bled* vocant, *Etruſcis* dicuntur quævis legumina, ſegetes, fruges omnes, excepto tritico. Hinc *Dantes* in Convivio ..... *Pane di biado e non di formento*. Adeas Academicos *Furfuris*, vulgo *La Cruſca*.

6. *Imbottati.*) *Imbottare* Italis eſt infundere vinum in dolium.

7. *Affictibus.*) Cenſibus ſcilicet, vulgo *Affitto*. Hinc *Cujacius*, celebris ille juris interpres, *Affictus*, inquit, *vulgare verbum Italorum, qui affictare dicunt, pro locare prædia ſub penſione certa*.

8. *Fuſeli.*) Id interpretatur *Du Cange* in *Gloſſario* ex Italico *Fuſolo*, ſeu *Fuſcello*, Gallice *Arbre de Moulin*, Arbor Molendinaria.

9. *Præſtantiarum.*) Ab Italico *Preſtare* dare mutuum.

F. Johannem de Turrecremata (1) Magiſtrum Sacri Palatii Apoſtolici Beneficio Eccleſiaſtico donat.

Anno 1438 Die 2 Octobris. (margin note)

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXXV. Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Turrecremata. Ordinis Fratrum Prędicatorum, in Theologia Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. (margin note)

REligionIs zelus, literarum ſcientia, vitę ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, ut te paterna benevolentia proſequentes, illa tibi favorabiliter concedamus, quę tuis commoditatibus fore conſpicimus opportuna. Dudum ſiquidem dilecto filio Alfonſo Alvari tunc Pręſtimonium (3) de Gave, Seguntin. (4) Diœceſis, ut accepimus, inter alia obtinenti, de Archidiaconatu Eccleſię Calaguritan. (5) tunc certo modo vacante, & antea diſpoſitioni Apoſtolicę reſervato per alias noſtras literas generoſe providimus, volentes inter cetera, quod idem Alfonſus quam primum literarum vigore earundem Archidiaconatus prędicti poſſeſſionem foret pacifice aſſecutus, Pręſtimonium hujuſmodi, quod ex tunc vacare decrevimus, omnino dimittere teneatur, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum itaque Pręſtimonium hujuſmodi per aſſecutionem pacificam Archidiaconatus prędicti per ipſum Alfonſum dictarum vigore literarum faciendam, vacare ſperetur, Nos volentes tibi qui etiam Palatii Apoſtolici Ma-

Magiſter exiſtis, pręmiſſorum meritorum tuorum intuito, gratiam facere ſpecialem, motu proprio, non ad tuam, vel alterius Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, Pręſtimonium hujuſmodi, cujus fructus, redditus, & proventus, ſeptuaginta librarum Turonen. parvorum (6) ſecundum communem ęſtimationem valorem annuum, ut accepimus, non excedunt, cum illud, ut pręfertur, aut aliàs quovis modo, pręterquam per ipſius Alfonſi obitum, vacare contigerit, commendandum tibi cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis donationi Apoſtolicę reſervamus, diſtrictius inhibentes venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Seguntin., ac illi, vel illis, ad quem, vel ad quos, ipſius Pręſtimonii collatio, proviſio, pręſentatio, ſeu quęvis alia diſpoſitio communiter, vel diviſim, pertinet, ne de illo contra reſervationem hujuſmodi diſponere quoquo modo pręſumant, ac decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus, ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de Pręſtimonio, vel aliis Beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales Apoſtolicę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiam ſi per eas ad inhibitiones, reſervationes & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quibus omnibus te in aſſecutione Pręſtimonii hujuſmodi volumus anteferri, ſed nullum quoad hoc eis Collatio.
quoad aſſecutionem Pręſtimoniorum, aut Beneficiorum aliorum volumus pręjudicium generari, aut ſi Epiſcopo pręfato, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod ad receptionem, vel proviſionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli non poſſint, quodque de Pręſtimoniis hujuſmodi, vel aliis beneficiis eccleſiaſticis ad eorum collationem, proviſionem, pręſentationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem, conjunctim, vel ſeparatim ſpectantibus, nulli valeat commenda fieri per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictę Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam effectus hujuſmodi gratię quomodolibet impediri valeat, vel differri, & de qua, cujuſque toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Nulli ergo &c. noſtrę reſervationis, inhibitionis, conſtitutionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Ferrarię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Octavo, Sexto Nonas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Johannem de Turrecremata.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CV fol.*102.

3. *Præſtimonium.*) Sic vocant Eccleſiaſticum Beneficium cui onus aliquod eſt annexum.

4. *Seguntin.*) *Seguntia*, aliis *Secontia*, & *Segontia*, urbs eſt *Hiſpania Tarraconenſis.*

5. *Calaguritan.*) Vulgo *Calahorra*, in *Hiſpania Tarraconenſi.*

6. *Parvorum.*) Supple *Denariorum*, ut alibi notatum fuit.

De Parmenſe (1) Monaſterio reficiendo.

Anno 1438 Die 21 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXXVI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Hilario de Centonibus, Canonico Parmen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SAcrę Religionis, ſub qua dilectę in Chriſto filię Prioriſſa & Sorores Monaſterii Sancti Dominici de Parma, ſub cura Fratrum Ordinis Pręadicatorum, reddunt Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut votis earum, illis pręſertim, quę ſubventionem dicti Monaſterii, ac ejus conſervationem, & Exordium.
manutentionem reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte Prioriſſę & Sororum pręadictarum, petitio continebat, quod olim quondam Baltaſar de Cancellis, artium, & medicinę profeſſor laicus Parmen., condens dum vixit de bonis ſibi a Supplex petitio.
Deo collatis in ejus voluntate ultima teſtamentum, inter cetera voluit, & etiam ordinavit, quod in remedium animarum ſuę, & prędeceſſorum ſuorum de bonis ſuis hujuſmodi certa pecuniarum ſumma, ſive quantitas, in eleemoſynam, atque ſubventionem pauperum, & miſerabilium perſonarum, & alias in piorum locorum uſus per ſuos hęredes, ſive executores & fideicommiſſarios diſtribuenda, & largienda, erogari deberet, prout in teſtatoris pręadicti teſtamento, in quo legatum hujuſmodi plene deſcribitur, & cujus tenorem pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Monaſterium hujuſmodi, in quo una cum aliis Sororibus, quę inibi in notabili numero Altiſſimo in paupertate deſerviunt, dilecta etiam nobis in Chriſto filia Eliſabeth de Cancellis, ipſius teſtatoris dum vixit germana Soror, etiam in paupertatis devotione deſervit, in diverſis ejus membris, & partibus ruinam minetur, & niſi ei celeriter ſuccurratur, cum in aliqua ejus parte dirutum exiſtat, totaliter veniet in collapſum, ac ad ipſum reſarciendum, & reparandum Monaſterii ipſius non ſupperant facultates, & de legato per ipſum teſtatorem ad pias cauſas hujuſmodi, ut pręfertur, adhuc ſumma centum Florenorum auri de camera, vel circa indiſtributa & non erogata ſuperſit, de qua neceſſitati, & reparationi dicti Monaſterii poſſet commode ſubveniri, pro parte Prioriſſę & Sororum, & Eliſabeth pręadictarum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tantę neceſſitati benigne compatientes, ſummam reſtantem hujuſmodi in reparationem, & ſubventionem ruinę, & collapſus Monaſterii pręadicti conſignari, & erogari, ac etiam applicari, mandare, ac alias ipſis ſuper hoc de opportuno remedio providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, qui more Paſtoris pervigilis, neceſſitatibus, & indigentiis piorum locorum, & perſonarum inibi divinis obſequiis deditarum libenter occurrimus, de pręmiſſis, certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Mandatum.
Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus de pręfatis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi,

ita

Ita fore, dictaſque Prioriſſam, & Sorores in dicto Monaſterio ſub regulari obſervantia degere, & Altiſſimo famulari repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, evocatis teſtatoris hęredibus, & commiſſariis, & aliis qui fuerint evocandi, ſummam centum Florenorum, vel circa, hujuſmodi reſtantem, & minime diſtributam, ad opus, & reparationem dicti Monaſterii, & membrorum ipſius convertendam, & diſponendam, erogari, & conſignari eadem auctoritate pręcipias, & facias efficaciter applicari, voluntate prędicta, necnon conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis in contrarium editis non obſtantibus quibuſcunque. Datum Ferrarię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Octavo, Duodecimo Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Parmen.*) In ejuſdem nominis Ducatu *Italię*, in Longobardia.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CVI fol. 46.*

Tangermundenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1438 Die 18 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLXXVII. Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Provinciali, & Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum Provincię Saxonię ſecundum morem Ordinis, antedicti, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. SAcrę veſtrę Religionis, in qua ſub jugo voluntarię paupertatis devotum, & ſedulum Deo exhibetis famulatum, promeretur honeſtas, ut vos Apoſtolicis favoribus proſequamur. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Friderici Marchionis Brandeburgen. nati, petitio continebat, quod olim ipſe cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commuta-
Supplex petitio. re, ad laudem, & gloriam Dei, & ejus Genitricis glorioſę Virginis Marię, ac Religionis veſtrę propagationem, divinique quoque cultus incrementum, pro ſuę ac ſuorum progenitorum animarum ſalute vobis quendam locum in Civitate nova extra muros oppidi Tangermunden., Halberſtaden. (3) Dięceſis, conſiſtentem, ut eo pro uſu, & habitatione Fratrum veſtri Ordinis, qui ſub regulari obſervantia Altiſſimo perpetuo famulentur, domus cum Eccleſia, cęmeterio, campana, campanili, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis fundetur, & conſtruatur, expreſſo dilectorum filiorum Conſulum, & Proconſulum, ac univerſitatis dicti oppidi ad id accedente conſenſu, pie, & liberaliter conceſſit pariter, & donavit. Quare pro parte dicti Friderici aſſerentis, quod cum Proconſulibus, Conſulibus, & Univerſitate prędictis, ut fundatio, & conſtructio hujuſmodi votive fiant, efficacia, favores, & pręſidia exhibere paratus exiſtit, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis fundandi & conſtruendi domum cum Eccleſia, cęmeterio, campana, campanili, hortis, hortalitiis, & officinis hujuſmodi in loco prędicto, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionem prędictam ſingulari affectione libenter proſequimur, & pręfatum cultum noſtris potiſſime temporibus
Facultas. vigere, & etiam adaugeri intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis pręfatum locum recipiendi, & in illo domum cum Eccleſia, campanili, campana, hortis, hortalitiis, & officinis hujuſmodi pro uſu, & habitatione dictorum Fratrum, qui inibi ſub regulari obſervantia gratum Deo famulatum reddere perpetuo ſtudeant, fundandi, & conſtruendi, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, licentiam elargimur, & inſuper univerſis, & ſingulis Fratribus dicti Ordinis, quos poſt fundationem & conſtructionem hujuſmodi in dicta domo pro tempore reſidere, contigerit, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, indultis, gratiis, libertatibus, exemptionibus & immunitatibus pręfato Ordini, & illius domibus, ac perſonis, per Sedem Apoſtolicam, & alias conceſſis, generaliter uti, & gaudere libere, & licite valeant, auctoritate, & tenore concedimus antedictis. Non obſtantibus conſtitutionibus felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi, Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua civitate, aut villa, ſeu quovis caſtro, vel alio loco ad inhabitandum domos, ſeu loca quęcunque de novo recipere, vel eatenus recepta mutare, pręſumant, abſque Sedis prędictę licentia ſpeciali, faciente plenam & expreſſam, de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſ-
Clauſula derogans. tolicis conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, Jure tamen Parochialis Eccleſię infra cujus limites locus ipſe conſiſtit, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nulli ergo &c. Noſtrę conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Ferrarię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Octavo, Quarto Decimo Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Tangermunden.*) In veteri *Marchia Brandeburgica*, in *Germania*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CV fol. 91.*

3. *Halberſtaden.*) Vulgo *Halberſtad*, in *Saxonia inferiori*.

Unic

Digitized by Google

Unit Monaſterium de Payola Bononien. Monaſterio Sancti Mathiæ Bononien.

Anno 1438 Die 5 Decembris.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Aurelio Prioci Sancti Johannis in Monte Boonien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CLXXVIII.

Exordium.

AD ea, quę Monaſteriocum, & plorum locorum, ac perſonarum Eccleſiaſticarum pręſertim Regularium, commodum, & utilitatem reſpiciunt, libenter intendimus, eaque favoribus proſequimur pportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conentus Monaſterii, per Priorillam ſoliti gubernari, Sancti Mathię Civitatis noſtrę Bononien., Ordinis ancti Augultioi, ſub Regula Fratrum Prędicatorum degentium, petitio continebat, quod fructus, edditus, & proventus dicti Monaſterii propter guerrarum turbines, mortalitatum peſtes, alioſque caa ſiniſtros, qui retroactis temporibus eandem Civitatem cum ſuis diſtrictibus, & partibus adjacentibus, oh dolor! afflixerunt, adeo tenues, & exilea exiſtant, quod ex illis Prioriſſa, & alię Moniales juſdem Monaſterii pro tempore exiſtentes, decenter ſuſtentari, & alia onera eis incumbentia commode upportare nequeant; Et, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi Monaſterium Beatę Marię de Payola, etiam Bononien., dicti Ordinis, in quo propter exiguum Monialium numerum, nulla de pręſenti pręeſt Abbatiſſa, eidem Monaſterio Sancti Mathię uniretur, annecteretur, & incorporaretur, Prioriſſa & Conventus prędictę ex hoc ſublevamen reportarent, & decentius ſuſtentari, & onera hujuſmodi ſupportare valerent, idque etiam cederet in Monaſteriorum utilitatem eorundem. Quare pro parte Prioriſſę & Conventus earundem, aſſerentium, quod Sancti Mathię cum ſuis annexis centum librarum monetę Bononien., ac Beatę Marię Monaſteriorum eorundem centum florenorum auri de Camera fructus, redditus, & proventus, ſecundum communem ęſtimationem, valorem annuum non excedunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſum Monaſterium Beatę Marię cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis eidem Monaſterio Sancti Mathię in perpetuum unire, annectere pacitec & incorporare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, earundem Prioriſſę & Conventus ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus, vocatis qui fuerit evocandi, de pręmiſſis omnibus, & ſingulis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Monaſterium Beatę Marię prędictum cum omnibus juribus, & pertinentiis ſupradictis, dicto Monaſterio Sancti Mathię eadem auctoritate in perpetuum unias, incorpores, & annectas, ita quod liceat Prioriſſę, & Conventui ipſius Monaſterii Sancti Mathię pro tempore exiſtentibus, corporalem poſſeſſionem Monaſterii Beatę Marię, juriumque, & pertinentiarum prędictorum auctoritate propria apprehendere, & perpetuo retinere, ac illius fructus, redditus, & proventus recipere, & habere, necnon in ſuos, & Monaſteriorum prędictorum uſus convertere, cujuſcunque alterius licentia minime requiſita. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſteriorum, & Ordinis prędictorum quibuſcunque contrariis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alias roboratis, necnon quibusvis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus eorum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Volumus autem, quod ſi unionem hujuſmodi per te, ut pręmittitur, fieri contingat, in Monaſterio Beatę Marię hujuſmodi propter hoc divinus cultus, & Monialium numerus nullatenus minuatur, ſed animarum cura, ſi quą illi immineat, exerceatur, & deſerviatur, ibi laudabiliter in divinis, & inſuper ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Ferrarię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Octavo, Nonis Decembris, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Supplex petitio.

Mandatum.

Clauſula derogans.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XC fol.* 148.

Firmat, & auget Privilegia (1) Fidei Præconibus, ſeu Miſſionariis, conceſſa a B. Benedicto XI.

Anno 1438 Die 15 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CLXXIX.

Exordium.

EX providentia Sedis Apoſtolicę, quę per ſemitas noſtri Redemptoris incedens, ad illuminationem cęcę multitudinis infidelium ac militantium populorum corda firmanda, ſalutem cunctarum expetit animarum, necnon meritis perſonarum ſub jugo Religionis Altiſſimo militantium, quę, mundanis abjectis illecebris, in regulari obſervantia exemplo bonorum operum, & prędicationis hortatu animas populorum Chriſto lucrifacere non poſtponunt, provenire dignoſcitur, ut Romanus Pontifex Prędeceſſorum ſuorum laudabilia geſta, atque per eos devote conceſſa, quę temporis diuturnitate depereunt, ut conſervari, & manuteneri valeant, conceſſiſque hujuſmodi devotio ſanctę fidelitatis accreſcat, libenter innovat, & Apoſtolico munimine roborat innovata, ac etiam nonnulla alia, etiam neceſſaria, prout rerum qualitas & temporum vices exquirunt, dictis conceſſis adiicere conſuevit. Hinc eſt, quod Nos ad di-

Supplex petitio.

dilecti filii Prioris Provincialis Ordinis Prędicatorum Provincię Dalmatię ſupplicationis inſtantiam, quaſdam felicis recordationis Benedicti Papę XI Prędeceſſoris noſtri literas, quas in Cancellaria noſtra diligenter inſpici, & examinari fecimus, earumque tenorem cum hujuſmodi Prędeceſſoris literę incipiant nimia vetuſtate conſumi de verbo ad verbum pręſentibus inſeri fecimus, qui talis eſt. Benedictus Epiſ-

Tenor Diplomatis B. Benedicti XI.

copus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum in Hungaria, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum hora undecima ſit dici hominibus, ut exeant ad opus uſque ad mundi veſperam deputati, & illud Apocalipſis eulogium cito credatur, cum Matris Eccleſię conſolatione complendum, videlicet, oportere viros ſpirituales, vitę munditiam, & intelligentię gratiam cum Johanne ſortitos, populis, & gentibus, linguis, Regibuſque multis denuo prophetare, quia non ſequitur reliquiarum Iſrael per Iſayam prophetata ſalvatio, niſi juxta Paulum Apoſtolum prius introeat gentium multitudo. Nos licet immeriti ſuper Apoſtolicę Sedis ſpecula conſtituti, fideliter, & prudenter diſpenſandis Dei miniſteriis, & operibus coadjuvandis intendimus, ſi, vergente plenitudine temporis, poſt pia priorum ſtudia in vineam Domini Sabaoth novos, & pene noviſſimos, qui ſapientiam longum didicere per otium, operarios mittere curamus. Quia igitur quaſdam amplas, & populoſas Provincias Albaniam (3) Cunaniam (4), & Polatium (5), ac Duratium (6) prope Hungariam ſitas eſſe percepimus, in quibus aliqui Epiſcopi, & plurimi Sacerdotes, & Clerici ſub Gręcorum dominio conſtituti, habitant, qui ritum Sanctę Romanę Eccleſię ſincera mente diligunt, & pro viribus libenter obſervant, quos etiam tempore felicis recordationis Innocentii Papę Quarti Prędeceſſoris noſtri auctoritate ejuſdem veſtri Fratres adierunt, & in Verbo Dei efficaciter inſtruxerunt, Nos pię memorię Alexandri Papę IV Prędeceſſoris noſtri veſtigiis inhęrendo, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus aliquos ex

Nota.

Fratribus, tibi commiſſis, qui ſunt probatę converſationis, & vitę, ac potentes in opere, & ſermone, mittas ad terras memoratas, in quibus verbum Dei proponant, quos tibi amovere liceat, aliosque ſubſtituere, cum videris expedire, quibus vice noſtra in peccatorum omnium remiſſionem injungas, ut ſeminaturi ſuper aquas multas, in illo tantum, qui dixit mundum ſe viciſſe confiſi, ad illuminationem cęcę multitudinis, & exterminium hęreticę falſitatis, ad confirmandum nutantium animos, & fidelium confortandos in luce ſermonis, & certitudine operis, propoſitum ſibi iter ſine offenſione percurrant. Ut autem Miniſterium ipſorum honoretur plenius, & laudabilius impleatur, eiſdem Fratribus, quos ad hoc miſeris, pręſentium auctoritate concedimus, ut ipſi Clericis, ac laicis de ipſis terris oriundis, vel ibidem conſtitutis, qui, unitatem, & obedientiam Sedis Apoſtolicę fideliter amplectentes, ſunt parati ſatisfacere de commiſſis, reconciliationis, & ſi aliqua excommunicatione tenentur, abſolutionis, beneficium juxta formam Eccleſię largiantur, proviſo, ut ſi hujuſmodi excommunicatio ab Ordinariis locorum Epiſcopis fuerit rationabiliter promulgata, juxta formam eandem cum eorum conſilio relaxetur, & cum Clericis ex prędictis ſuper eo quod excommunicati celebraverunt divina, necnon cum illis, qui ab Epiſcopis Gręcis, aut juxta ritum Gręcorum Ordines infra ętatem legitimam, vel temporibus indebitis, aut qui omnes eadem die, vel ſuperiores prętermiſſis inferioribus, aut etiam ſoluto aliquo pretio, ſecundum ritum eundem recipere pręſumpſerunt, valeant diſpenſare. Sit etiam eiſdem Fratribus licitum omnium fidelium in terris prędictis Confeſſiones audire, ac ipſis injungere pęnitentias ſalutares, & excommunicatos a canone juxta formam Eccleſię abſolvere, dummodo injuriam, & damna paſſis ſatisfaciant competenter. Cum irregularibus autem partium earundem in caſibus, in quibus ſolent Legati Sedis Apoſtolicę diſpenſare, ac etiam cum Clericis ipſarum partium, patientibus defectum natalium, dummodo non ſint de adulterio, vel inceſtu, aut de Regularibus procreati, ſit Fratribus pręfatis diſpenſandi facultas, quam circa illos ſimiliter habeant, qui ab unitate Catholicę Eccleſię, ſeu Religione, vel Clericali ordine diſceſſerunt, ſi humiliter redire voluerint, & digne ſatisfacere de commiſſis, ita quod ipſi Religioſi ad ſua loca, ſalva diſciplina Ordinis, reſumantur, & illos ex jam dictis, qui excommunicationis vinculo ſunt aſtricti, juxta pręmiſſam formam, & prędictę ſatisfactionis modum abſolvere valeant, & cum irregularibus eiſdem, ſicut eſt expreſſum ſuperius, diſpenſare: De cauſis matrimonialibus, quas in partibus illis ad audientiam ipſorum deferri contigerit, legitime cognoſcendi, ac diſcordantes inter ſe ad invicem, quo ad pacem, & concordiam redeant, necnon quod inordinate viventes de ſuis exceſſibus, ſicut juſtum fuerit, ſatisfactionem exhibeant, compellendi per cenſuram eccleſiaſticam, Epiſcoporum ſuorum ſcandalo evitato, ipſis Fratribus libera ſit facultas. Inſuper in locis, in quibus eos hoſpitari contigerit, vel in locis partium earundem, in quibus reſidentiam facient, Miſſam, & cetera divina celebrare officia, & conſtitutis ibidem, non obſtante ſi aliqua ſunt excommunicatione ligati, in verbis, & cibo, ac aliis ſecure communicare, & ipſos, ſeu etiam alios converti ad unitatem fidei chriſtianę cupientes, recipere, baptizare, & agregare Eccleſię filiis valeant, ac dare indulgentias, commutare vota, ultramarinis, & continentię votis duntaxat exceptis, liberam licentiam, & plenam habeant facultatem. Ceterum Fratribus pręfatis concedimus, quod a catholicis Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis poſſint Ordines, & alia eccleſiaſtica Sacramenta ſuſcipere, ac veſtes ſacerdotales, Altaris pallas, Corporalia per eos, qui ex Fratribus ipſis ſunt Presbyteri, cum neceſſe fuerit, benedicere, ubi catholicorum Epiſcoporum copia non habetur, & earundem terrarum Clericos per literas ſuas licentiare, ut a Latinis Epiſcopis ordinentur. Ad hęc ſit memoratis Fratribus abſolvendi facultas, occiſores Clericorum, & eccleſiaſticarum perſonarum in prędictis partibus conſtitutos. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire, ſi quis autem &c. Datum Lateran. X Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo (7). Nos itaque hujuſmodi Prioris Provincię Dalmatię ſupplicationibus inclinati, literas pręfatas auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium innovamus, & pręſentis ſcripti patrocinio com-

Confirmatio.

munimus; per hoc autem nullum ius Priori, & Fratribus prędictis alias acquiri volumus, ſed antiquum, ſi quod ſit, tantummodo conſervari. Volumus etiam, & pręſentium tenore concedimus, quod privilegia, facultates, & indulta hujuſmodi ad Servię (8), & Raſcię (9) Provincias etiam ſe extendant, ipſiſque Fratribus, ſive Religioſis per Dalmatię, & alios Priores Ordinis hujuſmodi mittendis, omnibus illis indultis, & facultatibus, quę eis in dictis privilegiis conceduntur, quod in pręfatis etiam duabus Provinciis uti

uti valeant, plenam & liberam concedimus facultatem harum ſerie. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis, communitionis, & voluntatis infringere &c. ſi quis &c. Datum Ferrarię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Octavo, Decimo Octavo Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Privilegia.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo tit. VIII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ea *Archivo Apoſtolico Lib. CVI fol.* 38.
3. *Albaniam.*) Regio eſt *Gracia*, olim *Epirus* dicta.
4. *Cunaniam.*) *Canoviam*, ſeu *Candaviam*, vulgo *canovia*. Regiuncula eſt *Albania*. Vel legendum *Cumaniam*. Regio eſt *Hungaria* ultra *Temeſvarum*, & *Tibiſcum*.
5. *Polatium.*) Ubi *Polati* Populi *Albania* verſus montem *Nigrum*, & lacum *Scodra*.
6. *Duratium.*) *Durracium*, & *Dyrrachium*, in *Albania maritima*.
7. *Anno Primo.*) Chriſti *MCCCIV.*
8. *Serina.*) Legebam, *ſervia*, (Maritimæ ſcilicet, quæ olim *Chulmia*, nunc *Herzegovina* vocatur. Extenditur verſus *Dalmatiam* & *Albaniam*), & Amanuenſem hallucinatum putabam. Verum in ſequenti Diplomate, & in aliis ejuſdem tenoris dato *VII* Septembris *MCCCCXLI* legitur: *Serina*.
9. *Raſcia.*) Pars eſt *Servia Mediterranea*, ſita inter *Drinum*, & *Moravam fluvios*.

Fidei Præcones in Albaniam (1), ceteraſque Regiones miſſos commendat.

Anno 1438 Die 15 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis aliarum Eccleſiarum Pręlatis, necnon Clero, & populo in Duracen., Albanen., Cunanien., Polaten., Raſcia, & Serina Provinciis conſtitutis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CLXXX.

Exordium.

LIcet ſupra vires arduis mens noſtra jugiter occupata negotiis, & curis exiſtat prępedita diverſis, inter ceteras tamen ſolicitudines noſtras ad illud ſuſpiramus ardentius, illudque in ſolidę caritatis ardore lacrymis jugiter devotionis expoſcimus, ut Salvator noſter ſuam ſanctam univerſalem Eccleſiam, toto terrarum orbe diffuſam, in unitate perfecta dignetur ſua miſeratione ſervare, populoſque ſui pretioſi Sanguinis aſperſione redemptos, pręcipue ab ipſius Eccleſię unitate diviſos, per lubrica vagantes & devia, ad ſemitam pacis, & Eccleſiaſticę unitatis adducere, & cum Nobis, licet immeritis, univerſorum Chriſti fidelium ſit cura commiſſa, prout tenemur, & cogimur, totis niſibus, totiſque deſideriis, & affectibus inſiſtentes ſolertiſſime procuramus, viros perſępe vita, & ſanctitate probatos, ac ſacrarum Religionum Sanctimonię dedicatos ad ſpargendum ſemina Verbi Dei pro lucrifaciendo noſtro animas Redemptori, per orbem circumcirca tranſmittere, ac errantes oves ad Domini caulam reducere, & ſub uno Paſtore Jeſu Chriſto Domino Noſtro fidelibus obſequiis in Sancta converſatione fundare. Ac propterea nonnulli viri hujuſmodi converſationis, & vitę videlicet, ex dilectis filiis Fratribus, Ordinis Prędicatorum, tam in Dalmatia, quam Duracen., & aliis Provinciis, pro reductione & Doctrina populorum hujuſmodi, per Priores, & alios Superiores Pręlatos Ordinis ejuſdem, quibus a Sede Apoſtolica eſt hujuſmodi Prędicationis cura commiſſa, mittuntur, qui licet ſint in voluntaria paupertate, & vitę auſteritate devotiſſime conſtituti, indigent tamen locis & manſionibus ubi poſſint quandoque poſt labores perpeſſos in Domino recreari, quas cum ex ſe non habeant, Fraternitates, & caritates veſtras in Domino requirimus, & hortamur, per Apoſtolica vobis nihilominus ſcripta mandantes, quatenus eoſdem Fratres ad officium Prędicationis hujuſmodi tranſmittendos, cum ad Provincias, civitates, terras, caſtra, villas, & alia loca veſtra pervenerint, pio recipientes, admittentes, & pertractantes affectu, verba vitę & ſalutaris Prędicationis hujuſmodi, quę coram veſtra devotione duxerint proponenda, ita devota attentione, & ſinceris cordibus admittatis, ut errantibus, ac deviis populis hujuſmodi ad ſalutares, & uberes fructus reductionis & devotionis accreſcant, ac cooperante Altiſſimo populi hujuſmodi ad viam veritatis aſpirent, & ſalus ipſorum, prout in Domino cupimus, ex miniſterio legationis, & prędicationis Fratrum eorundem, perveniat animarum ſalus, voſque perinde noſtram, & Sedis Apoſtolicę benedictionem & gratiam uberius conſequi valeatis. Datum Ferrarię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Octavo, Decimo Octavo Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Fratres commendat.

1. *Albaniam.*) Conſulendum præcedens Diploma.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ea *Archivo Apoſtolico Lib. CVI fol.* 41.

Confirmat (1) concordiam quandam initam inter Archiepiſcopum Neapolitanum & Fratres noſtros Conventus S. Dominici.

Anno 1438 Die 23 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. CLXXXI.

Exordium.

PAſtoralis officii debitum, cui Divina diſpoſitione pręſidemus, expoſcit, ut ab univerſis noſtrę vigilantię creditis jurgiorum contentionumque ſublatis diſpendiis, pacis, & quietis eis pręſidia miniſtremus; ac illa, quę pro eorum fomento, judicio, vel concordia terminata novimus, ne in recidivę contentionis relabantur, ſcrupulum, Apoſtolici favoris munimine roboremus. Dudum ſiquidem, cum inter bonę memorię Nicolaum Archiepiſcopum Neapolitanum ex una, ac dilectos filios, Priorem, Subpriorem, Conventum, & Fratres Domus Neapolitan. Ordinis Fratrum Prędicatorum, ex alia partibus, ſuper ſolutione integrę quartę, ſive Canonicę portionis parochialis, per Priorem, Subpriorem, Conventum, & Fra-

Diplomatis cauſa.

& Fratres prędictos, Archiepiſcopo pro tempore exiſtenti, & Eccleſię Neapolitan. facienda, de omnibus & ſingulis, quę io ulrimis voluntatibus Eccleſię Domus, & Fratribus hujuſmodi legabantur, & relinquebantur, ac illius occaſione materia quęſtionis exorta fuiſſet, & cauſa hujuſmodi per appellationem Prioris, & Subprioris, Conventus & Fratrum Prędicatorum, ad Sedem Apoſtolicam introducta extitiſſet, bonę memorię Martinus Papa Quintus, Prędeceſſor noſter cauſam appellationis & negotii principalis dilecto filio Johanni electo Legionen., tunc Capellano ſuo, & Auditori cauſarum Palatii Apoſtolici, ad inſtantiam ipſius Prioris, & Conventus, audiendam commiſit, & fine debito terminandam, & deinde cum prętatus Nicolaus Archiepiſcopus, a quodam ſufficienti, ſibi per eundem electum tunc Auditorem, poſtquam in cauſa ipſa ad nonnullos actus, citra tamen concluſionem inter partes ipſas, proceſſerat, illato gravamine, ad dictam Sedem appellaſſet, idem Prędeceſſor cauſam ultimę appellationis & negotii principalis Nobis, tunc in minoribus Cardinalatus ſungentibus honore, audiendam

Tenor compoſitionis. commiſit, & fine debito terminandam; ac ſucceſſive poſtquam, Nos, tunc Cardinalis in cauſa Nobis commiſſi gravaminis hujuſmodi ad nonnullos actus proceſſeramus, partes inter eadem illę in Nos tanquam in arbitrum, arbitratorem, & amicabilem compoſitorem de alto, & baſſo (3) compromiſerunt, & Nos tunc Cardinalis, compromiſſo hujuſmodi in Nos ſponte ſuſcepto, & ejus forma ſervata, ac communicato conſilio peritorum, poſt maturam deliberationem, ſuper his per Nos habitam, noſtrum in ſcriptis tulimus arbitrium, prout in inſtrumento publico inde confecto, noſtro, quo dicto Cardinalatus ſungentes honore utebamur, ſigillo munito, cujus tenorem pręſentibus de verbo ad verbum inſeri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte venerabilis Fratris noſtri Gaſparis Archiepiſcopi Neapolitan., Nobis ad apicem Summi Apoſtolatus aſſumptis fuit humiliter ſupplicatum, ut prętato arbitrio, ac omnibus, & ſingulis in eo contentis, pro eorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, cupientes, ut pręmiſſorum occaſione inter Archiepiſcopum Neapolitan. pro tempore exiſtentem, ac Priorem, Subpriorem, conventum, & Fratres prędictos, lites, & diſſenſiones penitus ceſſent, ac pacis & tranquillitatis foveantur commoda, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, arbitrium, & contenta prędicta, ac omnia inde ſecuta, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplendo omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Tenor vero dicti Inſtrumenti ſequitur, & eſt talis. In Nomine Domini Amen. Pridem Sanctiſſimus in Chriſto pater, & Dominus noſter, Dominus Martinus Divina providentia Papa Quintus, quandam Commiſſionis, ſive ſupplicationis cedulam nobis Gabrieli miſeratione Divina tituli Sancti Clementis Sanctę Romanę Eccleſię Presbytero, Cardinali, Senen (4) vulgariter nuncupato, Judici, & Commiſſario per certum ſuum curſorem pręſentari fecit, quam Nos cum ea, qua decuit, reverentia recepimus, hujuſmodi ſub tenore. Dignetur S. V. cauſam, & cauſas appellationis, & appellationum ad eandem Sedem interpoſitę, & interpoſitarum pro parte Reverendi Patris Domiui Nicolai Archiepiſcopi Neapolitan. a quibuſdam gravaminibus, quę per appellationem & diffinitivam ſententiam reparari non poſſunt, eidem per venerabilem virum Dominum Johannem de Mella veſtri Sacri Palatii Apoſtolici cauſarum Auditorem, in cauſa quę verti prętendebatur coram eo inter Priorem, & Subpriorem, & Fratres, & Conventum Sancti Dominici de Neapoli, ex una, & dictum Reverendum Patrem Dominum Nicolaum Archiepiſcopum Neapolitan., de, & ſuper certa quarta, ſeu Canonica portione, & aliis in hujuſmodi cauſa deductis, & eorum occaſione partibus ex altera, illatis, & factis, necnon cauſam, & cauſas nullitatis, & nullitatum cujuſdam prętenſę appellationis interpoſitę per prędictos Priorem, & Subpriorem, & Fratres, ac Conventum prędictos a dicto Domino Nicolao Archiepiſcopo Neapolitan., alicui, ex Reverendiſſimis in Chriſto Patribus Sacroſanctę Romanę Eccleſię Cardinalibus una cum negotio principali committere audiendam, cognoſcendam, decidendam, & fine debito terminandam, cum omnibus & ſingulis ſuis incidentibus, dependentibus, emergentibus, & connexis. In fine vero dictę commiſſionis, ſive ſupplicationis cedulę ſcripta erant de alterius manus litera ſuperiori literę ipſius cedulę penitus, & omnino diſſimili, & diverſa hęc verba, videlicet. De Mandato Domini Noſtri Papę Audiat Reverendiſſimus Pater Dominus Cardinalis Senen. Cujus quidem commiſſionis vigore, Nos in Cauſam, & cauſas hujuſmodi, & inter partes, rite, & legitime procedentes ad providi viri Magiſtri Angeli de Bontianis in Romana curia, & Reverendi in Chriſto Patris Domini Nicolai Archiepiſcopi Neapolitan. Procuratoris, in dicta Nobis facta & pręſentata commiſſione principaliter nominati Procuratoris inſtantiam, Magiſtrum Johannem Nicolai in eadem Curia, & dictorum Prioris, & Subprioris, ac Fratrum, & Conventus Sancti Dominici de Neapoli ex adverſo principalium, in eadem Nobis facta, & pręſentata commiſſione ex adverſo principalium nominatorum Procuratorem, prout de ipſorum hinc inde procurationum inſtrumentis Nobis, legitimis conſtabat, prout conſtat documentis, ad dicendum, & opponendum quicquid verbo, vel in ſcriptis dicere, ſive opponere vellet contra commiſſionem Nobis, ut pręmittitur, factam & pręſentatam per certum Domini Noſtri Papę curſorem, citari fecimus, & mandavimus, ad certum peremptorium terminum competentem, in quo comparuit in judicio coram Nobis providus vir Guillelmus Chones in Romana curia, & dictorum Prioris, Subprioris, ac Fratrum, & Conventus principalium Procurator per dictum Magiſtrum Johannem Nicolai Procuratorem ad hanc Cauſam legitime conſtitutum, ſubſtitutus, prout de ipſorum hinc inde conſtitutionis, & ſubſtitutionis, mandatis, in actis cauſę hujuſmodi legitimis, conſtabat, prout conſtat, documentis, & continenter commiſſionem Nobis, ut pręmittitur, factam, facto, realiter, & in ſcriptis excepit. Nos tunc ulterius ad providi viri Magiſtri Jacobi de Damiano, in dicta Curia, & dicti Domini Nicolai Archiepiſcopi principalis, Procuratoris, prout etiam de ſuę procurationis Inſtrumento Nobis legitimis conſtabat documentis, inſtantiam dicto Magiſtro Guillelmo Chones ex adverſo Procuratori ſubſtituto ibidem pręſenti ad dicendum, & opponendum quicquid verbo, vel in ſcriptis dicere, ſive opponere vellet, contra appellationem pro parte ſua in hujuſmodi cauſa interpoſitam, certum peremptorium terminum prefiximus competentem, quo termino adveniente, in illoque coram Nobis judicialiter comparentibus Magiſtris Guillelmo Chones ex una, & Jacobo de Damiano Procuratoribus hinc inde

pre-

prędictis, nominibus, quibus ſupra procuratoriis, partibus ex altera, idem Magiſter Guillelmus Procurator ſubſtitutus contra oppoſitionem per partem adverſam interpoſitam generaliter excepit, ac proceſſum in hujuſmodi cauſa coram venerabili, & circumſpecto viro Domino Johanne de Mella Sacri Palatii Apoſtolici cauſarum Auditore habitum ex actis cauſę hujuſmodi in quantum melius potuit, & debuit, juſtificavit, oppoſitionem vero ab eodem Domino Johanne Auditore interpoſitam, in quantum melius potuit, & debuit, actis ex eiſdem impugnavit, necnon ulterius per ipſum Magiſtrum Jacobum de Damiano Procuratorem proceſſu in hujuſmodi cauſa habito, ex actis cauſę hujuſmodi impugnato, & oppoſitione pro parte ſua in hujuſmodi cauſa interpoſita juſtificata, actis ex eiſdem. Subſequenter vero comparentibus in judicio coram nobis Magiſtris Johanne Nicolai, ex una, & Angelo de Bontianis Procuratoribus hinc inde prędictis nominibus, quibus ſupra, & nonnullis procurationum mandatis, ſignis, & ſubſcriptionibus Notariorum publicorum ſignatis, & ſubſcriptis exhibitis, atque productis, quorum vigore in nos Gabrielem Judicem, & Commiſſarium pręfatum, tanquam in arbitrum, arbitratorem, & amicabilem compoſitorem compromiſerunt, dantes, & concedentes Nobis judici, & commiſſario, Arbitro, Arbitratori, & amicabili compoſitori plenam, & liberam poteſtatem tam ſuper appellatione, quam negotio principali, quartę & canonicę portionis de omnibus & ſingulis legatis, & relictis in ultimis voluntatibus Fratribus, & Conventui prędictis, quam idem Archiepiſcopus ad ſe, & Eccleſiam Neapolitan. ſpectare, & pertinere prętendit, de jure, & de facto, ad procedendum, & cauſam & cauſas hujuſmodi plenarie, & ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, diebus feriatis, & non feriatis, partibus vocatis, & non vocatis, cognoſcendum, decidendum, laudandum, ſententiandum, arbitrandum, pręcipiendum, ut ad ſolutionem dictę quartę teneantur Fratres, & Conventus ſupradicti, & fine debito terminandum, cum omnibus, & ſingulis, incidentibus, emergentibus & connexis; prout hęc, & alia in quodam inſtrumento compromiſſi, deſuper confecto, plenius continetur, & habetur. Cujus quidem compromiſſi vigore, Nos in cauſa, & cauſis hujuſmodi, & inter partes prędictas rite, & legitime procedentes, & per dictos Magiſtrum Angelum de Bontianis, & Johannem Nicolai Procuratores nonnullis poſitionibus, & articulis, ac juribus, & munimentis coram Nobis comparentibus, exhibitis, & productis, ac contra alterutrius poſitiones, & articulos, ac jura, & munimenta nonnullis exceptionibus factis, realiter, & in ſcriptis datis, ac deſuper nonnullis teſtibus fide dignis pro eorundem articulorum probationibus per nos in forma juris receptis, juratis, & admiſſis, & per Nos viſis, tandem vero quadam petitione ſummaria per dictum Angelum de Boncianis Procuratorem facta, realiter, in ſcriptis data hujuſmodi ſub tenore. Petit Procurator pro proprio nomine Reverendi Patris Domini Nicolai Archiepiſcopi Neapolitan. per vos Reverendiſſimum Patrem Dominum Cardinalem Senen., Judicem, & Commiſſarium, ac arbitrum, arbitratorem, & amicabilem compoſitorem, veſtramque ſententiam arbitrabilem pronunciari, decerni, arbitrari, decidi, & declarari per venerabilem, & circumſpectum virum Dominum Johannem de Mella, Sacri Palatii Apoſtolici cauſarum Auditorem, in hujuſmodi cauſa, quę tunc coram eo vertebatur, & nunc vertitur coram Vobis inter pręfatos Dominos Archiepiſcopum Neapolitan. ex una, & Priorem, Subpriorem, Fratres, & Conventum Monaſterii Sancti Dominici Neapolitan. Ordinis Prędicatorum de, & ſuper certis gravaminibus, & aliis in hujuſmodi cauſa deductis, & eorum occaſione, partibus, ex altera, bene fuiſſe, & eſſe ſententiatum, & proceſſum, ab ipſo Domino Johanne Auditore, & ejus Proceſſu & ſententia, pro parte dicti Domini Archiepiſcopi male fuiſſe, & eſſe provocatum, & appellatum. Inſuper pari veſtra arbitrali ſententia pronunciari, decerni, declarari, & arbitrari in cauſa, quę vertitur, etiam coram vobis inter pręfatos Dominos Archiepiſcopum ex una, & Priorem, Subpriorem, Fratres, & Conventum de, & ſuper canonica portione, ſive quarta Parochiali, & eorum occaſione, ex altera partibus, prędictos Priorem, Subpriorem, Fratres, & Conventum, ad ſolvendum integram quartam, & Canonicam portionem Parochialem dicto Domino Archiepiſcopo, & Eccleſię Neapolitan. de omnibus, & ſingulis legatis, & relictis, in ultimis voluntatibus, Eccleſię, & Fratribus Sancti Dominici Neapolitan. obligatos fore, & teneri ſecundum tenorem, & formam Concilii Viennen., ipſoſque Priorem, Subpriorem, Fratres, & Conventum ad ipſam quartam, & Canonicam portionem Parochialem, pręfato Domino Archiepiſcopo, & Eccleſię Neapolitan. ſolvendam, & in expenſis in hujuſmodi cauſa, tam in partibus, coram Reverendiſſimo Domino Archiepiſcopo Salernitan., quam in Curia coram pręfato Domino Johanne Auditore, & coram vobis legitime factis condemnandos fore, & per vos condemnari, oppoſitioneſque, recuſationes, & denegationes prędictas ipſi Domino Archiepiſcopo Neapolitan. factas, & pręſtitas, fuiſſe, & eſſe temerarias, illicitas, & injuſtas, ac de facto pręſumptas, ipſiſque Priori, Subpriori, Fratribus, & Conventui prędictis inde, & ſuper recuſationibus, oppoſitionibus, & denegationibus hujuſmodi perpetuum ſilentium imponendum fore, & per vos imponi, ac alias inde, & ſuper pręmiſſis omnibus, & ſingulis conjunctim, & diviſim, nomine, quo ſupra, ſibi fieri juſtitię complementum, verum inſuper benignum officium humiliter implorando ſalvo jure addendi, minuendi, mutandi, corrigendi, & proteſtatur, ut fuit, & eſt moris. Poſtremo vero conſtitutis coram Nobis Magiſtris Angelo de Boncianis, ex una, & Johanne Nicolai pro Fratre Benevenuto Priore ipſius Conventus Fratrum Prędicatorum Neapolitan., Procuratoribus, prędictis nominibus, quibus ſupra Procuratoribus, partibus, ex altera, Sententiam arbitralem, ſive laudum, per nos in ſcriptis fieri, & promulgari debita cum inſtantia poſtularunt, & quilibet eorum poſtulavit. Nos igitur Gabriel, Cardinalis, Judex, & Commiſſarius, arbiter, arbitrator, & amicabilis compoſitor pręfatus, viſis per Nos primitus, & diligenter inſpectis omnibus, & ſingulis in hujuſmodi cauſa habitis, exhibitis & productis, eiſque cum diligentia, & maturitate debita recenſitis, de juriſperitorum conſilio, & aſſenſu, quibus de hujuſmodi cauſę meritis relationem plenariam fecimus, & fidelem, pręhabitaque deliberatione matura, ad noſtram in hujuſmodi cauſa arbitralem ſententiam, ſive laudum, ferendum, procedendum duximus, & proceſſimus, eamque prout vidimus, & cognovimus, & de pręſenti videmus & cog-

Digitized by Google

& cognoſcimus, in ſcriptis protulimus, & promulgavimus, in hunc qui ſequitur modum. Nos Gabriel miſeratione divina, tituli Sancti Clementis Sacroſanctę Romanę Eccleſię Cardinalis Senen. vulgariter nuncupatus, Arbiter, Arbitrator, & amicabilis compoſitor, Chriſti Nomine invocato, pro Tribunali ſedentes, & ſolum Deum prę oculis habentes, de juriſperitorum conſilio, per hanc noſtram Sententiam arbitralem, quam ferimus in his ſcriptis, pronunciamus, arbitramur, decernimus, & declaramus, per venerabilem, & circumſpectum Virum Dominum Johannem de Mella Sacri Palatii Apoſtolici cauſarum Auditorem in cauſa hujuſmodi, quę tunc coram eo vertebatur, & nunc vertitur coram Nobis inter pręfatos Dominos Archiepiſcopum Neapolitan. ex una, & Priorem, & Subpriorem, Fratres, & Conventum Monaſterii Sancti Dominici Neapolitan. Ordinis Prędicatorum, de, & ſuper certis gravaminibus, & aliis in hujuſmodi cauſa deductis, & eorum occaſione, partibus, ex altera bene fuiſſe, & eſſe proceſſum, & pronunciatum, & ab ipſo Domino Johanne Auditore, ac ejus proceſſu, & ſententia pro parte dicti Domini Archiepiſcopi male fuiſſe provocatum, & appellatum. Inſuper pari noſtra arbitrali ſententia pronunciamus, arbitramur, decernimus, decidimus, & declaramus in cauſa quę vertitur etiam coram Nobis inter pręfatos Dominos Archiepiſcopum ex una, & Priorem, Subpriorem, Conventum, & Fratres, de, & ſuper canonica portione, ſive quarta Parochiali, & eorum occaſione, ex altera partibus, prędictos Priorem, Subpriorem, Fratres, & Conventum, ad ſolvendum integram quartam, & canonicam portionem Parochialem dicto Domino Archiepiſcopo, & Eccleſię Neapolitan. de omnibus, & ſingulis legatis, & relictis, & ultimis voluntatibus Eccleſię & Fratribus Sancti Dominici Neapolitan. obligatos fore, & teneri ſecundum tenorem, & formam Concilii Viennen., ipſoſque Priorem, Subpriorem, Fratres, & Conventum, ad ipſam quartam, & integram portionem Parochialem pręfato Domino Archiepiſcopo, & Eccleſię Neapolitan. ſolvendam condemnandos fore, & condemnamus, recuſationeſque, oppoſitiones, & denegationes prędictas ipſi Domino Archiepiſcopo pręſtitas, fuiſſe, & eſſe temerarias, illicitas, & injuſtas, ac de facto pręſumptas, ipſiſque Priori, Subpriori, Fratribus, & Conventui prędictis, inde, & ſuper recuſationibus, oppoſitionibus hujuſmodi perpetuum ſilentium imponendum fore, & imponimus, & expenſas hinc inde in hujuſmodi cauſa tam in partibus coram Archiepiſcopo Salernitan, quam in Curia coram pręfato Domino Johanne Auditore, & coram Nobis factis, recompenſantes, & condemnationes earundem expenſarum in Cauſa obmittentes. Antequam vero hujuſmodi inſtrumentum in publicam redigerent formam, diſcretus vir Magiſter Henricus Schel, dictus Heſſe, hujuſmodi cauſę coram Nobis Notarius, & Scriba ſe a Romana Curia abſentavit, quapropter diſcreto viro Petro Schoerve de Poch Clerico, Colonien. Diœceſis, publico Apoſtolica, & Imperiali auctoritatibus Notario in Cauſa, & Cauſis hujuſmodi ulterius ſcribere, & fideliter continuare in eiſdem duximus committendum, & commiſimus, in quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium pręmiſſorum pręſentes literas, ſive pręſens publicum Inſtrumentum hujuſmodi noſtram arbitralem ſententiam in ſe continentem, ſive continens, exinde fieri, & per Notarium publicum, noſtrumque in hujuſmodi cauſa coram Nobis Scribam infraſcriptum ſcribi, & publicari, mandavimus, noſtrique ſigilli juſſimus, & fecimus appenſione communiri. Lecta, lata, & in ſcriptis promulgata fuit hęc pręſens noſtra arbitralis ſententia per Nos Gabrielem Cardinalem Judicem, & Commiſſarium, ac arbitratorem, & amicabilem compoſitorem Romę in domibus noſtrę ſolitę reſidentię ſitis apud Sanctum Laurentium in Damaſo ſub anno a Nativitate Domini Milleſimo Quadringenteſimo Vigeſimo Sexto, Indictione quarta, die vero Sabbati Decima octava menſis Maii hora Veſperarum conſueta, Pontificatus pręfati Domini noſtri Domini Martini Papę V Divina providentia anno Nono, pręſentibus ibidem venerabilibus, & circumſpectis viris Dominis Chriſtophoro de Vincen. Decretorum Doctore, & Petro de Modoetia dicti Domini noſtri Papę Acolyto, teſtibus ad pręmiſſa vocatis ſpecialiter, & rogatis, & ego Petrus Schoerve de Poch Clericus, Colonien Diœceſis, publicus Apoſtolica, & Imperiali auctoritatibus Notarius, necnon Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Gabrielis Cardinalis pręfati arbitri, arbitratoris, & amicabilis compoſitoris, & hujuſmodi cauſę coram eo Scriba, quia pręmiſſa omnia & ſingula in actis Magiſtri Henrici Schel, dicti Heſſe, Notarii regiſtrata, ac pręſentem ſententiam arbitralem per dictum Dominum Cardinalem, ut pręmittitur, latam, & promulgatam inveni, ideo pręmiſſa omnia, & ſingula ex actis dicti Magiſtri Henrici de mandato ejuſdem Domini Cardinalis extraxi, & in pręſentem publicam formam redegi, ſignoque & nomine in eis ſolitis, & conſuetis una cum dicti Domini Cardinalis ſigilli appenſione ſignavi rogatus & requiſitus, in fidem, & teſtimonium omnium, & ſingulorum pręmiſſorum. Nulli ergo &c. noſtrę confirmationis, communitionis, & ſuppletionis infringere &c. Si quis &c. Datum Ferrarię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Octavo, Decimo Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Octavo,

1. *Confirmat.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. IX.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CVI fol. 290.*

3. *De alto & baſſo.*) Id eſt *De omni prorſus.*

4. *Senen.*) Sic vocabatur, quia *Senenſis* Epiſcopus fuerat: natione ſiquidem *Venetus* erat, e gente *Condelmeria*.

Fra-

Fratres Cœnobii S. Severini (1) veniant in poſſeſſionem reddituum Monaſterii Sororum ejuſdem Prædicatorum Ordinis. Anno 1439 Die 18 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Vicario dilecti filii Alberti (3) Electi (4) Camerinen. in Spiritualibus Generali, & Baſtiano Canonico Camerinen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CLXXXII.

AD ea, per quę Monaſteriorum, & aliorum Religioſorum locorum quorunlibet commodo, utilitatique conſulitur, & opportunitatibus ſubvenitur, libenter intendimus, illaque favoribus proſequimur opportunis. Exordium; Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Conventus Domus Sanctę Marię de Mercato, Terrę noſtrę Sancti Severini, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Camerinen. (5) Dięceſis, Supplex petitio. Nobis nuper exhibita, petitio, continebat, quod olim, videlicet pro tempore, quo Communitas dictę Terrę a ſubjectione quondam Antonii de Sancto Severino, qui eam tunc occupatam detinebat, ſe ſubtraxerat, ac Sedi Apoſtolicę, ejuſque Legatis, & officialibus veram obedientiam, & debitam fidelitatem pręſtiterat, domus prędicta, cauſantibus diverſis diſſenſionibus, controverſiis, ac commutationibus, quę tunc in Terra prędicta vigebant, in bonis mobilibus, & immobilibus, ac pręſertim ſtructuris, & ędificiis ſuis, plurima damna, & detrimenta ſuſcepit in tantum, quod exinde dormitorium dictę domus deſtructum remanſit, quod propter rerum carentiam adhuc ad debitam reformationem deduci non potuit, &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi Monaſterium Monialium, olim ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, prope Pontem Sancti Severini ad flumen Potentię, in campo idoneo (6) dictę Dięceſis, quod in ſuis Eccleſia, & aliis ſtructuris, & ędificiis funditus collapſum, ac deſtructum, & cujus duę tantum Sorores antiquę in ſuorum Conſanguineorum, ſeu affinium, ipſius Monaſterii fructus, ac redditus capientium, domibus commorantes exiſtunt, eidem domui uniretur, ex hoc exponentes prędicti circa reparationes dormitorii, ac ſtructurarum domus hujuſmodi habilius intendere, pluraque exinde commoda, necnon in Eccleſia ipſa divinus cultus augmentum ſuſcipere, valerent. Mandatum, Quare pro parte dictorum Prioris, & Conventus, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc eorum, ac dictę domus ſtatui opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de prępmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de prępmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra vos diligenter informetis, ſeu alter veſtrum ſe informet, &, ſi per informationes hujuſmodi ea fore vera repereritis, ſeu alter veſtrum repererit, Monaſterium prędictum, cujus triginta, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem domui, cujus octoginta Florenorum auri de Camera fructus, redditus, & proventus, ſecundum communem ęſtimationem, valorem annuum, ut ipſi exponentes aſſerunt, non excedunt, auctoritate prędicta perpetuo uniatis, incorporetis, & annectatis, ſeu alter veſtrum uniat, incorporet, & annectat; Ita quod liceat ex tunc Priori pro tempore exiſtenti dictę domus, ac eiſdem Conventui per ſe, vel alium, vel alios, corporalem poſſeſſionem Monaſterii, juriumque, & pertinentiarum prędictorum auctoritate propria libere apprehendere, ac illius fructus, redditus, & proventus in reparationes duntaxat dormitorii, ac ſtructurarum, & ędificiorum domus, ac illius Eccleſię hujuſmodi convertere, & exponere, Dięceſani loci, & cujuſque alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii, domus, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod per vos, ſeu illum ex vobis, per quos, ſeu quem, unionem, annexionem, & incorporationem prędictas fieri contigerit, de fructibus, redditibus, & proventibus Monaſterii hujuſmodi ſingulis Sororibus ipſis quandiu vixerint congrua de qua vobis, vel illi videbitur, portio conſignetur, quodque propter hoc dictum Monaſterium velut hęreditas ad profanos uſus nullatenus deducatur. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo octavo (7), duodecimo Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno octavo.

1. *S. Severini.*) *Septempedani* ſcilicet, in *Piceno*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CVI fol. 47.* Autographum aſſervatur in Cœnobio *S. Severini* Plumbum filis cannabinis appenditur.

3. *Alberti.*) Adeas *Ughellum* in Epiſcop. *Camerinen. Tomo I Italiæ Sacræ pag. 563. Edit. II.*

4. *Electi.*) Ab anno *MCCCCXXXVII*, uti *docet Ughellus* mox laudatus.

5. *Camerinen.*) Nunc Epiſcopalis eſt Civitas *Septempedana*.

6. *Idoneo.*) *Idonico*. Sic etiam nunc vulgo vocatur Campus ille, uti me docuit eruditus P. *Bernardus Gentilius* Preſbyter celeberrimi Oratorii *S. Philippi Nerii*. Illi præſtantiſſimo viro, e *Septempedanis* Patriciis oriundo, & antiquitatum ſuæ Patriæ inveſtigatori diligentiſſimo, quem laudibus ornat vir clariſſimus *Nicolaus Coletus De Epiſcopis S. Severini Tomo II Italiæ Sacræ pag. 768. Edit. II*, hæc annotatio refertur accepta. Ceterum *Idonicus* Græca vox eſt ἡδονικὸς, id eſt ſuavis, jucundus, amœnus, delectabilis, a verbo ἥδω delecto. Nec miror, quod illa Græca nomenclatione *Septempedani* fuerint uſi, cum vox ipſa *Septempeda*, mea quidem ſententia, Græcanica ſit a Σεβὰς Venerabilis, & Πέδον Terra. Hinc ab Auctoribus paſſim Græce ſcribitur *Septempeda* nomen Σεπτέμπεδα, rectius Σεβάσπεδον. Ab aliis vero, ut analogia vocis Πέδον ſervetur, & in utraque lingua neutrum genus obtineat *Septempedum* nominatur. Sic appellatur a *Sexto Julio Frontino* apud *Goeſium de Re Agraria*, & a *Bonino Mombritio* in *Vita S. Victorini Septempedani*. Quod a Græcis urbs *Septempedana* condita fuerit, auctores ſunt *Leonardus Franchus*, & *Andreas Baccius*. Sic enim loquitur *Leonardus* in vita S. Severini Lib. I. *Potentia flumen Septempedam, Urbem olim a Græcis conditam, præterfluit*. Idem docet in opere, cui titulus: De *Antiquitatibus Septempedanorum*. *Andreas* vero *Baccius* de *Naturali Vinorum Hiſtoria &c.* Lib. V. *A Syracuſanis*, inquit, *Siciliæ populis, ut Strabo meminit Lib. V, complures conſtat ædificatas in Picenis Urbes: Ab his Dionyſii tyrannidem fugientibus Ancona condita circa LXXX, aut XC Olympiadem, Romana tunc Republica a trecentis annis adoleſcente, & has inter, videtur* Septem-

Septempedam ædificatam nomine Græco, ut illis temporibus præcipue Græcas Siculi tractabant ſcientias. De Civitatibus a *Siculis* in *Piceno* fundatis loquitur *Plinius Lib. III Cap. XIII.* Nec deſunt Inſcriptiones antiquæ, quibus firmari poteſt opinio noſtra. Unam, ſed mutilam, refert *Compagnioni* in *Regia Picena Parte I Lib. I.*

M. M. PETIN
ET GRÆ
MACERIA
DEC.

Extat *Septempeda*, ubi ſequentes reperiuntur, quas mecum communicavit humaniſſimus *Gentilius* mox laudatus.

D. M.	Q. PETILIO Q. L.
L. LIB. EUDEMUS	ATTALO
UL. VOL.	HEREDES SUA
SIBI	VOLUNTATE.
POSUIT.	

In his Inſcriptionibus id unum notandum, quod *Eudemus*, & *Attalus* Græca nomina ſunt. Addam, ſi conjectura placet, cur *Septempeda*, ſeu *Venerabilis Terra* denominata fuerit Urbs cui nunc a *S. Severino* nomen eſt. Urbs *S. Severini* vocata fuit a Chriſtianis ex *S. Severino* ejuſdem Civitatis Epiſcopo. *Septempeda* vero, ſeu *Venerabilis Terra* ex Dea *Feronia*, quam ibidem venerabantur, a falſorum Deorum cultoribus denominata videtur. Huc refer ſequentes Inſcriptiones.

CAMURENÆ
C. FIL.
CELERINÆ
FL. FERON.
MUNICIP. SEPTEMP.
MUNICIPES T. INCOL.
TUF. UTR. SEXUS
OB MERITA EJUS
H. A. L. R.

Id eſt *Camurenæ Caii Filiæ Celerinæ, Flaminæ Feroniæ, Municipi Septempedanæ, Municipes & Incolæ Tuſici utriuſque ſexus ob merita ejus, honore accepto, impenſas remiſerunt.* Fuit *Tuſicum* Urbs Umbriæ antiquæ, nunc deſtructa. De qua conſulendus *Cornelius in Dictionario univerſali* Gallice conſcripto, *Tomo III*, verbo *Tuſicum*.

CAMURENÆ
C. F.
CELERINÆ
FLAM. FERON.
MUNICIP. SEPTEMP.
L. TITENNIUS FELIX
MARI. OPT.

Id eſt *Camurenæ Caii Filiæ Celerinæ, Flaminæ Feroniæ, Municipi Septempedanæ, Lucius Titennius Felix, Matri Optimæ.* Quod igitur Templum, Deæ *Feroniæ* ſacrum, *Septempedæ* fuerit, Inſcriptiones ipſæ declarant. Huic Sententiæ ſuffragatur Eminentiſſimus S. R. E. Cardinalis *Corradinus Tomo II pag. 166* Operis, cui titulus: *Vetus Latium Profanum & Sacrum.*

7. *Triceſimo Octavo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCXXXIX.*

Anno 1439 Die 11 Martii.

Monaſterium vulgo dictum Dominarum Cœnobio Sanctæ Mariæ de Mercato de Sancto Severino (1) Camerinen. Diœceſis uniendum decernit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXXXIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus Sanctę Marię de Sancto Severino, Camerinen. Dięceſis, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Sincerę devotionis affectus, quem ad Nos, & Romanam geritis Eccleſiam, promeretur, ut petitionibus veſtris, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Dudum ſiquidem cum pro parte dilecti filii Philippi, Abbatis Monaſterii Sancti Laurentii, & Sancti Euſtachii, de Sancto Severino, Camerinen. Dięceſis, Ordinis Sancti Benedicti, Nobis fuiſſet expoſitum, quod cum fructus, redditus, & proventus dicti Monaſterii, cui etiam cura imminet Animarum, propter guerras, & alias calamitates, quę partes illas diutius afflixerant, adeo diminuti, & tenues exiſterent, quod Abbas ejuſdem Monaſterii cum ſuis Monachis, & aliis miniſtris in dicto Monaſterio degentibus, qui erant numero viginti quinque, vel circa, commode ſuſtentari, & alia ſibi incumbentia onera ſupportare nequiret,

Diplomatis cauſa.

quodque, ſi Monaſterium Monialium Sancti Johannis Monaſterium Dominarum (3) nuncupatum, Ordinis Sancti Auguſtini dictę Dięceſis, quod in ſuis ſtructuris, & ędificiis, quaſi funditus collapſum, & ad ſolum deductum exiſtebat, prout exiſtit, ac ab ipſo Monaſterio de Sancto Severino per dimidium milliare, vel circa diſtat, & in quo duę tantummodo Moniales ſupererant, quę jam a multis retroactis temporibus reſidentiam inibi non fecerant, prout nec faciebant, eidem Monaſterio de Sancto Severino, uniretur, annecteretur, & incorporaretur, idem Abbas pro ſua, & aliorum ſuſtentatione, ac onerum ſupportatione hujuſmodi magnum ſuſciperet relevamen, Nos tunc dilecto filio Alberto Electo Camerinen. committi conceſſimus, ut, prout ſibi melius videretur, ſuper hoc duceret diſponendum. Poſtmodum vero, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, cum ad hujuſmodi conceſſionis executionem, ex eo, quod, ut aſſeritur, ſuper illa literę Apoſtolicę confectę non fuerant, minime proceſſum extitiſſet, domuſque veſtra ex guerris, & calamitatibus hujuſmodi tam in ędificiis, quam aliis ſuis membris, & bonis ad divinum cultum pertinentibus, plurimum deteriorata, collapſa, & attenuata exiſteret, pro parte veſtra Nobis fuiſſet humiliter ſupplicatum, ut neceſſitatibus dictę domus compatientes, pręfatum Monaſterium Dominarum domui veſtrę unire, & incorporare ſimiliter dignaremur; Nos etiam tunc dilecto filio, vicario dicti electi Camerinen. in Spiritualibus Generali, ejus proprio nomine non expreſſo, per noſtras literas dedimus in mandatis, ut pro ſubven-

Mandatum.

tione reparationis dormitorii, & aliorum ędificiorum domus veſtrę prędictę, & illius Eccleſię, Monaſterium Sancti Johannis cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis domui hujuſmodi uniret, annecteret, & etiam incorporaret, prout in dictis literis, in quibus de conceſſione hujuſmodi Abbati per prius, ut pręmittitur, facta, nulla mentio facta fuit, dicitur plenius contineri. Nos ne propterea literę ipſę valeant de ſubreptione notari, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, volumus & Apoſtolica Auctori-

Auctoritate decernimus, quod prętatę literę, necnon proceſſus habiti per eaſdem, & quęcunque inde ſecuta ab earum data valeant, plenamque roboris obtineant firmitatem in omnibus & per omnia perinde ac ſi de conceſſione hujuſmodi Abbati prędicto per antea facta, quam Auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium invalidam fore decernimus, ac volumus nullius exiſtere roboris, vel momenti, plena, & expreſſa mentio facta fuiſſet. Non obſtantibus pręmiſſis, ac omnibus illis, quę in prędictis literis non obſtare volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Noſtrę conceſſionis, conſtitutionis, Sanctio pœnalis. & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Octavo (4), Quinto Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *De S. Severino.*) In Piceno.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXIII fol. 74.* Autographum aſſervatur in Cœnobio S. Severini. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Dominarum.*) Id eſt *Nobilium*. Urbs ſiquidem *Septempedana*, & Sanctis quos aluit, & civibus natalium ſplendore conſpicuis illuſtratur.
4. *Triceſimo Octavo.*) Stylo Bullarum, æra vero communis *MCCCCXXXIX.*

Monaſterium Beatæ Mariæ de Payola Monaſterio Sancti Mathiæ Bononien. (1), uniendum decernit.

Anno 1439 Die 11 Martii.

Ex Arch. (2) Ordinis.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Michaeli Angelo Epiſcopo Laveleo. (3), in civitate noſtra Bononien. reſidenti, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CLXXXIV.

SAcrę Religionis, ſub qua dilectę in Chriſto filię Prioriſſa, & Conventus Monaſterii, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Sancti Mathię Bononien., Ordinis Sancti Auguſtini, ſub Regula Fratrum Prędicatorum degentes, ſedulum, & devotum exhibent Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut earum opportunitatibus favorabiliter conſulamus. Exordium. Dudum ſiquidem pro parte earundem Prioriſſę, & Conventus Nobis expoſito, quod fructus, redditus, & proventus dicti Monaſterii propter guerrarum turbines, mortalitatem, peſtes, alioſque caſus ſiniſtros, qui retroactis temporibus civitatem noſtram Bononien., cum ſuis diſtrictibus, & partibus adjacentibus, proh dolor! afflixerunt, adeo exiles, & tenues exiſtebant, Diplomatis cauſa. quod ex illis Prioriſſa, & Moniales ejuſdem Monaſterii pro tempore exiſtentes, decenter ſuſtentari, & alia onera eis incumbentia commode ſupportare nequibant, quodque ſi Monaſterium Beatę Marię de Payola etiam Bononien., dicti Ordinis, in quo propter exiguum Monialium numerum nulla tunc dicto Monaſterio pręerat Abbatiſſa, eidem Monaſterio Sancti Mathię uniretur, annecteretur, & incorporaretur, Prioriſſa, & Conventus prędictę ex hoc ſublevamen reportarent, & decentius ſuſtentari, ac onera hujuſmodi ſupportare valerent, idque etiam cederet in Monaſteriorum utilitatem eorundem, ac pro parte Prioriſſę, & Conventus prędictarum aſſerentium, quod Sancti Mathię cum ſuis annexis centum librarum monetę Bononien., & Beatę Marię Monaſteriorum prędictorum centum Florenorum auri de Camera fructus, redditus, & proventus ſecundum communem ęſtimationem valorem annuum non excedunt, Nobis humiliter ſupplicato, ut dictum Monaſterium Beatę Marię, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Monaſterio Sancti Mathię in perpetuum unire, annectere, & incorporare dignaremur, Nos per alias noſtras Literas (4) dilecto filio Aurelio Priori Sancti Johannis in monte Bononien. ejus proprio nomine expreſſo, dedimus in mandatis, ut vocatis, qui forent evocandi, de pręmiſſis omnibus, & ſingulis auctoritate noſtra ſe diligenter informaret, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe reperiret, prędictum Monaſterium Beatę Marię cum omnibus juribus, & pertinentiis ſupradictis pręfato Monaſterio Sancti Mathię eadem auctoritate in perpetuum uniret, annecteret, & incorporaret, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Prioriſſę, & Conventus prędictarum, petitio continebat, dictus Aurelius, ex eo quod Prioratus Sancti Johannis in Monte Bononien., quem ipſe Aurelius obtinet, Dignitas nullatenus exiſtit, ad ipſarum literarum executionem procedere nequeat, ac propterea etiam ex eo quod in dictis literis, quod Sancti Mathię Roman. Eccleſię immediate, & Beatę Marię Monaſteria prędicta venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Bononien. pro tempore exiſtenti ordinario jure ſubſint, nulla mentio habita, quodque propter exiguum Monialium numerum in pręfato Monaſterio Beatę Marię nulla tunc eidem Monaſterio pręeſſet Abbatiſſa, expreſſum ſit, cum idem Monaſterium Beatę Marię non per Abbatiſſam, ſed per Prioriſſam gubernari conſueverit, dilectę in Chriſto filię Conventus dicti Monaſterii Beatę Marię, quominus idem Aurelius ad literarum hujuſmodi executionem procedat, impedire, nec non literas ipſas de ſubreptione arguere intendunt, pro parte earundem, Prioriſſę, & Conventus dicti Monaſterii Sancti Mathię Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ne propterea effectus literarum prędictarum impediri contingat, ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad omnimodam literarum Apoſtolicarum executionem juxta ipſarum continentiam atque formam provide dicta auctoritate procedas, ac ſi literę ipſę tibi directę, & in eiſdem quod Sancti Mathię Roman. Eccleſię, & Beatę Marię Monaſteria prędicta dicto Epiſcopo ordinario jure ſubeſſent, ut pręfertur, quodque propter exiguum numerum Monialium nulla tunc eidem Monaſterio Beatę Marię Mandatum. pręeſſet Prioriſſa expreſſum fuiſſet, non obſtantibus pręmiſſis, & omnibus illis, quę in dictis literis non obſtare volumus, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his, a quoquam, quavis

auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Octavo (5), Quinto Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Bononien.*) In *Italia*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXIII fol.*197.
3. *Lavelen.*) *Lavellen.*, aliis *Labellen.*, vulgo *Lavello*, in *Apulia*. Hujuſce *Michaelis Angeli* meminit *Ughellus* in Epiſcopis *Lavellen.*
4. *Literas*.) Datas V Decembris *MCCCCXXXVIII.*
5. *Triceſimo Octavo*.) Stylo Bullarum, Æræ communis *MCCCCXXXIX.*

Anno 1439 Die 9 Aprilis.

De Privilegiis Ordinis Prædicatorum nunquam derogatur (1) niſi ejuſdem Ordinis ipſius Generalis Magiſtri, & eorundem privilegiorum ſpecialis mentio fiat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXXXV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro Generali, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, pręſentibus, & futuris, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium a commendatione Fratrum.

SAcrę Religionis ſinceritas, ſub qua, mundanis abjectis illecebris, verbum etiam Dominicum per diverſa mundi climata prędicando, & pluribus virtutibus, ac fructuoſis operibus dietim multiplicando, devotum, & ſedulum exhibetis Altiſſimo famulatum, non indigne meretur, ut petitionibus veſtris, illis pręſertim, quę veſtrum commodum, quietem, & tranquillitatem conſpicere dignoſcuntur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Hinc eſt, quod Nos, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, volumus, & Apoſtolica vobis auctoritate concedimus, necnon etiam ex certa ſcientia decernimus, & declaramus, quod nulla per Nos, vel Sedem Apoſtolicam ſub quibuſvis formis, aut quorumcunque, etiam Mendicantium Ordinum, & illorum Religioſorum, ſeu aliorum verborum expreſſionibus, & cum quibuslibet derogatoriis privilegiorum eiſdem Mendicantium Ordinibus, & Religioſis per Nos, vel Sedem eandem conceſſorum clauſulis, etiam motu proprio, quibuſvis perſonis, cujuſcunque gradus, ſtatus, vel conditionis exiſtant, etiam ſi Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, Abbatiali, vel alia quavis auctoritate pręfulgeant, necnon Collegiis, Capitulis, Univerſitatibus, ſeu Conventibus conceſſa, aut in eorum favorem, vel alias quomodolibet facta, & a Nobis, vel a Sede prędicta emanata hactenus, vel impoſterum concedenda, facienda, & a Nobis emananda, literę, Privilegia, Facultates, & Indulta vobis, & Ordini veſtro, veſtriſque domibus, atque locis, ſeu veſtrum, aut eorum alicui, contra, vobis, & eis, tam per plures Summos Pontifices, Prędeceſſores noſtros, quam etiam Nos, ſeu alias quomodolibet conceſſorum privilegiorum, literarum, gratiarum, & indultorum tenores pręjudicent, vel pręjudicare poſſint, niſi in literis, privilegiis, facultatibus, & indultis cum expreſſione generali Ordinum, etiam Mendicantium, & illorum Religioſorum conceſſis, & concedendis, ac factis, ſeu faciendis, ſeu emanatis, vel emanandis hujuſmodi, de Ordine Fratrum Prędicatorum, & illius, ac ejus domibus, & vobis, privilegiis, literis, gratiis, & indultis pręfatis, necnon quoad ipſa concedenda privilegia, literas, facultates, & indulta de Generali Magiſtro dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, qui erit pro tempore, ſignanter, & notanter, ac ſpecialiter, & expreſſe, necnon de verbo ad verbum, mentio facta fuerit, omnium quoque, & ſingulorum privilegiorum, literarum, facultatum, & indultorum conceſſorum prędictorum tenores, pręſentibus pro expreſſis habentes, ac decernentes ex nunc omnes, & ſingulos proceſſus, quaſcunque excommunicationum, ſuſpenſionum & interdicti, & alias quaſvis ſententias, cenſuras, & pęnas in ſe continentes, ac quicquid contra voluntatem, & declarationem noſtram hujuſmodi, ac tenorem pręſentium, ſcienter, vel ignoranter, a quoquam, quavis auctoritate haberi, fulminari, ſeu proferri contigerit, irrita, & inania, nulliuſque roboris, vel momenti exiſtere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę voluntatis, conceſſionis, conſtitutionis, & declarationis infringere &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, Quinto Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Conceſſio & declaratio.

Gratis de Mandato Domini noſtri Papę

Bonanus

Super partem inflexam, ſeu plicum, legitur.

Duplicata gratis de mandato D. n. Papę.

A tergo

R.

Ja. de Viterbio.

B. Valnen.

1. *Nunquam derogatur*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo*.) In quo duplex Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur. Ibidem duplex Exemplar. Authenticum unum ex Autographo *Neapoli* aſſervato, aliud ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXIII fol.*184. Ejuſdem tenoris *Conſtitutio* data V Kal. Aprilis Pontificatus *Eugenii IV* Anno Nono legitur apud *Uſumarem pag.*107.

Do-

Donationes Fratribus Wratislavienſibus (1) factas confirmat. Anno 1439 Die 16 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus domus Sancti Adalberti Ordinis Fratrum Prędicatorum Wratislavien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CLXXXVI.

CUm a Nobis petitur quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor ęquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Sane petitio veſtra, Nobis exhibita, continebat, quod bonę memorię Laurentius Epiſcopus Wratislavien ad Ordinem veſtrum pium habens reſpectum, Eccleſiam Sancti Adalberti, tunc per liberam reſignationem Rectoris ipſius vacantem, ubi nunc eſtis Divino obſequio mancipati, cum adjuncto ſibi fundo, Capituli ſui ad id accedente conſenſu, provida vobis & Ordini veſtro liberalitate conceſſit, quaſdam alias hujuſmodi conceſſioni congruas adiiciens libertates, quas felicis recordationis Gregorius Decimus confirmavit (3), prout in patentibus literis inde confectis dictorum Gregorii, & Epiſcopi, ac Capituli ſigillis munitis, dicitur plenius contineri. Nos itaque, veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ſuper his pie, & provide factum eſt ratum, & firmum habentes, id auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. noſtrę confirmationis, & communitionis infringere. Si quis &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, Sexto Decimo Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Exordium. — Supplex petitio. — Confirmatio.

1. *Wratislavienſibus.*) In *Sileſia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* CXXIII *fol.* 73.
3. *Confirmavit.*) *Conſtitutione XIII*, quæ legitur pag. 514 *Tomo I* hujus Bullarii.

Firmat ſtatuta pro Cœnobio & Monaſterio Wratislavien. (1) a Generali Magiſtro edita. Anno 1439 Die 16 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Conventui domus Sancti Adalberti Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac dilectis in Chriſto filiabus, Prioriſſę, & Sororibus Monaſterii Sanctę Catharinę ſub habitu, & cura dicti Ordinis viventibus Wratislavien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CLXXXVII.

ORdinis veſtri Sacra Religio, & perſonarum ipſius conſpicua merita promerentur, ut eis, & vobis, in his pręſertim, quę divini Cultus, & Religionis ejuſdem, regularíſque normę augmentum reſpiciunt, Nos exhibeamus favorabiles, & benignos. Sane exhibita Nobis pro parte veſtra petitio continebat, quod dudum dilectus filius Bartholomęus (3) Texerii. veſtri Ordinis Generalis Magiſter, curam gerens pervigilem ad gregem ſibi commiſſum inter cetera ſui Ordinis Domus, ſeu Monaſteria, Omnipotente Deo cooperante, Sancti Adalberti, & Sanctę Catharinę domus, ſeu Monaſteria veſtra, in quibus divinis eſtis obſequiis mancipati, laudabiliter reformavit, ac ad regularis obſervantię normam provide perduxit, nonnullorumque regularium ſtatutorum, & cęremoniarum obſervantiam, ſecundum diſpoſitiones Conſtitutionum, & Regulam veſtri Ordinis diſpoſuit, fecit, & ordinavit, prout in eiſdem dicitur plenius contineri. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut diſpoſitioni, & ordinationi pręmiſſis, pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, ordinationes, & ſtatuta prędicta, rata, & grata habentes, ipſa auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus; ſupplentes etiam omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in pręmiſſis. Nulli ergo &c. noſtrę confirmationis, communitionis, & ſuppletionis infringere &c. Si quis &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, Sexto Decimo Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Exordium. — Supplex petitio. — Confirmatio.

1. *Wratislavien.*) In *Sileſia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* CXXIII *fol.* 73.
3. *Bartholomæus.*) Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXXVI pag.* 776.

Concedit Sororibus Tertii Ordinis Peruſin. (1) quandam domum ipſis aſſignatam. Anno 1439 Die 30 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectę in Chriſto Filię Franciſcę de Peruſio, Sorori de Pęnitentia Beati Dominici nuncupatę, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CLXXXVIII.

HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte tua, petitio continebat, quod inter te, & dilectam in Chriſto filiam Exordium.

filiam Bianciam, quondam Bobii mulierem Peruſin. Tertii Ordinis Beati Franciſci occaſione cujuſdam dimidię domus relictę per quondam Nicolam Puctiarelli, etiam mulierem Peruſin., pauperibus mulieribus Peruſii commorantibus pro earum habitatione. quędam contentiones exortę fuiſſent, venerabilis

Diplomatis causa.

Frater noſter Andreas Johannis (3) Epiſcopus Peruſin., volens hujuſmodi contentiones, & lites inter vos vigentes terminare, per ſuas literas decrevit, & declaravit, dictam medietatem a ſummo uſque ad deorſum cum ſupellectilibus in ea exiſtentibus per te, & ſocias tuas pręſentes, & futuras mulieres de Pęnitentia Beati Dominici perpetuo tenendam, & poſſidendam, & quandam aliam domum relictam per quondam Jacobam Andreucioli, etiam mulierem Peruſin., per dictam Bianciam, & ejus Socias ſimiliter pręſentes, & futuras dicti Ordinis Beati Franciſci perpetuo teneri, & poſſideri debere, loco tamen, ſeu gripta, ciſternam colligente pro communi uſu aquę tam pro de Pęnitentia Beati Dominici,

Conceſſio.

quam pro eiſdem Beati Franciſci communiter manente, prout in dictis literis plenius continetur. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut hujuſmodi dicti Epiſcopi decreto, & declarationi, & aliis in dictis literis contentis pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adjicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, decretum, & declarationem pręfati Epiſcopi, & alia in dictis literis contenta, & quęcunque inde ſecuta, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus; ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę confirmationis, communitionis, & ſuppletionis infringere &c. Si quis &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, Pridie Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Peruſin.*) In *Hetruria ditionis Pontificiæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* CXXIII *fol.*192.
3. *Andreas Johannis.*) Adeas Ughellum *in Epiſcop. Peruſin.*

Anno 1439 Die 10 Maii.

Conſtituit judicem de lite (1) inter Moniales Montis-Peſſulani Monaſterii Ordinis Prædicatorum, & Abbatem Monaſterii Vallis Magnæ Ciſtercienſis Ordinis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXXXIX.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Guilhermo de Fondera Canonico Burdegalen., in Civitate noſtra Avenionen. commoranti, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Dudum ſiquidem ad ſupplicationem dilectarum in Chriſto filiarum Priorię, & Conventus Prioratus Sanctę Marię de Pruihano Villę Montis-Peſſulani (3), Ordinis Sancti Auguſtini, Magalonen. Diœceſis, ſub habitu, & inſtitutione Fratrum Pręedicatorum, ac perpetua clauſura degentium, ac ex certis per eas tunc Nobis expoſitis rationabilibus cauſis in Monaſterio Monialium de Bonoloco alias de Vinhogolo,

Diplomatis causa.

Ciſtercien. Ordinis, pręfatę Diœceſis, Dignitatem Abbatialem, ac illius Ordinem hujuſmodi ſupprimi, & extingui, necnon ipſum Monaſterium cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Prioratui uniri, annecti, & incorporari, per quaſdam primo, & deinde ſibi per alias noſtras literas, in quarum poſterioribus inter cetera, quod unione ipſa tunc ſuum effectum legitime ſortita, ac poſtmodum inter Prioriſſam, & Conventum prędictas ex una, necnon Abbatem tunc, & nunc exiſtentem Monaſterii Vallis magnę, Ciſtercien. Ordinis, Agathen. (4) Diœceſis, ſe tunc in hujuſmodi Monialium Monaſterio intereſſe habere prętendentem partibus, ex alia, materia quęſtionis exorta, venerabilis Frater noſter Petrus (5), Epiſcopus Albanen. in partibus illis Apoſtolicę Sedis Legatus, tibi cauſam hujuſmodi auctoritate dictę Legationis, ad ipſius Abbatis inſtantiam, audiendam commiſerat, & fine debito terminandam, quodque illa coram te, licet in ea ſuper poſſeſſorio unam pro dictis Prioriſſa & Conventu, & contra dictum Abbatem definitivam, quę in rem judicatam tranſierat, ſententiam protuliſſes. pendebat indeciſa, quod fructus, redditus, & proventus, prędicti valorem centum librarum hujuſmodi annuatim non valebant, expreſſum fuiſſet. prout in ſingulis literis ipſis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Prioriſſę & Conventus prędictarum, petitio continebat, cauſa prędicta contra pręfatas Prioriſſam, & Conventum ad ipſius Abbatis inſtantiam, ac etiam contra eum ſententia hujuſmodi lata, ut pręfertur, non extiterit, ſed Abbas tunc legitime vocatus ad hujuſmodi cauſam venerit, & ſuper pręmiſſis inter eum, ex una, ac Prioriſſam, & Conventum pręfatas, lis adhuc pendeat indeciſa, necnon Prioriſſa, & Conventus hujuſmodi pręfatam Abbatiſſam, tunc contra unionem factam hujuſmodi reclamantem, in cauſam traxerint, dictaque ſententia contra eam, & pro ipſis Prioriſſa, & Conventu ſuper poſſeſſorio hujuſmodi per quendam Judicem Regium in illis partibus tunc exiſtentem lata fuerit, pro parte dictarum Prioriſſę & Conventus, etiam aſſerentium, ſe ſpem habere, quod dicta Abbatiſſa unionem factam confirmare, litique & cauſę ſibi contingentibus hujuſmodi cedere debeat, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc eis, & dicti Prioratus ſtatui opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam pręfata Abbatiſſa unionem factam confirmaverit, ac liti, & cauſę ei contingenti hujuſmodi ſponte, & libere ceſſerit, & de hoc tibi legitime conſtiterit, ad executionem literarum tibi directarum hujuſmodi juxta illarum continentiam, atque formam procedas

Mandatum.

perinde in omnibus, & per omnia, ac ſi in illis non quod Cauſa ad inſtantiam Abbatis commiſſa. ac ſententia hujuſmodi contra eum lata extiterant, ſed quod Abbas prędictus vocatus ad cauſam hujuſmodi

ve-

venerat, ac inter eum, & dictas Prioriſſam, & Conventum, lis pendebat, quodque dicta ſententia contra Abbatiſſam lata, & quod illa per eaſdem Prioriſſam & Conventum in cauſam tracta, fuerant, ut etiam pręfertur, expreſſum fuiſſet. Non obſtan. pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quę in ſingulis literis prędicta volumus non obſtare, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, Sexto Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Lite*.) Vide *Conſtitutionem CLXVI*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXVI fol. 95*.
3. *Montis-Peſſulani*.) In *Occitania*.
4. *Agathen*.) Vulgo *Agde*, in *Occitania*.
5. *Petrus*.) *De Fuxo* nuncupatus, Ordinis Minorum. *Petri* meminit *Ciaconius* in *Petro de Luna*. Adeas *Ughellum in Epiſcop. Albanen.*

Aſſignat duodecim millia florenorum pro reficiendo Peruſino (1) Cœnobio.

Anno 1439 Die 13 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Conventui domus Sancti Dominici Peruſin. Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CXC.

MEditatio cordis noſtri aſſidua ad hoc vigilat, & intendit, ut circa Eccleſias, & loca Religionis titulo inſignita, quę indigentię premuntur incommodis, ne negligentię videantur exponi, efficacis ſolicitudinis ſtudium apponere, & ſalubris proviſionis remedium adhibere curemus. Exordium. Sane pro parte veſtra Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod fabrica Domus veſtrę, quę miro, ſumptuoſoque opere fundari incepta, in ſtructuris & ędificiis ſuis perfici, necnon illius Fratres, qui ſub Religionis habitu ſtudio pię vitę vacantes, & ſedulum, & devotum exhibentes Altiſſimo famulatum, in multitudine numeroſa exiſtunt, ſuſtentari ex illius facultatibus, necnon piis decedentium legatis, quę ipſi domui pro tempore fiunt, commode non poſſunt, quodque domui prędictę, quę pro perfectione, & ſuſtentatione hujuſmodi duodecim millium florenorum auri ſumma indigere dignoſcitur, nonniſi Apoſtolico interveniente pręſidio in pręmiſſis congrue ſubveniri non poteſt. Supplex petitio. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in prędictis gremium Apoſtolicę gratię aperire, ac perfectioni, & ſuſtentationi pręfatis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Ordinem pręfatum, illiuſque perſonas, & domos ſingulari dilectione proſequimur, ac ejus palmites in diverſis mundi partibus diſperſos, qui in Dei Eccleſia fructus afferunt pleniores, inter viſcera gerimus caritatis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula incerta, & male ablata, ſeu legata, aut relicta, & jam ad quaſcunque pias cauſas pro male ablatis, quorum reſtitutio, quibus fieri debeat, ignoratur, & omnia alia legata, ſeu relicta in quibuſcunque Teſtamentis, Codicillis, ſive ultimis voluntatibus, quomodocunque ad pias cauſas, ſive ad quemcunque pium uſum, nominibus perſonarum, & locorum nominatim, & ſpecialiter non expreſſis, per quoſcunque in Civitate noſtra Peruſin., & ejus Dięceſi facta, & quę uſque ad biennium a die datę pręſentium fieri contigerit, necnon medietatem omnium bonorum mobilium, & immobilium, jurium, & actionum, ubicunque exiſtant, & in quibuſcunque rebus ſeu bonis conſiſtant, ac nomina debitorum per quendam Nicolaum de Cheſes in Monte-Politiano, civem Peruſin. in ejus ultima voluntate ſub certia forma, & conditione Chriſti pauperibus legatorum, quandocunque conditio ipſa advenerit, fabricę, & ſuſtentationi prędictis, auctoritate Apoſtolica concedimus, & donamus, & Priori, ſive proviſori dictę domus pro tempore exiſtenti, omnia, & ſingula incerta, & male ablata, ac legata, & relicta hujuſmodi, & infra biennium, ac medietatem ſupradictam, ex tunc, quandocunque conditio ipſa advenerit, ut pręfertur, petendi, exigendi, & recipiendi, ac de eis illa dantibus, & ſolventibus finem, & quietationem auctoritate Apoſtolica faciendi; Indultum. Commendatio Fratrum. Vota vero peregrinationum, & abſtinentię, ultramarino voto duntaxat excepto, per quoſcunque in civitate, & dięceſi prędictis emiſſa, & quę, eodem durante biennio, emitti contigerit, quę voventes ipſia commutari, & eis remitti petierint, dummodo tantum, quantum voventes ipſi pro ſatisfactione votorum emiſſorum in eundo, & redeundo, ac oblationes faciendo expoſituri veriſimiliter extitiſſent, fabricę, & ſuſtentationi prędictis perſolverint integraliter, in alia pietatis opera eiſdem voventibus commutandi, illaque eis remittendi, plenam, & liberam, auctoritate eadem, tenore pręſentium concedimus facultatem. Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, Tertio Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Peruſino*.) Juris eſt Romanæ Provinciæ.
2. *Archivo*.) In quo duplex Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXIII fol. 294*, *&* *Lib. CXXVI fol. 61*.

Anno 1439 Die 14 Maii.

Inſerit, & firmat Innocentii VII Conſtitutionem (1), qua Tertii Ordinis Regula confirmatur.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXCI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

PRoviſionis noſtrę debet provenire ſubſidio, ut jus ſuum cuilibet conſervetur. Hinc eſt, quod Nos quarundam literarum tenorem quondam Innocentii, in ſua obedientia, de qua partes infraſcriptę tunc erant, Septimi nuncupati, in ipſius regiſtro repertum, pro eo quod, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Fratrum, & dilectarum in Chriſto filiarum Sororum Ordinis Fratrum Prędicatorum, de Penitentia S. Dominici nuncupatorum, in Civitate noſtra Eugubin. degentium, petitio continebat, ipſi hujuſmodi tenore ex certis cauſis ſe aſſerunt indigere, ex regiſtro ipſo de verbo, ad verbum tranſcribi, & ad Fratrum, & Sororum prędictorum inſtantiam pręſentibus annotari fecimus, qui eſt talis. Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Sedis Apoſtolicę &c. (3). Ceterum, ut earundem literarum tenor prędictus ſic inſertus omnimodam rei, ſeu facti certitudinem faciat, Apoſtolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur, eamque vim, eundemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quę haberent originales Literę ſupradictę, & eadem prorſus eidem tenori fides adhibeatur, quandocunque, & ubicunque, ſive in judicio, ſive alibi, ubi fuerit exhibitus, vel oſtenſus, ut eidem ſtetur firmiter in omnibus, ſicut eiſdem originalibus literis ſtaretur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Per hoc autem nullum jus cuiquam de novo acquiri volumus, ſed antiquum tantummodo conſervari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conſtitutionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit &c. incurſurum. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, Pridie Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Tenor Conſtitutionis Innocentii VII.

1. *Conſtitutionem.*) Eſt *III.* Legitur *Tomo II* hujus Bullarii *pag.* 475.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXIII fol.* 87.
3. *Sedis Apoſtolicę &c.*) Ut in *Conſtitutione* mox laudata ad finem uſque.

Anno 1439 Die 22 Maii.

Protectores duorum Hoſpitalium Januenſium (1) conſtituendos eſſe a Prioribus Ordinum Carthuſien., Montis Oliveti, & S. Dominici.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXCII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Januen. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

UT pię Chriſti fidelium voluntates, illę pręſertim, quę pro Chriſti pauperibus gubernandis, pie, & provide emanarunt, debitum conſequantur effectum, & finem nanciſcantur optatum, libenter, cum a Nobis petitur, eorundem fidelium vota Apoſtolicis favoribus prevenimus. Sane pro parte dilectorum filiorum Ducis, & Communitatis Januen., Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim quidam Bartholomęus de Boſco de Janua dum ageret in humanis, cupiens terrena in cęleſtia felici commercio commutare, de bonis ſibi a Deo collatis duo Hoſpitalia invicem contigua in ſuburbiis Januen., loco dicto Pammaton., ſub denominatione & vocabulo Sanctę Marię de Miſericordia, unum videlicet pro viris, & aliud pro mulieribus pauperibus, & egenis, de novo erexit, atque fundavit, necnon inter cetera pro utili, & laudabili regimine ipſorum Hoſpitalium, quod quatuor ex notabilioribus Civibus Januen., quos ad hoc Sancti Bartholomęi de Riparolo, Carthuſien, & Sancti Hieronymi de Quarto, Montis Oliveti, Januen. Diœceſis, ac Sancti Dominici, Januen., Fratrum Prędicatorum, Ordinum, domorum Priores pro tempore exiſtentes, ſub certis, modo, & forma tunc expreſſis de triennio in triennium ducerent eligendos, qui Cives protectores, & conſiliarii Rectorum dictorum Hoſpitalium pro tempore exiſtentium nuncuparentur & eſſent, voluit, & mandavit, prout in quodam publico Inſtrumento deſuper confecto, cujus tenorem pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, quia dicta Hoſpitalia, ſicut pręfertur, erecta, & in parte dotata, in quorum uno videlicet mulierum de pręſenti laudabilis Hoſpitalitas obſervatur, ipſius fundatoris ſuperveniente obitu nondum perfecte compleri, & perfici potuerunt, maxime Hoſpitale pro viris, quod adhuc caret pavimento, ac alias in ſuis ędificiis, & ſtructuris expenſa egeant non modicum ſumptuoſa, ad quam faciendam atque ſupplendam ipſorum Hoſpitalium non ſuppetant facultates, ac dilectus filius Franciſcus (3), de Bozolo Civis Januen. hoc pie conſiderans, pro ſuę, ac ſuorum animarum ſalute in perfectionem operis, & uberioris dotis augmentum dictorum Hoſpitalium, dummodo regimen Hoſpitalium hujuſmodi ſibi quoad vixerit, & poſt ejus obitum dilecto filio Chriſtophoro ejus nato, etiam laico Januen. ſimiliter quoad vixerit, ſi eum ſupervivere contigerit, per Sedem Apoſtolicam committatur, quodque poſt ipſorum patris, & nati deceſſum unus ex eorum filiis, ſi tunc aliquis ſupereſſe contigerit, alioquin unus alius ex ſuis deſcentibus maſculis ad hoc idoneus per Priores hujuſmodi aſſumi, & addi debeat quatuor aliis per ipſos Priores eligendis in quintum Protectorem, ſive Conſiliarium Rectorum Hoſpitalium hujuſmodi, ut prefertur, deficientibuſque maſculis omnibus ex ſua linea deſcendentibus, unus ex tribus nobilibus de domo de Auria, qui

Bartholomæus de Boſco Hoſpitalium Januenſium fundator.

Protectores a quibus Conſtituendi?

Numerus Protectorum.

ad

ad regimen totius familię domus hujuſmodi pro tempore eligetur, ad hujuſmodi quintum locum Protectorum, & conſiliariorum Hoſpitalium hujuſmodi perpetuo ſurrogetur, & per dictos Priores cum omnimoda, & debita facultate, ac ſi prędictus fundator in prima ſui diſpoſitione voluiſſet, & ordinaſſet, pro tempore eligatur, ſeu etiam deputetur, de bonis a Deo ſibi collatis ſummam trium millium librarum monetę Januen. infra tres annos proxime futuros ea ponere, & erogare proponit. Quare pro parte Ducis, & Communitatis prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pro Dei laude, Civitatis honore, profectu, & commodo miſerabilium perſonarum, ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, qui devotiones Chriſti fidelium adaugeri, piorumque locorum commodum, & utilitatem procurari, intenſis deſideriis, noſtris pręſertim temporibus, affectamus; de premiſſis certam notitiam non habentes, Fraternitati tuę, de qua in his, & aliis in Domino fiduciam obtinemus ſpecialem, committimus, & mandamus, quatenus ſi per informationem per te ſuper hoc diligenter habendam, pręmiſſa repereris fore vera, & ad id trium Priorum, ac quatuor Protectorum, & Conſiliariorum Rectorum Hoſpitalium pręfatorum imprę̨ſentiarum exiſtentium, expreſſus accedat aſſenſus, ſuper quibus tuam conſcientiam oneramus, poſtquam idem Dominicus de ſumma trium millium librarum hujuſmodi, ſicut pręmittitur, eroganda, & exponenda infra hujuſmodi terminum, ſufficienter caverit, Hoſpitalia prędicta, quę, ut aſſeritur, adhuc Rectore carent, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, Dominico, & ſucceſſive Chriſtophoro, ſi ſint idonei, & aliud Canonicum non obſiſtat, per eos quoad vixerint, juxta formam Conſtitutionis fel. rec. Clementis Papę V, Prędeceſſoris noſtri, in Concilio Viennen. ſuper hoc editę, tenenda, regenda, & etiam gubernanda, auctoritate noſtra, committas, necnon, poſt eorum obitum, unum ex ejus filiis, ſiquis tunc ſuperfuerit, alioquin unum ex ſuis deſcendentibus Maſculis, & illis deficientibus unum ex omnibus nobilibus de Domo Auria hujuſmodi, pro quinto Protectore, & Conſiliario Rectorum dictorum Hoſpitalium, per dictos Priores eligi, & aſſumi facere, auctoritate noſtra, procures, eundemque quintum in Protectorem, & Conſiliarium hujuſmodi eligendum, eaſdem facultatem, & vocem in pręmiſſis habere, ac ſi dictus fundator quinque Protectores, & Conſiliarios, & non quatuor tantum, ut pręmittitur, deputaſſet, eadem auctoritate, declares; inducens per te, vel alium, ſeu alios, Dominicum, & ſucceſſive Chriſtophorum pręfatos, vel Procuratores ſuos, eorum nominibus, in corporalem poſſeſſionem Hoſpitalium, juriumque, & pertinentiarum prędictorum, & defendens inductum, amoto exinde quolibet detentore, ac faciens Dominicum, & ſucceſſive Chriſtophorum pręfatos, vel dictos Procuratores pro eis ad pręfata Hoſpitalia, ut eſt moris, admitti, ſibique de illorum fructibus, redditibus, & proventibus, juribus, & obventionibus univerſis, in ſubventione pauperum, & infirmorum, ac alias in utilitatem dictorum Hoſpitalium convertendis, & exponendis, integre reſponderi; Contradictores auctoritate noſtra &c. non obſtan. fel. rec. Bonifatii Papę Octavi, etiam Prędeceſſoris, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis quibuſcunque: Aut ſi aliqui ſuper commiſſionibus ſibi faciendis de Hoſpitalibus hujuſmodi ſpeciales, vel generales dictę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiam ſi per eas ad inhibitiones, reſervationes, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quibus, omnibus Dominicum, & ſucceſſive Chriſtophorum prędictos in aſſecutione dictorum Hoſpitalium volumus anteferri, ſed nullum quoad hoc eis, quoad aſſecutionem Hoſpitalium aliorum prę̨judicium generari: ſeu ſi Archiepiſcopo Januen. pro tempore exiſtenti, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim, a dicta ſit Sede indultum, quod ad receptiones, vel proviſiones alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, quodque de hujuſmodi, vel aliis Hoſpitalibus, ad eorum commiſſionem, vel quamvis aliam diſpoſitionem conjunctim, vel ſeparatim, ſpectantibus, nulli valeat commiſſio fieri, ſeu alias provideri de illis per Literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictę Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, cujuſque toto tenore, habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, Undecimo Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

(Margin: Nota.)

1. *Januenſium.*) In *Liguria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXIV f. l. 168.*
3. *Franciſcus.*) *Dominicus* hoc in Diplomate poſtea ſæpius vocatur.

Judices conſtituit, qui de litibus Mutinenſium (1) Fratrum ſententiam ferant.

Anno 1439 Die 3 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

CXCIII.

SAcrę Religionis zelus, ſub qua dilecti filii Prior, & Conventus Domus Ordinis Fratrum Prędicatorum Mutinen., mundanis abjectis illecebris, devotum, & ſedulum exhibent Altiſſimo famulatum, non indigne meretur, ut petitionibus ſuis, illis pręſertim, per quę a litigiorum anfractibus, & aliorum potentiis liberati, pacis ac dulcedinis manſuetudine gaudeant, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Hinc eſt, quod Nos dictorum Prioris, & Conventus, aſſerentium, quod ipſi ab octo annis citra in domo pręfata ſub regulari dicti Ordinis obſervantia laudabiliter permanſerunt, prout etiam de pręſenti permanent, in hac parte ſupplicationibus inclinati, volumus, & Apoſtolica auctoritate Priori pro tempore exiſtenti dictę Domus, ac pręfatis Conventui concedimus, necnon tenore pręſentium ſtatuimus, decernimus, & ordinamus, quod omnes, & ſingulę cauſę, controverſię, & quęſtiones inter Prio-

(Margin: Exordium. — Indultum.)

Priores, & Fratres pro tempore dictę Domus ex una, ac quaſcunque tam Eccleſiaſticas, ſeculares, vel regulares, quam alias quaſcunque, & laicales perſonas, cujuſcunque gradus, ſtatus, prężeminentię, vel conditionis exiſtant, etiam ſi Archiepiſcopali, Epiſcopali, Abbatiali, vel alia quavis dignitate pręfulgeant, tam conjunctim, quam diviſim, ſuper quibuslibet bonis mobilibus, vel immobilibus, juribus, juriſdictionibus, cenſibus, redditibus, debitis, & rebus aliis, in genere, vel in ſpecie, partibus ex alia, exortę hactenus, & quas ſimul, vel ſucceſſive in poſterum forſan exoriri contigerit, ſive in illis ipſi Prior pro tempore, & Conventus actores, ſive rei extiterint, cum omnibus, & ſingulis earum, & cujuslibet ipſarum dependentibus, incidentibus, emergentibus, & connexis per alterum ex Vicario Epiſcopi Mutinen. pro tempore exiſtentis in ſpiritualibus generali, ac Archidiacono Eccleſię Regin. pro tempore exiſtentibus, quem Prior, & Conventus prędicti duxerint ad id pro tempore eligendum duntaxat, & non per alium, vel alios Ordinarium, ſeu Ordinarios, Judicem, vel Judices, ſummarie perpetuis futuris temporibus audiantur, cognoſcantur, decidantur, & fine debito terminentur, aut audiri, cognoſci, decidi, & terminari debeant, cuique quidem ſic pro tempore electo ex nunc auctoritate prędicta cauſas hujuſmodi, ut pręmittitur, audiendi, cognoſcendi, decidendi, & terminandi, harum ſerie mandatum damus pariter, & poteſtatem. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę VIII, Prędeceſſoris noſtri, illa pręſertim, qua cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, & Diœceſim, niſi in certis exceptis cauſis, & in illis ultra unam Dietam a fine ſuę Diœceſis, ad judicium evocetur, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ac Domus, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę voluntatis, conceſſionis, ſtatuti, conſtitutionis, ordinationis, & mandati infringere &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, Quinto Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Sanctio pœnalis.

Gratis de mandato Domini noſtri Papę

Zac. *Super partem inflexam, ſeu plicam, legitur.*

Gratis de mandato Domini noſtri Papę

Ja. de Viterbio.

1. *Mutinenſium.*) In ejuſdem nominis Ducatu *in Longobardia.*

1. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar unum ex *Archivo Apoſtolico Lib.CXXIII fol.*231, aliud ex Autographo *Mutinenſi.*

Anno 1429 Die 31 Julii.

Unit Monaſterium Sancti Cæſarii Monaſterio Sancti Sixti (1) de Urbe.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXCIV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii S. Laurentii extra muros Urbis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. AD ea libenter intendimus, per quę Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum locorum, & perſonarum eorum ſalubriter, prout inſtantius requirit temporum qualitas, & locorum perſuadet utilitas, valeat provideri. Sane nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii S. Sixti de Urbe, Ordinis S. Auguſtini, ſub habitu, & inſtitutione Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac

Supplex petitio. perpetua clauſura degentium, Nobis oblata, petitio continebat, quod cum in ipſo Monaſterio copioſus Sororum numerus ad pręſens exiſtat, quę ſecundum gratiam eis a Domino traditam inibi ſtudent devote, & religioſe eidem Domino militare, dubitant, ne forſan Monaſterium Monialium S. Cęſarii etiam de Urbe Ordinis S. Benedicti prope ipſum Monaſterium S. Sixti, & fere ex oppoſito illius ſituatum, in quo, ut aſſeritur, propter ipſius deſolationem ſolum duę, aut tres moniales morantur de pręſenti, ad manus Religioſorum, aut aliorum virilis ſexus hominum, pro eorum habitatione ex conceſſione Sedis Apoſtolicę, vel alias, cum nota, & ſcandalo ipſarum Sororum S. Sixti in poſterum deveniat, niſi eidem Monaſterio S. Sixti uniatur, quodque ſi hujuſmodi unio fieret, ex hoc quies, & ſecuritas dictę Monaſterii S. Sixti, & in eo pro tempore degentium Sororum, & perſonarum, ſequeretur, quia tunc Viri in Monaſterio pręfato S. Cęſarii cum talibus ſine nota, & ſcandalo habitare non poſſent, & etiam neceſſitatibus, & indigentiis locorum, & perſonarum Monaſterii S. Sixti prędicti, quas ſępius in victualibus, & aliis neceſſariis patiuntur, in parte ſubveniretur, ipſumque Monaſterium S. Sixti, quod, ut etiam aſſeritur, in diverſis locis ſuorum ſtructurarum, & ędificiorum ruinam minatur, poſſet commode reparari. Quare pro parte Priorisſę, & Conventus earundem Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Monaſterium S. Cęſarii hujuſmodi, cujus triginta, illius dignitate Abbatiali, & Ordine S. Benedicti ibidem ſuppreſſis, proviſoque dictis duabus, vel tribus monialibus illius de alio loco honeſto, pro earum habitatione, in quo Altiſſimo famulari, ac de certa congrua portione, unde ſuſtentari valeant, eidem Monaſterio S. Sixti, cujus trecentorum florenorum auri de Camera ſecundum communem extimationem fructus, redditus, & proventus, valorem annuum, ut ipſa Prioriſſa, & Conventus aſſerunt, non excedunt, in perpetuum unire, annectere, & incorporare, ac ſuper pręmiſſis providere de benignitate Apoſtolica

Unit ut ſupra. dignaremur. Nos igitur, quorum pręcipua circa Eccleſiarum, & Monaſteriorum, aliorumque locorum Eccleſiaſticorum omnium ſtatus directionem, verſatur inſtantia, cupientes in pręmiſſis ſalubriter providere, de iis tamen certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis co-

eorum circumſtantiis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ea repereris ſore vera, ſuper quibus tuam conſcientiam oneramus, Abbatiali dignitate, & Ordine S. Benedicti hujuſmodi per te ſuppreſſis ipſum Monaſterium S. Cęſarii cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis ex tunc eidem Monaſterio Sancti Sixti in perpetuum eadem auctoritate incorpores, unias, & annectas, dictiſque Monialibus ipſius, & Monaſterii S. Cęſarii ad pręfatum Monaſterium S. Sixti, ſi ad illud tranſire, & in eo remanere voluerint, ſe transferendi, & in eo habitu ipſarum mutato perpetuo remanendi, licentiam concedas, &, ſi ad ipſum Monaſterium S. Sixti tranſire noluerint, eis de alio loco honeſto, & portione congrua, ut pręfertur, ipſis, quoad vixerint, per Monaſterium S. Sixti hujuſmodi miniſtranda provideas, auctoritate noſtra ſupradicta; ita quod liceat eiſdem Prioriſſę, & Conventui per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem poſſeſſionem Monaſterii S. Cęſarii, juriumque, & pertinentiarum pręditorum etiam auctoritate propria apprehendere, ac illius fructus, redditus, & proventus, & emolumenta recipere, & habere, necnon in ſuos, & Monaſteriorum pręditorum uſus perpetuo tenere, & convertere, Ordinarii loci, & cujuslibet alterius licentia minime requiſita. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſteriorum, & Ordinum pręditorum, quibuſcunque contrariis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alias roboratis, necnon quibuſvis privilegiis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Volumus autem, quod poſt unionem hujuſmodi, ſi fiat, Prioriſſa pro tempore exiſtens, & Conventus hujuſmodi in eodem Monaſterio S. Cęſarii certis annorum ſingulorum diebus per eadem deſignandis, Miſſam unam, in qua pro fundatorum, & aliorum benefactorum dicti Monaſterii S. Cęſarii animarum ſalute, & remedio, ſpecialis oratio fiat, celebrari facere, & alia ipſius Monaſterii S. Cęſarii incumbentia onera ſupportare omnino teneantur. Et inſuper ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, pridie Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Clauſula derogans.

C. de Reato.

1. *S. Sixti.*) Vide *Notam I ad Conſtitutionem XI Honorii III Tomo I pag. 9.*

2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar, unum ex Autographo in Monaſterio *SS. Dominici & Sixti* de Urbe aſſervato, aliud ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXVI fol. 90.* Huc pertinet ſequens Inſtrumentum, cujus Autographum eſt in Archivo Monaſterii *SS. Dominici & Sixti* de Urbe.

IN nomine Domini Amen. Hoc eſt certum ſumptum, ſive exemplum cujuſdam publici Inſtrumenti ſubſcripti, & publicati propria manu, & ſigno quondam bo: me: Leonardi Nicolai de Buccamatiis Civis Romani, publici Notarii jam defuncti, in quodam folio papireo, & in parte lacerato, fideliter ſumpti, & exemplati per me Auguſtinum Dominici Mantini Civem Romanum, Dei gratia publicum Apoſtolica, & Imperiali auctoritate Notarium; quod quidem Inſtrumentum ſpectat, & pertinet ad Prioriſſam, & Moniales Venerabilis Monaſterii S. Sixti de Urbe, & per me repertum fuit in dicto Monaſterio inter alia Inſtrumenta dicti Monaſterii, ac pro intereſſe dicti Monaſterii ne totaliter laceretur, recopiatum fuit de verbo ad verbum, ut jacet, nihil addito, vel diminuto, quod ſubſtantiam mutet, vel variet intellectum, niſi forte litera, vel ſyllaba, quæ ſubſtantiam mutare, vel intellectum variare non habent. Cujus quidem inſtrumenti tenor in omnibus, & per omnia talis eſt, ut infra ſequitur. Videlicet.

In nomine Domini Amen. Anno Domini MCCCCXLIII Pontificatus Sanctiſſimi Domini noſtri Domini Eugenii divina providentia Papæ Quarti . . . Indictione ſexta, Menſis Maii die tertia, in præſentia mei Notarii, & teſtium infraſcriptorum, ad hæc ſpecialiter vocatorum, & rogatorum, perſonaliter conſtitutus R. P. D. Aſtorgius Archiepiſcopus Beneventanus pro dicto Sanctiſſimo Domino noſtro in Urbe Gubernator, videlicet intus Monaſterium Sancti Cæſarii de Urbe, Tituli Tuſculan., quem tit ulum de præſenti habet Reverendiſſimus Dominus Dominus Cardinalis Firmanus, & tum virtute dicti Officii Gubernatoris, & tum ex commiſſione, ut aſſeruit, ſibi facta per prædictum Reverendiſſimum Dominum Cardinalem, ad ſe vocari fecit D. Antoniam dudum Abbatiſſam dicti Monaſterii, Gregoriam de Tibure, & Scholaſticam dicti Monaſterii Moniales, ibidem præſentes, quibus præſentibus, & audientibus expoſuit, quod intendit executioni demandare Bullam Apoſtolicam, & proceſſum ſuper eis agitatum per Reverendos Patres Monaſterii Sancti Laurentii extra muros Urbis, & Commiſſarium Apoſtolicum de, & ſuper unione facta de dicto Monaſterio S. Cæſarii cum ſuis bonis, & juribus ad Monaſterium S. Sixti ibidem propinquum, & de extinctione nominis dictæ Abbatiſſæ, & depromtione fienda de dictis Monialibus, de eis introducendis intus dictum Monaſterium S. Sixti una cum Monialibus dicti Monaſterii S. Sixti manendo, & vivendo, & eapropter eis præcepit ſub excommunicationis pœna, ut ad dictum Monaſterium S. Sixti deberent accedere, manere, & vivere, ut ſupra dictum eſt. Quæ Dominæ recuſaverunt prædicta facere velle, cum intendebant in dicto Monaſterio S. Cæſarii vivere: qui Dominus Gubernator, & Commiſſarius Apoſtolicus præcepit, ut deberent eum ſequi, & tunc Dominus Gubernator, & Commiſſarius exivit foras dictam Eccleſiam, & ipſæ Dominæ ſequutæ fuerunt eum, & eas duxit ad dictum Monaſterium, & intus dictum Monaſterium eas introduxit, & præſentavit Prioriſſæ, & Monialibus dicti Monaſterii S. Sixti ibidem præſentibus, & acceptantibus, & quibus præcepit, ut dictas tres Dominas recipiant, & manuteneant, & gubernent in dicto Monaſterio, & tanquam earum Sorores pertractare debeant, & ſic prædicta Prioriſſa, & Moniales S. Sixti acceptaverunt velle mandatis prædictis obedire, & ſuper quibus omnibus, & ſingulis prædictus Dominus Gubernator Commiſſarius mihi infraſcripto Notario præcepit, & Frater Sabas de Roma Prior dicti

dicti Monaſterii S. Sixti, Ordinis S. Dominici, me infraſcriptum Notarium rogavit, ut publicum conficerem Inſtrumentum unum, vel plura, prout fuerit expediens. Acta, & expedita fuerunt prædicta in dicta Eccleſia S.Cæſarii in dicto Monaſterio S.Cæſarii . . . ſingula ſingulis referendo, modo, & forma quibus ſupra, præſentibus, & audientibus his Teſtibus, videlicet, Reverendo Patre, & Domino Georgio de Cæſarinis Protonotario Apoſtolico, & egregiis legum Doctoribus, Domino Antonio de Caſſarellis, Domino Lęlio de Valle, Advocatis Conſiſtorialibus, Civibus Romanis, ad prædicta vocatis, pariter, & rogatis. Ego Leonardus Nicolai de Buccamatiis Romanus Civis publicus Imperiali auctoritate Notarius, quia prædictis omnibus interfui, & præſens fui rogatus, ac mandatus, a quibus ſupra, ea ſcribere, ſed quia aliis negotiis prępeditus, manu propria ſcribere non potui, per alium mihi fidum ſcribi feci, ideo ad fidem, & validitudinem pręmiſſorum manu propria me ſubſcripſi, & meum ſignum appoſui conſuetum.

Nos Saldonus de Saldis de Civitate Caſtelli, Legum Doctor, Judex Palatinus, ſecundus Collateralis Curiæ Capitolii, & magni Equitis, ac Comitis D. Franciſci de Scannaſutiſæ Dei gratia almæ Urbis Senatoris illuſtris, In fidem ſupraſcripto ſumpto, ſumpto, & exemplato de . . . . . . & protocollis bonæ memoriæ quondam Leonardi Nicolai de Buccamatiis Civis Romani, publici Notarii jam defuncti, & in quodam folio papireo reperto lacerato per ſupra, & infraſcriptum Notarium, illudque cum infraſcriptis correctoribus, & Officialibus auſcultavi cum ſuo Originali, & mature ſcripturam, in omnibus, & per omnia concordare inveni, nihil addito, ſeu diminuto in aliqua parte, quæ ſubſtantiam mutet contractus, niſi forſan ſyllaba, vel litera, quæ ſubſtantiam contractus mutare, vel variare non habent, ideo ad cautelam, & roboris firmitatem dictum Inſtrumentum noſtra propria manu ſubſcripſimus ſub anno Domini MCCCCLXXIX Indictione XIII Menſis Octobris die. . . . Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri D.Sixti Divina Providentia Papæ Quarti ad inſtantiam, & petitionem Prioris dicti Monaſterii Sancti Sixti, præſentis, inſtantis, & petentis pro intereſſe dicti Monaſterii, ac Monialium ejuſdem.

Ego Auguſtinus Dominici Mantini Civis Romanus Dei gratia publicus Apoſtolica, & Imperiali auctoritate Notarius, & in Peritiorum Capit. . . Dom . . . . Prior, & Officialis Corrector, & Commiſſarius Venerabilis Collegii . . . . . . & Procurator almæ Urbis habens fidem huic ſumpto, ſive exemplo, ut ſupra per me copiato, ſumpto, & exemplato, de ſupradicto publico Inſtrumento ut ſupra ſubſcripto, & publicato propria manu, & ſigno præfati quondam bonæ memoriæ Leonardi Nicolai de Buccamatiis, publici Notarii, Civis Romani, jam defuncti, facta prius per me eundem Auguſtinum, Notarium, & Commiſſarium prædictum una cum dicto Domino . . . . Judice, & ſecundo Collaterali prædicto, ac infraſcripto Johanne Dominici Gorii meo in hac parte collega, tactaque etiam recognitione, & comparatione literarum, & ſigni dicti Leonardi per idoneos teſtes recognoſcentes literam, & ſignum dicti quondam Leonardi, & quia in omnibus, & per omnia repertum fuit præſens ſumptum cum dicto Inſtrumento publico, & Originali concordare, nihil addito, vel diminuto, quod ſubſtantiam muter, vel variet intellectum, niſi forte litera, vel ſyllaba, quæ ſubſtantiam mutare, aut intellectum variare non habent, idcirco ad perpetuam rei memoriam me ſic propria manu ſubſcripſi, & publicavi, ſignumque meum appoſui conſuetum ſub Anno Domini MCCCCLXXIX, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Sixti Divina Providentia Papæ Quarti Indictione XIII Menſis Octobris Die XI ad inſtantiam, & petitionem Prioris dicti Monaſterii S.Sixti præſentis, & petentis pro ſuo intereſſe, & dicti Monaſterii, ac Monialium ejuſdem.

Anno 1439 Die 12 Auguſti.

F. Ludovicum de Piſis (1), ceteroſque Fidei præcones in Oriente commendat.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXCV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis, & ſingulis venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Electis, Prioribus, Prępoſitis, Decanis, Archidiaconis, Plebanis Archipresbyteris, & aliis perſonis Eccleſiaſticis, Ciſtercien., Cluniacen., Pręmonſtraten., Sanctorum Benedicti, & Auguſtini, ac aliorum quorumcumque Ordinum, necnon Magiſtris, & Pręceptoribus, ac Fratribus Hoſpitalis S. Johannis Jeroſolymitan., & Beatę Marię Theutonicorum, dilectis quoque filiis nobilibus viris Marchionibus, Comitibus, & Baronibus, ac aliis nobilibus, Potentibus inſuper, Capitaneis, Rectoribus, Conſulibus, Antianis, Populis, Communitatibus, & Univerſitatibus Civitatum, Caſtrorum, & aliorum locorum, ac univerſis, & ſingulis Chriſti Fidelibus, ad quos pręſentes advenerint, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

commendatio.

CUM ob ſalutem fidelium Chriſtianorum, & converſionem infidelium, hęreticorum, & Schiſmaticorum, ac aliarum nationum, quę ſanctum Nomen Domini, & fidei catholicę veritatem non agnoſcunt, dilectum filium Fratrem Ludovicum de Piſis, Vicarium in partibus omnibus Orientalibus, & in Societate Peregrinantium (3) propter Chriſtum cum multis Fratribus ſuis ſociis, Ordinis Prędicatorum, ad partes prędictas Orientales, & cetera dictę peregrinationis loca perſonaliter tranſmittamus; Nos cupientes, eum, & quemlibet eorum in locis, civitatibus, & terris, ubi fructum in Eccleſia Dei afferre poſſe cognoverint, Verbum Dei prędicare, domos, ſeu Monaſteria erigere, & alia, quę pro honore Dei, Religionis ob-

obſervantia; & fidei chriſtianę augmento, neceſſaria, & opportuna erunt, facere poſſe: Univerſitati veſtrę, & veſtrum ſingulis ſtricte mandamus, quatenus prędictos Fratres ſimul, vel diviſim, prout ipſi deliberaverint, in civitatibus, terris, & locis veſtris, & quę gubernatis, benigne receptantes, & morari, aut tranſire, prędicationi etiam Dominici Verbi, cum voluerint, inſiſtere, Monaſteria erigere, & alia, quę ipſi voluerint, laudabilia opera permittentes facere, auxilia, favores, & patrocinia eis pręſtetis, quemadmodum ab eis eritis requiſiti. Nihilominus permittentes ipſos in ejuſmodi acceſſu, tranſitu, & diſceſſu cum eorum libris, pannis, & rebus omnibus libere pertranſire. Et de paſſagio tuto, navigiis opportunis, & guidis (4), ac ſcorta (5) eis providentes, ſi opus fuerit, & ipſi duxerint requirendum; Vos taliter in pręmiſſis gerentes, quod pręter ęternę beatitudinis pręmia, quę hujuſmodi bonorum operum fautores conſequuntur, noſtram etiam benedictionem, & Sedis Apoſtolicę gratiam mereamini. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, Pridie Id. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Blondus.

Super plicum, ſeu partem inflexam, legitur.

A tergo.

R. De Curia

A. de Strata.

1. *Ludovicum de Piſis.*) Virum doctiſſimum, ut docet *Fontana Theatro Dominicano Parte III Cap. III Tit. XXXVI pag. 577*, ubi *Ludovicum* noſtrum *Piſanos* inter Inquiſitores recenſet. Hoc munus obiit anno *MCCCLXX*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur. Aſſervatur ibidem Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXVII fol. 313.*

3. *Peregrinantium.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VIII.*

4. *Guidis.*) Ducibus ſcilicet.

5. *Scorta.*) Id eſt Præſidiariis militibus. Vocabulum plane Italicum.

Fidei Præcones, ſeu Miſſionarios, privilegiis (1) ornat.

Anno 1439 Die 12 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXCVI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Ludovico de Piſis (3) Ordinis Prędicatorum, Societatis propter Chriſtum Peregrinantium (4) per Magiſtrum Generalem ejuſdem Ordinis Vicario deputato, & aliis tuis Succeſſoribus pro tempore deputandis, in partibus Orientalibus, & Septentrionalibus ubique, & maxime in Civitatibus Caffę (5), & Peyrę (6), & in terris Sarracenorum (7), Paganorum, Gręcorum, Bulgarorum, Comanorum, Æthiopum, Yberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Zizorum (8), Ruthenorum, Siſorum (9), Jacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Moſtelitarum (10), Tartarorum, Karelorum (11), Ungarorum majoris Ungarię, & aliorum, qui oondum Sacramentum fidei ſuſceperunt, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Plantatus olim in agro Eccleſię veſter Prędicatorum Ordo, ſic a ſuis primordiis, gratia operante divina, laudabilibus incrementis, pręſertim ſub regularis vitę ſtudio ſucceſſive proficit, quod aſſidue flores perferens copioſius honeſtatis, & producens uberius fructus vitę inter alta plantaria dominica, puritate converſationis, ſcientię dono, & virtutis merito, tam contra profugandas hęreſes, quam contra peſtes mortiferas criminum aliorum extirpandas, doctrinę magiſterio, & evangelizatione Verbi Dei dinoſcitur ſpecialiter inſignitus. Unde Nos in agro ipſo cultores, licet immeriti, a Domino deputati, eundem Ordinem grandi proſequi favore proponimus, & exaltationem ipſius, qui robur fidelium, & infidelium clarum lumen exiſtit, jugis diligentię ſtudio multipliciter procurare. Sane perſonam tuam Nobis fide digno teſtimonio commendatam, & plures ejuſdem Ordinis profeſſores ad partes memoratas ob animarum procurandam ſalutem, a Nobis, & Ordine tuo, deſtinatos, ſperantes, favente Domino, bonorum ſpiritualium inter alios fructus uberrimos allaturos, ut hęc Deo grata opera per te, & Succeſſores tuos alios univerſos, quos, tu, & ipſi deputaverint, commodius, & fructuoſius procurentur, tenore pręſentium indulgemus, ut non ſolum in domibus veſtris, & Eccleſiis aliis, ad quas eritis advocati, ſeu requiſiti, ſed in plateis, & quibuſcunque locis publicis, & Congregationibus fidelium Verbum Dei proponere, & audientibus, Nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, & viam ęternę vitę prędicare, & evangelizare libere valeatis. Et dum vos navigare, ſeu ad quęcunque loca transfretare contigerit, fidelium quorumcunque Dięceſum, vel locorum confeſſiones audire, & tam in eis, quam aliis infidelibus occurrentibus, juxta facultates, auctoritatem, & licentias, alias per Nos vobis conceſſas, pro ſuarum ſalute animarum, adeſſe, & prodeſſe ſimpliciter valeatis. Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis ſtatutis, conſuetudinibus, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, Pridie Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Exordium a laude Ordinis.

Nota.

Facultas.

Blondus.

Super plicum, ſeu partem inverſam, legitur.

A tergo. De Curia

R. A. de Strata.

1. *Pri-*

1. *Privilegiis.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.VIII.*

2. *Archivo.*) In quo Authographum. Plumbum filis cannabinis appenditur. Ibidem aſſervatur Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.CXVII fol.*313.

3. *Ludovico de Piſis.*) De quo in præcedenti Diplomate,

4. *Peregrinantium.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum* loco mox laudato.

5. *Caffæ.*) In *Tartaria Minori*, olim Theodoſia.

6. *Peyræ.*) Suburbium eſt *Conſtantinopolitanum*.

7. *Sarracenorum.*) Conſulenda *Nota* ad *Conſtitutionem CCCXI Innocentii IV Tom.I pag.* 238, ubi de *Saracenis*, ceteriſque nonnullis nationibus, quarum hic mentio.

8. *Zixorum.*) In *Conſtitutione* mox laudata legitur: *Zicocorum.*

9. *Siſorum.*) Gens erat *Pannoniæ*.

10. *Moſtelitarum.*) Vide *Notam ad Conſtitutionem XXXIII Johannis XXII Tom.II pag.*154.

11. *Karelorum.*) Quorum Regio *Carelia*, vulgo *Karelen*. Provincia eſt Regni *Sueciæ*, in *Finlandia*.

Anno 1439 Die 17 Auguſti.

Ampliſſimis Privilegiis (1) Miſſionarios, ſeu Fidei Præcones donat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXCVII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

ADveſperaſcente, & jam inclinato die, cum jam per Apoſtolum Nos ſcimus, in quos fines ſeculorum devenerunt, ad firmitatem catholicorum hominum, & converſionem, ac illuminationes in fide aberrantium, ut tenemur, noſtrę conſiderationis aciem elevantes, ea parare, & parata reſervare, deſideramus, per quę animarum ſaluti fructuoſius conſulatur. Cum itaque Ordo Fratrum Prędicatorum exemplo vitę, & ſcientię lumine, pręſertim per regularis obſervantię nitorem, non ſolum humilium, ac juſtorum adaugere pietatem, ſed velata gentium corda ad Sacri fontem Baptiſmatis, operante Domino, perducere contendat, ut noſtris quoque temporibus tam ſalutaria opera eo uberius producere valeat, quo ipſum, & Fratres ejus Apoſtolicis privilegiis, & gratiis abundantius conſpexerint eſſe refectos, Nos

Laus Ordinis.

dilecto filio Ludovico de Piſis (3) Ordinis prędicti, Societatis propter Chriſtum Peregrinantium, per Magiſtrum Generalem ejuſdem Ordinis Vicario, & Hęreticę pravitatis Inquiſitori deputato, & aliis ſuis ſucceſſoribus pro tempore deputandis, in partibus Orientalibus tam fidelium, quam infidelium, conſtitutis, & quam maxime in civitatibus Caffę (4), & Peyrę, & in terris Sarracenorum, Paganorum, Gręcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Æthiopum, Yberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Zizorum, Rutenorum, Siſorum, Jacobitarum, Nubianorum, Indorum, Moſtelitarum, Tartarorum, Karelorum, Hungarorum majoris Hungarię, & aliorum, qui nondum Sacramentum fidei perceperunt, ut

Privilegia.

ipſe Vicarius, & ejus Succeſſores, & deputandi ab ipſis pro tempore dicti Ordinis Fratres poſſint ſingulorum Chriſti fidelium, quorumcunque Dięceſium, & locorum, ad ipſos pro tempore confluentium, Confeſſiones audire, & pro commiſſis, etiam ſi talia fuerint, propter quę Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda, pęnitentiam ſalutarem injungere, necnon a quibuſvis ſententiis, excommunicationis tam a jure, quam ab homine latis, ac aliis cenſuris, & pęnis quomodocunque, vel qualitercunque eas incurrerint, ſeu ligati fuerint, abſolvere, necnon, dummodo tales bigamię, aut homicidii, vel mutilationis membrorum labe reſperſi non ſint, ſuper irregularitate, ſi quam, quovis modo, aut caſu, incurrerint, diſpenſare, aut hujuſmodi Confeſſione audita, Euchariſtię, ac Extremę Unctionis, aliaque eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare. Inſuper, ut ſinguli Confeſſores idonei, quos Vicarius, & Fratres partium prędictarum dicti Ordinis duxerint eligendos, omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, Plenariam remiſſionem in mortis articulo impendere, vel ſi alias copiam Confeſſoris habere non valuerint, dummodo contriti exiſtant, eandem Indulgentiam conſequantur: Quodque Confeſſores ipſi ſingulorum confeſſiones audire, & pro commiſſis, quoties ipſis videbitur, etiamſi talia ſint, propter quę Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda, debitam abſolutionem impendere, ac pęnitentiam ſalutarem injungere, necnon ipſorum Fratrum ſingulos, a quibuſcunque ſententiis, cenſuris, & pęnis in ipſos quavis auctoritate promulgatis abſolvere, ac ſuper irregularitate per ipſos quoquomodo contracta diſpenſare, omnemque inhabilitatis, & infamię maculam, dummodo ex aliquo trium pręmiſſorum videlicet Bigamia,

Nota.

homicidio, vel mutilatione, non proceſſerint, abolere, libere, & licite valeant. Inſuper ut ipſorum Fratrum bonorum operum fructus amplius valeant propagari, ut Vicarius, & Fratres pro tempore exiſtentes pręfati ſingula loca, alias pro habitatione, & uſu Fratrum dicti Ordinis idonea, recipere, & in illis Domus, & Monaſteria cum Eccleſiis, campanilibus, campanis, dormitoriis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis erigere, quę quidem loca, domus, Monaſteria recepta, & erecta, & earum perſonę omnibus, & ſingulis privilegiis, indulgentiis, immunitatibus, & indultis, aliis locis, domibus, Monaſteriis, & perſonis Ordinis Prędicatorum a Sede Apoſtolica quoquo modo conceſſis, uti pariter debeant, & gaudere. Inſuper ut Vicarius, & Fratres prędicti omnibus, & ſingulis gratiis, libertatibus, exemptionibus, privilegiis, indulgentiis, & indultis quibus Provincialis, & Fratres Provincię Terrę Sanctę utuntur, & gaudent, & quę Romani Pontifices Fratribus Prędicatoribus dictę Societatis hactenus conceſſerunt, etiam uti, & gaudere valeant; Quodque Fratres ipſi Schiſmaticos, & excommunicatos, ſeu interdictos quoſcunque, etiam quantumcunque notorios, niſi quos Vicarius, ſeu deputati per eum, evitare mandaverint, evitare minime teneantur; Inſuper omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus, qui de bonis ſibi a Deo collatis pro centenario videlicet unum pro liberatione fidelium captivorum de manibus infidelium, ſeu pro erectione, & fundatione, ſeu manutentione domorum, & monaſteriorum, pro uſu, & habitatione dictorum Fratrum erogaverint, liceat eligere Confeſſores idoneos, qui eos, confeſſione eorum diligenter audita, ab omnibus peccatis, criminibus, & exceſſibus ſuis, etiam in caſibus Sedi Apoſtolicę ſpecialiter, vel generaliter reſervatis, ſemel duntaxat, & deinde quoties fuerit opportunum, dummodo talia non fuerint, propter quę Sedes Apoſtolica ſpecialiter conſulenda fuerit, abſolvere, & pęnitentiam ſalutarem injungere, necnon Plenariam omnium peccatorum in mortis articulo remiſſionem

impen-

impendere, licite valeant, Auctoritate Apoſtolica, prout ratio contingit, tenore præſentium indulgemus. Inſuper prędicto, & aliis, qui pro tempore fuerint, dictarum partium Vicariis ſuper natalium, & ętatis intra vigeſimum tertium annum defectibus, eum perſonis, & Fratribus Ordinem prędictum profiteri volentibus, & profeſſis, ut ad omnes Sacros Ordines, uſque ad Presbyteratus Ordinem incluſive, & ſingulas Ordinis Prelaturas, & officia in dictis partibus promoveri, & in illis miniſtrare valeant, diſpenſandi, necnon Notarios ad actus publicos in favorem fidei Chriſtianę conſcribendos creandi, & inſtituendi, dicta Auctoritate, tenore prſentium, concedimus facultatem; Inſuper ut fidelium devotio ferventius fide creſcat, ut omnes, & ſingulę utriuſque ſexus perſonę, quę prędicationibus dictorum Fratrum interfuerint, & illas cum propoſito ſe emendandi audierint, ſingulę ſingulis vicibus, unius Anni, & Quadraginta dierum Indulgentiam conſequantur; Quodque Fratres, & Sorores de Pęnitentia Beati Dominici, quos Vicarius, ſeu ab eo deputati Fratres pro tempore recipient, & alię utriuſque ſexus perſonę, quę in Societate (5) Beatę Virginis, ſub Capitulis, & Cęremoniis per ipſus Vicarium, ſeu Fratres, ordinandis, Altiſſimo devote famulabuntur, Confeſſores eligere, qui confeſſionibus eorum diligenter auditis, ipſis confeſſis, & contritis, Plenariam in mortis articulo omnium ſuorum peccaminum remiſſionem impendere valeant. Poſtremo, ut idem Vicarius, & Inquiſitor alios Inquiſitores hęreticę pravitatis in Provinciis, de quibus ſibi videbitur, & ſupradictis ſubſtituere, & ordinare valeat, ſimili auctoritate concedimus per præſentes. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Generalibus, vel ſpecialibus Conciliis, editis Conſtitutionibus, & Ordinationibus, quibus quantum prſentibus adverſantur derogari volumus, etiamſi talia fuerint, de quibus ſpecialis, & expreſſa, ac de verbo ad verbum mentio prſentibus eſſet habenda, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c Noſtrę conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę, Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, Sexto decimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Nota.

Clauſula derogans.

1. *Privilegiis.*) De quibus in *Tractatu de conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.VIII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.CXVII fol.315.*
3. *Ludovico de Piſis.*) De quo in præcedentibus Diplomatibus.
4. *Caſſa.*) Conſulendum præcedens Diploma.
5. *Societate.*) *Sanctiſſimi* nempe *Roſarii*.

F. Johannem de Turrecremata (1), alioſque legat (2), ad conciliandam pacem Reges inter Galliarum, & Angliæ.

Anno 1439 Die 20 Octobris.

Ex Odorico (3) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCCXXXIX num. XXXIX.

CXCVIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus B. . Archiepiſcopo Spalatenſi (4), & Petro Epiſcopo Meldenſi, (5) ac dilectis filiis Johanni Franciſco de Capitibus Liſtę, utriuſque juris Doctori, & militi, necnon Johanni de Turrecremata, Theologię profeſſori, & Apoſtolici Palatii Magiſtro, Oratoribus noſtris, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AD ea, quę pacem, unitatem, & concordiam Chriſti fidelium, prſertim Regum, & Principum, Nobis, & Romanę Eccleſię devotorum reſpiciunt, libenter intendimus, illaque indefeſſis ſtudiis, ac favoribus proſequimur opportunis. Sane cum ſuper danda pace generali Inclyto Regno Francię diverſis, maximiſque bellorum tempeſtatibus plurimum afflicto, intelligamus nonnullos ſolemnes tractatus jamdiu inchoatos de proximo futuros, per quos, Deo miſerante, ſpes magna reddatur, pacem dudum deſideratam ſecuturam fore, Nos, qui perſonas veſtras ad prælatum Regnum pro nonnullis aliis arduis negotiis impręſentiarum deſtinamus, volentes quicquid cum voluntate, & gratitudine partium neceſſarium, vel opportunum, viſum fuerit, per vos in ea re poſſe impendi, diligentius exhiberi, vobis & aliquibus veſtrum, de quibus ſuper his ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, de, & ſuper diſcordiis, ac differentiis quibuſcunque inter cariſſimos in Chriſto filios noſtros Reges Francię, & Anglię, Duces, & Principes ex eorum ſanguine, & alios, quorum intereſt, exiſtentibus, noſtro nomine, & auctoritate tractandi, concordandi, componendi, & concludendi treugas, & ſufferentias, ſi opus fuerit, ſub ſpe pacis firmandę, indicendi, pacem, & concordiam perpetuo duraturas ſub illis capitulis, pactis, modis, & conditionibus, atque formis, pęnarum adjectionibus, juramentis, obſidibus perſonarum, depoſitis terrarum, jurium, & bonorum obligationibus, renunciationibus, promiſſionibus, cautelis, clauſulis, ſolemnitatibus, atque modis, de quibus vobis videbitur, necnon alia faciendi quęcunque vobis ad firmitatem, & obſervantiam pacis, & concordię hujuſmodi neceſſaria videbuntur, ſeu etiam opportuna, ſi ſuper hoc ab ipſis vos, vel aliqui veſtrum in prędictis, ſeu aliquorum prędictorum requiſiti fueritis, auctoritate Apoſtolica tenore prſentium concedimus facultatem, ratum, & gratum habituri quicquid feceritis in prǽmiſſis. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, XX (6) Octobris, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Legationis cauſa.

Legatio.

1. *Johannem de Turrecremata.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.* Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad Annum MCCCCLXVIII pag.837.*
2. *Legat.*) Conſulendi Scriptores quos laudat *Echard* mox citatus. Adeas *Odoricum*.
3. *Odorico.*) Ex *Lib. XI Eugenii IV pag.340.*
4. *Spalatenſi.*) Italis *Spalatro*, Slavis *Split*, in *Dalmatia*. Quod illi Archiepiſcopo *Bartholomæi* nomen fuerit, liquet ex *Eugenii* Conſtitutione eidem inſcripta apud *Labbeum Concilior. Tomo XII pag. 946. Edit. Pariſien.*
5. *Meldenſi.*) Vulgo *Meaux* in *Gallia*. Conſule *Sammarthanos* in *Gallia Chriſtiana*.
6. *XX.*) Sic Amanuenſis. Legendum *Tertio Decimo Kalendas Novembris*.

In-

Inſerit Alexandri V Conſtitutionem eximentem (1) Fratres Prædicatores Epiſcoporum juriſdictione.

Anno 1439 Die 21 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXCIX.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium. PRoviſionis noſtrę debet provenire ſubſidio, ut jus ſuum cuilibet conſervetur. Hinc eſt, quod Nos tenorem quarundam literarum bonę memorię Alexandri, Quinti in ſua obedientia nuncupati, in Regiſtro ipſius repertum, pro eo quod, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Vicarii Generalis, & Fratrum domorum Ordinis Prędicatorum in Inſula Hibernię conſiſtentium, petitio continebat, ipſi hujuſmodi tenore ex certis eos, necnon ſub ipſorum cura pro tempore degentes, Monaſteriorum, Hoſpitalium & locorum in eadem Inſula exiſtentium, Sorores, & perſonas, commoventibus cauſis, ſe aſſerunt indigere, de Regiſtro ipſo de verbo ad verbum tranſcribi, & ad eorundem Vicarii, ac Fratrum ſupplicationis inſtantiam pręſentibus annotari fecimus, qui eſt talis. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Et ſi pro cunctorum Chriſti fidelium &c. (3). Ceterum, ut earundem literarum tenor, ſic inſertus, omnimodam rei, ſeu facti, certitudinem faciat, Apoſtolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur, eamque vim, eundemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quę originales literę ſupradictę haberent, & etiam prorſus eidem tenori fides adhibeatur, quandocunque, & ubicunque, ſive in judicio, ſive alibi, ubi fuerit exhibitus, vel oſtenſus, & eidem tenori firmiter ſtetur, ſicut eiſdem originalibus literis ſtaretur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Per hoc autem nullum jus cuiquam de novo acquiri volumus, ſed antiquum tantummodo conſervari. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, Undecimo Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Tenor Diplomatis Alexandri V.

1. *Eximentem.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. V.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* CXXVI *fol.* 82.
3. *Chriſti fidelium &c.*) Ut in *Conſtitutione XIII Alexandri V Tomo II pag.* 494.

Ut Mutinenſes (1) Fratres quædam bona valeant abalienare.

Anno 1439 Die 23 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CC.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio.... Archipresbytero Eccleſię Mutinen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. HOneſtis ſupplicum votis libenter annuimus, illaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris & Fratrum Domus Sancti Dominici Mutinen. Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, quod ipſi nonnullas poſſeſſiones, domos, & alia bona immobilia in Dięceſi Mutinen. ſita, ad domum ipſam legitime pertinentia, habere dignoſcuntur eis minus utilia & accommoda, quę quidem bona, ſi venderentur, & ex illorum pretio alia poſſeſſiones & bona eidem domui magis propinqua emerentur, domui prę fatę major commoditas, & utilitas proveniret. Quare pro parte dictorum exponentium Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dicta poſſeſſiones, domos & bona hujuſmodi vendendi, & alienandi, & alia poſſeſſiones, & bona ex illorum pretio emendi, & pro dicta domo in perpetuum acquirendi, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus & ſingulis, & eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem, hujuſmodi venditionem, & alienationem de bonis prędictis, ſi fiat, in utilitatem dictę domus cedere repereris evidentem, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Priori & Fratribus prę fatis bona hujuſmodi omnibus & ſingulis voluntatibus, ordinationibus, mandatis, conditionibus (3), ſeu donationibus, legatis & relictis in teſtamentis appoſitis, etiam per publica inſtrumenta vallatis, etiam cum ſpeciali adjectione, quod bona hujuſmodi nullo unquam tempore vendi, alienari, ſeu impignorari poſſent, &, ſi ſecus fieret, ad alia, etiam Eccleſiaſtica, ſeu pia loca pervenire deberent, ac aliis contrariis quibuſcunque non obſtantibus, vendendi, & alienandi auctoritate noſtra, hac vice duntaxat, licentiam largiaris. Volumus autem, quod pretium poſſeſſionum & bonorum hujuſmodi taliter venditorum, & alienatorum apud bonos & fideles viros deponatur, & de illo alia poſſeſſiones & bona dictę domui propinqua, & magis accommoda fideliter emantur, & quantocius acquirantur. Quodque bona hujuſmodi taliter empta & acquiſita illis obligationibus, conditionibus, oneribus, & diſpoſitionibus ſubſint, quibus poſſeſſiones & bona vendita & alienata hujuſmodi antequam venderentur obligata & obnoxia quomodolibet exiſtebant. Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac teſtatorum, ſeu donatorum voluntatibus, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, Nono Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Supplex petitio.

Facultas.

Gratis de mandato Domini noſtri Papę

Gratis de mandato Domini noſtri Papę
P. ....

De Callio.

1. Muti-

1. *Mutinenſes.*) In ejuſdem nominis Ducatu *Italiæ*. Plumbum filis cannabinis appenditur;
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Mutinenſi*. 3. *Condictionibus.*) Id eſt *Edictis*.

Mutinenſis (1) Cœnobii reædificandi cauſa factas abalienationes confirmat.

Anno 1439 Die 23 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. CCI.

SAcrę Religionis, ſub cujus regulari obſervantia dilecti filii Prior, & Fratres domus Sancti Dominici Mutiuen. Ordinis Fratrum Prędicatorum Altiſſimo devotum exhibent famulatum, promeretur honeſtas, ut paterna diligentia eorum piis petitionibua favorabiliter annuamus. Sane, pro parte Prioris, & Frarrum prędictorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ipſi olim nonnulla poſſeſſiones, & bona immobilia ad dictam domum legitime ſpectantia, & pertinentia, ad hoc ut domum ipſam in ſula ędificiis tunc collapſam, reparari, & reędificari facerent, diverſis perſonis libere vendiderunt, conceſſerunt, & ad aliorum dominia tranſtulerunt, pretiaque illorum in reparationes, & reędificationem domus, & ędificiorum hujuſmodi converterunt. Quare pro parte Prioris, & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut venditionibus, alienationibus, & conceſſionibus de dictis poſſeſſionibus, & bonis qualitercunque, & quibuſcunque factis, & celebratis, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, & alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque petitionibus eorum grato concurrentes aſſenſu, venditiones, & alienationes de poſſeſſionibus, & bonis hujuſmodi, quorum quantitates, qualitates, denominationes, & confines pręſentibus haberi volumus pro expreſſis, qualitercunque, & quibuſcunque factas, & celebratas, etiam ſi poſſeſſiones, & bona hujuſmodi ea conditione, quod vendi, alienari, impignorari, vel ad alienos uſus per ipſos Priorem, & Fratres, aut quoſvis alios, transferri non poſſent, eidem domui legata, ſeu relicta fuerint, etiam cum adiectione, quod ſi illa aliquando vendi, alienari, impignorari, vel in alienos uſus converti per dictam domum contingeret, eo caſu domus hujuſmodi bonis ipſis carere deberet, hujuſmodique bona ad alienos uſus, ſeu ad quęvis Eccleſias, & pia loca alia eo ipſo pervenirent, & ſuper hoc Inſtrumenta publica confecta reperirentur, dummodo pretium poſſeſſionum & bonorum hujuſmodi venditorum, alienatorum, ſeu conceſſorum, ſummam ducentarum librarum Bononinarum non excedat, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, confirmamus, approbamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus, non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque, & conſuetudinibus domus, & Ordinis prędictorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque: Nulli ergo &c. noſtrę confirmationis, approbationis, & communitionis infringere &c. Si quis &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, Nono Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Exordium.

Diplomatis cauſa.

Confirmatio.

1. *Mutinenſis.*) In ejuſdem nominis Ducatu *Italiæ*. 2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXVI fol.* 162.

Pro reficiendo Tolonenſi (1) Cœnobio Quingentas libras Turonenſes aſſignat.

Anno 1439 Die 27 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Graſſen. (3), & dilectis filiis Monaſterii Piniaci (4), per Prępoſitum ſoliti gubernari, Foroiivien. (5) Diœceſis, ac Eccleſię Tolonen. Prępoſitis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CCII.

ADea, per quę Monaſteriorum, & aliorum religioſorum locorum, ac perſonarum, pręſertim ſub ſacro religionis habitu Altiſſimo famulantium, omnium ſtatui conſulitur, & opportunitatibus ſubvenitur, libenter intendimus, illiſque, quantum cum Deo poſſumus, favorem benevolum adhibemus. Dudum ſiquidem pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Conventus domus Tolonen. Ordinis Fratrum Prędicatorum inter alia Nobis expoſito, quod domus prędicta, in qua per plures annos laudabiliter tunc permanſerunt, prout etiam permanebant, in ejus ſtructuris, & ędificiis vix ad ſui medietatem conſtructa erat, ac per eos ſubjuncto, quod illa ex ipſius imperfectione hujuſmodi in Miſſarum, & aliorum divinorum officiorum exhibitione, defectum non modicum, ac etiam ipſi exponentes plurima incommoda tunc ſuſtinuerant, & quotidię ſuſtinebant. Nos tunc ad eorundem exponentium ſupplicationem per alias noſtras literas certo dedimus judici in mandatis inter alia, ut, ſi eſſet ita, Priori, dictę domus pro tempore exiſtenti, ac pręfato Conventui de quibuſcunque per utriuſque ſexus perſonas infra Arelaten. (6) Provinciam, Civitatem, & Diœceſim, pro tempore commorantes, generaliter duntaxat ad pias cauſas relictis tunc, & in antea relinquendis, pecuniis, rebus, & bonis uſque ad ſummam Quingentarum librarum Turonen. parvorum pro fabrica dictę domus duntaxat, & non aliis, Apoſtolica auctoritate concederet, prout in dictis literis plenius continetur. Poſtmodum vero, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii moderni Prioris dictę Domus, ac pręfatorum Conventus petitio continebat, licet judex prędictus, ad executionem literarum hujuſmodi legitime procedens, ſummam pręfatam ad uſum prędictum conceſſerit, & alias literę, necnon conceſſio hujuſmodi, ſuum totalem, ſeu quaſi,

Exordium.

Diplomatis cauſa.

effectum ſortię fuerint, tamen domus prędicta vix ad ipſius ſtructurarum, & ędificiorum hujuſmodi medietatem deducta reperitur, & ad illius perfectionem fidelium ſuffragiis opus exiſtit. Quare pro parte dictorum moderni Prioris, & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc eorum, ac dictę domus, ſtatui opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi poſterioribus ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi eſt ita, Priori pro tempore exiſtenti, ac Conventui pręfatis, etiam de quibuſcunque, per quaſcunque, etiam utriuſque ſexus, perſonas cujuſcunque dignitatis, gradus, ſtatus, Ordinis, vel conditionis exiſtant, intra Provinciam Provincię, ejuſque Civitates, & Dięceſes, pro tempore commorantes ad pias cauſas generaliter duntaxat relictis hactenus, & inpoſterum relinquendis, pecuniis, rebus, & bonis uſque ad aliam ſimilem Quingentarum librarum ſimilium ſummam in fabricam domus hujuſmodi duntaxat, & non alias, convertendam, etiam perinde, ac ſi illa eis quoad hoc ſpecialiter relicta forent, eadem auctoritate concedere ſtudeatis, & nihilominus, ſi conceſſionem hujuſmodi, vigore pręſentium, fieri contigerit, eiſdem Priori pro tempore, ac Conventui hujuſmodi pecunias, res, & bona uſque ad dictam ſummam ab omnibus, & ſingulis perſonis tam eccleſiaſticis, quam ſecularibus, cujuſcunque dignitatis, gradus, vel conditionis fuerint, illa ſolvere, ſeu aſſignare debentibus, tam conjunctim, quam diviſim, petendi, & exigendi, ac pro fabrica hujuſmodi duntaxat recipiendi, & habendi, eaſque, ac ipſarum ſingulas, de hujuſmodi receptis, & habitis pro tempore quietandi, necnon veſtrum cuilibet, perſonas, ſolvere, & aſſignare pro tempore debentes hujuſmodi, ad debitam de pręmiſſis ſatisfactionem eiſdem Priori pro tempore, & Conventui faciendam, per cenſuram eccleſiaſticam, & alia juris remedia, oppoſitione poſtpoſita, cogendi, & compellendi, plenam, & liberam auctoritate, & tenore pręſentium, concedimus facultatem. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, oppoſitione ceſſante, compellatis veritati teſtimonium perhibere. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis cęteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi perſonis pręfatis, vel quibuſvis communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, Sexto Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Conceſſio.

1. *Tolonenſi.*) Vulgo *Toulon*, in *Gallo-Provincia*, ubi cęterę Civitates de quibus mox dicetur.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXVI fol.* 45.
3. *Graſſen.*) Vernacule *Graſſe*.
4. *Piniaci.*) Vulgo *Pignans*.
5. *Forolivien.*) Vulgo *Frejus*, in *Gallo-Provincia*. Hinc legerem: *Foro Julien*. Nam *Forum Livii*, vulgo *Forli*, eſt in *Romandiola*.
6. *Arelaten.*) *Arles*.

Anno 1440 Die 2 Januarii.

Ut Fratres de Pœnitentia S. Dominici degentes in Eremitorio (1) S. Michaelis de Agnano ſint immunes omni tributo.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Aquilan. (3) & Tiburtin. (4), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

VOto Religionis aſtrictos, libenter circa ea benevolo favore proſequimur, per quę ipſi liberius, & quietius valeant Altiſſimo famulari. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Bartholomęi Johannis de Trottis de Alexandria, & nonnullorum aliorum Fratrum Ordinis de Pęnitentia Beati Dominici nuncupati, in Eremitorio, Monaſterio nuncupato, Sancti Michaelis de Agnano, Piſan. Dięceſis, commorantium, petitio continebat, quod ipſi Eremitorium prędictum, quod ad Ordinem Monachorum Eremitarum de Obſervantia S. Hieronymi, ſub Regula Sancti Auguſtini degentium, legitime pertinet, cum Oratorio, ſeu Capella, omnibuſque juribus, & pertinentiis ſuis, ab eodem Ordine Sancti Hieronymi ex conceſſione dudum ſibi per illius Superiores deſuper facta, & ſucceſſive auctoritate Apoſtolica confirmata, ſub certa annua penſione, ſeu reſponſione, tenent, regunt, & gubernant, illudque ab eodem Ordine Sancti Hieronymi omnimode recognoſcunt, quodque tam ipſum, quam alia dicti Ordinis Sancti Hieronymi Eremitoria per Apoſtolicę Sedis literas, ab omnibus, & ſingulis impoſitionibus, ſubſidiis, collectis, talliis, & aliis gravaminibus, quę per quaſcunque perſonas eccleſiaſticas, vel ſeculares, prędicta, vel ordinaria auctoritate, in genere, vel in ſpecie, quomodolibet pro tempore imponuntur, perpetuo immunia penitus, & exempta exiſtunt. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, licet conceſſio pręfata immunitatem, & exemptionem Eremitorii hujuſmodi ſecum trahat, & plenarie amplectatur, tamen Fratres prędicti pro eo, quod nullus Profeſſorum dicti Ordinis Sancti Hieronymi in eodem Eremitorio propter conceſſionem ipſam reſidet, ſeu, ea durante, reſidebit, impoſitionum, ſubſidiorum, collectarum, & talliarum prędictarum oneribus, interim ratione ipſius Eremitorii contra immunitatem, & exemptionem, eaſdem gravari timeant, pro parte ipſorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eorum indemnitati ſuper hoc opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, vos, vel alter veſtrum, ſi, & poſtquam de expoſitis pręmiſſis vobis legitime conſtiterit, Fratres prędictos, quandiu Eremitorium ipſum ab eodem Ordine Sancti Hieronymi (5) hujuſmodi illis gaudebant, ſeu gaudere poterant, & debebant, dum in eodem Eremitorio reſidebant, ſeu adhuc gauderent, aut gaudere poſſent, & deberent, ſi in illo reſiderent, ratione ipſius libere, & plene gaudere poſſe pariter, & debere, auctoritate noſtra decernatis, non permittentes ipſos

Supplex petitio.

Mandatum.

Fra-

Fratres, ſeu aliquem eorum interim contra immunitatem, & exemptionem eaſdem, ad ſolvendum impoſitiones, ſubſidia, collectas, tallias, & gravamina hujuſmodi, vel aliquid ex eis ratione dicti Eremitorii, ſeu quorumcunque jurium, & bonorum ejuſdem compelli, aut alias illarum occaſione a quoquam quomodolibet moleſtari, ſed facientes ſibi ipſas immunitatem, & exemptionem illibatas ab omnibus irrefragabiliter obſervari. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. Non obſtantibus pręmiſſis, & conſtitutionibus Apoſtolicis, ac Ordinum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Seu ſi aliquibus, communiter, vel diviſim a Sede prędicta ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono (6), Quarto Nonas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Eremitorio.*) In *Hetruria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXVI fol.*116.
3. *Aquilan.*) In *Aprutio*.
4. *Tiburtin.*) *Tivoli*, in *Latio*.
5. *S. Hieronymi*.) Ibi aliquid deeſt.
6. *Triceſimo Nono*.) Stylo Bullarum, Ærę communis *MCCCCXL*.

Ædes ſacras Ferrarienſis (1) Cœnobii viſitantes Indulgentiis donat.

Anno 1440 Die 21 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes Literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CCIV.

Exordium.

ETſi quęlibet pia loca in Sanctorum memoria dedicata omni devotione venerari, laudumque pręconiis attollere moneamur, ad ipſius tamen unicę glorioſiſſimę Marię Virginis, quę caſtiſſimo ejus utero, ſalutis Auctorem protulit, amplectenda ſolemnia, tanto ſtudiis invigilare tenemur aſſiduis, quanto nimirum illa pręceteris vivificando profuit, Mundo ſuccurrendo perdito, ſedibuſque prelata ſidereis, quaſi Stella Matutina prerutilans, utpote miſericordię Mater, & generis Conſolatrix humani, apud eum, quem Maternis lactavit uberibus, ſedulas pro noſtrę fragilitatis expiatione preces, & interceſſiones effundere ſatagit, dignum propterea recenſentes, & debitum, ut ad honorem ſui nominis dedicata loca, gratioſis remiſſionum, & Indulgentiarum impendiis proſequamur. Cum itaque, ſicut accepimus, dilectus Filius, Nobilis vir, Nicolaus Marchio Eſtenſis, ob ſingularem, quem ad eandem B. Virginem devotionis gerit affectum, de animę ſuę ſalute recogitans, quandam extra Muros Civitatis noſtrę Ferrarienſis ad honorem, & ſub vocabulo ejuſdem B. Virginis, Eccleſiam opere inſigni, & ſumptuoſo erigi, & ędificari facere inceperit, ad optatum finem, Deo annuente, perducere, illamque decenter dotare, perſonas quoque inibi Obſervantię deditas circa Divinum cultum continuo deſervituras, quę juxta ipſius Marchionis propoſitum, Chriſti fidelium animas Deo lucrifaciant, de Sedis Apoſtolicę auctoritate deputare intendat, Nos, cupientes, ut Eccleſia ipſa per eundem Marchionem debite perficiatur, & congruis frequentetur honoribus, ac cultus, & devotio ferventius vigeant, & augeantur, fideleſque prędicti eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię conſpexerint uberius ſe refectos, de Omnipotentis Dei Miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, poſtquam in ipſa Eccleſia dicta officia celebrari contigerit, tenore pręſentium concedimus, quod omnes, & ſinguli, utriuſque ſexus fideles, vere pęnitentes, & confeſſi, qui in Feſto Aſſumptionis ejuſdem B. Virginis a primis Veſperis, uſque ad ſecundas Veſperas Eccleſiam ipſam devote viſitaverint annuatim, illam Indulgentiam, ac plenam ſuorum peccaminum remiſſionem conſequantur, quam viſitantes Eccleſiam B. Marię in Portiuncula, alias dictam de Angelis, extra Muros Aſſiſinaten. prima die Menſis Auguſti quomodolibet conſequuntur. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono (3), Nono Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Indulgentia.

Cincius.

Jo. de Steccatis.

1. *Ferrarienſis.*) In ejuſdem nominis Ducatu *Italię*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Ferrarię* aſſervato.
3. *Triceſimo Nono.*) Stylo Bullarum, Ærę communis *MCCCCXL*.

Mendicantes Fratres omni tributo (1) immunes eſſe declarat.

Anno 1440 Die 22 Februarii.

Ex Bullario (2) Carmelitano in Eugenio IV Conſtitutione XVI Tomo I pag. 197.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Juliano Tituli S. Sabinę Presbytero Cardinali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CCV.

Diplomatis cauſa.

DUdum, videlicet quarto Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno nono, cum pręciperemus taxationem valoris bonorum, fructuum, & reddituum Eccleſię, & aliorum beneficiorum, ac piorum locorum Civitatis, & Diœceſis Piſtorienſis, cum eis gravamina imponerentur (3), inęqualiter tactam fuiſſe,

fuiſſe, & nonnullos ſupra ſuarum ſacultatnm vires gravari, quam eorum conditio poſtulabat, licet de voluntate noſtra, gravamina, quę per Communitatem Florentię nunc exiguntur, non procedant: volentes tamen hujuſmodi errorem, & inconvenientiam tolli, & taxationem prędictam ad debitam ęquiſmationem reduci, venerabili Fratri noſtro Roberto (4) Epiſcopo Aretino, & nonnullis aliis eccleſiaſticis perſonis Piſtorienſis Dięceſis per noſtras certi tenoris literas commiſimus, & dedimus in mandatis, ut, facta diligenti inquiſitione, dictam taxationem corrigerent, & ad juſtam ęqualitatem reducerent. Qui Epiſcopus, & dictę perſonę, in hac cauſa Commiſſarii, procedentes, Eccleſiis, & domibus Fratrum Ordinum Mendicantium, & Monaſteriis Monialium ſub cura ipſorum viventibus, Civitatis, & Dięceſis earundem (5).... commiſſionem eis per nos factam, cum ſolum de locis piis, ac beneficiis, & nullo modo de premiſſis domibus, & Eccleſiis Mendicantium, vel Monaſteriis eorum curę commiſſis, noſtrę literę facerent mentionem, taxam, & extimum impoſuerunt, & cataſto (6) in Archivio Eccleſię Piſtorienſis collocarunt. Nos itaque, hujuſmodi Eccleſias, & domos Ordinum Mendicantium, & eis ſubjecta Monaſteria, quibus ſpecialia privilegia, propter Fratrum merita, & fructus, quos in Eccleſia Dei uberes faciunt, a Sede Apoſtolica ſingulariter ſunt conceſſa, & in ſimilibus taxationibus, ut fructificare in ſalutem animarum, & quietius Deo vacare poſſint, cum Clero, Eccleſiis, & hujuſmodi alias cataſtis talibus non venerant adſcribenda: volentes in eorum gratiis, & privilegiis eos conſervare, & confovere, circumſpectioni tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus; quatenus dictarum Eccleſiarum, & Domorum Ordinum Mendicantium prędictorum, & Monaſteriorum ſub illorum cura viventium, ſi tamen ipſa Sororum Monaſteria alias in Cataſtis cum Clero, non conſueverint annumerari, hujuſmodi taxationem, & extimum, noſtrarum literarum vigore, ut dicitur, facta, a catallo, & libro taxationum hujuſmodi, in Eccleſia Piſtorienſi, & ubicumque alibi, etiam apud Scribam Commiſſariorum hujuſmodi exiſtentibus, auctoritate noſtra per te, vel alium ſubdelegatum abradi, & aboleri facias, ac procures realiter, & cum effectu: contradictores quoslibet cujuſcunque ſtatus, gradus, Ordinis, vel conditionis exiſtentes, & quacunque etiam Eccleſiaſtica, vel Mundana pręfulgeant dignitate, per cenſuram Eccleſiaſticam &c. compeſcendo, prędictis literis, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Super quibus plenam eidem tuę circumſpectioni tenore pręſentium concedimus facultatem. Datum Florentię anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono (7), Octavo Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Nota:

1. *Tributo.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*

2. *Bullario.*) Legitur etiam apud *Waddingum Annal. Minorum Tomo V in Regeſto Pontificio pag.* 274.

3. *Imponerentur.*) Aliquid deeſt. Adderem: *fide digna relatione didicimus*. Vel legendum: *Perciperemus*, non autem *Preciperemus*, uti legitur verſu primo.

4. *Roberto.*) Adeas *Ughellum in Epiſcop. Aretin.*

5. *Earundem....*) *Waddingus* addit: *Veſtra:* ſcriberem: *Contra*.

6. *Cataſto.*) Sic vocant librum Vectigalium Legerem: *Cataſtæ*.

7. *Triceſimo Nono.*) Stylo Bullarum, *Æræ* communis *MCCCCXL.*

Anno 1440 Die 11 Aprilis.

Inſerit & confirmat Conſtitutiones quibus Bonifatius IX, & Martinus V Ordinem Prædicatorum variis præconiis & privilegiis (1) ornant.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCVI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. AD ſtatum dilectorum filiorum univerſorum Ordinis Fratrum Prędicatorum Religioſorum ſalubriter & proſpere dirigendum, paterna ſollicitudine vigilantes, eorum profectibus libenter intendimus, & quę pro hujuſmodi ſtatus conſervatione, & directione, provide proceſſiſſe comperimus, illa libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolico munimine roboramus. Dudum ſiquidem quondam Bonifatius, IX in ſua Obedientia nuncupatus, quaſdam ſuas conceſſit literas, quas felicis recordationis Martinus Papa V Prędeceſſor noſter ſuis poſtmodum literis confirmavit, quarum tenor ſequitur, & eſt talis. Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Ad ſummi Apoſtolatus &c. (3) Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam Rei Memoriam. Etſi pro cunctorum Chriſti fidelium &c. (4). Cum autem, ſicut pro parte dilecti filii Bartholomęi Ordinis pręfati, ac Theologię profeſſoris, necnon Generalis totius Ordinis ſupradicti Magiſtri, Nobis nuper exhibita petitio continebat, ipſe, ac dilecti filii univerſi Priores & Fratres dicti Ordinis, Bonifatii, ac Confirmatio. Martini Prędeceſſorum literas prędictas ampliori Sedis Apoſtolicę munimine roborari deſiderent, Nos itaque Magiſtri ejuſdem in hac parte ſupplicationibus inclinati, Bonifatii, ac Martini literas hujuſmodi harum ſerie approbantes, illas juxta earum, & quarumlibet ipſarum continentiam atque formam plenarii roboris firmitate ſubſiſtere, & ſubnixas fore, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia decernimus per pręſentes. Nulli ergo &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo, Tertio Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

X
X
X

M. De Piſtoria
W. Colonzova
A tergo
R.

Super plicum, ſeu partem inflexam legitur.
Duplicata....
Ja. de Viterbio.

1. *Pri-*

1. *Privilegiis.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu. Bullar. Tomo ultimo Tit. V &c.*
2. *Archivo.*) In quo duplex Autographum, & Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXVIII fol. 196.* Authenticum aſſervatur in Archivo Cœnobii *Raguſini*. Legitur apud *Uſuſmarem* pag. 109.
3. *Apoſtolatus &c.*) Ut in Conſtitutione LXVI *Martini V Tomo II pag. 81* ad hæc uſque verba: *Tenoris ſequentis.*
4. *Chriſti fidelium &c.*) Ibidem ad finem uſque.

Anno 1440
Die 11 Aprilis.

Firmat privilegia (1) Fratribus Ordinis Prædicatorum a ſuis Prædeceſſoribus conceſſa.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCVII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

ROmanus Pontifex, in quo poteſtatis plenitudo conſiſtit, ad ſtatum eccleſiaſticarum perſonarum, Exordium.
ſua preſertim, mundanis abjectis illecebris, ſub ſacro Religionis jugo Altiſſimo vota reddentium,
& circa fidelium animarum ſalutem, necnon hereticorum, & aliorum infidelium quorumlibet debitam
converſionem prędicationibus, & doctrina continuo laborantium, libenter intendens, nonnunquam
per ſuos Prędeceſſores in earum favorem geſta innovat, ac approbat, & confirmat, prout id conſpicit
in Domino ſalubriter expedire. Hinc eſt, quod Nos dilecti filii Bartholomęi Ordinis Fratrum Prędi-
catorum, ac Theologię profeſſoris, necnon Generalis totius Ordinis hujuſmodi Magiſtri, devotis in
hac parte ſupplicationibus inclinati, quaſdam felicis recordationis Gregorii XI ad inſtar nonnullorum Confirmatio.
Romanorum Pontificum Prędeceſſorum ſuorum, dilectis filiis Magiſtro, Prioribus, & Fratribus univerſis
ejuſdem Ordinis per eum conceſſas, necnon alias Martini V, Prędeceſſorum noſtrorum, etiam conceſ-
ſarum hujuſmodi confirmatorias literas, quas diligenter inſpici, & examinari, quarumque tenorem
de verbo ad verbum pręſentibus inſeri, fecimus, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium ex certa Conſtitutio
ſcientia innovamus, & confirmamus, ac pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenor vero ſingula- Martini V.
rum litterarum prędictarum talis eſt. Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Ma-
giſtro, Prioribus, & Fratribus univerſis Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictio-
nem. Ex Apoſtolicę Sedis proviſione, ac perſonarum Deo devotarum, pręſertim ſub regulari obſer-
vantia, & in favorem fidei catholicę Domino famulantium ſtudio pię vitę, devotione provenire digno-
ſcitur, ut Romanus Pontifex quandoque Prędeceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum geſta innovet,
innovatione reſtauret, & auctoritate fulciat innovata. Hinc eſt, quod Nos, veſtris devotis in hac parte
ſupplicationibus inclinati, quaſdam literas felicis recordationis Gregorii Papę XI, Prędeceſſoris Mare magnum
noſtri, ad inſtar nonnullorum aliorum Romanorum Pontificum, prędeceſſorum ſuorum, vobis, & Gregorii XI.
Ordini veſtro conceſſas, quas diligenter inſpici, & examinari, quarumque tenorem de verbo ad ver-
bum pręſentibus inſeri fecimus, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium ex certa noſtra ſcientia inno-
vamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenor vero dictarum litterarum talis eſt. Grego-
rius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, Prioribus, & Fratribus univerſis
Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Virtute conſpicuos ſacri veſtri Or-
dinis Profeſſores, qui contemplationi cęleſtium ferventer invigilant, & pię vitę ſtudio ſine intermiſſione
deſudant, decet per Apoſtolicę circumſpectionis auxilium ſic provide dirigi, & ſollicite confoveri, ut
alicujus pretextu calumnię nullum internę pacis excidium, nullumque religioſi ſtatus perferant detri-
mentum, ſed in hiis robur, & vigorem habeant, per quę circa cultum divini nominis, devotis, & quie-
tis mentibus invaleſcant. Hinc eſt, quod, ſicut Nobis exponere curaviſtis, tu, fili Magiſter, & prę- Magiſtri Generalis electio.
deceſſores tui juxta ejuſdem Ordinis conſuetudinem obſervatam hactenus, & a Sede Apoſtolica tolera-
tam, ſtatim poſtquam electi ſecundum prędicti Conſtitutiones Ordinis extitiſtis, Fratrum ipſius curam
geſſeritis, Magiſterii officium plene, ac libere in omnibus exercentes, iidemque Fratres vobis devote,
ac humiliter obedierint, & intenderint reverenter, & in eodem Ordine ſit ſtatutum, ut Magiſter ipſius,
qui pro tempore fuerit, Magiſterii officio amoveri valeat a Diffinitoribus Capituli generalis. Nos volentes
ambiguitatis ſcrupulum in hac parte de veſtris cordibus amputare, ac Ordinem ipſum, pręfatę Sedi Ordinis laus.
immediate ſubjectum, a Sede approbatum eadem, honeſtate floridum, pręclarum ſcientia, & virtute
fęcundum, privilegio Apoſtolicę gratię attollere ſingulari, veſtris ſupplicationibus inclinati, devotioni
veſtrę ad inſtar felicis recordationis Bonifatii VIII, & Benedicti XI, Romanorum Pontificum Prędecę-
ceſſorum noſtrorum, ut ſucceſſores tui, fili Magiſter, qui erunt pro tempore ſtatim poſtquam electi
ſecundum Conſtitutiones fuerint ſupradictas, eo ipſo veri ejuſdem Ordinis Magiſtri effecti, curam ani-
marum Fratrum ipſius Ordinis plene habeant, & libere gerant, ipſoſque Fratres auctoritate propria
ligare, abſolvere, necnon in eodem Ordine agere valeant, quę ipſi, & pręfati Ordinis Diffinitores juxta
prędictas Conſtitutiones eiſdem Ordini, & Fratribus ſecundum Deum viderint expedire, aliaſque poſ-
ſint officium Magiſterii licite in omnibus exercere, iidemque Fratres tibi Magiſtro, & ſucceſſoribus
tuis devote, & humiliter obediant, & intendant, & pręfati ſucceſſores, & tu Magiſter a Diffinitoribus
Capituli generalis Ordinis ipſius, ſecundum Ordinis Conſtitutiones ejuſdem abſolvi, & amoveri poſſi-
tis, auctoritate Apoſtolica indulgemus, ratum habentes & firmum quicquid ſuper pręmiſſis per te,
Magiſter, dictoſque prędeceſſores Fratres, & Diffinitores, factum, & obſervatum eſt hactenus, con-
ceſſa tibi exequendi Magiſterii officium quoad pręmiſſa omnia, & alia, libera facultate. Fratres autem
de Ordine veſtro, quos ſecundum Conſtitutiones ipſius Ordinis Conventibus veſtris deputandos duxe- Fratres Theologiam doceant.
ritis in Lectores, ſine cujuſcunque alterius licentia, libere in domibus prędicti Ordinis legere, ac docere
valeant in Theologica facultate, illis locis exceptis, in quibus viget ſtudium generale, ac etiam quili- A quibus Priores ſint conſtituendi?
bet in facultate ipſa docturus, ut Magiſter ſolemniter incipere conſuevit. Et licet Epiſcopis, & Dięce-
ſanis veſtris debitam, & devotam obedientiam impendatis, nolumus tamen, quod circa inſtituta, &
pręci-

præcipue ſuper inſtitutione, & deſtitutione Priorum ejuſdem Ordinis ex hoc præjudicium aliquod incurratis. Quando vero in aliquo Capitulo, vel Conventu veſtri Ordinis de Provinciali, vel Conventuali Priore occurrerit electio facienda, ſi ex aliqua cauſa factam electionem a Fratribus ejuſdem Ordinis, quorum intereſt, non contingat forſitan confirmari, Superior, ad quem confirmatio electionis hujuſmodi pertinet, aliquem de illis Fratribus, quos ipſi Electores, vel major pars eorum per literas ſuas ab eo petierint, quando ad ipſum pro electi confirmatione tranſmittunt, eis de veſtra licentia concedere valeat in Priorem. In Electionibus quoque eorundem Magiſtri, & Priorum Provincialium ipſius Ordinis Fratribus, qui debent electionem hujuſmodi celebrare, cum eos frequenter de remotis partibus oporteat convenire, tempus ſuper hoc a jure ſtatutum non currat, nec ipſi in hac parte juris regulis coarctentur. Et quia ejuſdem Ordinis Fratres de locis ad loca ipſius Ordinis ſæpius tranſmittuntur,

A quovis Epiſcopo Fratres ſuſcipere poſſunt Ordines.

propter quod ſtabilem, & perpetuam in certis, & determinatis, ejuſdem Ordinis domibus non faciunt manſionem, quia etiam bonos, & ydoneos, & approbatos a vobis, Fratres facitis ad Ordines promoveri, liceat vobis ordinandos Fratres ejuſdem Ordinis quibuſcunque malueritis catholicis Pontificibus, communionem, & gratiam Apoſtolicæ Sedis habentibus, præſentare, ipſiſque Pontificibus præſentatos a vobis Fratres, ſine qualibet examinatione per eoſdem Pontifices facienda, & abſque omni promiſſione, vel obligatione ipſorum ordinandorum Fratrum ad Ordines promovere.

Ubinam Sacra celebrare poſſimus?

In locis autem, in quibus degitis, liceat vobis habere Oratoria, in quibus cum Altari portatili poſſitis Miſſarum ſolemnia, & alia divina officia celebrare, ac etiam recipere Eccleſiaſtica Sacramenta. Cum generale Interdictum Terræ

Fratres eorumque Procuratores, ac famuli ab interdicto generali ſolvuntur.

fuerit, in Eccleſiis, & Oratoriis veſtris, & aliis quibuſcunque, cum ad loca perveneritis eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, clauſis januis, interdictis, & excommunicatis excluſis, non pulſatis campanis, & ſubmiſſa voce, liceat vobis celebrare divina, & eccleſiaſtica recipere Sacramenta, dummodo cauſam non dederitis interdicto, nec contingat, id vobis ſpecialiter interdici, neque Eccleſiæ, & Oratoria ipſa fuerint ſpecialiter interdicta. His vero, qui veſtris immorantur obſequiis, cuncta libere miniſtrare poſſitis Eccleſiaſtica Sacramenta, & ipſos, cum decedunt, in veſtris Cimiteriis ſepelire. Si quando autem in terris, in quibus reſidetis, vel earum perſonas excommunicationis, ſeu interdicti ſententias contigerit promulgari, pueri veſtris ſervitiis deputati, negotiorum quoque veſtrorum Procuratores, & operarii, qui in veſtris locis eorum operibus perſonaliter continue inſtiterint, hujuſmodi ſententiis obnoxii minime habeantur, ibique poſſint audire divina, juxta formam, quæ locis ipſis in eo caſu a Sede Apoſtolica eſt conceſſa, niſi eiſdem cauſam dederint, vel excommunicari ſpecialiter, ſeu interdici contingat eoſdem. Et quia vos, extremam patientes pro Chriſti nomine paupertatem, exhortatio-

Ubique degere poſſint Fratres.

nis pio ſtudio bonos ad potiora dirigitis, & errantes in rectitudinis ſemitam laudabiliter revocatis, concedimus, ut in excommunicatorum terris libere commorari, & ab eis tunc etiam quando vos per ipſas tranſire contigerit, neceſſaria vitæ depoſcere, & recipere valeatis. Magiſter quoque, & ſinguli Priores Provinciales, & Conventuales, ac vices eorum gerentes in Provinciis, & Conventibus, ac locis

Facultas a cenſuris ſolvendi.

ſibi commiſſis, prædictis Fratribus conſtitutis ibidem, & Fratribus aliis ejuſdem Ordinis interdum ad eos declinantibus undecunque, abſolutione, & diſpenſatione indigentibus, ſive priuſquam intraverint Ordinem, ſive poſt in caſibus exceſſerint, pro quibus excommunicationis, vel interdicti, aut ſuſpenſionis incurrunt ſententias, a jure, vel a judice generaliter promulgatas, & hujuſmodi ſententiis innodati, aut in locis ſuppoſitis eccleſiaſtico interdicto divina officia celebrantes, vel ſuſcipientes Ordines ſic ligati, notam irregularitatis incurrunt, abſolutionis, & diſpenſationis beneficium valeant impartiri, niſi adeo gravis fuerit enormis exceſſus, quod ſint ad eandem Sedem merito deſtinandi. Fratres etiam veſtri, quos pro tempore vos, Magiſter, & Priores tam Provinciales, quam Conventuales, necnon & vices veſtras gerentes, in proprios habueritis Confeſſores, abſolutionis, & diſpenſationis beneficium vobis, cum expedierit, valeant impartiri juxta formam conceſſionis ſuper abſolutione, & diſpenſatione Fratrum ejuſdem Ordinis ſuperius vobis factæ. Ad hæc volentibus veſtro aggregari collegio, qui ſuſpenſionis, aut interdicti, vel excommunicationis ſententiis a jure, vel a judice promulgatis generaliter ſunt ligati, abſolutionis beneficium, obſervata forma canonica, impartiri, ipſoſque in Fratres recipere, ac eos, qui poſt aſſumptum habitum, vel profeſſionem emiſſam recoluerint, ſe talibus in ſeculo fuiſſe ſententiis innodatos, ſecundum formam ipſam, vos, Magiſter, & ſinguli Priores Provinciales, & Conventuales, ac vices veſtras gerentes, valeatis abſolvere, & cum irregularibus diſpenſare, ſi forſan talibus innodati ſententiis, vel in locis interdicto ſuppoſitis divina præſumpſerint officia celebrare, vel Ordines receperint; Ita tamen, quod ſi aliqui ex hujuſmodi eiſdem ſententiis propter debitum ſint aſtricti, ſatisfaciant, ut tenentur. Ceterum veſtra diſcretio caute provideat, ut Apoſtolicæ Sedis, Legatorum ipſius, & Ordinariorum locorum in abſolutionibus hujuſmodi ſcandalum evitetur.

Fratres multis oneribus levat.

Porro quieti veſtræ providere volentes, quod per literas Apoſtolicæ Sedis, aut Legatorum, ſeu Delegatorum ipſius conveniri a quoquam minime valeatis, & quod ad pecuniam colligendam cogi non poſſitis inviti per litteras ipſius Sedis de cetero impetrandas: Quodque nullus veſtrum correctionis, ſeu viſitationis, vel Inquiſitionis officium Monaſteriis, vel Eccleſiis, ſeu quibuſcunque perſonis impendere, vel ad cognitiones cauſarum, citationes partium, & denunciationes ſententiarum interdicti, & excommunicationum procedere, aut recipere curam Monialium, ſeu Religioſarum quarunlibet perſonarum teneatur per Apoſtolicas litteras impetratas, & impoſterum impetrandas, niſi hujuſmodi Apoſtolicæ litteræ de hoc indulto, & Ordine veſtro expreſſam fecerint mentionem, auctoritate vobis Apoſtolica indulgemus. Concedimus etiam, ut ad viſitandum aliqua Monaſteria Monialium cujuſcunque Ordinis compelli aliquatenus non poſſitis, aut recipiendum Commiſſiones cauſarum, ſeu ſententiarum executiones, vel alia contingentia cauſas ipſas per litteras præfatæ Sedis, in quibus facta non fuerit de indulgentia hujuſmodi mentio ſpecialis, ſive per Legatos, vel delegatos ipſius. Nullus inſuper Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, nulluſque alius Prælatus Eccleſiaſticus, vel eorum Vicarii, vel officiales ad portandum, vel deferendum litteras, vel exequendum, aut denunciandum ſententias contra

Prin-

Principes ſeculares, Communitates, Populos, ſeu quoſcunque benefactores veſtros: nulluſque Delegatus, vel Ordinarius judex ad faciendum citationes, vel commiſſiones recipiendas, ſive quod ſitis in cauſis aliquibus Aſſeſſores, ſeu ad alia lites, vel controverſias contingentia in cauſis, quę coram ipſis tractantur, quenquam veſtrum compellere valeant ſine prędictę Sedis mandato, vel licentia ſpeciali, expreſſam faciente de hac indulgentia mentionem; nec quiſquam veſtrum parere, vel intendere teneatur ſuper iis monitionibus, & mandatis, aut juſſionibus eorundem, aut facere, vel implere quod in hac parte duxerint injungendum. Ceterum Magiſter, & ſinguli Priores Provinciales, atque ipſorum Vicarii illos ex Fratribus, de quibus auctoritate Sedis Apoſtolicę, vel Legatorum ipſius, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, vel aliis quibuſcunque proviſum extitit, vel impoſterum contigerit provideri, corrigere, ac etiam non obſtante contradictione aliqua poſſint ad ſuum Ordinem revocare, nec per litteras ejuſdem Sedis, ſeu Legatorum ipſius jam obtentas, vel de cetero obtinendas, aliquos de Fratribus ipſius Ordinis pręfatis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aut aliis teneantur in ſocios deputare, niſi dictę litterę Apoſtolicę obtinendę de indulto hujuſmodi, & Ordine ipſo expreſſam fecerint mentionem & alias id honeſtati Ordinis, & illorum ſaluti viderint expedire. Nullus autem Legatus, niſi de latere noſtro miſſus, auctoritate litterarum Sedis Apoſtolicę ſpecialem de hoc indulto & Ordine veſtro non facientium mentionem, nulluſque Pręlatus, aut aliqua perſona religioſa, vel ſecularis, de Fratribus ejuſdem Ordinis, ſeu Cardinalis Romanę Eccleſię ad ſua, ſeu Eccleſię negotia procuranda, vel ſecum manendum aliquos aſſumere valeat, niſi quos Magiſter, vel Prior Provincialis ipſorum tanquam ydoneos, & diſcretos ſibi duxerint aſſignandos, quos etiam volumus ſubjacere Ordinis diſciplinę. Illos vero Ordinis veſtri Fratres, qui ad prędicandum Crucem, vel inquirendum contra hęreticam pravitatem, ſeu ad alia hujuſmodi negotia, ſunt, vel fuerint deputati ubicunque a Sede Apoſtolica, tu, fili Magiſter, tuique ſucceſſores, removere, ſeu revocare, penitus tranſferre, ipſiſque, quod ſuperſedeant, injungere, alioſque ſubſtituere, cum expedire videritis, licite, & libere valeatis, ac in eos, ſi contravenerint, cenſuram eccleſiaſticam exercere, ac quilibet Prior Provincialis, vel ejus Vicarius ejuſdem Ordinis idipſum in ſua Provincia circa Fratres ipſius Ordinis, quibus ab eadem Sede ſimilia contigerit in illa committi, facere poſſit, non obſtantibus aliquibus litteris, vel indulgentiis Apoſtolicis impetratis, vel impoſterum impetrandis, quę de hoc non fecerint mentionem. Inhibemus quoque, ne quis poſt profeſſionem in Ordine veſtro factam ab ipſo Ordine ſine Magiſtri, vel ſui Prioris licentia diſcedat; diſcedentem vero abſque cautione litterarum alterius ipſorum, prętextu alicujus privilegii Apoſtolicę Sedis, nullus audeat retinere: quod ſi forte retinere pręſumpſerit, vobis, Magiſter, vel ſinguli Priores duntaxat, & veſtris Vicariis licitum ſit, in ipſos diſcedentes Fratres excommunicationis ſententiam promulgare, detinentes vero eoſdem ſecum, vel in Monaſteriis, ſeu Eccleſiis ſuis, niſi eos ejecerint, poſtquam eis denunciatum fuerit, excommunicationis ſententię volumus ſubjacere, non obſtante quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici non poſſint per litteras non facientes plenam, & expreſſam de indulto hujuſmodi mentionem. Si vero aliqui de Fratribus veſtri Ordinis poſt obtentam licentiam a Sede prędicta, aut a vobis, ad Religionem aliam tranſeundi, infra duos, vel tres menſes ſe ad illam Religionem ſuę ſaluti congruam non contulerint, & ipſius non ſuſceperint habitum regularem, licitum ſit vobis ſingulis, Magiſter, & Priores, ac vices veſtras gerentibus, contra ipſos tanquam contra alios veſtri Ordinis apoſtatas procedere, ſecundum quod honeſtati dicti Ordinis videritis expedire. Illud idem intelligi volumus de illis, qui poſt ſuſceptionem habitus alterius Religionis infra tempus probationis, nulla profeſſione facta, inde pręſumpſerint reſilire, aut etiam ſi poſt profeſſionem hujuſmodi ad Religionem laxiorem, ſeu mitiorem Ordinem tranſierint, vel, quod abſit, ad ſeculum revertantur, vos, volumus, contra ipſos rigorem veſtri Ordinis exercere. Apoſtatas quoque veſtri Ordinis excommunicare, capere, ligare, incarcerare, & alias ſubdere diſciplinę rigori poſſitis per vos, ac etiam alios in quocunque habitu contigerit eos inveniri, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Inhibemus etiam, ne Fratres quos ab Ordine veſtro pro ſuis culpis per Magiſtrum vel Priores, ac eorum Vicarios expelli contigerit, vel qui egreſſi fuerint proprio ſuo motu, prędicare Confeſſiones audire, ſeu docere pręſumant, niſi ad alium Ordinem, in quo hujuſmodi exerceantur officia, licite tranſierint, de veſtra, vel Magiſtri, ſeu Priorum, vel Vicariorum ipſorum, licentia ſpeciali. Quod ſi forte ipſi contra hujuſmodi inhibitionem noſtram aliquid ſuper pręmiſſis temere attemptare pręſumpſerint, vos, Magiſter, & ſinguli Priores, ac veſtri Vicarii in illos, quos infra fines prędicationis ſuę, juxta conſuetudinem veſtri Ordinis diſtinctos, inveneritis talia pręſumentes, monitione pręmiſſa, auctoritate noſtra, excommunicationis ſententiam valeatis promulgare. Ejectos autem de Ordine veſtro, vel egreſſos, qui receptione in eodem Ordine ſuis culpis exigentibus reddiderunt ſe indignos, & alios Fratres ejuſdem Ordinis ex rationabili cauſa ad quoſcunque Ordines approbatos, pręterquam ad Beati Auguſtini Hoſpitalariorum, & aliorum Religioſorum arma portantium, ad evitandum occaſionem evagandi, vos, Magiſter, & ſinguli Priores, ſeu veſtri Vicarii cum teſtimonialibus litteris auctoritate noſtra licentiandi liberam habeatis facultatem. Nos enim diſtrictius inhibemus, ne tales ad alium Ordinem aliter tranſire, vel aliqui eos recipere, ſeu retinere pręſumant, abſque licentia ſpeciali Sedis Apoſtolicę, faciente de hoc plenariam mentionem. Inhibemus etiam, ut nulli, ſive ſit in Religionis Ordine, ſive extra Ordinem conſtitutus, habitum veſtrum, aut ita conſimilem, quod propter eum Frater Prędicator credi poſſit deferre liceat abſque mandato Sedis Apoſtolicę ſpeciali. Et, ut dicta inhibitio majorem conſequatur effectum, ſtatuimus, ut hi, qui habitum veſtrum, vel ſibi prędicto modo conſimilem deferre pręſumpſerint, ad deponendum ipſum per Diœceſanos locorum, cum a vobis requiſiti fuerint, monitione pręmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compellantur. Ceterum cum humilitas veſtra ſibi de latitudine orbis terrę nihil pręter domos, & ortos, cum virgultis, pręmiorum obtentu cęleſtium, duxerit reſervandum, Nos, pie volentes, quod illorum fructus applicentur veſtrę paupertatis uſibus, ut de dictis ortis, & virgultis veſtris nulli decimam teneamini exhibere, vobis auctoritate pręſentium indulgemus, diſtrictius inhibentes, ne quis a vobis de prę-

De Fidei Cenſoribus aliiſque nonnullis.

Nullus, votis ſolemnibus nuncupatis, ab Ordine diſcedat.

Nullus noſtris ſimiles veſtes induat.

Ordo noſter Decimis ſolvendis immunis.

pręmiſſis aliquid exigere, vel extorquere pręſumat. Quia vero nonnulli veſtrę Religionis habitum aſſumentes diverſis perſonis, quę ſciri, & inveniri non poſſunt, aliqua bona interdum reſtituere tenentur, vobis Magiſtro, & Prioribus, ac Vicariis prędictis concedimus, ut ſinguli veſtrum in locis ſibi commiſſis bona ipſa in pios uſus convertere valeant, prout ſecundum Deum viderint expedire.

In Cœmeteriis noſtris libera ſepultura.

Sepulturam quoque in locis, cimiteriis, & Eccleſiis veſtris concedimus, & eam liberam eſſe cenſemus, ut eorum devotioni, & extremę voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi excommunicati, vel interdicti, aut etiam publici uſurarii fuerint, nullus obſiſtat, ſalva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum, a quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Diſtrictius inhibentes, ut nulli Religioſi, vel ſeculares, vobis invitis, aliquorum corpora defunctorum in veſtris cimiteriis ſepelire, aut in Eccleſiis veſtris Miſſarum ſolemnia, vel pro animabus eorum qui ad loca veſtra tumulandi feruntur, ibidem exequias celebrare, ſine veſtro aſſenſu, & voluntate pręſumant.

Quinam Fratrum Confeſſiones poſſint excipere?

Inhibemus inſuper univerſis Fratribus veſtri Ordinis, ne aliqui eorum, alii, quam Prelatis ſuis peccata ſua confiteri pręſumant, niſi neceſſitatis urgente articulo, vel niſi forſan Magiſter, vel Prior proprius alicui Fratri dederit Fratri alteri ejuſdem Ordinis licentiam confitendi. Univerſis autem Eccleſiarum Prelatis, & aliis inhibemus, ne confeſſiones veſtras, vobis invitis, audire, vel compellere vos ad Synodos, vel convocationes ſuas accedere, vel cum eis extra Civitatem, vel intra proceſſionaliter exire, aut ſuis conſtitutionibus ſubjacere, vel Capitula,

Quędam Epiſcopis interdicit.

ſcrutinia, vel inquiſitiones in locis veſtris, vel alibi de vobis facere, aut fidelitatem juramento firmatam, & annualem obedientiam a Prioribus, & Subprioribus veſtris exigere, aut de ipſorum inſtitutione, vel deſtitutione, ſive de ſtatutis veſtri Ordinis ſe aliquatenus intromittere, ſeu prohibere, ne ad Civitates, vel Villas, ubi religioſe, & honeſte commorari poſſitis, a populis evocati, audeatis accedere, ibique pro veſtris uſibus conſtruere ędificia, Eccleſias, ſeu Oratoria, aut in accedentes Fratres, ſeu

Exemptio a Canonica portione.

conſtruentes hujuſmodi, vel receptatores ipſorum, excommunicationis ſententiam ferre pręſumant. Concedimus quoque vobis, ut de illis, quę in ornamentis, vel pro eis, aut libris, fabrica, luminaribus, anniverſario, ſeptimo, viceſimo, triceſimo, ſive aliis ad perpetuum cultum divinum, ſeu pro pictantiis, aut victu ad ſuſtentationem veſtram, vel indumentis, necnon pro annuis cenſibus redimendis, ad quorum ſolutionem aliquę domus veſtri Ordinis obligatę noſcuntur, vel de domibus, prędiis, & ortis, aliiſque locis, vobis ſecundum inſtitutum veſtri Ordinis opportunis, aut de hiis, quę pro hujuſmodi domibus, prędiis, ortis, & locis emendis, vobis legantur, dummodo pręmiſſa non convertantur in alios uſus, ſed in illos duntaxat, pro quibus relinquuntur, aut alios etiam, qui in hac conceſſione, vel indulgentia continentur, nulli canonicam portionem aliquam teneamini exhibere. Et, ne quis a vobis, vel ultimarum executoribus voluntatum, ſeu a decedentium hęredibus de pręmiſſis, aut de hiis, quę vobis in ultimis voluntatibus abſolute legantur, vel alias pro veſtris neceſſitatibus conferuntur, aliquid exigere, vel extorquere pręſumat, diſtrictius inhibemus.

Translatis Cœnobiis, ſupellex, cęteraque id genus transferenda.

Ad hęc liceat Fratribus veſtri Ordinis eum de prioribus locis ſuis ad alia loca ſe transferunt, tam ędificia, ſeu omnem ędificiorum materiam locorum, quę dimittunt, dedicatis Eccleſiis duntaxat exceptis, quam libros, calices, & paramenta ſecum ad alia loca transferre, ac ędificia ipſa cum ſolo, & aliis ad eadem loca pertinentibus, pręter Eccleſias, vendere, ipſorumque pretium in aliorum locorum, ad quę dicti Fratres ſe transferunt, ędificationem, ſeu alias in eorum utilitatem convertere, ſecundum quod eis videbitur melius expedire.

Exemptio ab omni tributo.

Et, ne aliqui Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, aut alii Eccleſiarum Prelati, ſeu quęvis alia perſona eccleſiaſtica, vel ſecularis prędicta loca, ſeu bona occupare, accipere, vel uſurpare, aut quoquo modo ſibi vendicare pręſumant abſque dictę Sedis licentia ſpeciali, diſtrictius inhibemus.

Et a juriſdictione proprii Epiſcopi.

Indulgentes vobis, ut ad prętationem procurationum Legatorum prędictę Sedis, vel Nunciorum ipſius, ſeu Diœceſanorum locorum, aut exactionum, vel collectarum, ſeu ſubſidiorum, vel proviſionum quarumcunque minime teneamini, nec ad ea ſolvenda per litteras dictę Sedis, aut Legatorum, aut Nunciorum ejuſdem, ſeu Rectorum Terrarum Eccleſię Romanę impetratas, ſeu impoſterum impetrandas, cujuſcunque tenoris fuerint, in perpetuum compelli poſſitis, niſi dictę Sedis litterę impetrandę plenam, & expreſſam de indulto hujuſmodi, & de dicto Ordine fecerint mentionem. Ceterum cum felicis recordationis Innocentius Papa IIII, Prędeceſſor noſter, olim duxerit ſtatuendum, ut exempti, quantacunque gaudeant libertate, nihilominus tamen, ratione delicti, ſeu contractus, aut rei, de qua contra ipſos agitur, rite poſſint coram locorum Ordinariis conveniri, & illi, quoad hoc ſuam in illis juriſdictionem, prout jus exigit exercere. Nos, vobis ut occaſione Conſtitutionis hujuſmodi nullum libertatibus, & immunitatibus vobis, & Ordini veſtro per privilegia, & indulgentias ab Apoſtolica Sede conceſſis, vel impoſterum concedendis pręjudicium generetur, auctoritate prętentium, indulgemus; decernentes, vos, ſeu perſonas veſtri Ordinis in prędictis caſibus Ordinariis ipſis minime ſubjacere. Decernimus ergo irritum, & inane quicquid contra tenorem conceſſionum, conſtitutionum, & inhibitionum hujuſmodi per quoſcunque fuerit attemptatum, & interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententias, ſi quas contra conceſſiones, conſtitutiones, & inhibitiones eaſdem in vos, vel

Sanctio pœnalis.

veſtrum aliquos, vel loca veſtra, ſeu benefactores, vel executores, aut hęredes prędictos impoſterum promulgari contigerit, penitus non tenere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum conceſſionum, conſtitutionum, & inhibitionum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avinione II Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Ceterum, ut earundem litterarum tenor ſic inſertus omnimodam rei, ſeu facti certitudinem faciat, auctoritate Apoſtolica decernimus, ut illud idem robur, eamque vim, & eundem vigorem tenor ipſe per omnia habeat, quę haberent originales litterę ſupradictę, & eadem prorſus hujuſmodi tenori fides adhibeatur quandocunque, & ubicunque, ſive in judicio, vel alibi, ubi fuerit exhibitus, vel oſtenſus, & eidem ſtetur firmiter in omnibus, quę eiſdem originalibus litteris adhiberetur, ac ſicut eis ſtaretur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę, nec per hoc originales litteras dicti Gregorii, ſeu Boni-

Bonifatii, aut Benedicti, ad quorum inſtar illę ſunt editę, producere, ſeu oſtendere teneamini. Verum ne dubitationes, ac controverſię, quę alias vos pluribus laboribus, & expenſis vexaverunt, de cetero vobis fiant, de certa ſcientia decernimus, ut dictum privilegium Gregorii Papę XI in judicio, & extra in qualibet ſui diſpoſitione inviolabiliter obſervetur. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, illa pręſertim felicis recordationis Clementis Papę V, Prędeceſſoris noſtri edita in Concilio Vienneniſi, quę incipit: Dudum: necnon privilegiis, gratiis, & conceſſionibus Apoſtolicis in genere, vel in ſpecie quibuſvis perſonis, Eccleſiis, ſive locis, conceſſis, ſub quavis forma, vel expreſſione verborum, etiam ſi de eis habenda eſſet in pręſentibus mentio ſpecialis, ſeu per quę pręſentibus non expreſſa, aut totaliter de verbo ad verbum non inſerta, earum in toto, ſeu in aliqua parte ſui effectus poſſet aliqualiter impediri, & aliis contrariis quibuſcunque. Nos autem ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper hiis, aut eorum aliquo, a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attemptari. Declarantes, clauſulam illam videlicet: Salva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum, a quibus mortuorum corpora aſſumuntur: in omnibus aliis debere intelligi, pręterquam in hiis, de quibus in ipſo privilegio ſpecialiter cavetur, quod canonica portio minime exigatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę innovationis, communitionis, voluntatis, conſtitutionis, & declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XII Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Decimo. Ceterum ut quarumlibet litterarum earundem tenor ſic inſertus omnimodam rei, ſeu facti certitudinem faciat, auctoritate Apoſtolica prędicta decernimus, ut illud idem robur, eamque vim, eumque vigorem tenor ipſe per omnia habeat, quę haberent ſingulę originales litterę ſupradictę, & eadem prorſus hujuſmodi tenori fides adhibeatur quandocunque, & ubicunque, ſive in judicio, & alibi fuerit exhibitus, vel oſtenſus, ac eidem ſtetur firmiter in omnibus, quę ſingulis eiſdem originalibus litteris adhiberetur, ac ſicut eis ſtaretur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę, nec per hoc originales litteras Gregorii, ſeu Bonifatii, aut Benedicti, vel Martini hujuſmodi, pręfati Magiſter, Priores, & Fratres producere, ſeu oſtendere teneantur. Volentes etiam, ac auctoritate Apoſtolica, & ſcientia ſupradictis, harum ſerie decernentes, quod Privilegium Gregorii Papę XI hujuſmodi in judicio, & extra in qualibet ſui diſpoſitione inviolabiliter obſervetur. Non obſtantibus conſtitutionibus, illa pręſertim pię memorię Clementis Papę V, etiam Prędeceſſoris noſtri, in Concilio Vienneniſi edita, quę incipit: Dudum: necnon privilegiis, gratiis, & conceſſionibus Apoſtolicis in genere, vel in ſpecie quibuſvis perſonis, Eccleſiis, ſive locis, ſub quavis forma, aut verborum expreſſione conceſſis, etiamſi de illis in pręſentibus habenda foret mentio ſpecialis, ſeu per quę pręſentibus non expreſſa, aut totaliter de verbo ad verbum non inſerta, earum in toto, ſeu in aliqua parte ſui effectus poſſet aliqualiter impediri, & aliis contrariis quibuſcunque. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper hiis, vel eorum aliquo, a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtrę innovationis, confirmationis, communitionis, conſtitutionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo, Tertio Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

V
X
X
X

Super plicum, ſeu partem inſtenam, legitur.

Duplicata pro Juſtino

M. de Piſtoria.

W. Colonzoun.

F. de Laude

A tergo.

R.

1. *Privilegia.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo.*

2. *Archivo.*) In quo Duplex Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur, Duplex ibidem aſſervatur Exemplar, Authenticum unum ex Authógrapho *Neapolitano*, aliud ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXVIII fol. 198.* Legitur apud *Uſuſmarem pag. 110.*

Anno 1440 Die 1 Maii.

F. Henricus Caltyſen (1) Magiſter Sacri Palatii Apoſtolici creatur.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCVIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Dilecto filio Henrico Caltyſen., Ordinis Prędicatorum & Theologię Profeſſori, ac Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

RElígionis zelus, ſub qua prębes Altiſſimo famulatum, literarum quoque ſcientia, vitę, ac morum decor, alięque virtutes, quibus pollere dignoſceris, Nos inducunt, ut te ſpeciali favore, & honoris gratia proſequamur. Ex premiſſis igitur de probitate tua ſumentes in Domino fiduciam ſpecialem, te Magiſtrum Sacri Palatii Apoſtolici cum officio, exercitio, emolumentis, honoribus, & oneribus conſuetis, auctoritate Apoſtolica facimus, conſtituimus (4), & deputamus; tibi nihilominus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, & indultis, quibus ceteri Palatii dicti Magiſtri, qui pro tempore fuerunt, uti, & gaudere potuerunt, ſeu etiam debuerunt, de conſuetudine, vel de jure, plene gaudeas, & utaris, harum ſerie concedentes. Nulli ergo &c. noſtrę factionis, conſtitutionis, deputationis, & conceſſionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo, Kalendis Maii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Henricus Caltyſen.*) Seu *Kaltyſen*, ut in ipſius Epitaphio *Confluentia* legere eſt. *Kalt-Eyſen* nuncupatur ab *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCLXV pag.* 828. In *Faſtis Academicis Lovanien. Cap. XIV* Valerius Andreas ipſum corrupte vocat *Calſer.* Patria fuit *Confluentinus.* Hinc *Henricus de Confluentia* dicitur a *Johanne Nyder Lib. III Formicarii Cap. II.* Ejuſdem meminere quamplures Scriptores, quos laudat & excipit *Echard* mox citatus. Eos inter *Eyſengrenius ad annum MCCCLXIII* Henricum noſtrum *virum diſertiſſimum, non minus vita, quam eloquentia ſpectatum, Theologorum ſuæ ætatis Principem* fuiſſe, teſtatur. Floruit *Henricus* in *Baſileenſi* Concilio adverſus *Bohemos*, ut videre eſt ex *Ænea Sylvio*, poſtea *Pio II*, in *Hiſtoria Bohemica* apud *Ortvvinum Gratium* in *Faſciculo rerum expetendarum pag.* 255, & inter Scriptores *Bohemicos Freheri pag.* 118. Ipſe eſt *Henricus* cognomento *Frigidum ferrum*, qui *Johanne Cochlæo* teſte in *Hiſtoria Huſſitarum Lib. VI ad an. MCCCCXXXIII* per tres dies reſpondit ad Tertium Articulum *Bohemorum.* Is ipſe ſiquidem *Henricus, Kaltyſen*, & *Kalteiſen* nominatur ab aliis, qui *Diſſertationem*, ſeu *Orationem* illam per triduum habitam in Concilio *Baſileenſi*, tranſcribunt. Conſulendi *Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCCXXXIII num. CCLIV*, *Caniſius Tomo IV Lect. Antiq.*, *Binius*, & *Labbeus* in *Concil. Baſileen.* Nec iſtis adverſatur *Cochlæus*, ſed vernaculum cognomen *Henrici* latine ſcribit. *Germani* etenim Frigidum *Kalt*, Ferrum *Eyſen* appellant.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXVIII fol.* 187.

3. *Magiſtro.*) Sic etiam legitur in ipſius Epitaphio. *Anno MCCCCLXV Secunda Octobris obiit R. D. Henricus a Kaltyſen Ord. Prædic. SS. Palatii Magiſter, Archiepiſcopus Nidroſien., & Cæſarien. filius hujus Conventus*, Confluentiæ ſcilicet, in *Germania.* Quod *Henricus* fuerit Archiepiſcopus, dicitur in *Appendice ad Pontificatum Nicolai V.*

4. *Conſtituimus.*) Emendandus igitur *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Magiſtrorum Sacri Palatii pag.* 12, ubi docet, *Henricum* anno dumtaxat *MCCCCXLIII* hoc munus obiiſſe. Adeas *Fontanam Theatro Dominicano Parte II Cap. V num. XXXII pag.* 439.

Anno 1440 Die 14 Maii.

Septenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCIX.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Petro Epiſcopo Tibitiaden. (3) Ulixbonen. (4) reſidenti, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrę Religionis, ſub qua dilecti filii Conventus Domus Sancti Georgii Cepten., (5) Ordinis Fratrum Prędicatorum, devotum, & ſedulum exhibent Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut eorum votis, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dictorum Conventus, petitio continebat, quod olim, poſtquam clarę memorię Johannes (6) Portugallię, & Algarbii Rex cum ſuo fidelium exercitu omnes infideles, & mirificę Crucis inimicos, qui locum Ceptę in Africa detinebant, Domino cooperante, devicerat, & de illo penitus expulerat (7), antequam locus ipſe in Civitatem, prout nunc eſt, per creationem inibi Epiſcopi auctoritate Apoſtolica erigeretur, nonnulli dicti Ordinis profeſſores ad catholicę fidei, & hujuſmodi Religionis propagationem ac Divini cultus augmentum, fervore devotionis anhelantes, de voluntate, & conſenſu ejuſdem Regis, quin immo, & ejus auxilio, ac favore, unam, Miſchitam (8) nuncupatam per eoſdem infideles venuſto opere fabricatam, in qua ipſi pro ſuorum cultu rituum ſimul convenire, & aliam, quam certæ ex ipſis infidelibus familiæ inhabitare, ante expulſionem hujuſmodi, conſueverant, ędes in Civitate, tunc loco, hujuſmodi ſitas ſucceſſive receperunt, & Miſchitam nuncupatam in Domum cum Eccleſia, ac reliquas ędes hujuſmodi, in Capellam ſub vocabulo Beatę Virginis Marię de Africa erexerunt, in ipſaque Domo ex poſt, ejuſdem Ordinis Fratres conventualiter degerunt, prout degunt de pręſenti, crebris orationibus, & vigiliis pro ſingulis contra dictos infideles civitati ipſi ſatis vicinos (9) pro eadem fide pugnantibus, ad Dominum inſiſtentes, ac quandoque proprias eorum perſonas gravibus periculis propterea exponentes. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, pręfati conventus necnon dicti profeſſores ſuper eo quod de novo receperunt ędes, ac illas in Domum cum Eccleſia, & in Capellam hujuſmodi erexerunt, ut prefertur, Apoſtolicę Sedis licentiam prę habuiſſe prorſus ignorent, necnon licet ipſi in dictę Capellę, cui dote carenti, & plurimis, quę Deus ex ipſius glorioſę Virginis meritis inibi operari dignatus eſt, miraculis coruſcanti, pię oblationes, & eleemoſynę per eoſdem fideles pro tempore

Supplex petitio.

ero-

Digitized by Google

erogantur, poſſeſſione pacifica continuo extiterint, & exiſtant, ſingulis diebus inibi Miſſas, & alia Divina officia celebrantes, pro eo tamen, quod Capellam ipſam ad eos, ſeu Domum, & Ordinem prefatos de jure ſpectare nullo legitimo conſtet documento, timeant, ſuper ea ſe poſſe in poſterum moleſtari, pro parte eorundem Conventus, aſſerentium, ſe plerumque victualibus, ſuſtentationi eorum neceſſariis, in eadem Civitate carere, ac ex hujuſmodi oblationibus, & eleemoſynis non modicum deſuper relevamen ſuſcipere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut profeſſores predictos, quatenus abſque dictę Sedis licentia ędes de novo receperint, ac illas in Domum cum Eccleſia, ac in Capellam hujuſmodi, erexerint, ſi qui ex eis ſupervivant, necnon Conventum, & Fratres eoſdem, qui Domum prefatam, abſque ſimili licentia inhabitarunt, & inhabitant, a quibuſcunque pęnis, ſententiis, & cenſuris Eccleſiaſticis, quas propterea incurriſſe noſcantur, abſolvere, ac erectiones Domus, Eccleſię, & Capellę hujuſmodi approbando, & confirmando, ipſis Conventui & Fratribus, quod dictam Domum perpetuo inhabitare valeant concedere, Capellam quoque prędictam eidem Domui in perpetuum applicare, & aſſignare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati suę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, profeſſores ſupervivente, in quantum abſque licentia ędes receperint, ac domum, Eccleſiam, & Capellam erexerint, necnon Conventum, & Fratres, ſuper eo, quod etiam abſque licentia Domum hujuſmodi inhabitarunt, ut prefertur, ſi hoc humiliter petierint, a pęnis, ſententiis, & cenſuris prędictis auctoritate noſtra hac vice duntaxat abſolvas, in forma Eccleſię conſueta, injunctis inde ſibi pro modo culpę pęnitentia ſalutari, & aliis, quę de jure fuerint injungenda, & nihilominus erectiones domus, Eccleſię & Capellę hujuſmodi approbans, & confirmans, ipſis Conventui, & Fratribus, quod habitationem in Domo hujuſmodi perpetuo continuare, libere & licite valeant, concedas, necnon Capellam prędictam, cui iidem Conventus in Divinis diligenter deſerviri facere pro tempore debeant, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis prefatę Domui in perpetuum applices, appropries, & aſſignes, eamque ad Conventum, domum, & Ordinem prędictos pleno jure ſpectare, & pertinere, decernas auctoritate noſtra ſupradicta, faciens ipſos Conventum pacifica ejuſdem Capellę poſſeſſione, ac oblationum, & eleemoſynarum inibi pro tempore obvenientium, integra perceptione gaudere. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, ac Ordinis prędicti, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo, Pridie Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Decimo. Indultum.

1\. *Septenſis.*) vulgo *Ceuta*, in *Habata* Provincia Regni *Fezæ* in *Africa*, juxta fretum *Herculeum*.
2\. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXVII fol.* 275.
3\. *Tibiriaden.*) *Tiberiaden.*, vulgo *Tiberiade*, ſeu *Geneſareth*, in *Galilæa*.
4\. *Ulixbonen.*) *Ulyſſippone*, *Lisboa*, in *Luſitania* Regno.
5\. *Cepten.*) *Septen*.
6\. *Johannes.*) Hujus nominis *I*.
7\. *Eapulerat.*) Anno *MCCCCX*, vel *MCCCCXV*, ut aliis placet.
8\. *Miſchitam.*) Seu *Turcarum* Templum.
9\. *Vicinos.*) Nunc etiam *Mauri Septam* tenent obſeſſam.

Firmat ſententiam, qua Fratribus Cœnobii S. Geminiani (1) adjudicatur Eccleſia S. Laurentii *Al Ponte*.

Anno 1440 Die 18 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. CCX.

SAcrę Religionis, ſub qua dilecti filii Prior, & Fratres Sancti Dominici, alias Annunciatę, Terrę Sancti Geminiani, Ordinis Fratrum Prędicatorum Vulteran. Dięceſis, devotum & ſedulum exhibent Domino famulatum, promeretur honeſtas, ut votis eorum, in his preſertim, per quę ipſorum & dictę Domus tranquillitati, & commoditati, ac jurium conſervationi conſulitur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Sane petitio, pro parte Prioris, & Conventus dictorum Nobis nuper exhibita, continebat, quod cum dudum inter eos ex una, & dilectos filios Capitulum Eccleſię Plebis nuncupatę Sancti Geminiani de dicta Terra, ex alia, & Antonium Stephani de Genteluzzis Clericum dictę Dięceſis ex reliqua, Partibus, ſuper Eccleſia ſine Cura, & Oratorio Sancti Laurentii Al Ponte de dicta Terra, qualibet partium earundem, Eccleſiam, & Oratorium hujuſmodi ad ſe de jure ſpectare aſſerente, quęſtio verteretur, tandem partes ipſę ſuper hoc in dilectum filium noſtrum Julianum (3) tituli Sanctę Sabinę, Presbyterum Cardinalem, tanquam in arbitrum, arbitratorem, & amicabilem compoſitorem, ſub certis modo, & forma, ac pęna compromiſerunt, dictuſque Cardinalis, compromiſſo in ſe ſuſcepto, ęquum poſtmodum tulit arbitrium inter eos, utrimque receptum, prout in compromiſſi, & arbitrii eorundem Inſtrumentis, ejuſdem Cardinalis ſigillo munitis, quorum tenorem preſentibus de verbo ad verbum inſeri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte Prioris, & Conventus prędictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Cardinalis arbitrio hujuſmodi robur Apoſtolicę confirmationis adiicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Inſtrumenta & arbitrium per Cardinalem latum, ut prefertur, ac omnia inde ſecuta, rata habentes, & grata, illa auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes, omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Tenor vero Inſtrumentorum prędictorum, compromiſſi videlicet, talis eſt. In Dei Nomine Amen. Anno a Nativitate ejuſdem Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo, Indictione Tertia, die vero un-

Diplomatis cauſa.

Confirmatio.

undecima Menſis Martii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Eugenii, Divina providentia Papę Quarti, Anno Decimo. Noverint univerſi, & ſinguli hoc pręſens publicum Inſtrumentum inſpecturi, viſuri, lecturi, & audituri, quod inſtituti perſonaliter in pręſentia mei Notarii publici, teſtiumque infraſcriptorum, venerabilis Dominus Frater Jacobus de Regno, Generalis Procurator totius Ordinis Prędicatorum, ac aſſertus Procurator, & vice, & nomine honorabilium Prioris, Fratrum, & Conventus Monaſterii Sancti Dominici, alias Annunciatę de Sancto Geminiano, Vulteran. Dięceſis, ex una, & venerabilis vir Ser (4) Petrus de Sancto Geminiano Apoſtolicę Camerę Notarius, Syndicus circumſpectorum virorum Canonicorum, & Capituli Plebis Sancti Geminiani prędicti Procurator, ut conſtare vidi publico documento ſuſcepto, & publicato per diſcretum virum Hieronymum Nicolai Bindi Notarium de Sancto Geminiano ſub die quinta pręſentis Menſis Martii, ac etiam tanquam Procurator Generalis, & proprio nomine egregii viri Domini Antonii Ser Stephani de Gemeluzzis de Sancto Geminiano Prioris Sanctorum Leonardi, & Petri de Caſtaglia vecchia extra Muros Sancti Geminiani prędicti, dictę Vulteran. Dięceſis, de qua procuratione conſtare dixit publico Inſtrumento manu Magiſtri Johannis Pilleii Clerici Cameracen. Dięceſis, ſub die Quinta Menſis Februarii proxime pręteriti, ad infraſcripta, & alia faciendum, prout in dictis Inſtrumentis plenius continetur, partibus, ex altera, de communi concordia commiſerunt, & compromiſerunt, in Reverendiſſimum in Chriſto Patrem, & Dominum, Dominum Julianum, Miſeratione Divina tituli Sanctę Sabinę Sacroſanctę Romanę Eccleſię Presbyterum Cardinalem, tanquam in arbitrum, arbitratorem, & amicabilem Compoſitorem, amicum communem, & bonum virum, omnes, & ſingulas lites, cauſas, quęſtiones, & differentias inter dictas partes vertentes, & quę verti, oriri, & eſſe poſſint uſque in diem duraturi pręſentis compromiſſi, & tam ortas, quam oriundas, quacunque ratione, jure, vel cauſa, & pręſertim ſuper juribus, & rationibus habitis, ſive acquiſitis, de Eccleſia, & Oratorio Sancti Laurentii Al Ponte ſitis in Sancto Geminiano, aut ſuper Eccleſia, & Oratorio prędictis, ac dominio, & proprietate, & fructibus, redditibus, proventibus, & cenſibus hujuſmodi Eccleſię, & Oratorii, dantes, & concedentes dictę partes dicto Arbitro, & Arbitratori plenam auctoritatem, & poteſtatem, & baliam (5) in prędictis, ac dominio, & proprietate, & fructibus, redditibus, proventibus, & cenſibus hujuſmodi Eccleſię, & Oratorii dantes, & concedentes dictę Partes dicto Arbitro, & Arbitratori plenam auctoritatem, & poteſtatem, & baliam, in prędictis, & ſuper prędictis, & qualibet earum de jure, de facto, & de jure tantum, & de facto tantum, ſemel, & pluries, & quoties dictus Dominus Arbiter, & Arbitrator voluerit, laudandi, ſententiandi, & arbitrandi, pronuntiandi, declarandi, adjudicandi, & amicabiliter componendi, dandi, concedendi, & aſſignandi, juris ordine ſervato, & non ſervato, in ſcriptis, & ſine ſcriptis, partibus pręſentibus, vel abſentibus, partibus citatis, & non citatis, una parte citata, & altera non, ſedendo, & recte ſtando, ſeu eundo, breviter, & ſummarie, ſine ſtrepitu, & figura judicii, & de plano, omni hora, loco, & tempore, non obſtantibus aliquibus feriis, & ipſius Domini Arbitri Laudum, arbitrium, diffinitiones, pronuntiationes, declarationes, adjudicationes, ſententias, & pręcepta, & quamlibet earum partem, ſemel, & pluries, & quantumcunque voluerit, corrigendi, interpretandi, & declarandi, etiam ad voluntatem ipſius Domini Arbitri omni hora, loco, & tempore, & quandocunque, etiam infra terminum dicti compromiſſi, hoc actum, & per pactum expreſſum appoſitum inter ipſos compromittentes in compromiſſo pręſenti, quod de omnibus, & ſingulis his, quę, ſeu de quibus, per dictum Dominum arbitrum laudari, & arbitrari continget, intelligantur, lites fuiſſe & quęſtiones eſſe inter dictas partes, & de his expreſſe compromiſſum fuiſſe in compromiſſo, pręſenti, & haberi, & cenſeri debeant, ac ſi de eis in pręſenti compromiſſo ſpecialis mentio haberetur, necnon promittentes dicti compromittentes dictis nominibus ſibi invicem, & viciſſim, ſolemnibus ſtipulationibus hinc inde intervenientibus, ſtare, parere, obſervare, & obedire, & executioni mandare, & mandari facere cum effectu omnibus, & ſingulis laudis, arbitriis, diffinitionibus, pronuntiationibus, & ſententiis, vel eorum aliquo, vel eorum, vel alicujus eorum parte, articulo, capitulo, vel membro, non appellare, vel appellationis cauſam proſequi, nec de nullitate, vel iniquitate opponere, nec petere ipſa, vel eorum aliquod, totaliter, vel in parte corrigi, vel emendari, vel ad arbitrium boni viri deduci, & pręſens compromiſſum, & omnia, ſecuta, & quę ſequerentur ex eis, vel aliquo eorum, perpetuo firma, & rata habere, tenere, obſervare, & in nullo contra facere, vel venire, per ſe, vel alium, ſeu alios, aliqua ratione, jure, modo, vel cauſa, & non erit contra factum, vel ventum ſub pęna Ducentorum Florenorum auri de Camera, medietatem parti obſervanti, & reliquam medietatem Apoſtolicę Camerę applicando, & ſolvendo per partem non obſervantem, & ſub refectione damnorum, expenſarum, & intereſſe litis, & extra, & prędicta pęna ſoluta, vel non, commiſſa, vel non, prędicta omnia, & ſingula ſcripta, & infraſcripta, ex quo laudari, & arbitrari continget, nihilominus perpetuo firma perdurent, pro quibus omnibus, & ſingulis obſervandis & prędicta pęna ſolvenda, ſi, & quoties commiſſa fuerit, pręfatę partes dictis nominibus uni, alteri, invicem, & e converſo dictos ſuos principales, eorumque hęredes, ſucceſſores, & bona pręſentia, & futura, eccleſiaſtica, & mundana obligarunt, & hypothecarunt, renunciantes omnibus, & ſingulis exceptionibus, juribus, indultis, privilegiis, atque gratiis, quibus mediantibus, compromiſſum, vel aliquod pręmiſſorum dicere, facere, vel annullare poſſent, & exceptionibus, non ſic facti, & celebrati contractus, aliter fuiſſe dictum, recitatum, quam ſcriptum, doli mali in factum actioni, conditioni, ſine cauſa, & ex injuſta cauſa, omnique juris, legis, & conſtitutionis auxilio, & legi, & exceptioni dicenti generalem renunciationem non valere, niſi pręceſſerit ſpecialis, totaliter renunciaverunt, necnon Partes pręfatę dictis nominibus promiſerunt hinc inde, atque in, & ſuper omnia dictorum ſuorum principalium, & dominorum Scripturis corporaliter manibus tactis juraverunt, prędicta omnia, & ſingula ſupra per eos promiſſa, geſta, & facta, & quę laudata, ſententiata, declarata, pronuntiata, adjudicata, & conceſſa fuerint, attendere, facere, & obſervare, ut ſupra promiſſum, & ſcriptum eſt, & erunt geſta, facta, adimpleta, & obſervata, ſub pęnis, & obligationibus ſuperius expreſſis, & compromiſſum dictę partes durare

vo-

volunt infra, & hinc ad viceſimam diem pręſentis menſis Martii, rogantes me Notarium infraſcriptum, ut de prędictis eis, & eorum cuilibet unum, & plura publicum, ſeu publica conficerem Inſtrumentum, & Inſtrumenta. Acta fuerunt hęc Florentię in Monaſterio beatę Marię de Servis in domo reſidentię domini Cardinalis, pręſentibus ibidem providis, & diſcretis viris Domino Petro Ferdinandi, Canonico Calsguritano, & Marino Silchow Clerico Zwermen. Diœceſum, teſtibus ad pręmiſſa vocatis ſpecialiter, & rogatis. Arbitrii vero hujuſmodi talis. Nos Julianus miſeratione divina tituli Sanctę Sabinę Sacroſanctę Romanę Eccleſię Presbyter Cardinalis Arbiter, & Arbitrator, & amicabilis compoſitor, & amicus communis, a ſupradictis partibus electus, & deputatus, prout in dicto compromiſſo in Noa facto plenius continetur, viſo dicto compromiſſo, poteſtate, arbitrio, & balia nobis a dictis partibus attributis, & attentis ſupradictis litibus dictarum partium, & ipſis partibus compromittentibus auditis, & eorum juribus, & quicquid dicere voluerunt examinatis, diſcuſſis, & intellectis, volenteſque poſſe omnes dictarum partium lites tollere, & ſedare, & ipſas ad concordiam, pacemque reducere, & omnem ſcandalorum materiam amputare, & unicuique ipſarum partium tribuere quod ſuum eſt, jus, & juſtitiam miniſtrando, ut ſic ceſſent lites, damna, ſcandala, ac impenſę, &, ut decet, Eccleſiaſticę perſonę tandem pacifice, & concorditer, perpetuent amorem, pacem, & benevolentiam, manutenendo, & augendo, moti cauſis pręfatis, & aliis, quę nos merito movere potuerunt, & debuerunt, ſedentes pro tribunali ad cautelam, omnibus, melioribus modo, via, jure, & forma, quo, qua, & quibus magis, & melius poſſumus, Chriſti nomine invocato, laudamus, pronuntiamus, ſententiamus, decernimus, declaramus, volumus, adjudicamus, & condemnamus in hunc modum, videlicet, quod Eccleſia & Oratorium Sancti Laurentii Al Ponte de Sancto Geminiano, cum omnibus redditibus, juribus, & pertinentiis ſuis ſit, & eſſe debeat, & ſpectare, ac pertinere in perpetuum ad dictos Priorem, Fratres, & Conventum Monaſterii, & ad Monaſterium, ſive Eccleſiam Sancti Dominici de Sancto Geminiano, quod Monaſterium, ſive Eccleſia intitulatur, ſub titulo, aut nomine Annunciatę glorioſiſſimę Virginis Marię, cum hoc quod dicti Prior, Fratres, & Conventus teneantur per decem annos continuos, a dato pręſentium computandos, proxime futuros, annis ſingulis in feſto Sancti Laurentii dare & ſolvere realiter, & cum effectu pręfato Domino Antonio pro damnis, & expenſis ſupportatis, ac etiam pro ſua remuneratione qua bona fide poſſidebat hujuſmodi Eccleſiam, & Oratorium, nomine penſionis, Florenos decem auri de Camera boni, & juſti ponderis, anno quolibet, dictis decem annis durantibus, donec quouſque erit proviſus de aliquo alio beneficio a Sanctiſſimo Domino Noſtro, vel Ordinario majoris valoris. Volentes, etiam & mandantes perpetuis temporibus Prępoſito, & Capitulo Plebis Sancti Geminiani ſolvi per dictos Priorem, Fratres, & Conventum, conſuetum cenſum trium librarum anno quolibet, recuſationibus, & denegationibus quibuſcunque ceſſantibus, mandantes etiam omnia prędicta inviolabiliter obſervari ſub pęnis in compromiſſo contentis. Latum, & datum fuit dictum laudum, ſententia, & arbitramentum per dictum Dominum Cardinalem, Arbitrum & Arbitratorem pręfatum ſub Anno, Indictione, die, menſe, Pontificatu, loco. & teſtibus prędictis, pręſentibus ſupradictis Dominis Magiſtro Jacobo, & Ser Petro, & dictis nominibus omnia prędicta ratificantibus, & acceptantibus, rogantibus etiam, ut de prędictis ſimiliter facerent Inſtrumentum & Inſtrumenta una cum appenſione ſigilli dicti Domini Cardinalis ad majorem firmitatem, & robur pręmiſſorum omnium. Et ego Bartholomęus de Battiferris, Clericus Lunen. Diœceſis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, pręfati Domini Cardinalis Secretarius, pręmiſſis omnibus, & ſingulis, dum ſic, ut pręmittitur, fierent, & agerentur, una cum pręnominatis teſtibus pręſens interfui, & ea omnia ſic fieri vidi & audivi, & in notam recepi, ex qua hoc preſens publicum Inſtrumentum manu aliena, me aliis occupato negotiis, fideliter ſcriptum, in hanc publicam formam redegi, & ſubſcripſi, ſignoque, & nomine meis ſolitis, & conſuetis una cum appenſione ſigilli dicti Domini Cardinalis ſignavi in fidem, & teſtimonium omnium, & ſingulorum pręmiſſorum, vocatus, & rogatus. Nulli ergo &c. Noſtrę confirmationis, & communitionis, & ſuppletionis infringere &c. Si quis &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo, Quinto Decimo Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Tenor Sententię.

1. *S. Geminiani.*) In *Hetruria*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXVIII fol.* 198.
3. *Julianum.*) *Ceſarinum*, Romanum, familiæ ſplendore illuſtrem, & prudentia clarum, ut, inquit *Oldoinus* apud *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal.* Tomo II *ad an.* MCCCCXVII *pag.* 861.
4. *Ser.*) Idem ac Dominus.
5. *Baliam.*) Id eſt Summam auctoritatem, & adminiſtrationem.

De Albenſi (1) Cœnobio reficiendo.

Anno 1440 Die 15 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCXI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Domus Sancti Dominici Alben., & Thebaldo (3) de Boſcho, & Bartholomęo de Janua profeſſoribus, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Eccleſiarum & Monaſteriorum, & aliorum Religioſorum locorum fabricis, necnon perſonarum in illis, ſub habitu, & obſervantia regularibus, degentium omnium, neceſſitatibus, manus porrigere adjutrices pium apud Deum, & meritorium reputantes, nonnunquam Chriſti fideles ad impendendum talibus opportuna ſuffragia, indulgentiis videlicet, & remiſſionibus excitamus, ut exinde reddantur dominico gregi aptiores. Cum itaque, ſicut accepimus, Domus Sancti Dominici Alben. Ordinis Fratrum Prędicatorum in Eccleſia, ac nonnullis aliis ſtructuris, & ędificiis ſuis, imperfecta remanſerit, & re-

Diplomatis cauſa.

Digitized by Google

remaneat, ac pluribus officinis ad conventualitatem neceſſariis indigere noſcatur, & alias dilecti filii Prior protempore exiſtens, & Fratres, qui in Domo ipſa, videlicet poſt illius noviter factam reformationem, ſub regulari dicti Ordinis obſervantia & arcta paupertate die, ac nocte, divina inibi officia celebrando, copioſo etiam numero permaneant, a civibus, & incolis, civitatis Alben. propter eorum paupertatem, ſeu alias ſiniſtras temporum conditiones mediam partem neceſſariorum eis ad victum, & veſtitum pro tempore ingruentium, ſuſcipere nequeant, quodque propterea ad hoc aliunde fidelium ſuffragiis opus exiſtat; Nos cupientes, ut Eccleſia, ac ſtructurę & ędificia ad perfectionem debitam deducantur, necnon officinę hujuſmodi congrue conſtruantur, & ut dicti Prior, & Fratres in
Indultum. Domo ſua commodius Altiſſimo vota reddere, & populo proficere valeant, necnon fideles illarum partium ad impendendum in pręmiſſis auxilia opportuna eo ferventius animentur, quo ex inde ſuarum animarum ſalutem ſe ſperaverint adipiſci, vobis, & veſtrum cuilibet, ut omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus utriuſque ſexus, uſque ad numerum centum incluſive duntaxat, qui, ſi vir, & uxor fuerint, & inter ambos ſeptem, ſi vero alii exiterint, & ſinguli eorum quinque florenos auri de camera, ſeu tantumdem in aliis eorum rebus, ſeu bonis, ad fabricam Eccleſię, ſeu ſtructurarum, & ędificiorum, aut officinarum, vel alias ad utilitatem Domus hujuſmodi, ſeu illius Prioris, & Fratrum ſub hujuſmodi obſervantia pro tempore exiſtentium, infra annum a die publicationis pręſentium computandum, realiter & cum effectu perſolverint, ſeu aſſignaverint, quod ſinguli Confeſſores, quos ſinguli fideles prędicti poſt ipſorum perſolutionem, ſeu aſſignationem hujuſmodi duxerint eligendos, omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, ſemel tantum in mortis articulo eiſdem fidelibus tunc confeſſis in ſinceritate fidei, unitate Romanę Eccleſię, ac obedientia, & devotione noſtra, necnon Succeſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, canonice intrantium perſiſtentibus, auctoritate Apoſtolica concedere valeant, indulgere poſſitis, ac quilibet veſtrum poſſit, auctoritate prędicta, tenore pręſentium, concedimus facultatem, ſic tamen quod Confeſſores pręfati de his de quibus fuerit alteri ſatiſfactio impendenda, illam fidelibus eiſdem ſic confeſſis per ſe, ſi ſupervixerint, aut per hęredes ſuos, ſi tunc forſan tranſierint, faciendam injungant, quam ipſi, vel illi facere teneantur, ut pręfertur, & ne, quod abſit, dicti fideles propter hujuſmodi conceſſionem reddantur procliviores ad illicita in poſterum committenda volumus, quod ſi ex confidentia remiſſionis hujuſmodi aliqua forte committerent, quoad illa; prędicta remiſſio, eis nullatenus ſuffragetur, quodque ſinguli fideles prędicti per unum annum a tempore, quo hujuſmodi conceſſione potiri deliberaverint, computandum, ſingulis ſextis feriis, impedimento ceſſante legitimo, jejunent, &, ſi in dictis feriis ex pręcepto Eccleſię, injuncta penitentia, voto, vel alias jejunare teneantur, una alia die ſingularum ſeptimanarum ejuſdem anni, qua ad jejunandum, ut pręmittitur, non ſint aſtricti, jejunent, quodque, ſi in dicto anno, vel aliqua ejus parte impediti legitime fuerint, anno ſequenti, vel alias, quamprimum poterint, modo ſimili ſupplere hujuſmodi jejunium in toto, vel in parte, quod ſi id commode adimplere nequiverint, eo caſu confeſſores idonei, quos ad id elegerint, jejunium ipſum in alia pietatis opera, prout hujuſmodi ſuarum animarum ſaluti expedire viderint, commutare valeant, quę prędicti Confeſſi pari modo debeant adimplere, alioquin quoad pręmiſſa non obſervantes conceſſio ipſa nullius ſit roboris, vel momenti. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo, Quinto Decimo Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Alben.*) In Ducatu *Montisferrati*, in *Italia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* CXXVIII *fol.* 54.
3. *Thebaldo.*) Seu *Theobaldo*.

Anno 1440
Die 12 Julii.

Confirmat donationem (1) Monaſterii Sanctæ Mariæ Fratribus noſtris in Civitate Peruſin. degentibus factam.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCXII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium. EA, quę pro Eccleſiaſticorum locorum quorumlibet conſervatione, & directione, necnon in eis divini cultus augmento, ex auctoritate noſtra provide proceſſiſſe comperimus, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolico muninine roboramus. Dudum ſiquidem pro parte dilectorum filiorum Prioris & Fratrum Domus Sancti Dominici Peruſin. Ordinis Fratrum Prędicatorum, inter cetera Nobis expoſito, quod dudum antea, poſtquam Monaſterium Monialium Beatę Marię de Virginibus Peruſin. Monaſterio Monialium Sanctę Margaritę in ſuburbiis Peruſin. Sancti Auguſtini, & Sancti
Diplomatis cauſa. Benedicti, Ordinum, auctoritate Apoſtolica unitum, & incorporatum, ejuſque Moniales ad pręfatum Monaſterium Sanctę Margaritę translatę extiterant, dilectę in Chriſto filię Abbatiſſa, & Conventus pręfati Monaſterii Sanctę Margaritę, dictum Monaſterium Beatę Marię Priori, & Fratribus prędictis, ita quod in illo quatuor, ſeu tres ex eis ſub regulari obſervantia degentes inibi habitarent, & divina officia celebrarent, quodque eis non liceret illud deſerere, vel alteri concedere, aut ad alios uſus deputare, & quod inquantum extra illud per duos menſes permanerent, quod ex tunc ipſum Monaſterium Beatę Marię Abbatiſſę, & Conventui prędictis, ſicut prius libere remaneret, ac ſub aliis modis, & conditionibus, tunc expreſſis, conceſſerant, & per eoſdem exponentes ſubjuncto quod dictum Monaſterium Beatę Marię, in ſuis ſtructuris ruinam minabatur, quodque illud pro ejus reparatione, & conſervatione, & ne ad profanos uſus deduceretur, nonnullis civibus Peruſin. de Congregatione, ſeu Societate Diſciplinatorum (3) Civitatis noſtrę Peruſin. concedere proponebant, Nos tunc dilecto filio Johanni, Abbati Monaſterii S. Pauli extra muros Urbis in Civitate prędicta tunc commoranti, per alias

alias noſtras literas dedimus in mandatis, ut, vocatis Abbatiſſa, & Conventu pręfatis, & aliis, qui forent evocandi, ſuper pręmiſſis ſe diligenter informaret, &, ſi per informationem ipſam ea vera eſſe reperiret, ſuam deſuper onerando conſcientiam, Monaſterium Beatę Marię pręcdictum ab eodem Monaſterio Sanctę Margaritę auctoritate noſtra ſepararet, ac Priori, & Fratribus, illud civibus pręcdictis concedendi, & aſſignandi, ac alias de eo bene & libere diſponendi, & divina inibi officia celebrari faciendi, eadem auctoritate Apoſtolica, licentiam largiretur. Poſtmodum vero, ſicut pro parte Prioris, & Fratrum, necnon Congregationis, ſeu Societatis Diſciplinatorum pręcdictorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, pręfatus Abbas ad executionem literarum earundem, ipſarum forma ſervata, procedens, dictum Monaſterium Beatę Marię a pręfato Monaſterio Beatę Margaritę auctoritate Apoſtolica pręcdicta, & totaliter ſegregavit, ac Priori, & Fratribus pręcdictis, ut pręfatum Monaſterium Beatę Marię, Congregationi, ſeu, ſocietati Civium Diſciplinatorum hujuſmodi perpetuo aſſignarent, & de illo libere diſponerent eadem auctoritate licentiam conceſſit, ita quod in illo alias juxta literarum pręcdictarum continentiam, atque formam, Divina officia celebrari deberent, & ſucceſſive Prior, & Fratres pręcdicti vigore licentię eis conceſſę hujuſmodi, Eccleſia, Sacriſtia, ac quadam illi contigua Domo pro ipſis ſpecialiter reſervatis, reliqua omnia habitationes, hortos, ſtructuras, & ędificia tunc ſpecialiter deſignata, & expreſſa, dicti Monaſterii Beatę Marię, Congregationi, ſeu Societati Diſciplinatorum hujuſmodi per ipſos, & eorum ſucceſſores de Congregatione, ſeu Societate hujuſmodi perpetuo habenda, tenenda, & poſſidenda, ita quod illa nullo unquam tempore vendere, ſeu alienare valerent, & ſub certis aliis modis, formis, & conditionibus rationabilibus tunc expreſſis, Abbatiſſę, & Conventus pręcdictarum ſpeciali conſenſu, voluntate, ſeu conceſſione ad id tunc etiam accedente, dederunt pariter, & conceſſerunt, prout in literis pręcdictis, ac diverſis ſuper licentia Priori, & Fratribus, necnon ſuper, Congregationi, ſeu Societati factis, conceſſionibus hujuſmodi, confectis Inſtrumentis plenius continetur. Quare pro parte Prioris, & Fratrum, necnon Congregationis, ſeu Societatis Diſciplinatorum pręcdictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſioni, vigore literarum hujuſmodi, ac omnibus & ſingulis in dictis Inſtrumentis contentis, & inde ſecutis, pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tam per Abbatem, quam per Priorem & Fratres factas conceſſiones, necnon conditiones, modos, & formas, ac alia omnia, & ſingula in Inſtrumentis contenta, & inde ſecuta hujuſmodi, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Per hoc autem Congregationem, ſeu Societatem Diſciplinatorum hujuſmodi alias non intendimus approbare. Nulli ergo &c. Noſtrę confirmationis, communitionis, & ſuppletionis infringere &c. Si quis &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo, Quarto Idus Julii Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Confirmatio.

Sanctio pœnalis.

1. *Donationem.*) Conſulenda Conſtitutio *CLXVIII* data *IV Februarii MCCCCXXXVIII.* Legitur *pag.* 83.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXVIII fol.* 107.

3. *Diſciplinatorum.*) De quibus in *Notis ad Conſtitutionem* mox laudatam.

Anno 1440 Die 3 Augusti.

Confirmat damnationem aliquorum Articulorum (1) Philippi Norreys contra Fratres Prædicatores, & alios Fratres Mendicantes.

Ex Arch. (2) *Ordinis.*

CCXIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam Rei Memoriam.

REgnans in Eccleſiis triumphans Eccleſia, cui Paſtor eſt Pater Æternus, cuique Sanctorum miniſtrant agmina & laudis gloriam Angelorum chori decantant, in terris, ſibi Vicariam conſtituit, Eccleſiam militantem, unigenito Filio Dei vivi Domino Noſtro Jeſu Chriſto ineffabili commercio copulatam. In hac quidem ipſe Chriſtus, a Patre progrediens, per illuſtrationem Paracleti, qui ab utroque procedit, ſtatuit fidei firmamentum, ut ab eo velut a primitivo fonte ad ſingulas orthodoxas nationes ejuſdem fidei rivuli deriventur. Ad hujuſmodi autem Eccleſię regimen voluit Chriſti clementia Romanum Pontificem deputare miniſtrum, cujus inſtitutionem, ac doctrinam elogio veritatis evangelicę traditam, cuncti renati fonte Baptiſmatis teneant, & obſervent, qui enim ſub hac doctrina curſum vitę peregerint ſalvationis gratiam merebuntur, qui vero ab ea deviaverint, aut errores contra illam tenuerint, non correcti, ferientur damnationis ſententia, quam nonnunquam convenit Apoſtolico munimine roborari. Sane petitio pro parte dilectorum filiorum Fratrum Pręcdicatorum, Minorum, & Eremitarum Sancti Auguſtini, ac de Monte Carmelo Ordinum Nobis nuper exhibita continebat, quod quidam Philippus Norreys, qui ſe gerit pro Magiſtro in Theologia, Dublinen. Dięceſis, nonnullos Articulos prorſus erroneos, & ſacris Canonibus contrarios, etiam publice, pręcdicare, & aſtruere non expavit, ac multorum ſimplicium animas, inficere, illas a devotione Fratrum hujuſmodi retrahendo. Nos vero, attendentes, quod nimis perniciosum eſſet articulos hujuſmodi veluti erroneos, & eiſdem Canonibus contrarios tenere, aſtruere, vel docere, cauſę hujuſmodi examinationem dilecto filio Noſtro Dominico Sanctę Marię in via lata Diacono Cardinali vivę vocis oraculo, ut de pręmiſſis ſe diligenter informaret, & quicquid in re hac informationis reciperet, Nobis in Conſiſtorio ſecreto referret, commiſimus, ipſeque Cardinalis ſufficienti per eum informatione pręhabita, & facta Nobis in Conſiſtorio pręfato relatione fideli, de mandato noſtro, juriſque peritorum, necnon plurimorum in ſacra Theologia Magiſtrorum conſilio, & aſſenſu per ſuam definitivam ſententiam pronuntiavit, decrevit, & declaravit, prout

Exordium.

Diplomatis cauſa.

prout in Inſtrumento dictę Sententię deſuper confecto, ejuſdem Cardinalis ſigillo munito, plenius continetur. Quare pro parte Fratrum eorundem Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pronuntiationi, decreto, ſententię, & declarationi prędictis, & omnibus aliis in dicto Inſtrumento contentis, & inde ſecutis, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, omnium, & ſingulorum premiſſorum ſtatum habentes pro ſufficienter expreſſo, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, pronuntiationem, decretum, ſententiam, & declarationem prędicta, & omnia alia in

Confirmatio.

pręfato Inſtrumento contenta, & inde ſecuta rata habentes, & grata, illa auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia tenore prędentium confirmamus, & prędentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Nulli ergo &c. Noſtrę confirmationis, communitionis, & ſuppletionis infringere &c. Si quis &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo, Tertio Nonas Auguſti, Pontificatus noſtri, Anno Decimo.

1. *Articulorum.*) Conſulendum ſequens Diploma.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* *CXXVIII fol.*144. Legitur apud *Waddingum Annal. Minor. Tomo V ad an. MCCCCXL num. XVIII pag.*381.

Anno 1440 Die 24 Auguſti.

Damnat (1) Philippi Norreys de Hibernia Articulos contra Mendicantes.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCXIV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Dublinen. (3), & Armachan. (4) Archiepiſcopis, ac Epiſcopo Bajocen. (5), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

EXhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Univerſorum Magiſtrorum, & Miniſtrorum, aliorumque Fratrum Prędicatorum, Minorum, Eremitarum, & Beatę Marię de Monte Carmelo, Ordinum, petitio continebat, quod licet olim ipſi Ordines, ſancte, & juſte viventes, & in Dei Eccleſia inſtituti, ac a Sede Apoſtolica extiterint approbati, necnon ex eis fides catholica non modicum ſuſceperit incrementum, tamen iniquitatis filius Philippus Norreys de Hibernia, qui ſe gerit pro Magiſtro in Theologia, Dublinen. Diœceſis, ſuę ſalutis immemor, non verens linguam ſuam in perverſionem ſtatus & religioſorum Ordinum eorundem, ad iniqua, reprobataque verba protendere, nuper malitioſe, perverſe, damnate, & erronee in Regno Anglię, & terra Hibernię in Fidei catholicę diminutionem, ſanctęque univerſalis Eccleſię, Dei ac ſanctorum ignominiam, & dedecus necnon Chriſti fidelium animarum periculum dixerit, & docuerit, quod ſicut muri Jeruſalem erant deſtructi per quatuor diverſos Principes, ſic Eccleſia Chriſti erit deſtructa per Fratres quatuor Ordinum Mendicantium. Item ſicut Princeps tributorum miſſus ab Antiocho in Civitatem Jeruſalem, locutus eſt ei verba pacifica in dolo, ſic Fratres quatuor Ordinum Mendicantium venerunt in Eccleſiam cum dolo, ut deſtruerent eam pro eorum conatu, & poſſe. Item ſicut Princeps tributorum venit in Civitatem Jeruſalem cum turba multa, & turba dicitur a turbo, turbas, ſic Fratres intraverunt Eccleſiam, & ſunt in ea quaſi turba, quia perturbant Eccleſiam. Item ſicut Gabaonitę venerunt ad ducem Joſue cum mendaciis, ſic Fratres quatuor Ordinum Mendicantium intraverunt Eccleſiam cum mendaciis. Item aſſerit, quod fuerunt quatuor Concilia Generalia celebrata in quibus diverſi hęretici fuerunt condemnati, & tamen Fratres quatuor Ordinum Mendicantium ſunt pejores hęreticis, quam ipſi fuerunt. Item quod Fratres quatuor Ordinum Mendicantium ſunt fures, & latrones, & ſpoliant Sanctam Eccleſiam. Item quod Fratres quatuor Ordinum ſunt Ribaldi (6) peſſimi. Item quod Fratres quatuor Ordinum Mendicantium ſunt lupi rapaces. Item quod Fratres quatuor Ordinum Mendicantium ſunt pejores Juda traditore. Item quod Fratres quatuor Ordinum ſunt Antichriſti, & directe contra Chriſtum. Item quod Fratres quatuor Ordinum Mendicantium ſunt diſcipuli Mahometi. Item quod nullus Parochianorum cujuſcunque Parochię poteſt accedere ad aliquem Fratrem admiſſum in forma juris ſecundum Capitulum: Dudum: gratia Confeſſionis faciendę ſine licentia proprii Sacerdotis, ſive Curati parochialis. Item quod confeſſi Fratribus admiſſis ſecundum formam Capituli: Dudum: tenentur iterato quolibet anno omnia peccata ſua, ac eadem peccata in numero confiteri ſuo proprio Sacerdoti, quem dixit eſſe parochialem Curatum. Item dixit, firmiter ſe credere, nullum bonum hominem eſſe inter Fratres quatuor Ordinum Mendicantium. Item quod dubitavit, aliquos Fratres quatuor Ordinum Mendicantium eſſe Sacerdotes, aut habere ſacrum ordinem Presbyteratus. Item dixit aperte, quod ipſemet noluit ſtare judicio Domini Papę, ſed judicio Concilii Generalis. Item dixit indifferenter, quod nullus Sacerdos, ſive Religioſus ſive non, deberet quovis modo mendicare. necnon plura alia ſeditioſa, & perverſa, ab eademque fide penitus aliena, coram omni populo palam prędicare non expavit in Fratrum, & Ordinum prędictorum detrimentum, vilipendium, & contemptum. Noſque hujuſmodi cauſę examinationem dilecto filio noſtro Dominico (7) Sanctę Marię in Via lata Diacono Cardinali vivę vocis oraculo, ut de premiſſis ſe diligenter informaret, & quicquid in re hac informationis reciperet Nobis in Conſiſtorio Secreto referret, ad dilecti filii Magiſtri Venturę de Caſtello, noſtri, & Romanę Curię Procuratoris fiſcalis (8), cauſęque hujuſmodi Promotoris inſtantiam commiſimus, ipſeque Cardinalis, ſufficienter per eum informatione pręhabita, & facta Nobis deſuper in Conſiſtorio pręfato relatione fideli de mandato noſtro, juriſque peritorum, necnon plurimorum in Sacra theologia Magiſtrorum conſilio, & aſſenſu, per ſuam definitivam ſententiam pronuntiavit, decrevit, & declaravit, prout hęc omnia in libello per dictum Venturam Procuratorem, in hujuſmodi Cauſa exhibito, petita fuerant, nonnullos dictorum Articulorum, quos dictus Philippus protulit, & prędicavit, fuiſſe, & eſſe falſos, ſcandaloſos, injurioſos, blaſphemos, ſeditioſos, quoſdam erroneos, quoſdam vero alias damnatos, & reprobatos, illoſque Dei, & Eccleſię

Propoſitiones Philippi Norreys.

Nota.

Propoſitiones damnantur.

Sanctę

Sanctę, ac Sanctorum ignominiam, ac dedecus, & manifeſtam hęreſim ſapere, & multarum animarum periculum generare (9), dictumque Philippum, & ejus ſequaces, errantes, mendaces, & in prędictis ſcandaloſos, & a decretis ordinatis per Romanam Eccleſiam, & Apoſtolicam Sedem, ac expreſſa, & evidenti veritate devios, alienos, ac alias aſſertores & prędicatores nonnullorum ex dictis Articulis juxta decreta quorundam Prędeceſſorum noſtrorum tanquam hęreticos, eſſe cenſendos, & ut tales reprobandos & damnandos, & ab omnibus Chriſti fidelibus evitandos fore, ac reprobari, damnari, & evitari debere. Ipſos igitur Philippum, & ſequaces, ſi de cetero contra hujuſmodi ſententiam & declarationem directe, vel indirecte, publice, vel occulte, quovis quęſito colore venire pręſumpſerit, vel pręſumpſerint, ac niſi dictus Philippus pręfatos articulos ubicunque illos legiſſe, dogmatizaſſe, & prędicaſſe reperiri contigerit, quoties opus fuerit, ad requiſitionem Magiſtrorum, Miniſtrorum & Fratrum hujuſmodi revocaverit, ex nunc, prout ex tunc, & ex tunc, prout ex nunc, ipſo facto excommunicationis ſententiam, a qua niſi per Romanos Pontifices, vel alios a Nobis poteſtatem habentes, pręterquam in mortis articulo, non poſſint abſolvi, ac privationis omnium beneficiorum, & officiorum ſuorum Eccleſiaſticorum, quę obtinent, necnon honorum, & Dignitatum, ac inhabilitationis, etiam ad futura, & alias pęnas a dictis Prędeceſſoribus noſtris, aut alias a jure circa prędicta contra tales generaliter, vel ſpecialiter promulgatas, incurriſſe, declarandos fore, & declaravit, ad quę quidem beneficia, officia, honores, & dignitates reſtitui, vel habilitari non poſſint, niſi, ut pręfertur, per Nos, vel alium ſuper hoc a Nobis poteſtatem habentem, pręfatum Philippum in expenſis in hujuſmodi cauſa legitime factis condemnandum fore, & condemnavit, illarum taxatione ſibi in poſterum reſervata. Et ſubſequenter Cardinalis pręfatus, expenſas ipſas in ducentis & quinquaginta Florenis auri de Camera boni, & juſti ponderis provida moderatione taxavit, dilecti filii Edmundi Hunt (10) Ordinum prędictorum (11) quoad pręmiſſa Procuratoris ſuper expenſis eiſdem juramento ſecuto, prout in Inſtrumento publico, inde confecto, ipſius Cardinalis ſigillo munito, plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Magiſtri, Miniſtri, & Fratres hujuſmodi dubitant, ne Philippus, & ſequaces prędicti pręfatos Articulos, quoties opus fuerit, revocare, & alias Cardinalis ſententię hujuſmodi reverenter parere non velint, pro parte Magiſtrorum, Miniſtrorum, & Fratrum eorundem Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut providere eis ſuper his de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios pręmiſſa executioni debite demandantes, dictamque ſententiam, ubi, & quando expedire videritis, auctoritate noſtra ſolemniter publicantes, faciatis eiſdem Magiſtris, Miniſtris, & Fratribus, vel dicto eorum Procuratori de Florenorum ſumma hujuſmodi pro expenſis juxta pręfati Inſtrumenti earundem condemnationis, & taxationis tenorem plenam, & debitam, ſatisfactionem impendi. Et nihilominus, legitimis ſuper his per vos habendis ſervatis proceſſibus, eos, quoties expedierit, aggravare curetis. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis &c. Non obſtante ſi Philippo pręfato, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo, Nono Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Damnat.*) *Philippus Norreys*, inquit *Waddingus* Annal. Minor. Tomo V ad an. MCCCCXL num. XVI pag. 381, *in Sacra Theologia Magiſter, Dublinenſis Diœceſis, in Hibernia, Ordinum Mendicantium hoſtis acerrimus, aſſumptis Armachani armis, & multis contra eos excogitatis inſulſiſſimis, & inſanis Propoſitionibus, ſcriptiſque libellis, in eos abiit errores, ut commiſſa cauſa Dominico Sanctæ Mariæ in Via lata Diacono Cardinali in ſecreto Conſiſtorio, & ex judicio virorum doctorum, primo a Cardinale, mox a Pontifice fuerint ipſe, & ſequaces tanquam hæretici, & erronei condemnati.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXVIII fol.* 141. Quibuſdam immutatis legitur apud Waddingum mox laudatum, *num. XIX pag.* 382., & in *Bullario Carmelitano in Eugenio IV Conſtitut. XVII pag.* 198.

3. *Dublinen.*) In *Hibernia*.

4. *Armachan.*) *Hiberniæ* Primati.

5. *Baiocen.*) Vulgo *Baieux*, in *Normannia*, Provinciæ Galliarum Regni.

6. *Ribaldi.*) *Italica* vox, *Gallis* olim familiaris, ſic enim vocabantur homines viliſſimi, *Fures, exules, fugitivi, excommunicati, quos omnes Ribaldos Francia vulgariter conſuevit appellare*, ut legitur apud *Pariſium in Hiſtor. Angliæ ad an. MCCLI.*

7. *Dominico.*) Cognomento *Capranica*, de quo Conſulendus *Oldoinus* apud *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal.* Tomo *II ad annum MCCCXVII pag.* 852.

8. *Fiſcalis.*) *Waddingus* ſcribit: *Fidei*.

9. *Periculum generare.*) Nota Propoſitiones, de quibus hic agitur, acervatim damnari. Non igitur *S. Pius V*, ut vulgo docent recentiores, auctor eſt hujuſce formulæ, qua juſtis de cauſis & ſapienti conſilio paſſim nunc utitur Mater Eccleſia.

10. *Hunt.*) Ex Waddingo: *Suine*. In *Bullario Carmelitano* legitur: *Hunto*.

11. *Ordinum prædictorum.*) Ex Waddingo: *Ordinis Prædicatorum*.

Anno 1440
Die 9 Octobris.

Curam animarum Eccleſię Parochialis Sancti Dominici Firman. (1) Fratribus noſtris committit.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCXV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus Sancti Dominici Firman., Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrę Religionis, ſub qua, mundanis abjectis illecebris, devotum, & ſedulum exhibetis Altiſſimo famulatum, non indigne meretur honeſtas, ut petitiones veſtras, illas pręſertim, quę animarum fidelium curam reſpiciunt, ad exauditionis gratiam, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter admittamus. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte veſtra, petitio continebat, quod licet Prior, & Fratres pro tempore exiſtentes Domus veſtrę Sancti Dominici Firman., Ordinis Fratrum Prędicatorum, in qua Miſſę, & alia Divina officia laudabiliter celebrantur, per ſecularem Presbyterum, ad id ab eis pro tempore electum, ſeu deputatum duntaxat, curam animarum parochianorum Capellę Parochialis Sancti Thomę in dicta domo fundatę, exercere, ac ipſis Euchariſtię, Olei Sancti, & alia Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare conſueverint, tamen vos ad evitandum ſcandala, quę ex carentia, ſeu negligentia ſecularis Presbyteri ratione curę, ac adminiſtrationis hujuſmodi vobis, & dictę Domui poſſent veriſimiliter pervenire, necnon pro ſalute animarum parochianorum hujuſmodi curam exerceri, ac ſacramenta hujuſmodi miniſtrari, per idoneos Fratres in Sacerdotio conſtitutos dictę Domus pręſentes, & futuros, ad id per illius Priorem pro tempore eligendos, ſeu deputandos duntaxat, ferventius concupiſcitis. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut deſiderio veſtro hujuſmodi annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur prout ex debito tenemur Summi Pontificis officii nobis deſuper injuncti, fidelium quorumlibet animarum ſalutem quęrentes, eorumque ſcandalis, quantum cum Deo poſſumus, obviare volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, volumus, & Apoſtolica vobis auctoritate concedimus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus, ſinguli Fratres in Sacerdotio conſtituti pręfatę Domus pręſentes, & futuri, quos Prior pro tempore exiſtens dictę Domus, quoties ſibi expedire videbitur, ad id ſimul, vel ſucceſſive duxerit eligendos, ſeu deputandos, curam animarum omnium & ſingulorum parochianorum pręſentium, & futurorum Capellę hujuſmodi exercere, necnon eis Euchariſtię, Olei Sancti, & alia Sacramenta hujuſmodi miniſtrare, libere & licite poſſint, & valeant. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Domus, & Ordinis Prędicatorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c noſtrę conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo, Septimo Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Diplomatis cauſa.

Delegatio.

Clauſula derogans.

1. *Firman.*) Vulgo *Fermo*, in *Marchia Anconitana*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.CXXXVIII fol.105.*

Anno 1440
Die 26 Octobris.

Cœnobii extra muros Ferrarien. (1) fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCXVI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio nobili viro Nicolao (3) Marchioni Eſten., in Civitate noſtra Ferrarien. in temporalibus Vicario noſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

PIis ſupplicum votis gratum pręſtamus aſſenſum, &, ut ea, quę Religionis propagationem, divini quoque cultus augmentum reſpiciunt, optatum ſortiantur effectum, libenter interponimus ſollicitudinis noſtrę partes. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte tua, petitio continebat, tu qui ſingularem ad Ordinem Fratrum Prędicatorum devotionis geris affectum, in Domo, ſive loco Eccleſię Beatę Marię de Belfiore extra, & prope muros Ferrarien., quam, ſeu quem de novo conſtrui, & ędificari feciſti, Ordinem ipſum inſtitui, ac dictam Domum cum Eccleſia, campanili, campanis, hortis, hortalitiis, ſtructuris, & ędificiis, ac omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, Fratribus dicti Ordinis per illius Magiſtrum Generalem hac prima vice ad id deputandis, pro uſu, & habitatione eorum perpetuis aſſignari ferventius concupiſcas, pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi, ut dictus Magiſter, vel alii per ipſum ad hoc deputandi, pręfatam Domum cum Eccleſia, campanis, campanili, hortis, hortalitiis, ſtructuris, ędificiis, ac juribus, & pertinentiis prędictis pro uſu, & habitatione perpetuis dictorum Fratrum, qui inibi ſub regularibus ejuſdem Ordinis inſtitutis perpetuo vivere debeant, recipere, ac in dicta domo, in qua etiam pręmiſſum Ordinem, pręſentium ſerie, Apoſtolica auctoritate, inſtituimus, quoſcunque Fratres dicti Ordinis, prout eis viſum fuerit, ponere, & etiam deputare, eadem auctoritate concedimus per pręſentes: & nihilominus Priori & Fratribus, ac perſonis, qui in dicta Domo Beatę Marię pro tempore reſidebunt, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis, gratiis, & indultis aliis, ejuſdem Ordinis Prioribus, Fratribus, Domibus, & perſonis per Sedem Apoſtolicam in genere quomodolibet conceſſis, & in

Supplex Marchionis petitio.

Facultas.

antea

antea concedendis, uti, & gaudere valeant, eadem auctoritate tenore pręſentium indulgemus. Nonobſtantibus felicis recordationis Boniſatii Papę Octavi Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordiuis Mendicantium in aliqua civitate, aut Villa, vel quovis caſtro, vel loco alio, ad habitandum quęcunque domos, vel loca de novo recipere, vel hactenus recepta mutare pręſumant, abſque Sedis prędictę licentia ſpeciali, faciente plenam & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę inſtitutionis conceſſionis, & Induiti infringere &c. Si quis &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo, Septimo Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Clauſula derogans.

1. *Ferrarien.*) In ejuſdem nominis Ducatu *Italiæ*, in *Longobardia* Pontificiæ Ditionis.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXXIV fol.* 252.
3. *Nicolao.*) Ex illuſtriſſimâ gente *Eſtenſi* oriundo, *Alberto* patre.

Anno 1441 Die 11 Januarii.

Bona Societatis (1) S. Mariæ Laudum, & S. Petri Martyris apud Fratres Prædicatores Florentiæ conſtitutæ tributis ſolvendis obnoxia non eſſe decernit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXVII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

AD ea per quę Religioſorum quorumlibet utilitati conſulitur, & indemnitatibus obviatur, ex injuncto Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio, libenter intendimus, illaque ſavoribus proſequimur opportunis. Attendentes igitur, quod Domus Sanctę Marię Novellę Florentin., Ordinis Fratrum Prędicatorum, inter ceteras ipſius Ordinis Domos ubicunque conſiſtentes notabilis, & inſignis exiſtit, ac copioſo Religioſorum numero ſua inibi Altiſſimo continuo vota reddentium, ac in Divinorum exhibitione laudabiliter ſervientium, necnon ex eorum virtutibus, ac fructuoſis operibus, fidelibus ad illam pro tempore confluentibus, plurimum proficientium abundare dignoſcitur, ac cupientes, quod Prior, & Fratres in Domo prędicta pro tempore degentes, in bonis, ac juribus ad eorum uſus, & utilitatem, pia fidelium largitione relictis hactenus, & in poſterum relinquendis, inviolabiliter pręſervetur, necnon voluntates, & ordinationes fidelium eorundem in ea parte nullatenus omittantur, ſed integre executioni debitę demandentur, dilecti filii Jacobi de Regno, Ordinis ejuſdem ac Theologię profeſſoris, necnon Generalis totius Ordinis ſupradicti in Romana Curia Procuratoris, in hac parte ſupplicationibus inclinati, volumus, & auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, tenore pręſentium, ſtatuimus, decernimus, & ordinamus, & declaramus, omnia & ſingula, pecunias, res, & bona mobilia, & immobilia, fructus, cenſus, atque redditus, per quoſcunque fideles utriuſque ſexus Societati laicorum Sanctę Marię Laudum, & Sancti Petri Martyris nuncupatę in certo ejuſdem Domus loco, certis cujuslibet anni diebus, pro nonnullis piis exercendis operibus congregari ſolitorum, ad uſum, & utilitatem Prioris & Fratrum pro tempore prędictorum, ut per eos Miſſę, Anniverſaria, & alia divina officia pro eorundem fidelium animarum ſalute in Domo prędicta, ſub certis modis, & formis celebrari deberent, ac debeant, relicta, legata, conceſſa, ſeu donata, ac in poſterum relinquenda, leganda, concedenda, ſeu donanda, prout, & quemadmodum alia pręfatę Domus poſſeſſiones. & bona mobilia, & immobilia fore noſcuntur Eccleſiaſtica, ac ab omnibus, & ſingulis collectis, impoſitionibus, ſubſidiis, & caritativis, & aliis oneribus, vel exactionibus, quibuſcunque nominibus nuncupentur, per Nos, vel Sedem Apoſtolicam, aut quoſvis alios, etiam noſtra, vel dictę Sedis auctoritate, quomodolibet impoſitis hactenus, & in poſterum imponendis, prorſus, & omnino exempta, & libera ac ſub literis, privilegiis, & indultis Apoſtolicis, pręſertim de ſimilibus exemptionibus, Priori, & Fratribus pro tempore, ac domui, & eorum bonis hujuſmodi conceſſis comprehenſa eſſe, & ut talia haberi, teneri, cenſeri, & gubernari, & defendi, necnon privilegiis, & literis exemptionum hujuſmodi, ac ſi illa quoad ea, ſpecialiter emanaſſent, plenarie uti, & gaudere poſſe, & debere, quodque etiam illa omnia, & ſingula juxta voluntates, ordinationes, & alia contenta in Inſtrumentis publicis ſuper relictis, legatis, conceſſionibus, ſeu donationibus pecuniarum, rerum, & bonorum, cenſuum, ac redditaum Societati ad uſus, & utilitatem Prioris, & Fratrum pro tempore ſactis, & faciendis hujuſmodi habitis, & habendis per eos, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, Priori, & Fratribus pro tempore ſupradictis integre dentur, & aſſignentur, ac in eorum uſus, & utilitatem, & non alias, effectualiter convertantur, necnon dari, aſſignari, & converti debeant, & quod in toto, vel in parte, ullo unquam tempore, ex quibuſvis cauſis, quovis quęſito colore, vendi, alienari, obligari, permutari, vel ad alios, etiam pios, uſus, quam Prioris, & Fratrum pro tempore pręfatorum, converti, ſeu aſſignari nullatenus poſſint, neque debeant, quodque etiam nullę Eccleſiaſticę, ſeu ſeculares, vel alię perſonę quęcunque, cujuſcunque dignitatis, ſtatus, Ordinis, officii, ſeu pręeminentię exiſtant, & quibuſcunque dignitatibus eccleſiaſticis, vel mundanis pręfulgeant, necnon quęcunque dominia, ſeu officia eccleſiaſtica, ſeu ſecularia exerceant, ſeu teneant, in genere, vel in ſpecie, quovis etiam quęſito colore de pecuniis, bonis, & rebus, cenſibus, & redditibus ad uſum, & utilitatem Prioris & Fratrum pro tempore relictis, legatis, conceſſis, ſeu donatis, ac relinquendis, legandis, concedendis, ſeu donandis hujuſmodi, vel ipſorum aliquo, aut illorum, vel cujuslibet eorum regimine, gubernatione, vel adminiſtratione ullo unquam tempore ſe ingerant, vel intromittant, aut ingerere, ſeu intromittere, vel contra voluntatem, ſtatutum, decretum, & declarationem noſtram hujuſmodi venire, facere, aut attentare pręſumant: pręterea omnes & ſingulos ſupradictos, & alios quoſcunque, quos de cetero contra vo-

Exordium a laude Fratrum.

Indultum.

voluntatem, ſtatutum, decretum, ſeu declarationem noſtram hujuſmodi, ac tenorem pręſentium quomodolibet venire, facere, ſeu attentare contigerit, excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdicti aliaſque ſententias, cenſuras, & pęnas, tam a jure, quam ab homine in ſimilia perpetrantes indictas, ſtatutas, latas, inflictas, ſeu promulgatas incidiſſe, & illis irretitos eſſe, ex nunc, prout ex tunc, auctoritate Apoſtolica ſupradicta, harum ſerie decernimus, & declaramus. Per hoc autem regimen, & gubernationem Capitaneorum pręſentium, & futurorum dictę Societatis, quoad pecunias, res, & bona, cenſus, atque redditus, relicta, & relinquenda pręfata alterare, ſeu removere, ac etiam Fraternitatem ipſam approbare alias non intendimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus domus, Ordinis, & Societatis prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c Noſtrorum ſtatuti, conſtitutionis, & ordinationis, declarationis, voluntatis, & intentionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo (3), Tertio Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Societatis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.* Hic autem notandum, quod ex ipſo Diplomate Bona Societatum, erectarum in Eccleſiis Ordinis, ad Ordinem ipſum ſpectant, ut in Bulla - *Pretioſus* - declarat S. Pontifex *Benedictus XIII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXI fol. 255.*

3. *Quadrageſimo.*) Stylo Bullarum, Ęra communis *MCCCCXLI.*

Anno 1441 Die 11 Januarii.

Creat Conſervatores Societatis (1) S. Mariæ Laudum, & S. Petri Martyris apud Fratres Prædicatores Florentiæ conſtitutæ.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXVIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Sabinen., & Bononien. ac Peruſin. Epiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie ſiquidem noſtrę emanarunt literę tenoris ſubſequentis: Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Ad ea per quę Religioſorum quorumlibet utilitati conſulitur &c (3) Cupientes igitur ut literę ipſę, & eorum effectus irrefragabiliter obſerventur, Fraternitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, literas pręfatas, ac omnia, & ſingula in eis contenta, ubi, & quando expedire videritis, auctoritate Apoſtolica ſolemniter publicantes, ac ſuper his Priori, & Fratribus pro tempore ſupradictis efficacis defenſionis auxilio aſſiſtentes, non permittatis eos contra voluntatem, ſtatutum, decreta, declarationes, ac continentiam, atque formam aliorum in literis contentorum hujuſmodi, ab ipſis literis expreſſis, vel aliis quibuſvis perſonis, ſeu earum aliqua quomodolibet impediri, aut moleſtari. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis.

Delegatio. Et inſuper omnes, & ſingulos, quos vobis conſtiterit, cenſuras, ſententias, & pęnas pręfatas, aut earum aliquam incurriſſe, quoties pro parte Prioris, & Fratrum pro tempore pręfatorum, deſuper requiſiti fueritis, tandiu in Eccleſiis, & aliis eccleſiaſticis locis, de quibus vobis videbitur, illis, vel illa irretitos eſſe nuncietis, faciatiſque ab aliis nunciari, & ab omnibus arctius evitari, donec deſuper abſolutionis beneficium meruerint obtinere. Non obſtantibus omnibus ſupradictis, ac pię memorię Bonifatii Papę Octavi Prędeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne quis extra Civitatem, & Diœceſim niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam a fine ſuę Diœceſis ad judicium trahatur, ſeu ne Judices a Sede deputati pręfata extra Civitatem, & Diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque

Clauſula derogans. procedere, ſeu alii, vel aliis vices ſuas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine Diœceſis eorundem trahere pręſumant, & de duabus dietis in Concilio Generali, ac aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim, ab eadem Sede indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, ſeu extra, vel ultra certa loca ad judicium trahi non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo (4), Tertio Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Societatis.*) Conſulendum præcedens Diploma.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXVIII fol. 40.*

3. *Conſulitur &c.*) Ut in præcedenti Diplomate ad finem uſque.

4. *Quadrageſimo.*) Stylo Bullarum, Ęræ communis *MCCCCXLI.*

De reficiendo & ampliando Monaſterio (1) Venetiarum Corporis Chriſti.

Anno 1441 Die 17 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCXIX.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Conventui Monaſterii Corporis Chriſti, loci de Venetiis, per Prioriſſam ſoliti gubernari, ſub cura, & ſecundum inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum, viventium, Caſtellan. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SPecinſus forma prę filiis hominum, & plenus gratia Sponſus Eccleſię, Chriſtus Jeſus, inter cetera ſanctitatis inſignia pręcipue diligit caſtitatem, ut ſibi Virgini, nato de Virgine, & immaculato Agno Virgines famulentur. Statum etiam vidualem non repellit, cum juxta Sacrę Scripturę eloquia, non ſolum Virgines, verum etiam viduę ad Regnum cęlorum perveniunt, propter quę dignum reputamus, ut Apoſtolicę Sedis benignitas virgines, quę ſe parant accenſis lampadibus eidem Sponſo obviam ire, atque etiam devotas viduas, quę in humilitatis ſpiritu in hujuſmodi Virginum conſortio ipſi Sponſo ſervire deſiderant, tanto propenſiori caritatis ſtudio proſequatur, quanto ipſę ſecundum fragilitatem ſexus majori dignoſcuntur auxilio indigere. Cum itaque, ſicut accepimus, Monaſterium veſtrum, in quo, liberorum ſpreta propagine, carnem ſpiritui ſervire compellitis, & mundanis a vobis abjectis illecebris, Altiſſimo gratum famulatum exhibere ſtudetis, adeo ſtrictum proſpiciatur, & arctum, quod modernus Monialium, ob veſtram laudabilem, quam ibidem in ſanctitatis caſtimonia obſervatis vivendi normam, Domino permittente, multiplicatus numerus, non poteſt inibi commode commorari, ejuſque facultates adeo tenues ſunt, & exiles, quod ipſius Monaſterii ſtructurę, & ędificia ex illis nequeant aliquatenus ampliari; Nos ad ea, quę veſtrę commoditatis augmentum reſpiciunt, favorabiliter intendentes, ac cupientes ex intimis, pręfatum Monaſterium per ſanctarum exercitia operationum in ſalutem plurimorum, flores honoris, & honeſtatis inceſſanter germinare, ac ſpeculum omnium virtutum effici, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, omnes & ſingulos utriuſque ſexus homines eccleſiaſticos, & laicos in loco de Venetiis Caſtellan. Dięceſis degentes, vel ad illum undecunque confluentes, qui peregrinationis ultra mare, ſeu viſitandi limina Sanctorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, aut Sancti Jacobi in Compoſtellan., vel Sancti Antonii Viennen., Dięceſum, vota quoquo modo emiſerunt, aut forſan emitterent in futurum, vobis, aut Procuratoribus veſtris, ad fabricam dicti Monaſterii pro ędificiorum & ſtructurarum hujuſmodi ampliatione, & extenſione, tantam pecunię ſummam liberaliter erogaverint, quantam in executione votorum hujuſmodi veriſimiliter expoſituri eſſent, ſi illa perſonaliter, & corporaliter adimplerent, a votis ipſis, & eorum corporali, & perſonali executione auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium penitus abſolvimus, & perpetuo reddimus abſolutos. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo (3), Sextodecimo Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Diplomatis cauſa.

Indultum.

1. *Monaſterio.*) Vide *Notas ad Conſtitutionem XLIX datam XVIII Maii MCCCCXXXV.* Legitur pag.34.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXVIII fol.*303.
3. *Quadrageſimo.*) Stylo Bullarum, *Æræ communis MCCCCXLI.*

Fratres Cœnobii Brunenſis (1) Proceſſionem, ſeu ſupplicationem (2), Corpus Dominicum deferendo, Dominica infra Octavas Corporis Chriſti, ut moris eſt, habeant.

Anno 1441 Die 11 Junii.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

CCXX.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis de Czedlitz, & Fontis Sanctę Marię Virginis in Sar, Pragen. (4) Dięceſis, Monaſteriorum Abbatibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Conventus Domus Sancti Michaelis, oppidi Brunen., Ordinis Fratrum Prędicatorum, Olomuſcen. (5) Dięceſis, petitio continebat, quod licet olim ipſis, eorumque Prędeceſſoribus, ex Sedis Apoſtolicę privilegio, cui non extiterit in aliquo derogatum, a tanto tempore, quod ejus contrarii memoria hominum non exiſtit (6), fas fuerit, ſingulis annis in Feſto Dedicationis Eccleſię pręfati Sancti, quę in Dominica infra Octavam celebritatis Sanctiſſimi Corporis Domini Noſtri Jeſu Chriſti occurrente celebratur, ſolemnem per dictum diem Proceſſionem facere, Corpus Dominicum in illa honorifice deferendo, tamen, ab aliquibus annis citra, certi, tunc expreſſi, olim Baſilien. Concilii ad partes illas Legati, patriam illam a fide, & devotione noſtra, & dictę Sedis, pervertere ſatagentes, eoſdem Priorem, & Conventum in noſtra & Romanę Eccleſię devotione perſiſtentes, ac eiſdem Legatis in pręmiſſis obedire penitus recuſantes, privilegio, facultate, honore, dignitate, Proceſſionis hujuſmodi, nulla cauſa, ſaltem legitima, ſubſiſtente, privarunt. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, nonnulli ejuſdem patrię, qui a noſtra, & dictę Sedis devotione receſſerant, ad cor reverſi, viam agnoverint veritatis, & indecens ſit, quod ipſi Prior, & Conventus, qui ferventiſſime & indefeſſe in noſtra perſtiterunt devotione, & fide, remaneant hujuſmodi Proceſſionis privilegio, facultate, honore, & dignitate nudati, pro parte ipſorum Nobis fuit humil-

Diplomatis cauſa.

Conceſſio. humiliter ſupplicatum, ut providere eis ſuper hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur attendentes, quod hi, qui conſtantiores in fide, & devotione perſiſtunt, debent ab aliis in dignitate, & honoribus confoveri, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, ſi vocatis, qui fuerint evocandi, pręmiſſa fore vera repereritis, ſuper quibus veſtram conſcientiam oneramus, privationem huiuſmodi revocare auctoritate noſtra curetis, &, ſi revocationem ipſam per vos fieri contigerit, ut pręfertur, Priorem & Conventum pręfatos in eum ſtatum, necnon ad privilegium, honores, & facultatem Proceſſionis hujuſmodi reſtituatis, & redintegretis auctoritate pręfata. Non obſtantibus pię memorię Bonifatii Papę Octavi Pręedeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, vel Diœceſim niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam Dietam a fine ſuę Diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne judices a Sede deputati pręedicta extra Civitatem, & Diœceſim in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, aut alii, vel aliis vices ſuas committere, ſeu aliquas ultra unam dietam a fine Diœceſis eorundem trahere pręſumant, ac de duabus dietis, in Concilio Generali, & aliis conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque; aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Primo, Tertio Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Brunen.*) In *Moravia*.
2. *Supplicationem.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. VIII.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXLVIII fol.* 181.
4. *Pragen.*) In *Bohemia*.
5. *Olomuſcen.*) *Olomucen.*, vulgo *Olmutz*, in *Moravia*.
6. *Non exiſtit.*) Nota quod hoc anno *MCCCCXLI* omni hominum memoria antiquior erat pia Fratrum conſuetudo ſupplicationes ſolemnes habendi Dominica ſubſequenti feſtum *Corporis Chriſti*.

Anno 1441 Die 14 Junii.

S. Marię de Caſtello Cœnobii Januenſis (1) fundandi facultas.

Ex Ughello in Januen. Archiep. Tomo IV Italię Sacrę pag. 895 Edit. II.

CCXXI. Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Accien. (2), & dilecto filio Priori Prioratus Sancti Theodori extra muros Januen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. ROmani Pontificis ſapientia circumſpecta, cunctarum Orbis Eccleſiarum ſolicitudinem gerens, circa ea, quę illarum directionem concernere noſcuntur, diligenter intendit, necnon ſublatis ab ipſis diſpendiis ſingulis, & univerſis circumſtantiis debite compenſatis, nonnunquam, prout etiam id pro divini cultus augmento & Religionis propagatione, ac alias ſalubriter expedire conſpicit, earum ſtatus alternat, atque commutat, grataque in eiſdem Deo plantaria ſubrogat, ut exinde Eccleſię ipſę proſperis gratulentur eventibus, ac felicia in ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiant incrementa. Sane pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Thomę (3) de Campofregoſo Ducis, ac nonnullorum nobilium de Juſtinianis (4), civium Januenſium, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod licet Collegiata ac parochialis Eccleſia Beatę Marię de Caſtello Januen. una ex antiquioribus Eccleſiis in Civitate

Supplex petitio. Januen. conſiſtentibus, ac alias nobilis, & inſignis, necnon in ea una Pręepoſitura, quę Dignitas inibi principalis, ac curata, & electiva exiſtit, & quatuor Canonicatus, & totidem Pręebendę, & nonnullę perpetuę ſine cura Capellanię, pro uno Pręepoſito, & quatuor Canonicis, necnon certis Capellanis ibidem in Miſſis & aliis divinis officiis perpetuo ſervire debentibus, inſtituti fore noſcantur, tamen a multis annis citra, Pręepoſitus, Canonici, & Capellani interim exiſtentes dictę Eccleſię, ſeu eorum major pars debitam apud eam reſidentiam facere neglexerunt, ac negligunt, illaque propterea, ac alias diverſimode in Miſſarum celebratione, & Divinorum exhibitione defectum non modicum, necnon plura in ſpiritualibus & temporalibus ſuſtinuit, prout hodie ſuſtinet, detrimenta. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Dux, & qui Parochiani dictę Eccleſię ſunt cives pręedicti, provide conſiderent, ac

Laus Fratrum. ſperent, quod propter vitam laudabilem, necnon virtutes, & opera fructuoſa Religioſorum Ordinis Fratrum Pręedicatorum ſub illius regulari obſervantia degentium Eccleſia ipſa, ſi illa, ſuppreſſis in ea Pręepoſitura, Capellanis, ac Canonicatibus & Pręebendis pręedictis, in domum conventualem ejus Ordinis erigeretur, dictorumque ſupprimendorum res & bona omnia ad uſum Prioris, & Fratrum in domo ipſa pro tempore commorantium, & alias ad fabricam & utilitatem dictę domus perpetuo concederentur, & applicarentur, non ſolum exinde reformationem, & augmentum ſuſciperet, ſed univerſi de Civitate pręedicta, & alii fideles in ea pro tempore commorantes plurima ſuarum animarum utilitates, conſolationes, & gaudia ſentire debeant. Quare pro parte Ducis, & civium pręedictorum

Facultas. Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper iis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, cultus augmentum, ac Religionis propagationem hujuſmodi noſtris potiſſime temporibus, ubique locorum vigere intenſis deſideriis affectantes, ac alias de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis, vos, vel alter veſtrum, auctoritate noſtra diligenter vos informetis, &, ſi per informationem hujuſmodi ea vera eſſe reperieris, ſuper quo veſtram conſcientiam oneramus, Pręepoſituram, necnon omnes & ſingulos Canonicatus, & Pręebendas, ac Capellanias pręedictas, quarum omnium fructus, reddítus, & proventus centum & quinquaginta Florenorum auri de Camera, ſecundum communem ęſtimationem valorem, ut ipſi Dux & cives aſſerunt, non excedunt, in dicta

prox-

prorſus & omnino ſupprimere, & extinguere, illiſque ſuppreſſis, & extinctis, Eccleſiam prefatam cum habitationibus, hortis, officinis & pertinentiis ſuis omnibus & contiguis, & ad ipſam ſpectantibus in domum conventualem prędicti Ordinis pro uſu, & habitatione perpetuis quorundam Fratrum Ordinis, & obſervantię prędictorum, creare, & erigere, necnon omnia & ſingula Eccleſię, Prępoſiturę, Capellaniarum, & Canonicatuum, & Prębendarum prętatorum poſſeſſiones, cenſus, reſponſiones, & bona mobilia, & immobilia, necnon libros, calices, paramenta, ceteraque Eccleſiaſtica ornamenta, domui erigendę, ac Fratribus pręſentibus & futuris Ordinis & obſervantię hujuſmodi, perpetuo, ac libere donare, applicare, & appropriare eadem auctoritate curetis. Ita quod liceat illis ex Fratribus ipſis, quos Magiſter Generalis pro tempore exiſtens dicti Ordinis ad id duxerit eligendos, per ſe, vel alium, ſeu alios, Eccleſię cum contiguis habitationibus, hortis, officinis, & pertinentiis, ac libris, calicibus, paramentis, & ornamentis hujuſmodi, quamprimum ipſa Eccleſia in domum conventualem per vos vigore pręſentium erecta fuerit, ut pręfertur, necnon Priori, & Fratribus in dicta erigenda domo pro tempore degentibus, quam primum ſimul, vel ſucceſſive veri Prępoſitus, Canonici, & Capellani Eccleſię pręfatę ceſſerint, vel deceſſerint, ſeu alias Prępoſituram, Canonicatus, & Prębendas, ac Capellanias ipſas quomodolibet dimiſerint, etiam ſimul, vel ſucceſſive, bonorum, poſſeſſionum, cenſuum, reſponſionum, juriumque & pertinentiarum prędictorum poſſeſſionem auctoritate propria libere apprehendere, & perpetuo retinere, necnon illorum omnium & ſingulorum fructus, redditus, & proventus ad uſum, fabricam, & utilitatem prędictas convertere, & exponere, inibique ſtructuras, & ędificia ad Conventualitatem neceſſaria, & opportuna, conſtrui facere, necnon ipſis pręſentibus & futuris Fratribus in Domo prędicta perpetuo habitare & morari, Diœceſani loci, & cujuſcunque alterius ſuper hoc licentia minime requiſita. Non obſtantibus privilegiis, ac literis per Sedem Apoſtolicam, vel alias quomodolibet Eccleſię, Prępoſito, Canonicis, & Capellanis prędictis conceſſis, quorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum pręſentibus inſerti forent, haberi volumus pro expreſſis, necnon felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi Prędeceſſoris noſtri, illa pręſertim, qua inter cetera prohibetur, ne Fratres de Ordinibus Mendicantium in aliqua Civitate domum de novo recipere pręſumant abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, necnon Eccleſię, & Ordinis prędictorum, juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cęteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de Prępoſitura, ac Canonicatibus, & Prębendis, necnon Capellaniis hujuſmodi ſpeciales, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus, generales pręfatę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiam ſi per inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus ad Prępoſituram, Canonicatus, & Prębendas, ac Capellanias prędictas volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem Dignitatum, Canonicatuum, & Prębendarum, vel Beneficiorum aliorum prejudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus &c. Nos enim, ſi erectionem prędictam per vos vigore pręſentium fieri contigerit Priori, & Fratribus in Domo pro tempore degentibus hujuſmodi, ac eidem Domui, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, exemptionibus, indultis, & gratiis per Sedem prędictam & alias quomodolibet aliis Ordinis hujuſmodi domibus, Prioribus, & Fratribus generaliter conceſſis uti valeant pariter & gaudere, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium de ſpeciali gratia indulgemus, ac volumus & ordinamus, quod propterea Cura Parochianorum pro tempore exiſtentium Eccleſię prędictę nullatenus negligatur, ſed per unum ex Fratribus prędictis, vel ſecularem a Priore pro tempore exiſtente domus hujuſmodi ad id pro tempore deputandum Sacerdotem idoneum laudabiliter exerceatur. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Primo, Decimo Octavo Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Clauſula derogans.

1. *Januenſis.*) In *Liguria*. Hujus diplomatis meminit *Fontana Monument. Dominican. Parte III Cap. I ad ann. MCCCCXLI pag.* 337.
2. *Accien.*) Conſulendus *Ughellus in Epiſcop. Accien.*
3. *Thomæ.*) Adeas *Ughellum* loco laudato.
4. *De Juſtinianis.*) *Sunt in hac Eccleſia, inquit Ughellus pag.* 897, *plures ex Juſtiniana nobiliſſima familia viri clariſſimi, inter quos Paris Henrici filius Sacelli majoris Fundator, qui ſibi, ſuiſque ſepulcrum poſuit, & Andreas Januenſium Dux.*

Anno 1441 Die 1 Julii.

Narbonenſis (1) Archiepiſcopus, ipſiuſque Suffraganei Provinciæ Narbonenſis Inquiſitorem habeant commendatum.

Ex Percino (2) in Opuſculo De Inquiſitione Parte III Cap. III pag. 100.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Narbonenſi, & ejus Suffraganeis Carcaſſonenſi, S. Pontii Tomeriarum (3), Agathenſi (4), & Electenſi (5) Epiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CCXXII.

SCripſit nobis fraternitas veſtra, dilectum filium Fratrem Petrum de Turelure hęreticę pravitatis Inquiſitorem in Provincia Narbonenſi intendere (6) aliqua ad juriſdictionum veſtrarum intereſſe ſpectantia a Nobis petiiſſe, & impetraſſe, ſupplicatiſque, ut eum in brevi de eo ab exorbitantiis a jure alienis coerceamus, cum nollemus prędicto quicquam in veſtrum, & Pręlatorum Provincię pręjudicium facere. Ad quę reſpondentes fatemur, Inquiſitorem aliquando ſignificaſſe, juſtam ſibi fore querimoniam adverſus nonnullos veſtrum, ſe in ſuo Inquiſitionis officio perturbantes; atque etiam pro viribus impedientes; petens ſibi per Nos viam, & modum oſtendi, quibus totaliter in poſterum exercere poſſit

Diplomatis cauſa.

poſſit officium, ut cum honore Dei, & ſui officii integritate valeret lites, jurgia, & contradictiones Ordinariorum effugere, & declinare. Cum igitur noſtrę ſit intentionis, prout ex officio paſtoralis curę Nobis incumbere, non ignoratis, & vos, & ipſum Inquiſitorem in veſtris, & ſuis juribus confovere, & lites, & controverſias, quę fortaſſis inter vos vigerent, cum juſtitia tollere, & terminare; Hortamur in Domino veſtram fraternitatem, ut attente conſiderantes, quod hujuſmodi Inquiſitores ab Eccleſia fuerunt inſtituti ad relevandum Ordinarios parte ſolicitudinis illis incumbente, & in favorem, & augmentum fidei catholicę, enervationem, & extirpationem hereticę pravitatis, contenti eſſe veſtris in hac materia diſpoſitionibus, & inſtitutis Sacrorum Canonum, & ad negotium hoc hereſum, quo nullum in Eccleſia habetur majus, prędictis Inquiſitoribus aſſiſtere favoribus opportunis. Nam ſicut gratum erit Nobis, & ſumme acceptum quicquid favoris, commodi, & adjumenti prędictis a Fraternitatibus veſtris juxta ſpem noſtram pręſtabitur, ita moleſtias, & illata eorum laudabili exercitio diſturbia, cum diſplicentia audiremus. Pro bono autem concordię volumus, ut gravaminibus propter quę ab ipſo Inquiſitore per vos extitit appellatum, ab eodem revocatis, lites, quę hodie inter vos pendent indeciſę, ſopiantur penitus, & extinguantur: prout Nos illas in revocationis antedictę eventum, ad Nos auctoritate Apoſtolica advocantes, tenore pręſentium extinguimus, caſſamus, & pro non eventis, & caſſatis, haberi volumus, & mandamus. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Primo, Kalendis Julii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

(Commendatio.)

1. *Narbonenſis.*) In *Occitania* ubi cæteræ Civitates, de quibus hoc in Diplomate.
2. *Percino.*) Ex Autographo *Carcaſſonenſi.*
3. *S. Pontii Tomeriarum.*) *S. Pons de Tomiers.*
4. *Agathenſi.*) *Agde.*
5. *Electenſi.*) Seu *Alectenſi*, vulgo *Alet.*
6. *Intendere.*) Fortaſſis. *Interdum.*

Anno 1441
Die 19 Julii.

Ne quis exportet libros (1) e collegio S. Auguſtini, vel e Cœnobio Papien. (2)

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

CCXXIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Epiſcopo Oſtien. Sanctę Romanę Eccleſię Cardinali, & Archiepiſcopo Mediolanen., ac dilecto filio Abbati Monaſterii Sancti Salvatoris extra muros Papien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. UT illa, quę pro incremento ſtudiorum, ac decore, & ſtatu piorum locorum, Religioſarumque perſonarum, tam pie, quam provide deputata noſcuntur, ab omni valeant perverſa machinatione ſervari, libenter futuris pręcaventes eventibus, ſic providere ſalubriter affectamus, ut temerariis auſibus obviando, pia quęcunque opera ſtabili valeant firmitate vigere. Sane pro parte venerabilis Fratris noſtri Brandę (4) Epiſcopi Sabinen. (5) Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim ipſe zelo pię devotionis accenſus, cupiens tam pauperibus ſcholaribus in Collegio Sancti Auguſtini Papien. commorantibus, quam & Religioſis Domus Sancti Apollinaris extra (6) muros Papien., Ordinis Fratrum Prędicatorum, opportunitatibus providere, ut in eiſdem Collegio, & Domo ſtudentes in eis literarum ſtudiis valerent efficacius, & commodius intendere, (Diplomatis cauſa.) librorum copia vero deeſſet, tam Collegio quam Domui pręfatis, de libris, tam in Theologia, quam in Jure canonico, & civili, ac aliis licitis facultatibus in non parvo numero providere curavit, atque providit, illoſque in eiſdem locis juxta ipſorum opportunitatem, & condecentiam locorum realiter aſſignari fecit, dedit, atque donavit proponens etiam juxta facultatem a Domino ſibi pręſtitam locis ipſis de aliis etiam neceſſariis libris ſucceſſu temporis providere. Quare pro parte ipſius Epiſcopi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pro perpetua librorum hujuſmodi, qui ad pręſens in dictis locis habentur, & in futurum, dante Domino, haberi contigerit, conſervatione, atque tutela, proque ipſorum pauperum ſtudentium, & Religioſorum commodo, & utilitate, providere locis pręfatis paterna diligentia curaremus. Nos igitur ipſius Epiſcopi, Collegii hujuſmodi fundatoris (7) & dotatoris, piiſſimum opus, & laudabile propoſitum in Domino plurimum commendantes, ac ſuper librorum hujuſmodi conſervatione, ac tuta cuſtodia, quantum cum Deo poſſumus, providere cupientes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, circumſpectioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios, eiſdem Collegio, & Domui efficacis favoris, & defenſionis auxilio aſſiſtentes, omnes, & ſingulos tam clericos, quam laicos in Civitate Papien., vel alibi conſtitutos, cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis extiterint, etiamſi Pontificali, vel alia quavis pręfulgeant dignitate, auctoritate pręſentium moneatis, quos, & Nos ex nunc pręſentium tenore monemus, vel alter veſtrum moneat, eiſque, & ipſorum cuilibet in virtute ſanctę obedientię, & ſub excommunicationis pęna, quam in eos, & eorum quemlibet ex nunc prout ex tunc, ferimus, & etiam promulgamus, quamque ſecus pręſumentes incurrere volumus ipſo facto, auctoritate noſtra man- (Inhibitio.) detis, ne libros hujuſmodi, aut aliquem illorum, quovis quęſito colore, extra Collegium, aut Domum pręfata portare, aut illos, vel illorum aliquem ſubtrahere, furari, abducere, ſeu alias occupare, aut occupari, ſubtrahi, abduci, vel furari, facere, ſeu in hujuſmodi conſilio machinari, aut pręſumptoribus auxilium, vel favorem quovis modo prębere pręſumant, alioquin eos, & eorum ſingulos, qui monitionibus hujuſmodi non paruerint cum effectu, quoſque in premiſſis, aut eorum aliquos reos, & culpabiles eſſe noveritis, eorumque complices, & ſequaces, quoties id vobis conſtiterit, aut ſuper hoc fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrum fuerit requiſitus, tandiu in Eccleſiis, ſive locis, in quibus vobis videbitur, dum ibidem populi multitudo convenerit ad divina, diebus Dominicis, & feſtivis excommunicatos etiam nominatim publice nuncietis, & faciatis ab aliis nunciari, ac ab omnibus arctius evitari, donec

Digitized by Google

donec ad cor reverſi libros ſubtractos hujuſmodi reſtituerint, aut de ſimilibus libris, eiſdem locis, valore, & decentia paribus providere curaverint cum effectu, ac ab incurſu hujuſmodi ſententię poſt reſtitutionem integre factam abſolutionis beneficium meruerint obtinere. Et nihilominus, ne ſuper pręmiſſis per aliquos poſſit ignorantia quomodolibet allegari, volumus, per vos, vel alterum veſtrum anno quolibet, prout vobis viſum fuerit, omnes hujuſmodi perſonas in genere requiri, atque moneri, ne contra pręſens mandatum aliquis quicquam attentare pręſumat, & quod etiam Epiſcopus Papien. pro tempore exiſtens, cui in virtute ſanctę obedientię, & ſub ſimilis interminatione ſententię pręſentium auctoritate mandamus, ne aliquis valeat in pręmiſſis ſimilem ignorantiam allegare, in Eccleſiis, & locis pręfatis, anno quolibet, ſemel ſaltem, pręſens mandatum faciat ſolemniter publicari. Conſtitutionibus Apoſtolicis, vel aliis in contrarium editis, non obſtantibus quibuſcunque, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut denunciari, vel evitari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem; Contradictores per cenſuram &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Primo, Quarto Decimo Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Libros.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. VI.*

2. *Papien.*) Seu *Ticinen.*, vulgo *Pavia*, in *Italia*.

3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXLIX fol. 275.*

4. *Brandæ.*) *Caſtellionei*, de quo legendus *Oldoinus* apud *Ciacoaium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCCX pag. 802.*

5. *Sabiaen.*) Hinc emendandus *Oldoinus* mox laudatus, qui *pag. 803* docet Brandam *nunquam Portuenſem Eccleſiam cum Sabinenſi mutaſſe*. Commutavit certe, & ad Eccleſiam *Sabinenſem* translatus eſt *IV* Kalendas Februarii *MCCCCXL*. Adeas *Ughellum in Epiſcop. Portuen. Tomo I Italiæ Sacræ pag. 143, & in Epiſcop. Sabinen. pag. 179. Edit. II.*

6. *Extra.*) Nunc intra.

7. *Fundatoris.*) Huc ſpectat inſcriptio, quæ legitur apud *Oldoinum pag. 803.*

Quædam ad hoſpitium Firmanum (1) fundandum legata deſtinat Sacello conſtruendo in Ædibus Sacris Firmani Cœnobii.

Anno 1441 Die 2 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXXIV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Nicolao (3) Tituli S. Crucis in Jeruſalem Presbytero, & Dominico (4) S. Marię in Via lata (5) Diacono Cardinalibus, ac Venerabili Fratri Epiſcopo Racanaten. (6), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SEdis Apoſtolicę providentia circumſpecta nonnunquam fidelium ultimas voluntates, pręſertim cum ex intentione, a qua illę exortę ſunt, effectum debitum provenire conſpicit, juſtis etiam, & rationabilibus ſuadentibus cauſis variat, atque commutat, necnon deſuper diſponit, & ordinat, prout etiam pro ipſorum fidelium animarum ſalute id conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Sane pro parte dilectę in Chriſto filię Antonnuccię, relictę quondam Petri Antonii Manni laici, vidue Firmanę, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim dictus Petrus Antonius condens de bonis ſuis in ejus voluntate ultima Teſtamentum, dictam Antonnucciam ejus univerſalem heredem inſtituit, ac inter cetera voluit, & ordinavit, quod in domibus ipſius proprię habitationis in Civitate Firmana conſiſtentibus una Eccleſia ſub vocabulo S. Petri Martyris conſtitui, & erigi, ac habitationes ad uſum ſex Religioſorum Ordinis Fratrum Pręedicatorum neceſſarias fieri, videlicet per Antonnuciam prędictam, dum vitam duceret in humanis, & id tunc vellet, ac Priorem, & Lectorem pro tempore exiſtentes domus Sancti Dominici Firmani dicti Ordinis, & nonnullos alios tunc nominatos Teſtamenti hujuſmodi Executores, alioquin poſt obitum pręfatę Antonnuccię, videlicet infra annum ab obitu hujuſmodi computandum; quodque etiam pręfati ſex Religioſi ibi continuo remanere, ac in Miſſis, aliiſque divinis officiis, prout in aliis domibus pręfati Ordinis conſuetum eſt, pro anima dicti Teſtatoris, ac defunctorum ejuſdem, ſervire deberent, necnon pro dote Eccleſię, & ſuſtentatione Religioſorum prędictorum nonnulla tunc expreſſa, ejus poſſeſſiones, & bona reliquit, ac legavit, hac tamen conditione adjecta, quod ſi voluntas ſua hujuſmodi effectum minime ſortiretur, tunc & eo caſu bona omnia pro conſtructione, dote, & ſuſtentatione relicta hujuſmodi ad domum Sanctorum Johannis & Pauli, loci de Venetiis, pręfati Ordinis, Caſtellanę Diœceſis, pervenirent, & quod illius Fratres de illis in Eccleſia dictę eorum Domus, ſeu infra illius territorium unam Eccleſiam ſub vocabulo prędicto erigi, & conſtrui facere, ita quod inibi ſex ad minus Fratres Ordinis hujuſmodi continuo, ut pręfertur, permanere, & ſervire, alioquin ipſa omnia relicta bona Eccleſię S. Marci dicti loci de Venetiis devenirent, de quibus illius pro tempore procuratores Memoriam ſub vocabulo pręfato facere, tenerentur, ac etiam quod dicta bona in alium uſum converti non poſſent, & nonnulla alia voluit, reliquit, & ordinavit, prout in publico Inſtrumento, deſuper confecto, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, pręfata Antonnuccia provide conſideret, quod domus Teſtatoris hujuſmodi infra metas duarum Eccleſiarum Parochialium ad invicem propinquarum, ac etiam circa illas alię domus quorundam magnorum civium Firman. fore noſcantur, & quod exinde plures, prout veriſimiliter pręſumitur, inter Fratres, in domo erigenda degentes, & Parochialium Eccleſiarum Rectores pro tempore, ac Cives hujuſmodi, controverſię, & ſcandala exoriri poſſent, ac propterea cupiat, etiam ad vitam ſuam, loco dictę erigendę Eccleſię unam Capellam ſub vocabulo S. Petri in Eccleſia domus S. Dominici, in qua Corpus pręfati Teſtatoris ſepultum exiſtit, de ſumma ad conſtructionem per Teſtatorem relicta hujuſmodi erigi, & fundari, inibique Miſſas, & alia divina officia pro Teſtatoris, & ejus Defunctorum

Diplomatis cauſa.

animarum ſalute celebrari, necnon reliqua bona omnia per Teſtatorem pro dote erigendę Eccleſię, ac ſuſtentatione Fratrum in ea ſervire debentium, hujuſmodi domui prędictę, ac ejus pro tempore Priori, & Fratribus perpetuo applicari, & concedi, pro parte Antonnuccię prędictę, ac dilecti filii Jacobi de Regno, Ordinis prędicti, & Theologię profeſſoris, ac pro eodem Ordine in Romana Curia Procuratoris, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut deſiderio Antonnuccię hujuſmodi annuere, & alias ſuper pręmiſſis ſtatui, & utilitati Domus Sancti Dominici, ac ſaluti animarum prędictarum, opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, ac domorum habitationis Teſtatoris, aliorumque omnium ſingulorum bonorum, & poſſeſſionum per Teſtatorem tam pro erectione, quam dote, & ſuſtentatione hujuſmodi relictorum qualitates, quantitates, valores, vocabula, atque confines, pręſentibus pro expreſſis haberi volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, circumſpectioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, de pręmiſſis certam, & diligentem informationem ſuſcipiatis, &, ſi per informationem hujuſmodi ea eſſe vera repereritis, ſuper quo veſtram conſcientiam oneramus, auctoritate Apoſtolica ſtatuatis, ordinetis, & concedatis, quod de ſumma exponenda pro erectione Eccleſię conſtruendę hujuſmodi Antonnuccia, ac Prior, & Lector hujuſmodi, & illi ex aliis executoribus pręfatis, qui ſuperſtites fuerint, etiam vivente ipſa Antonnuccia, alioquin, ea defuncta, quam primum fieri poterit, ipſi Prior, Lector, & alii tunc degentes executores duntaxat unam Capellam ſub vocabulo dicti S. Petri in Eccleſia pręfatę Domus S. Dominici erigere, conſtruere, & fundare poſſint, & debeant; ac ulterius domui S. Dominici, ejuſque pro tempore exiſtentibus Priori, & Fratribus ſupradictis tam domus habitationis Teſtatoris, quam reliqua omnia, & ſingula pro dote erigendę Eccleſię, ac ſuſtentatione Fratrum in ea permanere debentium per eum relictas, & legatas poſſeſſiones, & bona hujuſmodi auctoritate prędicta perpetuo donare, appropriare, applicare, atque concedere, aliaque omnia, & ſingula, per quę effectus gerendorum vigore pręſentium prędictorum adimpleri
Mandatum. valeat, facere, & exequi curetis, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Nos enim, ſi ſtatutum, ordinationem, ac donationem, & conceſſionem prędicta per vos, ut pręmittitur, fieri contigerit, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod illa omnia ſic per vos, ut pręfertur, tunc geſta, & facta ex tunc, & antea perpetuo valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, perinde in omnibus, & per omnia, ac ſi idem Teſtator domos, habitationes, & alia per eum, ut pręmittitur, relicta, & legata bona ſupradicta pro fabrica, & erectione, Capellę, ac domui S. Dominici ejuſque Priori, & Fratribus prędictis donaſſet, ac libere reliquiſſet, & deputaſſet, quodque etiam Prior, & Fratres in domo S. Dominici pro tempore degentes hujuſmodi ſingulis diebus, ad minus unam Miſſam pro animabus prędictis in dicta Capella, poſtquam conſtructa fuerit, per unum ex eis celebrare teneantur. Non obſtantibus pręmiſſis, & aliis in dicto Inſtrumento contentis, necnon conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac domus S. Dominici, & Ordinis
Clauſula derogans. Prędicatorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim a pręfata ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Primo, Quarto Nonas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Firmanum.*) *Fermo*, in Marchia *Anconitana*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Firmano*.
3. *Nicolao.*) *Albergato*, quem *non modo Ordinis Carthuſianorum, ſed Eccleſia ſancta decus & ornamentum* fuiſſe, docet *Oldoinus* apud *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCCXVII pag.* 849.
4. *Dominico.*) Cognomento *Capranica*, de quo conſulendus *Oldoinus* mox laudatus *pag.* 832.
5. *S. Maria in Via Lata.*) Nota hoc anno *MCCCCXLI* titulo *S. Mariæ in Via Lata* Cardinalem *Dominicum* ornatum dici. Hinc dilucidatur quæſtio de qua *Oldoinus pag.* 834.
6. *Racanaten.*) *Recanaten.*, ſeu *Recineten.*, vulgo *Recanati* in Marchia prædicta.

Anno 1441 Die 19 Auguſti.

Ut Albenſes (1) Sorores de Pœnitentia veniant in poſſeſſionem Domus Humiliatorum.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCXXV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Aquen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. AD ea, per quę fidelium utriuſque ſexus perſonarum, pręſertim ſub regulari habitu, ac vitę caſtimonia Altiſſimo famulantium omnium utilitati conſulitur, & opportunitatibus ſubvenitur, ex injuncto Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio, libenter intendimus, illaque favoribus, quantum cum Deo poſſumus, proſequimur opportunis. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Margaritę (3), Marchioniſſę Montisferrati, & aliarum Sororum de Pęnitentia Sancti Dominici, in Civitate Alben. commorantium, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod licet in Domo Sanctę Marię Magdalenę Alben. Ordinis Humiliatorum unus Prępoſitus, ac quinque, vel ſex Fratres, necnon, disjunctim tamen
Supplex petitio. ab illis, decem vel undecim Sorores pręfati Ordinis Humiliatorum (4) permanere, & ex illius facultatibus eorum vitę ſubſidia percipere conſueverint, Domus tamen ipſa Fratribus, & Sororibus inibi habitantibus, illius moderno Prępoſito duntaxat excepto, penitus deſtituta remanſit, & remanet, &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi eadem Domus, Ordine Humiliatorum, ac Conventuali Prępoſitura inibi penitus ſuppreſſis, cum omnibus poſſeſſionibus, & bonis mobilibus, & immobilibus, ac annexis, & aliis juri-

Digitized by Google

juribus, & pertinentiis ſuis Sororibus de Pęnitentia Sancti Dominici in Civitate hujuſmodi commorantibus pręſentibus, & futuris perpetuo concederetur, applicaretur, & incorporaretur, ex hoc Sorores pro tempore de Pęnitentia hujuſmodi plura in eorum opportunitatibus commoda ſentirent, & circa Orationes Altiſſimo exhibendas, ac alia pia & bona opera exercenda, prout etiam ratione Inſtitutorum earundem, tenentur, commodius intendere valerent, pluresque etiam mulieres dictę Civitatis ad ſuſcipiendum earum habitum facilius invitarentur. Quare pro parte Marchioniſſę (3), & aliarum Sororum prędictarum, ac dilecti filii Nobilis viri Johannis Jacobi (5) Marchionis Montisferrati, ſub cujus temporali dominio Civitas ipſa conſiſtit, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc, ſtatui Sororum de Pęnitentia hujuſmodi opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ea vera eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Domum prędictam, cujus fructus, redditus, & proventus ſexaginta florenorum auri de camera, ſecundum communem ęſtimationem, valorem annuum, ut ipſę exponentes aſſerunt, non excedunt, ſuppreſſis inibi per te prius Prępoſitura, & Ordine Humiliatorum hujuſmodi, cum annexis, ac aliis bonis, poſſeſſionibus, juribus, & pertinentiis ſupradictis univerſis, Sororibus pręſentibus, & futuris de Pęnitentia hujuſmodi juxta ipſarum ritus, mores, ſtatuta, & conſuetudines perpetuo tenendam, regendam, & gubernandam, auctoritate pręfata perpetuo concedas, incorpores, applices, & aſſignes, ita quod, cedente, vel decedente Prępoſito prędicto, ſeu alias Domum ipſam quomodolibet dimittente, liceat Sororibus de Pęnitentia hujuſmodi per ſe, vel alium, vel alios corporalem poſſeſſionem Domus, annexorum, bonorum, poſſeſſionum, jurium, & pertinentiarum prędictorum, auctoritate propria libere apprehendere, ac fructus, redditus, & proventus pręfatos in ſuos & dictę Domus uſus, & utilitatem convertere, & exponere, Dięceſani loci, vel alterius cujuslibet ſuper hoc licentia minime requiſita. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Domus, & Ordinis Humiliatorum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cęteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de Prępoſituris hujuſmodi ſpeciales, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus generales pręfatę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiam ſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus ad Prępoſituram, & Domum hujuſmodi volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem dignitatum, vel beneficiorum aliorum pręjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis ſpecialibus, vel generalibus Religioſis hactenus conceſſis quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Primo, Quarto decimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Mandatum. Clauſula derogans.

1. *Alben.*) Vulgo *Alba*, in *Monteferrato*, Ducatu *Italiæ*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXL fol.* 94.

3. *Margaritæ.*) Beatæ, cognomento *Magnæ*, ex Illuſtriſſima Ducum *Sabaudiæ* proſapia oriundæ. Ipſius corpus miræ magnitudinis, & formoſitatis, incorruptum ſervatur. Ejuſdem Feſtum celebratur die *XXVII* Menſis Novembris.

4. *Humiliatorum.*) Hinc non ſolum viros, ſed etiam pias mulieres Ordini *Humiliatorum* nomen dediſſe diſcimus.

5. *Johannis Jacobi.*) Qui *Theodoro Palæologo* patre, matre *Johanna*, Ducis *Roberti* filia, natus erat. Mortua *Johanna*, Beata *Margarita* nupſerat *Theodoro*. Hinc *Johannes Jacobus* Beatæ *Margaritæ* privignus erat.

F. Eliam Bodandi delegat, qui Lemovicenſes (1) abſolvat.

Anno 1441 Die 6 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCXXVI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Elię Bodandi Ordinis Prędicatorum, necnon Theologię profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ANimarum ſaluti providere cupientes, ad ea libenter intendimus, per quę ſalus hujuſmodi procurari, & ipſarum periculis animarum valeat ſalubriter obviari. Dudum ſiquidem ad felicis recordationis Martini Papę V, Prędeceſſoris noſtri, notitiam deducto, quod quamplures utriuſque ſexus homines tam Civitatis, & Dięceſis Lemovicen., quam locorum vicinorum, talia, propter quę Sedes Apoſtolica, ſive illius auctoritas conſulenda fuerat, peccata commiſiſſent, qui vel propter guerras partium illarum, aut longam dictę Sedis abinde diſtantiam, viarumque diſcrimina, ſeu corporalem eorum impotentiam pro abſolutionibus a peccatis eiſdem obtinendis ad Sedem ipſam recurrere tunc nequibant, in ſuarum grave periculum animarum, idem Prędeceſſor periculis hujuſmodi obviare volens, tibi confeſſiones aliquorum ex ipſis audiendi, illoſque in caſibus, in quibus Minores Pęnitentiarii in Romana Curia, tunc reſidentes, abſolvere poſſent, abſolvendi ad certum tempus tunc expreſſum per ſuas literas (3) conceſſit facultatem. Cum autem tempus hujuſmodi dudum expiraverit, &, ſicut Nobis nuper innotuit, interim in prędictis partibus hujuſmodi guerrę non ceſſaverint, ſed potius invaluerint, necnon temporum cauſante malitia homines ad illicita committenda procliviores efficiantur, ac propterea aliquis idoneus, aliqua ſuper providendis Chriſti fidelibus, de abſolutionibus, & aliis remediis ſalutaribus ſpeciali poteſtate a dicta Sede ſuffultus, ibidem fore poterit plurimum opportunus. Nos, attendentes, quod tu, ſicuti a multis intelleximus, Verbum Dei in Aquitanię partibus per multa tempora populo dictarum oc-

Exordium. Diplomatis cauſa. Indultum.

occaſione guerrarum afflicto, prędicando, eos verbo pariter & exemplo boni operis informare conſuevisti, hac conſideratione inducti, tibi, qui, ut aſſeris, dilecti filii nobilis viri Ludovici (4) Dalfin (5) Viennen. Confeſſor exiſtis, ut tu, quoad vixeris, Confeſſiones omnium & ſingulorum utriuſque ſexus dictę Diœceſis hominum, ſua peccata tibi confiteri volentium, audire, & Confeſſionibus hujuſmodi diligenter auditis, eis debitam etiam in caſibus temporalibus (6) abſolutionem impendere, ac pœnitentiam ſalutarem injungere valeas, plenam & liberam, auctoritate Apoſtolica, tenore prǽſentium, concedimus facultatem. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Primo, Octavo Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Lemovicenſes.*) In *Gallia Aquitanica*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXLIV fol.* 190.
3. *Literas.*) Conſtitutionem nempe *CXCVII Martini V.* Legitur *Tomo II pag.* 666.
4. *Ludovici.*) Hujus nominis *II.*
5. *Dalfini.*) Seu *Delphini*, vulgo *Dauphin.* Sic primogenitus *Galliarum* Regis vocatur ex *Delphinatus* Provincia.
6. *Temporalibus.*) Papalibus.

Anno 1441 Die 7 Septembris.

Commendat (1) Fratres noſtros Prælatis & populo Duracen., Antibaren. Albanen., Cunanien., Polaten., Raſciæ, & Serinæ.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXXVII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Duracen., & Antibaren. Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis aliarum Eccleſiarum Prǽlatis, necnon Clero, & populo in Duracen., Antibaren. (3), Albanen., Cunanien., Polaten. Raſcia, & Serina Provinciis, & Diœceſibus, conſtitutis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Licet ſupra vires arduis mens noſtra jugiter occupata negotiis &c. (4) Antibaren., ac aliis Provinciis pro reductione, & doctrina populorum hujuſmodi per Priorem Provincialem Provincię Dalmatię, vel Priorem Conventus Domus Duracen., vel alios Superiores Prǽlatos Ordinis ejuſdem, quibus a Sede Apoſtolica eſt hujuſmodi prędicationis cura commiſſa, per ſe mittuntur, qui licet in voluntaria paupertate, & vitę auſteritate perſiſtant devotiſſime, indigent tamen locis, & manſionibus, ubi poſſint quandoque poſt labores perpeſſos in Domino recreari, quas cum ex ſe non habeant, fraternitates, & caritates veſtras in Domino requirimus, & hortamur, per Apoſtolica vobis nihilominus ſcripta mandantes, quatenus tam dilectum filium Nicolaum de Sancto Severino, dicti Ordinis profeſſorem, & in Sacra Theologia Magiſtrum, aſſerentem ſe ad hujuſmodi Prędicationis officium per prǽfatum Priorem Provincię Mandatum. Dalmatię jam pridem deputatum, quam & deinde alios dicti Ordinis Fratres idoneos ab eodem Magiſtro Nicolao ſucceſſivis temporibus ad hoc deputandos, & tranſmittendos, cum ad Provincias, Civitates, Terras, Villas, Caſtra, & alia loca veſtra pervenerint, pio recipientes, admittentes, & pertractantes affectu, verba vitę, & ſalutaris prędicationis hujuſmodi, quę & juxta continentiam literarum felicis recordationis Innocentii IV, & Alexandri IV, & Benedicti XI, Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum, per noſtras literas, cum quadam extenſione innovatarum, coram veſtra devotione duxerint proponenda, ita devota mente, & ſinceris cordibus admittatis, ut errantibus, ac deviis populis hujuſmodi ad ſalutares & uberes fructus reductionis, & devotionis accreſcant, ac, cooperante Altiſſimo, populi hujuſmodi ad viam veritatis aſpirent, & ſalus ipſorum, prout in Domino cupimus, perveniat animarum, voſque provide noſtram, & Sedis Apoſtolicę Benedictionem, & gratiam uberius conſequi valeatis. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Primo, Septimo Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Commendat.*) Legenda *Conſtitutio CLXXX data XV Decembris MCCCCXXXVIII pag.* 93.
2. *Archivo*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXLIV fol.* 216.
3. *Antibaren.*) Vulgo *Antivari*, in *Dalmatia*. De ceteris Provinciis dictum eſt in *Conſtitutione* mox laudata.
4. *Negotiis &c.*) Ut in *Conſtitutione CLXXX data XV Decembris MCCCCXXXVIII* ad hæc uſque verba *Quam Duracen.* Legitur *pag.* 93.

Anno 1441 Die 20 Septembris.

Donat Sororibus noſtris de Pœnitentia Palatium (1) & Eccleſiam S. Cæciliæ de Urbe trans Tiberim.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXXVIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Vicarię, & Sororibus Tertii Ordinis Sancti Dominici, de Pœnitentia nuncupati, in Domibus, Eccleſię Sanctę Cęcilię in Tranſtiberim de Urbe commorantibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Deo devotarum & Religioſarum perſonarum vota ad exauditionis gratiam benigno favore libenter admittimus, illa potiſſime quę illarum quietem, & animarum ſalutem, ac Religionis decus, & honeſtatem reſpicere dignoſcuntur. Hinc eſt, quod Nos, veſtris ſupplicationibus inclinati, vobis, ut Donatio. Domos, ſeu Palatium ad Cardinalatum tituli Sanctę Cęcilię ſpectantes, ſeu ſpectans, in quibus, ſeu quo de prǽſenti commoramini, & pro quarum, ſeu cujus, reparatione, ut aſſeritis, multos ſumptus, & ex-

expenſas feciſtis, donec, & quouſque aliquis Cardioalis tituli dictę Sanctę, qui fuerit, illas, ſeu illud inbabitare voluerit, habitare, & in illis, abſque tamen alicujus penſionis ſolutione, libere & licite commorari poſſitis, auctoritate Apoſtolica concedimos per pręſentes. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis infringere, ſi quis &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Primo, Duodecimo Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Uodecimo.

1. *Palatium*.) Ibi per aliquod tempus Sorores de Pœnitentia commoratas eſſe, & ædibus illis reficiendis magnas impenſas egiſſe, docet ipſum Diploma. Palatium illud, nunc Monaſterium, obtinent Moniales Ordinis *S. Benedicti*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXIV fol.* 167.

Ut F. Didacus (1) de Davalos in Eremitorii S. Mariæ *de la Vega* (2) poſſeſſionem mittatur.

Anno 1441 Die 4 Octobris.

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

CCXXIX.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Arianen. (4), & dilectis filiis Decano Giennen. (5) ac Cantori Corduben. (6) Eccleſiarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Religioois zelus, vitę ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos dilectus filius Didacus de Davalns, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor fide digno commendatur teſtimonio, Nos inducunt, ut ea ſibi favorabiliter concedamus, quę ſuis commoditatibus fore conſpicimus opportuna. Exhibita ſiquidem Nobis nuper ex parte dicti Didaci, petitio continebat, quod olim, poſtquam ipſe per cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Alfonſum (7) Regem Aragonum illuſtrem in ejus Capellanum domeſticum, & commenſalem receptus fuerat, & a dilecto filio Bartholomeo Texerii (8) Magiſtro dicti Ordinis, quod tam in pręfati, quam etiam cariſſimi in Chriſto filii Noſtri Caſtellę Regum, aut cariſſimarum Caſtellę, ſeu Aragonum Reginarum illuſtrium, vel nobilis mulieris Infantiſſę Caſtellę, in Chriſto filiarum ſervitio, quandiu alicui ipſorum gratum foret, aut in quocunque loco aliquis eorum pro ſui complacentia, ſeu ipſi Didaco conceſſa, vel concedenda, gratia ordinaret, eum permanſurum, cum uno Socio ejuſdem Ordinis profeſſore, & ad id voluntario, ſibique grato, idem Didacus ſtare, morari, necnon ipſi Socio, & idem Socius ipſi Didaco, vel cuicunque alteri Fratri dicti Ordiois confiteri quoties foret opportunom, ſine contradictione, libere valerent, licentiam, ſive indultum, ita quod nullus dicto Magiſtro inferior eoſdem Didacum & Socium in aliquo pręmiſſorum quovis modo impedire, nec licentia, ſive indultum hujuſmodi, per generales revocationes, niſi in illis de ipſa licentia ſive indulto de verbo ad verbum ſpecialis mentio fieret, revocari poſſent, obtinuerat: ſuper receptione quoque, & retentione loci ſibi in altero Regnorum Caſtellę & Aragonum aſſignandi, in quo cum dicto Socio pro Infantiſſę pręfatę ſervitio laudibus divinis inſiſtere poſſet, ejuſdem Infantiſſę gratum, liberumque conſenſum babuerunt, dilectus filius Henricus Infans Aragonum Magiſter Militię Sancti Jacobi de Spata (9), cum ad Magiſtrum dictę Militię pro tempore exiſtentem Eremitorii Sanctę Marię de la Vega in Teritorio Pręceptorię Sancti Jacobi de Montizon ejuſdem Militię, Toletan. Diœceſis, ſiti, omnimoda diſpoſitio de antiqua, & approbata, ac hactenus pacifice obſervata, conſuetudine, duntaxat pertineat, illudque gubernans pro tempore ab eo ſolo nutu Magiſtri Militię hujuſmodi amoveri conſueverit, dilectum filium Alfonſum Garcię olim ipſius Eremitorii gubernatorem ſenem, & infirmum ibidem utiliter pręeſſe amplius non valentem, ab illius regimine, & adminiſtratione amovens, Eremitorium ipſum, cum omnibus illius poſſeſſionibus, juribus, & pertinentiis, quę tunc habebat, &, dante Domino, haberet in futurum, pręfato Didaco per eum tenendum, regendum, & gubernandum auctoritate ordinaria conceſſit, & aſſignavit, ita quod illius fructus, redditus, eleemoſynas, oblationes, & mandas (10), quas Chriſti fideles pro devotione ſua ibidem facere vellent, pro tempore levare, exigere, recipere, & habere, de illiſque diſponere, & ordinare libere, & licite valeret, ſicut illi qui dictum Eremitorium tenuerant, rexerant, & gubernaverant pro tempore, de illis diſponere, & ordinare, libere, & licite potuerant, ſeu etiam debuerant, alienatione tamen quorumcunque bonorum immobilium, & pretioſorum mobilium ejuſdem Eremitorii ſibi penitus interdicta. Voluitque dictus Magiſter Militię, quod idem Didacus ex fructibus, redditibus, & proventibus, eleemoſynis, oblationibus, & mandis hujuſmodi ad reparationem, & ornamenta dicti Eremitorii in eo neceſſaria, eſſet aſtrictus, dictique ſenis, & infirmi ibidem ſuſtentationi congrue providere teneretur, prout in ejuſdem Magiſtri Militię exinde confectis, ſuoque ſigillo munitis, literis dicitur plenius contineri. Quare pro parte ipſius Didaci Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſioni, & aſſignationi, ac aliis in literis contentis hujuſmodi pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam de expoſitis, & potiſſime de licentia Magiſtri Ordinis Prędicatorum hujuſmodi, vobis legitime conſtiterit, conceſſionem, & aſſignationem eaſdem, ac quęcunque inde ſecuta, auctoritate noſtra approbetis, & confirmetis, ac ſuppleatis omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & nihilominus de novo ex abundanti cautela Eremitorium prędictum, cujus fructus, redditus, & proventus viginti quatuor Florenorum auri de Camera, ſecundum communem ęſtimationem, valorem annuum, ut ipſe Didacus aſſerit, non excedunt, eidem Didaco per eum tenendum, regendum, & gubernandum, cum omnibus juribus, & perti-

Supplex petitio.

Mandatum.

Nota.

pertinentiis ſupradictis, ſub illis modo, & forma, ſub quibus dictus Magiſter Militię illud, ut pręmittitur, conceſſit, & aſſignavit, ac alias, juxta ſeriem & continentiam licentię Magiſtri Ordinis Prędicatorum hujuſmodi, eadem noſtra auctoritate concedatis pariter, & aſſignetis; inducentes per vos, vel alium, ſeu alios eundem Didacum, vel procuratorem ſuum ejus nomine in corporalem poſſeſſionem Eremitorii, juriumque & pertinentiarum prędictorum, & defendentes inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac facientes ipſum Didacum, vel dictum procuratorem pro eo ad huiuſmodi Eremitorium, ut eſt moris, admitti, ſibique de illius fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus univerſis integre reſponderi, Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam &c. Non obſtantibus Apoſtolicis Conſtitutionibus, necnon Militię ſtabilimentis, ac illius, & Ordinis prędictorum ſtatutis, & conſuetudinibus, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Primo, Quarto Nonas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Clauſula derogans.

1. *Didacus.*) De quo in *Conſtitutione data X Julii MCCCCXXXVI.*
2. *S. Maria de la Vega.*) In *Hiſpania Tarraconenſi.*
3. *Archivo.*) In quo exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXLIV fol.96.*
4. *Arianen.*) *Aurianen.*, vulgo *Orenſe*, in *Hiſpania Tarraconen.*
5. *Giennen,*) vulgo *Jaen*, in *Hiſpania Batica.*
6. *Corduben.*) *Cordova*, in *Hiſpania Batica.*
7. *Alfonſum.*) Hujus nominis *V.*
8. *Bartholomas Texerii.*) De quo ſæpius dictum fuit.
9. *Militia S. Jacobi de Spata.*) Sic vocant celeberrimum Ordinem Militarem ab *Alexandro III* approbatum.
10. *Mandas.*) Munera ſcilicet ad ipſum miſſa.

Anno 1441 Die 15 Octobris.

Excommunicandos eos decernit qui moleſtiis affecerant Fratres ſupplicationem (1) habentes die feſto S. P. Dominici.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXXX.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Narbonen. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Guilielmi Gauberti Prioris, & Fratrum domus oppidi de Monte-Peſſulano, Magalonen. Dięceſis Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, quod licet Prior, & Fratres dictę domus certis diebus, & temporibus, ac pręſertim in feſto Sancti Dominici ipſorum Patroni, de antiqua, & approbata, hactenuſque pacifice obſervata, conſuetudine, certis & Apoſtolicis, eis deſuper ſuffragantibus conceſſionibus, & privilegiis, prędictum oppidum cum elevata Cruce & Reliquiis proceſſionaliter incedere, ac diverſa cantica de ſanctis decantare conſuevíſſent, etiam a tanto tempore, cujus contrarii non eſt memoria, tamen Natalis de Batuto Monachus, qui ſe gerit pro Procuratore, ſive negotiorum geſtore dilecti filii Noſtri Nicolai (4) tituli Sanctę Crucis in Jeruſalem Presbyteri Cardinalis, qui Prioratum ſeu Plebanatum Eccleſię Sancti Firmini ejuſdem oppidi in commendam obtinet, ac duodecim, vel circiter, aſſociati ſibi in ea parte complices clerici, & laici armati, quorum aliqui in dicto oppido ſtudentes, & ſcholares de Univerſitate Studii dicti oppidi exiſtere affirmantur, in dicto feſto juxta conſuetudinem huiuſmodi ad Dei laudem, & honorem in hymnis, & canticis proceſſionaliter, religioſe, & devote incedentes auſu ſacrilego invadere, ac eos, ac dictam Proceſſionem variis, & inhoneſtis clamoribus, & inſultibus inordinatis multipliciter perturbare, ac unum ex Fratribus illi qui tunc Crucem deferebat aſſiſtentem, necnon primum in dicta proceſſione incedentem, enormiter in capite & manu uſque ad non modicam ſanguinis effuſionem vulnerarunt, ſic quod de ejus morte plurimum trepidabatur, necnon quendam Baccalareum in legibus dictę domus familiarem cum enſe evaginato etiam agreſſi fuerunt, ac tres ejus ſiniſtrę manus digitos uno ictu ita inciderunt, quod omni eorum miniſterio deſtitutus eſſe cenſetur, ac etiam in aliquos ex dictis Fratribus manus violentas injecerunt, & plurimos lapides in eos projecerunt in gravem Divinę Majeſtatis offenſam, Religionis vilipendium, ac dictorum Prioris, & Fratrum prędjudicium non modicum, & gravamen, ac etiam dilectus filius Johannes Roges Prior ſecularis, & Collegiatę Eccleſię Sancti Salvatoris dicti Oppidi, cui dilectus filius Ludovicus de Fraſſengis Decanus Eccleſię Sancti Petri Avenionen. Conſervator, ut dicebat, pro dilectis filiis Priore, & Capitulo dictę Eccleſię Sancti Firmini, contra inferentes eis in rebus, & bonis ad ipſos ſpectantibus moleſtias, vel jacturas, per literas Sedis Apoſtolicę deputatus, & habens cognoſcendi de his, quę judicialem requirunt indaginem, ſpecialem per eaſdem literas poteſtatem, ſuper his commiſerat vices ſuas, literarum & commiſſionis earundem prętextu, ad inſtantiam dicti Natalis Guillelmo Priori, & Fratribus prędictis, ne ex tunc in antea in dicto Oppido Proceſſionem facerent, ſub excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, tunc expreſſis, inhibuit, propter quę Guillelmus Prior, & Fratres prędicti ſentientes exinde indebite ſe gravari, ad dictam Sedem Apoſtolicam appellarunt. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, nonnulli ex dictis complicibus de Univerſitate hujuſmodi ſeculares exiſtunt, & propterea diverſis exemptionibus, & libertatibus, quo minus debiti contra ipſos ſuper illorum criminibus, & exceſſibus hujuſmodi inſtituantur, ſive formentur, proceſſus, ſe tueri contendere poſſent, pro parte Guillelmi Prioris, & Fratrum Prędicatorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut appellationis hujuſmodi, necnon negotii principalis, ac illam, quam ipſi contra Natalem & complices prędictos ſuper pręmiſſis, ac illorum (5) movere intendunt, cauſas, alicui in partibus illis committere, & alias eis ſuper his oppor-

Digitized by Google

opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis Natale, necnon complicibus prędictis, & aliis, qui fuerint evocandi, cauſas ipſas audias, & appellatione remota debito fine decidas, faciens quod decreveris per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas veritati teſtimonium perhibere, & inſuper dictos ſacrilegos, tandiu Dominicis feſtiviſque diebus in Eccleſiis, dum major inibi populi multitudo ad divina convenerit, excommunicatos publice nuncies, faciaſque ab aliis nunciari, & ab omnibus arctius evitari, donec Guillelmo Priori, & Fratribus prędictis de prędictis emendam ſatiaſfecerint competentem, & cum tuarum teſtimonio literarum ad Sedem Apoſtolicam venerint abſolvendi & nihilominus legitimis ſuper his per te habendis ſervatis proceſſibus, eos, quoties expedierit, aggravare procures, & contradictores, per cenſuram Eccleſiaſticam &c. invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi, Prędeceſſoris Noſtri, illis pręſertim, quibus cavetur, ne quis extra ſuam civitatem vel Diœceſim niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſuę Diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne judices ab eadem Sede deputati extra civitatem, vel Diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, ſive alii, vel aliis vices ſuas committere pręſumant, ac de duabus dietis in Concilio Generali, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, necnon quibuſvis exemptionibus, & privilegiis de ſcholaribus, & perſonis Univerſitatis hujuſmodi, etiam ratione delicti, aut contractus, ſeu rei de qua agitur, ſeu alias quomodolibet extra dictum Oppidum per literas dictę Sedis, ad judicium non trahendis per felicem recordationem Martinum Papam V, Prędeceſſorem Noſtrum, per quaſdam, quę incipiunt: Singularis: & alias quaſcunque conceſſiones ab eadem Sede, ſeu alias quomodolibet factas, aut conceſſas, etſi de illis, eorumque totis tenoribus, in pręſentibus de verbo ad verbum mentio habenda foret, quibus tamen alias derogare, non intendimus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi Natali, & complicibus prędictis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quo interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint, per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo primo, Idibus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Supplicationem.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. VII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLIV fol. 94.*
3. *Narbonen.*) In *Occitania*.
4. *Nicolai.*) *Albergati*, cujus meminit *Oldoinus* apud *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tom. II ad an. MCCCCXVII pag. 845.*
5. *Illorum.*) Aliquid deeſt: vel legendum: *Aliis*.

F. Andreæ (1) Rhodiorum Archiepiſcopo, ne Latini Cyprii ſe Græcorum communione abſtineant (2).

Anno 1441 Die 5 Novembris.

Ex Odorico (3) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCCXLI num. VI.

Archiepiſcopo (4) Colocenſi (5).

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CCXXXI.

OBlata Nobis nuper pro parte quorundam Epiſcoporum Gręcorum Inſulę Cypri ſupplicatio (6) in effectu continebat, quod licet olim, per Dei gratiam, Gręci Latinis uniti ſunt (7), prout jam apud omnes gentes notorium eſt, tamen Latinorum quidam, in Inſula Cypri commorantes, a communione Gręcorum illic conſiſtentium abſtinere dicuntur, ex quo unionis ipſius effectus, prout deberet, non ſuccedit, prout in ipſa ſupplicatione, cujus copiam tibi pręſentibus mittimus interclusam, plenius continetur. Quare Fraternitati tuę committimus, & mandamus tenore pręſentium, quatenus habita ſuper iis diligenti informatione, ſi prędicta inveneris vera eſſe, omnibus melioribus modo, & forma, quibus id fieri poſſe videris, habita ratione ad Decretum (8) ſuper ipſa unione promulgatum, ut Latini memorati Gręcis pręfatis communicent juxta tenorem ſupplicationis prędictę, omni cura, & diligentia procures. Datum Florentię V Novembris (9) Anno XI.

1. *Andrea.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.
2. *Abſtineant.*) Adeas *Odoricum* loco laudato.
3. *Odorico.*) Laudat *Eugenii IV Librum XII pag. 146.*
4. *Archiepiſcopo.*) Sic legitur apud *Odoricum*, qui Diploma tranſcribit in forma *Brevis*. Penes ipſum fides hac de re ſit: nullum enim autographum Diploma ab eodem Pontifice datum in hac eadem forma reperire potuit. Genuinam formam *Brevium Eugenii IV* exhibent *Conſtitutio CCXL data IV Aprilis MCCCCXLII*, & *CCXLII* data *XXV* ejuſdem menſis.
5. *Colocenſi.*) *Coloſſenſi*, ſeu *Rhodio*.
6. *Supplicatio.*) Hujus tenoris: *Beatiſſime, ac Clementiſſime Pater. Quanquam alias tempore diviſionis Eccleſiarum Latinæ, atque Græcæ, Latini a Communione Græcorum licite abſtinerent, nunc tamen ſublato diſſenſu in tempore indubitatæ Unionis, per Sanctitatem Veſtram, Domino faciente, confirmatæ atque perfectæ, ſi Latini Græcis non communicarent, jam non una Fides, non una fidelium Catholica cunctorum Mater Eccleſia, jam nihil factum putaretur, & Decreta Veſtræ Sanctitatis, Sacroſancto approbante Concilio, ad perpetuam rei memoriam edita, jam per Orbis fines longe, lateque vulgata, tanquam irrita cederent in contemptum. Et quoniam, Pater Beatiſſime, in Regno, & Inſula Cypri Latinis mixtimque Græcis populato, Latini in matrimonialibus, funeralibus, & aliis ſolemnibus publiciſque actibus Græcis non communicant, ut deberent, immo quidam eorundem hoc expreſſe prohibent, quod majoris ſcandali cauſam poſſet veriſimiliter generare. Ut igitur, Pater Sanctiſſime, hujuſmodi ſcandalis obvietur, ac Sancta & ſalubris Unio in Eccleſia Sancta Dei conſervetur in ævum, ſupplicant humiliter eidem Sanctitati Veſtræ Epiſcopi, & alii Græcorum dicti Regni fideles, quatenus omnibus Dominis Epiſcopis, Prælatis, & aliis Latinis ejuſdem Regni incolis ſub cenſuris eccleſiaſticis, & aliis pœnis præcipere & mandare dignetur, quatenus amodo Epiſcopos, Prælatos, & alios* quo-

quoſcunque Græcos fideles, ſecundum eorum Dignitates, & Gradus indiſtincte in proceſſionibus, matrimonialibus, funeralibus, & aliis quibuſcunque legitimis actibus in ſuum conſortium benigne, & caritative recipiant, & admittant, eiſdem communicent, & ſincera in Domino caritate pertractent, nulla ſuper hoc inter eos præteritorum nota penſata in contrarium faciente, non obſtantibus quibuſcunque. Legitur apud *Odoricum* loco laudato.

7. *Uniti ſunt.*) In *Florentino* Concilio Generali.
8. *Decretum.*) Vide acta ejuſdem Concilii. Idem Decretum legitur in *Bullario Romano*. Eſt *XVII* inter Conſtitutiones *Eugenii IV*.
9. *Novembris.*) Si Diploma datum fuit in forma Brevis, deeſt Annus a Nativitate *MCCCCXLI*. Si in forma Bullæ, deeſt idem Annus Incarnationis *Milleſimus Quadringenteſimus Quadrageſimus Primus*.

Anno 1441 Die 28 Novembris.

De reficiendo Confluentino (1) Cœnobio.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXXXII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori & Fratribus Eccleſię Domus Fratrum Ordinis Pręedicatorum oppidi in Confluentia Treveren. (3) Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

HUmilibus & honeſtis ſupplicum votis, his pręſertim, quę reſtaurationem Eccleſiarum, & aliorum piorum locorum reſpiciunt, libenter annuimus, illaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte veſtra petitionis ſeries continebat, quod cum Conventus veſter Fratrum Ordinis Pręedicatorum in Confluentia, Treveren. Dięceſis, ignis voragine infelici quodam caſu combuſtus extitit, qui abſque fidelium ſuffragiis minime reparari, & reſtaurari poteſt, cum dictę Eccleſię facultates plurimum exiles exiſtant, pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut aliquibus Fratribus dicti Ordinis commutandi vota peregrinationis in certam pecuniarum ſummam, in reſtaurationem, & reparationem hujuſmodi Conventus convertendam, & illa vota, quorum commutationes Romani Pontifices, Prędeceſſores noſtri, ſibi reſervare conſueverunt, facultatem concedere, & alias

Indultum.

opportune ſuper his de benignitate Apoſtolica providere dignaremur. Nos itaque, conſiderantes, quod ſine reſtauratione hujuſmodi Conventus in Eccleſia prędicta Divinus cultus continuari non poteſt, quem noſtris pręſertim temporibus apud omnes Chriſti fideles augeri deſideramus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut Prior pro tempore, & Seniores Fratres dicti Conventus deputare poſſint Fratres comprobatę vitę, & alias idoneos, qui ſimul, aut ſeparatim, vota cujuſcunque peregrinationis, & transmarina, & Beatorum Petri, & Pauli, ac Sancti Jacobi in Compoſtella, per quoſcunque Chriſti fideles utriuſque ſexus in Civitate & Dięceſi Treveren., necnon in Provincia Colonien. conſtitutos, emiſſa forſan & in poſterum emittenda, in certam pecuniarum ſummam prout diſcretioni dictorum Fratrum deputandorum, & cuilibet ipſorum conveniens eſſe videbitur, in reſtaurationem & fabricam dicti Conventus duntaxat exponendam, commutare valeant, devotioni veſtrę uſque ad annum a data pręſentium computandum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, indulgemus. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Primo, Quarto Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Confluentino.*) Vulgo *Coblentz*, in *Germania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolica Lib. CXLIV fol.* 116.
3. *Treveren.*) Seu *Treviren.* in circulo Rhenano.

Anno 1441 Die 13 Decembris.

Unit Parochialem Eccleſiam Sanctæ Luciæ Monaſterio (1) Monialium Corporis Chriſti de Venetiis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXXXIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Terviſin. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AD ea, per quę Monaſteriorum, ac aliorum Religioſorum locorum, & in illis pręſertim fragili ſexu Altiſſimo famulantium perſonarum omnium utilitati conſulitur, & opportunitatibus ſubvenitur, ex injuncto Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio libenter intendimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Sororum Monaſterii Corporis

Supplex petitio.

Chriſti de Venetiis Ordinis Sancti Auguſtini, per Prioriſſam gubernari ſoliti, Caſtellan. Dięceſis, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ſi Parochialis Eccleſia Plebes nuncupata Sanctę Lucię de Venetiis, pręfatę Dięceſis, eidem Monaſterio propinqua, ſeu contigua, in qua Corpus ejuſdem Sanctę honorifice conſervatur, quę parvam Parochiam habere, cuique

Nota.

certi annui fructus, ſive redditus non excedentes ſummam viginti ducatorum annuatim, & fidelium oblationes, quibus unus Sacerdos ſe commode ſuſtentare, & alia pro parte incumbentia onera ſupportare non poteſt, provenire noſcuntur, pręfato Monaſterio perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ex hoc Eccleſię in divinis laudibus ſerviretur, & utilitas Monaſterio hujuſmodi proveniret. Quare pro parte Prioriſſę, & Sororum prędictarum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc eorum, ac Monaſterii, & Eccleſię prędictorum ſtatui opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, ac pręfati Monaſterii fructuum, redituum,

Indultum.

& proventuum verum valorem annuum pręſentibus pro expreſſo haberi volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra, te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ea vera eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Eccleſiam prędictam cum omni-

omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Monaſterio auctoritate prędicta perpetuo incorpores, unias, & annectas, ita quod, cedente, vel decedente modernę Rectore prefatę Eccleſię, ſeu alias illam quomodolibet dimittente, liceat Prioriſſę pro tempore exiſtenti dicti Monaſterii per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem poſſeſſionem Eccleſię, juriumque, & pertinentiarum prędictarum, auctoritate propria libere apprehendere, & perpetuo retinere, ejuſque oblationes hujuſmodi in ſuos, ac Monaſterii, & illius pro tempore Sororum, necnon Eccleſię prefatarum, & utilitatem convertere, & exponere, Dięceſani loci, & cujuſcunque alterius licentią minime requiſita. Non obſtantibus, ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales Apoſtolicę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiam ſi per eas ad inhibitionem, & reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus ad dictam Eccleſiam volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum prejudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, ac literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, per quę prefentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus eorum impediri valeant quomodolibet vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus, habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Volumus autem quod propter incorporationem, annexionem, & unionem hujuſmodi, ſi illas vigore prefentium fieri, & effectum ſortiri contigerit, dicta Eccleſia debitis non fraudetur obſequiis, ſed illi per idoneum Presbyterum, ad id per venerabilem Fratrem noſtrum Thomam Epiſcopum Feltren. (4) quandiu vixerit, ac eo defuncto per Prioriſſam pro tempore Monaſterii hujuſmodi eligendum, in divinis laudabiliter ſerviatur, ejuſque Parochianorum animarum cura exerceatur, necnon alias illius debite ſupportentur onera conſueta. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo primo, Idibus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Clauſula derogans.

1. *Monaſterio.*) Vide *Conſtitutiones XLII*, & *XLIII* *Bonifatii IX*, *Tomo II pag.* 334, & 335.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXLIV fol.* 29.
3. *Tervisin.*) Seu *Tarviſin.*, in ejuſdem nominis Marchia, in *Italia*.
4. *Feltren.*) Vulgo *Feltre*, in Marchia *Tarviſina*.

De quibuſdam Propoſitionibus a nonnullis Presbyteris in Mendicantes Fratres prolatis.

Anno 1441 Die 21 Decembris.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CCXXXIV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Beatę Marię de Igniacho & Sancti Medardi Remen. (2), & Sueſſionen. (3) Dięceſum Monaſteriorum Abbatibus, ac Decano Eccleſię Camaracen. (4), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus, illaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prędicatorum, Minorum, Eremitarum Sancti Auguſtini, & Carmelitarum Ordinum Domorum Remen. Priorum, & Fratrum, petitio continebat, quod olim dilecti filii Johannes de Gamante Sancti Stephani, & Petrus Silveſtri Sancti Jacobi Remen., Eccleſiarum Rectores, & quidam alii Presbyteri civitatis, & Dięceſis Remen. nonnulla Sanctorum Patrum dictis, & decretis repugnantia, in fide erronea, piarum aurium multipliciter offenſiva, ac prefatis Fratribus, Prioribus, & Ordinibus non minimum prejudicialia aſſerere, & chriſtiano populo prędicare publice non formidarunt, prout neque quotidie formidant, in animarum ſuarum periculum, & ſcandalum, & pernicioſiſſimum exemplum plurimorum. Quare pro parte ipſorum Priorum, & Fratrum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut cauſam, & cauſas, quam, & quas, propterea eiſdem Rectoribus, & Presbyteris communiter, & diviſim movere volunt, & intendunt, alicui in partibus illis committere, & alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, vocatis Rectoribus, & Presbyteris prefatis, atque aliis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, quod juſtum fuit appellatione remota decernatis, facientes quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellatis veritati teſtimonium perhibere. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi, Prędeceſſoris Noſtri, illis preſertim quibus cavetur expreſſe, ne quis extra ſuam civitatem & Dięceſim niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſuę Dięceſis ad judicium evocetur, ſeu ne judices a Sede Apoſtolica deputati extra civitatem, & Dięceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, ſive alii, vel aliis vices ſuas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine Dięceſis eorundem trahere preſumant, dummodo ultra duas dietas quis auctoritate prefentium non trahatur, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis quibuſcunque, aut ſi Rectoribus & Presbyteris prefatis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab eadem Sede indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra certa loca ad judicium evocari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo primo, Duodecimo Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

Clauſula derogans.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXLVIII fol.* 124.
2. *Remen.*) Vulgo *Reims*, in *Campania*, *Provincia Gallia*.
3. *Sueſſionen.*) *Soiſſons*, in *Inſula Francia*.
4. *Camaracen.*) *Cameracum*, *Cambray*, in *Belgio*.

Anno 1442 Die 5 Januarii.

Fratres laudibus effert, & Avenionenſes ſacras ædes Ordinis, tempore Capituli Generalis ibidem celebrandi (1), viſitantes indulgentia ſpeciali donat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXXXV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cum itaque (3), ſicut accepimus, Generale Capitulum dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Prędicatorum, qui pro Integritate, & veritate Chriſtianę Fidei conſervanda, & ſalute animarum, fructus pariunt in Dei Eccleſia ſalutares, in Domo, ſeu Conventu eorum, civitatis noſtrę Avenionen. (4), feſto Pentecoſtes proxime futuro celebrandum ſit, quę Domus in ędificiis, ac ſtructuris non modica reparatione noſcitur indigere, nec ſumptus habet unde valeat Fratrum multitudinem illo tempore ſuſtentare, & hujuſmodi ędificia reparare, & inſtaurare, niſi ad id pia Chriſti fidelium ſuffragia erogentur; Nos, cupientes, ut dictum Capitulum ſecundum ejuſdem Ordinis laudabilia inſtituta debite celebretur, & Eccleſia domus prefatę congruis honoribus frequentetur, & ut Chriſti fideles ipſi eo libentius confluant ad eandem, & pro reparatione neceſſariorum ędificiorum Eccleſię, domus, & Conventus prędictorum manus promptius porrigant adjutrices, quo propter hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos; de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli, Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui a primis Veſperis dicti feſti Pentecoſtes uſque ad Veſperum tertię ferię immediate ſequentis incluſive Eccleſiam ipſam devote viſitaverint, & pro Fratrum receptione, & Capituli celebratione, ſeu ędificiorum prędictorum reparatione, & conſtructione juxta facultates ſuas manus porrexerint adjutrices, illam indulgentiam & peccatorum remiſſionem concedimus, & elargimur, quam conſequuntur viſitantes Eccleſiam Beatę Marię Virginis Anicien. (5) die Annunciationis Beatę Virginis quando dictę Virginis feſtum occurrit feria ſexta Hebdomadę Sanctę. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo primo (6), Nonis Januarii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Lius Fratrum.

Indulgentia.

1. *Celebrandi.*) Die XX Maii.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* CXLIV *fol.* 261.
3. *Cum itaque.*) Exordium deeſt.
4. *Avenionen.*) In ejuſdem nominis Comitatu *Gallo-Provinciæ*.
5. *Anicien.*) Vulgo *Le Puys en Velay*, in *Gallia*.
6. *Quadrageſimo Primo.*) Stylo Bullarum, Æræ communis *MCCCCXLII*.

Anno 1442 Die 18 Februarii.

Florentinum (1) Monaſterium S. Luciæ confert Monialibus Ordinis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXXXVI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

Romani Pontificis providentia circumſpecta nonnunquam conceſſa per eum, certis cauſantibus, ac alias juſtis, & rationabilibus ſuadentibus cauſis, caſſat, & revocat, & annullat, necnon circa quarumlibet. preſertim ſub Religionis habitu, & humilitatis ſpiritu Altiſſimo famulantium, perſonarum ſtatum ſalubriter, & proſpere dirigendum operoſę diligentię ſtudium libenter impendit, & his, quę earum commodum, & utilitatem conſpicere noſcuntur, opem, & operam, quantum ex alto conceditur, efficaces impendit. Dudum ſiquidem ex certis tunc expreſſis rationabilibus cauſis, motu proprio, inter alia in olim Monaſterio S. Lucię in via S. Galli Florentię, Ordinis S. Auguſtini, Abbatialem Dignitatem, ac dictum Ordinem ſupprimentes, ejuſque tunc Abbatiſſam, & Moniales ad Monaſterium S. Catharinę de Caffagio etiam Florentin. prefati Ordinis transferentes, necnon ipſum Monaſterium S. Lucię, videlicet ejus Eccleſiam, ac infra ipſius ſepta tantum conſiſtentia, domos, ſtructuras, ędificia, curias, hortos, & hortalitia, ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę reſervantes, reliqua omnia ejuſdem Monaſterii S. Lucię, ac ad illud tunc ſpectantia, terras, vineas, poſſeſſiones, jura, & bona mobilia, & immobilia, cenſus, atque redditus prefato Monaſterio S. Catharinę, necnon dilectis in Chriſto filiabus illius Abbatiſſę, & Conventui, primo, & deinde hujuſmodi olim Monaſterio S. Lucię, videlicet ejus Eccleſiam, aliaque omnia, & ſingula, Domos, habitationes, ſtructuras, ędificia, curias, hortos, & hortalitia reſervata prędicta, tam Domus Silvarum Florentinę Dięceſis, quam aliis ubicunque conſiſtentibus, Religioſis, & Fratribus Ordinis B. Marię de Monte Carmelo ſub illius regulari obſervantia degentibus, pręſentibus, & futuris, ac eidem Ordini B. Marię perpetuo conceſſimus, donavimus, applicavimus, & etiam appropriavimus, ut in diverſis noſtris deſuper confectis literis (3) plenius continetur. Cum itaque poſtmodum, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Priorisſę, & Sororum de Pęnitentia S. Dominici nuncupatarum in Civitate Florentina commorantium, petitio continebat, dilecti filii Prior, & nonnulli Fratres, qui vigore conceſſionis eis factę hujuſmodi in dicto olim Monaſterio S. Lucię aliquandiu ſub prędicta obſervantia laudabiliter permanſerant, ex certis cauſis, ad id eorum animos moventibus, de olim Monaſterio, ſeu Domo S. Lucię hujuſmodi ad magnam, & antiquam Domum Florentin. prefati Ordinis B. Marię de Monte Carmelo, ſe tranſtulerunt, & in ea preſentialiter moram

Diplomatis cauſa.

Digitized by Google

moram trahant, ac alias prefatę Prioriſſa, & Sorores in olim Monaſterio B. Marię de Nive, etiam Florentin., Ordinis S. Benedicti, per Nos eis dudum conceſſo, commode habitare non valeant, & propterea ampliori loco indigere noſcantur, ac etiam ex tranſlatis prędictis duabus earundem, quibus poſt tranſlationem ipſam dotes ipſarum aſſignatę fuerunt, & quę extra prefatum Monaſterium Sanctę Catharinę moram trahunt, duntaxat exceptis, dilectę in Chriſto filię, Catharina olim Abbatiſſa, ac Betta, & Tita olim Moniales prefati olim Monaſterii S. Lucię abſque dote remanſerint, & de preſenti remaneant; Nos vitam laudabilem, & opere fructuoſam tam Prioris, & Fratrum, quam Prioriſſę, & Sororum prędictorum plurimum in Domino commendantes, & tam eorum, quam etiam Catharinę, Bettę, & Titę prędictarum, ne ob facultatum carentiam vagare, & per mendicata ſuffragia etiam in Religionis vilipendium, adire cogantur, ſtatui, commodo, & utilitati ſuper his, quantum cum Deo poſſumus, providere, necnon reſervatorum, donatorum, & conceſſorum omnium, & ſingulorum prędictorum, qualitates,
Conceſſio.
quantitates, vocabula, loca, & confines, fructuumque, redditunm, & proventuum veros valores annuos pręſentibus pro expreſſis haberi volentes, ac conceſſionem, applicationem, appropriationem, & donationem tam de olim Monaſterio S. Lucię, illiuſque Eccleſia, Domibus, habitationibus, ſtructuris, curiis, hortis, & hortalitiis, Fratribus de Obſervantia Ordinis B. Marię de Monte Carmelo, quam de omnibus, & ſingulis terris, vineis, poſſeſſionibus, juribus, & bonis, necnon cenſibus, atque redditibus Monaſterio S. Catharinę, ejuſque Abbatiſſę, & Conventui per Nos factas, & literas quoad illas duntaxat deſuper confectas hujuſmodi, etiam dictorum Prioris, & Fratrum ad hoc expreſſo accedente conſenſu, Auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia harum ſerie caſſantes, & revocantes, necnon pro nullis, & infectis habentes, dictumque Ordinem B. Marię de Monte Carmelo in hujuſmodi Domo, ſeu olim Monaſterio S. Lucię penitus ſupprimentes, & totaliter extinguentes, Prioris, & Fratrum, ac Prioriſſę, & Sororum, necnon Catharinę, Bettę, & Titę prędictorum in hac parte ſupplicationibus inclinati, ac etiam de ipſorum omnium ſupplicantium conſenſu, Eccleſiam, olim Monaſterium S. Lucię, ac infra illius ſepta conſiſtentia, domos, habitationes, ſtructuras, ędificia, curias, hortos, & hortalitia reſervata, & Carmelitis olim conceſſa, prędicta, Prioriſſę, & Sororibus pręſentibus, & futuris pręfatis pro earum perpetuis uſu, & habitatione, ita quod ipſum olim Monaſterium S. Lucię ex nunc in antea domus Sororum de Pęnitentia S. Dominici nuncupetur, necnon omnia, & ſingula terras, vineas, poſſeſſiones, jura, bona mobilia, & immobilia, cenſus, atque redditus Monaſterio S. Catharinę, ejuſque Abbatiſſę, & Conventui per Nos hactenus donata, & applicata, hujuſmodi Priori, & Fratribus dictę magnę domus Ordinis B. Marię de Monte Carmelo, etiam pręſentibus, & futuris, ſub prędicta laudabili obſervantia degentibus, auctoritate, & ſcientia prędictis, tenore pręſentium perpetuo concedimus, donamus, applicamus, & appropriamus. Et nihilominus Catharinę, unam, & Bettę aliam, necnon Titę pręfatis etiam aliam partes, ex tribus partibus omnium, & ſingulorum fructuum, reddituum, & proventuum, ex omnibus, & ſingulis terris, vineis, poſſeſſionibus, juribus, cenſibus, & bonis olim Monaſterii S. Lucię per pręſentes, Priori, & Fratribus conceſſis, & donatis hujuſmodi ex nunc in antea pro tempore provenientium, ita quod ſingulę earundem Catharinę, Bettę, & Titę per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem, ſingularum trium partium, terrarum, vinearum, poſſeſſionum, jurium, cenſuum, & bonorum Priori, & Fratribus conceſſorum hujuſmodi, ex nunc auctoritate propria libere apprehendere, quodque Pręſidens, ſeu Pręſidentes pro tempore Monaſterii, ſeu Monaſteriorum, in quo, ſeu quibus Catharina, Betta, & Tita prędictę pro tempore canonice permanſerint, omnia, & ſingula tunc apprehenſa, prędicta retinere, ac quamlibet tertiam partem fructuum, redditunm, & proventuum pro tempore provenientium hujuſmodi percipere, & levare, necnon cuilibet ex Catharina, Betta, & Tita pręfatis integre, abſque diminutione aliqua realiter, & cum effectu, tradere, & conſignare, ac ſingulas tertias partes conceſſorum, & donatorum hujuſmodi de conſenſu dictarum Catharinę, Titę, & Bettę, prout ad earum ſingulas ſpectabit, locare, ſeu affictare, ac in locationem, ſeu affictum concedere, & illa debite conſervare, ſeu conſervari facere teneantur, & quod etiam dicti Prior, & Fratres hujuſmodi ſingulas partes trium partium terrarum, vinearum, poſſeſſionum, jurium, bonorum, atque cenſuum, ac eorum poſſeſſionem, prout illarum cujuslibet reſervatio inferius deſcripta, ſimul vel ſucceſſive cedentibus, vel decedentibus Catharina, Betta, & Tita prędictis ceſſare contigerit, etiam ſimul vel ſucceſſive auctoritate propria libere apprehendere, & perpetuo retinere valeant, Dięceſani loci, & cujuſcunque alterius, ſuper hoc licentia minime requiſita, nec de quacunque parte ex tribus partibus pręfatis donec, & quouſque illius reſervatio prędicta duraverit, directe, vel indirecte, quovis quęſito colore, ſe quomodolibet impedire, nec ingerere audeant, vel pręſumant, ac eiſdem Prioriſſę, & Sororibus pręſentibus, & futuris pro reparatione, & conſervatione Eccleſię, Domorum, ſtructurarum, & ędificiorum olim Monaſterii S. Lucię prędictorum ſuper fructibus, redditibus, atque proventibus terrarum, vinearum, poſſeſſionum, jurium, cenſuum, ac bonorum prędictorum, penſionem annuam duodecim Florenorum auri de Camera per eoſdem Priorem, & Fratres pręſentes, & futuros, videlicet quatuor pro prima, & alios quatuor pro ſecunda, necnon reliquos quatuor Florenos eorundem pro tertia partibus, eis per pręſentes donatorum, & conceſſorum hujuſmodi, prout, & quamprimum illarum poſſeſſionem ſimul, vel ſucceſſive apprehenderint, ipſis Prioriſſę, & Sororibus, pręſentibus, & futuris, vel earum Procuratori legitimo in celebritate Omnium Sanctorum, in Civitate Florentina perpetuo, ſingulis annis, integre perſolvendam, auctoritate prędicta, reſervamus, conſtituimus, & aſſignamus; volentes, & eadem auctoritate ſtatuentes, quod Prior, & Fratres pro tempore magnę Domus hujuſmodi ad faciendam ſolutionem penſionis hujuſmodi juxta reſervationem conſtitutionis & aſſignationis eis factarum prędictarum tenorem efficaciter obligati exiſtant, ac quoties in celebritate prędicta illam non perſolverint, lapſa eadem celebritate ad debitam tunc penſionem hujuſmodi impendendam, ac etiam ſi contra per pręſentes conceſſa Catharinę, Bettę, & Titę pręfatis, vel eorum aliqua venerint, aut fecerint, ſeu attentare, vel facere pręſumpſerint, ut pręfertur, per cenſuram

Eccleſiaſticam, aliaque juris remedia, appellatione poſtpoſita, cogi, atque compelli poſſint, & valeant, quodque quamprimum in magna Domo ſub regulari obſervantia hujuſmodi vivere deſierint, tam prędicta, quam alia ad eos ratione olim Monaſterii S. Lucię pręfati, vel aliarum quarumvis de illis per Nos, vel Sedem Apoſtolicam eis pro tempore factarum conceſſionum, & donationum pro tempore ſpectantia, Nota. terras, vineas, poſſeſſiones, jura, & bona mobilia, & immobilia, necnon Cenſus, atque redditus, omniaque, & ſingula ad olim Monaſterium S. Lucię, ac Prioriſſam, & Sorores hujuſmodi libere revertantur, atque reverti, necnon pertinere, & ſpectare debeant. Preterea eiſdem Catharinę, Bettę, & Titę ac earum cuilibet de dicto Monaſterio S. Catharinę ad aliud, ſeu alia quorumvis Ordinum Monaſterium, ſeu Monaſteria, in quo, ſeu quibus benevolas receptrices invenerint, ſe transferendi, & in eo, vel illis, ſub ejus, vel eorum regulari habitu perpetuo permanendi plenam, & liberam hujuſmodi tenore Clauſula derogans. pręſentium licentiam elargimur. Non obſtantibus prĕmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſteriorum, Domus magnę, & Ordinum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum, caſſationis, revocationis, habilitationis, ſuppreſſionis, extinctionis, conceſſionis, donationis, applicationis, appropriationis, reſervationis, conſtitutionis, aſſignationis, ſtatuti, induiti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prĕſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Primo (4), Duodecimo Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Gratis de mandato Domini Noſtri Papę

Ja: Bonion.

Gratis de mandato D. N. Papę

G. de Callio.

1. *Florentinum.*) Legendæ Conſtitutiones *data 1, & XXIX Octobris MCCCCXXXV*, *pag.* 47, & 48.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Florentia* in Monaſterio *S. Luciæ* aſſervato.
3. *Literis.*) Extant in Archivo Ordinis inter Conſtitutiones *Eugenii IV.*
4. *Quadrageſimo Primo.*) Stylo Bullarum, Æra communis *MCCCCXLII.*

Anno 1442 Die 18 Februarii.

Creat Conſervatores Florentini Monaſterii (1) S. Luciæ.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCXXXVII. Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Florentino, & dilectis filiis B. Marię Florentin., ac Sancti Salvi extra muros Florentin. Monaſteriorum Abbatibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie ſiquidem noſtrę emanarunt Literę, quarum tenor ſequitur de verbo ad verbum, & eſt talis. Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam Rei Memoriam. Romani Pontificis providentia circumſpecta, nonnunquam conceſſa &c. (3). Cupientes igitur ut literę hodie emanatę prędictę, & earum effectus irrefragabiliter obſerventur, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum prĕfatis Prioriſſę, & Sororibus ſuper prĕmiſſis efficacis defenſionis auxilio aſſiſtentes non permittatis eas contra conceſſionem, donationem, applicationem, appropriationem, reſervationem, conſtitutionem, & aſſignationem, per Nos eis factas, hujuſmodi, necnon alias contra dictarum hodie emanatarum literarum continentiam, atque formam quomodolibet impediri, ſeu moleſtari, ac faciatis de penſione ipſis facta prędicta juxta illius aſſignationis, reſervationis, & conſtitutionis prędictarum tenorem per Priorem, & Fratres prędictos, & alios ad quos pro tempore ſpectabit, integre reſponderi. Non obſtantibus omnibus ſupradictis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi Priori, & Fratribus prĕfatis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab eadem Sede indultum exiſtat, quod ad ſolutionem penſionis alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de induito hujuſmodi mentionem. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Primo (4) Duodecimo Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Gratis de Mandato D. noſtri Papę.

G. de Callio.

1. *Monaſterii.*) De quo in precedenti *Conſtitutione.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Florentia* in Monaſterio *S. Luciæ* aſſervato.
3. *Conceſſa &c.*) Ut in precedenti *Conſtitutione* ad finem uſque.
4. *Quadrageſimo Primo.*) Stylo Bullarum, Æra communis *MCCCCXLII.*

De

De Fratribus Mendicantibus promovendis (1) ad Gradus Scholaſticos in Univerſitate Pariſienſi. Anno 1442 Die 24 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. CCXXXVIII.

AD jugem divinę ſcientię, & Sacrę Theologię propagationem, ut peculiare illius ſtudium ad ſalu-
brem fidelium ędificationem undique ſuos funiculos longiores efficiat, continuas noſtrę meditatio-
nis ſolicitudines impendimus, ac illis, quę propterea, ſingulis ſublatis diſpendiis, profutura fore conſpi- Exordium.
cimus, favores Apoſtolicos diffuſius impertimur. Sane pro parte dilectorum filiorum Generalium, &
Fratrum Minorum, Prędicatorum, Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum Ordinum, Nobis nuper
exhibita, petitio continebat, quod licet juxta antiquas, & laudabiles, dudum, etiam a tanto tempore,
cujus contrarii non exiſtit memoria, in Facultate Theologię Univerſitatis Studii Pariſienſis inconcuſſe Diplomatis causa.
obſervatas, conſuetudines, ſinguli dictorum Ordinum Fratres, qui pro felici dicti ſtudii Theologię conti-
nuatione, & ſalutari conſummatione, per generalia cujuſcunque ex dictis Ordinibus Capitula, vel per
ſuos Generales, aut eorum Vicarios, ſeu alios ad id ſufficientem poteſtatem habentes, ad Univerſitatem
Pariſienſem miſſi, & ad legendum Bibliam publice deputati, & aſſignati fuerunt, ſi per deputatos Facul-
tatis Theologię dictę Univerſitatis ad hoc reperti fuerint ſufficientes, ſolutis juribus ejuſdem Facultatis,
ſine mora alicujus pręcedentis temporis ad legendum Bibliam publice hujuſmodi ab eadem Facultate ad-
miſſi, & recepti, ſive acceptati fuiſſent, necnon illi, qui ſimili modo ad legendum Sententias deputati fue-
runt, ſine alicujus pręcedentis temporis requiſitione, ſine Biblię lectura, ſine curſibus, & abſque ulla
ipſorum curſuum perſolutione, ab ipſa Facultate ad legendum Sententias, ſive librum Sententiarum,
admiſſi extiterant; & poſtquam dicti Fratres Baccalaurei formati in dicta Theologia facti fuerant, quili-
bet ex eiſdem Ordinibus Regens, unum ex dictis Baccalaureis pro obtinenda Sententia in dicta Theo-
logia Cancellario Eccleſię Pariſienſis pręſentare conſuevit, ipſeque Baccalaureus ſic pręſentatus, ad im- Mandatum.
mediatam ſequentem tunc Sententiam, licet etiam ſtatuti temporis, videlicet quinque annorum, dum tamen
bis de ordinario reſpondiſſet, ſpatium non complevisset, protinus admiſſi extitiſſent, & ex pręmiſſis plurimi
dictorum Ordinum Fratres in eadem Theologia legendo, & diſputando, multipliciter profecerunt, ac
plura exinde Deo grata, & hominibus accepta bona ſucceſſerunt, tamen a multis annis citra, non-
nulli ex Facultate Theologię Univerſitatis hujuſmodi, dictis Fratribus, ac Ordinibus, communique
utilitati ſe opponentes, ita fecerunt, ut eis exinde multa diſpendia provenire noſcantur, pro parte
Generalium, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper iis opportune pro-
videre de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque uberes, & commendabiles, quos dicti Fra-
tres dudum in Dei Eccleſia afferunt fructus, propenſius attendentes, ac eorum ſtatui, ac indemnitati
in pręmiſſis opportune conſulere cupientes, necnon dictas conſuetudines velut legitimas, & rationabi-
les Apoſtolica auctoritate approbantes, & confirmantes, ac obſervandas fuiſſe, & in futurum perpe-
tuo obſervari debere, cenſentes, ac decernentes pręſentis, perpetuo valiturę, & irrefragabiliter obſer-
vandę conſtitutionis edicto, eadem auctoritate ſancimus, ſtatuimus & ordinamus, quod deinceps per-
petuis futuris temporibus omnes, & ſinguli dictorum Ordinum Fratres, qui pro continuatione, & con-
ſummatione ſtudii Theologię hujuſmodi, per aliqua ex Generalibus dictorum Ordinum Capitula, vel eo-
rum aliquod, aut per ſuos Generales, vel eorum Vicarios, ſeu quoſcunque alios, ſufficientem ad id po-
teſtatem habentes, ad dictam Univerſitatem miſſi, & ad legendum inibi Bibliam, publice deputati, &
aſſignati fuerint, ac per dictos deputatos Facultatis Theologię ad hoc ſufficientes, & idonei reperti fue-
rint, ſolutis juribus ejuſdem Facultatis, indilate, & abſque alicujus pręcedentis temporis mora, ad le-
gendum Bibliam publice hujuſmodi, necnon illi, qui ſimili modo ad legendum Sententias deputati fue-
rint, nulla cujuſvis temporis expectata mora, ſine lectura Biblię, ſine curſibus, & abſque ulla ipſorum
curſuum perſolutione ad legendum Sententias, ſive librum Sententiarum a dicta Facultate, omnibus con-
tradictione, & difficultate penitus ceſſantibus, libere admittantur, & admitti debeant. Ac poſtquam dic-
ti Fratres formati in eadem Theologia Baccalaurei fuerint, quilibet ex eiſdem Ordinibus Regens, unum
ex dictis Baccalaureis, pro obtinenda Sententia in dicta Theologia, prędicto Cancellario pręſentet, &
pręſentare debeat, ipſeque Baccalaureus ſic pręſentatus ad immediatam tunc ſequentem Sententiam, li-
cet ſtatuti temporis, videlicet quinque annorum ſpatium non compleverit, dum tamen bis de Ordina-
rio reſponderit, ſine aliqua contradictione protinus libere admittatur. Mandantes nihilominus Can-
cellario dictę Eccleſię pro tempore exiſtenti, necnon univerſis Doctoribus, Magiſtris, & Scholaribus
dictę Facultatis, eiſque & eorum cuilibet in virtute S. obedientię ac in ſuorum remiſſionem peccaminum
diſtricte pręcipiendo, injungentes, quatenus ſanctionem, ſtatutum, & ordinem prędicta efficaciter
obſervent, & ab omnibus faciant obſervari, ac decernentes irritum, & inane, ſi ſecus ſuper iis a quoquam,
quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, &
ordinationibus Apoſtolicis, necnon Eccleſię, Univerſitatis, Facultatis, & Ordinum prędictorum,
confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate, hactenus, vel in poſterum roboratis, ſtatutis,
& conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, quibus per pręſentes volumus derogari. Nul-
li ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis, approbationis, conſtitutionis, ſanctio-
nis, ſtatuti, ordinationis, mandati, injunctionis, & voluntatis infringere &c. Datum Florentię Anno
Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Primo (3), Nono (4) Kalendas
Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. Preſt

1. *Promovendis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. VI.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLIV fol. 287.* Legitur etiam apud *Waddingum Annal. Minor. Tomo V ad an. MCCCCLXII num. IX pag. 483*, in *Bullario Carmelitano Parte I in Appendice ad Pontificat. Eugenii IV pag. 599.*, apud *Boulæum Hiſtor. Univerſitatis Pariſien. Tomo V pag. 524.* In *Supplemento ad Bullar. Romanum* eſt *XV inter Conſtitut. Eugenii IV.*

3. *Quadrageſimo Primo.*) Stylo Bullarum, Æræ communis *MCCCCXLII.*

4. *Nono.*) Apud *Waddingum*, in *Bullario Carmelitano*, & apud *Boulæum* legitur: *Tertio.*

Anno 1442 Die 24 Martii.

Conſervatores conſtituit qui præcedentes literas executioni mandandas curent.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CCXXXIX.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Melden. (2), & dilectis filiis Sanctę Genovefę (3) intra, ac Sancti Germani (4) extra (5) Pariſien. muros Monaſteriorum Abbatibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie Noſtrę emanarunt literę tenoris ſequentis. Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Ad jugem Divinę Scientię &c. (6). Cupientes igitur, ut dictę literę pro dilectis filiis Generalibus, & Fratribus Prędicatorum, Minorum, Eremitarum, & Carmelitarum Ordinum emanatę votivum ſortiantur effectum, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alios, literas prędictas executioni debitę demandantes, necnon, ubi, & quando expedire videritis, auctoritate noſtra ſolemniter publicantes, ſingulis ex eorundem Ordinum Fratribus pręſentibus & futuris, quoties pro parte eorum, vel alicujus ipſorum deſuper requiſiti fueritis, ſeu alterum veſtrum fuerit requiſitus, in pręmiſſis efficacis defenſionis auxilio aſſiſtatis, necnon ſtatutum, ſanctionem, & ordinationem prędictam perpetuis futuris temporibus firmiter obſervanda fore, & obſervari debere nuncietis, eaque, ac omnia, & ſingula in prędictis literis contenta per cenſuram eccleſiaſticam, & quęvis alia opportuna juris remedia a Rectore. & Cancellario, ac Decano, & Magiſtris Facultatis Theologię dictę Univerſitatis, qui pro tempore fuerint, & quibuſvis aliis cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, exempti, & non exempti, vel conditionis fuerint, & quavis, etiamſi Archiepiſcopali, vel Epiſcopali, aut alia Dignitate prę̨fulgeant, efficaciter obſervari, faciatis; non permittentes dictos Fratres, aut eorum aliquem, ſuper pręmiſſis, vel eorum aliquo, perturbari, ſeu quomodolibet moleſtari, & inſuper, legitimis ſuper his, per vos habendis, ſervatis proceſſibus, eos, quoties expedierit, aggravare curetis; contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam ſimilem &c. Invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Ceterum volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod a dato pręſentium ſint vobis, & cuilibet veſtrum in pręmiſſis omnibus, & earum ſingulis poteſtas, & juriſdictio attributę, ut eo vigore, eaque firmitate poſſitis in illis, & pro eis, dicta auctoritate procedere, ac ſi quoad ipſa omnia juriſdictio hujuſmodi per citationem, vel modum alium legitimum perpetuata foret. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi Prędeceſſoris Noſtri illis pręſertim, quibus cavetur, ne quis extra ſuam civitatem, & Dięceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſuę Dięceſis &c. ad judicium evocetur, ſeu ne judices a Sede Apoſtolica deputati extra Civitatem, & Dięceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, ſive alii, vel aliis vices ſuas committere pręſumant, ac de duabus dietis in Concilio Generali, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede eadem ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo, ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Primo (7), Nono Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Mandatum.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLIV fol. 288.*
2. *Melden.*) Vulgo *Meaux*, in *Gallia Belgica*.
3. *S. Genovefæ.*) Eſt Ordo Canonicorum Regularium.
4. *S. Germani.*) Abbas iſte Ordinis eſt *S. Benedicti*.
5. *Extra.*) In Suburbio ſcilicet *Pariſienſi*, quod vocant *Suburbium Sancti Germani*.
6. *Scientiæ &c.*) Ut in præcedenti ad finem uſque.
7. *Quadrageſimo Primo.*) Stylo Bullarum, Æræ communis *MCCCCXLII.*

Anno 1442 Die 4 Aprilis.

Ut Fratres Florentiam (1) mittantur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Vincentio de Finario (3), Priori domus Bononienſis, Ordinis Prædicatorum.

EUGENIUS PP. IV.

CCXL.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SIncera tuę Religionis dilectione promoti deliberavimus, quoſdam ex Fratribus domus tuę, quam ſpeciali caritate complectimur, Florentiam brevi ſpatio, & quam citius fieri poterit, ad pręſentiam noſ-

noſtram venire, quorum nomina dilectus Filius Jacobus de Regno, tibi, ſuis literis deſignabit. Quocirca devotioni tuę per pręſentes pręcipimus in meritum obedientię ſalutaris, quatenus omnes, & ſingulos Fratres ejuſmodi, infirmitatis urgente caſu duntaxat excepto, ad hanc Florentiam Urbem visa pręſentibus poſt unum, vel duos dies ad tardius, mittas & venire jubeas, ibidemque domum Sancti Marci ejuſdem Religionis, ad civitatem pervenientes, ſe recipiant, donec parte noſtra eis fuerit aliud declaratum. Ipſis nihilominus Fratribus iter ipſum in meritum ſanctę obedientię injungendo, etiamſi de eis per quemcunque illorum Superiorem aliter foret forte diſpoſitum, vel ordinatum. Datum Florentię ſub annulo noſtro ſecreto Die IV Aprilis MCCCCXLI, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Florentiam.*) Ibi Generalis Concilii cauſa per id tempus *Eugenium IV* fuiſſe, liquet ex his quæ refert *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad Ann. MCCCCXLII num. 2.* Quod autem Fratres Prædicatores hac in Synodo præclaras jam ſuſtinuiſſent partes, narrant Auctores, ipſaque Concilii Acta loquuntur. Tanta vero, quam præ ſe fert Diploma, *Eugenii* ſolicitudo, qua Fratrum urget adventum, argumento eſt, Fratres apud ipſum maximæ exiſtimationis fuiſſe.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononienſi pag.* 33. Autographum aſſervatur *Bononiæ*.

3. *De Finario.*) Sic a patria, vulgo *Finale* (urbs eſt *Liguriæ*) cognominatus *Vincentius*.

F. Nicolaum de Anno (1) variis privilegiis ornat.

Anno 1442 Die 17 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCXLI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nicolao de Anno Ordinis Fratrum Pędicatorum profeſſori cariſſimę in Chriſto filię noſtrę Marię de Bautio (3), Reginę (4) Illuſtris, ac dilecti filii nobilis viri Johannis Antonii de Urſinis (5), Principis Tarenti, ejus nati Capellano, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

RElígionis zelus, vitę, ac morum honeſtas, & comprobata tuę devotionis integritas, merito Nos inducunt, ut perſonam tuam ſpecialibus gratiis, & favoribus proſequamur, pręſertim in his, quę animę tuę, & aliorum ſalutem concernere dignoſcuntur. Nos itaque, Reginę & Principis prędictorum, pro te dilecto eorum Nobis humiliter ſupplicantium, conſideratione inducti, tibi, ut eorum capellanus quoad vixeris exiſtas, & ipſis, & cuilibet ipſorum cum uno Fratre tui Ordinis comprobatę vitę, quem duxeris eligendum, tam intra, quam extra Conventum, Miſſam, & alia divina officia libere & licite miniſtrare, & in ſpiritualibus operibus eis deſervire valeas, tui Superioris licentia minime petita, conſtitutionibus, ac privilegiis dicti Ordinis, etiamſi talia forent, de quibus de verbo ad verbum in noſtris literis ſpecialis, & expreſſa mentio eſſet facienda, quibus quoad effectum pręmiſſorum penitus derogamus, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium indulgemus. Et inſuper devotioni tuę, ut aliquem idoneum ſecularem, vel regularem Sacerdotem in tuum poſſis eligere Confeſſorem, qui toties quoties fuerit opportunum, confeſſionibus tuis diligenter auditis, pro commiſſis debitam tibi abſolutionem impendat, & injungat pęnitentiam ſalutarem, etſi talia fuerint, in quibus Priores conventuales dicti Ordinis abſolvere poſſunt, necnon libros dicti Ordinis, & illos, qui tua manu conſcripti eſſe reperiuntur, pro tuo uſu tua vita durante licite & libere habere valeas, eadem auctoritate concedimus per pręſentes. Volumus autem, ut hujuſmodi libri, quamprimum te ab hac vita migrare contigerit, ad dictum Ordinem ſine dilatione aliqua reducantur. Nulli ergo &c. Noſtrę conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo ſecundo, Quinto Decimo Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Indultum.

Nota.

1. *Nicolaum de Anno.*) Legerem *de Aimo*, rectius *de Aymo*. Per id enim tempus floruit *Nicolaus* noſter *de Aymo*, *Siciliæ* Regi, cujus pluries Legationes obiit, acceperſſimus. *Nicolai* meminit *Toppius* apud *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCLXII pag.* 822.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLIV fol.* 294.

3. *Maria de Bautio.*) Vulgo *Baux*. Gens eſt antiquiſſima de qua conſulendi *Bouche* in *Hiſtoria Provinciæ*, *Ammiratus de Familiis Neapolitanis*, aliique paſſim. *Raymundo de Bautio de Urſinis*, Principi *Tarentino*, nupſerat *Maria*. Hinc *de Bautio* nuncupatur. Vel dicendum, quod ipſamet *Maria*, patre *Johanne d' Anguien*, & matre *Sancia de Bautio* nata, cognomen *de Bautio* detulerat vito.

4. *Regina.*) *Raymundo* ſiquidem mortuo, *Ladislaus*, ſeu *Lancelotus I*, Rex *Neapolis*, ipſam *Mariam* uxorem duxerat. Hinc Regina vocatur.

5. *Johannis Antonii de Urſinis.*) Qui *Raymundum*, e nobiliſſima *Urſinorum* proſapia oriundum, patrem, de quo mox dictum fuit, & *Mariam de Bautio* matrem habuit.

Anno 1442 Die 25 Aprilis.

Fratres, qui Senenſe (1) Cœnobium reforment, mittit, & apprime commendat.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCXLII.

Dilectis filiis Magiſtris Hoſpitalis, & Fabricæ Eccleſiæ Senenſis.

EUGENIUS PP. IV.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Conſtituimus, decrevimus, atque ordinavimus ad honorem Dei, & Virginis Marię, & augmentum Sacri Ordinis Prędicatorum, atque etiam ad conſolationem, & ędificationem populi Senarum, Regularem obſervantiam poni, & obſervatum iri in Conventu Sancti Dominici Senen., atque ea ratione a diverſis Conventibus Fratres Ordinis ejuſdem advocavimus, & illuc Senas miſimus. Quare vos hortamur in Domino, ut huic noſtro pio, & ſancto propoſito faveatis, atque id agatis, ut effectum celerem ſortiatur, qua de re & in hoc mundo laudes, & in cęlo gloriam conſequemini, & ſalutem. Datum Florentię ſub annulo noſtro ſecreto, die XXV Menſis Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Senenſe*.) In *Hetruria*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar in *Bullario Bononienſi* pag. 34. Autographum aſſervatur *Bononiæ*.

Anno 1442 Die 28 Aprilis.

Monaſterium, ad Lutum Leporis (1) nuncupatum, Ordinis juriſdictioni reſtituit, & reformandum jubet.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCXLIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro de Gengembach Fratri Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Apoſtolicę ſervitutis, Nobis injunctę deſuper, officium mentem noſtram excitat, & inducit, ut circa ea, quę pro ſtatu proſpero Monaſteriorum, ac piorum locorum, necnon perſonarum in illis ſub regulari obſervantia vacantium aſſidue ſtudio pię vitę, opportuna fore conſpicimus, & per quę illarum neceſſitatibus conſulitur, operoſis ſtudiis intendamus. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod olim, poſtquam dilecti filii Bartholomęus Texeri (3), Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac Provincialis Provincię Teutonicę Fr. Nicolaus Notel, tibi commiſerant, ut Monaſteria quędam pręfati Ordinis, & ſpecialiter Monaſterium Sororum ſive Monialium extra muros Spiren. (4), ad Lutum Leporis nuncupatum, ſub cura Fratrum dicti Ordinis viventium, reformares, ut dilectę in Christo filię Prioriſſa & Sorores dicti Monaſterii ſub perpetua clauſura remanerent, tamen congregati in Civitate Baſilien, poſtquam Nos olim Concilium Baſilien. de Civitate Baſilien. ex juſtis, & neceſſariis cauſis ad Civitatem Ferrarien. (5), etiam per certas literas tranſtulimus, Monaſterium, ac Prioriſſam, ac Sorores prędictas curę & regimini venerabilis Fratris Noſtri Epiſcopi Spiren. pro tempore exiſtentis ſubjecerunt, unde reformatio, & clauſura fuerunt totaliter impeditę, & niſi clauſura hujuſmodi fiat, de ſcandalis, animarumque periculis in pręfato Monaſterio extat multipliciter formidandum, pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, pręfatas literas, & quaſcunque ſimiles in futurum dandas, necnon quęcunque inde ſecuta, quarum tenores pręſentibus, pro expreſſis haberi volumus, Apoſtolica auctoritate, & ex certa ſcientia caſſa, & irrita, nulla, & infecta eſſe declarantes, ac decernentes, ac nullius exiſtere roboris, vel momenti, nunciantes, ac mandantes Fratribus, & Sororibus prędictis, & omnibus tibi commiſſis, & committendis per Generalem, aut Provincialem pręnotatos, pręſertim Prioriſſę, & Sororibus prędictis, ac eis in virtute ſanctę obedientię, & in peccaminum ſuorum remiſſionem diſtricte prępicientes, ac injungentes, ut in ſingulis, quę reformationis, & clauſurę prędictarum miniſterium quomodolibet concernunt, tuis pręceptis, monitionibus, & exhortationibus efficaciter pareant, & intendant. Et inſuper tibi ad pręfatum Monaſterium te perſonaliter conferendi, illudque, ac ejus Prioriſſam, Sorores, & perſonas viſitandi, ac in ſpiritualibus, & temporalibus, tam in capite, quam in membris reformandi, & deinceps perpetuis futuris temporibus, ut Prioriſſa, & Sorores ipſius Monaſterii ſub perpetua clauſura vivere debeant, & teneantur, ſtatuendi, & ordinandi, ac omnia, & ſingula, quę reformationis ope indigere videbuntur, prout tibi expedire viſum fuerit, reformandi, exceſſus quoque, & crimina Prioriſſę, & Sororum prędictarum corrigendi, ſtatuta quoque utilia, honeſta, & rationabilia faciendi, edendi, & concedendi, necnon Prioriſſam, & Sorores prędictas ad vivendum ſub clauſura hujuſmodi per cenſuram eccleſiaſticam, & alia opportuna juris remedia, compellendi, & coercendi, ac ſecularis brachii auxilium deſuper invocandi, & a ſuis pręſidentiis, & officiis ſingulis abſolvendi, & novas inſtituendi, necnon omnia alia, & ſingula, quę in pręmiſſis, & circa ea, necnon pro pręfatorum Monialium, & ipſius Monaſterii ſalubri directione, & indemnitate, Religionis propagatione, & divini cultus incremento, necnon Prioriſſę & Sororum prędictarum animarum ſalute, & devotionis augmento opportuna, vel neceſſaria fore

Diplomatis cauſa.

per-

perſpexeris, prout tibi ſecundum Deum expedire appareat, faciendi, diſponendi, ordinandi & exequendi, plenam, & liberam, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium licentiam concedimus, & facultatem; & nihilominus excommunicationis, ſuſpenſionis, ac interdicti, aliaſque eccleſiaſticas ſententias, cenſuras, & pęnas, quas in contradictores, & rebelles quoslibet, cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, ſexus, vel conditionis fuerint, rite promulgaveris, ratas habebimus, ac faciemus, auctore Domino, inviolabiliter obſervari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac privilegiis, exemptionibus, & indultis dicto Monaſterio ſub quibuſvis verborum formis quomodolibet conceſſis, & ſi de illis in pręſentibus de verbo ad verbum mentio habenda foret, quorum omnium tenores etiam pro expreſſis haberi volumus, ac Monaſterii, & Ordinis pręedictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate, roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Secundo, Quarto Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Ad Lutum Leporis.*) In *Germania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLIV fol.* 3.
3. *Bartholomaeus Texeri.*) De quo ſæpius dictum fuit.
4. *Spiren.*) Vulgo *Speyr*, in *Germania*.
5. *Ferrarien.*) Anno *MCCCCXXXVII* indictum fuiſſe *Ferrarienſe* Concilium, referunt Annales Eccleſiaſtici.

Curam animarum Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Novellæ Florentiæ (1) Fratribus Ordinis committit.

Anno 1442
Die 9 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXLIV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Arianen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

AD ea per quę Monaſteriorum, & aliorum religioſorum locorum, ac in eis Altiſſimo famulantium, perſonarum omnium commodo, & utilitati conſulitur, ex injuncto Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio, libenter intendimus, illaque favoribus, quantum cum Deo poſſumus, proſequimur opportunis. Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus Sanctę Marię Novellę Florentin., Ordinis Fratrum Prędicatorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod licet in Eccleſia pręfatę domus una perpetua capellania, Rectoria, ſeu Vicaria per ſecularem Presbyterum teneri ſolita, cui cura parochianorum pro tempore exiſtentium dictę Eccleſię, quę etiam Parochialis eſt, imminere dignoſcitur, inſtituta exiſtat, ac Prior, & Fratres pro tempore exiſtentes, pręfatę domus ex illius fructibus, redditibus, atque proventibus Presbytero pro tempore obtinenti Capellaniam hujuſmodi ſex Florenos auri annis ſingulis perſolvere, & aſſignare conſueverint, & de cetero perſolvere, teneantur, tamen multis citra temporibus Prior pro tempore ſupradictus, aut unus ab eo ad id pro tempore deputatus, ejuſdem domus Frater in Sacerdotio conſtitutus, curam animarum parochianorum pro obtinente pro tempore Capellaniam hujuſmodi exercuit, prout exercet etiam de pręſenti, &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi Capellania, ſeu Rectoria, vel Vicaria in Eccleſia hujuſmodi penitus ſupprimeretur, ejuſque penſio, ſeu reſponſio prędicta dictę domui perpetuo incorporaretur, uniretur, & annecteretur, ipſique pro tempore Prior, & Fratres ab onere ſolutionis hujuſmodi liberarentur, ex hoc hujuſmodi domus aliquod ſuſciperet relevamen, & per illius Priorem, ſeu unum ex Fratribus pro tempore exiſtentem cura prędicta laudabiliter exerceretur. Quare pro parte dictorum exponentium, aſſerentium, quod pręſentatio Presbyteri ſecularis hujuſmodi, ad eandem Capellaniam, Rectoriam, ſeu Vicariam, quoties illam vacare contigerit, ad dictum pro tempore Priorem, pertinere dignoſcitur, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc eorum, & dictę domus ſtatui, & utilitati opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, auctoritate noſtra, te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi, ea vera eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Capellaniam, Rectoriam, vel Vicariam perpetuam prędictam in pręfata Eccleſia, auctoritate prędicta, perpetuo ſupprimas, ac penitus extinguas, necnon illius fructus, redditus, & proventus, qui in reſponſione, ſeu penſione ſex Florenorum hujuſmodi duntaxat conſiſtunt, ac ipſam penſionem eidem domui perpetuo incorpores, unias, & annectas, ita, quod cedente, vel decedente Presbytero, Capellaniam, ſeu Rectoriam, vel Vicariam hujuſmodi obtinente, ſeu alias illam quomodolibet dimittente, penſio, ſeu reſponſio ſex Florenorum hujuſmodi ceſſet penitus, & expiret, necnon Priores & Fratres pręſentes, & futuri, dictę domus ab illorum ſolutione & aſſignatione prędicta perpetuo liberi & abſoluti exiſtant, eiſque liceat illos in ſuos, & dictę domus uſus, & utilitatem auctoritate propria libere convertere, & exponere, Diœceſani loci, & cujuſcunque alterius ſuper hoc licentia minime requiſita. Nos enim ſi ſuppreſſionem, & unionem hujuſmodi vigore pręſentium per te fieri contigerit, Priori pro tempore exiſtenti domus hujuſmodi, quod ipſe per ſe, vel unum, ſeu duos, aut plures ex Fratribus pręſentibus, & futuris pręfatis, animarum parochianorum pręſentium, & futurorum dictę Eccleſię curam exercere libere & licite poſſit, & valeat, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, concedimus, & etiam indulgemus, necnon & dictum pro tempore Priorem ad hujuſmodi curam perpetuo, ut pręfertur exercendam teneri, & obligatum fore, ſtatuimus, decernimus, & ordinamus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Domus, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque,

Mandatum.

Clauſula derogans.

aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus, ſpeciales, vel generales Apoſtolicę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiam ſi per eas ad inhibitionem, & reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum quas quidem literas, & proceſſus ad pręfatam Capellaniam, Rectoriam, vel Vicariam volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem Beneficiorum aliorum pręjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus eorum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, cujuſque toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Secundo, Quinto Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Florentiæ.*) In *Hetruria*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLIV fol.*78.

Anno 1442 Die 15 Junii.

Ædes Sacras S. Mariæ extra muros Lycien. (1) ſitas, confert Fratribus Prædicatoribus.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCXLV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Capperino Aromatario Civi Lycien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

HUmilibus, & honeſtis ſupplicum votis libenter annuimus, illaque favoribus proſequimur opportunis. Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod tu unus de Societate, ſive Confraternitate Sanctę Marię Annunciationis extra muros Lycien. exiſtens, cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, de bonis tibi a Deo collatis quandam Capellam ſub vocabulo Sanctę Marię Annunciationis extra muros Lycien. conſtrui, & ędificari feciſti. Cum autem ad Ordinem Fratrum Prędicatorum, tu, & Cives Lycien. magnum geratis devotionis affectum, pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Capellam prędictam a Fratribus dicti Ordinis in Domo & Eccleſia Sancti Johannis Baptiſtę Lycien., Ordinis Prędicatorum, exiſtentibus, ſub regulari obſervantia viventibus, regi, & gubernari, & ab eiſdem divina officia celebrari, ac eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrari, concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur cupientes, ut fideles Chriſti continuo in devotionis ardore magis inflammentur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati,

Donatio.

ut Fratres Eccleſię & domus prędictarum, in obſervantia tamen viventes, perpetuis futuris temporibus dictam Capellam licite, & libere regere, & divina officia ibidem celebrare, & eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare valeant, felicis recordationis Clementis Papę Quinti, Prędeceſſoris Noſtri, & alia qualibet conſtitutione contrariis nequaquam obſtantibus, jure Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius ſemper ſalvo, auctoritate pręſentium indulgemus. Nulli ergo &c. Noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Secundo, Decimoſeptimo Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Lycien.*) Ibi fundatum fuit Cœnobium *SS. Annunciationis*. Juris eſt Provinciæ *Apuliæ*.

2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar, Authenticum unum *Libro B. fol.*238, ex Autographo aſſervato in Cœnobio *SS. Annunciationis* extra muros *Lycien.*; aliud ex *Archivo Apoſtolico, Lib. XXII fol.*216.

Anno 1442 Die 22 Junii.

Curam animarum committit Fratribus Cœnobii S. Marci Florentin. (1)

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCXLVI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

SAcrę Religionis, ſub qua dilecti filii Prior, & Fratres domus Sancti Marci Florentin., Ordinis Fratrum Prędicatorum, de obſervantia, mundanis abjectis illecebris, devotum, & ſedulum exhibent Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut petitiones eorum, illas pręſertim, quę ſpirituale fidelium intereſſe reſpiciunt, ad exauditionis gratiam favorabiliter admittamus. Cum itaque, ſicut accepimus, Eccleſia domus prędictę, quę olim Prioratus Ordinis S. Benedicti Silveſtrinorum nuncupati extitit (3) tam tunc, quam etiam poſtea parochianos habuiſſe, ac de pręſenti habere noſcatur, aſſeruntque Prior, & Fratres, curam animarum parochianorum eorundem tempore exiſtentię Prioratus hujuſmodi, per Monachos, qui inibi tunc degebant, aut aliquando forte per Seculares Presbyteros exerceri conſueviſſe, ſeque ob carentiam facultatum aliquem Capellanum, qui curam prędictam, quam ipſi per ſe ipſos abſque Apoſtolicę Sedis indulto exercere non poſſunt, pro tempore exerceat, manutenere commode nequire, Nos ſuper hoc opportune providere volentes, ipſorum Prioris & Fratrum, in hac parte ſupplicationibus inclinati, eis, ut qui nunc eſt, & pro tempore fuerit dictę Domus Prior curam prędictam per ſe, vel alium, ſeu alios ex Fratribus hujuſmodi, quem, vel quos ipſe Prior ad hoc deputandum, ſeu deputandos duxerit, prout Monachi, ſive ſeculares Presbyteri antedicti olim potuerunt, & debuerunt pro perpetuis futuris temporibus exercere libere, & licite valeat, atque poſſit, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium de ſpeciali gratia, & in favorem obſervantię regularis

Mandatum.

indul-

indulgemus; ſibi nihilominus curam ipſarum ſerio plenarie committentes. Non obſtantibus Apoſtolicis conſtitutionibus, ac Ordinis Fratrum Prędicatorum hujuſmodi, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis, & commiſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Secundo, Decimo Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo. Sanctio pœnalis.

Jo. de Steccatis.

1. *Florentiæ.*) In *Hetruria*.
2. *Archivo*.) In quo duplex Exemplar, unum ex Autographo *Florentiæ* aſſervato, aliud ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLIV fol.* 17.
3. *Extitit*.) Conſulenda *Conſtitutio CIII* ejuſdem *Eugenii IV.* Legitur *pag.* 57.

Indulgentia conceſſa viſitantibus ædes Sacras Xantonen. (1) Cœnobii.

Anno 1442 Die 5 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCXLVII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Univerſis Chriſti fidelibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cunctarum Eccleſiarum, ac domorum, necnon aliorum piorum locorum, pręſertim ſub vocabulo Beatiſſimę Virginis Marię ſine tactu pudoris matris Redemptoris Domini Noſtri Jeſu Chriſti glorioſiſſimę, ac in ipſius, & beatam vitam poſſidentium Sanctorum in cęlis, laudem erectorum, & conſtructorum, manus pias adjutrices piis affectibus porrigere, pium apud Redemptorem ipſum, ac meritorium reputantes, cunctos Chriſti fideles ad impendendum Eccleſiaſticis, & locis prędictis auxilium libenter noſtris & Apoſtolicę Sedis excitamus muneribus, &, ut ad id eo Fideles ipſi fortius animentur, quo majus ex hoc animarum commodum ſe ſperaverint adipiſci, nonnunquam pro his temporalibus, & momentaneis ſuffragiis ſpiritualia, & ęterna eis munera, remiſſiones videlicet peccaminum, & indulgentias elargimur. Exordium. Sane cum, ſicut pro parte cariſſimi in Chriſto filii Noſtri Caroli (3) Regis Francorum Illuſtriſſimi, necnon Venerabilis Fratris noſtri Guidonis (4) Epiſcopi, ac dilectorum filiorum Communitatis & Prioris, ac Conventus domus Beatę Marię Ordinis Fratrum Prędicatorum Xantonen., accepimus, domus ipſa in ſtructuris, & ędificiis ſumptuoſe ędificata, cauſantibus guerris, & aliis diris, ac ſiniſtris eventibus, quę partes illas ac Civitatem Xantonen. hactenus afflixerunt, imperfecta remanſerit, ac ipſa necnon Capella etiam ſub vocabulo glorioſiſſimę, ac Matris prędictę Marię Virginis fundata, in qua Prior, & Fratres dictę domus Miſſas, & alia divina officia continuo celebrare conſueverunt, prout de pręſenti celebrant, cauſantibus pręmiſſis ſiniſtris, & guerris, ruinę ſubjacere nimentur, & totaliter corruere ſperentur, niſi ipſis Priori, & Fratribus piis fidelium hujuſmodi ſuffragiis, & eleemoſynis ſubveniatur: Supplex petitio Galliarum Regis. Nos, cupientes domum, & Capellam prędictas hujuſmodi in ſuis ſtructuris, & ędificiis conſervari, ac ad debitam illorum reparationem & perfectionem deduci, & perpetuo conſervari, & ut ipſi fideles ad eandem Capellam confluant, ac pro fabrica, & reparatione illius, & domus prędictę promptius manus porrigant adjutrices, quo fideles ipſi majora pręmia ſe ſciverint reportare, pręfatorum Regis, & Epiſcopi, necnon Communitatis, & Prioris, ac Conventus, & Fratrum hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui in die celebritatis, & feſtivitatis glorioſi Sancti Eutropii Capellam eandem devote viſitaverint annuatim, ac manus pias pro fabrica, & reparatione prędictis porrexerint adjutrices, ut pręfertur, ſeptem annos de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Indulgentia. Volumus autem quod ſi alias viſitantibus dictam Capellam, aut manus porrigentibus adjutrices, ſeu alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, ſive alias aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura per Nos conceſſa fuerit, pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Secundo, Tertio Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Xantonen.*) Vulgo *Xaintes*, in *Gallia Aquitanica*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLIII fol.* 177.
3. *Caroli*.) Hujus nominis *VII.*
4. *Guidonis*.) Adeas *Sammarthanos* in *Epiſcopis Xantonen.*

Anno 1442
Die 5 Julii.

Confirmat Donationem (1) quandam a ſe factam Conventui Sancti Dominici Peruſin.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXLVIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus Sancti Dominici Peruſin. Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrę Religionis, ſub qua devotum, & ſedulum exhibetis Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut petitiones veſtras, in his pręſertim, per quę jurium veſtrorum detractionibus obviatur, quantum cum Deo poſſumus, ad exauditionis gratiam favorabiliter admittamus. Dudum ſiquidem videlicet tertio Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Nono, pro parte veſtra Nobis inter alia expoſito, quod fabrica Domus veſtrę, quę miro, ſumptuoſoque opere fundari incepta erat, in ſtructuris, & ędificiis

Diplomatis cauſa.

ſuis perfici, ac Fratres in eadem Domo ſub pię vitę ſtudio in multitudine numeroſa pro tempore degentes ex facultatibus ipſius Domus, piiſque decedentium legatis, quę illi pro tempore fiebant, ſuſtentari commode non poterant, quodque Domui prędictę quę pro perfectione, & ſuſtentatione hujuſmodi duodecim millium florenorum auri ſumma indigere noſcebatur, niſi Apoſtolico ſuffragante pręſidio, in pręmiſſis congrue ſubveniri nequibat; Nos tunc inter alia medietatem omnium bonorum immobilium, & mobilium, jurium, & pertinentiarum, & actionum ubicunque, & in quibuſcunque rebus conſiſtentium, ac nominum debitorum per quondam Nicolaum de Cheſes de Monte Politiano, Civem Peruſin., in ejus ultima voluntate, ſub certis forma, & conditione Chriſti pauperibus legatorum fabricę, & ſuſtentationi prędictis conceſſimus, & donavimus, ac Priori, ſeu Proviſori dictę Domus pro tempore exiſtenti medietatem hujuſmodi, quandocunque conditio pręfata adveniret, petendi, exigendi, & recipiendi, ac ſingulis dantibus, & ſolventibus de omni eo, & toto quod ex ipſa medietate reciperet, finem & quitationem faciendi, plenam, & liberam facultatem conceſſimus per quaſdam primo, & deinde, ſcilicet duodecimo Kal. Octobris, Pontificatus prędicti Anno Undecimo, pro parte Guillelmi de Caſali (3) Generalis Miniſtri Ordinis Minorum, & quondam Jacobę pręfati Nicolai filię Mulieris, tunc in humanis agentium, ſimiliter Nobis expoſito, quod olim dictus Nicolaus, cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna, felici commercio commutare, & condens in ejus voluntate ultima de bonis ſibi a Deo collatis teſtamentum, in illo inter alia nonnulla bona in Civitate noſtra Peruſin. ejuſque Diœceſi conſiſtentia, & ad eum legitime ſpectantia, poſt obitum dictę Jacobę, quam bonorum hujuſmodi uſufructuariam, quoad viveret, eſſe voluerat, & decreverat, inter Chriſti pauperes diſtribuenda reliquerat, certis deſuper executoribus deputatis, prout in inſtrumento publico, ſuper inde confecto, dicebatur plenius contineri, quodque Eccleſia, ſive Domus Sancti Franciſci Aſſiſinaten. dicti Ordinis in ſtructuris, & ędificiis ſuis reparatione non parum indigebat, ac prędicta mulier ad Sanctum & Ordinem pręfatos ſingularem devotionis affectum gerebat, & de propria ſalute recogitans unam nonnullis Fratribus Ordinis Prędicatorum, & pauperibus Chriſti erogare, aliam vero, & majorem partem bonorum prędictorum in reparationem Domus Aſſiſinaten. hujuſmodi, ac illius Eccleſię fabricam convertere deſiderabat; Nos tunc per alias noſtras literas certo Judici mandavimus, ut de pręmiſſis omnibus per eoſdem Miniſtrum & Mulierem expoſitis, ac eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra ſe diligenter informaret, &, ſi ita eſſe reperiret, pręfatę mulieri omnia, & ſingula bona prędicta vendendi, illaque, ſeu pretium ex ipſorum venditione provenientes pro una Fratribus Ordinis Prędicatorum, & pauperibus hujuſmodi, prout, & ſecundum quod ſuę conſcientię videretur, diſtribuendi, pro alia vero, & majori, partibus prędictis, in reparationem Domus Aſſiſinaten., & fabricam illius Eccleſię hujuſmodi convertendi duntaxat, plenam, & liberam, eadem auctoritate, licentiam concederet, & etiam facultatem, prout in ſingulis literis prędictis plenius continetur. Cum autem pro eo quod Miniſter, & mulier prędicti conceſſas vobis per Nos priores literas antedictas in hujuſmodi eorum expoſitione ſua tacuerunt, & de ipſis prioribus nulla in dictis poſterioribus literis mentio facta fuit, ipſę poſteriores literę quoad medietatem bonorum per Nos Domui veſtrę, ſeu illius Eccleſię, ut pręfertur, conceſſam, & donatam hujuſmodi duntaxat, ſubreptitię, & invalidę cenſeantur, &, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Priorum artium dictę civitatis, & veſtra petitio continebat, ipſi Priores firmiter tenentes, quod Miniſter, & mulier prędicti, ſi de prioribus literis prędictis debitam mentionem feciſſent, poſteriores literas pręfatas a Nobis niſi ſalvis conceſſione & donatione medietatis hujuſmodi, ac ſine quocunque illarum pręjudicio, minime obtinuiſſent, ęgre ferant, quod bona concivium ſuorum in partibus ab eadem civitate alienis erogari debeant, conſiderata potiſſime neceſſitate perfectionis Domus veſtrę antedictę, & quod ex perfectione ipſa inexplicabilia animarum commoda provenire ſperatur, pręfata quoque conditio per obitum mulieris hujuſmodi advenerit;

Mandatum.

Nos, ſuper his opportune providere volentes, Priorum artium prędictorum & veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, literas poſteriores prędictas ac proceſſus habitos per eaſdem, & quęcunque inde ſecuta, quoad medietatem eandem duntaxat, nulla, & invalida fuiſſe, & eſſe declarantes, necnon ex abundanti caſſantes, irritantes, & annullantes, ac pro nullis, & infectis habenda decernentes, ita tamen, quod quoad reliquam partem, quam in reparationem Domus Aſſiſinaten. & fabricam illius Eccleſię hujuſmodi convertendi licentiam, & facultatem prędictę Mulieri concedi mandavimus, ut pręfertur, & quam non majorem eſſe volumus, ſed ad ipſam medietatem duntaxat reducimus, in ſui plena vigoris firmitate permaneant, & inſuper harum ſerie volumus, & Apoſtolica vobis auctoritate concedimus, quod conceſſio, & donatio medietatis bonorum, quę per eorum vocabula, qualitates, quantitates, confines, & valores pręſentibus haberi volumus pro expreſſis, necnon priores literę hujuſmodi, ac om-

omnia, & ſingula in eis contenta iu ſuo pleno robore firma, & illibata perſiſtant, ac Prior, ſive Proviſor protempore exiſtens antedictus, tam pręſentium, quam dictarum priorum literarum vignre, medietatem ipſam ubicunque, & apud quoſcunque conſiſtat, petere, exigere, levare, recipere, & habere, ac in fabricam Domus Peruſin., & ſuſtentationem hujuſmodi convertere, ſolventeſque, quitare, ac alia omnia, & ſingula juxta ipſarum priorum literarum coutinentiam, atque formam, necnon alias in pręmiſſis neceſſaria, & opportuna facere poſſit, & debeat in omnibus, & per omnia perinde ac ſi poſteriores literę prędictę nullatenus emanaſſent. Non obſtantibus pręmiſſis, ac omnibus illis, quę in pręfatis prioribus literis non obſtare volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Per hęc autem dilectis filiis Guardiano, & Fratribus dictę Domus Aſſiſinaten., ſeu quibuſvis aliis ad quos ſpectat, quo minus reductam medietatem hujuſmodi vigore poſteriorum literarum prędictarum ſimiliter petere, exigere, levare, recipere, & habere, ac in reparationem Domus Aſſiſinaten. & illius Eccleſię hujuſmodi convertere, ſolventeſque quitare, ac alia omnia, & ſingula deſuper neceſſaria & opportuna adinſtar Prioris, ſive Proviſoris antedicti, facere poſſint, & debeant, nullum pręjudicium ſive impedimentum afferri ſed potius ad eos conceſſionem hujuſmodi quoad ipſam reductam medietatem extendi volumus per pręſentes. Nulli ergo &c. noſtrę declarationis, caſſationis, irritationis, annullationis, conſtitutionis, conceſſionis, reductionis, & voluntatis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Secundo, Tertio Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Donationem*.) Conſulenda *Conſtitutio CXC data XIII Maii MCCCCXXXIX*, & Inſtrumentum inferius tranſcribendum ad calcem *Conſtitutionis CCLXXXII* ejuſdem *Eugenii IV.*
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLIV fol. 70.*
3. *Guillelmi de Caſali*.) Adeat *Waddingum Annal. Minor. Tomo V ad an. MCCCCXXX num. V pag. 209.*

Anno 1442 Die 9 Julii.

Monaſterium Monialium Beatæ Mariæ de Nazareth Papien. (1) donat Fratribus Ordinis noſtri in fabricæ ac FF. ſtudentium commodum.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCXLIX.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii de Aqualonga, Papien. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DEbitum paſtoralis officii, cui diſponente Domino pręſidemus, expoſcit, ut ad ea ſollcite intendamus, per quę utilitates, & commoda Monaſteriorum, & aliorum locorum religioſorum quorunlibet, ac perſonarum in illis degentium procurentur. Sane pro parte dilectorum filiorum Johanni (3) Exordium.
de Monte Nigro, Magiſtri Provincialis Provincię Lombardię Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſecundum morem dicti Ordinis, necnon Prioris, & Fratrum Domus Papien. dicti Ordinis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod Monaſterium Sororum beatę Marię de Nazareth etiam Papien., Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura, & ſecundum inſtituta regularia Ordinis dictorum Fratrum viventium, a pleriſque citra temporibus adeo Monialium, ſive Sororum numero deſtitutum exiſtit, quod duabus illius Monialibus, ſive Sororibus, etiam aliqua deſuper licentia minime obtenta, prętatum Monaſterium egreſſis, & Domos ſuorum parentum, & conſanguineorum accerſitis, tres inibi duntaxat Moniales, ſeu Sorores reſidere noſcuntur, ac alias in ſpiritualibus, & temporalibus multipliciter conſpicitur neglectum, in ipſo quoque Monaſterio propter multorum, qui illud, quod muris baſſis (4) cinctum eſt, viſitare plerumque conſueverunt, frequentiam, ac diverſas alias cauſas, ſcandala multoties ſuccreverunt, ac ſpes aliqua non reſultat, quod Monaſterium prętatum per dictas Moniales, ſive Sorores, ad debitas reformationem, & obſervantiam poſſit reduci. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, prętati Magiſter, Prior, & Fratres, quod Ordini Fratrum Prędicatorum hujuſmodi ulteriora inconvenientia pręmiſſis, niſi ſuper hoc provideatur, ſuccedere veriſimiliter debeant, anxius pertimeſcant, necnon Domus prętata, in qua copioſus Fratrum in illius Eccleſia Miſſas, & alia Divina officia, quotidie celebrantium numerus eſſe dignoſcitur, quaſi in centro Civitatis Papien. conſiſtat, amplis, & magnis ſtructuris, & ędificiis non perfectis fulciri (5), pro parte Magiſtri, Prioris, & Fratrum Prędicatorum aſſerentium, quod fructus, redditus, & proventus dicti Monaſterii ſeptuaginta florenorum auri de camera ſecundum communem ęſtimationem valorem annuum non excedunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Ordine, & dignitate Prioriſſali in ipſo Monaſterio penitus ſuppreſſis, prętatum Monaſterium cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Domui perpetuo appropriare, & applicare, ac alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſius Domus Donatio.
fructus, redditus, & proventus, qui, ut ipſi Magiſter, Prior, & Conventus etiam aſſerunt, exigui ſunt, pręſentibus pro expreſſis habentes, quique de pręmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis Monialibus, ſive Sororibus dicti Monaſterii, necnon aliis, qui fuerint evocandi, ſuper pręmiſſis omnibus, & ſingulis, eorumque circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe inveneris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Ordinem, & dignitatem hujuſmodi in prętato Monaſterio dicta auctoritate ſupprimas, penitus & extinguas, necnon Monaſterium prędictum cum omnibus juribus, & pertinentiis ſupradictis eidem Domui dicta auctoritate perpetuo applices, unias, & appropries, ita quod liceat ex tunc Priori, & Fratribus dictę Domus, per ſe vel alium, ſeu alios, corporalem Monaſterii, juriumque & pertinentiarum prędictarum poſſeſſionem auctoritate propria libere apprehendere, necnon fructus, redditus, & proventus, Monaſterii hujuſmodi, unius videlicet ad opus fabricę Eccleſię & Domus prędictarum, ac alterius medietatum earundem in uſus, & utilitatem ac ſuſtentationem Fratrum in dicta domo pro tempore ſtudentium convertere, & ha-

& habere, cujuſcunque ſuper hoc licentia minime requiſita, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii, domus, & Ordinum prędictorum, juramento, coofirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nos enim, ſi ſuppreſſionem, & extinctionem, necnon applicationem, appropriationem, & unionem hujuſmodi per te, vigore pręſentium, fieri contigerit, tibi Moniales & Sorores in dicto Monaſterio degentes, & eis invitis ab illo ad quęvis alia congrua, de quibus tibi videbitur, dicti, vel aliorum quorumcunque Ordinum Monaſteria, ſive loca, in quibus dictę Moniales benevolas seceptrices invenerint, transferendi, necnon eis ibidem de vitę neceſſariis, de fructibus, redditibus, & proventibus pręmiſſis, providendi, vel alias tot ex ipſius Monaſterii poſſeſſionibus, & bonis, quot pro hujuſmodi oeceſſariis competenter ſufficere potuerint, aſſignandi, auctoritate Apoſtolica, licentiam concedimus & etiam facultatem. Volumus autem quod medietas fructuum, reddituum, & proventuum ad opus fabricę, ut pręmittitur, convertendorum hujuſmodi apud dilectum filium Auguſtinum de Barachiis, laicum Papieo. modernum, vel pro tempore exiſtentem ipſius fabricę operarium, & unum ex dictę Domus Fratribus, quem illius Prior, etiam pro tempore exiſtens, ad hoc deputandum duxerit, per eos fideliter diſponendum, integre deputetur, & aſſignetur, quodque Fratres Studentes pro tempore in Domo prędicta ratione applicationis, & appropriationis earumdem in Capella Beatę Marię de Nazareth nuncupaoda in Eccleſia prędicta ſingulis diebus unam Miſſam celebrare debeant, atque teneantur, proviſo quod Monaſterium pręfatum ad profanos uſus, velut hęreditas, nullatenus redigatur, & inſuper irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Secundo, Septimo Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Papien.*) Vulgo *Pavia*, in *Inſubria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLIV fol.64.*
3. *Johannis.*) Vir fuit magnarum partium. Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad an. MCCCCXLIV pag.799.* De Johanne fuſius poſtea dicetur.
4. *Baſſis.*) Humilibus ſcilicet.
5. *Fulciri.*) Turbatus locus.

Anno 1442 Die 5 Auguſti.

De quatuor Cœnobiis in Provincia Siciliæ conſtruendis.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CCL.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Jacobo de Regno Ordiois Prędicatorum, in Theologia Magiſtro, Generali in Romana Curia Procuratori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Sincerę Religionis, ſub qua mundanis abjectis illecebris cum adeptione voluntarię paupertatis virtutum Domino in humilitatis ſpiritu devotum impendis, & ſedulum famulatum, merita promerentur, ut Apoſtolica Sedes te, & tuum Ordinem favoribus condignis confoveat, & ſpecialibus gratiis proſequatur, in illis pręſertim, per quę cultus Divini Nominis augetur, tuque, & dediti pię vitę ſtudio vobis ipſis, & aliis fidelibus ad animarum ſalutem proficere valeatis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte tua, petitio continebat, quod in Provincia Regni Sicilię, ſecundum morem ipſius Ordinis ſic nuocupata, propter diuturna bella, quę partes illas maxime afflixerunt, plurimę Urbium, & aliorum locorum deſolationes, ac alię calamitates ſubſecutę ſunt, & propterea Religionis pręfatę Domus, pręfati Ordinis in eadem Provincia ſunt plurimum deſtitutę, ac diminutę in fidelium animarum diſpendium, & detrimentum Ordinis antedicti. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in dicta Provincia Qnatnor loca pro uſu, & habitatione Fratrum Prędicatorum, tibi, vel alio Fratri ipſius Ordinis, per te, vel dilectum filium Generalem dicti Ordinis Magiſtrum, qui pro tempore erit, deputandum, ſi tibi, vel deputando prędicto, pia largitate fidelium concedantur, recipere, & in quolibet dictorum locorum Domum cum campanili, campanis, cęmeterio, & aliis congruentibus, & ceteris neceſſariis officinis, fundare, erigere, ſeu diſponere, & ordinare poſſitis, licentiam concedere dignaremur. Nos igitur, ſupplicationibus inclinati hujuſmodi, tibi, ſeu deputando hujuſmodi, Quatuor loca, ſi tibi, vel deputando pręfato, pia largitione fidelium concedantur, vel aliis juſtis modis poteris, ſeu poterit adipiſci, libere recipere, & libere retinere, & in quolibet locorum ipſorum Domum cum Eccleſia, campanili, campanis, cęmeterio, & aliis congruentibus, & neceſſariis officinis, conſtruendi, & ędificandi, & in eis Fratribus dicti Ordinis, qui regularem obſervantiam profeſſi ſunt perpetuo commorandi, Diœceſani loci, vel cujuſvis alterius licentia minime requiſita, quodque Domus, ſive loca eadem ſic recepta cum Eccleſiis, ceteriſque pertinentibus ad eandem, ac Fratres in illis pro tempore degentes, omnibus, & ſingulis, gratiis, privilegiis, Indulgentiis, & indultis dicto Ordini, & Domibus ejus a Sede Apoſtolica in generali conceſſis, uti, & gaudere libere valeant, felicis recordationis Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Religioſi Ordinis Mendicantium loca de novo recipere, vel recepta mutare poſſint abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & quibuslibet aliis conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis nequaquam obſtantibus auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium facultatem, & plenam licentiam elargimur. Nulli ergo &c. noſtrę elargitionis infringere &c. Si quis &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Secundo, Noois Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Supplex petitio.

Indultum.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLIV fol.164.*

Con-

Digitized by Google

Confirmat quandam Compoſitionem (1) initam inter Fratres Ordinis noſtri ex una, & Rectores Eccleſiarum de Viveyro, Mindonien. Diœceſis ex altera.

Anno 1442 Die 11 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCLI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii Beatę Marię de Meyra, Mindonien. (3) Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AD Eccleſiarum, & Eccleſiaſticarum, pręſertim ſub regulari habitu Altiſſimo famulantium, perſonarum ſtatum, in pacis, & quietis dulcedine dirigendum, prout ex ſuſceptę Nobis incumbit ſervitutis officio, diligenter intenti, his, quę pro ſedandis inter perſonas ipſas diſſentionum materiis provide facta fuerunt, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolici volumus adiici muniminis firmitatem. Sane Nobis pro parte dilectorum filiorum Prioris, Conventus, & Fratrum Domus Sancti Dominici de Viveyro Ordinis Fratrum Prędicatorum, Mindonien Dięceſis, petitio exhibita continebat, quod dudum inter tunc Priorem ejuſdem domus, & Conventum prędictos ex una, ac tunc Rectores Parochialium Eccleſiarum in Villa, & infra limites Archidiaconatus de Viveyro ejuſdem Dięceſis, infra quos ipſa domus exiſtit, conſiſtentium, necnon Clericos & Beneficiatos in eiſdem ex altera, partibus, ſuper certis funeralibus exorta materia quęſtionis, tandem communi amicorum interveniente tractatu inter eos amicabilis ſuper his Compoſitio intervenit, videlicet, quod tam de pecuniis, pane, vino, piſcibus, panno, cera, quam aliis quibuſcunque funeralibus, quę prima die, qua defunctorum, in ipſa ſepulturas eligentium, cadavera inibi ſepulturę pręſentarentur, cum ipſis cadaveribus, juxta morem illius patrię offerrentur, unam Priori & Conventui prędictis, aliam medietates Rectori Eccleſię cujus ipſe defunctus Parochianus fuiſſet, aut in cujus Parochia deceſſiſſet, & Beneficiatis in eadem cederent, ac inter eos de illis ęquę portiones fierent, quodque Rectores, Clerici, & Beneficiati pręfati de dictis funeralibus non aliud, quam dimidiam partem hujuſmodi, de aliis vero tam mobilibus, quam immobilibus bonis eiſdem domui, Conventui, & Fratribus, ab ipſis defunctis in eorum teſtamentis, codicillis, ſeu ultimis voluntatibus legatis, vel alias quomodolibet in eleemoſynam erogatis nihil a Domo, Conventu, & Fratribus prędictis, ſeu ipſorum defunctorum hęredibus, & teſtamentariis repetere ſeu exigere poſſent, neque deberent, prout in Inſtrumentis publicis, deſuper confectis, dicitur plenius, contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Compoſitio hujuſmodi bonę memorię Franciſco Epiſcopo Mindonien., & ſucceſſive aliis, qui pro tempore fuerunt Epiſcopi Mindonien., ipſius Franciſci ſucceſſoribus id ſcientibus, & approbantibus, a quinquaginta annis, & ultra inconcuſſe, & inviolabiliter obſervata extiterit, prout de pręſenti obſervatur, & per Venerabilem Fratrem noſtrum Petrum Epiſcopum Mindonien. obſervari mandatur, pro parte eorundem Prioris, Conventus, & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Compoſitioni prędictę, pro illius ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur de pręmiſſis certam notitiam non habentes, dictorum Inſtrumentorum tenores habentes pręſentibus pro expreſſis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis Rectoribus, Clericis, & Beneficiatis pręfatis, necnon aliis qui fuerint evocandi, ſuper pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis, auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi, ita eſſe repereris, Compoſitionem ipſam, & quęcunque inde ſecuta eadem auctoritate approbes, & confirmes, ac omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſuppleas, necnon Compoſitionem ipſam per cenſuram eccleſiaſticam inviolabiliter obſervari facias; Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis, quibuſcunque, aut ſi Rectoribus, Clericis, & Beneficiatis prędictis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo ſecundo, Tertio Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Supplex petitio.

Confirmatio.

1. *Compoſitionem.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. IX.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLIV fol.* 115.

3. *Mindonien.*) Vulgo *Mondonedo*, in *Hiſpania*.

Anno 1442 Die 15 Septembris.

Facultas conſtituendi Cœnobium in Caſtro Pontis-Latronis (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCLII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Bartholomęo Texeri, Generali Magiſtro Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

VOtis fidelium quorumlibet gratis Nos convenit prętare aſſenſum, & ut ea, quę religionis propagationem, divini quoque cultus augmentum reſpiciunt, optatum ſortiantur effectum, libenter interponimus ſolicitudinis noſtrę partes. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte tua, petitio continebat, quod olim dilectus filius nobilis vir Antonellus de Rath Dominus Caſtri, ſeu Terrę Pontis Latronis Capuan., ſive Calven. (3) Diœceſis, de propria ſalute recogitans, & ad Religionis, & cultus hujuſmodi aſpirans augmentum, quandam, cum Eccleſia in Caſtro, ſive loco hujuſmodi, domum in honorem, & ſub vocabulo Sancti Dominici pro uſu, & habitatione aliquorum Ordinis Fratrum Prędicatorum de bonis ſibi deſuper miniſtratis conſtruxit, & ędificavit, ſive conſtrui, & ędificari fecit, atque ordinavit.

Supplex petitio.

Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Fratribus dicti Ordinis, ſeu aliquibus eorum, domum prędictam pro uſu, & habitatione pręmiſſis, recipiendi, & acceptandi, eiſque apud illam ſingulas neceſſarias officinas conſtruendi, & erigendi licentiam concedere, ac alias ipſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionem, & cultum pręfatos vigere, etiam & augeri, intenſius affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fratribus prędictis, vel aliquibus eorum, quos ad domum ipſam pro uſu, & habitatione ſupradictis, aſſignari contigerit, ipſam pro uſu, & habitatione ſupradictis, quodque conventualiter Domino famulentur ibidem, recipiendi, acceptandi, & retinendi, ac apud eam quaſvis officinas conſtruendi, & erigendi, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium licentiam elargimur, & inſuper univerſis, quos in dicta domo pro tempore reſidere, ſive degere contigerit, Fratribus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, indulgentiis, libertatibus, & exemptionibus, pręfatis domibus, & Ordini, ac perſonis per Sedem Apoſtolicam, & alias quomodolibet conceſſis, & in antea concedendis, uti, & gaudere libere, & licite valeant, eadem auctoritate indulgemus.

Facultas.

Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi, Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua civitate, villa, ſeu quovis caſtro, vel loco ad habitandum quęcunque domos, vel loca de novo recipere, vel eatenus recepta mutare, pręſumant, abſque Sedis prędictę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon

Clauſula derogans.

ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque; jure tamen Parochialis Eccleſię, ac cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nulli ergo &c. Noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo ſecundo, Decimo Septimo Kalendas Octobris Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Pontif. Latronis.*). In Regno *Neapolitano*.
2. *Archivo.*) In quo exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLIV fol.* 116.
3. *Calven.*) *Calvium* urbs eſt Epiſcopalis ſub *Capuana* Metropoli, *Sueſſam* inter & *Capuam* ſita. Nunc pene deleta.

Anno 1442 Die 28 Septembris.

Unit Monaſterium Sanctæ Catharinæ Conventui Sancti Cataldi Ariminen. (1)

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCLIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Marco Prępoſito Ariminen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AD ea, per quę Monaſteriorum, & aliorum religioſorum locorum, atque domorum, & perſonarum, in illis pro tempore degentium utilitati conſulitur, & opportunitatibus ſubvenitur, ex injuncto Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio libenter intendimus, illaque favoribus proſequimur opportunis. Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Conventus domus Sancti Cataldi Ariminen. Ordinis Fratrum Prędicatorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod licet olim plures, tam Magiſtri, ac alias graduati, quam etiam ſtudentes in artibus & Theologia, pręfati Ordinis profeſſores in domo prędicta moram trahere, ipſique ſtudentes in eorum ſtudiis hujuſmodi periti evadere

Diplomatis cauſa.

conſueviſſent, tamen a multis citra temporibus propter facultatum carentiam, & pręſertim ex venditione cujuſdam ampliſſimę poſſeſſionis, ad dictam domum tunc ſpectantis, ad utilitatem tunc ſtatus Gregorii XII in ſua obedientia, de qua Civitas Arimineo. tunc erat, nuncupati, ac de ipſius mandato, tunc forma juris, (3) Magiſtrorum, graduatorum, & ſtudentium hujuſmodi plurimum inibi diminuta remanſit, necnon domus prędicta, & pręſertim in loco infirmarię ejuſdem, olim pro majori ejus parte a ſtipendiariis deſtructo, non modica detrimenta ſuſcepit, & ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi Monaſterium Sororum Sanctę Catharinę Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, in quodam Civitatis noſtrę Ariminen. angulo ab aliis ſecularium habitationibus ſaltem a tribus lateribus ejuſdem ſemotum conſiſtens, ac Monialibus, dictum Ordinem Sancti Auguſtini expreſſe profeſſis, inibi actu commorantibus, pręter illius Prioriſſam de Civitate noſtra Bononien. ſeu illius

illius territorio oriundam, deſtitutum, necnon ad inſtar cujuſdam longę domus abſque clauſtro, locutorio, & capitulari loco conſtructum exiſtens, per Prioriſſam gubernari conſuetum, cujus una Eccleſia, & alia medietates ędificiorum omnium, dormitorium, cum nonnullis imperfectis officinis fore noſcuntur, ſuppreſſis, illius conventuali Prioratu, ac dicto Ordine Sancti Auguſtini, eidem domui perpetuo incorporaretur, uniretur, & annecteretur, ex hoc illa in ſuis opportunitatibus aliquod ſuſcipe ret relevamen, necnon in eo ſtudium Fratrum hujuſmodi aliqualiter reformari poſſent. Quare pro parte dilecti filii Provincialis Provincię Sancti Dominici juxta morem dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, necnon prędictorum Prioris, & Fratrum, etiam aſſerentium, quod multi ſolent Fratres eorum Ordinis hujuſmodi ad domum prędictam pręſertim temporibus, in quibus Provincialia Capitula ejuſdem Ordinis Fratrum Prędicatorum in eadem Provincia pro tempore celebrantur, ſępius confluere, necnon tam eorum, quam etiam infirmorum ex Fratribus in eadem domo pro tempore degentibus magna pars extra illam, etiam cauſante deſtructione infirmarię hujuſmodi, in diverſis ſecularium domibus, & hoſpitiis permanere, & pernoctare conſuevit, & quod propterea ipſum Monaſterium, ad quod de dicta domo, a qua non multum diſtare videtur, & etiam de die ſecrete & per viam parum frequentatam adiri poteſt, eidem domui tam ad evitandum oblocutiones, & ſcandala, quę in pernoctatione & manſione Fratrum extra domum hujuſmodi provenire poſſent, quam etiam pro Fratribus ad illam confluentibus, & aliis in ea infirmantibus pro tempore non ſolum utile, & accommodum, ſed etiam neceſſarium exiſtit, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſtatui domus hujuſmodi ſuper pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, ac omnium, & ſingularum poſſeſſionum, atque bonorum dicti Monaſterii qualitates, quantitates, loca, vocabula, atque confines, necnon illorum, & dictę domus fructuum, reddituum, atque proventuum veros valores annuos pręſentibus pro expreſſis haberi volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, & eorum circumſtantiis univerſis per te ipſum duntaxat auctoritate noſtra diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ea vera eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Monaſterium prędictum, Prioratu, ac illius Ordine ſupradictis in eo per te penitus ſuppreſſis, cum poſſeſſionibus, & bonis, ac aliis juribus, & pertinentiis ſuis omnibus pręfatę domui perpetuo incorpores, unias, & annectas, ita quod liceat ex tunc Priori, & Fratribus pro tempore exiſtentibus dictę domus per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem Monaſterii, poſſeſſionum, jurium, & pertinentiarum prędictorum, auctoritate propria libere apprehendere, & perpetuo retinere, ac hujuſmodi eorum fructus, redditus, & proventus in ſuos, necnon Monaſterii, & domus prędictorum uſus, & utilitatem convertere, alicujus ſuper hoc licentia minime requiſita. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & Monaſterii, ac Ordinum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod quamprimum unionem, annexionem, & incorporationem prędictas vigore pręſentium fieri, & effectum ſortiri contingat, Prioriſſa pręfata, necnon alię quę ſint dicti Monaſterii Sorores, per Provincialem pro tempore exiſtentem Provincię, & Ordinis Fratrum Prędicatorum hujuſmodi, ad aliud, ſeu alia Monaſteria, vel loca Sororum Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum hujuſmodi degentium, in quo, ſeu quibus vitę ſuę neceſſaria commode ſuſcipiant, transferantur, & transferri debeant, quodque alias dicti Monaſterii debite ſupportentur onera conſueta. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Secundo, Quarto Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Donatio.

Clauſula derogans.

1. *Ariminen.*) Vulgo *Rimini*, in *Romandiola*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* CLVI *fol.* 223.
3. *Tunc forma juris*.) Turbatus locus.

Ut Monaſterium de Bono Loco uniatur (1) Monaſterio Montis-Peſſulani Ordinis Prædicatorum.

Anno 1442 Die 10 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCLIV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Guilhelmo de Fondera Canonico Burdegalen. in Civitate noſtra Avinionen. commoranti, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Digna exauditione vota perſonarum humilium, divinis laudibus, ſacręque Religionis obſervantię deditarum, Apoſtolico Nos convenit favore proſequi, & ipſarum neceſſitatibus occurrere proviſionis gratia congruentis. Dudum ſiquidem pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Catharinę, Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Beatę Marię de Prolhano (3) Villę Montis-Peſſulan., Ordinis Sancti Auguſtini, Magalonen. Diœceſis, ſub habitu, inſtitutione Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac perpetua clauſura degentium, Nobis expoſito, quod licet dictus Prioratus in ejus fundatione ſufficienter dotatus extitiſſet, occaſione tamen guerrarum, necnon mortalitatum, & aquarum inundationum, aliarumque multiplicium calamitatum, quibus partes ipſę diu concuſſę fuerunt, adeo in ſuis facultatibus fuiſſet diminutus, quod ipſa Prioriſſa, & decem alię Moniales ejuſdem Ordinis ibidem degentes vitę neceſſaria habere, & incumbentia dicto Prioratui onera, nequiverant commode ſupportare, quodque etiam Monaſterium Monialium de Bono loco alias de Vinhogalo, Ciſtercien. Ordinis, dictę Diœceſis, in loco utique nemoroſo exiſtens, & a dicta villa non ultra leucam cum dimidia, ut communiter aſſerebatur, diſtans

Diplomatis cauſa.

diſtans, temporum etiam cauſante malitia fuerat a longo tempore, prout tune exiſtebat, Mooialibus adeo derelictum, quod in ipſo duntaxat Abbatiſſa, quę ibidem interdum reſidere ſolebat, & quędam alia Monialis, ad aliud Monaſterium tune translata, remanſerat, ac exinde bis, aut ter io anno vix divina celebrabantur, illius quoque bona, & proventus ut plurimum deperdebantur, & ſi dictum Monaſterium de Bono loco cum omnibus iuribus & pertinentiis ſuis prefato Monaſterio de Prolhano in perpetuum incorporatum, & unitum fuiſſet, illud in utilitatem utriuſque Monaſterii redundaſſet; ac dilecta in Chriſto filia Margarita dicti Monaſterii de Bono loco Abbatiſſa attente premiſſa, ſeque diverſis infirmitatibus detentam & adeo debilitatam exiſtere, quodque indemnitatibus dicti Monaſterii de Bono loco non poſſet commode providere, conſiderans, illius regimini, & adminiſtrationi conſentiens, ut illud dicto Monaſterio de Prolhaon uniretur, extra Romanam Curiam coram certis Notario publico, & teſtibus, ſponte ceſſerat, ac dictum Mooaſterium de Bono ioco transferri cupiebat, & ibidem perpetuo Domino famulari. Nos per alias noſtras literas dilecto filio Priori ſecularis, & Collegiatę Eccleſię dictę villę, ejus proprio nomine non expreſſo, dedimus io mandatis, ut ſuper premiſſis omnibus, & ſingulis, eorumque circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra ſe diligenter informaret, &, ſi per informatiooem hujuſmodi ea reperiret fore vere, ceſſionem prędictam ab eadem Margarita factam, ſi per habentem poteſtatem admiſſa non foret, ſeu illam, ſi de novo ipſam ſponte, & libere facere vellet, eadem auctoritate reciperet, & admitteret, eaque per ipſum recepta, & admiſſa dignitatem Abbatialem, ac Ordioem Ciſtercieo. hujuſmodi in dicto Monaſterio de Bono loco ſupprimeret, illudque etiamſi per ceſſionem hujuſmodi, aut alias quovis modo vacaret, ſeu cum illud per ceſſum, vel deceſſum dictę Margaritę Abbatiſſę vacare contingeret, dummodo tunc non eſſet de perſona alterius canooice proviſum, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis ſupradictia Prioratui dicti Monaſterii de Prolhano perpetuo iocorporaret, annecteret, & uniret, ac dictę Margaritę Abbatiſſę ad prefatum Monaſterium de Prolhano traoſeundi, & io eo perpetuo remanendi licentiam concederet; ac voluimus inter alia quod poſt unionem, annexionem, & incorporationem prędictas, ſi fierent, Prioriſſa, & Conventus prefatę in dicto Monaſterio de Bono ioco certis annorum ſinguiorum diebus per dictum Priorem deſignandis unam Miſſam, in qua pro Fundatorum, & aliorum dicti Monaſterii benefactorum animarum ſalute, & remedio, ſpecialis oratio fieret, perpetuo celebrari facere tenerentur, prout in eiſdem literis plenius cootinetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Prioriſſę, & Conventus prędictarum, petitio continebat, dilectus filius Raymundus Malempne, Prior dictę Eccleſię, Sancti Salvatoris ad ipſarum literarum executionem procedens, quia per habitam per eum deſuper informationem expoſita hujuſmodi reperiit veritate ſubniti, poſt admiſſionem ceſſionis hujuſmodi, incorporationem, anoexionem, & unionem fecit eaſdem, necnon fioes, ſive limites mandati ſibi facti hujuſmodi excedens inter alia ordinavit, quod Prioriſſa, & Conventus prędictę per Quinquenoium ex tunc proxime ſecuturum uno die veneris cujuslibet menſis duntaxat, vel ſi uno alicujus ſolemnis feſti celebritas occurreret, alio die tunc immediate ſequente, & propinquiori, unam Miſſam, in qua pro Fundatorum & benefactorum animarum ſalute hujuſmodi ſpecialis oratio fieret, faceret celebrari, ac inter Prioriſſam, & Conventum prędictas, necnon dilectum filium modernum Abbatem Monaſterii Valliſmagoę ejuſdem Ciſtercien. Ordinis. Agaten. Dięceſis, ſua intereſſe aſſerentem, prefatam Margaritam, necnon dilectas in Chriſto filias quaſdam alias dicti Monaſterii de Bono loco Moniales ſuper unioois, aonexioois & iocorporationis prędictarum juribus coram te, cui venerabilis Frater noſter Petrus Albanen. Epiſcopus in partibus illis Apoſtolicę Sedis Legatus cauſam, ad quem prędictus, & Margarita Abbatiſſa, tunc contra hujuſmodi unionem reclamantes, ſuper dicto Monaſterio de Bono ioco, ejuſque regimine, & adminiſtratione per Prioriſſam, & Conventum prędictas vocatus, & tracta fuerant, auctoritate Legationis hujuſmodi audiendam, terminandamque commiſerat, lis pendet indeciſa, tuque in cauſa hujuſmodi ad nonnullos actus inter Partes ipſas diceris proceſſiſſe, &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Prioriſſa, & Conventus prędictę, unionem, annexiooem, & incorporatiooem prefatas, quę effectum ſortitę ſunt, dubitant viribus non ſubſiſtere, pro parte Prioriſſę, & Conventus prędictarum, aſſerentium, quod Prioratus Quadraginta, & Monaſterii de Bono loco prędictorum redditus centum librarum Turonen. parvorum ſecundum communem ęſtimationem, valorem annuum non excedunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut unioni, aonexioni, & incorporationi, ac aliis premiſſis, pro firmiori eorum ſubſiſteotia, robur Apoſtolicę confirmatioois adiicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, qui de premiſſis certam notitiam noo habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper premiſſis omnibus, & ſingulis, eorumque circumſtaotiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informatiooem hujuſmodi tibi de unione, aooexione, & incorporatione, & aliis premiſſis legitime conſtiterit, tu illa omoia, & quęcuoque iode ſecuta eadem auctoritate approbes, & confirmes, ſupplendo omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & nihilominus, dictis aliis literis in ſuo robore permanentibus, prefatum Mooaſterium de Bono loco cum omnibus juribus, & pertinentiis ſupradictis eidem Prioratui de novo in perpetuum eadem auctoritate incorpores, unias, & annectas; ita quod liceat Prioriſſę, & Conventui corporalem Mooaſterii de Bono loco, ejuſque regiminis, & adminiſtrationis booorum poſſeſſionem, vel quaſi, io qua, ut aſſerunt, exiſtunt, auctoritate propria libere contionare, necnoo hujuſmodi illius fructus, redditus, & proventus in ſuos, ac Prioratus, & Mooaſterii de Bono ioco prędictorum uſus convertere perpetuo pariter, & retinere, Dięceſani loci, & cujuſvis alterius ſuper hoc licentia minime requiſita, noo obſtantibus premiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quę in dictis aliis literis non obſtare voluimus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod Prioriſſa pro tempore exiſtens, & Conventus hujuſmodi in eodem Monaſterio de Bono ioco, certis anoorum ſingulorum diebus per te deſignandis unam Miſſam, in qua pro Fundatorum, & benefactorum prędictorum animarum ſalute

Mandatum.

ſalute, & remedio ſpecialis oratio fiat juxta dictarum aliarum literarum formam, & continentiam in omnibus, & per omnia pariſormiter celebrari facere teneantur; & inſuper ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Secundo, Quarto Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Uniatur.*) Conſulenda *Conſtitutio CLXVI data V Novembris MCCCCXXXVII.* Legitur *pag.* 82.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLVI fol* 194.
3. *Prolbano.*) *Pruliano*, ut in *Notis ad Conſtitutionem* mox laudatam videre eſt.

Eximit omni tributo Monaſterium Monialium Sancti Dominici Piſan. (1).

Anno 1443 Die 4 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCLV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

AD ea, per quę Monaſteriorum, & aliorum religioſorum locorum, & in illis prętertim ſub habitu, & obſervantia regularibus degentium, perſonarum omnium commodo, quieti, & utilitati conſulitur, ex injuncto Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio libenter intendimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Sane pro parte in Chriſto dilectarum filiarum Priorillę & Conventus Sororum, ſeu Monialium Monaſterii Sancti Dominici Piſan., per Prioriſſam gubernari ſoliti, Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet in Monaſterio ipſo jam triginta annis elapſis una Prioriſſa cum pluribus Monialibus, ſub regulari, & arcta dicti Ordinis obſervantia, & alias laudabiliter permanſerint, prout dictę exponentes numero triginta, & ultra exiſtentes hodie permanent, tamen quia fructus, redditus, & proventus pręfati Monaſterii ad earum ſuſtentationem, & aliorum, ipſis, & dicto Monaſterio pro tempore occurrentium, onerum ſupportationem pro media parte ſufficientes non fuerunt, prout neque hodie ſufficiunt, Prioriſſa, & Sorores prędictę in pluribus ſuis, & dicti Monaſterii neceſſitatibus fidelium ſuffragia hactenus quęſiverunt, prout ipſę exponentes ſępius querere coguntur. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, pręfatę exponentes ratione datiorum, impoſitionum, collectarum, ſubſidiorum, & aliorum onerum impoſitorum hactenus, ac de cetero imponendorum, plurimum gravari, & moleſtari formidant, pro parte Priorillę & Monialium, ſeu Sororum prędictarum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc earum & dicti Monaſterii ſtatui providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictarum exponentium vitam laudabilem, & opera fructuoſa, de quibus plurimorum fide dignorum plenariam informationem ſuſcepimus, debite compenſantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Monaſterium prędictum, necnon illius Prioriſſam, Moniales, ſeu Sorores, ac mobilia, & immobilia, poſſeſſiones, res, & bona prędentia, & futura omnia, & ſingula, necnon quoſcunque earum & dicti Monaſterii pro tempore exiſtentes colonos, laboratores, affictuarios, locatarios, & penſionarios, & quemlibet eorum ab omnibus, & ſingulis decimis, datiis, impoſitionibus, & ſubſidiis, & caritativis, aliiſque exactionibus, & oneribus quibuslibet per Nos, vel Sedem Apoſtolicam, ac Archiepiſcopum pro tempore exiſtentem, & Clerum Piſan., necnon dilectos filios Cives, & Communitates Florentin., vel eorum aliquem, ipſius Monaſterii Prelatis, & perſonis, auctoritate Apoſtolica, pro tempore exiſtentibus, ex quibusvis, etiam rationabilibus, & favorabilibus cauſis impoſitis hactenus, & in poſterum imponendis, necnon ab illorum, & cujuslibet ipſorum perſolutionibus, & contributionibus in eiſdem, auctoritate Apoſtolica, tenore prędentium, ex certa ſcientia, perpetuo prorſus eximimus, & totaliter liberamus, ac exempta, & libera eſſe, necnon de quibuſcunque libris Florentię, ac Piſis, & alias ubicunque conſiſtentibus, in quibus ad ſimiles perſolutiones faciendas deſcripta reperirentur, omnino caſſari, & aboleri volumus, & mandamus, decernentes ex nunc omnes, & ſingulos proceſſus, quaſcunque excommunicationum ſententias continentes, quos occaſione prędentium haberi, ſeu fulminari, aut fieri contigerit, irritos, & inanes exiſtere, nulliuſque roboris vel momenti. Non obſtan. quibuſcunque privilegiis & literis Apoſtolicis per Nos, vel dictam Sedem, ſub quibusvis formis, aut verborum expreſſionibus in genere, vel in ſpecie, & cum quibuſcunque, etiam aliorum literarum, privilegiorum, aut alias effectui prędentium derogatoriis Clericis conceſſis hactenus, vel in poſterum concedendis, quorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent prędentibus, haberi volumus pro expreſſis, & quę ad Monaſterium, & Prioriſſam, Sorores, ſeu Moniales, necnon poſſeſſiones, & bona prędicta, vel eorum aliquod volumus non extendi, ſed illis ex nunc ſpecialiter, & expreſſe, ac ex certa ſcientia quoad premiſſa derogamus, & aliis Apoſtolicis, necnon Provincialibus, & ſynodalibus Conciliis, edictis, conſtitutionibus, & ordinationibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę exemptionis, liberationis, voluntatis, mandati, conſtitutionis, & derogationis infringere &c. Si quis &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Secundo (3), Pridie Nonas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Supplex petitio.

Indultum.

1. *Piſan.*) In *Hetruria.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLVI fol.* 174.
3. *Quadrageſimo Secundo.*) Stylo Bullarum, *Ære communis MCCCCXLIII.*

Anno 1443 Die 7 Jaouarii.

Juſſu ſuo, ſeque præſente, Sacras ædes Florentin. (1) Cœnobii S. Marci dedicatas eſſe declarat, ipſas viſitantibus Indulgentias elargitur, & Dedicationis officium transfert.

CCLVI.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus preſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SPiendor paterne gratie, qui ſus mundum illuminat ineffabili claritate, pis vota fidelium, de clementiſſima ipſius majeſtate ſperantium, tunc precipue benigno favore proſequitur, eum devota ipſorum humilitas Sanctorum precibus, & meritis adjuvatur, propter quod loca ſacra io dictorum Sanctorum honore dedicata convenit ſumme venerationis frequentatione ab eiſdem fidelibus jugiter honorati, ut per illorum patrocinium ſe divina gratia conſtituant digniores. Cupientes igitur, ut Eccleſia domus S. Marci Florentin., Ordinis Fratrum Predicatorum, de Obſervantia nuncupatorum, que, ac illius Altare majus, quod ſub vocabulo Sanctorum Coſme & Damiani conſtructum eſt, nuper, videlicet in feſto Epiphanie per dilectum filium noſtrum Nicolaum (3) tituli S. Marcelli Presbyterum Cardinalem, de mandato, & in preſentia, noſtris, cum ſolemnis Miſſe ab eo propterea ad dictum Altare decantate celebratione, ac omnibus ceremoniis in talibus fieri ſolitis, intereſſentibus etiam de Venerabilibus

Indulgentia.

Fratribus noſtris reliquis Sancte Romane Eccleſie Cardinalibus, ac pleriſque Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Prelatis in Romana Curia reſidentibus, ad honorem beati Marci Evangeliſte ac Sanctorum Coſme, & Damiani predictorum, ſolemniter conſecrata extiterunt, congruis honoribus frequentetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis ad eandem conſecratam Eccleſiam confluant, quo ex hoc ibidem dono celeſtis gratie uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei Miſericordia & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, vere penitentibus & confeſſis, qui in Feſto predicto conſecratam Eccleſiam ipſam, ob reverentiam conſecrationis hujuſmodi, devote viſitaverint, annuatim ſeptem annos & totidem quadragenas de injunctis eis penitentiis miſericorditer relaxamus: Preſentibus perpetuo valituris. Per quas etiam ad perpetuam rei memoriam divinum prefate conſecrationis officium, quod per dilectos filios Priorem & Fratres dicte domus in predicto Feſto, & immediate ſequentibus ſeptem diebus pro tempore celebrari deberet, ne propter illud officii dicti Feſti Epiphanie, ac ejus octave ſolemnitas ſuſpendatur, ſed continuo agatur, prout ante conſecra-

Dedicationis officium transfert.

tionem ipſam agi conſuevit, ipſorum Prioris, & Fratrum in hac parte ſupplicationibus inclinati ad primam Dominicam poſt eandem octavam Epiphanie auctoritate Apoſtolica transferimus, & translatum eſſe decernimus, per eoſdem Priorem, & Fratres ipſa Dominica & immediate ſequentibus ſeptem diebus perpetuis futuris temporibus celebrandum. Non obſtantibus premiſſis, & aliis contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare preſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum predictorum ſe noverit incurſurum. Datum Florentie apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominice Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Secundo (4), Septimo Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

P. de Guaſconibus.

1. *Florentini.*) In *Hetruria*. Adeas *Fontanam Monumen. Dominican. Parte III Cap. I ad an. MCCCCXLII pag.* 338.
2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar, unum ex *Archivo Apoſtolico Libro CLIX fol.* 106, Aliud ex Autographo *Florentino*. Ejuſdem Diplomatis meminit *Fontana* mox laudatus. Citat *Targium*.
3. *Nicolaum.*) *De Acciapacio*. Ipſius meminit *Ciaconius in Eugenio IV Vit. Pontif. & Card. Tomo II ad annum MCCCCXXXI pag.* 902.
4. *Quadrageſimo Secundo.*) Stylo Bullarum, æra communis *MCCCCXLIII*.

Anno 1443 Die 9 Jaouarii.

Cœnobiorum Cartuſien.; & Prædicatorum Priores conſtituit Viſitatores & Reformatores Papienſis (1) Monaſterii SS. Mariæ & Arelani, Ordinis S. Benedicti.

CCLVII.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Beate Marie de Gratis, & Sancti Apollinaris Papien., Cartuſien. & Predicatorum Ordinum Domorum Prioribus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

ETſi juxta paſtoralis officii debitum, circa Eccleſiarum, & Monaſteriorum omnium, ac perſonarum in eis ſub regulari habitu ſtudio pie vite vacantium, ſalubrem directionem noſtre ſolicitudinis partes libenter adhibeamus, illis tamen, que viri relicto toro, & liberorum ſpreta propagine ſuam filio Virginis conſecrari diſpoſuerunt integritatem, ipſarumque Monaſteriis, & aliis locis proviſionis noſtre ſubſidium, tanto adiicimus diligentius, quanto propter fragilitatem ſexus majori noverimus ſuffragio indigere. Sane, ſicut pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſe, Conventus Monaſterii Sanctorum Marie, & Arelani Senatoris Papien., Ordinis Sancti Benedicti, Nobis nuper exhi-

exhibita, petitio continebat, ipſę quę ſua ſub regulari obſervantia, jugi caſtimonia, Altiſſimo exſolvunt vota, ſpem habent firmiſſimam, quod ſi veſtris ſalutaribus juvarentur doctrinis, veſtra cura ſolicita a venantium ereptę laqueis, Deo illis propitio, ad ſtatum ſalutis celerius pertingerent, &, eis cum exultatione ſpirituum, ſub debito profeſſionis obſequio, virtutum culmina ſcandentibus, Monaſterium ipſarum, divinę largitatis concurrente munere, monaſticę vitę, & regularis diſciplinę, ad laudem Dei & gloriam, ſuccedente tempore, conſtitueretur ſpeculum, ac pręcipuum, & ſingulare exemplum ſalutis plurimorum, votiva quoque in ſpiritualibus, & temporalibus continuo ſuſciperet incrementa. Quare pro parte, Abbatiſſę, & Conventus predictarum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut earum, & dicti Monaſterii ſtatui in pręmiſſis ſalubriter conſulere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui totis pręcordiis affectamus, ut ſingula Religionum loca operum bonorum exercitiis, & pręclaris ſanctitatis meritis noſtro miniſterio reddantur fęcunda, & proſperioribus jugiter proficiant eventibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vos, & quemlibet veſtrum uſque ad decennium a dato pręſentium computandum, dicti Monaſterii Viſitatores, & Reformatores, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium facimus, conſtituimus, & etiam deputamus, vobiſque, & veſtrum cuilibet in virtute Sanctę Obedientię pręcipimus, & mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, quoties opus videbitur, ad dictum Monaſterium accedentes, cum timore Domini, illud, ejuſque perſonas, tam in capite, quam in membris viſiteris, & quę inibi correctionis, & reformationis miniſterio indigere noveritis, corrigatis, & reformetis, ipſaſque perſonas juxta regularia ipſius Ordinis inſtituta monaſticis diſciplinis inſtruatis, ac illas quę commiſerunt, & interim committent exceſſus, vel delicta, juxta illorum exigentiam animadvertatis, & puniatis, & ſi exceſſus, & delicta pręd cta id exegerint ab Abbatiſſali, & aliis dignitatibus, perſonatibus, & adminiſtrationibus ejuſdem Monaſterii, quas, quos, ſeu quę obtinent, & interim obtinebunt, deponatis, & amoveatis, necnon alias earum loco ſurrogetis, ac ſubſtituatis, & ſurrogatas, & ſubſtitutas pro tempore in loco depoſitarum & amotarum recipi, & admitti faciatis, ſtatuta quoque prefati Monaſterii abſque diſceſſu a Regula dicti Sancti alteretis, mutetis, corrigatis, minuatis, illiſque addatis, & detrahatis, ac ſtatuta pręd cta, ſecundum alterationes, mutationes, correctiones, diminutiones, & detractiones, quas per vos vigore pręſentium fieri contigerit, ab omnibus, & ſingulis perſonis ipſius Monaſterii, quę interim erunt, inviolabiliter obſervari faciatis. Contradictores per regulares diſciplinas dicti Ordinis, & alia juris opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, atque alia faciatis, ſtatuatis, diſponatis, & ordinetis, quę ſecundum Deum pro regularis obſervantię hujuſmodi conſervatione, & incremento in eodem Monaſterio videbuntur expedire, ſuper quibus omnibus, & ſingulis plenam, & liberam tenore pręſentium licentiam concedimus, & etiam facultatem; Non obſtantibus, quibuſcunque ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſterii, & Ordinis prędictorum, contrariis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Secundo (3), Quinto Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Supplex Monialium petitio.

Viſitatores conſtituti.

1. *Papienſis*.) In *Inſubria*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXXIV fol.* 52.
3. *Quadrageſimo Secundo*.) Stylo Bullarum, ęrę communis *MCCCCXLIII*.

Facultas fundandi Montis Murenſis (1) Cœnobii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Anno 1443 Die 26 Januarii.

CCLVIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Generali Magiſtro, & aliis Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SAcrę Religionis, ſub qua, mundanis abjectis illecebris, devotum, & ſedulum impenditis Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut votis veſtris, illis maxime, per quę dicta religio cum divini cultus augmento propagari valeat, favorabiliter annuamus. Veſtris itaque devotis ſupplicationibus inclinati, vobis, quibus olim, ut aſſeritis, venerabilis Frater noſter Nicolaus Epiſcopus Tricaricen. Eccleſiam ſine Cura Sanctę Marię de Annunciata Oppidi Montis Muri, Tricaricen. (3) Dięceſis, tunc certo modo vacantem, & ad collationem, ac omnimodam diſpoſitionem Epiſcopi Tricaricen. pro tempore exiſtentis pertinentem, cum quodam Hoſpitali ei adjuncto, in quo dudum antea obſervata non fuerat, neque tunc obſervabatur Hoſpitalitas, ac omnibus aliis juribus, & pertinentiis ſuis, auctoritate Apoſtolica ſibi in ea parte conceſſa, pro perpetuis uſu, & habitatione aliquorum Fratrum veſtri Ordinis, ſub regulari illius obſervantia in ea pro tempore moraturorum, dedit, & aſſignavit, ut tam illam, quam etiam unum alium quemcunque locum in Civitate Tricaricen, in dicta Dięceſi conſiſtentem, ſi vobis pia largitate fidelium concedatur, aut vos alias ipſum juſtis modis poteritis adipiſci, & recipere, ac pro uſu, & habitatione hujuſmodi perpetuo retinere, necnon utrumque eorum in Domum Conventualem ejuſdem Ordinis, cum campanili, campana, & aliis neceſſariis officinis erigere, prędictam quoque, & ſi quę in hujuſmodi alio loco fuerit, Eccleſias decenter augere, vel de novo conſtruere, & ędificare, ſeu augeri, conſtrui, & ędificari, omniaque alia circa hoc opportuna gerere, & exercere libere, & licite valeatis, felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi, Prędeceſſoris noſtri, ac aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmi-

Exordium.

Supplex petitio.

firmitate alia roboratis, ſtatutis, conſuetudinibus, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, plenam, & liberam auctoritate pręſentium concedimus facultatem, jure tamen Parochialium Eccleſiarum, & quorunlibet aliorum, in omnibus ſemper ſalvo. Nos enim Fratribus dicti Ordinis, qui in pręfatis domibus, ſi, & poſtquam erectę fuerint, ut prefertur, pro tempore morabuntur, quod omnibus privilegiis, indultis, exemptionibus, & immunitatibus dicto Ordini, & aliis ejus Domibus per Sedem Apoſtolicam generaliter conceſſis, & concedendis, uti & gaudere poſſint, & debeant, indulgemus auctoritate pręedicta. Nulli ergo &c. elargitionis, & conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo ſecundo (4), Septimo Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Montis Murenſis.*) Juris eſt Provincialis *Apulię*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LVI fol.* 10.
3. *Tricaricen.*) Vulgo *Tricarico*, in Regno *Neapolitano.*
4. *Quadrageſimo Secundo.*) Stylo Bullarum, ęrę communis *MCCCCXLIII.*

Anno 1443 Die 22 Martii.

Ratam habet, & firmat fundationem Cœnobii de Villalon (1).

Ex Archivo (2) Ordinis Lib. B. fol. 32.

CCLIX.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

SEdis Apoſtolicę copioſa benignitas piis quarunlibet ſub regulari caſtimonia Domino militantium perſonarum votis libenter annuit, & illis, quę pro divini cultus, ac Religionis augmento, necnon ipſarum, & illarum locorum piorum ſtatu, ac indemnitate proceſſiſſe comperit, ut illibata perſiſtant, libenter apoſtolici adiicit muniminis firmitatem. Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Conventus Domus S. Dominici Villę de Villalon, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Legionenſis Diœceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim quondam Fernandus (3) Infans clarę memorię Johannis (4) Caſtellę, Legionis, & Portugallię Regnorum Regis natus, & Leonora ipſius Fernandi uxor, cupientes terrena in cęleſtia, ac tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, pro ſuarum, necnon ipſorum progenitorum animarum ſalute, Alcazarem (5), & Palatia in Villa hujuſmodi conſiſtentia, & ad ipſos Fernandum, & Leonoram legitime ſpectantia, cum via, ſive calle & currali inter Alcazarem, & palatia prędicta conſiſtentibus, ac cum ſpatio, ronda murorum dictę Villę nuncupato, pro fundanda inibi quadam Domo Fratrum dicti Ordinis primo, & ſucceſſive, poſtquam Domus hujuſmodi fundata extitit, de novo Alcazarem, & palatia pręfata, necnon ut Prior, & Fratres in eadem domo pro tempore degentes in antea commode ſuſtentari poſſent, nonnulla tunc expreſſa bona, ruta, & annuos redditus ad ipſos Fernandum, & Leonoram ſimiliter legitime pertinentia, dilectis filiis Fratribus dicti Ordinis, ſub certis modo, & forma perpetuo donarunt, conceſſerunt, & aſſignarunt, ac Fratres dicti Ordinis hujuſmodi donationem, & conceſſionem recipientes, certas Miſſas ſingulis diebus, & alia divina Officia pro ſalute Infantis, & Infantiſſę, ac aliorum in dictis literis enarratorum in eadem Domo dicere, & celebrare decreverunt, prout in eorum Fernandi, & Leonorę literis, ipſorum ſigillo munitis, quarum tenores de vulgari idiomate Hiſpanico in latinum transferri, & in Cancellaria Apoſtolica inſpici, ac examinari diligenter, necnon de verbo ad verbum pręſentibus inſeri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte dictorum Prioris, & Conventus, aſſerentium, quod donatio, conceſſio, & aſſignatio prędictę per cariſſimos in Chriſto filios noſtros Johannem, ipſorum Fernandi, & Leonorę natum, Navarrę tunc, Aragonum, & Sicilię Infantem, & Johannem Caſtellę, & Legionis, Regem Illuſtres, ac dilectum filium Federicum Comitem de Guna, tunc prędictę Villę poſſeſſorem, ſucceſſive confirmatę fuerunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut donationibus, conceſſionibus, & aſſignationibus, necnon decretis, & ſtatutis Miſſarum, & Officiorum celebrandorum prędictis pro eorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, donationes, conceſſiones, & aſſignationes, ac decreta, & ſtatuta ſupradicta, ac omnia, & ſingula inde ſecuta rata habentes, & grata, eadem Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, ſupplendo omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem; Parochialium Eccleſiarum tamen, & aliorum quorunlibet in omnibus jure ſemper ſalvo. Tenor vero prędictarum literarum ſequitur, & eſt talis. In Nomine Dei, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, trium in uno ſolo Deo vivo, & vero, qui vivit & regnat in ſecula ſeculorum, exiſtentium Perſonarum, ac Beatę, & glorioſiſſimę Virginis Marię ejus Genitricis, quam in omnibus factis noſtris habemus in Dominam, & Advocatam, ad omnium quoque cęleſtis curię Sanctorum honorem, & obſequium. Quoniam univerſa a Deo ſuper faciem terrę creata hoc in ſeculo ipſius Dei ordinatione finem quoad humanitatem recipiunt, & quilibet in hujuſmodi vita ſuum habet certum curſum, nihilque aliud ſine carena reſtat, niſi ſolus ille Deus, qui ſine principio, & ſine fine permanet in ęternum, quique ſicut ęternus, ſic & voluit ſuum eſſe Regnum ſempiternum, quia etiam ceteri in hac pręſertim vita permanentes Reges, & Principes, ac Domini, ipſi Deo immenſas, quas ab eo recipiunt gratias, & dona recognoſcendo, illius non immemores debent eſſe Regni, deque ſibi a Deo in hoc ſeculo commiſſis, quibus ejus amore opera miſericordię faciendo, Eccleſias, & Monaſteria, ubi Sanctiſſimo Nomini Divino ſervitia, & laudes offeruntur, ędificando, & ipſarum Eccleſiarum, ſive Monaſteriorum ſervitoribus, pias eleemoſynas, ex quibus vitam ſuam ducere valeant, erogando, rationem reddere tenentur. Eapropter nos Infans Fernandus, Dominus Elenę (6), Dux de Peñafiel (7), Comes de Alburquerque (8), & de Majorga (9), ac Dominus etiam de Haro (10), necnon Altiſſimi, & potentiſſimi Domini Johannis Divina gratia Caſtellę, Legionis, & Portugallię Regis, ac Illuſtriſſimę Dominę Leonorę (11) Reginę ejus conſortia filius, & Infantiſſa

Diplomatis cauſa.

Confirmatio.

Tenor fundationis.

Do-

D. Leonora ejuſdem Infantis Fernandi Conjux, Comitiſſa de Alburquerque, necnon Comitis D. Sancii, & Infantiſſę Portugallię D. Beatricis, quoeum animabus Altiſſimus veniam dignetur impertiri, filia, per hanc noſtram privilegii literam, omnes tam pręſentes, quam futuros volumus non ignorare homines, quod nos ſummo Deo noſtro Omnipotenti Domino pro univerſis beneficiis, & gratiis ſingularibus ab eo per nos receptis, & quę recipere ſperamus, regratiari (12) volentes, ac ut ex nunc in perpetuum illi laudes, & obſequia pręſtentur, devota cum intentione deſiderantes, ejuſdem privilegii literę noſtrę pee tenorem, concedimus, & cognoſcimus quod propoſuimus, proponimuſque unum Conventuale Ordinis Fratrum Prędicatorum ad Dei Servitium, & B. Dominici Confeſſoris honorem, & reverentiam ędificare, & ordinare Monaſterium, & pro ipſius Monaſterii fundatione, & ędificatione, Alcazarem noſtrum, & Palatia, quę nos in Villa noſtra de Villalon tenebamus, ſicuti cum via, ſive calle, aut currali inter dictum Alcazarem, & Palatia prędicta exiſtentibus, & cum ſpatio, ronda murorum dictę Villę nuncupato, continetur, pręfato Ordini Fratrum Prędicatorum pro teeritorio, & pro inibi hujuſmodi ędificando, & fundando Monaſterio, tunc fecimus, prout nunc facimus donationem, ſuper quę ego pręfatus Infans, meis literis, Conſilio, ſive Populo, Pręroribus, Officialibus, ac pro his hominibus dictę noſtrę Villę de Villalon mandavi, ut Fratri Alſonſo, de Valleoleti dicto, in Sacra Theologia Magiſtro, ejuſdem Ordinis nomine, & pro eo Alcazarem, & Palatia prędicta reſtituerent, & aſſignarent ad hoc, quod ipſe Frater Alfonſus dictum Monaſterium principiaret, & fundaret, dictuſque Frater Alſonſus, dicti Ordinis nomine, dicti Alcazaris, & palatiorum prędictorum tenentiam, & poſſeſſionem recepit, & tum propter commiſſionem per nos ei deſuper factam, tum etiam propter Dei ſervitium ſuam diligentiam in dicti Monaſterii fundatione apponere curavit, taliter quod de pręſenti Monaſterium ipſum jam conſtructum, & in eo Prior, & Fratres Conventuales dicti Ordinis Prędicatorum, auctoritate Provincialis dicti Ordinis, inſtituti exiſtunt. Nos autem Infans, & Infantiſſa pręnominati, ambo inſimul, per hanc noſtri Privilegii literam ex nunc, & in perpetuum donationem prędictam per nos de Alcazare, & palatiis prędictis, prout cum via, ſive calle, & cum intermedio currali, ac ſpatio, ronda murorum nuncupato, prędictis, continetur, factam, firmam habemus, & valituram, & eam denuo ratificantes, Priori, & Conventui dicti Monaſterii S. Dominici pręfatę noſtrę Villę de Villalon pręſentibus, & futuris, nomine dicti Ordinis Alcazarem, & palatia prędicta cum via, ſive calle, currali, & ſpatio ronda murorum nuncupato, hujuſmodi omnia in alto, & baſſo, cum omnibus introitibus, exitibus, & pertinentiis ſuis eiſdem Alcazari, & palatiis, nobiſque, & noſtrorum cuilibet quomodolibet pertinentibus, & pertinere debentibus, de novo damus, & concedimus, ut Alcazarem, & palatia prędicta, eorumque dependentiam, & poſſeſſionem, vel quaſi, a nobis ex tunc, & ex nunc ſeparamus, illaque in dictos Priorem, & Conventum dicti Monaſterii S. Dominici dictę noſtrę Villę de Villalon, nomine dicti Ordinis, pro eo transferimus. Et inſuper ut Prior & Conventus dicti Monaſterii S. Dominici dictę noſtrę Villę de Villalon commodius nunc, & in antea ſuſtentari valeant, ac Deum pro dictorum Dominorum Johannis Regis, & Leonorę Reginę, ac Comitis Sancii, & Infantiſſę D. Beatricis, defunctorum, animabus, quibus ipſe Deus veniam elargiri dignetur, necnon pro Domini noſtri Domini Henrici (13) Regis, mei dicti Infantis Fratris carnalis, quem Altiſſimus longis, & optimis temporibus ſuſtineat, ſalute, noſtraque, & filiorum noſtrorum vita, & ſalute orare teneantur; Nos eiſdem Priori, & Conventui ampliorem gratiam, & clementiam facere volentes, ſibi pro eorum proviſione, & ſuſtentatione eas, quę Domini appellantur hęreditates cum ſtancho nuncupatę, prout una cum dictis palatiis in quibus dictum Monaſterium fundatum exiſtit, & ad rendam (14) in dicta Villa dari ſolebant, necnon omnes redditus fororum dictę noſtrę Villę de Villalon nuncupatos, & ipſius Villę noſtrę Martinepam, quę anno quolibet mille centum, & quinquaginta morabitinos (15) valere conſuevit, ac prędium Forero nuncupatum dictę noſtrę Villę, quod valet annis ſingulis ſexcentos morabitinos, Caput quoque Tributi dictę noſtrę Villę de Villalon, in quo ſolvuntur anno quolibet mille ducenti morabitini, una perpetua, & irrevocabili donatione inter vivos concedimus, & aſſignamus; quę omnia ſupradicta, ſtanchum (16), forum, Martinepam, Pędium, & Caput Tributi Judęorum, tantum, ſicut pręmittitur, valere conſueta, prout nos ea habebamus, & habemus, proutque nobis pertinuerunt, & pertinent, volumus a nobis, libriſque noſtris, noſtriſque redditibus, foris, tributis, ac juribus ſeparari, & amoveri, prout nos ea ſeparamus, & amovemus, illaque in pręfatos Priorem, & Conventum dicti Monaſterii dictę noſtrę Villę, nomine dicti Ordinis, transferri, prout nos illa transferimus, ad hoc, ut Prior, & Conventus ipſi illa, perſonis, quibus eis viſum fuerit, arrendent, colligant, & recuperent, & ea in eorum uſus, & utilitatem annis ſingulis, pro eorundem Prioris, Fratrum, & Conventus dicti Monaſterii de Villalon tam pręſentium, quam futurorum, ſuſtentatione convertant, & ſingulis cujuslibet anni menſibus Anniverſaria veluti in aliis dicti Ordinis Prędicatorum Conventibus, & Monaſteriis, pro eorum, qui illis eleemoſynas erogant, vita, ſalute, & animabus fieri conſuevit, & conſueſcit, perpetuo faciant, pręfatoſque Priorem, & Conventum dicti Monaſterii S. Dominici dictę noſtrę Villę de Villalon tam pręſentes, quam futuros rogamus, ut dicta Anniverſaria prout ad eos pertinet, facere procurent, ſuper quo eorum conſcientias oneramus. Et inſuper per hanc noſtri Privilegii literam ex nunc ab hęreditatibus cum dicto ſtancho, ac dictorum fororum redditibus, Martinepa, prędio, & Capite Tributi Judęorum prędictis, quę nos in prędicta noſtra Villa de Villalon habemus, & quę nunc uſque nobis pertinent, & quomodolibet pertinebant, & ab eorum, & cujuslibet eorum tenentia, & poſſeſſione recedimus, & a nobis ſeparamus; necnon illa pręfatis Priori, & Conventui dicti Monaſterii de Villalon dimittimus, & transferimus in eoſdem, ut illi ea ex nunc in antea pro eorundem Conventus proviſione, & ſuſtentatione, ut pręmittitur, habeant, cum hoc tamen quod Prior, & Conventus ipſi ea alienare, ſeu in aliam partem tranſmutare non poſſint, ſed illa pro eorundem proviſione, & ſuſtentatione prędictis, ut pręfertur, remaneant; pręfatis etiam Priori, & Conventui dicti Monaſterii dictę noſtrę Villę de Villalon prędictę per hanc noſtram literam damus, & concedimus poteſtatem de manu eorum, ſive auctoritate ſua, ſi voluerint, ſibique opus eſſe videbitur, ponendi receptorem, arrendatorem, collectorem, depoſitarium, aut Villicum, ſive Majordomum, de qui-

quibus magis expediens viſum fuerit, qui pro dicto Conventu dictę noſtrę Villę, omnia, quę ex dictorum hereditatum, Stanchi, ſororum, Martiuepę, Prędii, & Capitis Tributi Judęorum, prout anno quolibet colligi, & arrendari ſolent, redditibus, & proventibus, ſicuti voluerint, & utilius eſſe conſpexerint, arrendent, colligant, & recuperent. Super his quoque computatoribus, ſive Officialibus noſtris, & eorum cuilibet mandamus, ut de libris noſtris reddituum, tributorum, & jurium noſtrorum redditus dictarum hereditatum cum ſtancho prefato, necnon foros, Martinepsm, Prędium, & Caput Tributi Judęorum prędicta deleant, ſive amoveant, ſeque ea ad rendam dare, colligere, aut petere, ſeu alicui ex noſtris Vaſſallis, vel perſonę alteri in redditibus, & juribus ipſis ſolutionem coſignare nullatenus intromittant, ex quo illa prefatis Priori, & Conventui dicti Monaſterii S. Dominici dictę Villę noſtrę de Villalon ex nunc in perpetuum pro dictis ſuſtentatione, & proviſione, ut prędicitur, concedimus, & in eos illa transferimus. Maudamus inſuper prefatis Conſilio, Pretoribus, Rectoribus, & pro his hominibus, & quibuſcunque aliis Officialibus, necnon populo Judęorum dictę noſtrę Villę, & eorum cuilibet sam preſeotibus, quam futuris, quibus & eorum ſingulis hujuſmodi noſtra privilegii litera, ſeu cujus tranſumptum manu Notarii publice ſignatum prefentatum ſuerit, quatenus prefatis Priori, & Conventui dicti Monaſterii dictę noſtrę Villę de Villalon, ſeu eorum receptori cum hereditatum, & ſtanchi redditibus, ſoris, Martinepa, & capite tributi prędictis, a prima die menſis Januarii proxime ſequentis anni MCCCCII in antea ſingulis annis noſtris, & ſucceſſorum noſtrorum abſque alia deſuper requiſita liberatione, ſive alio requiſito mandato, terminis, & modo, quibus retroactis temporibus hactenus theſaurariis, & receptoribus noſtris, qui nunc uſque fuerunt, ſolvere conſueverunt, & ſolverunt, plenarie, & integre, taliter quod nihil eis inde deficiat, reſpondeant, & reſponderi faciant; Quodque ſi forte valorem dicti Capitis Tributi Judęorum dictę noſtrę Villę diminui, aut populum dictorum Judęorum ibi penitus deficere contingeret, & propterea Prior, & Conventus dicti Monaſterii dictę noſtrę Villę prefatos mille ducentos Morabetinos, ſeu partem eorum ex Capite Tributi prenominato recuperare non poſſent, volumus, conſentimus, & concedimus, nos, noſtroſque in poſterum heredes, & ſucceſſores, qui poſt nos in dicta noſtra Villa de Villalon jure hereditario ſuccedere, aut eam alias habere debuerint, ad eorum in aliis noſtris, ſeu dictorum heredum, & Succeſſorum noſtrorum, hic non nominatis, redditibus, tributis, & juribus faciendam teneri emendationem, ita, & totaliter, quod prefati Prior, & Conventus dictos mille ducentos Morabitinos ex dicto capite Judęorum integraliter percipiant. Et ut prefati Prior, & Conventus dictę noſtrę Villę de hujuſmodi donatione reddantur certiores, & ſecuriores, quia ego prefatus D. Infans ſum Dominus, & major quatuordecim, ac minor vigintiquinque annis; idcirco ambo, & noſtrum quilibet Deum, Beatamque Virginem Mariam, & ad Sacra Dei Evangelia per nos, noſtris manibus corporaliter tacta juramus, hanc dictam a nobis dictis Priori, & Conventui de premiſſis omnibus & ſingulis factam Donationem, & eleemoſynam nunc, & in perpetuum, firmam, & ſtabilem habere, & habituros eſſe, eamque ſic tenebimus, obſervabimus, & adimplebimus, & contra eam in toto, ſeu in parte per nos, aut heredes noſtros nullo unquam tempore ibimus, nec veniemus, nec ipſi venient, minuſque litem, ſeu controverſiam aliquam movebimus, ſeu ipſi movebunt contra eandem. Verum quia ego D. Infans ſupradictus hujus per nos factę donationis tempore, vigintiquinque minor, & quatuordecim annis major hujuſmodi exiſto, tumque certificatus, eos, qui XXV annis minores ſunt, cum eos damnificari contingit, poſſe reſtitutionem petere, id circo talis modi in integrum contra dictam Donationem, & eleemoſynam ob defectum ętatis prędictę, ſeu alias quomodolibet, volo, me non poſſe petere reſtitutionem. Rogamus inſuper per hanc noſtram literam, & petimus prefatos noſtros heredes, & ſucceſſores, qui poſt nos, ſeu quemlibet noſtrum prędictam noſtram Villsm de Villalon jure hereditaris habere debuerint, quatenus hanc noſtram dictam per nos prefatis Priori, & Conventui dicti Monaſterii dictę noſtrę Villę de Villalon, de premiſſis omnibus, & ſingulis, factam donationem eis teneant, & obſervent, & contra eam in toto, vel in parte, ſub pęna noſtrę maledictionis nullatenus vadant, ſeu faciant, nec ab aliis contraíri, ſeu contrafieri permittant. Et inſuper ſi forte noſtrum quemlibet, aut heredes, & ſucceſſores noſtros, qui poſt nos, & quemlibet noſtrum dictam noſtram Villam de Villalon jure habere debuerint, contra hujuſmodi donationem, ſeu partem illius in aliquo premiſſorum ire, ſeu facere, aut contravenire, aut movere velle contigerit, Reverendum Patrem Dominum pro tempore Epiſcopum Legionenſem, ſeu ejus Judices quoslibet, & Vicarios, quibus hęc noſtra privilegii litera, ut prędicitur, ſive ſignatum tranſumptum, preſentabitur, rogamus, quatenus nos, & noſtrum quemlibet, prefatoſque heredes, & Succeſſores noſtros in dicta noſtra Villa poſt nos, & quemlibet noſtrum quomodolibet ſuccedere debentes, per omnem eccleſiaſticam cenſuram, premiſſa prout melius & plenius in hac noſtra litera continentur, ſic tenere, adimplere, & obſervare faciant. Noſque Prior, & Conventus Monaſterii prędicti concedimus, & cognoſcimus, quod recipimus pro nobis, & ſucceſſoribus noſtris, Priore, & Conventu, qui pro tempore fuerint, dictas Donationem, gratiam, & eleemoſynam: Ceterum quoniam eleemoſynam recipientes Deum pro eorum, a quibus illam ſic recipiunt, vita, ſalute, & animabus exorare tenentur; propterea nos, qui eleemoſynam prędictam a vobis Infante, & Infantiſſa prędictis dictum Monaſterium fundantibus, & ędificantibus, dictamque gratiam, & eleemoſynam nobis facientibus, recipimus, conſiderantes quod Ordo, Monaſterium, Prior, & Conventus dicti Monaſterii S. Domioici prefati, vobis dictis Dominis propterea obligantur, utque Dominus noſter Jeſus Chriſtus Vobis pro beneficiis prędictis bonum dignetur retribuere premium, conſtituimus, & ordinamus, quod Nos Prior, & Conventus ſupradicti qui de preſenti ſumus, & qui in futurum in Monaſterio erunt eodem, ſingulis diebus in aurora cujuslibet diei unam pro dictis Dominis Johanoe Rege, & Leonora Regina veſtri Domini Infantis progenitoribus, & pro vobis Dominis Infante, & Infantiſſa, veſtriſque filiis, heredibus, & ſucceſſoribus in dicta Villa de Villalon ſuccedere, & eam habere debentibus, Miſſam perpetuo decantari, ſinguliſque annis tria trecenaria, & duodecim anniverſaria, cum vigilia, & Miſſa de Requiem, & in fine Vigilię, & Miſſę reſponſoriis decantatis, ce-

Digitized by Google

celebrari faciemus, & facient. Et ſimiliter, quod nos Prior, & Conventus ſupradicti pręſentes, & futuri ſingulis diebus in Miſſa majori unum reſponſum decantare, & Commemorationes hujuſmodi in Katendario noſtro ad perpetuam memoriam ponere debeamus. Nos enim Infans, & Infantiſſa conjuges ſupradicti dictam Donationem ex nunc, & in perpetuum, firmam, ſtabilem, & valituram habentes, hanc noſtram privilegii literam noſtris nominibus roboratam, ſigilliſque noſtris munitam vobis inde dare mandavimus. Datum in Villa noſtra Medina del Campo die XIV Menſis Decembris anno a Nativitate Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti MCCCCI. Ego Infans. Ego Infantiſſa. & ego Garzia dicti Domini Infantis ſcriba de ejus, & dictę Infantiſſę mandatis illam ſcribi feci. Regiſtrata. Valaſcus Fernandi. Petrus Alfonſi. Nulli ergo &c. noſtrę approbationis, confirmationis, & ſuppletionis infringere &c. Si quis &c. Datum Senis Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Secundo (17) Undecimo Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Decimo Tertio.

1. *Villalon.*) In *Hiſpania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum ex Autographo in Cœnobio *de Villalon* aſſervato.
3. *Fernandus.*) Poſtea Rex *Aragonum*.
4. *Johannis.*) Hujus nominis *I.*
5. *Alcazarem.*) Arabica vox eſt, teſte *Sebaſtiano de Cobarruvias*, quæ Domum Cæſaream, ſeu Regiam, ſonat.
6. *Elena.*) In Comitatu *Ruſcinonenſi*.
7. *Peñafiel.*) *Rupis* nempe *fidelis*, ſeu *Pintia*, in *Caſtella Veteri*.
8. *Alburquerque.*) *Albuquerque*, ſic vulgo vocant *Albuquercum* oppidum *Hiſpania* in *Extremadura*.
9. *Majorga.*) In *Legionenſi* Diœceſi.
10. *Haro.*) *Faro*, in *Algarbia*.
11. *Leonora.*) *Aragonenſis*.
12. *Regratiari.*) Id eſt *gratiam gratia rependere*.
13. *Henrici.*) Hujus nominis *III.*
14. *Rendam.*) Redditum ſcilicet.
15. *Morabitinos.*) Nummorum ſpecies eſt.
16. *Stanchum.*) Stagnum nempe.
17. *Quadrageſimo Secundo.*) Stylo Bullarum, Æræ communis *MCCCCXLIII.*

Cœnobii de Villalon Conſervatores creat.

Anno 1443 Die 22 Martii.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Legionen., & dilectis filiis Abbati Montis Sancti Facundi de Sancto Facundo, Legionen. Dięceſis, ac Archidiacono de Mairrga in Eccleſia Legionen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CCLX.

HOdie ſiquidem dilectis filiis Priori, & Conventui domus Sancti Dominici Villę de Villalon Ordinis Fratrum Prędicatorum, Legionen. Dięceſis, noſtras conceſſimus literas tenoris ſequentis. Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. Sedis Apoſtolicę copioſa benignitas &c. (2) cupientes igitur, ut dictę literę votivum ſortiantur effectum, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios eiſdem Priori, & Conventui, quoties pro eorum parte fueritis requiſiti, in pręmiſſis, & circa ea, opportunę defenſionis aſſiſtentes auxilio, non permittatis dictos Priorem, & Conventum, ac alios, quos hujuſmodi literę concernunt contra illarum formam, & tenorem quomodolibet impediri aut alias ſuper in illis contentis aliquatenus moleſtari, vel etiam perturbari, impeditores, moleſtatores, & perturbatores, ceteroſque quoslibet contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus ſi aliquibus communiter, vel diviſim, a pręfata Sede indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Senis Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Secundo (3), Undecimo Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

1. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar. Authenticum unum *Lib. B. fol.* 31. ex Autographo aſſervato in Cœnobio *de Villalon*, aliud ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXXIV fol.* 65.
2. *Benignitas &c.*) Ut in præcedenti ad finem uſque.
3. *Quadrageſimo Secundo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCXLIII.*

Delegat F. Petrum de Jeremia (1), alioſque nonnullos, qui reforment Monaſterium S. Placidi de Calonero.

Anno 1443 Die 22 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Mattheo Epiſcopo Agrigentin., & dilectis filiis Ambroſio Abbati Sancti Martini de Scalis, ac Thomę de Columba Priori Annali Sancti Nicolai de Arenis, Montis regalis, & Catbanien. Dięceſum, Monaſteriorum, necnon Petro de Jeremia Vicario Domus Sanctę Citę (3) Panormitan. Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CCLXI.

INter curas multiplices, quibus occurrentium rerum, negotiorumque varietatibus obſidemur, illas attentius amplectimur, per quas regulares Ordines & loca jugi ſanctimonię dedita, prout congruere proſpicimus, in ſpiritualibus, & temporalibus votivę proſperitatis dirigantur eventu. Unde efficacis ad id ſolicitudinis ſtudium adiicere cupimus, & proviſionis occurrere remedio ſalutaris, ne Ordines, & lo- Exordium.

& loca ipſa, Apoſtolicę providentię, quod abſit, deſtituta conſilio, periculoſę deformationis attingant opprobrium, ſed labentis curſu temporis exquiſito ſtatu proſpero continuum, dante Domino, in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiant incrementum. Sane dudum, poſtquam ex fide dignorum relatione, non ſine gravi diſplicentia, & amaritudine cordis acceperamus, in Monaſterio S. Placidi de Calonero Romanę Eccleſię immediate ſubjecto, Ordinis Sancti Benedicti, Meſſanen. Dięceſis, quod olim magna Religione & honeſtatis integritate reſplenduit, cauſante moderni Abbatis ejuſdem Monaſterii deſidia, regularem obſervantiam depreſſam fore, Nos tunc volentes, prout ex paſtoralis

Diplomatis cauſa.

officii debito tenebamur, pręmiſſis celeriter obviare, & pręfatum Monaſterium ad regularem obſervantiam reducere, dilectum filium Baptiſtam de Jordane, Canonicum Meſſanen., & te, fili Petre, viſitatores, & reformatores dicti Monaſterii tam in capite, quam in membris, per alias noſtras literas fecimus, conſtituimus, & etiam deputavimus, tibique, & illi Monaſterium ipſum reformandi, & ad regularem obſervantiam reducendi, ac alia omnia, & ſingula circa hęc neceſſaria, & opportuna faciendi, plenam conceſſimus facultatem, prout in ipſis literis plenius continetur. Poſtmodum vero literis prędictis per te, & dictum Baptiſtam, ut accepimus, ex certis cauſis, quas pręſentibus haberi volumus pro expreſſis, executioni minime demandatis, dilecti filii Matthęus, & Placidus de Marcho ex una, ac Marinus de Perricono, & Paulus Pardionis, Monachi dicti Monaſterii, ex altera, partibus, coram dilecto filio noſtro tituli Sancti Sixti Presbytero Cardinali ſe perſonaliter pręſentantes, ut etiam accepimus, quantum in eis fuit conſenſerunt expreſſe, atque voluerunt, quod vos videlicet Frater Epiſcope, ac filii Abbas, Prior, & Vicarie Viſitatores, & reformatores eſſetis in ſpiritualibus, & temporalibus dicti Monaſterii tam in capite quam in membris. Nos igitur, qui regularem obſervantiam pręcipue in Monaſterio ipſo vigere cupimus, volentes dictorum Monachorum votis annuere in hac parte & Monaſterium ipſum ad obſervantiam reduci antedictam, eorum ſuper hoc ſupplicationibus inclinati, vos Frater Epiſcope, ac filii Abbas, Prior, & Vicarie Viſitatores & reformatores tam in capite quam in membris, ut pręfertur, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium facimus, conſtituimus, & etiam deputamus. Vobis nihilominus per Apoſtolica Scripta, diſtricte pręcipiendo, mandantes, quatenus onus hujuſmodi acceptantes, & habentes pre oculis ſolum Deum, vos etiam quatuor, ſeu tres, vel ſaltem duo veſtrum, quorum, etiam duorum, unum te, Petre fili, ſemper eſſe volumus, &, te deficiente,

Delegat ut ſupra,

vos reliqui tres, vel duo, hac vice duntaxat, ad Monaſterium prędictum quantocius accedatis, illudque viſitetis, & ſecundum juris diſpoſitionem, ac Ordinis prędicti Regulam tam in capite, quam in membris hujuſmodi eadem auctoritate reformetis, cum poteſtate corrigendi, & reformandi, ac ſtatuendi & ordinandi in eodem quęcunque neceſſaria, & utilia, uſque ad completam reformationem, & reductionem ad bonam, & laudabilem obſervantiam regularem, ac Abbatem, & perſonas dicti Monaſterii pro commiſſis, & committendis delictis, & criminibus juxta exceſſum & criminum ipſorum qualitates puniendi, &, ſi opus fuerit, illos propterea carcerandi, & a ſuorum Ordinum executione, necnon Abbatem ab ejuſdem Monaſterii, ſeu Abbatię, & perſonas prędictas ab officiorum regimine, ac adminiſtratione in perpetuum, vel ad certum tempus ſuſpendendi, ac illos, dicto Abbate duntaxat excepto, cujus privationem & amotionem Nobis tantummodo reſervamus, amovendi, & privandi, necnon de uno loco ad alium, ſeu alia Monaſteria, prout eidem reformationi expedire videbitis, transferendi, omniaque alia, & ſingula, juxta datam vobis a Domino prudentiam, efficaciter peragendi, faciendi, gerendi, ſtatuendi, ordinandi, diſponendi, & exequendi, quę uſque ad completam reformationem hujuſmodi neceſſaria videbuntur, aut quomodolibet opportuna. Demum quoque, poſtquam pręmiſſa per vos facta fuerint, tibi fili Petre, & uni ex vobis tribus, quibus etiam ut infraſcripta adimpleatis ſimiliter pręcipiendo mandamus, Monaſterium prędictum, quoties opus fuerit, uſque ad triennium a die primę viſitationis per vos factę duntaxat computandum in omnibus, & per omnia ut ſupra viſitandi, & in regulari obſervantia continuo conſervandi, aliaque omnia, & ſingula circa hęc neceſſaria, ut pręfertur, faciendi, gerendi, & exequendi, contradictores quoque, & rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam, necnon pęnas, de quibus vobis viſum fuerit, & juris remedia alia opportuna, appellatione poſtpoſita, compeſcendi, plenam, & omnimodam, auctoritate pręfata, tenore pręſentium, concedimus facultatem, ac etiam poteſtatem. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papę Octavi, Prędeceſſoris

Clauſula derogans.

Noſtri, & aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, & ſtatutis, & conſuetudinibus, Monaſterii, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque per quę effectus pręſentium quomodolibet valeret impediri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum eſſet pręſentibus ſpecialis, & expreſſa mentio facienda, quę quoad hoc nulli volumus ſuffragari, ſeu ſi Abbati, & perſonis pręfatis, & quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nulli ergo &c. Datum Senis Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo ſecundo(4), Undecimo Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Tertiodecimo.

1. *Petrum de Jeremia.*) Beatum, de quo conſulendi Scriptores quos laudat, & excipit *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCCCLII pag.*810.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CCLXXIV fol.*268. Meminit *Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap. I ad an. MCCCCXLII pag.* 338., ex *Pirro* in *Sicilia Sacra*.

3. *S. Cita.*) Nonnulli ſcribunt *Zita*. Hocce Cœnobium eſt *Panormi* in *Sicilia*, ubi etiam Diœceſes *Montis Regalis*, *Cathanienſis*, & *Meſſanenſis*.

4. *Quadrageſimo Secundo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCXLIII*.

Confirmatio donationis Regiæ cujuſdam Beneficii Eccleſiaſtici factæ Conventui de Villalon. (1) Legionen. Diœceſis Ordinis Prædicatorum.

Anno 1443 Die 27 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCLXII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus de Villalon, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Legionenſis Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SEdis Apoſtolicę gratioſa benignitas piis quarumlibet regulari ſub caſtimonia Domino militantium perſonarum votis libenter annuit, & illis, quę per eam pro hujuſmodi perſonis conſtructa comperit, uberioris interdum Apoſtolici muniminis adminiculum interponit, ut eo firmius illibata perſiſtant, quo frequentiori ſuo fuerint prędidio communita. Dudum ſiquidem pro parte cariſſimę in Chriſto filię noſtrę Eleonorę Reginę Aragonum Illuſtris nobis expoſito, quod ipſa ad hujuſmodi propenſius aſpirans cultus augmentum, juſpatronatus, & pręſentandi perſonam idoneam ad quandam Capellam ſine cura, Capella Domini nuncupatam communiter, ſitam in villa de Villalon, Legionenſis Diœceſis, cujus dictę Reginę prędeceſſores fundatores fuere, & cujus ipſa Regina unica patrona exiſtebat, cum omnibus ſuis pertinentiis vobis ad hoc quod in ipſa Capella divinum attentius perageretur Officium, libere donaverat, & conceſſerat, ac in vos totaliter tranſtulerat, ita quod fructus, redditus, & proventus hujuſmodi Capellę ex tunc in antea perpetuis futuris temporibus percipere, & habere, ac in veſtros, & ipſius domus uſus communes perpetuo convertere poſſetis, atque deberetis, ac pro parte ipſius Reginę Nobis humiliter ſupplicato, ut donationi, conceſſioni, & tranſlationi prędictis pro illarum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adjicere de benignitate Apoſtolica dignaremur, Nos, dictę Reginę ſupplicationibus inclinati, donationem, conceſſionem, & tranſlationem pręfatas, & quęcunque inde ſecuta, rata habentes, & grata, illa per alias noſtras literas confirmavimus, prout in eiſdem literis plenius continetur. Quare pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan in donatione, conceſſione, & tranſlatione prędictis intervenerunt, pro ipſarum ſubſiſtentia firmiori, ſupplere de benignitate Apoſtolica dignaremur: Nos itaque, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium defectus prędictos ſupplemus, ac volumus, vobiſque concedimus, quod literę pręfatę a dato pręſentium valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant perinde in omnibus, & per omnia, ac ſi in illis defectus hujuſmodi ſuppleviſſemus. Nulli ergo &c. Noſtrę ſuppletionis, voluntatis, & conceſſionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Senis Anno Incarnationis Dominicę Millesimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Tertio, Sexto Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Decimo Tertio.

Diplomatis cauſa.

Confirmatio.

1. *De Villalon.*) Conſulenda *Conſtitutio CCLIX*.
2. *Archivo*) In quo duplex Exemplar, Authenticum unum *Libro B. fol.*35. ex Autographo aſſervato in Cœnobio *de Villalon*; aliud ex *Archivo Apoſtolico Libro CCLXXIV fol.*66.

Ut Mutinenſes Fratres quædam bona poſſint alienare.

Anno 1443 Die 16 Maii.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

CCLXIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Jacobo Archipreſbytero Eccleſię Mutinen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AD ea, per quę Monaſteriorum, & aliorum Religioſorum locorum quorumlibet commodo, & utilitati conſulitur, ex injuncto Nobis deſuper Apoſtolicę Servitutis officio libenter intendimus, illaque favoribus proſequimur opportunis. Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris & Fratrum domus Sancti Dominici Mutinen., Ordinis Fratrum Prędicatorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ipſi nonnulla ex poſſeſſionibus ac bonis immobilibus tam in Diœceſi Mutinen., quam etiam in territorio Carpen., quod nullius Diœceſis exiſtit, conſiſtentibus, & ad domum pręfatam legitime pertinentibus, immobilia, poſſeſſiones, & bona eidem domui minus utilia pro aliis bonis immobilibus permutare, ſeu alias libere vendere, & alienare, necnon pretium ex venditione hujuſmodi proveniens in emptionem aliorum bonorum mobilium convertere, pro utilitate dictę domus deſiderant, atque proponunt, ſi ad hoc eis Apoſtolica ſuffragetur auctoritas. Quare pro parte dictorum Prioris & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eorum deſiderio hujuſmodi annuere, & alias ſuper hoc ſtatui pręfatę domus opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur de his certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus per te ipſum dumtaxat de pręmiſſis omnibus & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ea vera eſſe, ac poſſeſſionibus & bonis permutandis, ſeu vendendis, pręfatis tibi ſpecifice deſignatis, tibi videatur, quod venditio, ſeu permutatio hujuſmodi, ſi fiat, in evidentem dictę domus utilitatem cedere debeat, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Priori, & Fratribus prędictis tot de poſſeſſionibus & bonis immobilibus ad domum ſpectantibus hujuſmodi, quod eorum valor ad ſummam ſeptingentorum Florenorum auri de camera communiter aſcendat, ſimul, vel ſucceſſive, tam conjunctim, quam diviſim, quibuſvis perſonis, etiam laicis, libere vendendi & alienandi, ac venditionis titulo tradendi, & aſſignandi, aut pro aliis poſſeſſionibus & bonis immobilibus, eidem domui magis utilibus

Supplex petitio.

Facultas.

cum eiſdem perſonis permutandi, & ex cauſa permutationis hujuſmodi concedendi, ſeu partim venditionis, & partim permutationis prędictarum, prout tibi viſum fuerit, faciendi, plenam & liberam, Clauſula derogans. auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, licentiam concedas, & etiam poteſtatem. Non obſtantibus ſi ipſa poſſeſſiones & bona vendenda, & permutanda eidem Domui, cum hoc quod illa nullo unquam tempore vendi, alienari, permutari, pignori dari, ſeu ad alios uſus deputari poſſint, ſeu debeant, ac aliis quibuſvis conditionibus, prohibitionibus, ſubjectionibus, modis, & formis, pia fidelium largitione relicta & legata hactenus fuerint, quorum quidem legatorum, & relictorum omnium & ſingulorum, modos & formas, necnon ſuper illis confectorum publicorum inſtrumentorum tenores, ac dictorum vendendorum & permutandorum poſſeſſionum, & bonorum qualitates, loca, vocabula, atque confines, etiam pro eo quod, ut ipſi exponentes aſſerunt, ex combuſtione ipſius domus, quę jam ſeptem, vel circa, annis elapſis caſualiter proveniſſe dignoſcitur, inter alia omnia Inſtrumenta & ſcripta publica in ea tunc conſiſtentia, conſumpta fuerunt, pręſentibus haberi volumus pro expreſſis, & quibus omnibus in eventum faciendarum venditionis & permutationis hujuſmodi, ſeu alterius earum, ſpecialiter derogamus, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon pręfati Ordinis juramento confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Senis Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo tertio, Decimo Septimo Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

Gratis de Mandato D. N. Papę

P. De Noxeto

Gratis de Mandato D. N. Papę

P. De Guaſconibus.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Mutinenſi*.

Anno 1443 Die 29 Maii

Suavenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCLXIV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis univerſis Incolis, & habitatoribus Caſtri Suave, Veronenſis Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. SAcrę devotionis affectus, quem ad Nos, & Romanam geritis Eccleſiam, non indigne meretur, ut petitionibus veſtris, illis pręſertim, quę divini cultus augmentum, & Religionis propagationem reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte veſtra, petitio continebat, vos ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Prędicatorum, ac illius Religioſos geritis devotionis affectum, unam Domum Conventualem pro uſu, & habitatione quorundam dicti Ordinis Fratrum, ex quorum virtutibus, ac vita laudabili, & fructuoſis operibus multa veſtrarum animarum conſolationes, & gaudia, ſentire ſperatis, in veſtro Caſtro Suave, Veronen. Supplex petitio. Diœceſis, de novo erigi, & fundari ferventius cupiatis, ac pro hujuſmodi deſiderio adimplendo nonnullas domos in loco ad id apto, accommodo, & honeſto jam duxeritis deputandas, pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut deſiderio prędicto annuere, & alias deſuper opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui cultum & Religionem hujuſmodi ubique locorum vigere, & augeri noſtris potiſſime temporibus affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, univerſitati veſtrę unam Domum cum Eccleſia, campanili, campanis, cęmeterio, clauſtris, refectorio, dormitorio, & aliis neceſſariis officinis pro uſu & habitatione perpetuis nonnullorum ipſius Ordinis Fratrum pro tempore exiſtentium in Caſtro prędicto, loco utique inibi ad id, ut pręfertur, congruo, & honeſto, de novo erigendi, fundandi, & conſtruendi, necnon Provinciali pro tempore Provincię Sancti Dominici, juxta morem pręfati Ordinis, per ſe, vel alium, ſeu alios, ad id ab eo deputandum, ſeu deputandos, ſuo, & totius Ordinis pręfati nomine, Domum prędictam recipiendi, ſibique, & aliis pręſentibus, Facultas. & futuris Fratribus ad id a Superioribus dicti Ordinis, juxta illius Conſtitutiones, & conſuetudines electis, in Domo ipſa perpetuo commorandi plenam, & liberam licentiam, & facultatem; necnon Priori, & Fratribus in dicta conſtruenda Domo pro tempore degentibus, eorumque ſervientibus, & perſonis, quod ipſi omnibus, & ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis, gratiis, & indultis, aliis ejuſdem Ordinis Prioribus, Fratribus, domibus, ſervientibus, & perſonis per Sedem Apoſtolicam, vel alias generaliter quomodolibet conceſſis, uti, & gaudere valeant, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus, & etiam indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, illa pręſertim, qua prohibetur, ne Fratres cujusvis Ordinis Mendicantium in aliqua civitate, villa, caſtro, vel loco ad habitandum Domos, & loca de novo recipere, Clauſula derogans. vel recepta mutare pręſumant, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Senis Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo, Quadrageſimo Tertio, Quarto Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo.

1. *Suavenſi.*) In *Longobardia* ditionis *Veneta*.

2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar ex Autographo aſſervato in *Veronenſi* Cœnobio *S. Anaſtaſia*.

Con-

Anno 1443
Die 8 Junii.

Confirmat ea, quæ de Cœnobio S. Mariæ de Caſtello Januen. (1) ſundando ſanxerat.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCLXV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

AD ea, per quę Monaſteriorum, & aliorum religioſorum locorum atque domorum, necnon in illis ſub regulari habitu degentium, perſonarum omnium ſtatui, commodo, & tranquillitati conſulitur, ex injuncto Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio libenter intendimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Dudum ſiquidem pro Religionis propagatione, ac divini cultus augmento, & ex aliis rationabilibus cauſis, ſub certis modo, & forma tunc expreſſis, per quaſdam certo dedimus Judici inter alia in mandatis, ut auctoritate noſtra Prępoſituram, ac omnes, & ſingulos Canonicatus, & Prębendas Eccleſię Beatę Marię de Caſtello, Januen., ac perpetuas Capellanias in illa tunc inſtitutas, in eadem Eccleſia penitus ſupprimeret, & extingueret, necnon pręfatam cum habitationibus, hortis, officinis, & pertinentiis ſuis omnibus ei continuis, & ad illam ſpectantibus, in Domum Conventualem Ordinis Fratrum Prędicatorum pro uſu, & habitatione perpetuis quorundam ipſius Ordinis Fratrum ſub illius obſervantia pro tempore degentium erigeret, & crearet, ac omnia, & ſingula Eccleſię, Prępoſiturę, Canonicatuum, & Prębendarum, necnon Capellaniarum prędictarum, cenſus, manſiones, & bona mobilia, & immobilia, libroſque, calices, & paramenta, ceteraque eccleſiaſtica ornamenta, Domui tunc erigendę, ac Fratribus pręſentibus, & futuris, de obſervantia hujuſmodi, perpetuo & libere donaret, applicaret, & appropriaret, ita quod liceret illis ex Fratribus ſupradictis, quos Magiſter Generalis dicti Ordinis ad id duceret eligendos, Eccleſię, habitationum, hortorum, pertinentiarum, ac donandorum, & applicandorum prędictorum, in certos tunc expreſſos eventus, auctoritate propria, libere apprehendere & perpetuo retinere, necnon Priori, & Fratribus pro tempore exiſtentibus dictę erigendę Domus in ea perpetuo habitare, & morari, Diœceſani loci, & cujuſcunque alterius licentia minime requiſita, & deinde, poſtquam Judex pręfatus ad executionem literarum earundem procedens, illarum forma ſervata, Prępoſituram, Canonicatus & Prębendas, ac Capellanias prędictos in dicta Eccleſia penitus ſuppreſſerat, & extinxerat, necnon etiam habitationes, hortos, officinas, & pertinentias hujuſmodi in Domum Conventualem, ut pręfertur, erexerat, & creaverat, ac omnia, & ſingula poſſeſſiones, cenſus, penſiones, & bona, libroſque, calices, paramenta, & ornamenta prędicta Domui tunc erectę prędictę perpetuo donaverat, applicaverat, & appropriaverat, prout in quodam Inſtrumento publico, deſuper confecto, plenius dicebatur contineri, per alias Noſtras literas ſuppreſſionem, donationem, applicationem, erectionem, creationem, extinctionem, & appropriationem prędictas, ac alia omnia & ſingula per Judicem vigore priorum literarum geſta, atque facta, ceteraque in dicto Inſtrumento contenta, & inde ſecuta, ex certa ſcientia confirmavimus, & approbavimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, necnon omnes, & ſingulas lites, & cauſas inter Priorem, & Fratres tunc exiſtentes dictę Domus ex una, ac venerabilem Fratrem noſtrum Archiepiſcopum Januen., necnon dilectos filios Prępoſitum prędictę, ac illius, ac majoris Januen. Eccleſiarum, Capellanos, & alios tunc expreſſos, ſuper pręmiſſis, & earum occaſione, partibus, ex altera, tunc vertentes, & indeciſas pendentes, ad Nos advocantes, & penitus extinguentes, prout in ſingulis literis prędictis plenius continetur. Cum autem, ſicut pro parte dilecti filii Jacobi de Regno Ordinis prędicti, ac Sacrę Theologię profeſſoris, necnon in Romana Curia totius pręfati Ordinis Procuratoris Nobis nuper exhibita, petitio continebat, ab aliquibus aſſeratur, quod Domus erecta prędicta a Domo Sanctę Thecię Januen. Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini ſecundum menſuram per conſtitutiones Apoſtolicas, ſeu alias a jure in talibus ſtatutam, & ordinatam, necnon antiquam & obſervatam conſuetudinem diſtare non videtur, ſed quod infra menſuram prędictam fore dignoſcitur, ac propterea de literarum & inde ſecutorum prędictorum viribus hęſitetur, & pro parte Procuratoris prędicti, necnon dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum dictę erectę Domus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſtatui Domus erectę hujuſmodi, necnon Prioris, & Fratrum in ea pro tempore degentium, in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, attendentes, quod ex erectione Domus, & aliis geſtis pręmiſſis Religionis propagatio, & cultus augmentum hujuſmodi in partibus illis provenire dignoſcitur, ac ſuper hoc ſtatui Domus erectę, eiuſque pro tempore Prioris & Fratrum hujuſmodi, quantum cum Deo poſſumus, providere volentes, necnon Conſtitutionibus ſuper menſura editis, ac conſuetudini ſupradictis, quoad pręmiſſa harum ſerie derogantes, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ex certa ſcientia decernimus, atque concedimus, quod ſingulę literę prędictę, necnon proceſſus habiti per eaſdem, ab eorum omnium datis, & quęcunque inde ſecuta valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, quodque Fratres pręſentes, & futuri Ordinis Fratrum Prędicatorum, & obſervantię hujuſmodi, dictam, ut pręfertur, erectam Domum pro eorum uſu, & habitatione perpetuis retinere, & in ea conventualiter permanere libere & licite poſſint & valeant perinde in omnibus, & per omnia, ac ſi in ſingulis literis prędictis, quod domus, ut pręfertur, erecta prędicta per menſuram pręfatam a Domo Fratrum Eremitarum hujuſmodi non diſtabat, ſed quod infra illam exiſtebat, expreſſum, & per illas Conſtitutionibus, & Conſuetudini pręfatis tunc quoad id, ſpecialiter, & expreſſe derogatum fuiſſet. Non obſtantibus pręmiſſis, necnon aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac pręfatorum Ordinum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę derogationis, conſtitutionis, & conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Senis Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo tertio, Sexto Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo.

Diplomatis cauſa.

Confirmatio.

1. *Januen.*) In *Liguria*. 2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXXIV fol.*321.

Anno 1443 Die 30 Junii.

Caſertani (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCLXVI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii Sancti Severini Neapolitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AD Eccleſiarum, & Monaſteriorum omnium ſtatum utiliter, & proſpere dirigendum, paterna ſolicitudine vigilantes, eorum profectibus libenter intendimus, & ut illa ex ipſis quę deformationum incommodis ſubjacere noſcuntur, debitę reformationis beneficio gaudeant, grataque in eis Deo plantaria ſurrogentur, opem, & operam, quantum cum Deo poſſumus, impendimus efficaces. Sane pro parte dilecti filii Jacobi de Regno Ordinis Fratrum Prędicatorum ac Sacrę Theologię profeſſoris, necnon in Romana Curia totius Ordinis prędicti generalis Procuratoris, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod Monaſterium Sororum Sancti Jacobi Caſertan., Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, cauſantibus guerris, & aliis ſiniſtris eventibus, quę partes illas hactenus afflixerunt, Sororibus penitus deſtitutum remanſit, necnon & Prioriſſa ejuſdem, quod per Prioriſſam gubernari conſuevit, ad Hoſpitale pauperum Annunciatę Neapolitan. ſe contulit, inibique certum officium obtinere dignoſcitur, &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi Monaſterium pręfatum dicto Ordini Fratrum Prędicatorum, ad uſum perpetuum quorundam ex Religioſis ejuſdem concederetur ultra Religionis, & divini cultus augmentum quę inibi ſuccederent, cives, & incolę Caſertan. plura ſuarum animarum, utilitates, conſolationes, & gaudia ſentirent. Quare pro parte dicti Jacobi Procuratoris Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ea vera eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Monaſterium prędictum, Prioriſſali dignitate, ac dicto Ordine Sancti Auguſtini in eo penitus ſuppreſſis, & extinctis, cum omnibus & ſingulis bonis immobilibus, & mobilibus, ac juribus, & pertinentiis ſuis, Ordini Fratrum Prędicatorum hujuſmodi pro uſu, & habitatione perpetuis quorundam ex religioſis prę ſentibus, & futuris inibi conventualiter, & laudabiliter vivere debentibus, perpetuo concedere, incorporare, tradere, & aſſignare, auctoritate prędicta, ſtudeas, & procures, ita quod ex tunc Magiſter Generalis dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum pro tempore exiſtens, ſeu ejus Vicarius, aut locum tenens per ſe, vel alium, vel alios corporalem poſſeſſionem Monaſterii, bonorum, jurium, & pertinentiarum prędictorum auctoritate propria libere apprehendere, illudque in domum conventualem cum clauſtro, refectorio, dormitorio, & aliis neceſſariis officinis, ad inſtar aliarum domorum pręfati Ordinis Prędicatorum, reducere, & reformare, Diœceſani loci, & cujuſcunque alterius licentia deſuper minime requiſita, ipſeque, ac alii prę ſentes, & futuri Fratres prędicti in illo perpetuo permanere, ac omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indultis, & gratiis, aliiſque domibus prę fatis, ac eorum Prioribus, & Fratribus per Sedem Apoſtolicam, vel alias quomodolibet conceſſis, uti valeant, pariter & gaudere. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papę Octavi, Prędeceſſoris noſtri, illa prę ſertim, qua prohibetur, ne Fratres de quibuſvis Mendicantium Ordinibus in aliqua Civitate, villa, terra, ſeu alio quocunque loco domum de novo recipere poſſint abſque Sedis prędictę licentia ſpeciali, faciente plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon Monaſterii, & Ordinum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Senis Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Tertio, Pridie Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo.

Diplomatis cauſa. — Facultas. — Clauſula derogans.

1. *Caſertan.*) In Regno *Neapolitano*. 2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXXIV fol.*22.

Anno 1443 Die 6 Julii.

Hoſpitalem Domum, & Cœnobium Humiliatorum unit Monaſterio S. Catharinæ Brixien. (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCLXVII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Prępoſito Eccleſię Sancti Johannis Brixien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AD ea, per quę Monaſteriorum, & aliorum Religioſorum locorum, ac perſonarum, in illis prę ſertim ſub fragili ſexu, & regulari obſervantia degentium omnium, ſtatui conſulitur, & opportunitatibus ſubvenitur, ex injuncto Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio libenter intendimus, illaque favoribus proſequimur opportunis. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Sororum Monaſterii Sanctę Catharinę Brixien., per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis Sancti Auguſtini ſub cura Fratrum Prędicatorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod licet ipſę triginta octo nume-

numero, vel circa exiſtant, ac in dicto Monaſterio ſub perpetua clauſura, ac regulari dicti Ordinis obſervantia, & alias laudabiliter vivant, tamen propter exilitatem fructuum ejuſdem Monaſterii, qui ultra centum florenos auri de camera annuatim communiter non valent, plura hactenus ſuſceperunt, & ſuſcipiunt incommoda, ac, cauſante facultatum carentia, nonnullę ex ipſis ſępius infirmantur, pluresque ex infirmis prędictis ab earum infirmitatibus hujuſmodi liberari non poterint. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Domus Sancti Lucę Burgi Sancti Alexandri Brixien. Ordinis Humiliatorum, in ſpiritualibus, & temporalibus defectus non modicos hactenus ſuſtinuerit, & hodie ſuſtineat, illaque, & alię tres, vel quatuor pręfati Ordinis Humiliatorum in Civitate Brixien conſiſtentes Domus jamdiu regulari obſervantia deſtitutę remanſerint, & de pręſenti remaneant, nec in ipſis omnibus ultra decem & octo, aut viginti pręfati Ordinis Humiliatorum Fratres a multis citra temporibus inſimul continuo habitaverint, prout de pręſenti habitant, & alias in Hoſpitali Pauperum Sancti Johannis de foris Brixien. jamdiu

Supplex Brixienſium petitio.

modica, ſeu nulla Hoſpitalitas ſervata fuerit, &, ſi domus Sancti Lucę & Hoſpitale prędicta eidem Monaſterio unirentur, ex hoc Prioriſſa, & Sorores dicti Monaſterii pro tempore exiſtentes in neceſſitatibus eis pro tempore occurrentibus magna ſuffragia reciperent, ac quietius, & commodius ſua Altiſſimo vota reddere, & in laudabilibus operibus multiplicare, pluraque, exinde bona etiam ad laudem, & gloriam Altiſſimi, populique devotionis augmentum provenire valerent, pro parte dilectorum filiorum

Unit ut ſupra.

communitatis, & Civium dictę Civitatis, necnon prędictarum Prioriſſę & Conventus, etiam aſſerentium, quod Monaſterium prędictum reſpectu multitudinis exponentium hujuſmodi arctum exiſtit, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut earum & dicti Monaſterii ſtatui ſuper pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ſuper pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra, te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ea vera eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Domum Sancti Lucę, cujus, ac illius Prępoſiturę, quę conventualis eſt, ducentorum, necnon Hoſpitale, cujus trigintaquinque florenorum auri ſimilium, fructus, redditus, & proventus, ſecundum communem ęſtimationem valorem annuum, ut ipſi exponentes aſſerunt, non excedunt, prędicta, cum omnibus eorum, & cujuſlibet ipſorum poſſeſſionibus, & bonis, juribus, & pertinentiis, auctoritate prędicta pręfato Monaſterio perpetuo incorpores, unias, & annectas, ita quod quamprimum tempus juxta ſtatuta, & ordinationes pręfati Ordinis Humiliatorum dilecto filio moderno Prępoſito dictę Domus Sancti Lucę ad illius regimen, ſeu ipſam Prępoſituram tenendam, & gubernandam olim conceſſum deſierit, ſeu lapſum fuerit, aut alias cedente, vel decedente ipſo Prępoſito, ſi forſan ei dicta Prępoſitura ad vitam ſuam per literas Apoſtolicas, vel earum auctoritate, collata fuerit, ſeu illam quomodolibet dimittente, liceat Prioriſſę & Conventui prędictis per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem poſſeſſionem Domus Sancti Lucę, cujus Prępoſituram ac Ordinem Humiliatorum in eventu lapſus temporis, aut ceſſus, vel deceſſus, ſeu dimiſſionis hujuſmodi, ex nunc prout ex tunc harum ſerie ſupprimimus, ac ſuppreſſos fore decernimus, necnon Hoſpitalis poſt illius Rectoris ceſſum, vel deceſſum, & aliorum uniendorum prędictorum auctoritate propria libere apprehendere, ipſiſque, ac futuris dicti Monaſterii Prioriſſis, & Sororibus perpetuo retinere, hujuſmodique illorum fructus, redditus & proventus in ſuos, ac Monaſterii, domus, & Hoſpitalis prędictarum uſus, & utilitatem convertere, Diœceſani loci, & cujuſcunque alterius licentia minime requiſita, quodque ex tunc Prępoſitus, & Fratres in dicta Domo Sancti Lucę tunc exiſtentes ad quatuor prędictas, ſeu alias pręfati Ordinis Humiliatorum Domos ſe transferre teneantur, & debeant. Nos enim, ſi unionem Domus Sancti Lucę hujuſmodi fieri, ac effectum ſortiri contigerit, quod pręfatę Prioriſſa pro tempore, ac Conventus poſt apprehenſionem poſſeſſionis Domus Sancti Lucę hujuſmodi aliquas ex eis ad dictam Domum Sancti Lucę tranſmittere valeant, ita quod tunc dictę tranſmiſſę, & alię quę pro tempore inibi permanſerint Ordinis Sancti Auguſtini ſub cura Fratrum hujuſmodi, Sorores in Domo ipſa Sancti Lucę quę tunc Monaſterium Sororum prędictarum exiſtat, & eſſe debeat, ſub obſervantia prędicta in perpetua clauſura, conventualiter vivere teneantur, quodque illa, ac Sorores dicti Monaſterii Conventum faciant, & per unam Prioriſſam gubernentur, auctoritate pręfata Prioriſſę pro tempore, & Conventui pręfatis, tenore pręſentium, concedimus, ſtatuimus, decernimus, & ordinamus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Domus Sancti Lucę, necnon Monaſterii, & Ordinum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus, & commiſſionibus ſibi faciendis de Prępoſituris hujuſmodi, ac Hoſpitalibus ſpeciales, vel aliis

Clauſula derogans.

beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus generales Apoſtolicę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, & ſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas & ſuper illis habitos proceſſus ad Prępoſituram, & Hoſpitale prędicta volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem Prępoſiturarum, vel beneficiorum aliorum pręjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, ac literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, proviſo, quod Domus Sancti Lucę prędicta, ſi Sorores forſan ad illam non tranſmittuntur, ut pręfertur, ad profanos uſus velut hęreditas minime deducatur, ac in pręfato Hoſpitali hoſpitalitas non totaliter negligatur, quodque in Eccleſia dictę Domus interdum Miſſę, & alia divina officia celebrentur, ipſiuſque Hoſpitalis debite ſupportentur onera conſueta. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo &c. Datum Senis Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Tertio, Pridie Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo.

1. *Brixien.*) In *Longobardia* Ditionis *Veneta*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXX fol.* 81.

Ut

Annp 1443 Die 29 Augulti.

Ut Sorores Monaſterii S. Catharinæ Brixien. veniant in poſſeſſionem (1) Cœnobii Humiliatorum.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCLXVIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Prępoſito Eccleſię Sancti Johannis Brixien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Nuper ſiquidem ad ſupplicationem dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Sororum Monaſterii Sanctę
Catharinę Brixien., per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium ex certis rationabilibus cauſis, ac ſub quibuſdam modo, & forma tunc expreſſis, tibi
per alias noſtras literas inter cetera dedimus in mandatis, ut Domus Sancti Lucę Burgi Sancti Alexandri
Diplomatis cauſa. Brixien. Ordinis Humiliatorum eidem Monaſterio auctoritate noſtra perpetuo unires, annecteres, & incorporares, prout in dictis literis in quibus, quod fructus, redditus, & proventus Domus prędictę, ac illius Conventualis Prępoſiturę ducentorum Florenorum auri de camera ſecundum communem ęſtimationem valorem annuum non excedebant, expreſſum extitit, plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Prioriſſę, & Conventus prędictarum, petitio continebat, ab aliquibus aſſeratur, quod fructus, redditus & proventus prędicti ſummam prętatam annuatim communiter excedant, pro parte ipſarum Prioriſſę, & Conventus, etiam aſſerentium, quod ad literarum prętatarum executionem nondum proceſſum eſt, extitit Nobis humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc earum, & dicti Monaſterii ſtatui, & indemnitati opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ne propterea literę ipſę de ſubreptione notentur, dictaque Prioriſſa, & Conventus illarum fruſtrentur effectu, providere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus
Mandatum. literas prędictas valere, plenamque roboris firmitatem obtinere decernere, necnon ad illarum totalem, & plenariam executionem alias juxta earum continentiam, atque formam, procedere, eadem auctoritate, ſtudeas, & procures, perinde in omnibus, & per omnia ac ſi in illis quod fructus, redditus, & proventus Domus, & Prępoſiturę non ducentorum ſed trecentorum Florenorum auri hujuſmodi ſecundum ęſtimationem prędictam valorem annuum non excedunt, expreſſum fuiſſet. Non obſtantibus prętiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis quę in dictis literis volumus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Senis Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo, Quadringenteſimo Quadrageſimo Tertio, Quarto Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo.

1. *Poſſeſſionem.*) Conſulendum præcedens Diploma.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXX fol.* 208.

Anno 1443 Die 3 Septembris.

In Hugonem quendam qui tenebat hæreditatem, quæ F. Wilhelmo Clopper obvenerat (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCLXIX.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Sancti Laurentii in Oeſebroech extra Muros Trajecten. (3), & Inſulę beatę Marię Monaſteriorum Abbatibus, ac Prępoſito Eccleſię Sanctę Walburgis Arnhemen., Trajecten. Dięceſis. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus Trajecten, Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac Wilhelmi Clopper dicti Ordinis profeſſoris, petitio continebat, quod cum olim Hugo Henrici oppidanus oppidi Leyden. dictę Dięceſis occupaſſet, & occuparet, quędam immobilia, mobiliaque bona, ad genitricem prętati Wilhelmi dum viveret pertinentia, & in
Diplomatis cauſa. quibus dictus Wilhelmus, ut dicebat, juxta ipſius Ordinis privilegia ſuccedere poterat, & debebat, dilectus filius Conradus Benne Decanus Eccleſię Sancti Willehadi Bremen. (4), cui Venerabilis Frater
Nota. Archiepiſcopus Bremen. Conſervator pro Generale, & Fratribus prętati Ordinis contra inferentes eis in rebus, & bonis ad ipſos ſpectantibus moleſtias, vel jacturas, per literas Apoſtolicę Sedis deputatus, ac habens cognoſcendi de his quę judicialem requirunt indaginem, ſpecialem per eaſdem literas poteſtatem, ſuper his totaliter commiſerat vices ſuas, literarum, & commiſſionis hujuſmodi vigore, ad inſtantiam Prioris, & Fratrum domus, ac Wilhelmi prędictorum, Hugonem prętatum ſub excommunicationis pęna, quam in ſcriptis tulit, monuit, & mandavit eidem, ut infra certum peremptorium competentem, tunc expreſſum, & dudum elapſum, terminum, ipſi Wilhelmo bona hujuſmodi daret, & conſignaret, alioquin eum in dictam pęnam incidiſſe declararet, ac mandaret, & faceret excommunicatum publice nunciari, & deinde pro parte ipſius Hugonis, aſſerentis per prętiſſa indebite ſe gravari, fuit ad Sedem appellatum antedictam. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, prętatus Hugo non fuerit, licet potuerit, appellationem ſuam hujuſmodi infra tempus legitimum, proſecutus, pro parte ipſorum Prioris, & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in prętiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati,

di-

diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, vocatis Hugone prędicto, & aliis, qui fuerint evocandi, vobis conſtiterit quod pręfatus Hugo ipſam appellationem infra tempus legitimum proſecutus non fuerit, ut prefertur, legitimis per ipſum Conradum Decanum ſuper his habitis, ſervatis proceſſibus, ad ulteriora procedatis, juxta formam literarum Sedis earundem, & ſi eos minus legitime habitos fuiſſe repereritis, auditis hinc inde propoſitis, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes quod decreveritis per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellatis veritati teſtimonium perhibere. Non obſtante ſi Conrado prefato, vel quibuſvis aliis, communiter, vel diviſim ab eadem Sede indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Senis Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Tertio, Tertio Nonas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo. Mandatum.

1. *Obvenerat.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* CLXX *fol.* 232.
3. *Trajecten.*) In *Hollandia*.
4. *Bremen.*) In *Germania*.

Anno 1443 Die 7 Decembris.

Ut Seculares Sacellis in æde ſacra Cœnobii S. Mariæ de Caſtello Januen. (1) fundatis præfecti officia ſua præſtent.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCLXX.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Monaſterii Sancti Venerii de Tiro de Portuveneris, Januen. Diœceſis, & Sancti Matthęi Januen., ac Sancti Theodori extra Muros Januen. Prioratuum Prioribus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. VOtis fidelium, illis pręſertim quę ad divini cultus conſervationem cedere noſcuntur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus Sanctę Marię de Caſtello Januen., Ordinis Fratrum Prędicatorum, nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod licet in inſtitutione & dotatione primęva cujuſdam Capellę ſub vocabulo Sanctę Trinitatis in Eccleſia pręfatę domus fundatę, quę de jurepatronatus laicorum exiſtit, inter alia caveatur expreſſe, quod illam pro tempore obtinens ſingulis diebus in ea Miſſam celebrare, ac officiis diurnis, atque nocturnis, in Eccleſia prędicta perſonaliter intereſſe, & ſervire, necnon in inſtitutione ſua ad eandem de celebrando, & ſerviendo, ut prefertur, corporale juramentum pręſtare teneatur, nec cum eadem Capella beneficium Curatum obtinere valeat, prout in quodam publico Inſtrumento deſuper confecto plenius dicitur contineri; tamen modernus ipſius Capellę Rector, pręſertim a tempore quo vigore aliarum literarum noſtrarum Eccleſia prefata in domum Conventualem hujuſmodi erecta, ac Prępoſitura, necnon Canonicatus, & Prębendę dictę Eccleſię, & alia, non tamen de jurepatronatus Laicorum exiſtentis, in eadem Inſtituta beneficia ſuppreſſa, & extincta fuerunt, Miſſas, & alia divina officia in Capella ipſa celebrare, & celebrari facere, ac etiam nonnulli alii beneficiis & Capellaniis in Eccleſia prędicta inſtitutis, quę obtinent, & de jurepatronatus laicorum hujuſmodi exiſtunt debita ſervitia pręſtare neglexerunt, prout etiam hodie negligunt. Diplomatis cauſa. Cumautem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, venerabilis Frater Noſter Jacobus Archiepiſcopus Januen. erectionem, & ſuppreſſionem prędictas moleſte tuliſſe videatur, ac propterea ipſi exponentes ad eum ſuper corrigenda negligentia prędicta recurſum habere non audeant, pro parte Prioris, & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc ſtatui Eccleſię ac ſaluti animarum fundatorum Capellę, necnon Capellaniarum, & benevolorum de jurepatronatus Laicorum exiſtentium hujuſmodi opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur; Nos, qui cultum prędictum ubique locorum vigere, & augeri intenſis deſideriis affectamus, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi eſt ita, omnes, & ſingulos, Capellam, & Capellanias, & beneficia de jure patronatus Laicorum hujuſmodi pro tempore obtinentes, pręſentes, & futuros, ut juxta illorum primęvas inſtitutiones, ſeu alias, ſi (3) forſan ipſa in eorum fructibus nimis diminuta fuerint, ſecundum juris communis diſpoſitionem in Eccleſia & Capella pręfatis, & earum ſingulis, Miſſas, & alia divina officia celebrent, per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita, quoties pro parte Prioris, & Fratrum pro tempore dictę domus deſuper requiſiti fueritis, etiam per ſubtractiones fructuum eorundem, auctoritate Apoſtolica, cogere atque compellere, aliaque ſuper hoc neceſſaria, & opportuna facere, & exequi valeat, vobis, & veſtrum cuilibet, tam conjunctim, quam diviſim, quoad coertionem, & alia premiſſa, prout, & quemadmodum Archiepiſcopus Januen. pro tempore exiſtens, poſſet, & deberet, faciendi, & exequendi eadem auctoritate facultatem plenam, & liberam, concedentes. Mandatum. Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac prefatę Eccleſię, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia, roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Tertio, Septimo Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo.

1. *Januen.*) In *Liguria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* CLXXIV *fol.* 178.
3. *Si.*) *Niſi*.

Anno 1444 Die 4 Januarii.

Aſſignat Domum Sororibus de Pœnitentia de Urbe.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

CCLXXI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo Auſaren. (2), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AD ea per quę fidelium utriuſque ſexus perſonarum, pręſertim pie, & caſte degentium, omnium commodo conſulitur, & opportunitatibus ſubvenitur, ex injuncto Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio libenter intendimus, illaque ſavoribus proſequimur opportunis. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Priorillę, & Sororum Ordinis Sancti Dominici, de Pęnitentia nuncupatarum, in Urbe ſub humili habitu, ac pie, & caſte degentium, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum quondam Antonia Paulipili de Vallatis mulier de dicta Urbe, condens in ejus ultima voluntate teſtamentum, inter alia quandam domum ad eam tunc legitime pertinentem in Regione Sancti Angeli pręfatę Urbis conſiſtentem, cum certis in ea tunc expreſſis rebus, & utenſilibus ad uſum, & habitationem perpetuos quarundam pauperum mulierum, ac ſub cura, & adminiſtratione Guardianorum pro

Diplomatis cauſa.

tempore exiſtentium Societatis Salvatoris de pręfata Urbe reliquit, atque legavit, prout in quodam publico Inſtrumento, deſuper confecto, plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, pręfatę exponentes in eadem Urbe locum communem non habeant, ac tres ex eiſdem domum pręfatam pręſentialiter inhabitent, pro parte dictarum Priorillę, & Sororum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis ac aliis futuris Prioriſſis, & Sororibus prędicti Ordinis, domum cum rebus, & utenſilibus hujuſmodi perpetuo concedere, donare, & aſſignare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, ac domus, rerum, & utenſilium prędictorum qualitates, quantitates, & valores, dictęque domus locum, atque confines pręſentibus pro expreſſis haberi volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationes hujuſmodi ea vera eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, dictaque domus

Conceſſio.

& utenſilia alias alicui ſpecialiter non pertineant, domum cum rebus, & utenſilibus hujuſmodi pręfatis, pręſentibus, & futuris, Priorillę, & Sororibus, per eas perpetuo habendam, tenendam, & habitandam, etiam perinde ac ſi dicta teſtatrix illam eis ſpecialiter reliquiſſet, auctoritate prędicta, etiam perpetuo concedere, donare, & aſſignare ſtudeas, & procures. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Tertio (3), Pridie Nonas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CCLXXIV fol.* 234.
2. *Auſaren.*) Cui nomen *Petrus*, ut in *Conſtitutione data I Aprilis MCCCCXLIV.*
3. *Quadrageſimo Tertio.*) Stylo Bullarum, Æræ communis *MCCCCXLIV.*

Anno 1444 Die 15 Januarii.

Confirmat literas (1) quibus Panormitanos Fratres Quarta portione de legatis ſolvenda immunes reddidit.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCLXXII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Monaſterii Sancti Martini de Scalis, Panormitan. Diœceſis, & Archidiacono Eccleſię Panormitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DUdum ſiquidem noſtrę emanarunt literę, quarum tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis: Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus Sancti Dominici Panormitan. Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sacrę Religionis ſub qua devotum &c (3). Cum autem, ſicut pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum prędictorum nuper etiam exhibita petitio continebat, perditionis filius Nicolaus, olim Archiepiſcopus Panormitan., pretextu quarundam literarum a perditis de conventiculo Baſilien., poſt translationem Concilii de Civitate Baſilien., ac nonnulla monita, & mandata per Nos deſuper facta, emanatarum, ad ſolu-

Diplomatis cauſa.

tionem faciendam Quartę partis, ſeu portionis quorundam eis & dictę Domui factorum legatorum, ſeu relictorum contra conceſſionem noſtram hujuſmodi compulerit, ipſique ſic compulſi Quartam, ſeu portionem prędictam perſolverunt, pro parte eorundem Prioris & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eorum ac dictę Domus ſtatui ſuper pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, cupientes quod literę noſtrę prędictę, quas in ſuo plenario robore ex nunc harum ſerie permanere decernimus, etiam perinde ac ſi poſt illarum datum hujuſmodi perſolutiones Quartę partis, ſeu portionis hujuſmodi ab eiſdem Priore, & Fratribus minime factę fuiſſent, necnon earum effectus inviolabiliter obſerventur, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus quatenus

Confirmatio.

vos, vel alter veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios eiſdem Priori, & Fratribus ſuper pręmiſſis efficacis defenſionis auxilio aſſiſtentes, non permittatis eos contra conceſſionem noſtram, ac literarum noſtrarum hujuſmodi formam quomodolibet impeti, ſeu aliqualiter moleſtari. Contradictores per cenſuram

Ec-

Eccleſiaſticam &c. Invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus ſolutionibus factis premiſſis, ac felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi, Prędeceſſoris noſtri, illa preſertim qua cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, vel Diœceſim niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam ad judicium evocetur, ſeu ne judices, a Sede Apoſtolica deputati, extra civitatem, & Diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, aut alii, vel aliis vices ſuas committere, vel aliquos ultra unam dietam a fine Diœceſis eorundem trahere præſumant, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Tertio (4), Decimo Octavo Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo.

Clauſula derogans.

1. *Literas.*) Datas *XVIII Martii MCCCCXXXII pag.* 14 hujuſce voluminis.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXX fol.* 109.

3. *Devotum &c.*) Ut in Diplomate mox laudato ad finem uſque.

4. *Quadrageſimo Tertio.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCXLIV.*

Mendicantes Decimis ſolvendis immunes eſſe declarat (1).

Anno 1444 Die 24 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

CCLXXIII.

Dudum juſtis ex cauſis pro ſumma neceſſitate catholicę fidei, & univerſalis Eccleſię unam decimam fructuum eccleſiaſticorum in univerſo orbe conſiſtentium duximus imponendam, & ab omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Prelatis, ac perſonis Eccleſiaſticis, ſecularibus, & regularibus, exemptis, & non exemptis, hujuſmodi redditus, & proventus ubicunque obtinentibus, & infra certum tempus obtenturis, cujuſcunque preeminentię, ſtatus, gradus, dignitatis, Religionis, ordinis, vel conditionis exiſtans, etiam a dilectis filiis Hoſpitalium, & Ordinum Sancti Johannis Jeroſolymitani, & Sanctę Marię Theutonicorum Magiſtris, Preceptoribus, Fratribus, Prioribus, Baillivis, & certis aliis Hoſpitalium, & Ordinum prędictorum profeſſoribus Beneficia obtinentibus, ſolvendam, exigendam, & colligendam auctoritate certarum literarum noſtrarum decrevimus, & declaravimus, prout in dictis literis, quarum tenorem pręſentibus pro expreſſo haberi volumus, plenius continetur. Cum autem noſtrę intentionis extiterit, atque exiſtat, ut Ordines Mendicantium, & inſuper Sanctę Marię Servorum ubicunque exiſtentium ab ejuſmodi decimę ſolutione, & omnibus aliis decimę ſolutionibus, ad quorumcunque inſtantiam impoſitis, ſive imponendis, exempti ſint, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia declaramus, & decernimus per pręſentes, noſtrę intentionis fuiſſe, & eſſe, ut Ordines Mendicantium, videlicet Prędicatorum, Minorum, Eremitarum, & Carmelitarum, ac inſuper Sanctę Marię Servorum, ac omnes, & ſingulas domos eorum ab hujuſmodi ſolutione decimę exemptos, & exemptas fuiſſe, & eſſe, ſtatuentes auctoritate & ſcientia eiſdem eos, & eas a quoquam, quavis auctoritate ad ſolutionem hujuſmodi decimę, & impoſitionis perſolvendam minime coarctari poſſe, aut debere quovis modo; Mandantes in virtute ſanctę Obedientię omnibus, & ſingulis Prelatis, vel quibusvis perſonis, cujuſcunque ſtatus, gradus, & dignitatis exiſtant, per Nos hactenus deputatis, vel in poſterum deputandis, & certis aliis ab eiſdem, vel quavis alia eccleſiaſtica, vel mundana auctoritate ad executionem dictarum literarum ordinatis, ſurrogatis, ſeu ordinandis, vel ſurrogandis, ſub pena Excommunicationis, quatenus Ordines, & Domos prędictos, & prędictas, prefatorum occaſione, nullo modo, ſeu quovis quęſito colore impetant, vexent, vel moleſtent, ſeu impeti, moleſtari, & vexari faciant, quoquomodo; irritum ex nunc, & inane decernentes quicquid contra hujuſmodi noſtram declarationem & decretum, actum, geſtum, ſententiatum, ſeu promulgatum fuerit. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę declarationis, Conſtitutionis, Statuti, & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare preſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Tertio (3), Nono Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo.

Diplomatis cauſa.

Declaratio.

1. *Declarat.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum *Lib. B. fol.* 102. Autographum eſt in Cœnobiis *Tudenſi*, & *Mediolanenſi S. Euſtorgii.*

3. *Quadrageſimo Tertio.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCXLIV.*

Anno 1444 Die 21 Februarii.

Quonam modo ſit intelligenda clauſula (1): *Salva juſtitia Eccleſiarum, a quibus mortuorum corpora aſſumuntur.*

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCLXXIV. Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium. SEdis Apoſtolicę providentia circumſpecta non numquam conceſſa per eam, ne exinde lites, & controverſię oriantur, dilucidat, & declarat, necnon deſuper decernit, & ordinat prout id, perſonarum, rerum, locorum, & temporum qualitate penſata, conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Nuper ſiquidem de anno proxime preterito per Nos accepto, quod ab aliquibus aſſerebatur, Decretali: Super Cathedram: a felicis recordationis Bonifatio Papa Octavo, Prędeceſſore noſtro, de juribus parochialibus ędite, & in Viennen. Concilio innovatę, per Nos derogatum fuiſſe, unde gravia poſſent

Diplomatis cauſa. jurgia, diſſenſiones, & ſcandala exoriri, Nos tunc per alias noſtras literas, omnia, & ſingula, conceſſiones, & privilegia, literas, & indulta, ſi quę contra Decretalem prędictam, vel aliquam illius partem per innovationes literarum Prędeceſſorum noſtrorum, Romanorum Pontificum, ſeu pro talibus reputatorum, aut alias, ſub quibuſcumque modis, vel formis, a Nobis emanaſſent, & ſi de illis, ut eorum inſereretur effectus, ipſarumque totis tenoribus ſpecialis, & expreſſa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, revocavimus, caſſavimus, & irritavimus, nulliuſque firmitatis eſſe decrevimus, prout in dictis literis plenius continetur. Cum autem felicis recordationis Martinus Papa V, etiam Prędeceſſor noſter, quoddam privilegium per pię memorię Gregorium Papam XI, etiam Prędeceſſorem Noſtrum, dilectis filiis Magiſtro, Prioribus, & Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum ad inſtar Bonifatii prędicti, ac etiam felicis recordationis Benedicti Papę XI, Prędeceſſoris Noſtri, dudum conceſſum, ut in qualibet ſui diſpoſitione inviolabiliter obſervari deberet, per ſuas literas inter cetera decreverit, ac clauſulam hujuſmodi videlicet: Salva juſtitia Eccleſiarum a quibus mortuorum corpora aſſumerentur: in eodem privilegio inter alia expreſſam, in omnibus aliis debere intelligi, preterquam in hiis, de quibus in privilegio Gregorii hujuſmodi ſpecialiter cavetur, quod canonica portio minime exigatur, ex certa ſcientia declaravit, conſtitutione a pię memorię Papa Clemente V, etiam Prędeceſſore noſtro, in dicto Concilio edita, quę incipit: Dudum: Non obſtante, Nos, qui dicto Martino Prędeceſſore, ſicut Domino placuit, rebus humanis exempto, divina favente clementia ad apicem

Declaratio. Summi Apoſtolatus aſſumpti fuimus, ac dudum ante datum literarum revocatoriarum noſtrarum prędictarum privilegium Gregorii in qualibet ſui diſpoſitione hujuſmodi inviolabiliter obſervari aliis noſtris literis inter cetera duximus decernendum, attendentes, quod literę, decretum, & declaratio Martini hujuſmodi ad lites, & controverſias evitandas, cum multa, prout etiam tunc in minoribus conſtituti accepimus, diſcuſſione, & deliberatione precelſerant, ac paci, & quieti Magiſtri, Priorum, & Fratrum Prędicatorum ad omne quod ſuper eo, an per literas revocatorias noſtras prefatas prioribus literis noſtris prędictis, & contentis in eiſdem detractum fuiſſe cenſeatur, forſan exoriri poſſet, dubium ſubmovendum, & alias ſuper premiſſis oportune providere volentes, eorundem Magiſtri, Priorum, & Fratrum in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia declaramus, tempore dati revocatoriarum literarum noſtrarum prędictarum noſtrę intentionis fuiſſe, & etiam hodie eſſe, per illas, ac revocationem, caſſationem, irritationem, & decretum, & in eiſdem contenta, prędicta. Martini Prędeceſſoris, ac prioribus noſtris literis, necnon declarationi, & decretis in illis contentis, hujuſmodi, in aliquo detrahere, aut ea quovis modo notare minime voluiſſe, neque velle, quinimmo eiſdem ſcientia, & auctoritate decernimus, & etiam declaramus, hujuſmodi Prędeceſſoris, ac per conſequens priores noſtras literas cum declaratione, & decretis prędictis, aliiſque in eis contentis clauſulis in ſuis robore, & vigore plenarie permanere, haberi, cenſeri, & ſervari debuiſſe, ac debere, perinde in omnibus, & per omnia, ac ſi revocatorię literę noſtrę prefatę nullatenus emanaſſent. Non obſtantibus premiſſis, necnon omnibus illis, quę idem Martinus Prędeceſſor in ſuis, ac Nos in prioribus noſtris literis prędictis voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis, quibuſcunque. Nulli ergo &c. Noſtrę declarationis, & conſtitutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Tertio (3), Nono Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

1. *Clauſula.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum, & Exemplar, ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXX fol.* 295. Legitur etiam *Libro B. fol.* 578 ex Autographo *Barchinon.* Aliud aſſervatur in *Mediolanenſi* Cœnobio *Sancti Euſtorgii*. Exemplar fide publica comprobatum habetur in Cœnobio *S. Severini*.

3. *Quadrageſimo Tertio.*) Stylo Bullarum, ęræ communis *MCCCCXLIV.*

De-

Delegat F. Petrum de Jeremia (1) qui Monialibus Monaſterii S. Catharinæ de Caſſere (2) Ordinis S. Benedicti agenda præſcribat.

Anno 1444 Die 7 Martii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro de Jeremia Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CCLXXV.

AD ea, per quę Eccleſiarum, & Monaſteriorum omnium ſtatui ſalubri, necnon directioni, ac quieti conſulitur, ex injuncto Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio libenter intendimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. *Exordium.*
Dudum ad ſupplicationem dilectorum filiorum Communitatis, & Civium, ac dilectę in Chriſto filię Scholaſticę Abbatiſſę, tunc Monialis Monaſterii Sanctę Catharinę de Caſſere, Panormitan., Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum, ex certis tunc pro eorum parte Nobis expoſitis rationabilibus cauſis, per alias noſtras literas ſub certis modo, & forma tunc expreſſis in Monaſterio prędicto per Priorissam tunc gubernari ſolito, illius tunc conventualem Prioratum ſupprimi, & extingui, necnon Abbatialem dignitatem inſtitui, & creari, ac de perſona dictę Scholaſticę eidem Monaſterio tunc certo modo vacanti provideri, ipſamque illi in Abbatiſſam pręfici, & ei munus benedictionis impendi & quod Abbatiſſa, & Moniales pro tempore exiſtentes Monaſterii pręfati in eo ſub regulari obſervantia continuo vivere deberent, ſtatui, & decerni, inter cetera mandavimus, prout in dictis literis plenius continetur. *Diplomatis cauſa.*
Poſtmodum vero, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dictę Scholaſticę, petitio continebat, Judex in dictis literis deputatus ad earum executionem procedens illarum vigore Prioratum ſuppreſſit, ac Abbatialem Dignitatem in Monaſterio hujuſmodi inſtituit, atque creavit, necnon de perſona dictę Scholaſticę eidem Monaſterio providit, eamque illi in Abbatiſſam pręfecit, ipſaque Scholaſtica vigore pręfectionis & proviſionis prędictarum poſſeſſionem regiminis, & adminiſtrationis bonorum dicti Monaſterii adepta fuit, ac dictum Monaſterium ad obſervantiam hujuſmodi reduxit. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, pręfata Abbatiſſa timeat, quod ſi nonnullę dicti Monaſterii Moniales, quę poſt proviſionem, & pręfectionem hujuſmodi in eo ſub obſervantia pręfata vivere recuſantes ab ipſo Monaſterio ſe realiter abſentarunt, ad illud de cetero redire contingeret, exinde Moniales in ipſo Monaſterio juſte, & ſancte ſub eadem obſervantia permanentes facile inficí poſſent, ac alias ab aliquibus hęſitetur, an propter ſuppreſſionem, inſtitutionem, & creationem factas prędictas, Abbatiſſa pro tempore exiſtens, ac Moniales pręſentes, & futurę dicti Monaſterii privilegiis, exemptionibus, prętogativis, & gratiis per Sedem Apoſtolicam vel alias Monaſterio pręfato, illiuſque pro tempore Priorisſę, Sororibus, & perſonis dudum conceſſis per amplius gaudere debeant; *Mandatum.*
pro parte Scholaſticę Abbatiſſę & pręſentium Monialium pręfatarum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis, quod ad aliquam ex Sororibus ſive monialibus, quę ſe a Monaſterio ipſo, ut pręmittitur, abſentarunt, in Monaſterio prędicto recipere minime teneantur, neque ad id invite compelli poſſint, auctoritate Apoſtolica ſtatuere, & decernere, ac etiam duabus cujuſvis Monaſterii, ſeu quorumvis Monaſteriorum Ordinis Sancti Benedicti Monialibus in Monaſterio Sanctę Catharinę pręfato ſub illius regulari habitu Altiſſimo perpetuo famulari volentibus, de ſuo, vel ſuis, Monaſterio, ſeu Monaſteriis hujuſmodi ad pręfatum Monaſterium Sanctę Catharinę, de conſenſu Abbatiſſę, & Monialium exponentium prędictarum, ſe transferendi, & in eo ſub habitu prędicto perpetuo remanendi, necnon dictis Abbatiſſę, & Monialibus exponentibus duas Moniales pręfatas in earum Monaſterii hujuſmodi Sorores, & Moniales recipiendi, & admittendi licentiam, & facultatem plenam, & liberam, necnon etiam quod Monaſterium Sanctę Catharinę, ejuſque pro tempore Abbatiſſa, & Moniales omnibus, & ſingulis privilegiis, exemptionibus, indultis, & gratiis olim conceſſis prędictis perpetuo uti & gaudere valeant, auctoritate prędicta, concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de ultimo expoſitis Nobis prędictis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus inde, & ſuper ultimo expoſitis, & petitis prędictis omnibus, & ſingulis facias prout conſcientię tuę melius videbitur. Non obſtantibus quod in Dignitate conſtitutus non ſis, ac Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſteriorum, & Ordinum pręfatorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Tertio (4), Nonis Martii, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo.

1. *Petrum de Jeremia.*) Beatum, natione *Siculum*, patria *Panormitanum*, virum pietate, ac doctrina celeberrimum, de quo conſulendi Scriptores, quos laudat, & excipit *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLII pag.* 810.
2. *De Caſſere.*) In *Sicilia.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXXXII fol.* 173.
4. *Quadrageſimo Tertio.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCXLIV.*

Al-

Anno 1444
Die 11 Martii.

Altimontis (1) Cœnobii fundandi facultas,

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCLXXVI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo (3) Caſſanen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

INter cetera cordis noſtri deſiderabilia illud intenſis deſideramus affectibus, ut ubique Majeſtas Altiſſimi in gratiarum benedictionibus collaudetur, ſuique cultus glorioſi nominis amplietur, & ad eorum promotionem, necnon ſacrę Religionis propagationem libenter, cum a Nobis petitur, opem, & operam, quantum cum Deo poſſumus, impendimus efficaces. Sane pro parte dilectę in Chriſto filię nobilis mulieris Cobellę Comitiſſę Altimontis, & dilecti filii Jacobi de Regno Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac Sacrę Theologię profeſſoris, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod Comitiſſa pręfata, cupiens terrena in cęleſtia felici commercio commutare, ob ſingularem, quem ad Sanctum Dominicum, ac pręfati Ordinis Religioſos gerit devotionis affectum, necnon pro ſalute animarum fidelium pręſentium, & futurorum, Caſtri Altimontis, Caſſanen. Dięceſis, ſub ipſius Comitiſſę dominio temporali conſiſtentis, & ut ipſi ex laudabilibus operibus eorundem Religioſorum plura ſuarum animarum conſolationes, & gaudia ſentire valeant, de bonis ſibi a Deo collatis unam domum conventualem pro uſu, & habitatione perpetuis quorundam dicti Ordinis Fratrum regularis obſervantię in certo loco dicti Caſtri, infra quem Parochialis Eccleſia Beatę Marię de Conſolatione conſiſtit, fundari, conſtrui, & erigi facere intendit, illique Eccleſiam ipſam, quę de jurepatronatus ipſius Comitiſſę exiſtit, & cui plena Cura animarum imminere dignoſcitur perpetuo, & libere aſſignari deſiderat, necnon propterea juspatronatus hujuſmodi a ſe, & ſuis heredibus, & ſucceſſoribus abdicare, ac in Ordinem, & ipſius Religioſos prefatos transferre proponit. Quare pro parte eorundem Comitiſſę, & Jacobi, qui & totius Ordinis in Romana Curia Procurator exiſtit, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut deſiderio Comitiſſę hujuſmodi annuere, & alias ſuper pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Supplex petitio.

Facultas.

Nos igitur, deſiderium, & propoſitum Comitiſſę hujuſmodi condignis in Domino laudibus commendantes, hujuſmodi Supplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, & ad id prędictę Comitiſſę expreſſus accedat aſſenſus, Eccleſiam prędictam, cujus fructus, & redditus decem Florenos auri de Camera, ſecundum communem ęſtimationem, valorem annuum, ut ipſe Procurator aſſerit, non excedunt, cum bonis, & poſſeſſionibus, ac aliis juribus, & pertinentiis ſuis omnibus, Ordini pręfato, ejusque pręſentibus, & futuris Fratribus, pro domo fundanda, & erigenda hujuſmodi duntaxat, perpetuo applicare, appropriare, & incorporare, necnon Comitiſſę prefatę domum prędictam cum clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu, & habitatione perpetuis Fratrum hujuſmodi, ſi, & poſtquam illius modernus Rector ceſſerit, vel deceſſerit, aut alias eam quomodolibet dimiſerit, fundandi, conſtruendi, & erigendi, ſeu conſtrui, fundari, & erigi faciendi, ac Jacobo pręfato, vel ejus ſucceſſori pro tempore exiſtenti in Curia Procuratori, per ſe, vel alium, ſeu alios, Eccleſiam, & domum prędictas auctoritate propria recipiendi, dictiſque pręſentibus, & futuris Fratribus perpetuo illas retinendi, ac in dicta domo commorandi, necnon & Priori pro tempore ipſius domus per ſe vel unum ex idoneis Fratribus in illa pro tempore degentibus, aut ſecularem idoneum Sacerdotem, curam animarum Parochianorum pro tempore exiſtentium ipſius Eccleſię exercendi, plenam, & liberam licentiam, & facultatem concedere auctoritate noſtra ſtudeas, & procures.

Clauſula derogans.

Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi, Prędeceſſoris noſtri, illa pręſertim, qua prohibetur, ne aliquis ex Ordinibus Mendicantium in aliqua, ſeu aliquo, civitate, villa, caſtro, vel loco, domum de novo recipere, ſeu receptam mutare pręſumat abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nos enim, ſi applicationem, & conceſſionem fieri, domumque hujuſmodi erigi contigerit, ut pręfertur, domui, ac Priori prędictis, necnon Fratribus in domo hujuſmodi pro tempore degentibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, indultis, & gratiis, aliiſque, pręfati Ordinis domibus, Prioribus, & Fratribus per Sedem pręfatam, vel alias generaliter conceſſis, uti valeant pariter, & gaudere, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium indulgemus. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Tertio (4), Quinto Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Quarto decimo.

1. *Altimontis.*) Juris eſt Provincialis *Calabriæ*.
2. *Archivo.*) In quo triplex Exemplar, duo authentica ex Autographis aſſervatis in *Altimontis* Cœnobio, aliud ex *Archivo Apoſtolico Lib.CLXXXII fol.*171.
3. *Epiſcopo.*) Cui nomen *Joachim*.
4. *Quadrageſimo Tertio.*) Stylo Bullarum, ęra communis *MCCCCXLIV*.

Moderatores Confraternitatis (1) S. Petri Martyris conſtituit Fratres, ac Laicos per Fratres ipſos eligendos.

Anno 1444 Die 28 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCLXXVII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus Sanctę Marię Novellę Florentin. Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrę Religionis ſinceritas, ſub qua mundanis abjectis illecebris devotum, & ſedulum exhibetis Altiſſimo famulatum, non indigne meretur, ut petitionibus veſtris, veſtrum preſertim, ac Domus veſtrę Sanctę Marię Novellę Florentin., Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſalubrem ſtatum, necnon fidelium quorunlibet ad iſtam pro tempore devotionem gerentium, animarum ſalutem concernentibus, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, ſicut pro parte dilecti filii Jacobi de Regno Ordinis prędicti, ac Theologię, profeſſoris, in Romana curia totius Ordinis pręfati Procuratoris, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, perſonis de Societate S. Petri Martyris nuncupata, in certo loco ipſius Domus pro nonnullis devotis, ac piis exercendis operibus interdum congregari ſolitis, quod de cetero congregationem facere non audeant, neque pręſumant, per dilectos filios Communitatem Florentin. inhibitum, ac prohibitum fuit, ac propterea dubitetur, quod bona ſub gubernatione dictę Societatis, & adminiſtratione, ac ad commodum, & utilitatem Domus prędictę, ejuſque pro tempore Prioris, & Fratrum pia fidelium largitione, & ut exinde Anniverſaria, & alia divina officia pro Animabus fidelium eorundem in Eccleſia pręfatę Domus, ſub certis modis, & formis celebrentur, hactenus relicta, & per nonnullos de dicta Societate Capitaneos nuncupatos ad id pro tempore electos, ſeu deputatos teneri, ac certo modo gubernari, diſtribui, & erogari ſolita, ac alia ſimiliter de cetero relinquenda minus ſolicite gubernari, & miniſtrari debeant; Nos, ſuper hoc indemnitati veſtrę, ac pręfatę Domus, providere volentes, pręfati Procuratoris in hac parte ſupplicationibus inclinati, Priori pro tempore exiſtenti pręfatę Domus, ac duobus ex Fratribus dicti Ordinis in ea pro tempore degentibus, necnon & duobus ex bonis viris de Societate prędicta pro tempore exiſtentibus, quos ad id Prior, & Fratres in Domo pro tempore degentes prędicti tunc capitulariter congregari duxerint pro tempore eligendos, omnia, & ſingula ſub gubernatione, & regimine perſonarum de Societate hujuſmodi, ut premittitur, hactenus relicta, & in poſterum relinquenda, jura introitus pagę (3) ac bona mobilia, & immobilia, eorumque pro tempore fructus, redditus, & proventus petendi, exigendi, recipiendi, habendi, tenendi, & alias juxta voluntates, & ordinationes fidelium illa relinquentium prędictorum gubernandi, miniſtrandi, diſtribuendi, erogandi, convertendi, & exponendi, ac illorum ratione quęcunque, & qualiacunque ſalubria, utilia, & rationabilia, quoties etiam expedire videbitur, ſtatuta, & ordinationes edendi, & condendi, ac condita, & edita, corrigendi, mutandi, augendi, minuendi, tollendi, aliaque in pręmiſſis, & circa ea, prout, & quemadmodum perſonę & Capitanei pro tempore de Societate hujuſmodi ex conſuetudine, ſeu alias, poterant, vel debebant, faciendi, & exequendi, ita quod ſtatuta, & ordinationes hujuſmodi inviolabiliter obſerventur, & obſervari debeant, ac etiam Nobis, necnon Priori, & Fratribus in Domo pro tempore degentibus ſupradictis quoad electiones faciendas hujuſmodi, plenam, & liberam, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, facultatem concedimus, & etiam poteſtatem. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon pręfati Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quarto, Quinto Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quartodecimo.

Diplomatis cauſa.

Bona Societatis etiam in commodum Fratrum cedere debent.

Adminiſtratores Societatis a Fratribus eligendi.

1. *Confraternitatis.*) De qua in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXXXII fol. 79.*
3. *Jura introitus paga.*) Ibi *Paga* pagum ſignificat, ut apud Auctores, quos laudat *Du Cange* in *Gloſſario*, verbo *Paga*.

Sororibus de Pœnitentia Ordinis noſtri donat (1) quandam Domum in regione S. Angeli Urbis ſitam.

Anno 1444 Die 1 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCLXXVIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Sororibus Ordinis Sancti Dominici, de Pęnitentia nuncupatis, in Alma Urbe ſub humili habitu pie, & caſte degentibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

EXpoſcit veſtrę devotionis ſinceritas, & vitę puritas promeretur, ut in his, per quę veſtris commodo, & quieti conſulitur, votis veſtris, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Nuper ſiquidem pro parte veſtra Nobis expoſito, quod dudum quondam Antonia Paulipili de Vallatis, mulier de Urbe, condens in ejus voluntate ultima teſtamentum, inter alia quandam Domum, ad eam tunc legitime pertinentem, in Regione Sancti Angeli pręfatę Urbis conſiſtentem, cum certis in ea tunc expreſſis rebus, & utenſilibus, ad uſum, & habitationem perpetuam quarundam pauperum mulierum, ſub cura, & ad-

Diplomatis cauſa.

& adminiſtratione Guardianorum pro tempore exiſtentium Societatis Salvatoris de prefata Urbe reliquerat, & legaverat, ac ſubjuncto, quod vos in eadem Urbe locum communem non habebatis, quodque tres ex vobis domum prędictam tunc habitabant, Nos, domus, rerum, & utenſilium prędictorum qualitates, quantitates, & valores, ipſiuſque domus locum, & confines pro expreſſis habentes, venerabili Fratri Noſtro Epiſcopo Auſaren, ejus proprio nomine non expreſſo, aliis noſtris literis dedimus in mandatis, ut de premiſſis omnibus, & ſingulis auctoritate noſtra ſe diligenter informaret, & ſi per informationem hujuſmodi ea fore vera reperiret, ſuper quo illius conſcientiam oneravimus, domum cum rebus, & utenſilibus hujuſmodi, vobis, & futuris Prioriſſę, & Sororibus veſtri Ordinis, per vos, & illas perpetuo habendam, tenendam, & habitandam, & perinde ac ſi dicta teſtatrix illam vobis ſpecialiter reliquiſſet, perpetuo concederet, donaret, & aſſignaret, prout in eiſdem literis plenius continetur. Et deinde, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, venerabilis Frater Petrus Epiſcopus Auſaren. ad ipſarum literarum executionem legitime procedens, quia in eiſdem literis contenta reperiit fore vera, conceſſionem, donationem, & aſſignationem prędictas fecit. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, de juribus literarum conceſſionis, donationis, & aſſignationis prędictarum, pro eo quod in ipſis literis, quod prefata domus non per ipſam teſtatricem relicta, ſed ex pretio, quod provenerit ex venditione alterius domus in Regione Ripę, in quarterio quatuor Capitum, de dicta Urbe ſitę, & per eandem teſtatricem ad uſum, & habitationem prędictos relictę, empta extitit, mentio aliqua facta non fuit, a pleriſque heſitetur; Nos, ne propterea vos, ac Prioriſſam, & Sorores prędictas per aliquem ſuper premiſſis in poſterum impeti, vel moleſtari, contingat, providere volentes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, volumus, & Apoſtolica vobis auctoritate concedimus, quod literę & proceſſus deſuper habiti valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi in eiſdem literis de prę miſſis plena, & expreſſa mentio facta, & jus dictę relictę domus, quod in ipſam domum emptam ratione emptionis hujuſmodi tranſivit, vobis conceſſum, donatum, & aſſignatum fuiſſet. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis quę in prefatis aliis literis non obſtare voluimus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Noſtrę conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo quarto, Kalendis Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quarto decimo.

Donatio.

1. *Donat.*) Conſulenda *Conſtitutio CCLXXI data IV Januarii MCCCCXLIV.* Legitur *pag.* 178.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXXXII fol.* 151.

Anno 1444 Die 7 Aprilis

F. Jacobum Richer (1) Vicarium Apoſtolicum in Hungariam mittit, illumque & ipſius ſocios commendat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCLXXIX.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filiis Electis Abbatibus, Prioribus, Prępoſitis, Decanis, Archidiaconis, Plebanis, Archipresbyteris, & aliis perſonis Eccleſiaſticis Ciſtercien., Cluniacen., Pręmonſtraten., Sanctorum Benedicti, & Auguſtini, ac aliorum quorumcunque Ordinum, necnon Magiſtris, & Prçceptoribus, ac Fratribus Hoſpitalis Sancti Johannis Jeroſolymitan., & Beatę Marię Teutonicorum, dilectis quoque filiis nobilibus viris Marchionibus, Comitibus, & Baronibus, ac aliis nobilibus, Poteſtatibus inſuper, Capitaneis, Rectoribus, Conſulibus, Ancianis, Populis, Communitatibus, & Univerſitatibus civitatum, caſtrorum, & aliorum locorum, ac univerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus, ad quos prę ſentes advenerint, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

PRoſpicientes ex apice Summi Pontificatus detrimenta, deſolationes, ac varia calamitatum genera, quę partes Regni Hungarię, & prę ſertim Tranſilvanię, Turcorum, & aliorum infidelium immanitate, ac efferata crudelitate, hactenus paſſę ſunt, ex quibus fideles utriuſque ſexus, Sacerdotes, ac viri Religioſi capti fuerunt, & in miſerabilem infidelium ſervitutem pervenerunt, & quod infelicius eſt, Domus, Monaſteria, ac Eccleſię, & alia pia loca, ab ipſis infidelibus combuſta, & diruta extiterunt, unde in nonnullis locis illarum partium divinus cultus omnino ceſſavit, in aliquibus vero maxime diminutus exiſtit, in magnum Chriſtianę Religionis opprobrium, Nos ad quos ſaluti fidelium maxime ſpectat providere, ut loca ipſa, & prę ſertim Monaſteria, & Eccleſię reſtaurentur, & divinus ibidem cultus reſurgat, pro divini nominis gloria, & fidelium animarum ſalute, ad prędictas partes mittimus dilectum filium Jacobum Richer de Baſilea, Ordinis Prędicatorum profeſſorem, in contrada Tranſilvanię Vicarium deputatum, virum obſervantię regularis religione, ſcientia, moribus, & integritate vitę, comprobatum, cum nonnullis Fratribus ſuis ſociis dicti Ordinis, ut in illis partibus juxta temporum, & locorum conditiones, pia opera, & Deo grata, & accepta efficere ſtudeant. Cupientes igitur eoſdem Jacobum Vicarium, & quemlibet ſuorum ſociorum in civitatibus, terris, caſtris, & locis, ubi in Dei Eccleſia proficere poſſe cognoverint, verbum Dei prędicare, & fidelium animas ad ſemitam Divinorum mandatorum inducere, domos, ſeu Monaſteria de fidelium ſuffragiis, erigere, & deſtructa reparare, & obſervantiam regularem in illis domibus, & Monaſteriis plantare, & a Regula, & inſtitutionibus dicti Ordinis devia reformare, & cetera alia ad divini nominis laudem, & prędicti Ordinis

Miſſio, & Conceſſio.

Ordinis reverentiam efficere valeant, univerſitatem veſtram, & veſtrum ſingulos, paterna caritate hortamur, requirimus, & injungimus per pręſentes, quatenus pro Dei, & noſtra reverentia Jacobum Vicarium, & Fratres prędictos in civitatibus, terris, caſtris, & locis veſtris benigne recipiatis, ac favoribus opportunis aſſiſtere velitis, ut ea, quę ipſis commiſimus, Dei honorem, & ſalutem fidelium, & animarum ędificationem concernentia, favoribus veſtris libere exequi valeant, & juxta privilegia dicto Ordini a Sede Apoſtolica conceſſa, Confeſſiones audire, & defunctorum corpora in eorum Eccleſiis ſepelire libere poſſint, & omnibus, & ſingulis libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, & privilegiis dicti Ordinis libere uti, & gaudere valeant, ac per pia fidelium ſuffragia, & eleemoſynas pro ędificiis Eccleſiarum, & domorum reſtaurandis, & de novo fiendis, & libris ad uſum Eccleſiarum opportunis, ac victu, ac veſtitu, & aliis neceſſitatibus, debita ſubventio fiat, & eleemoſynas hujuſmodi erogantes divinam, & Apoſtolicam benedictionem aſſequantur, & nihilominus providere velitis, ut Jacobus Vicarius, & ſocii prędicti cum eorum libris, pannis, & rebus omnibus, tam per aquam, quam per terram ſine aliqua datii ſolutione, libere tranſire, & recedere poſſint, & de ſecuro tranſitu navigiis, guidis, & ſcorta, eis provideatis, ſi opus fuerit, & vos duxerint requirendos. Vos denique totaliter, in pręmiſſis gerere, & favores veſtros exhibere velitis, ut pręter ęternę beatitudinis pręmia, quę hujuſmodi bonorum operum actores aſſequuntur, noſtram, & Apoſtolicę Sedis Benedictionem, & gratiam conſequi mereamini. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quarto, Septimo Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quarto Decimo.

1. *Jacobum Richer.*) *De Baſilea* ex patria nuncupatum.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXXXII fol.96.*

Fidei Præcones, ſeu Miſſionarios Tranſylvaniæ privilegiis (1) ornat.

Anno 1444 Die 13 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCLXXX.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis univerſis tam Fratrum Prędicatorum, quam Minorum Ordinum profeſſoribus in domibus partium Tranſylvan., Regni Hungarię, eorundem Ordinum commorantibus pręſentibus, & futuris, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrę Religionis ſinceritas, ſub qua mundanis abjectis illecebris devotum, & ſedulum exhibetis Altiſſimo famulatum, non indigne meretur, ut votis veſtris, illis pręſertim, quę ad fidelium animarum conſolationem, ſalutem, & gaudium cedere noſcuntur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Hinc eſt, quod Nos, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut veſtrum quilibet ad id idoneus, & per ſuperiorem domus ſui Ordinis, in qua tunc moram traxerit, pro tempore deputatus, quoties expedire videbitur, in quibuſvis civitatibus, terris, villis, oppidis, atque locis in partibus Tranſylvan. Regni Hungarię conſiſtentibus, Verbum Dei populo prędicare, necnon & quorumcunque utriuſque ſexus fidelium incolarum, & habitatorum partium Tranſylvan. prędictarum confeſſiones audire, & pro commiſſis, dummodo talia non exiſtant propter quę ſit merito Sedes Apoſtolica conſulenda, debitam abſolutionem impendere, & ſalutarem pęnitentiam injungere, libere, & licite poſſit, quodque etiam omnes, & ſingulos fideles utriuſque ſexus hujuſmodi, id pro tempore eligentes, in Eccleſiis, ac cęmeteriis domorum prędictarum, ac cujuslibet earundem, abſque tamen Diœceſani locorum ac Rectorum Parochialium Eccleſiarum, infra quarum Parochiarum limites pro tempore moram traxerint, & aliorum quorumlibet, licentia, ſeu conſenſu, ſepelire valeat, Clementis Papę V, Prędeceſſoris noſtri, & quibuſcunque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac veſtrorum Ordinum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & coſuetudinibus, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, vobis auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus facultatem. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quarto, Tertio Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Quarto decimo.

Indultum.

1. *Privilegiis.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VIII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXXXII fol.4.*

Anno 1444 Die 6 Junii.

Ut Mutinenſes (1) Fratres in nonnullorum prædiorum poſſeſſione permaneant.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCLXXXI. Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis... Abbati (3) Monaſterii (4) Sancti Petri, & .... Archipresbytero majoris Eccleſię Mutinen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. AD ea Romanus Pontifex ex Apoſtolicę ſervitutis officio libenter intendit, per quę cum perſonarum, & locorum Religioſorum quorumlibet commodo & indemnitate pię teſtantium voluntates, ſi non omnino, ſaltem quantum ſecundum Deum ſalubrius fieri poteſt, valeant adimpleri. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris & Conventus Domus Mutinen., Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, quod olim quondam Simon de Plenis Civis Mutinen. cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, ac condens de bonis ſibi a Deo collatis in ejus voluntate ultima teſtamentum, inter alia per eum facta legata ex bonis hujuſmodi, certas tunc expreſſas poſſeſſiones, ſeu petias terrarum, aut illarum fructus, redditus, & proventus prędatę Domui pro una Miſſa ſingulis diebus in Capella Sancti Thomę de Aquino, ſita in Eccleſia prędictę Domus, pro anima ſua ex tunc poſt ejus obitum in antea celebranda, & alia tunc per ipſum Simonem ordinata peragenda, ſub certis modo & forma reliquit, & legavit; volens & ordinans inter cetera quod Miſſa hujuſmodi, per unum ex Fratribus in prędicta Domo commorantibus de Civitate Mutinen. oriundum, & ad hoc per Fratres ejuſdem Domus eligendum ſingulis diebus celebrari deberet; quodque dictę poſſeſſiones ſeu petię nullo unquam tempore per Fratres prędictos vendi, vel alienari poſſent, & ſi unquam per eoſdem Fratres venderentur, ſeu alienarentur, ex tunc dicti Conventus ipſis poſſeſſionibus, ſeu petiis, ſeu illarum fructibus penitus privati cenſerentur, prout in Inſtrumento publico, ſuper inde confecto, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, dicti Prior & Conventus, qui ad regularem obſervantiam de novo reducti ſub ipſa obſervantia Altiſſimo devote famulari noſcuntur, quique poſt reductionem hujuſmodi certam partem, cum reliqua pars licet minima poſſeſſionum, & petiarum prędictarum per alios Fratres, qui ante reductionem prędictam in prędicta Domo morabantur, alienata extiterit, aſſecuti, in illarum pacifica poſſeſſione hactenus fuerunt, & exiſtunt, propter alienationem prędictam, & pro eo quod nonnulla per dictum teſtatorem in prędicta voluntate, quanquam frivole ordinata, per ipſos Fratres obſervata non extiterunt, licet ſuper eiſdem poſſeſſionibus ſeu petiis per aliquem hactenus moleſtati non fuerint, nec etiam moleſtentur, dubitent, ſe poſſeſſiones, ſeu petias prędictas cum bona conſcientia retinere non poſſe, illis quoque nimium grave reddatur dictam Miſſam per unum ex Fratribus oriundis hujuſmodi ſingulis diebus celebrari facere, & cum alias pars ejuſdem Domus cum nonnullis literis, & Inſtrumentis, aliiſque juribus in quibus prędatę, & nonnullę alię conditiones in aliis voluntatibus, ſeu ipſi Domui factis legatis appoſitis annotatę

Nota. erant, ignis voragine caſualiter combuſta fuerint, de prędictis conditionibus notitia de facili haberi nequeat, pro parte eorundem Prioris, & Conventus, aſſerentium, quod communiter in Civitate prędata ſimiles clauſulę obligatorię a teſtatoribus in eorum ultimis voluntatibus apponi conſueverunt; Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his eis, ipſorumque ſtatui opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de premiſſis certam notitiam non habentes, ac dicti Inſtrumenti tenorem preſentibus pro expreſſo haberi volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum ſuper premiſſis

Mandatum. omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra, vos diligenter informetis, & ſi per informationem hujuſmodi ea fore vera repereritis, ſuper quo veſtram conſcientiam oneramus, Priorem & Conventum prędictos quoad retinendum poſſeſſiones & petias prędatas, illarumque fructus, redditus, & proventus hujuſmodi percipiendum, in eo ſtatu, in quo Fratres tunc in ipſa Domo commorantes, antequam alienatio, & prętermiſſio prędictę fierent, quomodolibet erant, omnino reſtituere, & reponere, ipſiſque, & eorum cuilibet quamcunque pęnam, per eos ex prędictarum, ac quarumvis aliarum conditionum in ceteris voluntatibus, ſeu ipſi Domui factis legatis appoſitarum, quęcunque illa fuerint, non obſervatione per eos forſan incurſam, remittere, pręterea ſeu prędictas, & quaſcumque alias poſſeſſiones & terras, quas ipſi Prior & Conventus alias juſte poſſident eidem Domui perpetuo donare, concedere, & aſſignare, necnon Priori dictę Domus pro tempore exiſtenti & Conventui prędatis, quod hujuſmodi Miſſam, etiam per alium ex Fratribus ipſius Domus, qui de prędata Civitate oriundus non ſit, celebrari facere poſſint, & valeant, quodque ad ſervandum frivola & inania per dictum teſtatorem, ut prędertur, ordinata, minime teneantur, concedere pariter, & indulgere dicta auctoritate noſtra curetis. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon voluntatibus & ordinationibus prędictis, ac dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo quarto, Octavo Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Quarto decimo.

Gratis de Mandato D. N. Papę.

N. De Carbonibus,

Gratis de Mandato D. N. Papę.

Arnoldus.

1. Mu-

1. *Mutinenſes.*) In ejuſdem nominis Ducatu *Italiæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Mutinenſ.* Aliud ibidem aſſervatur ex *Arch. Apoſtol. Lib. CCLXXXIV fol.* 98.
3. *Abbati.*) Cui nomen *Appolonius*, ſeu *Apollonius*.
4. *Monaſterii.*) Ordinis *S. Benedicti*.

Firmat ea, quæ pro reficiendis Peruſini Cœnobii ſacris ædibus Peruſini (1) Cives decreverunt.

Anno 1444 Die 19 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCLXXXII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Peruſin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

EA, quę pro Monaſteriorum, & aliorum Religioſorum locorum, atque domorum commodo & utilitate provide proceſſiſſe comperimus, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolico mandamus munimine roborari. Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus Sancti Dominici Peruſin., Ordinis Fratrum Prędicatorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim dilecti filii Priores, Camerarii, & Conſilium Civitatis noſtrę Peruſin. more eorum ſolito tunc congregati, ac Civitatem Peruſin. repręſentantes, pro augmento, ſeu fabrica dictę Domus, ſeu Eccleſię ejuſdem, & ut illa in ſuis imperfectis ſtructuris, & ędificiis, & ad decorem pręfatę Civitatis, ad ſui perfectionem commodius deduci poſſet providerunt, & ſolemniter ordinarunt (3), quod de quibuſcunque exitibus pertinentibus, ſeu quę ex tunc in antea fieri deberent, quibuſcunque, ac quibuſvis de cauſis, re, & facto per quoſcunque Magiſtratus, ſeu officiales Camerę Apoſtolicę Peruſin., tam civibus quam ſecularibus, forenſibus, ſeu comitatenſibus, etiam ſi noſtri, & Sanctę Romanę Eccleſię ſtipendiarii forent, vel alii, tam ordinarie, quam extraordinarie, ac ſecundum formam, necnon vigore quorumcunque ſtatutorum, ordinationum, & reformationum, factorum tunc, & in antea fiendorum, ſeu alias quovis modo, perſonę pecunias ex exitibus hujuſmodi recipientes pro quolibet floreno juxta morem dictę Camerę ab eis ſic recipiendo unum ſolidum monetę in pręfata civitate currentis, ad fabricam hujuſmodi pro tempore deputato perſolvant, ſeu relaxent, ita quod proviſio, & ordinatio prędictę per quinque annos durare deberent, quodque plenam roboris firmitatem obtinerent, ſi, & in quantum illam per Nos approbari contingeret, prout in libris dictę Communitatis plenius continetur. Quare pro parte Prioris & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut proviſioni, & ordinationi prędictis pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę firmitatis adiicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ea vera eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, proviſionem, & ordinationem, ac alia per Priores, Camerarios, & Conſilium geſta hujuſmodi & inde ſecuta, tam quoad illas, quę per Officiales pro tempore exiſtentes Camerarum Communis, & Conſervatorum, & Maſſariorum dictę Civitatis, ex eiſdem Cameris, vigore aliorum ſtatutorum, & ordinationum, & reſervationum, factorum, & fiendorum prędictorum tam ordinarie, quam extraordinarie, ex quacunque, ſeu quacunque de cauſa, re, & facto Gubernatori, Bargello, Prioribus artium, Doctoribus, Conſulibus, Auditoribus, Camerariis ac portarum Capitaneis, necnon Poteſtatibus, fancellis, atque donzellis, ceteriſque officialibus civitatis prędictę, & Peruſin. Comitatus infra dictum quinquennium exiſtentibus pro tempore ſolventur, quam de conſenſu pręfatę Communitatis quoad alias pecuniarum ſummas omnes, & ſingulas, quas hujuſmodi Communitas ex ſe abſque Sedis Apoſtolicę auctoritate expendere poteſt, & quibusvis perſonis pro tempore perſolvendas per hujuſmodi quinquennium auctoritate noſtra prędicta approbes, & confirmes, ſupplendo omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon pręfatę Civitatis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quarto, Quarto decimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto Decimo.

Diplomatis cauſa.

Peruſinorum pietas.

Confirmatio.

Clauſula derogans.

1. *Peruſini.*) In *Italia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXXXII fol.* 109.
3. *Solemniter ordinarunt.*) Hæc tanta *Peruſinorum* pietas, & in Ordinem noſtrum beneficentia major eſt, quam ut orationem poſtulet. Hic unum obiter notandum: quod pari ſtudio, & ordinum omnium gratulatione, vir eximiis dotibus, quibus præſtat, clariſſimus, R. Admodum P. Magiſter *Dominicus Poaſi* in numerum Patriciorum a *Peruſinis* ea de cauſa potiſſimum relatus eſt, quod ſacris, ceteriſque ædibus *Peruſini* Cœnobii reficiendis operam daret, ut ex hoc Inſtrumento liquet. *Decemviri Auguſtæ Civitatis Peruſiæ, Reverendiſſimo, Clariſſimoque viro, Sacræ Theologiæ Magiſtro, Fratri Dominico Poaſi Nicienſi, Ordinis Prædicatorum, Venerabilis Conventus S. Dominici Peruſiæ filio, ejuſdemque Conventus olim Priori, & inde Provinciæ Romanæ Provinciali meritiſſimo, & modo in Urbe Conſultori Sacræ Congregationis ſuper Reliquiis, ex-Provinciali Romano, Socioque apud Reverendiſſimum Patrem Magiſtrum Generalem totius Ordinis Prædicatorum, Perpetuam Felicitatem.*

Cum nulla re melius moveri debeamus, quam illuſtrium Virorum operibus, induſtria, ipſaque tandem virtute, nequaquam haſitari contingit, quin cuncta hac omnibus perfecta numeris in Te optime perſpexerimus; eo præſertim quia magnis tuis ſumptibus, parique cura, labore, ac ſolicitudine ingentem Conventus S. Dominici molem mirifice amplificando, ejuſque inſignem, tum conſtructione, tum amplitudine Eccleſiam, & Sacrarium præclare ſatis in dies exornando, Auguſtæ Patriæ noſtræ præſtantiam & ſplendorem non modice augere laudabiliter voluiſti. Cupientes ergo, his cauſis adducti, tantique memores beneficii, aliquod benevolentiæ, exiſtimationis, gratique animi noſtri publicum, & nunquam intermoriturum oſtendere teſtimonium, quod Tibi jucundum foret, & Civitati noſtræ optatiſſimum, proinde nos ad ſonum campanæ & Tubarum,

ut moris eſt, vocatis & legitime congregatis in noſtra ſolita audientia DD. Conſulibus, & Auditoribus reſpective utriuſque Collegii Nobilium, necnon Camerariis Artium, qui quidem Civitatis noſtræ Senatum conſtituunt, & apud quos una nobiſcum hujus conficiendæ rei totum jus reſidet, & poteſtas, & Divino tunc implorato præſidio, maturis habitis colloquiis, miſſoque prius inter nos partito, & ſubinde hodie inter memoratos Conſules, Auditores, & Camerarios, omniumque ſuffragiis juxta tuæ probitatis, excellentiæ, & virtutum merita favorabilibus undequaque repertis, Te, tuamque agnatitiam Familiam Nicienſem, nunc & perpetuis futuris temporibus, in Civem, & Cives Civiles, antiquos, & Originarios noſtros omni meliori modo, via, cauſa, & forma, quibus magis, melius, utilius, validius, & efficacius, tam de jure, quam de conſuetudine, explere potuimus, poſſumus, & debemus, ſolemniter nominavimus, fecimus, creavimus, & ordinavimus, numeroque & cœtui aliorum Civium Civilium, antiquorum, & originariorum Civitatis noſtræ agregavimus cum omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, prærogativis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, dignitatibus, habilitatibus, officiis, & beneficiis, quibus alii Cives noſtri antiqui, & originarii fruuntur, potiuntur, & gaudent; Mandantes omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat, ut Te, tuamque agnatitiam Familiam Pouſi Nicienſem in infinitum, tractent, & reputent tanquam Cives civiles, antiquos, & originarios noſtræ Civitatis, necnon Officialibus Archivii, ſeu Armarii noſtri, & Notariis principalibus illius, ut Te, tuamque agnatitiam Familiam, ut ſupra, quandocunque Tibi, & Eis videbitur, & placebit, deſcribant, & accatraſtent inter alios Cives Civiles, Antiquos, & Originarios, Statutis, Ordinationibus, ceteriſque contrariis, non obſtantibus quibuſcunque. In quorum omnium præmiſſorum fidem &c. Præſentes ad ſempiternam rei memoriam fieri juſſimus, & per Notarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi, ac publicari, & ſigillo noſtro conſueto muniri fecimus. Datum Peruſiæ in Palatio Decemvirali ſub Anno a Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Septingenteſimo Vigeſimo Nono, Indictione Septima, tempore Pontificatus Sanctiſſimi D. N. Benedicti XIII Divina Providentia Pontificis Maximi, Anno Sexto, & die Decima quinta Julii.

Locus ✠ Sigilli.

Ita eſt Nicolaus Agatonius Notarius Collegiatus Peruſinus, & ad præſens Notarius Decemviralis Illuſtriſſimi Magiſtratus Peruſiæ de prædictis rogatus ſubſcripſi.

Auguſtæ Peruſiæ Civitatis Virginis Sanctiſſimi Roſarii Decemviri.

Cunctis præſentes inſpecturis fidem facimus, & atteſtamur ſupraſcriptum Dominum Nicolaum Agatonium de ſupraſcriptis rogatum fuiſſe, & eſſe Notarium publicum Collegiatum Peruſinum, fide dignum, legalem, & authenticum, talem qualem ſe facit, ſuiſque ſcripturis publicis, hic, & ubique, in judicio & extra ſemper adhibitam fuiſſe, & de præſenti fidem indubiam adhiberi. In quorum fidem &c. Datum Peruſiæ ex Palatio noſtro Decemvirali hac die 6 Auguſti 1729.

Locus ✠ Sigilli.

Jo. Baptiſta Angelinus Cancellarius Decemviralis.

Anno 1444 Die 31 Auguſti.

Ut Moniales Brixienſis (1) Monaſterii S. Catharinæ annuam penſionem Canonicis Ordinis S. Auguſtini ſolvant ex redditibus Cœnobii S. Lucæ.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCLXXXIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

SEdis Apoſtolicę providentia circunſpecta nonnunquam per eam, necnon ipſius auctoritate, conceſſa, atque geſta caſſat, irritat, revocat, & annullat, ac de illis etiam ad aliarum perſonarum eccleſiaſticarum ſub ſacro Religionis jugo Altiſſimo famulantium commodum, & ſalubrem ſtatum diſponit, & ordinat, prout perſonarum earundem, necnon locorum, rerum, & temporum qualitate penſata, id conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę & Sororum Monaſterii Sanctę Catharinę Brixien. per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis Sancti Auguſtini ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, Nobis inter alia expoſito, quod licet ipę triginta octo, vel circa, numero exiſterent, ac in dicto Monaſterio ſub perpetua clauſura regularique dicti Ordinis obſervantia, & alias laudabiliter viverent, tamen propter exilitatem fructuum ejuſdem Monaſterii, qui ultra centum florenos auri de camera annuatim communiter non valebant, plura tunc ſuſceperant & quotidie ſuſcipiebant incommoda, ac cauſante facultatum carentia nonnullę ex ipſis ſępius infirmabantur, plureſque ex infirmis prędictis ab earum infirmitatibus hujuſmodi liberari non poterant, & per eaſdem exponentes ſubjuncto, quod Domus Sancti Lucę Burgi Sancti Alexandri Brixien, Ordinis Humiliatorum, in ſpiritualibus, & temporalibus defectus non modicos ſuſtinuerat, & tunc ſuſtinebat, illaque, & alię tres, vel quatuor pręfati Ordinis Humiliatorum in Civitate Brixien. conſiſtentes Domus jamdiu regulari obſervantia deſtitutę remanſerant, & tunc remanebant, nec in ipſis omnibus ultra decem & octo, aut viginti, pręfati Ordinis Humiliatorum Fratres a multis citra temporibus inſimul continuo habitaverant, prout nec tunc habitabant, & alias in Hoſpitali Pauperum Sancti Johannis extra portam Brixien. jamdiu modica, ſeu nulla hoſpitalitas ſervata fuerat, &, ſi Domus Sancti Lucę prędicta eidem Monaſterio uniretur, exinde Prioriſſa, & Sorores dicti Monaſterii pro tempore exiſtentes in neceſſitatibus, eis pro tempore occurrentibus, magna ſuffragia reciperent, ac quietius, & commodius Altiſſimo vota reddere, & in laudabilibus operibus multiplicare, pluraque exinde bona, & ad laudem, & gloriam Altiſſimi, populique devotionis augmentum, provenire valerent, Nos tunc ad dilectorum filiorum communitatis, & civium dictę Civitatis, necnon prędictarum Prioriſſę, & Sororum etiam aſſerentium quod Monaſterium prędictum reſpectu multitudinis exponentium hujuſmodi arctum erat & ad inſtantiam earundem per alias noſtras literas certo judici, ſub certa tunc expreſſa forma, dedimus in mandatis, ut domum Sancti Lucę cum illius Prępoſitura, quę conventualis erat, ac Hoſpitale prędicta, cum omnibus eorum, & quibuslibet ipſorum poſſeſſionibus, & bonis, juribus, & pertinentiis, auctoritate noſtra pręfato Monaſterio perpetuo incorporaret, uniret, & annecteret, ita quod quamprimum tempus, juxta ſtatuta, & ordinationes pręfati Ordinis Humiliatorum tunc Prępoſito dictę domus Sancti Lucę ad illius regimen, ſeu ipſam Prępoſituram tenendam, & gubernandam, olim conceſſum, deſineret, ſeu lapſum foret, aut alias cedente, vel decedente ipſo Prępoſito, ſi forſan ei dicta Prępoſitura ad vitam ſuam per literas Apoſtolicas, vel earum auctoritate, collata foret, ſeu illam quomodolibet dimittente, liceret Prioriſſę, & Sororibus prędictis per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem poſſeſſionem domus Sancti Lucę cujus Prępoſituram, ac Ordinem Humiliatorum in eventum lapſus temporis, aut ceſſus, vel deceſſus, ſeu dimiſſionis hujuſmodi, ex tunc ſuppreſſimus, ac ſuppreſſos

Diplomatis cauſa

fore

fore decrevimus, necnon Hoſpitalis poſt illius Rectoris ceſſum, vel deceſſum, & aliorum uniendorum prędictorum, auctoritate propria libere apprehendere, ipſique, ac futuris dicti Monaſterii Prioriſſis, & Sororibus, perpetuo retinere, hujuſmodique illorum fructus, redditus, & proventus, in ſuus ac Monaſterii, domus, & Hoſpitalis, prędictorum, uſus, & utilitatem convertere, Diœceſani loci, & cujuſcunque alterius licentia minime requiſita, quodque ex tunc Prępoſitus & Fratres in dicta Domo Sancti Lucę tunc exiſtentes ad quatuor prędictas, ſeu alias pręfati Ordinis Humiliatorum domus, ſe transferre tenerentur, & deberent, & inſuper, ſi unionem domus Sancti Lucę hujuſmodi fieri, aut effectum ſortiri, contingeret, quodque pręfatę Prioriſſa pro tempore, ac Sorores poſt apprehenſionem poſſeſſionis domus Sancti Lucę hujuſmodi aliquas ex eis ad dictam domum Sancti Lucę tranſmittere valerent, ita quod tunc dictę tranſmiſſę, & alię, quę pro tempore inibi permanerent, Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum hujuſmodi, Sorores in domo ipſa Sancti Lucę, quę tunc Monaſterium Sororum prędictarum exiſteret, & eſſe deberet, ſub obſervantia prędicta in perpetua clauſura conventualiter vivere tenerentur, illęque, ac Sorores dicti Monaſterii unicum Conventum facerent, & per unam Prioriſſam gubernarentur, eiſdem Prioriſſę pro tempore, & Conventui per eaſdem literas conceſſimus, ſtatuimus, decrevimus, prout in dictis literis plenius continetur. Cum itaque Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Conventus Prioratus Sancti Salvatoris extra, ac prope Muros Brixien. Ordinis Sancti Auguſtini exhibita petitio continebat, ipſi cauſantibus guerris in illis partibus olim vigentibus Prioratum ipſum relinquere coacti fuerint, ac dubitent illum in aliis de cetero forſan ſupervenientibus guerrarum turbinibus, denuo dimittere, aut per dilectos filios communitatem, & Cives Brixien. pro eorum ſecuritate demoliri debere, ac alias Prioratus prędictus in loco aquoſo, & inſano conſiſtat, pro parte Prioris, & Conventus Prioratus prędictorum, etiam aſſerentium, quod licet vigore literarum earundem dicta domus Sancti Lucę eidem Monaſterio juxta mandatum hujuſmodi unita, annexa, & incorporata, ac ipſę unio, annexio, & incorporatio effectum ſortitę fuerunt, tamen nulla ex Prioriſſa, & Sororibus ſupradictis in domo ipſa Sancti Lucę moram trahit, ſed illę unum inibi Capellanum, cui certam portionem aſſignant, tenere noſcuntur, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut domum Sancti Lucę prędictam cum Eccleſia, ac aliis ſtructuris, & ędificiis ſuis, necnon eis contiguis, & propinquis hortis, atque domibus, illis prius a Monaſterio, ac illius Prioriſſa, & Conventu pręfatis ſegregatis, ſeparatis, atque dimembratis, Canonicis pręſentibus, & futuris Ordinis & Congregationis prędictorum perpetuo concedere, & alias eis ſuper hoc opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, domum, & Eccleſiam unitas, cum eis tam contiguis, quam & propinquis hortis, & domibus hujuſmodi duntaxat a Monaſterio, ejuſque pro tempore Prioriſſa, & Sororibus pręfatis auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia, harum ſerie, penitus ſegregantes, & dimembrantes, ac in conventualem Prioratum pro uſu & habitatione perpetuis quorundam Congregationis hujuſmodi Canonicorum pro tempore exiſtentium ex nunc erigentes, illa ſic ſegregata Canonicis pręſentibus, & futuris ejuſdem Congregationis & Ordinis Sancti Auguſtini prędictorum, auctoritate & ſcientia prędictis, perpetuo concedimus, donamus, applicamus, & appropriamus, ita quod liceat ex nunc Canonicis pręſentibus pręfatis, per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem eis conceſſorum prętatorum, auctoritate propria, libere apprehendere, ac pro ſe, & dictis futuris Canonicis perpetuo retinere, Diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentia minime requiſita. Et inſuper volumus, ſtatuimus, atque decernimus, quod Prioriſſa pro tempore exiſtens, ac Conventus Monaſterii hujuſmodi de fructibus aliorum bonorum Monaſterio unitorum hujuſmodi, portionem annuam per eas dicto Capellano dari ſolitas Priori, & Canonicis, qui erunt pro tempore dicti Prioratus, ſic per vos erecti, annis ſingulis perpetuo tradere, & realiter aſſignare teneantur, & debeant, necnon & Prioratui erecto prędicto, ejuſque pro tempore Priori, Canonicis, & perſonis, & poſt apprehenſionem per eos faciendam hujuſmodi, omnibus & ſingulis, privilegiis, libertatibus, exemptionibus, indultis, & gratiis, aliis dictę Congregationis Monaſteriis, Prioribus, Conventibus, & perſonis per Sedem Apoſtolicam, vel alias generaliter conceſſis uti, & gaudere valeant, auctoritate prędicta harum ſerie indulgemus. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii, & Ordinum prędictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Noſtrorum ſegregationis, ſeparationis, dimembrationis, erectionis, conceſſionis, donationis, applicationis, appropriationis, voluntatis, ſtatuti, & conſtitutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo quarto, pridie Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto decimo.

Mandatum.

1. *Brixienſis.*) Conſulenda *Conſtitutio CCLXVIII* ejuſdem *Eugenii IV.* Legitur *pag.276.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXXXVIII fol.20.*

Man-

Anno 1444 Die 24 Novembris.

Mantuanum (1) Monaſterium S. Dominici curæ Fratrum Ordinis committit.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCLXXXIV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

AD decorem Sacrę Religiona noſtrę meditationis dirigentes intuitum, votis illis, per quę Monaſteriorum, ac perſonarum in eis degentium, ſtatui, & indemnitatibus conſulitur, ac Religionia ejuſdem propagatio ſequi ſperatur, annuimus gratioſe. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Sancti Dominici Mantuani, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis Sancti Auguſtini, ſub Inſtituto Ordinis FF. Prędicatorum viventium, petitio continebat, ipſę, quę mundanis ſpretis illecebris pro animarum ſuarum ſalute, divinique cultus augmento, regularem obſervantiam inibi perpetuo dicti Ordinis vigere ferventius concupiſcunt, pro obſervantię hujuſmodi conſervatione, quam per dilectos filios Fratres domorum Ordiuis FF. Prędicatorum in Civitate & Dięceſi Mantuan. conſiſtentium, qui ſub regulari obſervantia ipſius Ordinis FF. Prędicatorum diu, noctuque divinis laudibus inſiſtendo, gratum impendunt Altiſſimo famulatum, propter ipſorum vitam laudabilem manuteneri facilius poſſe ſperant, curę, regimini, & gubernationi FF. Prędicatorum ſub obſervantia degentium hujuſmodi ſubiici, & ſubmitti, ac ſub illis perpetuo vivere deſiderent, pro parte ejuſdem Prioriſſę, & Conventus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionis propagationem fieri, illiuſque obſervanſiam vigere ubilibet, intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi, necnon dilectę in Chriſto Filię Nobilia Mulieris Paulę Marchioniſſę Mantuanę, Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantis, ſupplicationibus inclinati, Monaſterium, illiuſque pro tempore Prioriſſam, & Conventum, necnon omnes, ac ſingulas Moniales, ac perſonas pręſentes, ac futuras hujuſmodi curę, regimini, & gubernationi prędictis, quoad ſpiritualia duntaxat, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium perpetuo ſubiicimus pariter, & ſubmittimus; mandantes, ac decernentes Fratres pręfatos, ſeu ab eis pro tempore deputatos, quoſies opus fuerit, eiſdem Prioriſſę, Monialibus, & perſonis pręſentibus, & futuris, & earum ſingulis, illarum confeſſionibus diligenter auditis, pro commiſſis per eas exceſſibus, criminibus, & delictis in omnibus, pręterquam Sedi Apoſtolicę caſibus reſervatis, debitam abſolutionem impendere, & injungere pęnitentiam ſalutarem, necnon eis Euchariſtię, & alia Eccleſiaſtica Sacraments miniſtrare, illaque & ſimilia, juriſdictionem, dominium, & poteſtatem in Monaſterium, Prioriſſam, Conventum, Sorores, & perſonas hujuſmodi habere, & exercere poſſe, quę in alia Monaſteria dicti Ordinis, earumque perſonas ſub inſtitutis hujuſmodi degentes curę, regimini, & gubernationi ipſorum ſubjecta habent, & exercere poſſunt. Non obſtantibus &c. Nulli ergo omnino hominum &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quarto, Octavo Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto decimo.

Supplex Monialium petitio.

Mandatum.

5. *Mantuanum*.) In ejuſdem nominis Ducatu *Italia*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar *Lib. B. fol.* 584. ex Autographo aſſervato in Monaſterio *Mantuano*.

Anno 1445 Die 18 Januarii.

De F. Mundono Belvayleti in priſtinum Pœnitentiarii Avenionenſis (1), munus reſtituendo.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCLXXXV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Sancti Petri, & Sancti Agricolę Avenionen. Decanis, & Archidiacono Biterren. Eccleſiarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SIc decet ea, quę nonnunquam minus provide geſta fuerunt, in rationis reduci tramitem, ut quod in unius favorem proceſſiſſe conſpicitur, in alterius non redundet pręjudicium. Exhibita ſiquidem pro parte dilecti filii Mundoni Belvayleti (3), Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac Sacrę Theologię profeſſoris, petitio continebat, quod olim pro parte dilecti filii . . . . Nobia ſugeeſto, quod licet dudum tam per Nos, quam diverſos alios Romanos Pontifices, Prędeceſſores noſtros, pro Chriſti fidelium animarum ſalute, ſtatutum, & ordinatum foret, quod in Civitate noſtra Avinionen. unus per Sedem Apoſtolicam inſtitueretur, & ordinaretur Pęnitentiarius, qui pro confeſſionibus eorundem fidelium audiendis, & pro commiſſis debita ipſis fidelibus abſolutione impendenda, juxta facultatem ſibi per dictam Sedem conceſſam, in pręfata Civitate, continuam reſidentiam facere teneretur, tamen pręfatus Mundonus in dicta Civitate Pęnitentiarius noſter a dicta Civitate ſe abſentaverat, & in ea reſidentiam perſonalem facere non curabat, ac de reditu illius ad eandem Civitatem, pro officio Pęnitentiarię inibi per eum exercendo ſpes aliqua non ſubſiſteret, & propterea ob defectum Pęnitentiarii hujuſmodi eiſdem fidelibus periculum imminebat animarum. Nos tunc dilecto filio Decano Eccleſię Avinionen., ejus proprio nomine non expreſſo, per alias noſtras lireras dedimus in mandatis, ut pręfatum . . . . . . in Pęnitentiarium noſtrum in dicta Civitate, auctoritate noſtra, conſtitueret, & aſſignaret, committens ſibi, ut hujuſmodi Pęnitentiarię officium etiam pręfato Mundono ad ipſam Civitatem redeunte ſicut alii noſtri in eadem Civitate Pęnitentiarii illud ibidem gerere, & exercere conſueverant, exequeretur, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut

Diplomatis cauſa.

Digitized by Google

ſicut eadem petitio ſubjungebat, literę pręfatę ſubreptitię, & obreptitię exiſtant, ac fraudulenter, & doloſe tacita veritate, & expreſſa falſitate per . . . . in maximum pręjudicium dicti Mundoni extortę, & impetratę fuerint, pręſertim cum ipſe Mundonus, qui verus Pęnitentiarius in ipſa Civitate auctoritate Apoſtolica dudum ad effectum hujuſmodi deputatus exiſtit, & illud antea per plures annos laudabiliter rexerat, & exercuerat tempore dati earundem literarum in eadem Civitate perſonaliter conſtitutus exiſtebat, & officium ipſum actu regebat, & exercebat, ac etiam poſtmodum exercuit, prout ſublato impedimento regere, & exercere intendit in futurum, Domino concedente, pro parte ipſius Mundoni Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi ſuper hoc opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, cupientes in pręmiſſis ſalubriter providere, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, vocatis dicto . . . *Mandatum.* . . . & aliis, qui fuerint evocandi, ſi, & poſtquam de pręmiſſis vobis legitime conſtiterit, ſeu alias literas prędictas ſubreptitias, & ex falſis ſuggeſtionibus, ac cauſis minus veris, extortas, & impetratas, aut alias invalidas fuiſſe, repereritis, ſuper quo veſtras conſcientias oneramus, dictas literas, ac proceſſus habitos per eaſdem, & quęcunque inde ſecuta eadem auctoritate ubicunque caſſetis, revocetis, & annulletis, nulliuſque roboris vel momenti exiſtere decernatis, necnon pręfatum Mundonum ad dictum officium, & illius liberum exercitium in priſtinum ſtatum, in quo antequam literę ipſę emanarent quomodolibet erat, ita quod ipſe Mundonus ex officio hujuſmodi pecunias recipere non debeat, amoto dicto . . . . . . dicta auctoritate, reſtituatis, & integretis, ac reſtitutum, & redintegratum defendatis, & ſuper eodem officio ipſi . . . . . perpetuum ſilentium imponatis, ipſique Mundono efficacis ſuper his defenſionis auxilio aſſiſtentes, non permittatis eum contra tenorem pręſentium per dictum . . . . . . vel quemcunque alium ſuper dicto officio indebite quomodolibet moleſtari. Moleſtatores, perturbatores, ac contradictores quoslibet per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. *Clauſula derogans.* Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, ſeu ſi pręfato . . . . . . vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quarto (4), Quinto decimo Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto decimo.

1. *Avenionen.*) In ejuſdem nominis Comitatu.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXXXVIII fol.* 190.
3. *Mundoni Belvayleti.*) Hunc non novit Johannes noſter *Mabuet* in opere cui titulus *Prædicatorium Avenionenſe Cap. IV Libri III*, ubi recenſet *Avenionenſis* Cœnobii alumnos ab anno *MCCCC* ad annum *MCCCCXCVIII.*
4. *Quadrageſimo Quarto.*) Stylo Bullarum æræ communis *MCCCCXLV.*

Anno 1445 Die 3 Februarii.

Sorores de Pœnitentia, utpote perſonas Eccleſiaſticas, tributis ſolvendis exemptas eſſe declarat (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCLXXXVI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Prępoſito Eccleſię S. Stephani Praten., Piſtorien. (3) Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Mulierum Mantellatarum (4), ſeu Pinzochararum (5) de Pęnitentia Sancti Dominici nuncupatarum, in Terra Prati, Piſtorien. Diœceſis, commorantium, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod licet ipſę certam Regulam, auctoritate Apoſtolica approbatam, profiteri, & ſub cura Fratrum Prędicatorum vivere, ac quandam in dicta Terra Domum in communi tenere, & in ea Capitulum facere, necnon unam ex eis in Prioriſſam habere noſcuntur, & propterea cum earum bonis a datiis, collectis, & aliis oneribus, per dilectos filios Communitatem dictę terrę, vel alias ſeculares perſonas in terra pręfata, ſeu alias, abſque Sedis Apoſtolicę licentia impoſitis hactenus, & de cetero imponendis exemptę eſſe debent, tamen ratione datiorum, impoſitionum, & onerum prędictorum in perſonis, & bonis eorum moleſtari dubitant tempore ſuccedente. Quare pro parte dictarum exponentium Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc eis, ac eorum ſtatui & indemnitati opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de pręmiſſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &c. ſi per informationem hujuſmodi ea vera eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, prędictas, ac omnes, & ſingulas Mulieres in dicta terra commorantes, pręſentes, & futuras, hanc Regulam profitentes, necnon ſub cura hujuſmodi viventes pro tempore Eccleſiaſticas perſonas fore exemptas, auctoritate prędicta decernas, atque declares, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quarto (6), Tertio Nonas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto decimo.

Exordium. — *Diplomatis cauſa.* — *Indultum.*

1. *Declarat.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. XIV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXXVII fol.* 104.
3. *Piſtorien.*) In Hetruria.
4. *Mantellatarum.*) Sic etiam in Vita *S. Catharinæ Senenſis* vocantur Sorores de Pœnitentia.
5. *Pinzochararum.*) Seu *Bizocarum*, vel *Beghinarum*. Sic

Sic nuncupatas Sorores de Pœnitentia notat *Du Cange* in *Gloſſario*, verbo: *Bizochi*.

6. *Quadrageſimo Quarto*.) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCXLV*.

Anno 1445 Die 11 Martii.

Facultas fundandi Cœnobii Caſtri Abbatis (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCLXXXVII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Caputaquen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

PIis votis fidelium, illis potiſſime, quę ex devotionis fervore, ac pro divini cultus, & Religionis augmento prodire, necnon ad ipſorum fidelium animarum ſalutem cedere, conſpicimus, libenter annuimus, & ea, quantum cum Deo poſſumus, favoribus proſequimur opportunis. Cum itaque, ſicut accepimus, Eccleſia Beatę Marię Nunciatę extra Terram, ſeu Caſtrum Abbatis, de Provincia Principatus, Salernitan. Diœceſis, certo modo vacaverit, & vacet ad pręſens, &, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum univerſitatis, & hominum Terrę ſeu Caſtri hujuſmodi, petitio continebat, ipſi zelo devotionis accenſi, cupientes terrena in cęleſtia, ac tranſitoria in ęterna, felici commercio commutare, de bonis ſibi a Deo collatis unam Domum pro uſu, & habitatione nonnullorum Fratrum Ordinis Fratrum Pręedicatorum, ſub regulari obſervantia degentium, in Terra, ſeu Caſtro hujuſmodi, juxta, & prope dictam Eccleſiam, cum Eccleſia, campanili, campanis, cęmeteriis, & aliis, pro dictis uſu, & habitatione neceſſariis officinis, fundare, & conſtruere, ſeu fundari, & conſtrui facere, deſiderent, pro parte dictorum univerſitatis, & hominum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis Domum hujuſmodi juxta dictam Eccleſiam fundandi, & conſtruendi, ac Fratribus ipſis illam recipiendi, & perpetuo inhabitandi, licentiam concedere, necnon alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui cultum, & Religionem pręedictos noſtris pręſertim temporibus augeri intenſis deſideriis affectamus, modum vacationis, ac fructuum, reddituum & proventuum pręfatę Eccleſię, & ſecundum communem ęſtimationem, valorem annuum pręſentibus pro expreſſis habentes, necnon volentes eaſdem univerſitatem & homines in ſuo laudabili propoſito confovere, hujuſmodi quoque ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi tibi temporis qualitate, & loci conditione, ac circumſtantiis univerſis, penſatis, conceſſionem hujuſmodi faciendam fore videbitur, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, univerſitati, & hominibus, juxta, & prope dictam Eccleſiam, quovis modo, aut ex cujuſcunque perſona, ſeu per liberam reſignationem alicujus de illa extra Romanam Curiam, & coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, dicta Eccleſia vacet, & ſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta, ipſaque Eccleſia Beatę Marię diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo tempore dati pręſentium non ſit in ea alias alicui jus quęſitum, unam Domum cum Eccleſia, campanili, campanis, & aliis neceſſariis officinis pręfatis fundandi, & conſtruendi, necnon Fratribus pręedictis domum eandem, poſtquam illa conſtructa fuerit, pro hujuſmodi eorum uſu, & habitatione recipiendi, & perpetuo retinendi, Diœceſani loci, & cujuslibet alterius licentia minime requiſita, ac jure Parochialis Eccleſię in omnibus ſemper ſalvo, plenam & liberam auctoritate noſtra licentiam largiaris. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi, Pręedeceſſoris noſtri prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium, in aliqua civitate, caſtro, vel villa, ſeu alio loco quocunque ad habitandum Domum, vel locum de novo recipere, ſeu recepta mutare pręſumant, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis Beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales dictę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, & ſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem, ac quęcunque inde ſecuta ad dictam Eccleſiam Beatę Marię volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum pręjudicium generari, & quibuslibet privilegiis, indulgentiis, ac literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus eorum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Nos enim Fratribus in dicta fundanda Domo pro tempore degentibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, libertatibus, immunitatibus, & indultis, ceteris dicti Ordinis Fratribus in quibusvis aliis domibus ſive locis pro tempore degentibus, in genere quomodolibet conceſſis, uti poſſint, pariter & gaudere, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium, de ſpeciali dono gratię, concedimus, pariter & indulgemus, jure tamen Parochialis Eccleſię & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, & inſuper ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quarto (3), Quinto Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Quinto decimo.

Diplomatis cauſa.

Facultas.

Clauſula derogans.

1. *Caſtri Abbatis*.) In Regno *Neapolitano*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXCV fol. 99.*
3. *Quadrageſimo Quarto*.) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCXLV*.

Vi-

Viglevanenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Anno 1445 Die 16 Junii.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Præpoſito Eccleſiæ Sancti Ambroſii Terræ Viglevani, Novarien. (3) Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CCLXXXVIII

Exordium.

Piis fidelium votis, iis præſertim, per quæ divini cultus augmentum, & Religionis propagatio ſpecialiter procurantur, libenter annuimus, & quantum cum Deo poſſumus, favorem benevolum impertimur. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Communitatis, & hominum Terræ Viglevani, Novarien. Diœceſis, petitio continebat, quod ipſi ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Prædicatorum gerunt devotionis affectum, unam Domum cum Eccleſia, campanili, campana, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, aliiſque neceſſariis officinis in præfata terra Viglevani pro uſu, & habitatione Fratrum regularis obſervantiæ dicti Ordinis, ad honorem, & ſub vocabulo Sancti Petri Martyris juxta morem dicti Ordinis, conſtruere, erigere, & ædificare, ſeu conſtrui, erigi, & ædificari facere, proponunt, ſi eis ſuper hoc Apoſtolica ſuffragetur auctoritas. Quare pro parte Communitatis, & hominum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſorum propoſito hujuſmodi annuere, dictiſque Fratribus Domum prædictam tunc conſtructam recipiendi, & in ea remanendi, licentiam concedere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divinum cultum, & Religionem hujuſmodi, ubique locorum noſtris potiſſime temporibus adaugeri, & propagari, intenſis deſideriis affectamus, propoſitum Communitatis, & hominum eorundem plurimum commendantes, illorum hujuſmodi, ac dilecti filii Nobilis viri Philippi Mariæ Angeli Ducis Mediolani, ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi per diligentem examinationem, per te ſuper hoc auctoritate noſtra recipiendam, repereris, quod locus, in quo præfata Domus conſtrui debet, honeſtus, & ad id aptus, & accommodatus exiſtat, Communitati, & hominibus præfatis Domum cum Eccleſia, campanili, campana, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, & hortalitiis hujuſmodi conſtruendi, & erigendi, ſeu conſtrui, & erigi faciendi, necnon Fratribus prædictis illam ſic conſtructam, pro uſu, & habitatione prædictis, ac regulari obſervantia inibi tenenda, recipiendi, & in ea perpetuo remanendi, Diœceſani loci, & cujuſlibet alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, jure tamen Parochialis Eccleſiæ, & cujuſlibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, plenam, & liberam, auctoritate noſtra, licentiam largiaris. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papæ octavi Prædeceſſoris noſtri, illa præſertim, per quam inter alia prohibetur, ne Fratres dicti Ordinis loca de novo recipere præſumant abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, faciente de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nos enim, ſi licentiam per te concedi, ac Domum hujuſmodi erigi vigore præſentium contigerit, univerſis, & ſingulis Fratribus præfati Ordinis in ea pro tempore degentibus, ut quibuſcunque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis, gratiis, & indultis, aliis domibus, & Fratribus ejuſdem Ordinis per Sedem prædictam, vel alias quovis modo conceſſis, uti valeant pariter, & gaudere, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quinto, Sexto Decimo Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Quinto Decimo.

Supplex petitio.

Facultas.

1. *Viglevanenſis*.) Vulgo *Vigevano*, in *Inſubria*. Juris eſt Provincialis *Lombardiæ*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXI fol.* 47.
3. *Novarien*.) Nunc Epiſcopalis eſt *Viglevanenſis* Eccleſia. Hac dignitate donata fuit anno *MDXXIX*, uti docet *Joannes Carolus a Stadel* in *Compendio Geographiæ Eccleſiaſticæ pag.* 73.

Inquiſitori Carcaſſonenſi (1) in veneficos (2), alioſque nonnullos.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCCXLV num. XXVI.

Anno 1445 Die 1 Julii.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio hereticæ pravitatis Inquiſitori in Regno Franciæ, Ordinis Prædicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CCLXXXIX.

Diplomatis cauſa.

Ad noſtrum, non ſine gravi mentis amaritudine, pervenit auditum, quod pleroſque Chriſti Sanguine mercatos adeo tenebrarum princeps, ut eos ſuorum dominationis lapſuſque participes efficiat, ejus infaſcinavit allutiis, quod ipſi deteſtabiles illius ſuorumque ſatellitum ſuaſus, & illuſiones, cæcitate noxia ſectantes, Dæmonibus immolant, eos adorant, ab ipſis reſponſa præſtolantur, & acceptant, illis homagium faciunt, & in ſignum deſuper cartam ſcriptam, vel aliquid aliud tradunt cum ipſis obligatoria, ut ſolo verbo, tactu, vel ſigno, maleficia, quibus velint, illi inferant, ſive tollant, infirmitates ſanent, aeris temperiem provocent, & ſuper aliis nefandis pacta firmant, ſeu quod talia conceperint, præſumptiones extant; imagines, vel alia conſtituunt, fierique procurant, ut ipſi Dæmones inde conſtringantur, cum illorum invocationibus maleficia perpetrant, Baptiſmatis, & Euchariſtiæ, necnon aliis Sacramentis, & quibuſdam illorum materiis, etiam in eorum ſortilegiis, & maleficiis abuti non formidant, imagines de cera, aut alia re cum invocationibus etiam hujuſmodi factas Baptizant, vel ordinant baptizari. Rurſus eorum aliqui, Sacratiſſimæ Crucis ejuſdem, in qua pro Nobis omnibus Paſtor ipſe pependit, myſterium non recenſentes, in ſculpturis, & alias præfatæ Crucis ſigno, varia opprobria motibus execrandis irrogant; & de Sacramentis ipſis, quæ nullatenus iteranda fo-

ſorent, auſibus ſuperſtitioſis iterare pręſumunt. Alii vero pluribus annis excommunicationum ſententias in contemptum clavium perferunt animo indurato, non curantes redire ad Sanctę Matris Eccleſię gremium in gravem utique Divinę Majeſtatis offenſam, ac ſuarum, & aliorum plurimorum periculum animarum, pernicioſum pariter & exemplum. Nos hujuſmodi peſtiferos, quibus grex dominicus inficitur, contagiones, & morbos propellere, cunctoſque populos a pręcipitiis, & veritis, quantum in Nobis fuerit, cohibere ſummis affectibus geſtientes, tibi, & aliis, qui per te Vicarii deputati fuerint, vel ſubſtituti, ſuper pręmiſſis, & eorum quolibet contra talia, vel aliquod ipſorum committentes, aut fieri procurantes, ſeu quod fiant auxilium, conſilium, vel favorem quomodolibet exhibentes, necnon eorum

Mandatum. receptatores, & defenſores, indeque ſuſpectos, ac hujuſmodi etiam excommunicationum ſententiis innodatos, cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, ſeu conditionis fuerint, auctoritate Apoſtolica, quoties tibi videbitur expedire, inquirendi, ſervatiſque modis, qui juxta diſpoſitiones canonicas in proceſſibus, cum locorum Diœceſanis, & aliis in caſibus hęreſis amplectendi ſunt, ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura judicii procedendi, necnon illos examinandi, & prout eorum in iis exceſſuum qualitates exegerint, carceribus mancipandi, & detinendi, pœnis quoque debitis, ac per cenſuram Eccleſiaſticam, & quęvis opportuna juris remedia; invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachii ſecularis auxilio percellendi: necnon omnia alia, & ſingula, quę in pręmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria, vel opportuna fuerint, faciendi, & exequendi, etiam cum privilegiis, & indultis Apoſtolicis, quę tibi in caſibus hęreſis hujuſmodi ſuffragari poſſunt, plenam, & liberam, auctoritate pręfata, concedimus, tenore pręſentium, facultatem. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quinto, Kalendis Julii, Pontificatus noſtri Anno Quinto decimo.

1. *Carcaſſonenſi*.) In *Occitania*.
2. *Veneficos*.) Adeas *Odoricum* loco laudato.

Anno 1445 Die 7 Julii.

Sedenenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCXC.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Generali Magiſtro, & aliis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. SAcrę Religionis ſub qua mundanis abjectis illecebris cum adeptione voluntarię paupertatis Domino in humilitatis ſpiritu devotum, & ſedulum impenditis famulatum, merita promerentur, ut Apoſtolica Sedes vos, & veſtrum Ordinem favoribus benignis confoveat, & ſpecialibus gratiis proſequatur, in his pręſertim, per quę divinus cultus augeatur, vobiſque, & aliis fidelibus animarum ſalutis proveniat incrementum. Hinc eſt, quod Nos, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, quibus, ut aſ-

Facultas; ſeritis, dilecti filii Communitas, & homines terrę Sedenę, Ebredunen. (3) Diœceſis, deſiderantes ob ſingularem devotionis affectum, quem ad Ordinem veſtrum gerunt, unam ejuſdem Ordinis domum conventualem pro divini cultus augmento, & animarum ſuarum refrigerio in dicta terra habere, illam cum Eccleſia, campanili, campanis, cœmeterio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu, & habitatione perpetuis aliquorum ejuſdem Ordinis Fratrum inibi ſub regulari obſervantia moraturorum, in aliquo dictę terrę loco, ad hoc congruo, & honeſto, de novo erigere, & ſundare, ſeu erigi, & fundari facere proponunt, ſi eis ad hoc ſuffragetur Apoſtolicę Sedis auctoritas, ut dicti Communitas, & homines prędictam domum cum Eccleſia, campanili, campanis, & aliis officinis prędictis, vobis

Clauſula derogans. pia largitione donare, voſque illa recipere, & pro hujuſmodi uſu, & habitatione perpetuo retinere libere, & licite valeatis, alicujus ſuper hoc licentia minime requiſita, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica licentiam concedimus per pręſentes. Non obſtantibus felicis recordationis Boniſatii, Papę Octavi, Prędeceſſoris noſtri, illa pręſertim, qua cavetur, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua civitate, villa, caſtro, vel loco, domos, aut loca de novo recipere, aut recepta mutare pręſumant, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nos enim Priori, & Fratribus, qui in dicta conſtruenda domo pro tempore morabuntur, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, libertatibus, exemptionibus, & indultis per Sedem Apoſtolicam dicto Ordini generaliter conceſſis, & concedendis, uti, & gaudere valeant, eadem Auctoritate, tenore pręſentium, indulgemus, jure Parochialis Eccleſię & cujuslibet alterius, ſemper ſalvis. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quinto, Non. Julii, Pontificatus noſtri Anno Quinto Decimo.

1. *Sedenenſis*.) Vulgo *Seine*, in *Gallo-Provincia*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* *Libro CXCVIII fol.*30.
3. *Ebredunen.*) In *Delphinatu*.

Ur

Digitized by Google

Anno 1445
Die 17 Julii.

Ut Logronnenſe (1) Cœnobium alio poſſit transferri.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo (3) Burgen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CCXCI.

Exordium.

INter cetera deſideria cordis noſtri illud intenſis deſideriis affectamus, ut ubique Majeſtas Altiſſimi collaudetur, & in benedictionibus gratiarum ſui glorioſiſſimi Nominis cultus amplietur, & ad eorum promotionem eo libentius humilibus ſupplicum votis annuimus, quo ſacrę Religionis augmentum exinde cognoſcimus provenire. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus Sancti Ægidii loci de Logronno, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Calaguritan. (4) Dięceſis, petitio continebat, ipſi in dicta Domo, pro eo quod illa, quę longe a civitate Calaguritan. diſtare, & in confinibus (5) Regni Caſtellę fore dignoſcitur, guerrarum temporibus omnino deſolata extiterit, & destructa, & etiam propter populi ab ea diſtantiam, in maxima paupertate vixerint, & ulterius vivere non valeant, ac propterea quod ſi dicti Prior & Fratres ad alia loca transferantur, ſit permaxime opportunum, pro parte eorundem Prioris, & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis, ipſorumque ſtatui ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ad Ordinem ipſum ſpecialem gerentes devotionis affectum, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra, te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ea fore vera repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, eiſdem Priori, & Fratribus pro ſuis, & aliorum Fratrum pręfati Ordinis uſu, & habitatione Sanctę Marię de Valtuerna, ſeu aliam quamcunque Domos infra terminos dicti loci de Logronno, conſilientes, ſi ſibi alias canonice concedatur, recipiendi, necnon pro uſu, & habitatione prędictis perpetuo retinendi, libere, & licite, Dięceſani loci, & cujuslibet alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, ac jure Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius alias in omnibus ſemper ſalvo, felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi, Prędeceſſoris noſtri, qua prohibetur, ne Fratres dicti Ordinis in aliqua civitate, caſtro, villa, ſeu loco quocunque ad habitandum domos, vel loca quęcunque de novo recipere, ſeu hactenus recepta mutare, pręſumant, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, plenam, & expreſſam faciente de prohibitione hujuſmodi mentionem, necnon quibuſvis aliis conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, nequaquam obſtantibus, eadem Auctoritate licentiam largiaris, proviſo quod Eccleſia Domus Sancti Ægidii prędicta ad profanos uſus velut hereditas nullatenus convertatur. Nos enim Priori, & Fratribus ſupradictis, ſi hujuſmodi licentia per te eis concedi, ipſoſque illius vigore aliam Domum de novo recipere, contigerit, ut de novo recepta Domus prędicta, ac Fratres in ea pro tempore degenſes, omnibus, & ſingulis privilegiis, exemptionibus, & immunitatibus, aliis Domibus, ſive locis dicti Ordinis generaliter conceſſis, uti, & gaudere poſſint, ac valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, de ſpeciali dono gratię, indulgemus. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quinto, Sexto Decimo Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quinto Decimo.

Diplomatis cauſa.

Facultas.

1. *Logronnenſe.*) *Juliobrigenſe* ſcilicet, vulgo *Logronno*, in *Hiſpania*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXCVIII fol.* 191.

3. *Epiſcopo.*) Nunc Archiepiſcopalis eſt *Burgenſis* Sedes.

4. *Calaguritan.*) Vulgo *Calahorra*, in *Hiſpania Tarraconenſi*.

5. *Confinibus.*) Inter *Caſtellam* ſcilicet & *Navarram*.

Anno 1445
Die 21 Julii.

Compoſitionem Canonicos Regulares inter, & Moniales Brixienſes (1) initam confirmat.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii Sanctorum Fauſtini, & Jovitę Brixien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CCXCII.

Exordium.

APoſtolicę Nobis injunctę deſuper officium ſervitutis mentem noſtram excitat, & inducit, ut circa ea, quę pro ſtatu proſpero Eccleſiarum, & Monaſteriorum, ac perſonarum in illis ſub regulari obſervantia Altiſſimo famulantium, ſucciſis inter eas quibuſvis litigiorum anfractibus, profutura fore conſpicimus, Apoſtolici favoris prędidium extendamus, & iis, quę propterea prodiiſſe comperimus, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolici muniminis mandamus adjici firmitatem. Dudum ſiquidem pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Sororum Monaſterii Sanctę Catharinę Brixien., per Priorisſam ſoliti gubernari, Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, Nobis expoſito inter alia, quod licet ipſę Triginta octo, vel circa numeru exiſterent, ac in dicto Monaſterio, ſub perpetua clauſura, regularique dicti Ordinis obſervantia, & alias laudabiliter viverent, tamen propter exilitatem fructuum ejuſdem Monaſterii, qui ultra centum florenos auri de camera annuatim communiter non valebant, plura tunc ſuſceperant, & ſuſcipiebant incommoda, ac cauſante facultatum carentia nonnullę ex ipſis infirmabantur, pluresque ex infirmis prędictis ab earum infirmitatibus hujuſmodi liberari non poterant, & per eaſdem exponentes ſubjuncto, quod Sancti Lucę Burgi

Diplomatis cauſa.

Sancti Alexandri Brixien. Ordinis Humiliatorum, in ſpiritualibus, & temporalibus defectus non modicos ſuſtinuerat, & tunc ſuſtinebat, illaque, & alię tres, vel quatuor pręfati Ordinis Humiliatorum in Civitate Brixien. conſiſtentes Domus jamdiu regulari obſervantia deſtitutę remanſerant, & tunc remanebant, nec in ipſis ultra decem & octo, aut viginti pręfati Ordinis Humiliatorum Fratres a multis temporibus citra inſimul continuo habitaverant, prout, nec habitabant, & alias in hoſpitali pauperum Sancti Johannis extra Muros Brixien. jamdudum modica, ſeu nulla hoſpitalitas ſervata fuerat, &, ſi domus Sancti Lucę prędicta eidem Monaſterio uniretur, exinde Prioriſſa, & Sorores dicti Monaſterii pro tempore exiſten. in neceſſitatibus, eis pro tempore occurrentibus, magna ſuffragia reciperent, ac quietius, & commodius ſua Altiſſimo vota reddere, & in laudabilibus operibus multiplicare, pluraque exinde bona, & ad laudem, & gloriam Altiſſimi, populique devotionis augmentum provenire valerent, Nos Domum Sancti Lucę cum illius Prępoſitura, quę conventualis erat, ac Hoſpitale prędicta, cum omnibus eorum, & cujuslibet ipſorum poſſeſſionibus, & bonis, Juribus, & pertinentiis pręfato Monaſterio per quaſdam perpetuo incorporari uniri, & annecti mandavimus; & deinde pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Conventus Prioratus Sancti Salvatoris extra & prope muros Brixien. Ordinis Sancti Auguſtini etiam expoſito, quod ipſi cauſantibus guerris in partibus illis olim vigentibus, Prioratum ipſum relinquere coacti fuerant, ac dubitabant illum in aliis de cetero forſan ſuperventuris guerrarum turbinibus denuo dimittere, aut per dilectos filios Communitatem, & cives Brixien. pro eorum ſecuritate demoliri debere, ac alias Prioratus prędictus in loco aquoſo, & inſano conſiſteret, Nos tunc ad inſtantiam Prioris, & Conventus pręfatorum, etiam aſſerentium, quod licet vigore literarum prędictarum dicta Domus Sancti Lucę eidem Monaſterio juxta mandatum hujuſmodi unita, annexa, & incorporata, dictęque literę ſuum effectum ſortitę fuiſſent, tamen nulla ex Prioriſſa, & Sororibus ſupradictis in Domo ipſa Sancti Lucę moram trahebat, ſed illę unum inibi Capellanum, cui certam portionem aſſignabant, tenerent, Domum, & Eccleſiam unitas, cum ei contiguis, & propinquis hortis, & domibus duntaxat, a Monaſterio, ejuſque pro tempore Prioriſſa, & Sororibus pręfatis, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, penitus ſegregantes, ſeparantes, & dimembrantes, ac in conventualem Prioratum, pro uſu & habitatione perpetuis quorundam Congregationis hujuſmodi Canonicorum pro tempore exiſtentium, ex tunc erigentes, illa ſic ſegregata Canonicis pręſentibus, & futuris, Congregationis, & Ordinis Sancti Auguſtini prędictorum, auctoritate, & ſcientia prędictis, perpetuo conceſſimus, donavimus, applicavimus, & appropriavimus per alias noſtras literas ſub certis modis, & formis, prout in ſingulis literis prędictis plenius continetur. Poſtmodum vero, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Prioris, & Conventus, ac Prioriſſę & Sororum Monaſterii prędictorum, petitio continebat, poſtquam ipſi Prior, & Conventus, poſteriorum literarum hujuſmodi vigore, dictarum Domus, & Eccleſię unitarum cum ei contiguis, & propinquis hortis, & domibus poſſeſſionem adepti fuiſſent, cum ſuper domo, Eccleſia, & aliis bonis, ac rebus unitis pręmiſſis inter Prioriſſam & Sorores ex una, ac Priorem, & Conventum pręfatos, ex alia, partibus, materia quęſtionis exorta fuiſſet, tandem partes ipſę ſuper his in dilectum filium Lucam de Vicentia Canonicum Congregationis Canonicorum Sancti Georgii in Aliega de Venetiis, Caſtellan. Diœceſis, nuncupatorum, tanquam arbitrum, arbitratorem, & amicabilem compoſitorem, ſub certis modo, & forma compromittere curarunt, ac pręfatus Lucas compromiſſo hujuſmodi in ſe ſponte ſuſcepto, illiuſque forma ſervata, ęquum inter dictas partes tulit arbitrium, per quod inter alia Domum, & Eccleſiam cum ei contiguis, & propinquis hortis, & domibus, ac ſtructuris, & ędificiis ſuis ad Priorem, & Conventum, necnon Prioratum Sancti Salvatoris, alias vero poſſeſſiones, domos, molendina, & bona unita cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, ad Prioriſſam, & Sorores pręfatas a ſolutione certę tunc expreſſę annuę portionis liberas penitus, & immunes exiſtere, ita quod nullo unquam tempore ad ſolutionem hujuſmodi compelli poſſent, pronuntiavit, ſive declaravit, prout in Inſtrumento publico, deſuper confecto, dicitur plenius contineri. Quare pro parte Prioris, & Conventus, necnon Prioriſſę, & Sororum pręfatorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut arbitrio, unioni annexioni, & incorporationi pręfatis, ac omnibus, & ſingulis in dictis Inſtrumentis, & literis contentis, ac inde ſecutis pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de pręmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper pręmiſſis omnibus, & ſingulis, auctoritate noſtra, te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, arbitrium, & illo in ſuo robore permanente in omnibus aliis, unionem, annexionem, ac incorporationem, necnon in literis, & prout rationabilia fuerint, ac ipſum arbitrium contingunt in Inſtrumento contenta, hujuſmodi, & quęcunque inde ſecuta eadem auctoritate approbes, & confirmes, ſupplendo omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii, Prioratus, & Ordinum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate, alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quinto, Duodecimo Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quinto decimo.

Confirmatio.

1. *Brixienſes.*) Videas *Conſtitutionem CCLXXXIII datam XXXI Auguſti MCCCCXLIV.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXCVIII fol.* 160.

Nar

Narrat (1) ea, quæ F. Andreas (2) Archiepiſcopus Coloſſenſis (3) S. Sedis Legatus geſſit, ipſumque laudibus effert.

Anno 1445 Die... Auguſti.

Ex Odorico (4) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCCCXLV num. XXI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CCXCIII.

Exordium.

BEnedictus ſit Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui vota, & pia deſideria noſtra, quibus pro debito noſtri paſtoralis officii ſalutem Chriſtiani populi anhelamus, & continuis, quantum Nobis ex alto permittitur, operibus confovemus, multis, magniſque favoribus in dies proſequitur &, ultra quam meremur, felicibus comitatur effectibus. Sane poſt celebratam in œcumenico Concilio Florentino orientalis Eccleſię cum occidentali unionem (5), poſt Armenorum, Jacobitarumque, & Meſopotamię populorum reductionem (6) venerabilem Fratrem noſtrum Andream Archiepiſcopum Coloſſenſem ad partes Orientis & Cypri inſulam deſtinavimus (7), ut & Gręcos, & Armenos, & Jacobitas ibidem degentes prędicationibus ſuis, & decretorum pro eorum unione, & reductione editorum, expoſitionibus, & declarationibus in ſuſcepta Fide confirmaret, & quos ex aliis ſectis a vera doctrina alienos tam Neſtorii (8), quam Macarii (9) ſectatores inveniret, monitionibus, & exhortationibus noſtris ad Fidei veritatem reducere conaretur. Quod pro ſua ſapientia, aliiſque virtutibus, quibus eum largitor gratiarum Dominus inſignivit, diligentiſſime proſecutus, poſt diverſas multipliceſque diſputationes, poſt varios tractatus, eliminata tandem ex eorum cordibus primum omnium Neſtorii impietate, qui purum hominem Chriſtum eſſe, & Beatiſſimam Virginem non Dei, ſed Chriſti Genitricem aſſeverabat, deinde Macarii Antiocheni impiiſſimi, qui quanquam Chriſtum verum Deum, & hominem eſſe profiteretur, Divinam tamen ſolum in eo voluntatem, & operationem, humanitati ejus parum tribuens, eſſe aſſerebat, venerabiles Fratres noſtros Timotheum Metropolitanum Chaldęorum (10), quos ad hęc uſque tempora Neſtorianos, eo quod Neſtorium ſequebantur, in Cypro vocaverunt, & Eliam Epiſcopum Maronitarum, qui cum ſua natione Macarii dogmatibus in eodem Regno infectus tenebatur (11), cum omnium multitudine populorum, & clericorum in Inſula Cypri ei ſubjecta ad veritatem fidei orthodoxę, divino ſibi aſſiſtente numine, convertit, fidemque & doctrinam, quam ſemper ſacroſancta coluit, & obſervavit Eccleſia, eiſdem Pręſulibus, & omnibus ibidem eis ſubjectis tradidit; quamque pręfati Pręſules in publica, & magna Congregatione diverſarum nationum in eodem regno exiſtentium, in Metropolitana Eccleſia S. Sophię habita, ſumma cum veneratione ſuſceperunt. Quo facto Chaldęi quidem pręfatum Timotheum ſuum Metropolitam, Eliam vero Maronitarum Epiſcopum (12) Nuncium, de Fide Romanę Eccleſię, quę Domino providente, & B. Petro Apoſtolo opem ferente, ſemper immaculata permanſit, ſolemnem profeſſionem emiſſuros ad Nos uſque miſerunt, & coram Nobis in hac Sacra Oecumenici Concilii Lateranenſis (13) Generali Congregatione Fidem ipſam, atque doctrinam ipſam Timotheus ipſe Metropolita primum in lingua ſua Chaldęa Gręce interpretatam, & de Gręco in latinum traductam reverenter, & devote, ut ſequitur profeſſus eſt. Ego Timotheus Archiepiſcopus Tharſenſis (14) Chaldęorum, qui in Cypro ſunt, Metropolita pro me, meiſque omnibus in Cypro exiſtentibus, populis, profiteor, voveo, atque promitto immortali Deo, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, demum tibi Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo Patri Eugenio Papę IV, & huic Sacroſanctę Apoſtolicę Sedi, & Sanctę huic & venerabili Congregationi, quod de cetero ſemper manebo ſub obedientia tua, & ſucceſſorum tuorum ac Sacroſanctę Romanę Eccleſię, & tanquam ſub unica Matre, & Capite omnium Eccleſiarum. Item quod de cetero ſemper tenebo, & profitebor Spiritum Sanctum procedere ex Patre, & Filio, ſicut docet, & tenet Sancta Romana Eccleſia. Item quod de cetero ſemper tenebo, & approbabo duas naturas, duas voluntates, unam Hypoſtaſim, & duas operationes in Chriſto. Item quod de cetero ſemper confitebor, & approbabo omnia ſeptem Sacramenta Eccleſię Romanę, prout ipſa tenet, docet, & prędicat. Item quod de cetero nunquam in ſacra Euchariſtia oleum apponam (15). Item quod de cetero ſemper tenebo, & prędicabo, & docebo quicquid tenet, confitetur, docet, & prędicat Sacroſancta Romana Eccleſia, & quicquid ipſa reprobat, anathematizat, & damnat, reprobo, anathematizo, & damno, & in futurum ſemper reprobabo, anathematizabo, & damnabo, ſpecialiter impietates, & blaſphemias nequiſſimi hereſiarchę Neſtorii, & omnem aliam hereſim extollentem ſe adverſus hanc Sacroſanctam, & Apoſtolicam, Catholicam Eccleſiam. Hęc eſt Fides, Pater Sancte, quam tenere, & obſervare, ac teneri, & obſervari facere ab omnibus ſuppoſitis meis juro, atque promitto, & unumquemque eam reſpuentem, & contra eam ſe ſe erigentem, privare omnibus beneficiis ſuis, eundemque excommunicare, & hereticum, & damnatum denunciare, &, ſi pertinax fuerit, degradatum curię tradere ſeculari ſpondeo, polliceor, atque promitto. Deinde ſimilem per omnia profeſſionem dilectus in Chriſto filius Iſaac, nuncius venerabilis Fratris Noſtri Elię Epiſcopi Maronitarum, ipſius vice, & nomine, reprobando Macarii de unica voluntate in Chriſto hereſim, cum multa veneratione emiſit. Pro quorum quidem profeſſione, religione, & tantarum animarum ſalute, Deo, & Domino Noſtro Jeſu Chriſto, qui temporibus noſtris tanta fidei incrementa largitur, tot Chriſtianis populis beneficia donat, gratias immenſas agentes, eaſdem profeſſiones accepimus, & approbamus, ac eoſdem Metropolitam, & Epiſcopum, in Cypro, & ſubjectos ad gremium Sanctę Matris Eccleſię ſuſcipimus, & ipſis morientibus in pręfata fide, obedientia, & devotione, iis gratiis, & privilegiis inſignimus, imprimis, quod nemo prędictos Chaldęorum Metropolitam & Maronitarum Epiſcopum, eorundemque clericos, & populos, neque ex populo, & clero quempiam de cetero audeat hereticos appellare, aut Chaldęos de cetero Neſtorianos nominare pręſumat. Quod ſi quiſpiam mandati hujuſmodi contemptor extiterit, ju-

Diplomatis cauſa.

Andreæ præconium.

Chaldæorum Metropolita Fidem Catholicam profitetur.

Orator Maronitarum eandem Fidem profitetur.

Privilegiis ipſos ornat.

jubemus ab ejus Ordinario excommunicari tandin, quandiu diſtulerit condigne ſatisfacere, ae Ordinarii arbitrio aliqua temporali pęna mulctari. Item quod prefatus Metropolita, & Epiſcopus, eorumque Succeſſores, in omnibua, & quibuſcunque honoribus, Epiſcopis a communione Sacroſanctę Romane Eccleſię ſeparatis continuo pręferantur. Item quod poſſint de cetero cenſuraa in ſubditoa exercere, & quos de cetero rite excommunicaverint, pro excommunicatis, & quos abſolverint, pro abſolutis, ab omnibus cenſeantur. Item quod prefati Pręſules, & Sacerdotes, & clerici, & laici eorum utriuſque ſexus, qui unionem, & fidem hanc ſuſceperint, poſſint in Eccleſiis catholicorum ſepulturas eligere, & cum catholicis matrimonia, more tamen latinorum catholicorum, contrahere, & omnibua beneficiis, immunitatibus, & libertatibus gaudere, & frui, quibus ceteri hominea catholici tam laici, quam clerici in dicto Regno potiuntur, & gaudent. Nulli ergo &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominę Milleſimo Quadringenteſimo, Quadrageſimn Quinto, Septimo Nonas Auguſti (16), Pontificatua noſtri Anno Quinto Decimo.

1. *Narrat.*) *Miſerat jam ante in Cyprum Eugenius*, inquit *Odoricus* loco laudato, *Andream Archiepiſcopum Coloſſenſem, ut ſchiſmaticos ad orthodoxæ fidei paritatem traduceret: qui divina ope fultus tantos animorum motus excitavit, ut qui Neſtorii hæreſi hactenus facrant imbuti, vel ſecuti erant Macarii impietatem, Timotheum Metropolitanum Chaldaorum, & Eliam Epiſcopam Maronitarum ad profitendam omnium nomine coram Romano Pontifice catholicam veritatem, illique rite ac demiſſe obedientiam deferendam deſignarint. Suſcepit legationem Timotheus; Elias vero ſuo nomine Iſaac miſit. Qui excepti perhumaniter in publica ſeſſione Concilii Lateranen. ab Eugenio, affectique omnibus privilegiis, quibus potiuntur Catholici.*

2. *Andreas.*) Conſulendi Scriptores quos laudat & excipit *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad an. MCCCCXLV pag.*801. *&c.*

3. *Coloſſenſis.*) Seu *Rhodiae*, in ejuſdem nominis Inſula.

4. *Odorico.*) Ex *Lib. XVIII Eugenii IV pag.*124, & ex *Juſtiniano in Concilio Florentino Parte III pag.*387. Partim legitur apud *Echard* loco laudato.

5. *Unionem.*) Conſtitutio hac de re data legitur in *Bullario Romano*. Eſt *XVII* inter Bullas *Eugenii IV.*

6. *Reductionem.*) Vide Conſtitutionem *XIX Eugenii IV* apud *Cherubinum* in *Bullario Romano*,

7. *Deſtinavimus.*) Uti dicetur in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

8. *Neſtorii.*) In *Epheſino* Concilio damnari.

9. *Macarii.*) Quem *VI* Synodus Generalis, *III* nempe *Conſtantinopolitana* damnavit.

10. *Chaldæoram.*) Sic *Neſtorianos* hæreticos vocant, quia morem gerunt Patriarchæ, cujus Sedes eſt in *Chaldæa*. *Regio* eſt *Aſiæ*.

11. *Tenebatar.*) Hæc audiant qui *Maronitas* nunquam a Fide defeciſſe, docent.

12. *Eliam vero Maronitaram Epiſcopum.*) Sic *Oderici* librarius. Legendum. *Elias vero Maronitarum Epiſcopus*. Nuncium ſiquidem, *Iſaacam* nempe, miſit *Elias*, ut ex ipſo Diplomate liquet.

13. *Lateranenſis.*) *Eugenius* enim Concilium *Romam* tranſtulerat. Adeas *Labbeum Tomo XIII Concilior. pag.*1218. *&c. Edit. Pariſiea.*

14. *Tharſenſis.*) Seu *Tarſenſis*, in *Cilicia*.

15. *Apponam.*) Nota morem *Neſtorianorum*.

16. *Septimo Nonas.*) Ab Amanuenſi hæc lectio. Quarta enim duntaxat & tertia, ante Nonas Auguſti numerantur dies. Tertiæ ſuccedit alia quæ *Pridie* vocatur: tum *Nonæ* notantur die *V* Menſis Auguſti. *Septimo* autem *Nonas* ad hoc uſque tempus inauditum.

Anno 1445 Die 29 Septembris.

Segregat, & dividit Florentinum Cœnobium Sancti Marci a Conventu Sancti Dominici Feſulan. (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXCIV. Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

SEdis Apoſtolicę providentia circumſpecta nonnunquam per eam conceſſa, atque geſta caſſat, revocat, & annullat, ac deſuper diſponit, & ordinat prout id, perſonarum, rerum, & temporum qualitate penſata, conſpicit in Domino ſalubriter expedire. (Exordium.) Dudum ſiquidem, ex certis tunc expreſſis rationabilibus cauſis, olim Monaſterium S. Marci Florentin. Ordinis Sancti Benedicti Silveſtrinorum de Monte Fallco nuncupatorum in domum Fratrum Ordinis Prędicatorum, ac olim domum Sancti Georgii Florentin. dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum in Prioratum prędicti Ordinis Silveſtrinorum in illis prioribus eorum Ordinibus ſupradictis penitus ſuppreſſis, & extinctis, ereximus, ac inter cetera voluimus, & ordinavimus, (Diplomatis cauſa.) quod poſtquam Fratres ex tunc Prioratus ad Domum erectam, ac Monachi tunc Monaſterii prefatorum, ad Prioratum hujuſmodi ſe tranſtuliſſent, Sancti Dominici in monte prefati Ordinis Fratrum Prędicatorum, Feſulan. Dięceſis, & dicta olim Domus S. Georgii quę tempore erectionis hujuſmodi in ſimul unitę exiſtebant, ac prefata tunc erecta S. Marci domus invicem unitę exiſterent, & per unicum Priorem perpetuo regerentur, & regi deberent, prout in aliis noſtris, deſuper confectis, literis plenius continetur. Cum itaque poſtmodum, ſicut pro parte dilectorum filiorum Sancti Marci, & S. Dominici domorum prędictarum & Fratrum ſub regulari obſervantia degentium nobis nuper exhibita petitio continebat, ipſa domus S. Marci magno Fratrum numero abundaverit, & modernis temporibus abundet, necnon ſperetur quod excreſcente inibi fidelium devotione etiam numerus ipſe incrementum ſuſcipere debeat, ac propterea, & quia etiam dicta domus S. Dominici convenientem Fratrum numerum habere dignoſcitur veriſimiliter pręſumi poſſit, quod quęlibet domorum earundem per ſe abſque alterius ipſarum ſuffragio perſiſtere poſſit, & quod ſi earum unio hujuſmodi diſolveretur, id ad ſalubrem ſtatum earundem domorum, ac commodum, & quietem Fratrum in illis pro tempore degentium cedere debeat, pro parte Priorum, & Fratrum exponentium prędictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut per hoc eorum, ac dictarum ſuarum domorum ſtatui, & tranquillitati opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur vitam laudabilem exponentium prędictorum debite compenſantes, & ut (Mandatum.) ipſi, & alii in dictis domibus ſub eadem obſervantia pro tempore degentes Priores, & Fratres, ſublatis ab eis ſiniſtris quibuslibet, ſua quietius, & commodius Altiſſimo vota reddere valeant, quantum cum Deo poſſumus, providere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnes, & ſingulas uniones, annexiones, & incorporationes de S. Marci, & S. Dominici domibus prędictis per noſtras vel Sedis Apoſtolicę literas, ſeu earum vigore, vel alias quomodolibet factas hactenus, ac literas ipſas, & ſuper illis habitos pro-

Digitized by Google

proceſſus, necnon quęcunque inde ſecuta auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia tenore pręſentium diſſolvimus, caſſamus, revocamus, & annullamus, & ipſas domos S. Marci, & S. Dominici ab invicem totaliter ſegregamus, & ſeparamus, necnon etiam quod ſingulę earum ex nunc in antea, & perpetuis futuris temporibus per ſingulos Priores, necnon ſub obedientia Prelatorum ſuorum prout ſinguię alię dicti Ordinis Fratrum Pręedicatorum domus in quibus ſub hujuſmodi obſervantia vivitur, reguntur, & gubernantur, disjunctim regi, & gubernari debeant etiam perinde in omnibus, & per omnia, ac ſi illarum unio hujuſmodi nunquam facta fuiſſet, quodque etiam ea quę in S. Marci ad ipſam, & illa quę in S. Dominici domibus pręfatis pręſentialiter conſiſtunt paramenta, libri, & Calices, & alia ornamenta Eccleſiaſtica, necnon cetera mobilia, res, & bona ad eandem Sancti Dominici Domos libere pertineant, & pertinere debeant auctoritate, & ſcientia prędictis ſtatuimus, & decernimus, & ordinamus. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum diſſolutionis, caſſationis, revocationis, annullationis, ſegregationis, ſeparationis, conſtitutionis, decreti, & ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quinto, Tertio Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quinto Decimo.

Clauſula derogans.

A. de Tuſcania

1. *Feſulanen.*) Conſulenda *Conſtitutio CIII Eugenii IV.* Legitur *pag.*47.

2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar, unum ex Autographo *Florentino*, aliud ex *Archivo Apoſtolico Libro CXCVIII fol.*87.

Cibinienſis (1) Cœnobii reædificandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Anno 1445 Die 31 Decembris.

CCXCV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii Beatę Marię in Kerez Strigonien. (3) Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Piis fidelium votis gratum Nos decet pręſtare conſenſum, & ut ea, quę Religionis propagationem, divinique cultus augmentum reſpiciunt, optatum ſortiantur effectum, libenter interponimus ſollicitudinis noſtrę partes. Sane pro parte dilectorum filiorum Magiſtrorum civium, & incolarum Oppidi Cybinnen. (4), Strigonien. Diœceſis, necnon judicum, juratorum ſeptem Caſtrorum, partium Tranſylvanarum Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod alias, poſtquam perfidi, & infideles Turci, ac Chriſtianę Religionis, & fidei inimici partes eaſdem, in Regno Hungarię conſiſtentes, debellatum intrarent, cum Oppidum prędictum nedum ipſius Regni, ſed totius fere Chriſtianitatis ab illa parte contra ipſos infideles propugnaculum, aut quaſi murus, atque Clypeus exiſtat, & ipſi ab eorum apparitionibus ſuper eo, quod infideles pręfati in ipſorum regreſſu, & majori potentia oppidum prędictum aggredi, & invadere intenderent, notitiam ſuſceperant, eorundem impetum infidelium pertimeſcentes, ac deſuper quantum poterant providere ſatagentes, quandam Ordinis Fratrum Prędicatorum, prope, & extra muros dicti oppidi conſiſtentem, domum duabus turribus, & muris fortibus munitam, ne ab ipſis infidelibus illa in ejuſdem oppidi exterminium capi, ſeu occupari poſſet, uſque ad chorum demoliri, ac de illius lapidibus ipſa oppidi męnia, ea fortificando reparari, conſolidarique fecerunt. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, cives, incolę, judices, & jurati prędicti, pie conſiderantes, quod divinus cultus, non minui, ſed potius augeri debeat, in recompenſam demolitionis prędictę domus, & alias ob ſingularem quem ad Fratres ejuſdem Ordinis gerunt devotionis affectum, illam pro illorum uſu, & habitatione domum infra muros ejuſdem oppidi conſtrui, & ędificari corde gerant, ſed dilectus filius Plebanus oppidi pręfati, abſque rationabili cauſa, conſtructioni, & fundationi, contradicat, pro parte eorundem Magiſtrorum, civium, incolarum, judicum, & juratorum, aſſerentium, quod ex conſtructione, & fundatione prędicta, ſi fiat, cultus ipſe & pręfatorum incolarum conſolatio ſpiritualis, illorumque animarum ſalus non mediocriter ſuccedere poterunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, hujuſmodi, ac dilectorum filiorum univerſorum Fratrum ejuſdem Ordinis, Nobis etiam ſuper hoc humiliter ſupplicantium, ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi vocatis dicto plebano, & aliis, qui fuerint evocandi, tibi de pręmiſſis legitime conſtiterit, Magiſtris, civibus, incolis, judicibus, & juratis domum hujuſmodi cum campana, campanili, cęmeterio, dormitorio, clauſtro, refectorio, & aliis neceſſariis officinis, conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, necnon Fratribus prędictis domum pro aliquorum ex eis uſu, & habitatione perpetuis, recipiendi, & retinendi, jure tamen parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, Diœceſani loci, & cujusvis alterius, licentia ſuper hoc minime requiſita, auctoritate noſtra licentiam largiaris. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per te concedi contigerit, univerſis, & ſingulis Fratribus ejuſdem Ordinis, quos in ipſa conſtruenda domo pro tempore reſidere contigerit, ut omnibus privilegiis, indulgentiis, libertatibus, exemptionibus, & gratiis Ordini pręfato, necnon ipſius domibus, & perſonis, per Apoſtolicam Sedem, vel aliis quomodolibet generaliter conceſſis, uti, & gaudere valeant, auctoritate Apoſtolica indulgemus per pręſentes. Non obſtantibus, felicis recordationis Boniſatii Papę Octavi, Predeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua civitate, ſive villa, vel quovis caſtro, aut alio loco, ad habitandum loca quęcunque, vel domos de novo recipere, vel eatenus recepta mutare pręſumant, abſque Sedis prędictę licentia ſpeciali, faciente

Supplex petitio.

Facultas.

ple-

plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, necnon dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ac contradictione Plebani hujuſmodi, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo quinto, Pridie Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto decimo.

1. *Cibinienſis.*) Incolis *Zeben*, Germanis *Hermanſtat*, in *Tranſylvania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLVI fol. 24.*
3. *Strigonien.*) Vulgo *Gran*, in *Hungaria*.
4. *Cybiunen.*) *Cibinien.*

Anno 1446 Die 8 Februarii.

In ſurripientes bona Mutinenſis (1) Cœnobii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXCVI.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Decano (3) Eccleſię Virdunen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa. SIgnificarunt Nobis dilecti filii Prior, & Conventus domus Sancti Dominici Ordinis Prędicatorum Mutinen., quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorſus ignorant, Anniverſaria, obventiones, emolumenta, legata, frumenti, vini, olei, auri, argenti quantitates, libros, literas authenticas, domorum utenſilia, pannos laneos, lineos, ornamenta Eccleſiaſtica, Sanctorum Reliquias, cruces, calices, equos, boves, oves, & nonnulla alia bona, Priori, & Conventui, ac domui prędictis in eleemoſynam erogata, temere & malitioſe occultare, & occulte detinere pręſumunt, non curantes ea prędictis Priori, & Conventui exhibere in animarum ſuarum periculum, & ipſorum Prioris & Conventus non modicum detrimentum, ſuper quo iidem Prior, & Conventus, Apoſtolicę Sedis remedium implorarunt. Mandatum. Quocirca diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus omnes hujuſmodi occultos detentores Anniverſariorum, obventionum, & aliorum bonorum prędictorum ex parte noſtra publice in Eccleſiis coram populo per te, vel alium moneas, ut infra competentem terminum, quem eis prefixeris, ea prędictis Priori, & Conventui a ſe debita reſtituant, & revelent, ac de eis plenam & debitam ſatisfactionem impendant, & ſi id non adimpleverint, infra alium competentem terminum, quem eis ad hoc peremptorie duxeris prefigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis ſententiam proferas, & eam facias ubi, & quando expedire videris, uſque ad ſatisfactionem condignam ſolenniter publicari. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo quinto (4), Sexto Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto decimo.

B. de Vibmo.

Ja. de Rizonibus.

Bonron.

1. *Mutinenſis.*) In ejuſdem nominis Ducatu *Italiæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Mutinenſi.*
3. *Decano.*) Cui nomen *Bertrandus Malazerus*, ut conſtat ex Inſtrumento, cui ſubſcripſit Anno a Nativitate Domini MCCCCXLVI, Indictione IX, Die XII Februarii. Aſſervatur in Archivo *Mutinenſi.*
4. *Quadrageſimo Quinto.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCXLVI.*

Anno 1446 Die 12 Martii.

Jadrenſe (1) Monaſterium juriſdictioni Fratrum reſtituit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXCVII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium. SEdis Apoſtolicę providentia circunſpecta, nonnunquam facit, diſponit, & ordinat, prout id perſonarum, locorum, & temporum qualitate penſata, conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Dudum pro parte dilectarum in Chriſto Filiarum Prioriſſę, & Sororum Sancti Demetrii Jadren. per Prioriſſam gubernari ſoliti, Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum tunc degentium, Nobis expoſito, quod, licet Monaſterium ipſum inter alia illarum partium Monialium Monaſteria in ſuis ſtructuris, & ędificiis, ac Religioſarum numero, necnon facultatum abundantia, & alias multipliciter ſolemne atque notabile fuiſſet, tamen cauſante minus bono regimine, nonnullorum Religioſorum Ordinis Fratrum Prędicatorum, curam dicti Monaſterii tunc habentium, nec ſub regulari obſervantia degentium, Monaſterium ipſum multipliciter damnificatum remanſerat, pluraque oblocutiones, & murmura de illius Prioriſſa, & Sororibus a multis annis citra habita fuerant, & ſępius habebantur, ac per eaſdem exponentes ſubjuncto, quod ſi Monaſterium prefatum ulterius ſub cura Fratrum hujuſmodi permaneret, ejus pro tempore Prioriſſa, & Sorores de die in diem detrimenta ſuſciperent, Nos, tunc ad ſupplicationem exponentium prędictarum, ac dilectorum filiorum nobilium virorum Domicellorum Jadren., quorum aliqui Sorores, & quidam filias, nonnulli Neptes, ac ceterā

alii

alii conſanguineas Sorores dicti Monaſterii tunc ſe habere dicebant, venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Jadren., ejus proprio nomine non expreſſo, per alias noſtras dedimus in mandatis, ut de premiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra, ſe diligentius informaret, & ſi per informationem ipſam ea vera eſſe reperiret, & ſi videretur quod id tunc faciendum eſſet, Monaſterium pręfatum, ac illius tunc pręſentes, & in antea futuras Prioriſſas & Sorores, cum omnibus earum bonis, etiam pręſentibus tunc, & in antea futuris, ab omnimodis ſuperioritate, majoritate, cura, viſitatione & correctione Generalis Magiſtri, & aliorum Superiorum, ac Religioſorum, pro tempore exiſtentium, dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum perpetuo eximeret, & perpetuo liberaret, donec Nos per ipſius Archiepiſcopi literas de pręmiſſis certificati de Superiori idoneo eidem Monaſterio duceremus providendum, ita quod Magiſter, Superiores, & Religioſi prędicti, vel eorum aliquis nullam in Monaſterium, Prioriſſas & Sorores, & bona prędicta curam, ſuperioritatem, majoritatem, aut juriſdictionem exercere valerent, ſeu valeret, ac ulterius eiſdem pręſentibus, & futuris Prioriſſis, & Sororibus, quod Sacerdotes idonei ſeculares, aut cujusvis Ordinis Regulares, quos ipſę, quoties expedire videbitur, de licentia Archiepiſcopi Jadren. pro tempore exiſtentis, duxerint pro tempore eligendos, earum confeſſiones audire, & pro commiſſis, dummodo talia non forent, propter quę eſſet Sedes Apoſtolica conſulenda, debitam abſolutionem impendere, & ſalutarem pęnitentiam injungere, ipſiſque Sacramentum Euchariſtię, & alia Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare, ac Miſſas, & alia divina officia in Eccleſia pręfati Monaſterii celebrare poſſent, eadem auctoritate noſtra concederet, prout in dictis noſtris literis plenius continetur. Poſtea vero, ſicut pro parte dilectorum filiorum Bartholomei (3) Magiſtri, ac Jacobi de Regno in Romana Curia Procuratoris, Generalium totius Ordinis Fratrum Prędicatorum hujuſmodi, ac illius, & Sacrę Theologię profeſſoris Nobis nuper exhibita petitio continebat, Venerabilis Frater Noſter Laurentius Archiepiſcopus Jadren. ad executionem literarum earundem procedens, exemptionem, liberationem, & conceſſionem prędictas, juxta pręfati mandati continentiam, atque formam, in non modicum Ordinis, ac Magiſtri, Superiorum & Religioſorum hujuſmodi pręjudicium, & gravamen feciſſe dignoſcitur, unde pro parte Magiſtri, & Prioris pręfatorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his Ordini Fratrum Prędicatorum, & illius Religioſorum pręfatorum ſtatui, & indemnitati opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de expoſitis per Bartholomęum Magiſtrum, & Jacobum Priorem hujuſmodi, etiam per inſpectionem cujuſdam inſtrumenti publici ſuper proceſſu prędicto confecti, in quo etiam non apparet expoſita per Prioriſſam, & Sorores hujuſmodi legitime probata fuiſſe, plenius informati, ac propterea Ordini Fratrum Prędicatorum hujuſmodi, ac illius Religioſorum honori, & ſtatui, quantum cum Deo poſſumus, conſulere volentes, Bartholomei Magiſtri, & Jacobi Procuratoris Supplicationibus hujuſmodi inclinati, alias literas, & ſuper inde habitos proceſſus pręfatos, necnon omnia, & ſingula in illis contenta, & inde ſecuta, auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia, tenore pręſentium, revocamus, caſſamus, & annullamus, ac pro nullis, & infectis haberi volumus, & mandamus, Bartholomęumque prędictum, & ſucceſſores ſuos pro tempore exiſtentes dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum Generales Magiſtros, & alios ejuſdem Ordinis Superiores in priſtinum, & eum ſtatum, in quo antequam literę alię prędictę fierent, exiſtebant, eadem Apoſtolica auctoritate inſtituimus, atque reponimus. Volumus tamen, ut per unum ab Ordine, & alium, ab Archiepiſcopo pręfato viros idoneos deputatos prędictum Monaſterium viſitetur, & emendanda, ſi quę fuerint, emendentur, & nihilominus dictis Prioriſſę, & Sororibus, ut Confeſſorem eis gratum, alias idoneum, & honeſtum, qui earum Confeſſiones audire, Miſſas celebrare, & eis alia Sacramenta Eccleſiaſtica conferre valeat, eligere poſſint, quouſque de Fratre regularis obſervantię ejuſdem Ordinis eis proviſum fuerit, harum ſerie concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii, & Ordinum pręfatorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Noſtrę revocationis, caſſationis, annullationis, mandati, conſtitutionis, repoſitionis, conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno incarnationis Dominicę Millesimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quinto (4), Quarto idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Sexto decimo.

Mandatum.

1. *Jadrenſe*.) Seu *Jaderenſe*, Italis *Zara*, Slavis *Zadar*, in *Illyrico*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CCXI fol. 50.*
3. *Bartholomai*.) *Texerii*, de quo ſępius dictum fuit,
4. *Quadrageſimo Quinto*.) Stylo Bullarum, ęrę communis *MCCCCXLVI*.

Donationem Fratribus, & Sororibus Tertii Ordinis de Killcarbayn (1) factam confirmat.

Anno 1446 Die 15 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXCVIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati de Novavia, Clonferten. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

EA, quę pro divini cultus augmento, ac piorum locorum, & perſonarum ſub Religionis habitu Domino famulantium, proſpero ſtatu provide facta ſunt, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolico diſponimus pręſidio communiri. Sane, ſicut pro parte venerabilis Fratris noſtri Thomę Epiſcopi Clonferten. Nobis nuper exhibita, petitio continebat, ipſe pietate motus etiam de unanimi dilec-

Diplomatis cauſa.

dilectorum filiorum Decani, & Capituli Eccleſię Clonferren. conſenſu, Capellani de Kyllcarbayn, quę certis tunc expreſſis de cauſis Vicarię de Killedarmyrboiga Clonferten. Dięceſis Apoſtolica auctoritate unita, & incorporata fuit, dilectis filiis Fratribus Tertii Ordinis Sancti Dominici, ac dilectis in Chriſto filiabus ejuſdem Ordinis Sororibus in Villa de Killcarbayn ejuſdem Dięceſis pro tempore degentibus, cum nonnullis petiis terratum ac muris, & poſſeſſionibus dictę Capellę adjacentibus, necnon quibuſcunque aliis terrulis pia fidelium largitione ipſis donatis, pro earum uſu, & habitatione in eleemoſynam puram perpetuo auctoritate ordinaria conceſſit, donavit, & aſſignavit, prout in authenticis, deſuper confectis, literis, Epiſcopi, & Capituli prędictorum ſigillis munitis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte dicti Epiſcopi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſioni, donationi, & aſſignationi prętatis pro earum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de pręmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper pręmiſſis, auctoritate Noſtra, te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi, ita eſſe inveneris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, conceſſionem, donationem, & aſſignationem prędictas, & quęcunque inde ſecuta, Auctoritate Noſtra approbes, & confirmes, ſupplendo omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Millieſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quinto (3) Idibus Martii, Pontificatus noſtri Anno Quinto decimo.

Confirmatio.

1. *Killcarbayn.*) In *Hibernia*, ubi *Clonfertenſis* Diœceſis.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.CXCV fol.* 182.
3. *Quadrageſimo Quinto.*) Stylo Bullarum, ætæ communis *MCCCCXLVI.*

Anno 1446 Die 27 Aprilis.

De duodecim Fratribus delegandis qui tempore Capituli Provincialis Provinciæ Daciæ Chriſti fideles omnibus peccatis ſolvere poſſint (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*

CCXCIX.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

Sacrę Religionis ſub qua dilecti filii Provincialis, & Definitores in Capitulo Provinciali Fratrum Ordinis Prędicatorum, Provincię Dacię pro tempore conſtituti devotum exhibent Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut votis eorum, per quę ſaluti animarum Chriſti fidelium conſulitur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dictorum Provincialis & Definitorum, petitio continebat, quod eo tempore quo Capitulum Provinciale in dicta Provincia celebratur magna utriuſque fidelium ſexus ex diverſis Provinciis multitudo, ob devotionem, quam ad Fratres dicti Ordinis propter eorundem Fratrum exempla ſalutifera gerunt, ac varios fructus, quos in prędicationibus, ac aliis juſtis, & bonis operibus continue inter ſe producunt, confluit, & eiſdem Fratribus, peccata ſua confiteri, petere conſueverunt, immo eoſdem importune movent, ſolicitant, & agitant, ut eorum audiant Confeſſiones. Nos igitur, totis affectantes pręcordiis, animabus confluentium ad Capitulum hujuſmodi, tam ſalubribus occurrere mediis, per quę peccatorum expurgatis maculis Divinum in Eccleſia ipſa, in qua Capitulum ipſum celebrabitur, adorantes Myſterium, Altiſſimi gratiam valeant promereri, ipſis, & ſucceſſoribus eorum, ut duodecim eligere, & deputare poſſint dicti Ordinis Sacerdotes, qui celebratione dicti Capituli durante, quorumcunque Chriſti fidelium utriuſque ſexus ad dictum Capitulum, cauſa devotionis, & confitendi peccata ſua, confluentium pro tempore, Confeſſiones audire, eoſque ab omnibus peccatis, criminibus, & exceſſibus ſuis, quę eis confitebuntur, niſi talia fuerint, propter quę Sedes Apoſtolica fuerit merito conſulenda, quoties fuerit opportunum, perpetuis futuris temporibus, abſolutionis beneficium impendere, & pęnitentiam ſalutarem injungere, ac illorum animarum ſaluti plenarie conſulere, libere & licite valeant, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica licentiam concedimus & facultatem. Nulli ergo &c. Noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum apud Sanctum Paulum extra Muros Urbis Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Sexto, Quinto Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Sexto Decimo.

Supplex petitio.

Conceſſio.

1. *Poſſint.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.VII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* *CCXI fol.*9.

Fra-

Fratres & Sorores Tertii Ordinis de Urbe omni ſecularium juriſdictione immunes reddit (1).

Anno 1446 Die 15 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. CCC.

VIrtutum Domino famulantibus ſic expedit turbationis, & inquietationis materiam ſubtrahi, quod in devotionis ſuavitate quieſcere valeant, & tranquillum ipſi Domino reddere famulatum. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, Fratrum, & Sororum Societatis Tertię Regulę Sancti Dominici de Pęnitentia nuncupati, in Monte Magnanapoli (3) nuncupato de Urbe, petitio continebat, ipſi ut eo devotius, quo quietius ſua Altiſſimo vota exſolvere valeant, & ut eis vagandi, & ſe mundialibus implicandi, materia non pręſtetur, ab omnibus quę ipſis propterea extare poterint impedimentis immunes, & liberi eſſe concupiſcunt. Nos itaque, eorundem Prioris, Fratrum, & Sororum in hac parte ſupplicationibus inclinati, ipſos, & eorum quemlibet, ac ſucceſſores ſuos pro tempore exiſtentes Societatis hujuſmodi ab omni juriſdictione ſeculari, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, eximimus, & liberamus, necnon exemptos, & liberos, penitus, & omnino eſſe, volumus atque concedimus, decernentes eos, & ipſorum quemlibet ſuper ſingulis etiam criminalibus cauſis, & querelis ipſis pro tempore motis coram Vicario dictę Urbis, etiam pro tempore exiſtente comparere debere, ac alibi, quam coram eodem Vicario cuiquam reſpondere minime teneri: diſtrictius inhibentes univerſis, & ſingulis Senatoribus, conſervatoribus, judicibus, & Mareſchallis, aliiſque quibuſvis Secularibus officialibus pręfatę Urbis, ſimiliter pro tempore exiſtentibus, quibuſcunque nominibus cenſeantur, & eorum cuilibet, ne deinceps per ſe, vel alium, ſeu alios, pręfatos Priorem, Fratres, & Sorores ſuper quibuſcunque rebus, negotiis, & bonis inquietare, vel moleſtare, aut eis onera, vel gravamina, quavis occaſione, vel ex cauſa imponere quoquomodo pręſumant. Non obſtantibus ſtatutis, conſuetudinibus, ac privilegiis, officialibus dictę Urbis quovis modo conceſſis, & in poſterum concedendis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę exemptionis, liberationis, voluntatis, conceſſionis, conſtitutionis, & inhibitionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Sexto, Idibus Maii, Pontificatus noſtri Anno Sexto Decimo.

Exordium. Indultum.

1. *Reddit*.) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. XIV.*
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CCXI fol. 9.*
3. *Magnanapoli*.) Ibi nunc celeberrimum Monaſterium *SS. Dominici & Sixti*, de quo poſtea pluries.

Sorores Tertii Ordinis præficit cuidam Pauperum hoſpitio de Urbe.

Anno 1446 Die 8 Junii.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Jnſue Epiſcopo Tropien. in Romana Curia reſidenti, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CCCI.

EA, quę pro Chriſti fidelium animarum ſalute, ac pauperum commodo, & utilitate provide facta conſpicimus, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolico mandamus munimine roborari. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Pierrę de Florentia, & Beatricis de Vercellis, Sororum Tertii Ordinis Sancti Dominici, de Pęnitentia nuncupatarum, in Urbe commorantium, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim quondam Antonia de Benzonibus de Crema, mulier tunc in eadem Urbe moram trahens, de propria ſalute recogitans, & in cęleſtibus theſaurizare cupiens, de bonis a Deo ſibi collatis, condens in ejus voluntate ultima teſtamentum, inter cetera duas domos, & certa alia accaſamenta, in Contrata Baſilicę duodecim Apoſtolorum de Urbe conſiſtentia, & ad eam legitime pertinentia, cum nonnullis etiam ejus lectis, & aliis utenſilibus, rebus, & bonis pro uſu, & habitatione aliquorum pauperum pręſertim de partibus Lombardię ad dictam Urbem venientium, legavit, donavit, & deputavit, volens, & ordinans, quod aliquę pauperes perſonę hujuſmodi ad curam, regimen, & gubernationem domorum & accaſamentorum, ac aliorum bonorum pręditorum conſtituerentur, & deputarentur, quę etiam, quoties eis expedire videretur, earum, vel alicujus ipſarum loco aliam, vel alias ſimiles perſonas ad id ſubſtituere, & ſurrogare poſſent, & deberent. Poſtmodum vero dicta Antonia ab hac luce ſubtracta, poſtquam nonnulli ipſius hęredes, ſeu voluntatis hujuſmodi executores, aut alii ad id ſufficienti poteſtate ſuffulti, quondam Johannam de Mediolano, Sororem Tertii Ordinis Sancti Franciſci procuratricem, gubernatricem, & adminiſtratricem domorum, accaſamentorum, & bonorum hujuſmodi fecerant, conſtituerant, & deputaverant, pręfata Johanna, cupiens voluntati dictę teſtatricis, & pauperum indemnitati, ac ne Domus pręditę ad profanos uſus redigerentur, ſalubriter providere, Pierram & Beatricem pręfatas, ejus ſocias, & in altera dictarum Domorum ſecum cohabitantes, etiam procuratrices, gubernatrices, & adminiſtratrices domorum & aliorum bonorum pręditorum fecit, conſtituit, ordinavit, & deputavit, prout in diverſis Inſtrumentis publicis, deſuper confectis, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, a nonnullis de Conſtitutionum, ordinationum, & deputationum hujuſmodi viribus hęſitetur; ac propterea Pierra, & Beatrix pręfatę ſuper illis, ac Domibus, accaſamentis, & aliis bonis, & rebus pręditis, poſſe

Exordium. Diplomatis cauſa. Præficit ut ſupra.

poſſe dubitent, in poſterum moleſtari; pro parte earundem Pierrę & Beatricis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut teſtamento, ſeu ultimę voluntati, necnon conſtitutionibus, & ordinationibus, & deputationibus prędictis, ac omnibus, & ſingulis in dictis Inſtrumentis contentis, & inde ſecutis, pro eorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de pręmiſſis certam notitiam non habemus, domorum & accaſamentorum ſitus, & confines, ipſorumque, ac aliorum bonorum prędictorum quantitates, & veros valores pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper pręmiſſis omnibus & ſingulis te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe inveneris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Teſtamentum, ſeu ultimam voluntatem, necnon deputationes, conſtitutiones, & ordinationes hujuſmodi, ac prout illa concernunt, & rationabiliter facta ſunt in Inſtrumentis contenta hujuſmodi, & quęcunque inde ſecuta, eadem auctoritate approbes, & confirmes, ſuppleaſque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Sexto, Sexto Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Sexto Decimo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CCXI fol.224.*

Anno 1446 Die 10 Julii.

Quædam in gratiam Fulginatenſis (1) Monaſterii ſancita confirmat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCCII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium. EA, quę pro Monaſteriorum, & in illis ſub regulari habitu Altiſſimo deditarum, pręſertim feminei ſexus, perſonarum omnium, directione, commodo, & utilitate provide proceſſiſſe comperimus, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolico munimine roboramus. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Beatę Marię de Populo, Fulginaten., Ordinis Sancti Auguſtini, per Prioriſſam ſoliti gubernari, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod dudum, videlicet die vigeſima quinta Menſis Januarii anni proxime preteriti, dilectus filius Noſter Dominicus (3) tituli Sanctę Crucis in Jeruſalem Presbyter Cardinalis, tunc in Fulginaten. Civitate, & nonnullis aliis partibus Apoſtolicę Sedis Legatus, ad hoc ut Vallis Viridis, ac Sancti Johannis de Pugillis, necnon Beatę Marię de Cruce, etiam Fulginaten. dicti

Supplex petitio. Ordinis Monaſteriorum, Monialibus, ac eorum ſtatui rectius, & conſultius provideretur, tam Apoſtolica ei, ut aſſerebat, in ea parte tunc commiſſa, quam ſuę Legationis hujuſmodi auctoritatibus, ex certa ſcientia, ac motu proprio ipſius, ſtatuit, decrevit, & mandavit, quod Moniales in dictis Vallis Viridis, ac de Pugillis, & de Cruce Monaſteriis tunc exiſtentes, ad dictum Monaſterium de Populo ſe conferrent, & in illo una cum aliis inibi Monialibus, ſub ſanctimonia, honeſtate, & regulari obſervantia, prout deceret, habitarent, & unitę exiſterent, quodque ipſa tria Monaſteria cum dicto Monaſterio de Populo incorporata intelligerentur, ac voluit, & etiam decrevit, & mandavit, quod omnia, & quęcunque bona mobilia, ſeu immobilia, pręſentia, & futura, necnon jura, actiones, privilegia, conceſſiones, immunitates, gratię & indulta ipſorum de Pugillis, Vallis Viridis, & de Cruce, Monaſteriorum, dicto Monaſterio de Populo unita, & incorporata exiſterent, ac etiam intelligerentur, ita quod dictum Monaſterium de Populo haberet ea, teneret, & poſſideret, & uſufructuaret, necnon etiam cum in eis, & dictis tribus unitis Monaſteriis, Ordini Fratrum Prędicatorum immediate ſubjectum, & ab omni alia juriſdictione exemptum eſſet, & eſſe deberet, ac nonnulla alia tunc expreſſa fecit, & etiam voluit, decrevit, & mandavit, prout in quibuſdam prefati Cardinalis Legati, ejus ſigillo munitis, deſuper confectis, literis, quas in Cancellaria Apoſtolica diligenter inſpici, & examinari fecimus, plenius continetur. Quare pro parte dilecti filii Jacobi de Regno Ordinis Fratrum Prędicatorum hujuſmodi & Theologię profeſſoris, necnon Generalis in Romana Curia pro ſuo Ordine prefato Procuratoris, Prioriſſę, & Conventus, aſſerentium quod de Populo octuaginta, & aliorum omnium Monaſteriorum prędictorum etiam octuaginta florenorum auri de camera fructus, redditus, & proventus ſecundum communem ęſtimationem valorem annuum non excedunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſtatuto, decretis, voluntati, factis & mandatis prędictis, ac omnibus, & ſingulis in eiſdem literis contentis, & inde ſecutis pro eorum ſub-

Confirmatio. ſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſtatutum, decreta, voluntatem, facta, & mandata, necnon alia in ipſis literis contenta, & inde ſecuta omnia, & ſingula, prędicta auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, confirmamus, necnon pręſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſteriorum, & Ordinis Sancti Auguſtini prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Noſtrę confirmationis, & communitionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Sexto, Sexto Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Sexto Decimo.

1. *Fulginatenſis.*) Vulgo *Foligno*, in *Umbria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CCXVI fol.169.*
3. *Dominicus.*) *Capranica*, de quo *Oldoinus* apud *Ciaconium in Martino V ad an. MCCCCXVII pag.832.*

Unit

Digitized by Google

Unit Monaſterio Sanctæ Catharinæ Brixien. (1) Ordinis Noſtri Domum Sancti Matthæi ejuſdem Civitatis.

Anno 1446
Die 26 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii Sanctę Euſemię Brixien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem,

CCCIII.

Exordium.

SAcrę Religionis, ſub qua dilectę in Chriſto filię Prioriſſa, & Conventus Monaſterii Sanctę Catharinę Brixien. per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, ſedulum, & devotum exhibent Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut earum votis, illis pręſertim, per quę ipſarum & dicti Monaſterii commodo, & utilitati conſulitur, favorabiliter annuamus. Dudum ſiquidem ex nonnullis tunc pro parte ipſarum Prioriſſę & Sororum, ac dilectorum filiorum Communitatis & civium dictę civitatis, necnon prędictarum Prioriſſę, & Sororum, inter cetera domum Sancti Lucę Burgi Sancti Alexandri Brixien. Ordinis Humiliatorum, cum illius Prępoſitura, quę Conventualis erat, & Hoſpitale, cum omnibus poſſeſſionibus, bonis, juribus, & pertinentiis pręfato Monaſterio perpetuo incorporari, uniri, & annecti, certo deſuper executore deputato, per quaſdam mandavimus primo, & deinde ex aliis pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Conventus, Prioratus Sancti Salvatoris extra, & prope muros Brixien., Ordinis Sancti Auguſtini, Nobis expoſitis cauſis, domum Sancti Lucę prędictam cum Eccleſia, ac aliis ſtructuris, & ędificiis ſuis, necnon ejus contiguis propinquis hortis, & domibus hujuſmodi duntaxat a Monaſterio, ejuſque pro tempore Prioriſſa, & Sororibus pręfatis ex certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica, aliarum literarum ſerie penitus ſegregantes, ſeparantes, & dimembrantes, ac in Conventualem Prioratum pro uſu, & habitatione perpetuis quorundam Congregationis hujuſmodi Canonicorum pro tempore exiſtentium ex tunc erigentes, illa ſic ſegregata Canonicis pręſentibus, & futuris Congregationis & Ordinis Sancti Auguſtini hujuſmodi auctoritate, & ſcientia prędictis per ipſas alias noſtras literas perpetuo conceſſimus, donavimus, applicavimus, & appropriavimus, ſub certis modis, & formis, ut in ſingulis literis prędictis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Prioriſſę, & Sororum prędictarum, petitio continebat, ipſę, quę quadraginta numero, & ultra inibi ſub regulari obſervantia Altiſſimo famulantur, &, ut ipſius domus poſſeſſionem pacificę aſſequerentur, magnas ſubierunt expenſas, & ſegregatione, ſeparatione, & dimembratione pręfatis non modicum patiuntur, pro parte earundem Prioriſſę, & Sororum aſſerentium, quod dictum Monaſterium, reſpectu perſonarum in eo degentium in illius domibus, ſtructuris, & ędificiis arctum exiſtit, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ad hoc, quod ipſę inibi commorari, ac fructus, & bona dicti Monaſterii gubernare, necnon Maſſarios, Converſos, & perſonas ad eorum ſervitia deputatas, collocare commodius poſſint, Eccleſiam, ſeu Oratorium, vel domum Sancti Matthęi mulierum convertitarum, quod, ſeu quę a pręfato Monaſterio, non multum diſtat, & in quo, ſeu qua alia Prioriſſa, ſeu Miniſtra cum una converſa duntaxat reſidet de pręſenti, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, pręfato Monaſterio unire, annectere, & incorporare de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Mandatum.

Nos igitur, qui de pręmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ea fore vera repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Eccleſiam, ſeu Oratorium, vel domum prędictam, vel prędictum, quod, ſeu quę ſine cura eſt, & cujus viginti, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſupradictis pręfato Monaſterio, cujus Trecentorum, & octuaginta Florenorum auri de Camera, fructus, redditus, & proventus ſecundum communem ęſtimationem, valorem annuum, ut ipſę Prioriſſa, & Sorores aſſerunt, non excedunt, eadem auctoritate noſtra unias, incorpores, & annectas, ita quod cedentibus, vel decedentibus Prioriſſa, ſeu Miniſtra, & Converſa prędictis, vel Eccleſiam, ſeu Oratorium, aut domum hujuſmodi quomodolibet dimittentibus, ipſarum Convertitarum Ordo, ſi alicujus Ordinis forſan exiſtunt, inibi penitus ſuppreſſus ſit, & eſſe cenſeatur, liceatque Prioriſſę, & Sororibus pręfatis per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem Eccleſię, ſeu Oratorii, vel domus, juriumque, & pertinentiarum prędictarum apprehendere, ac illius fructus, redditus, & proventus exigere, percipere, & retinere, necnon in ſuos & dictorum Monaſterii, Eccleſię, Oratorii, ſeu domus uſus & utilitatem convertere, Dięceſani loci, & cujuslibet alterius licentia deſuper nullatenus requiſita.

Clauſula derogans.

Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii, & Ordinum prędictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis Beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales dictę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiam ſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem, necnon quęcunque inde ſecuta ad Eccleſiam, Oratorium, ſeu domum, hujuſmodi volumus non extendi, ſed nullum eis, quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum prędjudicium generari, & quibuslibet privilegiis, & indulgentiis, & literis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus totis tenoribus quorumcunque habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Proviſo quod Eccleſia, Oratorium, ſeu domus hujuſmodi debitis propterea non fraudetur obſequiis, ac illius congrue ſupportentur onera conſueta. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quo-

quo quam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Sexto, Septimo Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Sextodecimo.

1. *Brixien.*) Legendę *Conſtitutiones* CCLXVII, CCLXXXIII, & CCXCII *ejuſdem Eugenii IV.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* CCXI *fol.* 351.

Anno 1447 Die 16 Januarii.

Articulos (1) quibus Mendicantes impetuntur damnat (2).

Ex Archivo (3) Ordinis.

CCCIV.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis, & ſingulis Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis electis, & Abbatibus ubilibet conſtitutis, ad quos pręſentes literę pervenerint, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

GRegis Nobis crediti curam gerentes pervigilem, ſtudiis efficere conamur aſſiduis, ut pro quorum ſalute languores humanos Altiſſimi Filius perpeti voluit fideles execrandis non involvantur erroribus, ſed noſtri directione miniſterii prout ſuperna gratia contulerit, a noxiis, ac diſpendiis jugiter pręſerventur & ut etiam vos in partem ſolicitudinis vocati pro dictis extirpandis erroribus opem, & operam ferventius impendatis vos pro injuncto Nobis officio excitamus. Dudum ſiquidem felicis recordationis Bonifatius Papa VIII Prędeceſſor noſter, in ſua, quę incipit: Super Cathedram: Conſtitutione, ſive Decretali, quam poſtea pię memorię Clemens Papa V, etiam Prędeceſſor noſter in Viennen. Concilio innovavit, & quę ſubſequenter ad Heremitarum Sancti Auguſtini, & B. Marię de Monte Carmelo Ordinum Fratres per Sedem Apoſtolicam extenſa fuit, inter cetera ſtatuit, & ordinavit, quod in ſingulis civitatibus, & Diœceſibus, in quibus Pręedicatorum, & Minorum Ordinum Fratrum loca conſiſterent, ac in locis ipſis vicinis, in quibus loca hujuſmodi non haberentur, Magiſtri, & Priores Provinciales Pręedicatorum, aut eorum Vicarii, & Generales, ac Provinciales Miniſtri, necnon Cuſtodes Minorum, Ordinum pręedictorum, ad pręſentiam Pręlatorum ibidem ſe conferrent per ſe, vel Fratres, quos ad hoc idoneos fore putarent, humiliter petituri, ut Fratres, qui ad hoc electi forent in eorum civitatibus, & Diœceſibus Confeſſiones ſuorum ſubditorum confiteri ſibi volentium audire libere valerent, & hujuſmodi confitentibus, prout ſecundum Deum expedire cognoſcerent, pęnitentias imponere ſalutares, ac beneficium abſolutionis impendere, de licentia, gratia, & beneplacito eorundem: Pręfatique Magiſtri, Priores, ac Miniſtri ſtuderent eligere perſonas idoneas, ſufficientes, vitę probatę, diſcretas, modeſtas, atque peritas ad tam ſalubre miniſterium, & officium exequendum, quas ſic electas Pręlatis ipſis pręſentarent, vel facerent pręſentari, ut de illorum licentia, gratia, & beneplacito in civitatibus, & Diœceſibus eorundem perſonę ſic electę hujuſmodi confeſſiones ſibi confiteri volentium, audirent, & eis imponerent pęnitentias ſalutares, ac beneficium abſolutionis impenderent, prout in ipſa Conſtitutione, ſive Decretali plenius continetur. Et licet poſtmodum ad pię recordationis Johannis Papę XXII, etiam Pręedeceſſoris noſtri, notitiam deducto, quod quondam Johannes de Polliaco (4) Magiſter in Theologia ſequentes articulos tenuerat, publiceque docuerat, videlicet, quod confeſſi Fratribus, licentiam generalem confeſſiones audiendi habentibus, eadem peccata, quę confeſſi fuerant, iterum proprio Sacerdoti confiteri tenerentur, ac ſtante ſtatuto: Omnes utriuſque ſexus: in Concilio Generali, nec Deus, nec Romanus Pontifex facere poſſet, quod Parrochiani non tenerentur omnia peccata ſua ſemel in anno proprio Sacerdoti Parrochiali curato confiteri. Quodque non poſſet Papa generalem dare poteſtatem audiendi confeſſiones, imo nec Deus, quin confeſſus, generalem habenti licentiam, teneretur eadem iterum ſuo proprio Sacerdoti veluti parrochiali curato confiteri, dictus Johannes Pręedeceſſor a verbis, quę Vas electionis protulit, exordium ſumens, habita inde per plures Sacrę paginę profeſſores examinatione diligenti, necnon de venerabilium Fratrum ſuorum Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalium conſilio, & aſſenſu pręfatos articulos tanquam falſos, & erroneos, & a ſana doctrina devios, auctoritate Apoſtolica damnaverit, & reprobaverit, ipſeque Johannes de Polliaco veris rationibus opinioni, quam dudum habuerat, contrariis, & quibus reſpondere non poterat, demonſtratis, eoſdem articulos non eſſe veros affirmans, illos in Conſiſtorio publico, necnon ipſorum Johannis PP., & Cardinalium pręſentia revocaverit; tamen, ſicuti nuper Fratrum Ordinum eorundem lamentabili querela ad noſtrum, non ſine diſplicentia gravi, pervenit auditum, plures eccleſiaſticę, necnon alię utriuſque ſexus perſonę, reprobos, ſuperſtitioſoſque hujuſmodi articulos complexantes, fideliumque animos inficere, ac eos, ut Fratribus Ordinum hujuſmodi non confiteantur, & ab illorum devotione retrahere molientes, nedum pręedictos, ſed & alios etiam Sacris Canonibus omnino contrarios articulos aſtruere publice non verentur, videlicet, quod Confeſſio Fratribus ſic electis, & admiſſis facta dubitabilis, & incerta ſit, unde tenentur omnes incertum dimittere, & ſic ſolum confiteri ſuis Sacerdotibus curam animarum habentibus ſub pęna peccati. Et quamvis ipſi Fratres admiſſi auctoritatem habeant confeſſiones audiendi, & abſolvendi, tamen ad eos accedendi populus ſubjectus ſine licentia proprii Sacerdotis non habet poteſtatem, Fratres quoque privilegia pro confeſſionibus audiendis, & ſepulturis habendis petentes, in peccato mortali, & Romani Pontifices illa Mendicantibus concedentes, ſive confirmantes etiam in ſimili peccato, & excommunicati ſunt; Ac dicti Fratres Mendicantes non paſtores, ſed fures, latrones, & lupi cenſentur, Sacerdos autem Curatus Mendicantibus confeſſiones audiendi licentiam dans magis ſuper ipſo Statuto: Omnes utriuſque ſexus: diſpenſat, quam Papa Fratribus licentiam tribuens, juxta formam Decretalis antedictę. Nos igitur

Diplomatis cauſa.

igitur animarum, & alia, quę pręmiſſorum Articulorum occaſione, niſi prodeuntea inde confutarentur, errores ſuccedere poſſent, pericula trepidantes, ac illis, quantum in Nobis fuerit, obviare cupientes, omnes articulos prędictos una cum venerabilibus Fratribus noſtris Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalibus mature inſpeximus, & per diverſos in jure Cauonico Doctores, ac ſacrę pagine profeſſorea diligenter examinari fecimus, & quia protinus illos falſos, & erroneos, ac eiſdem Canonibus adverſos fore reperimus, illos de dictorum Fratrum noſtrorum Sanctę Romanę Cardinalium Eccleſię conſilio, & aſſenſu, auctoritate Apoſtolica pro falſis, erroneis, & adverſantibus ſacris Canonibus damnatos, reprobatoſque declaramus, atque decernimus. Quocirca Univerſitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſinguli veſtrum, quando ſuper a quoquam prędictorum Ordinum Prędicatorum, Minorum, & aliorum Mendicantium ſuper pręmiſſis privilegiatorum, Magiſtro Generali, ac Provinciali, Miniſtro, Vicario, vel aliud gerente officium, fueritis requiſiti, ad confutandos, & reprimendos, ac penitus tollendos hujuſmodi errores, prout in pręfatis Decretali, ſive Conſtitutione: Super Cathedram: ac Extravagante: Vas electionis: continetur, diligenti ſtudio, atque cura provideatis, ac intendatis, pręfataſque Conſtitutiones integre ſervantes, faciatis ab omnibus inviolabiliter obſervari. Et ſi quos forſan hujuſmodi damnatos, ut pręfertur, articulos, aut aliquem, ſeu aliquos eorum pertinaciter aſſerere, vel tenere, ſeu prędicare invenietis, contra illos communiter, vel diviſim, tanquam contra hęreticos, & de Catholica Fide ſuſpectos, procedere, necnon ipſos, & eorum quemlibet juxta tantorum exceſſuum qualitatem, per cenſuram eccleſiaſticam, & alia juris opportuna remedia, auctoritate prędicta, compeſcere ſtudeatis. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę declarationia, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Sexto (5), Decimo Septimo Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto decimo. Articulos damnat.

Blondus.

Duplicata de Curia

A. de Maglo.

1. *Articulos.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. VII.*

2. *Damnat.*) Adeas *Odoricum Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCCXLVII num. XI.*

3. *Archivo.*) In quo Autographum. Legitur etiam in Bullario Carmelitano in *Eugenio IV Conſtitutione XXIV pag.* 210. Illud partim tranſcripſit *Odoricus* loco mox laudato.

4. *Johannes de Polliaco.* (Vide *Notas* ad *Conſtitutionem* XXXI *Johannis XXII.* Legitur *Tomo II pag.* 152.

5. *Quadrageſimo Sexto.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCXLVII.*

F. Petro de Jeremia (1), ut locationem cujuſdam Domus damno Epiſcopi Melivetani (2) factam reſcindat. Anno 1447 Die 13 Februarii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro de Jeremia, Vicario Ordinis Fratrum Prędicatorum de obſervantia in Inſula Sicilię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CCCV.

JUſtis petentium votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte venerabilis Fratris noſtri Jaymi (4), Epiſcopi Melivetan., petitio continebat, quod olim bonę memorię Senator (5) Epiſcopus Melivetan. ejus prędeceſſor, aſſerens, id in utilitatem Epiſcopatus Melivetan. cedere, quandam Domum, cum horto in Civitate Catanien. (6) in contrata S. Johannis Jeroſolymitani ſitam, & ad menſam Epiſcopalem Melivetan. legitime pertinentem, quondam Unicio de Naro, Civi Catanien. pro ſe, & ſuis hęredibus, & ſucceſſoribus, uſque ad viginti novem annos, ex tunc proxime futuros, ſub annuo cenſu duarum unciarum argenti monetę in Inſula Sicilię currentis, & unius rotuli cerę pręfato Senatori Epiſcopo, & ſuis Succeſſoribus, vel eorum Procuratori legitimo pro una in Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & alia medietatibus, dicti Cenſus, in Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum feſtivitatibus, per Unicium, & Succeſſores ſuos prędictos annis ſingulis locationis titulo, ſeu in emphyteuſim, tradidit, & conceſſit, prout in Inſtrumento publico, deſuper confecto, dicitur plenius contineri, & ſicut eadem petitio ſubjungebat, conceſſio, & traditio pręfatę, non in utilitatem, ut pręfertur, ſed in pręjudicium Epiſcopi Melivetan. pro tempore exiſtentis, & maxime ipſius Jaymi, qui de pręfata Civitate oriundus exiſtit, eumque in illa pro nonnullis Eccleſię Melivetan., ac ſuis ibidem tractandis negotiis reſidere oportet, & alias in dicta Civitate pro ejus habitatione Domum propriam non habet, emanaſſe noſcuntur. Quare pro parte ejuſdem Jaymi Epiſcopi Nobia fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de pręmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam vocatis ſucceſſoribus Unicii prędictis, & aliis, qui fuerint evocandi, tibi de pręmiſſis legitime conſtiterit, conceſſionem, & traditionem pręfatas, & inde ſecuta per te ipſum, revoces, caſſes, irrites, & annulles, ac nullius firmitatis exiſtere auctoritate noſtra decernas. Non obſtantibus pręmiſſis, & conſtitutionibus Apoſtolicis, illa pręſertim, qua cavetur, quod literę Apoſtolicę, niſi in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis perſonis, committi non poſſint, necnon dictę Eccleſię, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, Exordium.

& con-

& conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Sexto (7), Idibus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto Decimo.

1 *Petro de Jeremia.*) Beato, de quo in *Conſtitutione* *CCLXI* ejuſdem *Eugenii IV.*
2. *Melivetan.*) Seu *Melitenſis*, vulgo *Malta*.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. IV fol.* 33.
4. *Jaymi.*) Adeas *Roccum Pirrum in Sicilia Sacra*.
5. *Senator.*) Conſulendus Auctor mox laudatus.
6. *Catanien.*) In *Sicilia*.
7. *Quadrageſimo Sexto.*) Stylo Bullarum, ut communis *MCCCCXLVII*

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Cardinalis, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati Dignitates, Eugenio IV Summo Pontifice, promotos exhibens.

CARDINALIS.

Anno 1439. F. Johannes de Turrecremata, ſplendidiſſimum lumen Eccleſiæ, cognomento *Defenſor Fidei*, natione Hiſpanus, patria *Pinſianus*, ſeu *Valliſoletanus*, vulgo *Valladolid*, avita nobilitate clarus, ſcriptis & virtutibus ubique terrarum celeberrimus, ex Magiſtro Sacri Palatii, S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis creatus. Titulo *S. Sixti* primum, tum Titulo *S. Mariæ Trans Tiberim*, donatus fuit. Eccleſiis poſtea *Oſtienſi*, *Præneſtina*, *Albanenſi*, ac *Sabinenſi* jus dixit. Præfuit etiam *Aurienſi*. *Legionenſis* inſuper Epiſcopus renunciatus eſt, & variis Legationibus claruit, ut in hac, & ſequentibus *Appendicibus* dicetur. Innumeris laudibus ornatur *Johannes* a variis Scriptoribus, quos conſulas velim. Adeas, ſi placet, *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCCXXXI pag.* 916, & Auctores, quos laudat. Legendi *Ughellus Tomo I Italiæ Sacræ in Epiſcopis Sabinen. pag.* 180, *& in Epiſcopis Præneſtin. pag.* 218 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. II Tit. XXVII pag.* 28. *Cavalerius Tomo I pag.* 274 *num* 206. *& Tomo II pag.* 210 *num. III. Ferdinandus de Caſtillo*, & *Lopez in Hiſtoria Ordinis Prædicatorum*: *Trithemius*, *Poſſevinus*, *Miræus*, *Bellarminus*, *Labbeus*, aliique, quos laudat, *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad Annum MCCCCLXVIII pag.* 837 *&c.* Diem clauſit extremum *Romæ* in Cœnobio *S. Mariæ ſupra Minervam*, ibique ſepultus eſt in Sacello *SS. Annunciationis*, ubi duplex Epitaphium: Unum tumulo ſic inſcriptum. *Hic quieſcit D. Johannes de Turrecremata, natione Hiſpanus, Epiſcopus Sabinus, S. R. E. Cardinalis S. Sixti, qui obiit XXVI Septembris A. D. MCCCCLXVIII. Requieſcat in Pace.* Aliud in eodem Sacello ſic legitur: *F. Johanni Hiſpano Valliſoletano, ex vetere, pura, nobilique familia de Turrecremata, Ordinis Prædicatorum, S. R. E. Cardinali, Epiſcopo Sabinenſi, pietate, ac doctrina clariſſimo, multis Legationibus egregie functo, B. Virginis Annunciatæ Sodalitas Auctori ſuo poſuit. Obiit Romæ VI Kalendas Octobris Anno Domini MCCCCLXVIII, ætatis vero ſuæ LXXX.*

PATRIARCHA.

Anno 1439. F. Johannes Bordonius, ſeu de Bardonio, ut a *Fontana* nuncupatur, S. Theologiæ Magiſter, Patriarcha Alexandrinus. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. III Tit. II pag.* 44, *ex Lib. Obligat. Prælator.*, *ex Ughello in Mſs.*, *& ex Plodio*. Ejuſdem meminit *Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap. I ad an. MCCCCXXXIX pag.* 336. *Cavalerius Tomo I pag* 252 *num.* 133.

ARCHIEPISCOPI.

Anno 1431 Die 26 Septembris. F. Huahectus de Valentia, Archiepiſcopus Mitilmen., ſeu Mitylenen., vulgo *Metelin.*, in ejuſdem nominis Inſula Maris Ægæi. Præſul iſte Scriptoribus ignotus eſt. Hinc Diploma, quo conſtitutus fuit Archiepiſcopus, hic tranſcribendum. Sed Amanuenſis incuria ſcriptum crediderim *Mitilmen.*, & legendum videtur *Mitylenen*, uti mox diximus. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Hughecto de Valentia Electo Mitilmen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Romani Pontificis, quem Paſtor ille cæleſtis, & Epiſcopus animarum, poteſtatis ſibi plenitudine tradita, Eccleſiis prætulit univerſis, plena vigiliis ſolicitudo requirit, ut circa ſtatum cujuslibet Eccleſiæ ſic vigilanter excogitet, ſicque proſpiciat diligenter, quod per ejus prudentiam circumſpectam Eccleſiis ipſis Paſtores præficiantur idonei, per quorum ſolertiam circumſpectam, Eccleſiæ ipſæ ſuperni favoris auxilio ſuffragante votivæ proſperitatis ſucceſſibus gratulentur. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Angelo Archiepiſcopo Mitilmen. Eccleſiæ præſidente, Nos cupientes ipſi Eccleſiæ, cum vacaret, per apoſtolicæ Sedis providentiam, utilem, & idoneam præſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſiæ ordinationi & diſpoſitioni noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc*

irritum

Digitized by Google

irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero dicta Eccleſia per obitum ipſius Angeli Archiepiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacante, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, Religionis zelo conſpicuum, literarum ſcientia præditum, vitæ ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum donis, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus, inſignitum direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ, de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Archiepiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias, & largitur præmia confidentes, quod, dirigente Domino actus tuos, præfata Eccleſia per tuæ induſtriæ & circumſpectionis ſtudium fructuoſum regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, fideliter, & prudenter, quod ipſa Eccleſia Gubernatori provido, & fructuoſo Adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, Tuque præter æternæ retributionis præmium noſtram, & Sedis prædictæ benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Primo, Sexto Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo. Ex Archivo Apoſtolico. *Libro VIII fol. 196.*

F. Petrus Thomæ, Archiepiſcopus Serien., ſeu Seren., vulgo *Sindifu*, in Serica Regione, vulgo *Catay*, in Aſia. Hunc non norunt *Fontana*, *Cavalerius*, *Echard*, ceterique, quos legi. Diploma, quo renunciatus fuit Archiepiſcopus, hujus tenoris eſt. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Thomæ Electo Serien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Ad exequendum Paſtoralis officii debitum vigilantibus ſtudiis intendentes, circa ſtatum Eccleſiarum quarumlibet aciem noſtræ conſiderationis extendimus, & illis quas propriis carere Paſtoribus intuemur, ne prolixæ vacationis ſubjaceant detrimentis ſalubris proviſionis remedium, quantum nobis ex alto permittitur, adhibemus. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Nicolao Ruffo Archiepiſcopo Serien. regimini Serien. Eccleſiæ præſidente, felicis recordationis Martinus Papa Quintus Prædeceſſor noſter cupiens eidem Eccleſiæ, cum vacaret, per Apoſtolicæ Sedis providentiam utilem, & idoneam præſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi & diſpoſitioni ſuæ duxit ea vice ſpecialiter reſervandam, decernens ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Poſtmodum vero eadem Eccleſia per ipſius Nicolai Ruffi Archiepiſcopi obitum, qui extra Romanam Eccleſiam debitum naturæ perſolvit, vacante, dictoque prædeceſſore per eum de dicta Eccleſia non diſpoſito, ſicut Domino placuit, rebus humanis exempto, nos Divina favente Clementia ad Apicem Summi Apoſtolatus aſſumpti, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, cum a nonnullis revocaretur in dubium, an aliquis præter Romanum Pontificem de Eccleſiis per eundem Prædeceſſorem diſpoſitioni ſuæ reſervatis, & tempore obitus ſui hujuſmodi vacantibus diſponere potuiſſet, ſive poſſet, ad hujuſmodi ambiguitatis tollendum dubium per noſtras literas declaramus, Eccleſias hujuſmodi quæ tempore præmiſſo ſic reſervatæ vacabant, remanſiſſe, & remanere per hujuſmodi reſervationem, & decretum affectas, nullumque præter Romanum Pontificem ea vice potuiſſe, ſive poſſe, diſponere quoquo modo, ac decernimus irritum, & inane quicquid in contrarium per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter attentatum forſan erat tunc, vel in poſterum contigerit attentari, & ad proviſionem celerem, & felicem ipſius Eccleſiæ, de qua nullus præter nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, declaratione, & decretis obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, Ordinem ipſum expreſſe profeſſum &c. eidem Eccleſiæ de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Archiepiſcopum, & Paſtorem &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Primo, Quarto Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XVII fol. 270.* Anno 1431 Die 10 Decembris.

F. Andreas de Conſtantinopoli, Archiepiſcopus Tolocen., vel Tholocen. Hujus Archiepiſcopi non meminerunt Noſtrates. Hinc exſcribitur ſequens Diploma. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Dilecto filio Andreæ de Conſtantinopoli Electo Tolocen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Dum ad univerſas Orbis Eccleſias juxta Paſtoralis officii debitum Apoſtolicæ diffundimus conſiderationis intuitum, illarum nimirum propenſior cura nos angit quas ſuis deſtitutas Paſtoribus diſpendioſæ vacationis incommodis ſubjacere conſpicimus, ut per noſtræ providentiæ miniſterium illis ſecundum cor noſtrum viri præficiantur idonei in Paſtores ſub quorum regiminibus Eccleſiæ ipſæ in ſpiritualibus, & temporalibus feliciter gubernentur. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Boetio Archiepiſcopo Tholocen. regimini Toloten Eccleſiæ præſidente &c. Poſtmodum vero Eccleſia præfata per obitum dicti Boetii Archiepiſcopi, qui extra Romanam Curiam deceſſit, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem de qua nullus præter nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Fratrum Ordinis Prædicatorum Profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, Magiſtrum in Theologia, cui de* Anno 1432 Die 2 Maii.

religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Archiepiſcopum, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Secundo, Sexto Nonas Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Ex Archivo Apoſtolico. Ceterum, quænam ſit hæc *Sedes Tolocen.*, vel *Tholocen.*, me fugit. Vel igitur dicendum, quod cum *Theſſalonicen.*, vocis compendio, *Thelocen.* notaretur, Amanuenſis legit *Tholocen.*, vel ſcribendum fortaſſis *Colocen.* Hujus nominis triplex eſt Metropolis, una in *Hungaria*, *Colocienſis* nempe, vulgo *Colocz*, alia in *Phrygia*, *Coloſſenſis* ſcilicet, *Rhodii* tandem Sedes eſt *Coloſſenſis*. Sed notandum, quod *Rhodii* Sedebat quidem *Andreas* natione Græcus, Ordinis Prædicatorum alumnus, quem inter *Coloſſenſes* Archiepiſcopos recenſuimus in *Appendice ad Pontificatum Johannis* dicti *XXIII*, verum *Andreas* iſte *Rhodius* interfuit *Conſtantienſi* Concilio, ut dictum fuit in *Appendice* mox laudata, *Tomo II pag.* 528, & 529. Hinc ab anno circiter *MCCCCXIV* conſtitutus erat Archiepiſcopus: *Andreas* autem ille, cujus hic mentio, idem videtur ac *Andreas de Pera*, quem ex *Plodio*, *Sampajo*, & *Cavalerio* inter Epiſcopos a *Martino V* creatos retulimus *Tomo II pag.* 699.

Anno 1435. F. Thomas Tomaſinus, Epiſcopus Traguerienſis, ut in hac *Appendice* videre eſt, Adminiſtrator in ſpiritualibus, & temporalibus Eccleſiæ Florentinæ. *Conſtitutiones LXIV, & LXV Eugenii IV pag.* 47, & 48.

Anno circiter 1438. F. Matthæus Avenicen., natione Armenus, Archiepiſcopus Naxuanenſis, ſeu Naſcivanen., aliis Nacxſciovanenſis, vulgo *Naſſivan*, in Armenia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. IX pag.* 55, *ex Plodio, & Fernandez. Cavalerius Tomo I pag.* 233 *num. LXV*

Anno 1441. F. Thomas ó Kelly, Archiepiſcopus Tuamenſis, vulgo *Toam.* in Hibernia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. CVIII pag.* 108, *ex Ughello in Mſ. Cavalerius Tomo I pag.* 244 *num. XCVIII. Bernardus de Jonghe in Belgio Dominicano pag.* 422.

Anno circiter 1442. F. Lupus de Metina, ſeu de Barrientos, de quo ſæpius in hac *Appendice* dicetur (variis enim præfuit Eccleſiis) Archiepiſcopus Compoſtellanus, in Gallæcia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XXIX pag.* 68, *ex Fernandez. Cavalerius Tomo I pag.* 277 *num. CCIX. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLVI pag.* 813 *&c.* Archiepiſcopus *Compoſtellanus* vocatur etiam in *Conſtitutione* data *Florentiæ* anno Incarnationis *MCCCCXLI* (Stylo Bullarum, æræ vero communis MCCCCXLII) Pridie Kalendas Martii, Pontificatus *Eugenii IV* Anno Undecimo, ut in hac *Appendice* videre eſt ubi loquimur de Epiſcopis anni *MCCCCXLII*. Hinc conſtat quod Archiepiſcopus *Compoſtellanus* renunciatus fuit *Lupus de Metina*, verum, quod onus recuſaverit, docent auctores mox laudati, & habetur ex hac Inſcriptione quæ legitur apud *Echard* pag 813. *Archivum Scripturarum, & privilegiorum antiqui generis de Barrientos unius ex ſeptem hujus Urbis, cujus fundator fuit Illuſtr. & Rev. D. Don Fray Lope de Barrientos oriundus ex illa, qui fuit Epiſcopus Segoviæ, Abulæ, Cuencæ, electuſque Archiepiſcopus Compoſtellanus, Cancellarius magnus Caſtellæ, & ejuſdem Inquiſitor Generalis, Confeſſarius D. Regis Johannis II, & Præceptor Regis D. Henrici IV, primus Cathedraticus Primæ in Univerſitate Salmantina, Ordinis S. Dominici, fundator, & dotator hujus Hoſpitalis, & alterius Cuencæ, eorumque patronatuum, & majoratuum, Conventuumque noſtræ Dominæ de la Peña de Francia, & S. Petri de las Dueñas, reparator Eccleſiæ S. Andreæ regii, Ordinis Prædicatorum. Sepultus eſt in hoc Sacello, quod anno MCCCCXLIV fundatum eſt. Vixit poſtea plures annos, in quibus omnibus ſingularis exhibuit virtutis exempla.*

Anno 1444. F. Leonardus natione Græcus, patria Chienſis, Archiepiſcopus Mitylenen., vulgo *Metelin.*, in ejuſdem nominis Inſula Maris Ægæi. *Michael Juſtiniani* in ejuſdem *Leonardi Vita. Fontana Theatro Dominicano Parte I Tit. LV Cap. IV pag.* 81, ubi *Mitylenenſis* Sedes *Lesbienſis* vocatur. *Cavalerius Tomo I pag.* 264. *num. CLXXXII. Echard. Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLVIII pag.* 816 *&c.* ex variis Monumentis *Maria Juſtiniana*, Principe *Chienſi*, cui ab intimis conſcientiæ conſiliis *Leonardus* erat, agente, *Mitylenenſem* Archiepiſcopum anno circiter *MCCCCXLVI* conſtitutum fuiſſe *Leonardum*, docet *Echard.* Annum non aſſignant *Cavalerius*, & *Fontana*. *Ambroſius* vero *de Altamura* in *Bibliotheca Dominicana ad annum MCCCLXII pag.* 185, & *Rovetta* in *Bibliotheca Provinciæ Lombardiæ ad annum MCCCCLXI*, eundem *Leonardum* Præſulem *Chienſem* renunciant. Verum duplici Diplomate conſtat Anno *MCCCCXLIV* die *XXVIII* Junii *Leonardum* Pallio donatum, & jam antea Metropoli *Mitylenenſi* præfectum fuiſſe. Ut igitur illuſtretur hiſtoria tanti viri, *qui vitæ, morumque integritate, dignitatis, eruditionis, ac præclare geſtorum laude, ipſa demum, & pro commiſſis ovibus, ac Chriſti fide vita conſtanter poſita, gentem ſuam, patriamque longe nobilitavit*, ut loquitur *Echard*, operæ pretium ſit, utrumque Diploma tranſcribere. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Leonardo Electo Mitbilinen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos nuper te tunc Ordinis Fratrum Prædicatorum ad Eccleſiam Mitbilinen. tunc vacantem*

duxe-

Digitized by Google

duxerimus auctoritate Apoſtolica promovendum, præficiendo te illi in Archiepiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur, ac poſtmodum Pallium, inſigne videlicet plenitudinis Pontificalis officii ex parte tua fuiſſet a nobis per dilectum filium Georgium de Chariſto Ordinis Prædicatorum Capellanum, & Nuncium tuum ea qua decuit inſtantia poſtulatum, Nos tuis ſupplicationibus annuentes, Pallium ipſum de corpore beati Petri ſumptum per venerabiles Fratres noſtros Chien., & Foliarum novarum ac veterum Epiſcopos tibi aſſignandum, per eundem Nuncium duximus deſtinandum, ut iidem Epiſcopi, vel eorum alter, illud aſſignent tibi ſub forma quam eis ſub Bulla noſtra mittimus interclusſam, & a te noſtro, & Romanæ Eccleſiæ, nomine ſub forma quam ſub Bulla dicta dirigimus, fidelitatis debitæ ſolitum recipiant juramentum, tu autem illo infra dictam Eccleſiam Mithilinen. illis diebus utaris qui expreſſi in ipſius Eccleſiæ privilegiis continentur. Ut igitur ſignum non diſcrepet a ſignato, ſed quod geris exterius ſerves in mente, diſcretionem tuam monemus, & hortamur attente, per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus humilitatem & juſtitiam, dante Domino, qui dat præmia, & munera largitur, conſervare ſtudeas, quæ ſuum ſervant & promovent ſervatorem, & Eccleſiam Sponſam tuam cures ſolicite, auctore Domino, ſpiritualiter, & temporaliter augmentare. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quarto, Kalendis Julii, Pontificatus noſtri Anno Quartodecimo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib.* 191. *fol.* 207. In alio vero ſic legitur. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Chien., & Foliarum novarum ac veterum Epiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum Pallium, inſigne videlicet plenitudinis Pontificalis officii ex parte dilecti filii Leonardi Chien. Electi Mithilinen. per dilectum filium Fratrem Georgium de Chariſto Ordinis Prædicatorum Capellanum, & Nuncium ſuum fuerit a Nobis ea qua decuit inſtantia poſtulatum, Nos ipſius precibus annuentes, Pallium ipſum de corpore beati Petri ſumptum per vos vel alterum veſtrum aſſignandum eidem ſecundum formam quam vobis ſub Bulla noſtra mittimus interclusſam, per dictum Fratrem Georgium duximus deſtinandum. Quocirca Fraternitati veſtræ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum pallium ipſum juxta præmiſſam formam ſibi aſſignare, & ab ipſo, noſtro, & Eccleſiæ Romanæ nomine, ſub forma quam vobis ſub eadem Bulla dirigimus, fidelitatis debitæ ſolitum juramentum recipere curetis, formam autem juramenti quod dictus electus præſtabit ille ex vobis qui illud recipiet, nobis de verbo ad verbum per eius patentes literas ſuo ſigillo ſignatas per proprium Nuncium quantocius deſtinare procuret. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quarto, Kalendis Julii, Pontificatus noſtri Anno Quartodecimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib.* 191. *fol.* 207. Ejuſdem *Leonardi* mentio inter hujus *Appendicis* Legatos.

S. Antoninus de Florentia, alumnus Feſulani Cœnobii, Archiepiſcopus Florentinus, vulgo *Firenze*, in Hetruria. *Ughellus in Archiep. Florentinis Tomo III Italiæ Sacræ pag.* 472. *Franciſcus Caſtillionens in Vita S. Antonini*. Ejuſdem Sancti familiaris fuit *Franciſcus*. *Leander Albertus de viris illuſtribus Ordinis Prædicatorum*. *Leonardus Ser-Huberti, Florentinus, in Additionibus ad Vitam S. Antonini*. Auctor coævus eſt *Leonardus*. *Pius II*, *Æneas* nempe *Silvius*, *Libro II Commentariorum*, ubi laudes celebrat *S. Antonini*. Floruit eodem ſeculo. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XLV pag.* 75. *Cavalerius Tomo I pag.* 260 *num. CLXXII*. *Sovegius in Anno Dominicano*. *Marcheſius in Diario Dominicano ad diem X Maii*. Eruditi Editores Actorum Sanctorum, *Bollandiſtæ* ſcilicet, ad eandem diem. Ceterique quos laudat, *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLIX pag.* 817 *&c*. *De Florentia*, ex patria nuncupatur vir immortalis memoriæ *S. Antoninus*. *Florentiæ* ſiquidem *nobili loco natus eſt, patre Nicolao de' Forciglioni, avo Pierozzo* (Hinc a nonnullis *de Perozzis* cognominatur) *ſuæ Reipublicæ quater Proconſule, qua tum erat dignitas inſignis & magnæ auctoritatis, matre Thomaſſina ejuſdem nobilitatis fœmina*, ut loquitur *Echard* mox laudatus. Emendandus ergo *Fontana*, qui S. Antoninum *humili loco natum* docet, & legendus hac de re *Thomas Buoninſegni Senenſis*, in *Diſquiſitione de Progenie & Origine S. Antonini*, ab eodem *Thoma* vulgata cum *Hiſtoria Translationis S. Antonini*. Luſtrali nomine *Antonius*, non vero *Antoninus*, vocatus eſt. Hinc in ipſius Operum Autographis, *Florentiæ* & alibi aſſervatis, in Pontificiis Diplomatibus, ac in variis Monumentis antiquis, *Antonius* appellatur, ut alibi notatum fuit. Uſu tamen venit, ut *Antoninus* nominatus ſit, &, ut erat ſingularis prudentiæ, *Antoninus Conſiliorum* paſſim audiebat apud omnes. Variis editis Operibus claruit Præſul Sanctiſſimus, priſcis Apoſtolorum temporum Epiſcopis jure comparandus, de quo conſulendi Scriptores mox laudati. Emendandi tamen *Warthonus*, aliique Sanctum *Antoninum* Sedi *Neapolitanæ* præficientes, ut notat *Echard*. Emendandus ipſemet *Echard*, qui nonnullos ſectatus, die duntaxat *X Februarii* Sanctum *Antoninum* ad Sedem *Florentinam* evectum fuiſſe, cenſet. *Florentinus* Archiepiſcopus die *X* Januarii *MCCCCXLV*, ſtylo veteri, novo *MCCCCXLVI*, renunciatus certo fuit, ut liquet ex Pontificiis Conſtitutionibus aſſervatis in Archivo Ordinis. Brevitatis gratia conſtitutiones illas miſſas facio, ſed notandum, quod una inſcribitur. *Dilecto filio Antonio de Florentia Electo Florentin.* Sic incipit: *Divina diſponente clementia &c. Dudum ſiquidem, bonæ memoriæ Bartholomæo Archiepiſcopo Florentin. regimini Eccleſiæ Florentin. præſidente, Nos, cupientes &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem &c. Teque illi præficimus in Archiepiſcopum & Paſtorem &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quinto* (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCXLVI) *Quarto Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto Decimo*. Ex Archivo Apoſtolico *Libro CC fol.* 166. Alia ſic inſcribitur. *Dilectis filiis Univerſis Vaſſallis Eccleſiæ Florentin.* Sic incipit: *Divina diſponente clementia &c. Poſtmodum vero prædicta Eccleſia per obitum ejuſdem Bartholomæi Archiepiſcopi &c. Demum ad dilectum filium Antoninum de Florentia, Electum Florentin., tunc Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quinto* (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCXLVI) *Quarto Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto Decimo*. Ex Autographo *Florentiæ* aſſervato in Cœnobio *S. Marci*. Anno 1446 Die 10 Januarii.

Digitized by Google

EPISCOPI.

Anno 1431 Die 16 Aprilis.

F. Johannes de Podio, Epiſcopus Caturcen., ſeu Cadurcen., vulgo *Cahors*, in Aquitania, ſub Archiepiſcopo Bituricenſi. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag.*24. Hujus Epiſcopi meminerunt auctores *Galliæ Chriſtianæ in Epiſcopis Cadurcen.*, ſed quia ſilent, *Johannem* Ordinis Prædicatorum fuiſſe, hinc a *Fontana*, *Cavalerio*, aliiſque Scriproribus qui Epiſcopos Ordinis recenſent, paſſim omittitur. Nullus etiam ipſi locus Inter Inquiſitores *Toloſanos*, quorum ſeries exhibeur apud *Percinum* in *Opuſculo de Inquiſitione Parte III pag* 110, & apud *Fontanam in Theatro Dominicano Parte III De Miniſtris S. Inquiſitionis Cap.III Tit. LXXXIII pag.*614. Ordinis tamen FF. Prædicatorum profeſſor, Inquiſitor *Toloſanus*, & Magiſter in Theologia fuit, ut videre eſt ex ſequenti Diplomate. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Podio Electo Caturcen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Ex ſuſceptæ ſervitutis Officio ſolicitudine pulſamur aſſidue, ut circa ſtatum Eccleſiarum, & Monaſteriorum omnium quorum cura nobis imminet generalis, ſolicite intendentes, illis præſertim quæ vacationis incommoda deplorare noſcuntur per Apoſtolicæ Sedis miniſterium ſalubriter ſuccurratur. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Guillelmo Epiſcopo Caturcen. regimini Caturcen. Eccleſiæ præſidente felicis recordationis Martinus Papa V Prædeceſſor noſter cupiens eidem Eccleſiæ, cum eam vacare contingeret, per Apoſtolicæ Sedis providentiam utilem, & idoneam præſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi & diſpoſitioni ſuæ ea vice ſpecialiter reſervavit, decernens ex tunc irritum & inane ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero dicta Eccleſia per ejuſdem Guillelmi Epiſcopi obitum, qui extra Romanam Eccleſiam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta, dictoque Prædeceſſore, per eum dictæ Eccleſiæ aliter non proviſo, ſicut Domino placuit, ab hac luce ſubtracto, Nos divina ſavente Clementia ad apicem ſummi Apoſtolatus aſſumpti, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter Romanum Pontificem hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa ulterioris vacationis exponeretur incommodis, paternis & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, Inquiſitorem Toloſan. juxta morem dicti Ordinis Prædicatorum. Magiſtrum in Theologia, in Presbyteratus ordine conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circunſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua, nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, præfatæ Eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Primo, Sexto decimo Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Primo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib.VIII fol.*137.

Anno 1431 Die 13 Julii.

F. Walterus de Leyceſtria, Epiſcopus Roffenſis, vulgo *Rochester*, in Anglia, ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio* &c. Diploma, quo renunciatus fuit Epiſcopus, hujus tenoris eſt. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Waltero de Leyceſtria Electo Roffen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Mauritio Epiſcopo Roffen. regimini Roffen. Eccleſiæ præſidente felicis recordationis Martinus Papa Quintus Prædeceſſor noſter cupiens eidem Eccleſiæ, cum vacaret, per Apoſtolicæ Sedis providentiam utilem, & idoneam præſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi & diſpoſitioni ſuæ ea vice ſpecialiter reſervans, decrevit ex tunc irritum, & inane ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero Eccleſia præfata per obitum ejuſdem Mauritii Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta, dictoque Prædeceſſore, per eum aliter de proviſione dictæ Eccleſiæ non diſpoſito, ſicut Domino placuit, ab hac luce ſubtracto, Nos Divina favente gratia ad Apicem ſummi Apoſtolatus aſſumpti, cum a nonnullis revocaretur in dubium, an aliquis poſt dicti Prædeceſſoris obitum præter Romanum Pontificem de proviſionibus Eccleſiarum per ipſum Prædeceſſorem diſpoſitioni ſuæ reſervatarum, & quæ tempore obitus hujuſmodi ſic reſervata vacabant &c. remanſiſſe, & remanere per hujuſmodi reſervationem & decretum affectas, Nullumque de illis præter Romanum Pontificem hac vice ſe intromittere potuiſſe, vel poſſe quoquomodo, ac decernimus irritum & inane ſi quid in contrarium per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter attentatum forſan erat tunc, vel in poſterum contingeret attentari, ac ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter Romanum Pontificem hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, declaratione, & decretis obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longioris vacationis exponeretur incommodis, paternis & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, in Presbyteratus ordine conſtitutum, cui de religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circunſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta præfatæ Eccleſiæ, de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Primo, Tertio Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Primo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XVI fol.* 290.

F. Gil-

F. Gillerius, vel Guillerius, Balam, Antiſſiodorenſis, Epiſcopus Ebronenſis, alias S. Abrahami, in Palæſtina, ſub Jeroſolymitano Patriarcha. *Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap. I ad annum MCCCCXXXVIII pag.* 333. *Cavalerius Tomo I pag.* 234 *num. LXVII.* Eccleſiis *Betbleemitana*, & *Ebroicenſi* præfuiſſe *Gillerium*, hac in *Appendice* dicetur. Anno circiter 1431.

F. Johannes de Opatowice, Polonus, Epiſcopus Chelmenſis, vulgo *Chelm*, & *Chielmnick*, in Ruſſia nigra, ſub Archiepiſcopo Leopolitano. *Dominicus Frydrychowicz* in libro cui titulus: *S. Hyacinthus Poloniæ Patronus &c. pag.* 225, *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXIII pag.* 166, *ex Bzovio de Rebus geſtis in Polonia. Cavalerius Tomo I pag.* 236 *num. LXXIII.* Anno circiter 1431.

F. Hermannus de Gherdeo, Epiſcopus Citrenſis, vulgo *Chitro*, in Macedonia, ſub Archiepiſcopo Theſſalonicenſi. Nunc Metropolis eſt *Citrenſis* Eccleſia. Hunc Epiſcopum non norunt *Fontana* in *Theatro Dominicano*, *Cavalerius &c.* Succeſſit *Johanni* Epiſcopo *Citrenſi*, ut ex hoc Diplomate conſtat. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Hermanno de Gherden Electo Citren., Salutem &c. Summi diſpoſitione Rectoris ad regimen univerſalis Eccleſiæ deputati, curis aſſiduis angimur, & aſſidua meditatione pulſamur, ut opem, & operam, quantum nobis ex alto conceditur, impendamus, quod Orbis Eccleſiæ univerſæ Paſtorum regiminibus deſtituta per noſtræ providentiæ miniſterium viris committantur idoneis, qui ſciant, velint, & valeant Eccleſias ipſas eis commiſſas ſtudioſe regere, & feliciter gubernare. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Johanne Epiſcopo Citren. regimini Citren. Eccleſiæ præſidente, Nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret, per Apoſtolicæ Sedis providentiam, utilem, & idoneam præſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi & diſpoſitioni noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero prædicta Eccleſia per obitum ejuſdem Johannis Epiſcopi qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Priorem domus in Wauberah Ordinis Fratrum Prædicatorum Padeburnen. Diœceſis, Bacallarium in Theologia, Ordinem ipſum expreſſe profeſſum, & in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua nobis & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Eccleſiæ de dictorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica &c. præficimus in Epiſcopum & Paſtorem, curam & adminiſtrationem dictæ Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Secundo, Septimo Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Secundo.* Ex Archivo Apoſtolico. Anno 1432 Die 26 Martii.

F. Julianus Tallada, Epiſcopus Laodicen., ſeu Laodicien., in Syria, ſub Archiepiſcopo Damaſceno. Nunc Metropolis eſt Laodicenſis Eccleſia. De *Juliano* iſto altum ſilentium apud *Fontanam*, *Cavalerium &c.* Epiſcopus certe fuit, ut ex ſequenti Diplomate videre eſt. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Juliano Tallada Electo Laodicen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Johanne Epiſcopo Laodicen. regimini Laodicen. Eccleſiæ præſidente Nos cupientes ipſi Eccleſiæ, cum vacaret, per Apoſtolicæ Sedis providentiam utilem, & idoneam præſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum dicti Johannis Epiſcopi qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacante, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, Magiſtrum in Theologia, in Presbyteratus ordine conſtitutum, Religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, ſicut apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, inſignitum, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua, nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta, de eorundem Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate apoſtolica, providemus, Teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Secundo, Quarto Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.* Ex Archivo Apoſtolico. Anno 1432 Die 12 Julii.

F. An-

Anno 1432. F. Andreas Dias, Ulyſſipponenſis, Epiſcopus Megarenſis, in Achaia, ſub Archiepiſcopo Corinthio, vel Athenienſi, ut nonnullis placet. *Cavalerius Tomo I pag.228. num.LII, ex Fontana in Monumentis Dominicanis. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.26, ex Souza Hiſtor. Provinciæ Portugalliæ Parte I Lib.III Cap.XXXVI fol.*193.

Anno 1432 Die 23 Julii. F. Auguſtinus de Caffa, Epiſcopus Soldaïenſis, vulgo *Soldaia*. Hinc *Soldagienſis*, & *Soldayenſis* etiam ſcribitur, ut videre eſt ex Diplomatibus mox transcribendis. Unum datum fuit *MCCCCXXXII* die *XXIII* Julii, alterum die *XIV* Octobris. In iſto Diœceſis *Soldaienſis* ſita dicitur in *Armenia Majori*. Ubi notandum quod *Armenia Major* hic late ſumitur, ut nonnullis antiquis familiare fuit. Urbs enim *Soldaienſis* eſt in *Taurica*, inter *Caffam*, & Promontorium *Inkermen*. Ille ipſe eſt *Auguſtinus*, de quo multum laborat *Cavalerius Tomo I pag.229 num.LIII*, cujus hæc verba: *F. Auguſtinus, cujus patriam, & cognomen neſcimus, ab Eugenio IV die XVIII Auguſti MCCCCXXXII, uti Fontana docet in Theatro pag.297 ex Bzovio, renunciatus fuit Epiſcopus Soldarenſis, vel Soldanenſis ſub Metropoli Cimbalienſi, ſeu Cambalienſi apud Tartaros in Aſia. Verum Soldarienſis, vel Soldanienſis hæc Sedes ab aliis Archiepiſcopalis fertur.* Hæc ille, ubi dies, Sedis nomen, & ſitus emendandi ſunt ex ſequentibus Conſtitutionibus. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Auguſtino de Caffa Electo Soldagien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Romani Pontificis quem Paſtor ille cæleſtis, & Epiſcopus animarum, poteſtatis ſibi plenitudine tradita, Eccleſiis prætulit univerſis, plena vigiliis ſolicitudo requirit, ut circa cujuslibet ſtatum Eccleſiæ ſic vigilanter excogitet, ſicque proſpiciat diligenter, quod per ejus providentiam circunſpectam Eccleſiis ſingulis Paſtor accedat idoneus, & Rector providus deputetur, per quem Eccleſiæ ipſæ ſuperni favoris auxilio ſuffragante votivæ proſperitatis ſucceſſibus gratulentur. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Ludovico Epiſcopo Soldagien. regimini Soldagien. Eccleſiæ præſidente, Nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum eam vacare contingeret, per Apoſtolicæ Sedis provideatiam utilem, & idoneam præſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi & diſpoſitioni noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum & inane ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Poſtmodum vero eadem Eccleſia per ipſius Ludovici Epiſcopi obitum, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter nos hac vice diſponere potuit ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, in Preſbyteratus ordine conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de eorundem Fratrum noſtrorum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Secundo, Decimo Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Secundo.* Ex Archivo Apoſtolico. In alia vero Conſtitutione ſic legitur. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Auguſtino Epiſcopo Soldayen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Perſonam tuam Nobis & Apoſtolicæ Sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna diligentia proſequentes, libenter illa tibi concedimus quæ tuis commoditatibus fore conſpicimus opportuna. Tuis itaque in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut unum de quacunque domo Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem in Sacerdotio conſtitutum, ad hoc tamen voluntarium, cum, ſicut aſſeris, in partibus Armeniæ majoris in quibus Soldayen. Eccleſia, cui præeſſe dignoſceris, ſita eſt, Catholici ſeculares commode haberi non poſſunt, recipere, & in tuum Capellanum, & ſocium pro dicendis horis canonicis, & divinis celebrandis officiis retinere, dictuſque Frater domum de qua ipſum receperis abſque ſui ſuperioris licentia exire, tecumque in dicta Eccleſia reſidere, libere, & licite valeat, ita tamen quod idem Frater habitum dicti Ordinis retinere, & juxta illius inſtituta regularia vivere teneatur, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, tibi, qui etiam dicti Ordinis Profeſſor exiſteis, plenam, & omnimodam & illi licentiam tenore præſentium elargimur. Nulli ergo &c. Noſtræ conceſſionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Secundo, Pridie Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.* Ex Archivo Apoſtolico. *Lib.26. fol.83.*

Anno 1433 Die 6 Martii. F. Sebaſtianus Abbatis, Epiſcopus Galtillien., ſeu Gatellen. vulgo *Gatelli*, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. Hujus Epiſcopi meminit *Diago Hiſtor. Provinciæ Aragoniæ Lib. II Cap.LXXIII pag.*219, ubi narrat, quod Epiſcopus iſte *Valentiæ*, in *Hiſpania Tarraconenſi*, degebat anno *MCCCCXXXIX* Die *VIII* Junii. Ceterum ſcribens hiſpanice, *Diago* Sebaſtianum vocat Epiſcopum *de gracia*, quibus verbis id unum docet, quod *Sebaſtianus* Epiſcopus fuit *in Partibus*, ut vulgo loquuntur. Hinc tamen *Fontana*, *Cavalerius*, aliique, de quibus in *Appendice ad Pontificatum Nicolai V* dicetur, ſic hallucinati ſunt, quod *Sebaſtianum* creaverint Epiſcopum *Gratienſem*. Ubinam ſederit habetur ex hoc Diplomate. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Sebaſtiano Abbatis Electo Galtillien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus &c. per obitum Guillelmi Epiſcopi &c. regimini Eccleſiæ Galtillien. præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi & diſpoſitioni &c.*

de-

Digitized by Google

decernentes ex tunc irritum, & inane &c. poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ejuſdem Gulielmi Epiſcopi qui extra Romanam Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi ſide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem quam de præficiendo ipſi Eccleſiæ perſonam utilem & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum expreſſe profeſſum, & Theologiæ Profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicibus virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno &c. Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Secundo (Stylo Bullarum æræ communis MCCCCXXXIII) *Pridie Nonas Martii, Pontificatus noſtri, Anno Secundo.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro III fol.253.*

F. Bartholomæus de Sancto Ypolito, ſeu Hippolyto, Epiſcopus Grenelandien., ſeu Gronelandien., vulgo *Groenlandt*, & *Groenlande*, in ejuſdem nominis Regione terræ Arcticæ ſub Archiepiſcopo Nidroſienſi. De hoc Epiſcopo ſilent *Fontana, Cavalerius*, aliique. Ipſius mentio in ſequenti Diplomate. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Bartholomæo de Sancto Ypolito electo Grenelandien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Nicolao Epiſcopo Grenelandien. Eccleſiæ præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum & inane &c. poſtmodum vero præfata Eccleſia per ipſius Nicolai qui extra Romanam Curiam &c. Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relationibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis exponatur &c. poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem in Theologia Bacallarium & in Sacerdotio conſtitutum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua Nobis & eiſdem Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Eccleſiæ de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram & dictæ Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Laurentium in Damaſo Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo tertio, Octavo Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno tertio* Ex Archivo Apoſtolico *lib.53. fol.212.* Anno 1433 Die 24 Septembris.

F. Johannes Validire, a S. Leone nuncupatus, ex Epiſcopo *Leonenſi*, ut in *Appendice ad Pontificatum Martini V pag.709 Tomo II* dictum fuit, Epiſcopus Venetenſis, *Vannes*, in Britannia Minori, ſub Archiepiſcopo Turonenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.DCXXIII pag.318, ex Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.239 num.LXXXIV.* Anno 1433.

F. Laurentius Pignon, Burgundus, alumnus Senonenſis Cœnobii, ex Epiſcopo *Bethleemitano*, ut in *Appendice ad Pontificatum Martini V pag.704 Tomo II* videre eſt, Epiſcopus, Antiſſiodorenſis, *Auxerre*, in Gallia, ſub Archiepiſcopo Senonenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.XXXIX pag.125, ex Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.244 num.XCVII. Echard Tomo I Scriptor.Ord.ad an. MCCCCXLVI pag.804*, ex variis antiquis Monumentis. Anno 1434.

F. Petrus de Aſtigio, Epiſcopus Almerienſis, *Almeria*, in Hiſpania Bætica, ſub Archiepiſcopo Granatenſi. Hunc Epiſcopum non norunt *Fontana, Cavalerius*, aliique. Ipſius mentio in ſequenti Conſtitutione. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro de Aſtigio Electo Almerien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Ad regimen univerſalis Eccleſiæ Divina diſpoſitione vocati &c. Cum itaque Eccleſia Almerien., cui bonæ memoriæ Jacobus Epiſcopus Almerien. dum viveret præſidebat, per obitum ipſius Epiſcopi qui antequam felicis recordationis Martinus Papa V Prædeceſſor noſter ad apicem ſummi Apoſtolatus aſſumeretur extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacaverit, & vacet ad præſens, Nos ad proviſionem ipſius Eccleſiæ, quæ in Partibus infidelium conſtituta exiſtit, ne prolixioris vacationis incommodis exponatur, paternis, & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, ac in Theologia Profeſſorem, & in Sacerdotio conſtitutum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & dictis Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Eccleſiæ &c. Si ex quavis cauſa ejus proviſio hujuſmodi ad Sedem Apoſtolicam ſpecialiter, vel generaliter pertineat, de ipſorum Fratrum noſtrorum conſilio auctoritate apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in virtute illius a quo univerſorum dona chariſmatum proveniunt confidentes, quod gratia tibi aſſiſtente Divina circa reductionem* Anno 1434 Die 19 Februarii.

infi-

inſidelium eorumdem non ſolum doctrina verbi, ſed exemplo boni operis laborabis, ipſaque Eccleſia per tuæ circumſpectionis induſtriam, & ſtudium fructuoſum regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Volumus autem quod quam primum præſentes literas habueris expeditas te ad dictam Eccleſiam conferas & reſideas perſonaliter in eadem, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Almerien. Pontificalia nequeas exercere. Jugum igitur &c. Datum Romæ apud Sanctum Griſogonum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Tertio (ſtylo Bullarum, æræ communis MCCCCXXXIV) *Vndecimo Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Tertio*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XLI fol.37.* Notandum, quod *Infideles* de quibus loquitur hæc Conſtitutio, erant *Mauri*, qui tunc ibidem graſſabantur.

Anno 1434 Die 16 Aprilis. F. Bartholomæus de Rimbertinis, Epiſcopus Argolicenſis, *Argo*, in Peloponneſo, ſub Archiepiſcopo Corinthio. Is ipſe eſt *Bartholomæus Lapaccius*, ſeculo XV Eccleſiæ columen, ac præclarum Ordinis & ævi ſui ſidus, quem *Verbi Ducem*, & *Tubam celebrem* vocabat *Eugenius IV*, ut docent Auctores mox laudandi. In duos, treſve, plerique *Bartholomæum* noſtrum multiplicant, uti notat *Echard*. Ipſi nomen *Bartholomæus*, ut variis monumentis evincitur, & in confeſſo eſt apud omnes. *Dominicus* etiam quandoque vocatur, ut ex *Monaldo*, *Badio*, & *Pacciantio*, demonſtrat *Echard*. Ex patria nonnunquam cognominatur *de Florentia*, ut videre eſt apud *S. Antoninum Hiſtor. Parte III Tit. XXII Cap. XI.* Aliquando *Lapaccius*, ſæpius *de Lapaciis* nuncupatur, ut liquet ex monumentis quæ tranſcribit *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLXVI pag.834. &c.* *Vbertinus* a *Badio* dicitur. *Rambertinus* ex antiquo *Ms.* nominatur a *Tomaſino* in *Indice Librorum Cardinalis Beſſarionis*, *Rimbertinus* appellatur in ejuſdem *Bartholomæi* libro *de ſenſibilibus deliciis Paradiſi &c.* Prodiit *Venetiis* anno *MCCCCXCVIII*. Cognomen tandem *de Rimbertinis* habet in Diplomate mox exſcribendo. Quod unus & idem tot illis nomenclaturis donatus ſit, ex eo probatur, quia ſcriptores coætanei, antiqua Monumenta, ipſiuſque *Bartholomæi* opera manuſcripta, variis illis cognominibus vocant *Bartholomæum* Ordinis Prædicatorum *Argolicenſem* primo, deinde *Cortonenſem*, poſtea *Coronenſem* Epiſcopum, qui *Eugenio IV*, & *Nicolao V* Summis Pontificibus, florebat. De *Cortonenſi* & *Coronenſi*, Sedibus, quibus præfuit *Bartholomæus*, dicetur poſtea. Nunc de *Argolicenſi* loquendum. Illi Eccleſiæ jus dixiſſe *Bartholomæum*, docent ex recentioribus *Plodius*, & *Fernandez*. Ipſos, ægre tamen, excipiunt *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. L pag.130*, & *Cavalerius Tomo I pag.271 num CCI*, in nota marginali. *F. Bartholomæum Lupatium* (en novum cognomen) *de Vbertiais, Florentinum*, inquit Fontana, *virum ſui ſeculi in Orbe Chriſtiano famoſum, ex Magiſtro Sacri Palatii Argolicenſem Epiſcopum evaſiſſe, Eugenio Papa IV promovente, aſſerunt Plodius Parte II Lib. III, & Fernandez in Epiſcopis Italis: veruntamen fides ſit apud ipſos.* Id ſane minime dubium, uti probat *Echard* mox laudatus. Emendandus tamen *pag.835* ubi *Bartholomæum* anno duntaxat *MCCCCXLIII* Epiſcopum *Argolicenſem* conſecratum fuiſſe, docet. Cur omnes illi Scriptores erraverint, id fuit in cauſa, quod, *Echard*, *Fontana*, *Plodius*, *Fernandez*, *Cavalerius*, aliique *Bartholomæum* Magiſtro Sacri Palatii *Johanni de Turrecremata* ſucceſſiſſe, putaverint. Cum autem *F. Johannes de Turrecremata* anno duntaxat *MCCCCXXXIX* ex Magiſtro Sacri Palatii Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis creatus ſit, hinc quiſque, pro viribus nodum ſolvere tentans, novas obduxit tenebras. Sed diſtinguendum *Magiſtros Scholarum Sacri Palatii Apoſtolici* a *Magiſtris* eiuſdem *Sacri Palatii*. Magiſtri Scholarum S. Palatii Apoſtolici, ut alibi notatum fuit, ii dicebantur, qui ſcholas illas habebant in ſacro Palatio, quæ nunc Romæ ſunt in Gymnaſio, cui a *Sapientia* nomen eſt. Omnium Ordinum, *Prædicatorum*, *Minorum* &c. Doctores id munus obire poterant. Officio Magiſtri Sacri Palatii, quod deſcribitur ab *Eugenio IV* in *Conſtitutione CLXV pag.81* huiuſce *III Tomi*, ſoli Fratres Prædicatores ab illo munere conſtituto ad hanc uſque diem functi ſunt. Magiſter Sacri Palatii per id tempus erat F. *Johannes de Turrecremata*. Hoc enim munere donatus fuit ab anno *MCCCCXXXI* ad annum uſque *MCCCCXXXIX*, ut videre eſt apud *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLXVIII pag. 837.* Hoc autem anno MCCCCXXXIV *Bartholomæus* noſter Magiſter erat ſcholarum ſacri Palatii Apoſtolici, ut ex hac Conſtitutione probatur. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Bartholomæo de Rimbertinis Electo Argolicen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Romani Pontificis &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Franciſco Epiſcopo Argolicen. regimini Argolicen. Eccleſiæ præſidente, Nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum eam vacare contingeret, per Apoſtolicæ Sedis providentiam utilem, & idoneam præſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane ſi ſecus ſuper his, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter per quoſcunque contingeret attentari. Poſtmodum vero dicta Eccleſia per obitum ejuſdem Franciſci Epiſcopi qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum vacante, nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus hac vice præter nos ſe intromittere poteſt, neque potuit, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, ac Magiſtrum Scholarum Palatii Apoſtolici, & Capellanum noſtrum, cui de Religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos &c. familiari experientia notum direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Eccleſiæ de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo &c. Datum Romæ apud Sanctum Griſogonum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quarto, Sextodecimo Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib.51. fol.276.*

F. Pe-

F. Petrus Juſtinianus, Epiſcopus Petenen., ſeu Petinen., vulgo *Pedena*, in Iſtria, ſub Patriarcha Aquilejenſi. Illum crediderim *Petrum de Venetiis* Epiſcopum *Petinenſem*, de quo *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXXII pag. 263*, ex *Taegio*, & *Ughello*, ac *Cavalerius Tomo I pag. 237 num. LXXVII.* Quod cognomento *Juſtinianus* fuerit, liquet ex hac Conſtitutione. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Juſtiniano electo Petenen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſponente Clementia &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Nicolao Epiſcopo Petenen. regimini Eccleſiæ Petenen. præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum & inane &c. poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ipſius Nicolai Epiſcopi qui extra Romanam Curiam &c. Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ipſius Eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis exponatur &c. poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem & in Presbyteratus ordine conſtitutum, cui de religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua nobis & eiſdem Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Petenen. Eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate noſtra, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem, curam, regimen & adminiſtrationem ejuſdem Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram & dictæ Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Florentiæ Anno &c. Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo quarto, Quarto Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LIII fol. 269.*

Anno 1434 Die 10 Septembris.

F. Laurentius de Cardis, Epiſcopus Sagonenſis, *Sagona*, in Corſica, ſub Archiepiſcopo Piſano. Hunc Epiſcopum non novit *Ughellus* in *Italia Sacra*. Omittitur a *Fontana* in Theatro Dominicano. *Laurentius Cardonius* vocatur quidem a *Razzio, Lopez*, & *Plodio* quos excipit *Cavalerius Tomo I pag. 246 num. CVI*, ſed *Razzius* ipſum præficit Eccleſiæ *Savonenſi* in *Liguria*: *Lopez* ipſum conſtituit Epiſcopum *Sagonenſem*, in *Corſica*, *Plodius* autem & *Cavalerius* incerti ſunt quid eligere poſſint. Litem dirimit ſequens *Conſtitutio.* Cum enim *Laurentius* ibi dicatur, ſucceſſiſſe *Gabrieli*, a *Sagonenſi* ad Eccleſiam *Foroſempronienſem* tranſlato, & habeatur ex tabulis Eccleſiarum *Sagonenſis* in *Corſica*, & *Foroſempronienſis*, vulgo *Foſſembrone*, in *Umbria*, *Gabrielem*, Ordinis *S. Benedicti* Monachum, *Sagonæ*, & *Fori-Sempronii* hoc anno ſediſſe. Hinc liquet, *Laurentium* noſtrum *Sagonenſem*, non vero *Savonenſem* Epiſcopum fuiſſe. Ejuſdem *Gabrielis* meminit *Ughellus in Epiſcopis Sagonen. Tomo III Italiæ Sacræ pag. 517. ad annum MCCCCXXXII*, & in *Epiſcopis Foroſempronien. Tomo II pag. 833. Editionis II.* Verum, quod idem Præſul, de una ad alteram tranſlatus utrique Sedi præfuerit, non dicit. Errat, non in anno *MCCCCXXXIV*, ſed in die *XIX* Novembris, quo *Gabrielem Epiſcopum Foroſempronienſem adlectum fuiſſe*, docet. Aliud ipſi cognomen imponit, & ita ſilet, quod Epiſcopus iſte *Foroſempronienſis* Ordinis *S. Benedicti* alumnus fuerit, ut argumento ſit, quod Ughellus *Gabrielem Foroſempronienſem* diſtinxerit a *Gabriele* Ordinis *S. Benedicti* Epiſcopo *Sagonenſi*. Hæc omnia ſequentibus Diplomatibus illuſtrantur. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Laurentio de Cardis Electo Sagonen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Sane Eccleſia Sagonen. ex eo vacante quod nos hodie Venerabilem Fratrem noſtrum Gabrielem Foriſempronien., tunc Sagonen. Epiſcopum apud Sedem Apoſtolicam conſtitutum, a vinculo quo dictæ Eccleſiæ, cui tunc præerat, tenebatur, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes, ipſum ad Eccleſiam Foriſempronien. tunc paſtore carente duximus auctoritate Apoſtolica transferendum, præficiendo eum illi in Epiſcopum, & paſtorem, Nos ad proviſionem dictæ Eccleſiæ Sagonen. &c. ne longæ vacationis exponatur &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem & etiam fructuoſam cum dictis Fratribus habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorem profeſſorem, in Theologia Magiſtrum, & in Sacerdotio conſtitutum, religionis zelo conſpicuum, vitæ, ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum donis, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus, inſignitum direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ Sagonen., de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio auctoritate præfata providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & paſtorem, curam, & adminiſtrationem dictæ Eccleſiæ Sagonen., tibi in ſpiritualibus plenarie committendo. In illo, qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. Noſtram, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo quarto, Quarto Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LIII. fol. 296.* In alio vero ſic legitur. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Laurentio Electo Sagonen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Exigit tuæ devotionis affectus &c. Cum itaque, ſicut exhibita nobis petitio tua continebat, tu de cujus perſona nuper Eccleſiæ Sagonen. tunc vacanti, te illi in Epiſcopum, & Paſtorem præficiendo providimus, ad Ordinem Fratrum Prædicatorum, cujus Profeſſor exiſtis, ſingularem, ut aſſeris, geras devotionis affectum, cupiaſque unum, vel duos Fratres ejuſdem Ordinis profeſſores, viros utique honeſtate conſpicuos, ac ſcientia, & moribus eruditos, tecum pro legendis horis Canonicis, & alias in tuis ſervitiis retinere Nos tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut Fratres hujuſmodi unum, vel duos tantum, in domo tua Epiſcopali recipere, & ad hujuſmodi tua ſervitia retinere, eiſque, ut, ſuperiorum ſuorum petita licet non obtenta licentia, loca, & clauſtra ipſorum exire, & ad ſervitia tua accedere, ac tecum in illis in domo tua præfata, & penes eandem Eccleſiam remanere, libere, & licite valeant, Conſtitutionibus & ordinationibus Eccleſiæ, & Ordinis prædictorum, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, tibi, & eis plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica tenore præſentium licentiam elargimur. Volumus autem, quod dicti Fratres in habitu, & profeſſione eorum*

Anno 1434 Die 29 Octobris.

remaneant, & horas canonicas extra dictam Eccleſiam juxta dicti Ordinis, in illa vero juxta ipſius Eccleſiæ ritum, & conſuetudinem teneantur. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quarto, Quarto Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno quarto. Ex Archivo Apoſtolico *Libro XLIII fol.225.*

Anno 1434 Die 22 Decembris. F. Gundiſalvus de Curiola, Epiſcopus Augurien., ſeu, quantum conjectura conſequi poſſum, Angurien., Ancyranus nempe, vulgo *Anguri*, rectius *Angyra*, in Prygia, ſub Archiepiſcopo Hierapolitano. Epiſcopus *Angarienſis* renunciatus eſt *Gundiſalvus* Diplomate dato *XI* Kalendas Januarii *MCCCCXXXIV*, Pontificatus *Eugenii IV* Anno Quarto. Sic incipit: *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Gundiſalvo de Curiola, Electo Angarien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus Officium &c.* In Archivo Ordinis aſſervatur Exemplar ex Archivo Apoſtolico *Lib.LI fol.*249. Cuidam Franciſco ſucceſſit *Gundiſalvus* noſter. Id certum ex Diplomate mox laudato, ſed ubinam ſit hæc *Angurienſis* Sedes, non facile dictu. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.LXIV pag.134, ex Fernandez, & Plodio, Cavalerius Tomo I pag.233 num.LXIV, & Bernardus de Jonghe in Belgio Dominicano pag.414* Gundiſalvum iſtum nominant *Conſalvum Anglum*. Addunt *Fernandez, Plodius, Cavalerius*, & *Fontana*, quod hæc Sedes eſt in *Anglia*. Ipſius tamen nulla mentio in Tabulis Eccleſiaſticis *Angliæ*, quas conſulere potui, nec hujus nominis *Angliæ* civitatem novi.

Anno 1434. F. Nicolaus Urbinas, Epiſcopus Acerranus, *Cerra*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Neapolitano. *Ughellus in Epiſcopis Acerranis Tomo VI Italiæ Sacræ pag.*219 *Edit.II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.VI pag.*114. *Cavalerius Tomo I pag.234 num.LXVIII.*

Anno 1434. F. Benedictus de Paconeto, alumnus Provinciæ Regni Neapolitani, Epiſcopus Arienſis, in Græcia, ſub Archiepiſcopo Cretenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V. Tit.LI pag.130, ex Lib. Proviſion. Prælatorum. Cavalerius Tomo I pag.241 num.XCI.* Ad Eccleſiam *Balneoregienſem* translatus fuit, ut in hac *Appendice* dicetur.

Anno 1435 Die 10 Octobris. F. Johannes Feyre, Epiſcopus Sodorenſis, ſeu Soderenſis, in Scotia, ſub Archiepiſcopo Glaſcovienſi. Ignotus iſte *Fontanæ, Cavalerio*, ceteriſque. Ipſius mentio in ſequenti Diplomate. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Feyre Electo Sodoren., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſponente Clementia &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Ricardo Epiſcopo Sodoren. regimini Sodoren. Eccleſiæ præſidente, Nos cupientes ipſi Eccleſiæ, cum vacaret, per ejuſdem providentiam Sedis utilem, & idoneam, præſidere perſonam, dictæ Eccleſiæ proviſionem ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcumque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero dicta Eccleſia per obitum ejuſdem Ricardi Epiſcopi qui extra Romanam Curiam deceſſit vacante, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter nos hac vice ſe intromittere potuerat, ſive poterat, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes de perſona quondam Johannis Barwaſſh Electi Sodoren. ipſi Eccleſiæ auctoritate Apoſtolica providimus, ac eum illi in Epiſcopum Paſtoremque præfecimus. Cum itaque præfatus Electus interim poſſeſſione, vel quaſi, regiminis, & adminiſtrationis Eccleſiæ prædictæ per eum non habita, nec munere ſibi conſecrationis impenſo, fuerit extra eandem curiam vita functus, Nos ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis, præcavere ſummopere cupientes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & in Theologia Profeſſorem, cui de Religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta ipſi Eccleſiæ de prædictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate præfata, providemus, Teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, dictæ Eccleſiæ, curam, & hujuſmodi adminiſtrationem tibi in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto, Sexto Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib.LXX fol.236.*

Anno 1435. F. Thomas Tomaſinus, Ex Epiſcopo *Tragurienſi*, Epiſcopus Recanatenſis, *Recanati*, & Maceratenſis, *Macerata*, in Piceno, ſub Archiepiſcopo Firmano. *Ughellus Tomo I in Epiſcopis Recanaten., & in Epiſcopis Maceraten. Tomo II Italiæ Sacræ pag.*739. *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.24. col.II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.CCCLIII pag.*221, *& Tit.CCCCLXXXVIII pag.*278. *Cavalerius Tomo I pag.245. num.CII.* Variis Eccleſiis præfuit *Thomas* iſte, *Æmonienſi* ſcilicet anno MCCCCX, *Polenſi* anno MCCCCXX, *Urbinatenſi* anno MCCCCXXIII, *Tragurienſi* anno MCCCCXXIV, ut videre eſt in præcedentibus *Appendicibus*, ubi quamplures Auctores laudantur, ſed ſciendum, quod annorum ſeries ſæpius ab illis invertitur. Hinc Scriptores *pag.* 709. *Tomo II* hujus Bullarii citatos ſectatus, cum dixiſſem *Thomam* noſtrum anno *MCCCCXXX* renunciatum fuiſſe *Leſinenſem* Epiſcopum, notavi, conſulendam eſſe *Conſtitutionem LXV Eugenii IV.* Legitur hæc Conſtitutio *pag.*49. hujuſce *III*

Vo-

Digitized by Google

Voluminis, ubi *Nota III* probatur, quod vel *Thomas* noſter *Leſinenſis* primo, poſtea *Traguriensis* Epiſcopus fuit, vel *Leſinenſis* Epiſcopus deſignatus eſt quidem *Thomas*, ſed illi Sedi nuncium remiſit, & *Traguriensi* præfuit ad annum *MCCCCXXXV*, quo *Maceratenſis*, & *Recanatenſi* Epiſcopus creatus eſt. Enim vero in *Conſtitutione LXIV Eugenii IV* data *I* Octobris *MCCCCXXXV* (legitur pag. 47.) *Thomas* vocatur Epiſcopus *Traguriensis*, Generalis Eccleſiæ *Florentinæ*, præſentaliter Paſtore carentis, in ſpiritualibus & temporalibus adminiſtrator &c. & in ſequenti *Conſtitutione LXV* data *XXIX* Octobris eodem anno *Thomas* dicitur *Recanatenſis* & *Maceratenſis* Epiſcopus, *tunc Traguriensis*, generalis Adminiſtrator Eccleſiæ *Florentinæ &c.* Quod argumento eſt, *Thomam* hoc anno *MCCCCXXXV* ex *Traguriensi* ad *Recanatenſem*, & *Maceratenſem* Eccleſias tranſlatum fuiſſe. Epiſcopus certe *Traguriensis* erat anno *MCCCCXXXI*, ut conſtat ex Sequenti Diplomate. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Thomæ Epiſcopo Tragurien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Perſonam tuam, nobis, & Apoſtolicæ Sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benevolentia proſequentes, illa tibi libenter concedimus, quæ tibi fore conſpicimus opportuna, tuis igitur in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi qui Profeſſor Ordinis Prædicatorum exiſtis, aſſumendi, & tecum retinendi, ad tua obſequia, & ſub tua obedientia, duos Fratres dicti Ordinis, quos ad hoc duxeris eligendos, ipſoſque ad Romanam Curiam, & quæcunque alia loca, prout, & quoties tibi expediens fuerit, tranſmittendi, ac ipſis Fratribus pro tempore eligendis præmiſſa faciendi, ipſoſque Fratres ſemel per te electos, ſi tibi videbitur, ad dictum Ordinem remittendi, & alios duos dicti Ordinis, quoties tibi placuerit, de novo recipiendi, & tecum, quoad vixeris, retinendi, quibuſcunque privilegiis, vel indulgentiis, prædicto Ordini, vel ejus Fratribus ab Apoſtolica Sede conceſſis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus prædicti Ordinis nequaquam obſtantibus, plenam, & liberam tenore præſentium concedimus facultatem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo primo, Decimo octavo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno primo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. 14. fol. 285.* Eccleſiis *Bellunen.*, & *Feltren.* jus dixiſſe *Thomam*, hac in *Appendice* videbitur.

Anno 1436 Die 10 Februarii.

F. Johannes Heyterbach, Epiſcopus Adrimitanus: Fortaſſis Adramyttenus, vulgo *Landramiti*, Turcis *Endromit*, in Phrygia, ſub Archiepiſcopo Epheſino, vel Adrumetanus, in Africa, ſub Archiepiſcopo Carthaginenſi. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio &c.* Diploma, quo renunciatur Epiſcopus, hujus tenoris eſt. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Heyterbach Electo Adrimitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Henrico Epiſcopo Adrimitan. Eccleſiæ Adrimitan. præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret per Apoſtolicæ Sedis providentiam, utilem, & idoneam, præſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſiæ Ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ipſius Henrici Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter Nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne ipſa Eccleſia longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, in Sacra Theologia Magiſtrum, in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua Nobis & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ Adrimitan.; de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto* (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCXXXVI) *Quarto Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro 70. fol. 270.*

Anno 1436 Die 5 Martii.

F. Thomas Thinton, Epiſcopus Bangorenſis, *Bangor*, in Anglia, ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi. Succeſſit *Johanni* noſtro *Gilbert*, ut videre eſt ex hoc Diplomate, quod tranſcribitur, quia *Fontana*, *Cavalerius*, aliique *Thomæ* non meminerunt. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Thomæ Thinton Electo Bangoren., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſponente clementia &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Johanne Epiſcopo Bangoren. regimini Bangoren. Eccleſiæ præſidente, Nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum eam vacare contingeret, per ipſius providentiam Sedis utilem, & idoneam, præeſſe perſonam, dictæ Eccleſiæ proviſionem ordinationi & diſpoſitioni noſtræ duximus ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane ſi ſecus ſuper his per quoſcunque quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero prædicta Eccleſia per obitum ejuſdem Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacante, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, cui de literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua Nobis & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam,* meri-

meritorum accepta præfatæ Eccleſiæ de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Quinto (Stylo Bullarum, æræ vero communis MCCCCXXXVI) *Tertio Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Quinto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib.* 113. *fol.* 100.

Anno circiter 1436. F. Siffridus Teuto, Epiſcopus Cyrenſis, aliis Cyrrenſis, vulgo *Quars*, olim *Carin*, in Syria, ſub Archiepiſcopo Hierapolitano, vulgo *Alep*, in Patriarchatu Antiocheno. *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLIX pag* 820, ex *Trithemio, Luſitano, Simlero, Eyſeingrenio, Pio*, ſeu *Plodio, Fontana, Altamura* qui *Siffridum* ad annum *MCCCCLXX* rejiciunt. Ipſis ſuffragatur *Cavalerius Tomo I pag.* 280 *num. CCXV.* Sed notandum, quod *Siffridus* noſter Suffraganeus, ut loquuntur, ſeu paſtoralis curæ Vicarius, fuit *Theodorici* Archiepiſcopi *Moguntini*, qui Sedit ab anno *MCCCCXXXVI* ad *MCCCCLIX.* Licet igitur *Siffridus* ſuperſtes fortaſſis fuerit anno *MCCCCLXX*, Epiſcopus tamen jam antea renunciatus erat. Hallucinantur etiam *Trithemius*, aliique, qui *Siffridum* vocant Epiſcopum *Cyrenenſem*. Sedes enim *Cyrenenſis*, olim vulgo *Corene*, nunc *Cairoan*, in *Africa*, Archiepiſcopalis eſt: & *Siffridus* in antiquis monumentis quæ refert *Echard*, dicitur *Epiſcopus Cirenſis*, non vero *Cyrenenſis*. Vide quæ de *Syfrido Piſcatoris* hac in *Appendice* notantur in Epiſcopis anni *MCCCCXLVI.*

Anno 1436 Die 3 Septembris. F. Nicolaus Odalii, *multiplicium virtutum meritis inſignitus*, ut loquitur *Eugenius IV* in Diplomate, quo Nicolaus renunciatur Epiſcopus Achadenſis, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Tuamenſi. *Fontana in Monumen. Dominicanis Parte III Cap. I ad annum MCCCCXXXVI pag.* 330, *ex Eugenii IV Conſtitutione data tertio Nonas Septembris, Pontificatus anno Sexto. Cavalerius Tomo I pag.* 232 *num. LVIII.*

Anno 1436 Die 8 Octobris. F. Angelus de Bononia, Epiſcopus Veglen., ſeu Veglanen., Vegien., & Veglien., vulgo *Veggia, Veglia*, & *Vegla*, Slavis *Kirk*, in ejuſdem nominis Inſula maris Adriatici, ſub Archiepiſcopo Jaderenſi. Omittitur a *Fontana, Cavalerio*, ceteriſque. Succeſſit *Angelus* noſter cuidam *Nicolao*. Hinc dubium ſubnaſci poteſt, utrum ſcilicet *Veglienſis* Epiſcopus fuerit *Angelus* in *Apulia*, ubi Sedes *Vigilienſis*, nonnullis *Veglien.*, vulgo *Biſeglia*, & *Veglia*, ſub Archiepiſcopo *Tranenſi*. Ibi per id tempus Sediſſe *Nicolaum* quendam, docent *Ughellus*, & *Sarnellius* in *Epiſcopis Vigilien.* Sed ad annum uſque *MCCCCXLII* Epiſcopum fuiſſe *Nicolaum*, auctores ſunt Scriptores mox laudati, qui *Angelum de Bononia* non norunt. Quapropter ipſum *Vigilienſes* inter Epiſcopos recenſere non audeo. Quod Epiſcopus *Veglenſis* fuerit, conſtat ex hoc Diplomate. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Angelo de Bononia Electo Veglen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Ad exequendum Paſtoralis officii debitum vigilantibus ſtudiis intendentes &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Nicolao Epiſcopo Veglen. regimini Veglen. Eccleſiæ præſidente, Nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret, per Apoſtolicæ Sedis providentiam utilem, & idoneam præſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi & proviſioni noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ipſius Nicolai Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta, nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem, ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem de qua nullus præter nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, & in Theologia Magiſtrum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis: quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Eccleſiæ de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo &c. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Sexto, Octavo Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Sexto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib.* 81. *fol.* 69.

Anno 1436. F. Leonardus, vel Lambertus, ut a nonnullis nominatur, cognomento de Solis, Epiſcopus Andrenſis, *Andro*, in ejuſdem nominis Inſula Maris Ægæi, ſub Archiepiſcopo Naxenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 232. *num. LIX. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcopor. pag.* 26. *col. II*, & *ad annum MCCCCXXXVI pag.* 790 *col. II.*

Anno 1447 Die 15 Aprilis. F. Georgius, Epiſcopus Sibenicenſis, vulgo *Sebenico*, in Dalmatia, ſub Archiepiſcopo Spalatenſi. Hunc omittunt *Fontana, Cavalerius &c.* Epiſcopus renunciatus fuit hocce Diplomate. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Georgio Electo Sibenicen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Ad exequendum Paſtoralis officii debitum vigilantibus ſtudiis intendentes &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Bogdano Epiſcopo Sibenicen. regimini Sibenicen. Eccleſiæ præſidente, Nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret, per Apoſtolicæ Sedis providentiam utilem, & idoneam præſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi & diſpoſitioni noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper*

his

Digitized by Google

bis per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ipſius Bogdani Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum Paſtoris ſolatio deſtituta, dilecti filii Capitulum ejuſdem Eccleſiæ reſervationis, & decreti prædictorum forſan ignari, vocatis omnibus, qui potuerunt, debuerunt, ac etiam voluerunt electioni hujuſmodi intereſſe, die ad eligendum præfixa, ut moris eſt, convenientes, nimirum te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem in Theologia Magiſtrum, & in Presbyteratus ordine conſtitutum, in eorum, & dictæ Eccleſiæ Epiſcopum concorditer elegerunt licet de facto, tuque reſervationis, & decreti præfatorum ſimiliter inſcius electioni hujuſmodi illius tibi præſentato decreto, conſenſiſti ſimiliter de facto, & demum reſervatione, & decreto ad tuam deductis notitiam, hujuſmodi electionis negotium proponi feciſti in Conſiſtorio coram nobis. Nos igitur electionem ipſam, & quæcunque inde ſecuta ut pote poſt, & contra reſervationem, & decretum prædicta de facto, ut præmittitur, attentata, irrita prout erant, & inania reputantes, ac ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longa vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te cui de Religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus, necnon dictorum Capituli te eligentium concordi voluntate debita meditatione penſatis, de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta eidem de dictorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo &c. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo, Decimo Septimo Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Septimo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib.89. fol.251.*

F. Petrus de Cruce, Epiſcopus Tiberiaden., in Palæſtina, ſub Archiepiſcopo Nazareno. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio &c.* Hocce Diplomate conſtitutus fuit Epiſcopus. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro de Cruce Electo Tiberiaden., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſponente Clementia &c. Dudum ſiquidem Johanne Epiſcopo Tiberiaden. regimini, Tiberiaden. Eccleſiæ præſidente, Nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum eam vacare contingeret, per ipſius providentiam Sedis utilem, & idoneam præeſſe perſonam, dictæ Eccleſiæ proviſionem ordinationi, & diſpoſitioni, noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero per obitum ejuſdem Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacante, nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum & in Theologia Profeſſorem, cui de Religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, præfatæ Eccleſiæ de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica. providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem tibi in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo &c. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo, Quinto Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Septimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro 89. fol.307.* Anno 1437 Die 9 Auguſti.

F. Hugo de Shenheim, Epiſcopus Nicopolitanus. Quænam ſit hæc Sedes, definire non auſim. Enim vero, ut notatum fuit *Tomo II pag.530*, hujus nominis variæ ſunt Urbes. Alia eſt in *Palæſtina*, ſub Patriarcha *Jeroſolymitano*, alia in *Armenia Minori*, ſub Archiepiſcopo *Sebaſtenſi*. Eſt etiam *Nicopolis Epiri*, ſub Archipræſule *Naupactenſi*. Eſt & *Nicopolis* in *Myſia*. Ceterum hujus Epiſcopi, quem *Fontana*, *Cavalerius*, ceterique non norunt, meminit ſequens Diploma. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Hugoni de Shenheim Electo Nicopolitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Attentæ conſiderationis intuitum &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Wenzeslao Epiſcopo Nicopolitan. regimini Nicopolitan. Eccleſiæ præſidente, Nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret, per Apoſtolicæ Sedis providentiam utilem, & idoneam præſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane. ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contingeret attentari. Poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum dicti Wenzeslai Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacante, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & filicem, de qua nullus præter nos hoc vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervacione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſorem, & in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus attenta meditatione penſatis de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo &c.* Anno 1437 Die 9 Auguſti.

Da-

Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo, Quinto Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Septimo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXXXIX fol. 262.*

Anno 1437 Die 13 Septembris.

F. Johannes de Curali, Epiſcopus Embronenſis, ſeu Imbronenſis, vulgo *l'Embro*, vel *Lembro*, in ejuſdem nominis Inſula Maris Ægæi. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio &c.* Ipſius mentio in ſequenti Diplomate. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Curali Electo Embronen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſponente Clementia &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Epiſcopo Embronen. Eccleſiæ Embronen. præſidente, Nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret, per ipſius providentiam ſedis utilem, & idoneam, præſidere perſonam, dictæ Ecleſiæ proviſionem ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter, contingeret attentari. Poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum præfati Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam deceſſit, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum & in Theologia Profeſſorem, necnon in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circunſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Eccleſiæ de ipſorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem ejus curam in ſpiritualibus, & temporalibus tibi plenarie committendo. In illo &c. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triteſimo Septimo, Idibus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. 98. fol. 287.*

Anno 1437.

F. Nicolaus, Epiſcopus Sarreptanus, ſeu Sareptanus, in Phœnicia, ſub Archiepiſcopo Tyrio. Nec iſtum norunt *Fontana*, *Cavalerius &c.* Legendæ ſequentes Conſtitutiones, & notandum, quod olim ſub *Nazareno*, nunc *Sareptanus* Epiſcopatus eſt ſub Archiepiſcopo Tyrio. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nicolao Electo Sarreptan. Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sincera devotionis affectus &c. Nuper ſiquidem Eccleſia Sarreptan. tunc Paſtore carenti de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio duximus auctoritate apoſtolica providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris, in quibus etiam voluimus, quod quamprimum literas Apoſtolicas ſuper proviſione, & perfectione hujuſmodi expeditas haberes, ad præfatam Eccleſiam accederes, & apud illam perſonaliter reſideres, quodque extra tuam Civitatem, & Diœceſim, Pontificalia officia exercere nequires, inde confectis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad Eccleſiam præfatam, quæ in Partibus infidelium conſiſtit, nequeas commode accedere, & apud eam perſonaliter reſidere, Nos volentes te præmiſſorum intuitu favoribus proſequi gratioſis, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi quod ad Eccleſiam prædictam accedere, ſeu apud eam perſonaliter reſidere minime tenearis, quodque poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis, in Civitate, & Diœceſi Tornacen., dummodo per illorum Diœceſanum ad id requiſitus fueris, etiam de illius ſpeciali licentia hujuſmodi Pontificalia officia exercere libere, & licite valeas, auctoritate præſentium indulgemus, voluntate prædicta, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque non obſtantibus, proviſo quod ordinationes Clericorum per te ad quaſvis ordinationes promoveri volentium ſtatutis a jure temporibus duntaxat tenere debeas, & prout Ordinationes hujuſmodi requirunt ſucceſſive ordinandos promoveas ſecundum juris diſpoſitiones, quodque ratione ordinum exhibendorum hujuſmodi, aut aliorum, ad Epiſcopale officium pertinentium, nihil per te, vel alium, directe, vel indirecte recipias, niſi quando te extra Civitatem hujuſmodi transferre contingeret, & tunc procurationes in victualibus recipere valeas moderatas, alioquin, ſi ſecus egeris, eo ipſo te noveris ab officio hujuſmodi fore ſuſpenſum. Nulli ergo &c. Noſtræ conceſſionis & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo, Quinto Nonas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.* Ex Archivo Apoſtolico *lib 92 fol 215.* Aliud vero Diploma hujus tenoris eſt. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nicolao Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori Electo Sarreptan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum Nos pridem Eccleſiæ Sarreptan. Paſtoris regimine deſtitutæ de perſona tua Nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica duxerimus providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur, Nos ad ea, quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis ſupplicationibus inclinati, tibi, ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus, vel tribus Catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam, & communionem habentibus, munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut munus prædictum auctoritate noſtra impendere libere tibi poſſit, plenam, & liberam concedimus tenore præſentium facultatem: volumus autem, quod idem Antiſtes, qui præfatum munus impendet, poſtquam illud tibi impenderit, a te noſtro, & Romanæ Eccleſiæ nomine fidelitatis debitæ ſolitum recipiat juramentum juxta formam quam ſub Bulla noſtra mittimus intercluſam, ac formam Juramenti, quod te præſtare contigerit, Nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo ſigillo ſignatas per proprium Nuncium quantocitius deſtinare procuret. Quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Nazareten. cui præfata Eccleſia Metropolitico jure ſubeſſe dignoſcitur, nullum in poſterum præjudicium generetur. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo, Nonis Novembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro XCII fol. 217.*

F. Jo-

F. Johannes, Epiſcopus Troianus, Turcis *Eski Stamboul*, in Phrygia, ſub Archiepiſcopo Cyziceno. Anno 1437.
Illius non meminerunt *Fontana*, *Cavalerius &c.* Quod Epiſcopus fuerit liquet ex ſequenti Diplomate. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Electo Troian., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Exigit tuæ devotionis ſinceritas, quam ad nos, & Romanam Eccleſiam gerere comprobaris, ut petitionibus tuis, illis præſertim per quas tuæ opportunitati conſulitur quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus. Nuper ſiquidem Eccleſiæ Troian. tunc Paſtore carenti de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam, meritorum accepta de eorundem Fratrum conſilio, auctoritate apoſtolica, duximus providendum, præficiendo te eidem Eccleſiæ in Epiſcopum & Paſtorem, prout in noſtris exinde confectis literis plenius continetur. Cum itaque duæ in Eccleſia Domus Fratrum Prædicatorum cujus ordinis Profeſſor exiſtis, perpetuæ Capellaniæ ſine cura, quas ante promotionem, & præfectionem hujuſmodi Canonice, ut aſſeris, obtinebas, prout obtines, per hujuſmodi promotionem, & munus conſecrationis impendendum tibi vacare ſperentur, Nos volentes te, qui etiam in Theologia Magiſter exiſtis, & ad Eccleſiam tuam præfatam, quæ in partibus Infidelium conſtituta eſt, accedere, & in ea reſidere non potes, ut ſtatum tuum decentius tenere valeas de alicujus ſubventionis auxilio providere, præmiſſorum intuitu, necnon conſideratione venerabilis Fratris noſtri Petri Epiſcopi Albanen. pro te nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantis, favore proſequi gratia ſpecialis, ipſius Epiſcopi, & tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, ut etiam, poſtquam munus receperis antedictum, præfatas Capellanias, quarum fructus, redditus, & proventus Triginta librarum Turonen. parvorum ſecundum communem æſtimationem valorem annuum, ut accepimus, non excedunt, quoad vixeris, una cum dicta Eccleſia Troian. in commendam retinere, ac illarum fructus, redditus, & proventus percipere, ipſoſque in tuos, & dictarum Capellaniarum uſus, & utilitatem convertere, libere, & licite valeas, non obſtantibus, quod Ordinis prædicti Profeſſor exiſtis, & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Domus, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpeciali gratia indulgemus. Proviſo quod Capellæ prædictæ debitis propterea non fraudentur obſequiis, ſed earum debite ſupportentur onera conſueta. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Ferrariæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Octavo, Septimo Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Octavo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib.* 105. *fol.* 296.

F. Johannes Hiſpanus, alumnus Salmanticenſis Cœnobii, Epiſcopus Benevolenſis, vulgo *Benevola*, Anno circiter 1437.
Cavalerius Tomo I pag. 233. *num. LXII*, *ex Lopez*. Anno *MCCCCXXXVII* die *I* Auguſti Sacras Ædes & unum Altare cujuſdam Conventus Ordinis *S. Franciſci*, permiſſu *Salmanticenſis* Epiſcopi, ſolemni ritu conſecravit *Johannes*, uti refert *Cavalerius*. Hinc quod Epiſcopus fuerit, certum. Sed quiſnam ſit *Benevolenſis* Epiſcopatus, quem *Lopez* alibi *Venevalenſem* vocat, me fugit. *Cavalerius* arbitratur, ſcribendum *Bengalenſem*, vulgo *Bengula*, in *India* extra *Gangem*, ſub Imperio *Magni Mogolis*. Legerem *Bengueleuſis*, vulgo *Benguela*. Urbs eſt in ejuſdem nominis Regione *Africæ*, in *Æthiopia inferiori*, in Regno *Angolæ*. Ibi tunc *Hiſpani*, nunc *Luſitani*, & *Batavi*. Notandum quod *Ulyſſiponenſis* Archiepiſcopus ſuos inter *Suffraganeos* recenſet Epiſcopum *Congenſem*, vulgo *Congo*, in ejuſdem nominis Regno. Situm eſt in *Africa*. Habet ad auſtrum *Benguelam*, unde fortaſſis Epiſcopatus *Congum* tranſlatus eſt.

F. Gillerius, vel Guillerius, Balam, Antiſſiodorenſis, ex Epiſcopo *Ebronenſi*, ut in hac *Appendice* Anno 1437.
dictum fuit, Epiſcopus Bethleemitanus, in Judæa, ſub Patriarcha Jeroſolymitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXXXVIII pag.* 141, *ex Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.* 234 *num. LXVII*, Epiſcopus *Ebroicenſis* fuit, ut mox dicetur.

F. Petrus de Durfort, Gallus, e nobili gente de Duras, Petragoricenſis, *Perigueux*, in Gallia Aquitanica, ſub Archiepiſcopo Burdigalenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXIII* Anno 1438.
pag. 263, *ex Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.* 233 *num. LXIII.* Huic Eccleſiæ brevi tempore præfuit vir eruditione, ac pietate venerabilis. *Jacet in choro ſuæ Cathedralis*, ut inquit *Fontana*, ubi ſequens Epitaphium:

Præſul erat Petrus, jacet hic in pulvere pulvis.
Sit cælum requies, ſit tibi vita Deus.
Obiit X Aprilis.

F. Benedictus de Paconeto, ex Epiſcopo *Arienſi*, ut in hac *Appendice* videre eſt, Epiſcopus Balneo- Anno 1438.
regienſis, *Bagnarea*, in Hetruria, ſub Sancta Sede. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXXII pag.* 136, *ex Taegio, & Ughello. Cavalerius Tomo I pag.* 241 *num. XCI.*

F. Gillerius, vel Guillerius, Balam, Antiſſiodorenſis, ex Epiſcopo *Bethleemitano*, ut mox dictum Anno 1438.
fuit, Epiſcopus Ebroicenſis, *Evreux*, in Normannia, ſub Archiepiſcopo Rotomagenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXX pag.* 188, *ex Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.* 234. *num. LXVII.*

F. Johannes de Raguſio, cognomento Stoicus, Epiſcopus Argentinenſis, *Strasbourg*, in Alſatia, ſub Anno circiter 1438.
Archiepiſcopo Moguntino. Variis Legationibus floruiſſe *Johannem*, quem Monumenta Cœnobii *Raguſini*, ejuſdem Conventus alumnum fuiſſe produnt, certa res eſt. Quod etiam fuerit Epiſcopus, minime du-

dubium eſſe poteſt. An vero fuerit *Argentinenſis*, ut docent *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XLIX pag.* 129, *ex* variis auctoribus, quos laudat, & *Cavalerius Tomo I pag.* 235 *num. LXXII*, vel *Argenſis* in *Peloponneſo*, uti cenſet *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCXLIV pag.* 797 *&c.* de hoc inter Scriptores non convenit.

Anno 1438 Die 21 Februarii. F. Lupus de Metina, Epiſcopus Segobienſis, *Segovia*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Toletano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXL pag.* 293, *ex Ægidio in Theatro Segobienſis Eccleſiæ*. *Cavalerius Tomo I pag.* 277 *num. CCIX. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLVI pag.* 813, ex variis Auctoribus, & Monumentis. Ubi notandum quod *Lupus* noſter *de Barrientos* cognominatur. Ex antiqua ſiquidem gente *de Barrientos* oriundus eſt. *De Metina* vero cognomen habet in Diplomate mox laudando, quia *Metinæ*, rectius *Methymnæ*, vulgo *Medina del Campo*, in *Hiſpania*, natus eſt, & Cœnobii *Methymnenſis* fuit alumnus. *Johanni* Regi *Caſtellæ* & *Legionis* a conſiliis & Confeſſionibus, ac *Henrici* Principis Magiſter, ſeu Præceptor erat, cum *Segobienſis* Epiſcopus renunciatus eſt anno *MCCCCXXXVIII*. Emendandi ſiquidem *Fontana*, *Cavalerius*, aliique, a quibus Epiſcopus iſte remittitur ad annum *MCCCCXL*. Epiſcopus certe renunciatus eſt Anno *MCCCCXXXVIII*, ut liquet ex *Eugenii IV* Conſtitutione, quæ ſic incipit. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Lupo de Metina, Electo Segobien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſponente clementia &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Johanne Epiſcopo Segobien. &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, & in Theologia Magiſtrum &c. Datum Ferrariæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo* (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCXXXVIII) *Nono Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Septimo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XCVIII fol.* 309. Aliis Eccleſiis præfuit *Lupus*, ut in hac *Appendice* dicetur.

Anno 1438. F. Nicolaus Auguſta, Venetus, Epiſcopus Tricaricenſis, *Tricarico*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Acheruntino, & Materano. *Ughellus in Epiſcopis Tricaricen. Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 153 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXCIX pag.* 313. *Cavalerius Tomo I pag.* 243. *num. XCVI. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCXLVI pag.* 806. Ad annum *MCCCCLXXXVI* remittitur a *Plodio*, & *Rovetta*, ſed falluntur, ut liquet ex hoc Diplomate. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Nicolao Epiſcopo Tricaricen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem: Devotionis tuæ ſinceritas qua erga nos, & Romanam Eccleſiam, ſplendere dignoſceris non indigne meretur, ut his quæ ſunt favoris, & gratiæ, nos tibi promptos, & benevolos gaudeas inveniſſe. Cum itaque, ſicuti tua nobis nuper exhibita petitio continebat, Tu qui Ordinem Fratrum Prædicatorum expreſſe profeſſus exiſtis, ob ſingularem devotionis affectum quem ad Ordinem ipſum geris, deſideres apud te aliquos ejuſdem Ordinis Fratres in Capellanos, & alias familiariter habere, Noſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, ut duos ex prædictis Fratribus ſimiliter Ordinem ipſum profeſſos ad hoc voluntarios, quos elegeris, petita, licet non obtenta, a ſuo Superiore licentia, apud te pro tempore habere, & retinere valeas, ipſiſque Fratribus quod tecum, ut præfertur, morari, & tibi in Divinis obſequiis, & aliis licitis, & honeſtis exercitiis familiariter aſſiſtere, & ſervire libere, & licite poſſint, quibuſcunque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, conſuetudinibus, decretis, & reformationibus dicti Ordinis, Juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpeciali gratia indulgemus. Per hoc inter ipſos Fratres apud te, ut præmittitur, moraturos ab obedientia, & ſubjectione dicti Ordinis alias non intendimus aliquatenus liberari. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, Quinto Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Nono*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib.* 126. *fol.* 135.

Anno 1439 Die 17 Junii. F. Julianus Antonii, Epiſcopus Citariden., fortaſſis Cythericen. Hujus autem nomenclationis variæ Civitates. Una in ejuſdem nominis Inſula maris Ægæi, Cythera ſcilicet, vulgo *Cerigo*. Epiſcopalis eſt. Alia, vulgo *Cithira*, Cythera nempe, in Inſula Cypri. Hæc etiam fuit Epiſcopalis, ſub Archiepiſcopo *Conſtantiæ*, ſeu Salaminæ. Ceterum *Juliani* non meminerunt *Fontana*, *Cavalerius*, aliique. Epiſcopus certe fuit, ut liquet ex hoc Diplomate. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Juliano Antonii Electo Citariden., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus Officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Jacobo Epiſcopo Citariden. regimini Citariden. Eccleſiæ præſidente &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, Auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, Quinto decimo Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Nono*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib.* 117. *fol.* 202.

Anno 1439 Die 1 Julii. F. Johannes Garzias, Epiſcopus Uſellenſis, in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Arborenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXLIX pag.* 327 *ex Lib. Proviſion. Prælatorum. Cavalerius Tomo I pag.* 263 *num. CLXXVIII* Alumnus Provinciæ *Aragoniæ*, Conventus nempe *Cæſarauguſtani*, fuit *Johannes*, de

Digitized by Google

de quo conſulendus *Diago Hiſtor. Provinciæ Aragoniæ Lib. II Cap. XXXIV pag.* 144, ubi *Johannem* Epiſcopum *Majoricenſem* vocat; ad Epiſcopatum enim *Majoricenſem* translatus ſuit *Johannes*, ut in hac *Appendice* dicetur. Licet autem *Diago* de Epiſcopatu *Uſellenſi* non meminerit, illi tamen Eccleſiæ jus dixiſſe *Johannem* certum eſt, tum ex Auctoribus mox laudatis, tum ex Diplomate quod ſic incipit. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Garziæ, Electo Uſellen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Attentæ conſiderationis &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Jacobo Epiſcopo Uſellen. Eccleſiæ, alias de Alas nuncupatæ, præſidente &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & in Theologia Profeſſorem &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, Kalendis Julii, Pontificatus noſtri Anno Nono*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib.CXVII fol.*209.

F. Michael Polonus, Epiſcopus Kiovien., *Kiow*, in Volhinia, ſub Archiepiſcopo Leopolienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap V Tit.CCCIX pag.*209. *Simon Okolski in Ruſſia Florida pag.*58. *Dominicus Frydrychowiez in libro, cui titulus: S. Hyacinthus & Poloniæ Patronus &c. pag.*228. *Cavalerius Tomo I pag.*234 *num.LXIX.* Anno 1439.

F. Laurentius Siculus, Epiſcopus Alexanen., *Aleſſano*, & Leucadien., *Capo di Leuca*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Hidruntino. *Ughellus in Epiſcop. Alexanen. Tomo IX Italiæ Sacræ pag.*90. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XXIV pag.*121, *ex Taegio. Cavalerius Tomo I pag.* 240 *num.LXXXVI.* Anno 1439.

F. Simon de Laude, Epiſcopus Solubrien., ſeu Salabrien., Selymbrien., Selybrien., vel Selombrien., vulgo *Selivree*, *Selombria*, & *Selibria*, in Thracia, ſub Archiepiſcopo Heracleenſi. *Cavalerius Tomo I pag.*266 *num.*185, *ex Feuillet, & Plodio. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.*23. *Bernardus de Jonghe in Belgio Dominicano pag.*191 *&c.* Cœnobii *Duacenſis* alumnus fuit *Simon* noſter. Quod etiam *Suffraganeus*, ut loquuntur, ſeu Vicarius *Atrebatenſis* Epiſcopi fuerit, in confeſſo eſt apud omnes. Utrum autem Epiſcopus ille *Atrebatenſis* ſit *Martinus* noſter *Poree*, vel ipſius Succeſſor *Hugo de Cayeu* lis eſt inter *Philippum Petit* in libro de Fundatione *Duacenſis* Cœnobii, & *Bernardum de Jonghe* mox laudatum. Sed notandum ex *Bernardo de Jonghe*, quod *Martinus Poree* diem ſupremum obiit anno *MCCCCXXVI*. Id probat *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCXXVI pag.*778 ex ejuſdem *Martini* cenotaphio. *Simon* vero *de Laude* hoc anno duntaxat *MCCCCXXXIX* Epiſcopus renunciatus eſt, ut liquet ex *Eugenii IV* Diplomate, quo conſtituitur Epiſcopus *Salubrienſis*. Sic incipit: *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Simoni Electo Solubrien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſponente clementia &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Rogero, Epiſcopo Solubrien., regimini Solubrien. Eccleſiæ præſidente &c. Poſtmodum vero Eccleſia ipſa per obitum ejuſdem Rogeri &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, Magiſtrum in Theologia &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Nono, Pridie Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Nono.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro CXVII fol.* 2?6 Id etiam conſtat ex alia Pontificia Conſtitutione. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Simoni de Laude Ordinis Fratrum Prædicatorum, & in Theologia Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Religionis zelus, literarum ſcientia, vitæ, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, nos inducunt, ut illa tibi favorabiliter concedamus, quæ tuis commoditatibus fore conſpicimus opportuna. Hinc eſt, quod nos hodie de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris, tuis exigentibus meritis, accepta, Eccleſiæ Solubrien. ad præſens Paſtore carenti providere intendimus, attendentes, quod ex fructibus ejuſdem Eccleſiæ, quæ in patria Græcorum exiſtit, nihil veriſimiliter percipere poteris, ac propterea te, qui, ut aſſeritur, dilectæ in Chriſto filiæ nobilis Mulieris Iſabellis Duciſſæ Burgundiæ Confeſſor exiſtis, & cui dudum beneficium Eccleſiaſt cum cum cura, vel ſine cura, per Sancti Auguſtini Canonicos, vel Sancti Benedicti Ordinum Monachos gubernari ſolitum, etiam ſi Prioratus, Dignitas, perſonatus, Adminiſtratio, vel officium foret, & ad illud conſueviſſet quis per electionem aſſumi, eique cura immineret Animarum, ad cujuſcunque, ſeu communiter, vel diviſim, quorumcunque collationem, proviſionem, præſentationem, electionem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem pertinens, ſi quod in aliqua Civitate, Diœceſi, ſeu loca ſub Dominio dilecti filii nobilis viri Philippi Ducis Burgundiæ conſiſtente vacabat tunc, vel dum vacaret, quod infra certi tunc expreſſi temporis ſpatium duceres acceptandum, commendandum tibi, ac per te quoad vixeris tenendum, regendum, & etiam gubernandum certis tibi deſuper executoribus deputatis per quaſdam reſervavimus, volentes, quod in illius aſſecutione, eiſdem privilegiis, & antelationum favoribus, necnon deſuper emanatis declarationibus, quibus perſonæ per dictum Ducem ad nonnulla beneficia Eccleſiaſtica auctoritate noſtra in aſſecutione beneficiorum ad quæ nominatæ fuerant, gaudebant, & utebantur, utique, & gaudere poterant, uti etiam poſſes, & gaudere. Et deinde ſuper Prioratu Beatæ Mariæ de Caſtro ſupra Saluvium Cluniacen. Ordinis, Biſuntin. Diœceſis unam ducentorum Florenorum Auri de Camera reſervavimus, conſtituimus, & etiam aſſignavimus, & ſubſequenter ſuper Parochialis Eccleſiæ Sancti Johannis in Seluſa Biſuntin., & Tornacen. Diœceſum fructibus, redditibus, & proventibus aliam Quindecim librarum groſſarum monetæ in Partibus Flandriæ currentis annuas penſiones tibi etiam quoad viveres perſolvendas, per diverſas alias noſtras literas in quibus de aliis primodictis literis nulla extitit facta mentio, reſervari, conſtitui, & aſſignari, mandavimus, prout in literis ipſis plenius continetur. Nos igitur, ne propterea literæ ſuper proviſionibus prædictis ſubreptionis vitio impugnari valeant, providere, teque præmiſſorum meritorum tuorum intuitu gratioſo favore proſequi volentes, ipſorum Ducis, & Duciſſæ ac tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati volumus, & Apoſtolica tibi auctoritate concedimus, quod præfatæ proviſionum hujuſmodi literæ a data præſentium valeant, plenumque ſortiantur effectum, tu quoque penſiones ipſas recipere valeas, ac executores præfati,*

& ab eis pro tempore deputati ſubexecutores ad ipſarum penſionum literarum executionem alias juxta earum continentiam, atque formam, procedere, ceteraque in eis contenta exequi poſſint, & debeant in omnibus, & per omnia, perinde, ac ſi de penſionibus ipſis in præfatis primo dictis literis ſpecialis, & expreſſa, mentio facta fuiſſet, & nihilominus tibi, quod beneficium in eiſdem primo dictis literis, quas etiam poſtquam in Epiſcopum Solubrien. conſecratus fueris, pristinum robur habere decernimus, comprehenſum, & in cujus aſſecutione prærogativis, & antelationum favoribus antedictis uti poſſe volumus, cum præfata Eccleſia Solubrien., quamdiu illius præfueris regimini, recipere, & in commendam retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus etiam recipere, ac in tuos, & illius uſus convertere, de illiſque diſponere, & ordinare, ſicut illud pro tempore obtinentes de ipſis diſponere, & ordinare potuerunt, ſeu etiam debuerunt, alienatione tantum quorumcunque bonorum immobilium, & pretioſorum mobilium ejuſdem beneficii tibi penitus interdicta, necnon penſiones hujuſmodi percipere libere, & licite valeas, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus, proviſo, quod Eccleſia Solubrien., & commendandum beneficium hujuſmodi debitis propterea non fraudentur obſequiis, ſed debite ſupportentur eorum onera conſueta. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus prædictæ Solubrien. Eccleſiæ, ac Monaſterii, ſeu loci in quo beneficium ipſum forſan fuerit, vel a quo dependerit, ac illius Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Noſtræ conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo nono Sexto Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Nono. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. 126. fol. 28.* Eccleſia Solubrien. nunc Metropolis eſt.

Anno 1439 Die 23 Octobris.

F. Fernandus de Mella, Epiſcopus Lyden., ſeu Lydden., Liden., vel Lidinen. &c., vulgo *S. George de Lidde*, in Palæſtina, ſub Patriarcha Jeroſolymitano. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio*, aliiſque ipſius mentio in ſequenti Diplomate. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fernando de Mella Electo Lyden. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Dum juxta Paſtoralis officii debitum &c. Cum itaque, ſicut accepimus, Eccleſia Lyden. vacet ad præſens, & tanto tempore vacaverit, quod de ejus vero vacationis modo certa notitia non habetur, Nos ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem, ne longioris vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem in Sacerdotio conſtitutum, Religionis zelo conſpicuum, literarum ſcientia præditum, vita ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, atque aliis multiplicium virtutum donis, ut fide dignorum teſtimoniis accepimus, inſignitum direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus attenta meditatione penſatis de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum &c. de Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem; curam, & Adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus committendo. In illo &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo nono, decimo kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Nono,* Ex Archivo Apoſtolico. *Lib. XIV fol. 32.*

Anno circiter 1440.

F. Petrus de Silva, Epiſcopus Tudenſis, *Tuy*, in Hiſpania Tarraconenſi, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCVIII pag. 314, ex Ægidio, in Theatro Eccleſiæ Tudenſis. Cavalerius Tomo I pag. 256 num. CLVI.* Alumnus *Toletani* Cœnobii fuit *Petrus*, natalium ſplendore, pietate, ac doctrina ſpectabilis, ut notat *Fontana*. Erravit autem *Fontanæ* librarius ſcribens, *Petrum* Eccleſiæ *Tudenſi* evaſiſſe Paſtorem *circa Annum Milleſimum Quadringenteſimum Sexageſimum*. Legendum *Quadringenteſimum Quadrageſimum*. Cum enim *Petrus* ex hac ad alias Sedes ante annum *MCCCCL* translatus fuerit, ut in hac & ſequentibus *Appendicibus* dicetur, liquet profecto *Petrum* Eccleſiæ *Tudenſi* jus dixiſſe ante annum *MCCCCLX*. Præfuit Eccleſiis *Tudenſi*, *Lucenſi*, *Aurienſi*, ſeu *Oreuſmenſi*. Addit *Sovegius* noſter in *Anno Dominicano*, quod Petrus de Silva *Badajocenſis*, ſeu *Pax-Auguſtenſis*, vulgo *Badajox*, Epiſcopus fuit.

Anno 1440.

F. Bartholomæus de Rimbertinis, ſeu Lapaccius, ex Epiſcopo *Argolicenſi*, ut in hac *Appendice* videre eſt, Epiſcopus Cortonenſis, *Cortona*, in Hetruria, ſub Sancta Sede. *Ughellus in Epiſcop. Cortonen. Tomo I Italiæ Sacræ pag. 627 Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCV pag. 180. Cavalerius*, aliique ſupra laudati. Adverſatur tamen *Echard*, ſed levi nititur fundamento. Ad Epiſcopatum *Coronenſem* translatus fuit *Bartholomæus*, ut in *Appendice* ſequenti videre eſt.

Anno circiter 1440.

F. Franciſcus Hiſpanus, Epiſcopus Civitaten., vulgo *Ciudad Rodrigo*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXXXIII pag. 172, ex Fernandez. Cavalerius Tomo I pag. 237 num. LXXIV, ex Plodio.*

Anno 1440 Die 18 Maii.

F. Johannes Sancii, Epiſcopus Sorienſis, ſeu Sorenſis, in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Turritano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLVII pag. 298, ex Libro Proviſion. Prælatorum. Cavalerius Tomo I pag. 237 num. LXXVI.* Nota quod *Cavalerius* & *Fontana Johannem* cognominant *Sorreium*. Verum *Johannes Sancii* dicitur in Conſtitutione Pontificia, quæ ſic incipit. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Sancii, Electo Sorien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Eccleſiarum utilitati &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Stephano Epiſcopo Sorien. &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſorem, ac in Sacerdotio conſtitutum, Minorem Pœnitentiarium noſtrum &c.*

Da-

Digitized by Google

Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo, Quinto Decimo Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Decimo. Ex Archivo Apoſtolico *Libro CXXIX fol.74.*

F. Thomas Tomaſſinus ex Epiſcopo *Recanatenſi*, & *Maceratenſi*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Feltrenſis & Bellunenſis, in Marchia Tarviſina, ſub Aquilejenſi Patriarcha. *Ughellus in Epiſcop. Bellunen. pag.164, & in Epiſcopis Feltren. pag.375 Tomo V Italiæ Sacræ Edit.II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.LXXXI pag.139, & Tit.CCXLIII pag.192. Cavalerius Tomo I pag.245 num.CII.* Epiſcopus *Feltrenſis* vocatur in *Conſtitutione CCXXXIII Eugenii IV pag.145* hujuſce *III* Tomi. — Anno 1440.

F. Garzias Engui de Sega, ſeu Garſias Arnaldus de Sega, ut a *Sammarthanis* nominatur, Epiſcopus Aquenſis, vulgo *Acqs*, in Gallia Aquitanica, ſub Archiepiſcopo Auxitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit. XLIII pag. 127, ex Fernandez, & Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag. 248 num. CXII.* — Anno circiter 1440.

F. Benvenutus Bunguſinus, Epiſcopus Adrienſis, *Adria* in Statu Veneto, ſub Archiepiſcopo Ravennatenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte Tertia in Appendice pag. 619, ex Taegio, Luſitano, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 240 num. LXXXVII.* — Anno 1440.

F. Garzias de Ledeſma Epiſcopus Laudicen., ſeu Laodicien., in Syria, ſub Archiepiſcopo Damaſceno. Omittitur a *Fontana, Cavalerio &c.* Ipſius mentio in ſequenti Diplomate. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Garcia de Ledeſma electo Laudicen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Inter cetera &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Gundisalvo Epiſcopo Laudicen. regimini Laudicen. Eccleſiæ præſidente &c. Poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ipſius Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, Paſtoris ſolatio deſtituta &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, in Theologia Magiſtrum, & in Sacerdotio conſtitutum, Religionis zelo conſpicuum, literarum ſcientia præditum, vitæ ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum donis, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus, inſignitum direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de dictorum Fratrum Noſtrorum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem præfatæ Eccleſiæ in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo, Sexto decimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib.129. fol.39.* Nunc Metropolis eſt Eccleſia *Laodicienſis*. — Anno 1440 Die 17 Auguſti.

F. Johannes Leonis, Romanus, Epiſcopus Alarinenſis, ſeu Larinenſis, vulgo *Larino*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Ughellus in Epiſcopis Larinen. Tomo VIII Italiæ Sacræ pag.305 Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.CCCXV pag.211. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCXL pag.794. Ludovicus Jacob in Bibliotheca Pontificia. Proſper Mandozius in Bibliotheca Romana.* Omittitur a *Cavalerio*. Ab aliis appellatur *Johannes Leo*. A nonnullis Epiſcopus creatus dicitur die *XVII* Auguſti. Verum *Johannes Leonis* nominatur in Diplomate mox laudato, quo renunciatur Epiſcopus die *XVI* Septembris. Sic incipit: *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Leonis de Urbe, Electo Alarinen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Ad exequendum &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Dominico Epiſcopo Alarinen. &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo, Sexto Decimo Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Decimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro CXXIX fol.90.* — Anno 1440 Die 16 Septembris.

F. Leo de Liguria, Epiſcopus Alerienſis, *Aleria*, in Corſica, ſub Archiepiſcopo Piſano. *Ughellus in Epiſcopis Alerien. Tomo III Italiæ Sacræ pag.503 Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XXII pag.120. Cavalerius Tomo I pag.241 num. XCII.* — Anno 1440.

F. Johannes de Turrecremata, S. R. E. Cardinalis, ut in hac *Appendice* videre eſt, Epiſcopus Aurenſis, *Orenſe*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Compoſtellan. *Cavalerius, Echard*, aliique ſupra laudati. Addit *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLXVIII pag.838 col.2* Infulam etiam *Mindonienſem* obtinuiſſe *Johannem*, ſed nec auctorem citat, nec annum aſſignat. *Fontana* vero *Aurienſem* Epiſcopatum ab *Orenſanenſi* diſtinguens, *Johannem* recenſet inter *Orenſanenſes* Epiſcopos *Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit. CCCCXXXIX pag.252.*
Idem Epiſcopus Oſtienſis, *Cavalerius* mox laudatus. Citat *Marcheſium*. — Anno circiter 1440.

Anno circiter 1440. F. Raymundus de Tilli, Carcaſſonenſis Cœnobii Provinciæ Toloſanæ alumnus, ex Inquiſitore, Epiſcopus Vaſatenſis, ſeu Baſatenſis, *Baſas*, in Gallia Aquitanica, ſub Archiepiſcopo Auxitano. *Percinus Monumen. Conventus Toloſani ſeculo III ad annum MCCCCXXXI pag.*100, ubi hæc habet. *Anno MCCCCXXXI F. Raymundus de Tilli Magiſter in Theologia egregius, de Prædicatione Carcaſſoneſi, & nominatus Provincialis in Capitulo Toloſæ celebrato, rexit Provinciam novem annis, & ad ſui petitionem abſolutus fuit a Fr. Bartholomæo Texeri. Prior poſtea fuit Monaſterii Sororum Prullii, paulo poſt Inquiſitor Carcaſſonenſis, & tandem Toloſanus. Verba ſunt Chronici F. Reginaldi. Fuit denique Epiſcopus Vaſatenſis ex eodem Chronico. Licet enim in Gallia Chriſtiana DD. Sammarthanorum non dicatur aſſumptus ex noſtro Ordine, in additionibus tamen ad F. Bernardum Guidonis hoc expreſſe notatur poſt annum MCCCCXL.* Percinum excepit *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.*23. Conſulendus idem *Echard* in *Appendice* ad calcem *Tomi II num. XLVII.* Ejuſdem *Raymundi* meminerunt *Fontana* in *Appendice ad Theatrum Dominicanum pag.* 627, & *Cavalerius Tomo I pag.*257 *num.CLVIII*, ubi *Raymundus* cognominatur *Fillia*, de *Fillia*, & de *Fillio*. Et in hoc emendandi *Cavalerius* & *Fontana*.

Anno 1441 Die 23 Januarii. F. Jacobus, Epiſcopus Caſenſis, ſeu Caphenſis, vulgo *Caffa*, in Taurica Cherſoneſo, ſub Archiepiſcopo Soltanienſi. Hunc non norunt *Fontana, Cavalerius &c.* Epiſcopus creatus fuit hocce Diplomate. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Jacobo Electo Caſen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Romani Pontificis quem Paſtor ille cæleſtis, & Epiſcopus Animarum &c. Poſtmodum vero Eccleſia Caſen. ex eo Paſtoris ſolatio deſtituta quod nos hodie venerabilem Fratrem noſtrum Gifredum in univerſali Eccleſia tunc Caſen. Epiſcopum a vinculo quo eidem Eccleſiæ Caſen., cui tunc præerat, tenebatur de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ex certis rationabilibus cauſis abſolvimus, nos ad proviſionem ipſius Eccleſiæ Caſen, de qua nullus præter nos hac vice diſponere potuit, neque poteſt, reſervatione & Decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne longæ vacationis ſubjaceret incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, & in Theologia Magiſtrum, in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Caſen. Eccleſiæ de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio providemus auctoritate Apoſtolica, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo* (Stylo Bullarum æræ vero communis MCCCCXLI) *Decimo Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Decimo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib.CXXIX fol.*95.

Anno 1441 Die 23 Januarii. F. Jacobus, Epiſcopus Famaguſtan., ſeu Fama-Auguſtan., vulgo *Famagoſta*, in Cypro, ſub Archiepiſcopo Nicoſienſi. Omittitur a *Fontana, Cavalerio &c.* Ipſius mentio in ſequenti Diplomate. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Jacobo Electo Famaguſtan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Nicolao Epiſcopo Famaguſtan. regimini Famaguſtan. Eccleſiæ præſidente &c. Poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ipſius Nicolai Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta &c. cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, Bacallarium in Theologia, ac in Sacerdotio conſtitutum, cui de vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua nobis, & dictis Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Eccleſiæ de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo* (Stylo Bullarum, æræ vero communis MCCCCXLI) *Decimo Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Decimo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib.CXVI fol.*346.

Anno 1441. F. Albertus Caſini, Epiſcopus Accienſis, *Accia*, in Corſica, ſub Archiepiſcopo Genuenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.VII pag.*114. *Ughellus in Epiſcop. Accien. Tomo IV Italiæ Sacræ pag.*909 *Edit. II. Taegius in Monumentis Ordinis. Cavalerius Tomo I pag.*252 *num.CXXXIV.*

Anno 1442 Die 24 Januarii. F. Felix Fajadelli, Epiſcopus Gajetanus, ſeu Cajetanus, vulgo *Gaeta*, in Regno Neapolitano, ſub S. Sede. *Ughellus in Epiſcopis Cajetan. Tomo I Italiæ Sacræ pag.*542. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.CXVI pag.*149. *Cavalerius Tomo I pag.*245. *num.C.* Notandum, quod a Scriptoribus illis cognomen habet *de Neapoli*. In Diplomate autem mox laudando cognominatur *Fajadelli*. Sic enim inſcribitur Diploma: *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Felici Fajadelli, Electo Gajetan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus Officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Johanne Epiſcopo Gajetan. regimini Gajetan. Eccleſiæ &c. Et deinde præfata Gajetan. Eccleſia per obitum dicti Johannis Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, paſtoris ſolatio deſtituta dilecti filii Capitulum dictæ Eccleſiæ Gajetan. reſervationis & decreti prædictorum forſan ignari ad electionem futuri inibi Epiſ-*

Epiſcopi procedentes, vocatis omnibus, qui voluerunt, potuerunt, & debuerunt electioni hujuſmodi commode intereſſe, die ad eligendum præfixa, ut moris eſt, convenientes nimirum te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſorem, & in Sacerdotio conſtitutum, in eorum, & dictæ Eccleſiæ Epiſcopum concorditer elegerunt licet de facto, Tuque eorundem reſervationis & decreti ſimiliter inſcius, electioni hujuſmodi illius tibi præſentato decreto conſenſiſti etiam de facto, ac demum reſervatione & decreto prædictis ad tui notitiam deductis ejuſdem poſtulationis negotium proponi feciſti in Conſiſtorio coram nobis, Nos igitur electionem ipſam, & alia inde ſecuta utpote poſt & contra reſervationem, & decretum prædicta de facto, ut præmittitur, attentata, irrita, prout erant, & inania reputantes, ac ad proviſionem dictæ Gajetan. celerem, & felicem, de qua nullus præter nos hac vice ſe intromittere potuit ſive poteſt reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus, & præfatorum Capituli te eligentium concordi voluntate debita meditatione penſatis de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Gaietan. Eccleſiæ de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Gaietan. Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Primo (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCXLII) *Nono Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo*. Ex Archivo Apoſtolico *Libro CL fol.99*. Ad Eccleſiam *Sabienſem* tranſlatus fuit, ut in hac *Appendice* dicetur.

F. Valaſcus de Bitri, Epiſcopus Sabaſten., ſeu Sebaſten., vel in Palæſtina, ſub Archiepiſcopo Nazareno, vel in ora Ciliciæ, ſub Archiepiſcopo Tarſenſi. Sedes enim Sebaſtenſis, in Cappadocia, Metropolis eſt. Omittunt *Fontana*, *Cavalerius &c.* Epiſcopus conſtitutus fuit hoc Diplomate. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Valaſco de Bitri Electo Sabaſten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Petro Epiſcopo Sabaſten. Regimini Sebaſten. Eccleſiæ præſidente &c. Poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum dicti Petri Epiſcopi qui extra Romanam Curiam deceſſit, Paſtoris ſolatio destituta &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, in Theologia Magiſtrum, & in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo, Quadringenteſimo Quadrageſimo Primo*, (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCXLII) *Pridie Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. 150 fol. 106*. Aliud ejuſdem tenoris exemplar aſſervatur in Archivo Ordinis ex Archivo Apoſtolico *Libro XXXVII fol. 26*. Ceterum Vicarius Archiepiſcopi *Compoſtellani* fuit *Valaſcus*, ut ex ſequenti Conſtitutione videre eſt. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Valaſco Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem &c. Devotionis affectus, quem ad nos, & Romanam geris Eccleſiam non indigne meretur, ut votis tuis, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Nuper ſiquidem Eccleſiæ Sabaſten. tunc Paſtore carenti de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio duximus auctoritate Apoſtolica providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris, in quibus etiam voluimus, quod quamprimum literas Apoſtolicas ſuper proviſione, & præfectione hujuſmodi expeditas haberes ad præfatam Eccleſiam te conferres, & reſideres perſonaliter in eadem, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Pontificalia officia exercere nequires, inde confectis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad Eccleſiam præfatam quæ in partibus Infidelium conſiſtit, nequeas commode te conferre, nec reſidere perſonaliter apud illam, Nos volentes te præmiſſorum intuitu favoribus proſequi gratioſis, venerabilis Fratris noſtri Lupi Archiepiſcopi Compoſtellan., & tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi quod ad Eccleſiam prædictam te conferre, ſeu apud eam perſonaliter reſidere valeas, minime tenearis, quodque, poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis, in Civitate, & Diœceſi Compoſtellan. duntaxat, ſi ad id per præfatum Archiepiſcopum aut ejus in eadem Compoſtellan. Eccleſia Succeſſores ad id requiſitus fueris, etiam de illius licentia ſpeciali hujuſmodi Pontificalia officia exercere libere, & licite valeas, auctoritate præſentium indulgemus, voluntate prædicta, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque gratiis non obſtantibus quibuſcunque. Proviſo quod Ordinationes Clericorum in dictis Civitate, & Diœceſi, & de illis duntaxat per te ad quoſvis ordines promoveri volentium tantum ſtatutis a Jure temporibus tenere debeas, & prout ordines hujuſmodi requirunt ſucceſſive ſecundum Juris ordinem promoveas ordinandos, quodque ratione ordinum exhibendorum hujuſmodi aut aliorum ad Epiſcopale officium pertinentium nihil per te vel alium directe vel indirecte recipias niſi quando extra Civitatem hujuſmodi contingeret te conferre & tunc procurationes in victualibus recipere valeas moderatas, Alioquin, ſi ſecus egeris, ab officio hujuſmodi eo ipſo noveris te ſuſpenſum. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Primo* (Stylo Bullarum, æræ vero communis MCCCCXLII) *Pridie Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. 149 fol. 171*.

Anno 1442 Die 28 Februarii.

F. Ni-

Anno 1442 Die 4 Maii. F. Nicolaus, Epiſcopus Signienſis, ſeu Senienſis, Italis *Segnu*, Germanis *Zeng*, in Illyrico, ſub Archiepiſcopo Spalatenſi. Omittitur a *Fontana, Cavalerio &c.* Succeſſit *Johanni* ad *Waradienſem* Sedem translatum, ut ex hoc Diplomate conſtat. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nicolao Electo Signien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus Officium &c. Poſtmodum vero Eccleſia Signien. ex eo Paſtoris ſolatio deſtituta, quod nos dudum venerabilem Fratrem noſtrum Johannem Waradien. tunc Signien. Epiſcopum licet abſentem a vinculo quo eidem Signien. Eccleſiæ, cui tunc præerat, tenebatur, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes eum ad dictam Eccleſiam Waradien. duximus auctoritate Apoſtolica transferendum, præficiendo ipſum eidem Waradien. Eccleſiæ in Epiſcopum, & Paſtorem, Nos ad proviſionem ejuſdem Signien. Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter nos hac vice diſponere potuit neque poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa Signien. longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ Signien. perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, ac Provinciæ Dalmatiæ more ipſius Ordinis Provincialem cui apud nos de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus attenta meditatione penſatis de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ Signien. de ipſorum Fratrum noſtrorum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Signien. tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Secundo, Quarto Nonas Maii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib.* 161 *fol.* 160.

Anno 1442 Die 15 Octobris. F. Jacobus Bladen., Epiſcopus Akadenſis, ſeu Achadenſis, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Tuamenſi. Iſtius non meminerunt *Fontana, Cavalerius &c.* Epiſcopus renunciatus fuit hocce Diplomate. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Jacobo Bladen Electo Akaden., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus Officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Thadeo Epiſcopo Akaden. regimini Akaden. Eccleſiæ præſidente Nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret, per Apoſtolicæ Sedis providentiam utilem, & idoneum præſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & proviſioni Noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ejuſdem Thadei, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem in Theologia Magiſtrum, & in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, præfatæ Eccleſiæ de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Secundo, Idibus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXI fol.* 87.

Anno 1442. F. Lupus de Metina, ſeu de Barrientos, ex Epiſcopo *Segobienſi*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Abulenſis, *Avila*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano. *Foatanu Theatro Domiaicano Parte I Cap. V Tit. III pag.* 112, *ex Ægidio in Theatro Eccleſiæ Abulenſis, ex Plodio, & ex Ughello in Mſs. Cavalerius, Echard,* aliique ſupra laudati.

Anno 1442. F. Dominicus de Imola hoc anno creatus eſt Epiſcopus Eccleſiæ cujus nomen non produnt Scriptores. Auctor eſt. *Cavalerius Tomo I pag.* 238 *num. LXXVIII, ex Razzio, & Plodio.*

Anno circiter 1442. F. Johannes Hiſpanus, Epiſcopus Pacenſis, ſeu Pax-Auguſtenſis, vel Badajocenſis, vulgo *Badajox*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano. *Fontana Theatro Domiaicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXLV pag.* 256, *ex Actis Capituli Generalis Avenionenſis MCCCCXLIV. Cavalerium Tomo I pag.* 240 *num. LXXXVIII.* Iſtum *Cavalerius* arbitratur non diſtinguendum ab alio *Johanne Hiſpano*, quem Epiſcopum *Paltenſem*, vel *Papheuſem*, hoc anno circiter fuiſſe docet *Plodius* apud eundem *Cavalerium Tomo I pag.* 238 *num. LXXIX.*

Anno 1443 Die 29 Aprilis. F. Nicolaus Arnoldi, Epiſcopus Biblienſis, ſeu Gybeldenſis, & Gybeletenſis, vulgo *Gibel*, in Phoenicia, ſub Antiocheno Patriarcha. Omittitur a *Fontana, Cavalerio &c.* Succeſſit *Johanni*, ut ex hoc Diplomate liquet. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nicolao Arnoldi Electo Biblien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus Officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Johanne Epiſcopo Biblien. regimini Biblien. Eccleſiæ præſidente. Nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum eam vacare contingeret per Apoſtolicæ Sedis providentiam utilem, & idoneam, præſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſiæ proviſioni, & ordinationi noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandam decernentes ex tunc irritum, & inane ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contingeret attentari. Poſtmodum vero præ-*

Digitized by Google

præfatæ Eccleſia per obitum ipſius Johannis Epiſcopi, qui extra Romanam Eccleſiam debitum naturæ perſolvit, Paſtoris ſolatio deſtituta, nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter nos hac vice ſe intromittere, potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne ipſa Eccleſia longæ vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem & in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus attenta meditatione penſatis de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo &c. Datum Senis Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Tertio, Tertio Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertiodecimo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib.* 171. *fol.* 226.

F. Antonius Preſto Epiſcopus Sulcitanenſis, *Solo*, in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Calaritano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXVI pag.* 301, *ex Lib. Proviſion. Prælatorum. Cavalerius Tomo I pag.* 238. *num. LXXXI.* Succeſſit cuidam *Siſſino*, ut habetur ex Diplomate aſſervato in Archivo Ordinis. Sic incipit. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Antonio Preſto, Electo Sulcitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Romani Pontificis &c. Poſtmodum vero Eccleſia Sulcitan. ex eo apud dictam Sedem vacante, quod Nos nuper venerabilem Fratrem noſtrum Siſſinum, Ampurien., tunc Sulcitan. Epiſcopum apud Sedem eandem conſtitutum a vinculo quo Eccleſiæ Sulcitan., cui tunc præerat, tenebatur, de Fratrum noſtrorum conſilio, & auctoritatis Apoſtolicæ Sedis plenitudine abſolventes, eum ad Eccleſiam Ampurien. tunc vacantem auctoritate Apoſtolica duximus transferendum, præficiendo eum illi in Epiſcopum &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſorem &c. Datum Senis Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Tertio, Nono Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Tercio decimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro CLXXI fol.* 226. Anno 1443 Die 24 Julii.

F. Michael de Padrolo, Epiſcopus Niocenſis, vulgo *Nio*, in ejuſdem nominis Inſula Maris Ægæi. Conſulendi *Diago Hiſtoriæ Provinciæ Aragoniæ Lib. II Cap. XCIIII pag.* 273, *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXXIV pag.* 249, *ex Libro Proviſion. Prælatorum, & ex Ughello in Mſs., Cavalerius Tomo I pag.* 258 *num. CLXIV, & CLXV*, ubi notat, quod a nonnullis vocatur *F. Michael Hiſpanus, alumnus Caucoliberitani Cœnobii in Provincia Aragoniæ, Epiſcopus Nicocenſis.* Ab aliis Epiſcopatus iſte *Niochenſis* dicitur. Sed in Diplomate, quo *Michael* Epiſcopus renunciatur, *Niocenſis* appellatur. Aſſervatur in Archivo Ordinis. Sic incipit: *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Michaeli, Electo Niocen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus Officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Hectore Epiſcopo Niocen., regimini Niocen. Eccleſiæ &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Tertio, Pridie Nonas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Tertiodecimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CLXXI. fol.* 268. Anno 1443 Die 4 Novembris.

F. Bartholomæus de Michaelibus, Senenſis, Epiſcopus Nucerinus, *Nocera*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Salernitano. *Ughellus in Epiſcopis Nucerinis Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 742 *Edit. I*, ubi laudes *Bartholomæi* celebrat, ſed ſilet, quod Ordinis Prædicatorum fuerit. Eum tamen crediderim *F. Bartholomæum* Epiſcopum *Lucherinum*, ſeu *Lucerinum*, ut ſcribit *Luſitanus*, quem *Cavalerius Tomo I pag.* 250 *num. CXXIV*, ex *Plodio* & *Luſitano* docet anno circiter *MCCCCL* floruiſſe. Ipſi ſucceſſit *F. Petrus*, de quo in *Appendice ad Pontificatum Caliſti III*, ubi *Bartholomæus* inter ejuſdem Pontificis Legatos recenſetur. Anno 1443.

F. Johannes de Almana, Majoricenſis, Epiſcopus Urgelitanus, *Urgel*, in Catalonia, ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi. *Fontana*, & *Cavalerius* mox laudandi.

Idem ex Epiſcopo Urgellenſi, Epiſcopus Syracuſanus, in Sicilia, ſub Archiepiſcopo Montis Regalis. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCCLXX pag.* 303, *ex Pirro in Sicilia Sacra*, & in *Monumentis Dominicanis Parte III Cap. I ad annum MCCCCXLIII pag.* 339, *ex Actis Conſiſtorialibus, & Sicilia Sacra. Cavalerius Tomo I pag.* 244 *num. XCIX.* Epiſcopus *Majoricenſis* fuit *Johannes* noſter, uti dicetur in hac *Appendice*. Anno 1443.

F. Raymundus de Tullio, Epiſcopus Conſoranen., vulgo *Coſerans*, in Aquitania, ſub Archiepiſcopo Auxitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCI pag.* 178, *ex Lib. Proviſion. Prælatorum, & ex Gallia Chriſtiana.* Meminit idem *Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap. I ad annum MCCCCXLIII pag.* 339. *Cavalerius Tomo I pag.* 238 *num. LXXXII. Echard Tomo I Scriptorum Ord. in Indice Epiſcoporum pag.* 23, *ex nova Gallia Chriſtiana.* Anno 1443.

F. Fer-

Anno 1444 Die 24 Januarii. F. Fernandus de Aquilari, Epiſcopus Almaricen., ſeu Almerien., *Almeria*, in Hiſpania Bætica, ſub Archiepiſcopo Granatenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XXVI pag.122, ex Libro Proviſion. Prælatorum. Cavalerius Tomo I pag.240 num. LXXXIX.* Sed notandum quod ab iſtis *Fernandus de Aquilari* vocatur *Bernardus de Aquilari*. In hoc autem falluntur, ut liquet ex Diplomate aſſervato in Archivo Ordinis. Sic incipit: *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fernando de Aquilari, Electo Almarieen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſponente Clementia &c. Dudum ſiquidem bonæ memoria Petro Epiſcopo Almaricen. regimini Almarieen. Eccleſiæ præſidente &e. poſtmodum vero dicta Eeeleſia per obitum ipſius Peeri, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum &e. Demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Tertio* (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCXLIV) *Nono Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro CLXIV fol.264.* Epiſcopus ille, *Petrus* nomine, cujus hic mentio, eſt *Petrus* noſter *de Aſtigio*, cui *Fernandus* ſucceſſit. Hinc emendandus *Fontana*, qui *Petrum* inter Epiſcopos Ordinis non receuſet, ut in hac *Appendice ad annum MCCCCXXXIV* notatum fuit, & ipſum *Petrum de Sicia* cognominat.

Anno 1444. F. Felix Fajadelli, ex Epiſcopo *Cajetano*, ut in hac *Appendice* videre eſt, Epiſcopus Stabienſis, ſeu Caſtri Maris, vulgo *Caſtel a mare di Stabie*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Surrentino. *Ughellus in Epiſcopis Stabien. Tomo VI Italiæ Sacræ pag.661, Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLX pag.299. Cavalerius Tomo I pag.245 num.C.*

Anno 1444. F. Garzias Engui de Sega, ſeu Garſias Arnaldus de Sega, ex Epiſcopo *Aquenſi*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Bajonenſis, *Bayone*, in Aquitania, ſub Archiepiſcopo Auxitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXXI pag.136, ex Fernandez, & Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.248 num.CXII.*

Anno 1444. F. Johannes Garſias, ex Epiſcopo *Uſellenſi*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Majoricenſis, *Mallorca*, in ejuſdem nominis Inſula, ſub Archiepiſcopo Valentino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXI pag 223, ex Lopez, & Fernandez. Cavalerius Tomo I pag.263 num. CLXXVIII. Diago Hiſtor. Aragoniæ Provinciæ Lib. II Cap. XXXIV pag.144.*

Anno 1444. F. Michael Aragonus, Epiſcopus Uſellenſis, in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Arborenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXLIX pag.327, ex Lib. Proviſion. Prælatorum Eugenii IV. Cavalerius Tomo I pag.256 num.CLV.*

Anno circiter 1444. F. Petrus Turturellus, ſeu Turelure, vel Taurus, ut a nonnullis cognominatur, Epiſcopus Dinienſis, *Digne*, in Gallo Provincia, ſub Archiepiſcopo Ebredunenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXIII pag.186, & Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.273 num. CCII. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.23.*

Anno 1444. F. Yvo de Pontſal, alumnus Cœnobii Quimperlaienſis, Epiſcopus Venetenſis, *Vannes*, in Britannia Minori, ſub Archiepiſcopo Turonenſi. *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.23 col.2, ex Monumentis Cœnobii Quimperlaienſis, & ex Alberto Legrand in Hiſtor. Eccleſ. Britanniæ.*

Anno 1445. F. Lupus de Metina, ſeu de Barrientos, ex Epiſcopo *Abulenſi*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Conchenſis, ſeu Conquenſis, vulgo *Cuenca*, in Hiſpania ſub Archiepiſcopo Toletano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXCVI pag.178, ex Regeſtis Vaticanis, Fernandez, & Ægidio in Theatro Conchenſis Eccleſiæ. Cavalerius Tomo I pag.277 num.CCIX. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLVI pag.813 &c.*

Anno 1445. F. Johannes de Alamana, ex Epiſcopo *Syracuſano*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Majoricenſis, *Mallorca*, in ejuſdem nominis Inſula, ſub Archiepiſcopo Valentino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXI pag.223, ex Pirro in Sicilia Sacra, & in Monumentis Dominicanis Parte III Cap. I ad annum MCCCCXLV pag.340. Cavalerius Tomo I pag.244 num.XCIX.*

Anno 1445. F. Petrus Antonius Petrucius, Viterbienſis, Epiſcopus Signien., *Segni*, in Campania Romana, ſub S. Sede. *Ughellus in Epiſcopis Signien. Tomo I Italiæ Sacræ pag.1240 Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DL pag.296. Cavalerius Tomo I pag.257 num.CLVII.*

F. An-

F. Antonius Ponticorona, Panormitanus, ex Epiſcopo *Cephalndenſi*, ut in *Appendice ad Pontificatum Johannis dicti XXIII* videre eſt *Tomo II pag* 531, Epiſcopus Agrigentinus, *Giorgenti*, in Sicilia, ſub Archiepiſcopo Panormitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.XII pag.*116, *ex Pirro in Sicilia Sacra, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag.*251 *num.CXXXII.* Anno 1445.

F. Nicolaus Antonii, Calaber, Epiſcopus Inſulanenſis, *Iſola*, in Calabria, ſub Archiepiſcopo S. Severinæ. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.CCC pag.*206, *ex Taegio, & Ughello. Cavalerius Tomo I pag.*242 *num.XCIV.* Anno 1445.

F. Petrus de Silva, ex Epiſcopo *Tudenſi*, ut in hac *Appendice* videre eſt, Epiſcopus Lucenſis, *Lugo*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit. CCXLVII pg.*219., *ex Lib. Proviſion. Prælator. Cavalerius Tomo I pag.*256. *num.CLVI.* Ad Epiſcopatum *Aurienſem* tranſlatus fuit, ut in *Appendice* ſequenti dicetur. Anno 1445.

F. Thomas, Epiſcopus Boſſanenſis, *Boſa*, in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Turritano. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio* aliiſque. Epiſcopus renunciatus fuit hocce Diplomate. *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Thomæ electo Boſſanen. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem quorundam relatione per nos intellecto, quod Boſſanen. & Sorren. Eccleſiæ adeo in ſuis facultatibus, & redditibus tenues, & exiles exiſterent, quod earum Præſules nequirent juxta Epiſcopalis Dignitatis exigentiam commode ſuſtentari. Nos ſuper his, tunc ſalubriter providere volentes, præfatas Eccleſias de Fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu, ac Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine per alias literas noſtras inſimul perpetuo univimus, ita quod, cedente, vel decedente altero Præſulum Eccleſiarum prædictarum ſuperſtes ex eis Boſſanen., & Sorren. Epiſcopus exiſteret, & nominaretur, qui in qualibet ipſarum Sedem Epiſcopalem haberet, & exerceret Pontificalia in utraque, & nihilominus voluimus, & auctoritate Apoſtolica ſtatuimus quod Eccleſiæ prædictæ deinceps per unum Antiſtitem perpetuis futuris temporibus gubernarentur. ipſeque Antiſtes uno in una, & alio Annis in altera ipſarum unitarum Eccleſiarum alternatis vicibus Chriſma conficere, & in qualibet earundem Civitatum, vel Diœceſium ſingulis Annis celebrare, Synodumque Epiſcopalem, & Curiam tenere, & exiſtere ad Jura reddendum cum vicariis, & aliis officialibus conſuetis teneretur, quodque amborum Capitulorum Eccleſiarum hujuſmodi communis Electio futuri Pontificis exiſteret, & ad ipſa Capitula tanquam ad unicum Collegium pertinere dignoſceretur electio memorata, prout in eiſdem literis, quarum tenores præſentibus haberi volumus pro ſufficienter expreſſis. plenius continetur. Poſtmodum vero præfata Eccleſia Boſſanen. per obitum bonæ memoriæ Juliani Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos vacatione hujuſmodi fide dignorum relatione, etiam intellecta, ac attendentes, quod ſi unio hujuſmodi ſic remanere deberet, in partibus illis differentiæ, diſſenſiones, & ſcandala inter Capitula dictarum Eccleſiarum orirentur, unionem hujuſmodi de dictorum Fratrum conſilio, & dictæ Poteſtatis plenitudine, auctoritate prædicta, & ex certa ſcientia ad obviandum diſſenſionibus, & ſcandalis hujuſmodi hac vice duntaxat diſſolvimus, Eccleſiaſque ipſas ab invicem ſeparavimus, & ſeparamus, ac in ſtatu priſtino inquo ante unionem præfatam erant plenarie reſtituimus. Cum autem, ſic præmiſſa Eccleſia ipſa Boſſanen. per diſſolutionem unionis hujuſmodi, ac dicti Epiſcopi obitum, Paſtoris ſolatio foret deſtituta Nos vacatione hujuſmodi, fide digna relatione ſimiliter intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſiæ Boſſanen. celerem, & felicem, de qua nullus præter nos pro eo quod nos dudum antea proviſiones omnium Eccleſiarum Cathedralium tunc vacantium, & inantea vacaturarum, ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandas, decernentes, extunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcumque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari, hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne ipſa Boſſanen. Eccleſia longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris prædictis habuimus diligentem, demum ad te in ſacra pagina profeſſorem, ac Ordinem Fratrum Prædicatorum expreſſe profeſſum, de cujus Religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque virtutum meritis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate præfata, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ejuſdem Eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quinto, Tertio Nonas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quintodecimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib.*200. *fol.*153. Anno 1445.

F. Syfridus Piſcatoris, Epiſcopus Cerenenſis, ſeu Cerinenſis, vel Cirinenſis, rectius Cyrenen., vulgo *Cerines*, in Inſula Cypro, ſub Archiepiſcopo Nicoſienſi. Succeſſit iſte *Johanni* noſtro *de Ryfferſcheyt*, de quo dictum fuit in *Appendice ad Pontificatum Martini V Tomo II pag.*703, & diſtinguendus videtur a *Siffrido* Epiſcopo *Cyrenſi*, cujus mentio fit hac in *Appendice*. Enim vero *Siffridus*, Epiſcopus *Cyrenſis*, Sedem in partibus Infidelium ſitam obtinuit, ut ſupra diximus, nec ibi conſiſtebat, ſed, Epiſcopi *Moguntini* Vicarius, aſſidue commorabatur in *Germania*: Hic autem *Syfridus Piſcatoris* Diœceſim ſuam petere tenebatur: Inſula ſiquidem *Cyprus*, quæ nunc Turcis paret, tunc juris erat Chriſtianorum. Quod autem *Syfridus Piſcatoris* Epiſcopus *Cerenenſis*, non vero *Cyrenſis*, fuerit, conſtat hocce Diplomate. *Eugenius* Anno 1446 Die 6 Martii.

Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Syfrido Piſcatoris Electo Cerenen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſponente Clementia &c. Dudum ſiquidem Johanne Epiſcopo Cerenen. regimini Cerenen. Eccleſiæ præſidente, Nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret, per Apoſtolicæ Sedis providentiam utilem & idoneam præſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc &c. Poſtmodum vero Eccleſia præfata per obitum dicti Johannis Epiſcopi qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter nos ea vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & Decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & in Theologia Profeſſorem, in Presbyteratus ordine conſtitutum, cui de Religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circunſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus attenta meditatione penſatis de perſona tua nobis, & dictis Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, acceptam, eidem Eccleſiæ de ipſorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quinto (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCXLVI) *Quarto Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Quinto Decimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib.* 200 *fol.* 240.

Anno circiter 1446. F. Tomas de Naro, Epiſcopus Hipponenſis, vulgo *Ippo*, ſeu *Bona*, in Africa. Epiſcopi *Syracuſani* Vicarius fuit *Tomas* iſte. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXCI pag.* 203, *ex Pirro in Sicilia Sacra. Cavalerius Tomo I pag.* 246 *num. CIII.*

Anno 1446 Die 23 Septembris. F. Thomas Nato, Epiſcopus Joppen., vulgo *Joppe*, vel *Jaffa*, in Palæſtina, ſub Archiepiſcopo Cæſarienſi. Is ipſe videtur quem *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCII pag.* 207, *ex Libro Proviſion. Prælatorum*, & *Cavalerius Tomo I pag.* 241 *num. XCIII* vocant *Thomam Curatum*, & Epiſcopum *Joppenſem* conſtituunt anno *MCCCCXIV*. Sed *Thomas Nato*, vel *Natus*, appellatur in Diplomate, quo renunciatus fuit Epiſcopus Anno MCCCCXLVI. Sic incipit: *Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Thomæ Nato, Electo Joppen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Jacobo Epiſcopo Joppen. &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem &c. Volumus autem quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam accedas, & perſonaliter reſideas in eadem &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Sexto, Nono Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Sextodecimo.* Aſſervatur in Archivo Ordinis ex Archivo Apoſtolico.

Anno 1446. F. Philippus Baudonus de Rotariis, civis Aſtenſis, Epiſcopus Aſtenſis, *Aſti*, in ejuſdem nominis Comitatu Italiæ, ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi. *Ughellus in Epiſcopis Aſten. Tomo IV Italiæ Sacræ pag.* 391 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LIX pag.* 133. *Cavalerius Tomo I pag.* 280 *num. CCXII.* Ejuſdem *Philippi* meotio in *Conſtitutione XXI Nicolai V data V Aprilis MCCCCXLVIII.*

Anno 1446. F. Goffredus, Epiſcopus Corinenſis. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCIV pag.* 180, *ex Libro Proviſion. Prælatorum. Cavalerius Tomo I pag.* 245 *num. CI.* Duo ſunt Oppida *Corinium* dicta, unum vulgo *Cirenceſter* in *Anglia*, aliud vulgo *Cori* in *Illyrico*, ſed quod ibi Sedes Epiſcopalis fuerit, me fugit. Hinc fortaſſis ſcribendum *Corien.*, ſeu *Caurien.*, vulgo *Coria*, in *Extremadura*, ſub Archiepiſcopo *Compoſtellano*: vel *Coronen.*, cujus nominis duplex eſt Epiſcopatus, unus in *Peloponneſo*, ſub *Patraceenſi*, alius in *Bœotia*, ſub *Athenienſi*: vel *Coryeen.*, vulgo *Corcos*, in *Cilicia*, ſub Archiepiſcopo *Seleucienſi*. Hæc ultima lectio placet *Cavalerio* mox laudato. Verum legendum crediderim *Cerinen.*, ſeu *Cerenen.*, rectius *Cyrenen.*, vulgo *Cerines*; & *Gofredus* iſte, quem *Johanni* ſucceſſiſſe docet *Fontana*, non diſtinguendus videtur a *Syfrido Piſcatoris* Epiſcopo *Cerenenſi*, de quo dictum fuit hac in *Appendice*. Et ſane *Syfridus* ipſe *Piſcatoris* in Conſtitutione *Sixti IV*, quæ traoſcribetur in *Appendice ad Pontificatum ejuſdem Sixti*, vocatur *Guffridus*.

Anno 1447 Die 8 Januarii. F. Didacus a Sancto Michaele, Epiſcopus Granatenſis, vulgo *Granada*, in Hiſpania Bætica. Nunc Metropolis eſt. Hac dignitate *Granatenſis* civitas donata fuit ab *Alexandro VI.* Antea tamen, dum ſcilicet *Maurorum* ditionis erat, ibidem Sediſſe *Didacum* noſtrum, auctor eſt *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXIX pag* 198, *ex Libro Proviſionum Prælatorum*, & *Fernandez*. Eiſdem ſuffragatur *Cavalerius Tomo I pag.* 246 *num. CIV.*

F. Johannes de Raguſio, Epiſcopus Mercanenſis, & Tribunienſis, in Dalmatia, ſub Raguſina Metropoli, a Senatu Raguſino deſignatus legitur in tabulis publicis an. MCCCCXXXV die XXX Decembris. Nihil aliud extat de illo, & utrum fuerit inauguratus, me fugit.

LEGATI.

F. Johannes Stoicus de Raguſio, Ordinis Prædicatorum Procurator Generalis, Baſileam miſſus, ut Aooo 1431.
Apoſtolicæ Sedis nomine Baſileenſe Concilium auſpicaretur. *Acta Concilii Baſileenſis apud Labbeum Tomo XII Conciliorum pag 459 Edit. Pariſien. Ferrarius de rebus Hungariæ Provincia Parte III Lib. III Cap. III pag.445 &c. & Parte III Lib. IV pag.494. Fontana Monument. Dominican. Parte III Cap. I ad an. MCCCCXXXI pag.324, ex Spondano. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCXLIV pag 797 col. II.*

F. Johannes Nyder a Baſileenſi Concilio bis ad Bohemos Legatus. *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis,* Anno 1431.
ad an. MCCCCXL pag.792, ex ejuſdem *Johannis* ſcriptis, & variis Auctoribus, quos laudat *Echard.* Adeas *Labbeum Tomo XII Concilior. pag.*848 *Edit. Pariſien.*

F. Andreas Rhodius, Archiepiſcopus Coloſſenſis, cujus mentio inter Archiepiſcopos *Johannis* dic- Anno 1432.
ti *XVIII* Tomo II pag 528, & inter Legatos *Martini V* pag.710, Legatus Baſileam miſſus ab *Eugenio IV. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCXLV pag.802 col. I. Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCCCXXXII num. XII. Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap. I ad an. MCCCCXXXII pag.325, ex Spondano.*

F. Johannes de Turrecremata, de quo ſæpius in hac *Appendice*, Magiſter S Palatii Apoſtolici, ab Anno 1432.
Eugenio IV ad Baſileenſe Concilium mittitur. *Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap. I ad annum MCCCCXXXII pag.325. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLXVIII pag.*838.

F. Johannes Stoicus de Raguſio, Procurator Generalis Ordinis Prædicatorum, ut mox dictum Anno 1435.
fuit, Conſtantinopolim mittitur a Baſileenſi Concilio, anteaquam diſſolveretur ab Eugenio IV. *Inſtrumenta quæ refert Labbeus Tomo XII Concilior. pag.851 &c. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCXLIV pag.*798. *Fontana Monumen. Dominic. Parte III Cap. I ad annum MCCCCXXXV pag.*329.

IDem ab eodem Concilio Conſtantinopolim iterum mittitur, & ab Eugenio IV commendatur. *Conſ-* Anno 1437.
*titutio CLXI Eugenii IV pag.*78 hujuſce *III* Tomi.

F. Johanoes de Turrecremata, Magiſter S. Palatii Apoſtolici, Legatus in Germaniam miſſus, ut Anno 1438.
Principes, ceteroſque, a Baſileenſibus abſtraheret. *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLXVIII pag.*838.

IDem Legatus in Galliam miſſus ad pacem conciliandam inter Reges Galliarum & Angliæ. *Conſtitu-* Anno 1439.
tio CXCVIII Eugenii IV. Legitur *pag.HI* hujuſce *Tertii* Tomi. *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLXVIII pag.*838. *Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap. I ad annum MCCCCXXXII pag.*326, *ex Lucerino, Olmeda, & Spondano, & Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. II num. XXIX pag.*357. Caute tamen legendus *Fontana* locis mox laudatis.

F. Bartholomæus de Rimbertinis, ſeu Lapaccius, Epiſcopus Argolicenſis, & poſtea *Cortonenſis*, ut Anno 1440.
in hac *Appendice* videre eſt, Conſtantinopolim miſſus. *Cavalerius Tomo I pag.272 num. CCI. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLXVI pag.*836 *col. II. Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap. I ad annum MCCCCXL pag.* 336.

IDem in Hungariam, & Poloniam mittitur ab Eugenio IV ad hæreſim, cui *Simplicis animi* nomen Anno 1442.
erat, compeſcendam. *Ferrarius de Rebus Hungariæ Provincia Parte III Lib. IV pag* 494. *Cavalerius Tomo I pag 272 num. CCI.* Cujuſdam Legationis, qua *Bartholomæus* noſter functus eſt in *Germania*, meminit *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLXVI pag.*836 *col. II.* Sed notandum quod *Bartholomæus* ſemel & iterum S Sedis Legatus in *Germaniam* miſſus fuit, ut in *Appendice* ſequenti videre eſt.

F. Andreas Rhodius, Archiepiſcopus Coloſſenſis, Legatus in Orientem miſſus. *Odoricus Raynal-* Anno 1445.
dus Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCCCXLV num XX, ubi citat Legationis Diploma ex *Lib. XVIII Eugenii IV pag.*124. Ejuſdem Legationis meminit *Eugenius IV* in *Conſtitutione CCXCIII.* Legitur pag 197 hujus *III* Tomi.

Anno circiter 1446. F. Leonardus Chienſis, Archiepiſcopus Mitylenenſis, ut in hac *Appendice* videre eſt, Conſtantinopolim mittitur. *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLVIII pag.* 817 *col. I, aliique ſupra laudati.*

Typis editæ fuerunt nonnullæ Conſtitutiones *Eugenii IV*, cum Breviores ejuſdem Pontificis literas accepi, quas, mutilas licet, non abs re fuerit hic tranſcribere. Primo ſiquidem ex ipſis diſcimus, quod die *III* Martii Summus Pontifex renuociatus eſt *Eugenius IV*. Secundo mentio fit in eodem Diplomate cujuſdam Fratris *Juliani*, de quo ſic legitur in Regeſtis *Septempedanæ* Civitatis.

Die XVI Menſis Martii . . . Anni MCCCCXXXI

Indictione IX.

Venerabilis vir Frater Julianus Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſor de Sancto Severino, Ambaſciator, & Orator dicti Communis Sancti Severini deſtinatus ad Curiam Romanam per conſenſum Communis per dictos D. D. Conſulem, & Priorem dictæ terræ, exiſtentes perſonaliter in quadam Saletta (id eſt aula) *propria Domorum eorum ſolitæ habitationis . . . . Breve Diplomate Sanctiſſimi D. noſtri Papæ Eugenii Quarti, ſigillato annulo Capitum Principum Apoſtolorum, tenoris & continentiæ infraſcriptorum: videlicet.*

Dilectis filiis Officialibus, ac Univerſitati Terræ noſtræ Sancti Severini.

EUGENIUS PP. IV.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Anno 1431 Die 9 Martii. I-t. EA quæ dilectus filius Julianus Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſor circa fidelitatis veſtræ conſcientiam nobis expoſuit, plene audivimus, commendantes fidelitatem, & devotionem veſtræ perſonæ, & Fratrum. Cum autem ad nos attinet cura . . . . . Terra noſtra Sancti Severini evenir apud nos, ſufficienter, ita ut . . . . . Dei benignitate confiſi, & continuatione veſtræ fidelitatis omnium, ut dicta terra tranquilla, & . . . . . erunt. Vos vero opera fidelitatis, & devotionis continuare non omittatis, ut de comprobata veſtra fidelitate certiores effecti, in noſtro & Eccleſiæ gremio acceptatores habuimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Capitum Principum Apoſtolorum Die VIIII Martii, Aſſumptionis vero noſtræ Die Septima.

Nota, iſtud Diploma datum diei *ſub Annulo Capitum Apoſtolorum*, quod ſigillum nunc adhibent duntaxat in Bullis. Id notatu digniſſimum.

NI-

NICOLAUS V.

Patria Sarzanenſis, (*a*) electus eſt Romæ apud S. Mariam ſupra Minervam Die VI Martii MCCCCXLVII. Coronatus (*b*) fuit ejuſdem Menſis Die XIX. Obiit (*c*) XXIV Martii MCCCCLV. Sedit Annos VIII, Dies XIX.

(*a*) *Nicolaus V* in Epiſtola ad *Bononien.* Canonicos.
(*b*) Ex Lib. Sacri Collegii Cardinal.
(*c*) *Ciaconius* in *Nicolao V.*

Ut Prior Cumani (1) Cœnobii executioni mandet ea quæ de Cumano Monaſterio ſanxerat Eugenius IV.

Anno 1447 Die 19 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

I.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori domus Sancti Johannis extra muros Cuman. Ordinis Fratrum Prædicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

RAtioni congruit &c (3). Dudum ſiquidem felicis recordationis Eugenio PP. IIII Prędeceſſori noſtro pro parte dilectarum in Chriſto filiarum domus de Sancto Marco nuncupatarum, expoſito, quod ipſę, quibus olim dicta domus cum aliis ędificiis pia fidelium largitione donata, vel alias juſto titulo per eas adepta fuerat, in illa ſub clauſura, & humili habitu paupertatem, obedientiam, & caſtitatem obſervando per aliquot annos honeſte vixerant, prout tunc vivebant, nulla tamen ſuper hoc a Sede Apoſtolica obtenta licentia, quodque ibidem hactenus multiplicaverant, prout in dies multiplicabant exemplaris vitę meritis, & Altiſſimo favente, domos, & alia loca pro earum, & aliarum ſimiliter vivere eligentium Sororum uſu, & habitatione perpetuis adipiſci ſperabant, necnon in domibus, & locis eiſdem ſub regulari obſervantia Ordinis Sancti Auguſtini, ad quam ſingularem gerebant devotionis affectum de cetero vivere, & ſub dicto habitu remanere, ac profeſſionem per Sorores dicti Ordinis emitti ſolitam, prout in manibus dilecti filii Vicarii in ſpiritualibus Generalis Venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Cuman. promiſerant, emittere ferventer exoptabant, ſi dictę Sedis auctoritas ſuffragaretur eiſdem, idem Prędeceſſor, qui Religionis propagationem, & ſingula religioſa loca, earum pręſertim, quę uni viro Chriſto ſe videlicet voto celebri deſponſantes, flores honoris, & honeſtatis fructus producunt.. intenſis deſiderabat affectibus, cupiens ipſas exponentes Sorores in tam laudabili propoſito confovere, earum ſupplicationibus inclinatus, videlicet ſub dato diei ſextodecimo Kalendas Decembris Pontificatus ſui Anno Sextodecimo (4), tibi dari voluit in mandatis, ut de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis te diligenter informares, &, ſi per informationem ita eſſe reperires, conceſſionem domus, & ędificiorum Sororibus hujuſmodi factam, auctoritate Apoſtolica approbares, & nihilominus in pręfata domo Ordinem Sancti Auguſtini ita ſtatueres, & ordinares, quod in antea Sorores ipſę prę-ſentes, & futurę conventualiter, & ſub Regula, & habitu prędictis vivere, ipſęque & alię domum prędictam ingredi volentes, Sorores, ſi ex hoc dicta domus nimium non gravaretur, profeſſionem hujuſmodi emittere deberent, eiſque, ut unum alium locum ubicunque conſiſtentem, per eas juſtis modis acquirendum, qui a dicta Domo de Sancto Marco dependeret, & illius membrum exiſteret, recipere, ac pro ipſarum, & aliarum Sororum hujuſmodi uſu, & habitatione perpetuis retinere, & quod quamcunque Sororem dicti Ordinis de earum gremio in ipſarum, & domus de Sancto Marco, ac loci hujuſmodi Prioriſſas, ſeu gubernatrices prima vice, & deinceps quoties domum, & locum pręfatos Prioriſſis, ſeu gubernatricibus carere contingeret, ſervatis tamen ſolemnitatibus, & aliis de jure requiſitis per electionis, ſeu poſtulationis miniſterium aſſumere, & juſtis ſuadentibus cauſis, quatenus opus foret, a gubernatione ipſarum, ac domus, & loci hujuſmodi amovere, ipſaque electio, poſtulatio, & amotio ad eas de Sancto Marco perpetuo deberet pertinere, ipſiſque Sororibus, ut in domo, & loco prędictis condecentem Eccleſiam cum campanili, campana, Altaribus, & aliis neceſſariis officinis erigere, necnon ut quęlibet ipſarum pręſentium, & futurarum Sororum domus, & loci prędictorum confeſſorem eligere, ipſeque Confeſſor earum ſingulis pro commiſſis per eas, & exceſſibus, niſi talia fuerint, propter quę Sedes Apoſtolica merito conſulenda foret, debitam abſolutionem impendere, & pęnitentiam ſalutarem injungere, necnon eis Euchariſtiam, aliaque Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare valeret, quodque ea quę Sorores ipſę pro domus, & loci, ac Sororum hujuſmodi ſtabilimento, directione, & conſervatione, rationabilia ſtatuta ibidem inviolabiliter obſervanda ſtatuerent, & ordinarent, eadem auctoritate approbares; Et inſuper dictus Prędeceſſor univerſis, & ſingulis Sororibus in domo, & loco prędictis pro tempore moraturis, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, indulgentiis, libertatibus, immunitatibus, & exemptionibus pręfato Ordini, ac illius domibus, & perſonis per Sedem Apoſtolicam, vel alias quomodolibet conceſſis uti, & gaudere libere, & licite valerent, auctoritate Apoſtolica induſit, jure Parochialis Eccleſię & cujuslibet alterius ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII etiam Prędeceſſoris noſtri, illa pręſertim, qua prohibetur, ne Fratres Ordinum Mendicantium loca de novo recipere, vel eatenus recepta mutare pręſumant abſque dictę Sedis licentia ſpeciali faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, & quod tu Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor exiſtis, & aliis Apoſtolicis con-

Eugenii IV Decretum.

Digitized by Google

conſtitutionibus, necnon dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Ne autem Sorores prędictę conceſſionis hujuſmodi, pro eo quod prędictę literę Prędeceſſoris ipſius ſuperveniente obitu confectę non fuerint, fruſtrentur effectu; volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod conceſſio ipſa perinde a dicta die ſexto decimo Kalendas Decembris ſortiatur effectum, ac ſi ſuper illa ipſius Prędeceſſoris literę ſub ejuſdem diei datu confectę fuiſſent, quodque præſentes literę ad probandam plene conceſſionem hujuſmodi ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur, & nihilominus diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad executionem pręſentium alias

Mandatum. juxta ipſius conceſſionis continentiam, atque formam, auctoritate noſtra, procedere ſtudeas, & procures. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Millelimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Sexto (5), Quartodecimo Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Cumani.*) Seu *Novocomenſis*, vulgo *Como*, in *Inſubria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXXI fol. 77.*
3. *Rationi congruit &c.*) Ut in *Conſtitutione I Eugenii IV* ad hæc uſque verba: *Conſequantur effectum*. Legitur pag. 1 hujus *III* Tomi.
4. *Anno ſexto decimo*. Chriſti *MCCCCXLVI*.
5. *Sexto.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCXLVII.*

Anno 1447 Die 19 Martii.

Ut quæ F. Alexius (1) de Albicis teſtamento cavit, perficiantur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

II.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati S. Salvatoris de Septimo Florentin. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

RAtioni congruit &c. (3) Dudum ſiquidem pro parte venerabilis Fratris noſtri Antonii (4) Archiepiſcopi Florentin. tunc Prioris (5) domus Sancti Marci Florentin. Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac dilecti filii Alexii de Albicis dicti Ordinis profeſſoris felicis recordationis Eugenio PP. IIII Prędeceſſori noſtro inter alia expoſito, quod prędictus Alexius, tunc infra annum ſuę probationis exiſtens, & antequam regularem profeſſionem emiſiſſet, habens notitiam, quod quondam Nicolaus de Albicis Civis Florentin., qui teſtamentum condens ſuorum bonorum eundem Alexium nepotem ſuum univerſalem hęredem inſtituerat, tempore ſui obitus diverſis Civibus Florentin. occaſione nonnullorum contractuum debitor remanſerat, ac volens, quantum in eo erat, tam exonerationi Nicolai, quam indemnitati civium prędictorum ſalubriter providere, ſuum condiderat teſtamentum, in quo non ſolum hęreditaria omnia prędicta, ſed etiam aliqua ſua paternalia bona hoſpitali pauperum B. Marię ad Sanctum Gallum extra muros Florentin. perpetuo reliquerat, & legaverat, illudque de eis hęredem ſuum univerſalem inſtituerat cum hujuſmodi onere, videlicet, quod Rector pro tempore exiſtens dicti hoſpitalis civibus hujuſmodi centum Florenos annuatim perſolveret, donec, & quouſque eis juxta declarationem per eoſdem Archiepiſcopum tunc Priorem, & Alexium, tam de nominibus civium, quam etiam de quantitatibus eis debitarum pecuniarum faciendam foret integre ſatisfactum, ac ſubjuncto, quod dilectus filius Michael Nicolai Rector prędicti Hoſpitalis ſuorum ſucceſſorum ejuſdem hoſpitalis Rectorum, qui eſſent pro tempore, ac ejuſdem hoſpitalis nominibus hęreditatem Alexii hujuſmodi cum eodem onere adierat, ejuſque, necnon bonorum prędictorum poſſeſſionem aſſecutus fuerat, quodque etiam ſe, necnon ſucceſſores, & hoſpitale prędicti, illiuſque bona ad ſolvendum annuatim centum Florenos civibus hujuſmodi, donec eis juxta declarationem prędictam ſatisfactum foret, ut prędicitur, ſolemniter obligaverat juramento, ac nonnullis pęnis, renunciationibus, & cautelis deſuper tunc adjectis, prout in quibuſdam Inſtrumentis publicis deſuper confectis plenius contineri dicebatur, idem Prędeceſſor ad ſupplicationem Archiepiſcopi tunc Prioris, & Alexii prędictorum, dilecto filio Abbati Sancti Salvi extra muros Florentin. ejus proprio nomine non expreſſo per ſuas literas dedit in mandatis, ut ſi eſſet ita, hęreditariam Inſtitutionem, relictaque & legata per Alexium, ac aditionem hęreditatis, necnon aſſecutionem bonorum ejuſdem, obligationemque per Michaelem Rectorem factam hujuſmodi, & quęcunque inde ſecuta, auctoritate ipſius Prędeceſſoris approbaret, & confirmaret, ſupplendo omnes defectus, ſi qui interveniſſent in eiſdem, prout in dictis literis plenius continetur: Et deinde, ſicut etiam pro parte Archiepiſcopi tunc Prioris, & Alexii prędictorum, dicto Prędeceſſori expoſitum fuerat, licet Michael prędictus poſt datum literarum prędictarum ſe, & dictum hoſpitale ad ſolvendum creditoribus declaratis, & declarandis, hujuſmodi, uſque ad ſummam duorum millium Florenorum ſimilium, videlicet centum Florenos annis ſingulis ſpecialiter obligaſſet, prout in alio Inſtrumento publico deſuper confecto plenius contineri dicebatur, ac etiam dilectus filius Jacobus Abbas prędicti Monaſterii ad executionem literarum earundem, etiam vocato dicto Michaele, procedens, inſtitutionem, relicta legata, aditionem, aſſecutionem, obligationem, & inde ſecuta prędicta auctoritate Prędeceſſoris hujuſmodi canonica fuiſſe, & eſſe decreviſſet, & declaraſſet, illaque omnia, & ſingula approbaſſet, & confirmaſſet, necnon defectus omnes, ſi qui forſan in illis intervenerant, etiam ſuppleviſſet, tamen prędictus Michael contra per eum promiſſa hujuſmodi veniens illa adimplere neglexerat, prout etiam tunc negligebat, idem Prędeceſſor tunc videlicet Nono Kalendas Novembris Pontificatus

Eugenii IV Decretum. ſui Anno Quartodecimo (6) ad ſupplicationem Archiepiſcopi tunc Prioris, & Alexii prędictorum, voluit, & conceſſit ſub forma intraſcripta, Michaelem, & ſuos ſucceſſores prędictos, & eorum ſingulos ad ſervandum promiſſa per Michaelem, ac contenta in Inſtrumentis deſuper confectis hujuſmodi compelli poſſe, ac debere, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon prędicti Ordinis &c. quibuſcunque. Ne autem de voluntate, & conceſſione prędictis pro eo

quod

quod ſuper illis pręfati Prędeceſſoris, ejus ſuperveniente obitu, literę confectę non fuerunt, valeat quomodolibet heſitari, volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod voluntas, & conceſſio Prędeceſſoris hujuſmodi perinde a dicta die Nono Kalendas hujuſmodi ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis dicti Prędeceſſoris literę ſub ipſius diei dato confectę fuiſſent, prout ſuperius enunciatur, quodque pręſentes literę ad probandum plene voluntatem Prędeceſſoris, & conceſſionem hujuſmodi, ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur, & nihilominus diſcretioni tuę &c. mandamus, quatenus, ſi, vocatis Michaele prędicto & aliis qui fuerint evocandi, tibi de pręmiſſis omnibus, & ſingulis legitime conſtiterit, Michaelem, & Succeſſores pręfatos, ac eorum ſingulos ad ſervandum pręmiſſa per Michaelem promiſſa, ac omnia & ſingula contenta in Inſtrumentis deſuper confectis hujuſmodi ſub excommunicationis, & aliis, de quibus tibi videbitur, pęnis, & etiam alias per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris remedia, appellatione remota, dicta auctoritate Apoſtolica, quoties tibi expedire videbitur, compellere ſtudeas, & procures. Non obſtantibus pręmiſſis contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Sexto (7), Quartodecimo Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo. Mandatum.

1. *Alexius*.) Ex inſigni & perantiqua *Albiciorum* gente oriundus.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XII fol.* 162.
3. *Rationi congruit &c.*) Ut in *Conſtitutione I Eugenii IV* ad hæc uſque verba: *conſequantur effectum*.
4. *Antonii*.) *Antonini* nempe, Sancti, de quo in *Appendice ad Pontificatum Eugenii IV.*
5. *Tunc Prioris*.) Hoc munere variis in locis functus eſt *S. Antoninus*, uti notat *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCCCLIX pag.* 818.
6. *Quarto decimo*.) Chriſti *MCCCCXLIV.*
7. *Sexto*.) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCXLVII*

Ut F. Henricur Kalteyſen (1) Apoſtolici Palatii Scholarum Magiſter Eccleſiaſticum Beneficium aſſequi poſſit.

Anno 1447 Die 19 Martii.

Ex Arch. (2) *Ordinis*.

III.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Enrico Caldicer (3), Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, in Theologia, ac Scholarum Palatii Apoſtolici Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

RAtioni congruit &c. (4) Dudum ſiquidem felicis recordationis Eugenius PP. IIII Prędeceſſor Noſter Parochialem Eccleſiam de Vuſterch, Leodien. Diœceſis, tunc certo modo vacantem, per te quoad vixeris tenendam, regendam, & etiam gubernandam per alias ſuas literas tibi commendavit, prout in eiſdem literis plenius continetur, & deinde pro parte tua ipſi Prędeceſſori expoſito, quod literarum earundem vigore tu poſſeſſionem ipſius Eccleſię aſſecutus fueras, & tunc pacifice tenebas, quodque ſi Eccleſiam ipſam te dimittere contigiſſet, aliam ſimilem Eccleſiam abſque diſpenſatione obtinere non poſſes, idem Prędeceſſor, volens te apud eum de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę, ac morum honeſtate, aliiſque probitatis, & virtutum meritis, quibus perſonam tuam tam familiari experientia, quam etiam fide dignorum teſtimoniis, & etiam ob grata devotionis obſequia, quę ſibi, & Apoſtolicę Sedi hactenus impenderas, & adhuc impendebas, pręmiſſorum obſequiorum, & meritorum tuorum intuitu, uberioris dono gratię proſequi, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinatus, videlicet Quintodecimo Kalendas Martii, Pontificatus ſui anno Sextodecimo, tecum, ut pręfata Eccleſia per te dimiſſa, quamcunque aliam Parochialem Eccleſiam conſuetam Clericis ſecularibus aſſignari, ſi tibi Apoſtolica, vel alia quavis auctoritate canonice conferretur, vel commendaretur, tu ipſam in commendam per te quoad viveres tenendam, regendam, & etiam gubernandam, tenere libere, & licite valeas, ita quod debitis, & conſuetis ipſius commendatę Eccleſię ſupportatis oneribus de reſiduis illius fructibus, redditibus, & proventibus diſponere, & ordinare libere, & licite valeres, ſicuti veri Rectores ipſius commendatę Eccleſię, qui fuerant pro tempore, diſponere, & ordinare potuerant, ſeu etiam debuerant, alienatione tamen quorumcunque bonorum immobilium, & pretioſorum mobilium ipſius commendatę Eccleſię tibi penitus interdicta, quod Ordinis Fratrum Prędicatorum etiam tunc profeſſus exiſteres, ut pręfertur, ac quibuſcunque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ejuſdem Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, tenore ſuarum, de ſpeciali, ſi ſuper hoc confectę fuiſſent literę, gratia diſpenſavit, proviſo quod dicta durante commenda Eccleſia commendata prędicta debitis propterea non fraudaretur obſequiis, & animarum cura in ea nullatenus negligeretur; ne autem de diſpenſatione hujuſmodi, pro eo quod ſuper illa dictę Prędeceſſoris literę, ejus ſuperveniente obitu, confectę non fuerunt, valeat quomodolibet heſitari, volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod pręſentes literę ad probandam plene diſpenſationem hujuſmodi ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo &c. Noſtrę voluntatis, & conſtitutionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Sexto (5), Quarto Decimo Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo. Mandatum.

1. *Kalteyſen*.) Vide *Notas ad Conſtitutionem CCVIII Eugenii IV.* Legitur *pag.* 122 hujus *III* Tomi.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro IV fol.* 96.
3. *Enrico Caldicer*.) Corrupta vox. Scribendum: *Henrico Kalteyſen*., ut videre eſt *Nota I* ad *Conſtitutionem CCVIII Eugenii IV. Legitur pag.* 122 hujuſce *III Tomi*.
4. *Rationi congruit &c.*) Ut in *Conſtitutione I Eugenii IV.*
5. *Sexto*.) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCXLVII.*

F. Jo-

Anno 1447 Die 2 Aprilis.

F. Johannem de Neapoli (1) Inquiſitorem Siciliæ conſtitutum commendat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

IV.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Univerſis, & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, ceteriſque Eccleſiarum, & Monaſteriorum Prelatis, ac Principibus, Ducibus, ceteriſque Dominis temporalibus Regni Sicilię citra Farum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

CUM dilectus filius Johannes de Neapoli, Ordinis Predicatorum profeſſor, ac in Sacra pagina Magiſter, fuerit per ſuum Ordinem in Regno Sicilię citra Farum deputatus Inquiſitor heretice pravitatis, quod officium neceſſarium eſt pro Religionis Chriſtianę, & fidei orthodoxę adverſus hereticos, & non recte de fide ſentientes, defenſione, univerſitatem veſtram, & veſtrum ſingulos exhortamur in Domino, vobis in remiſſionem veſtrorum peccaminum injungentes, ut prefatum Johannem Inquiſitorem pro noſtra, & Sedis Apoſtolicę reverentia commendatum habentes, eidem circa ſui officii exercitium aſſiſtatis veſtris auxiliis, & favoribus, ita vos gerentes erga eum, ut veſtro opere mediante fides augeri poſſit, & mali vepres de agro Domini extirpari, & vos ęterna pręmia, & gratiam, ac benedictionem noſtram conſequi valeatis. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Septimo, Quarto Nonas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Johannem*,) Hunc non novit *Fontana* Fidei cenſores recenſens in *Theatro Dominicano*. Adeas *Echard Tomo I Scrip. Ordinis ad Annum MCCCCLX pag.* 821.

2. *Archivo*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CV. fol.* 195.

Anno 1447 Die 6 Aprilis.

Confirmat omnia Privilegia Ordinis Fratrum Prædicatorum a Martino V, & Eugenio IV conceſſa.

Ex Archivo (1) Ordinis.

V.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam,

Exordium ab Ordinis laude.

LIcet ex debito Summi Pontificatus officii Nobis deſuper injuncti, circa quorumlibet fidelium, preſertim mundanis abjectis illecebris ſub regulari habitu Altiſſimo famulantium omnium profectus, utilitates, & commoda, Nos deceat intentos exiſtere, Ordinem tamen Fratrum Prędicatorum, ejuſque pro tempore Religioſos, tanto potioribus favoribus, & gratiis confovere ſatagimus, quanto illorum ſcientia, virtutibus, & fructuoſis operibus, etiam ad fidei catholicę conſervationem, & incrementum, ad divini Nominis laudem, & gloriam, id conſpicimus in Domino expedire. Hinc eſt, quod Nos, dilecti filii Bartholomęi Texerii (2) Generalis totius Ordinis prędicti Magiſtri, ac illius, & Sacrę Theologię profeſſoris, in hac parte ſupplicationibus inclinati, omnia, & ſingula immunitates exemptiones, libertates, gratias, & indulta a felicis rec. Martino V, & Eugenio IV, ac aliis Summis Pontificibus Prędeceſſoribus noſtris, Ordini prefato, ejuſque pro tempore Generali, Superioribus, & Fratribus hactenus conceſſa, atque facta, necnon illorum Apoſtolicas confirmationes, & validationes, ac quaſcunque Martini, Eugenii, & aliorum Prędeceſſorum prędictorum confecta, &

Confirmatio.

emanata, litteras, & privilegia, quorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent preſentibus, haberi volumus pro expreſſis, auctoritate Apoſtolica tenore prefentium ex certa ſcientia

Clauſula derogans.

confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus, illaque plenariam roboris firmitatem, etiam perinde ac ſi ea per Nos de verbo ad verbum, prout in litteris & privilegiis continetur, de novo conceſſa forent, obtinere, eadem auctoritate decernimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis quę Martinus, Eugenius, & alii Prędeceſſores prefati in eorum

Sanctio pœnalis.

litteris, & privilegiis prędictis voluerunt non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis, communitionis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Septimo, Octavo Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo.

X
X
X

Pe. de Noxeto.

H Senſtlebin

Gratis in Bulla, & Regeſtro de mandato D. N. Papę

A. Frocardus.

1. *Archivo*,) In quo Autographum. Aliud aſſervatur in Cœnobio *Raguſino*. Duplex Exemplar habes in Archivo Ordinis, authenticum unum ex illo quod tenet Conventus *S. Andrę de Faventia*, aliud ex *Archivo Apoſtolico Lib. V. fol.* 79. Legitur apud *Uſuemarem pag.* 110.

2. *Bartholomęi Texerii*.) De quo ſępius dictum fuit.

In-

Indulgentias elargitur viſitantibus ædes ſacras Aniciensis (1) Cœnobii in quo Generale Capitulum celebrandum erat.

Anno 1447 Die 6 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Univerſis Chriſti Fidelibus preſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

VI.

CUM itaque (3) ſicut accepimus, Generale Capitulum dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Predicatorum, qui pro integritate, & veritate Chriſtianę Fidei conſervanda, & ſalute animarum, fętus pariunt in Dei Eccleſia ſalutares, in Domo, ſeu Conventu eorum in Civitate Aniſien. in feſto Pentecoſtes celebrari debet; Nos, cupientes, ut dictum Capitulum ſecundum ejuſdem Ordinis laudabilia inſtituta debite celebretur, & Eccleſia Domus prefatę congruis honoribus frequentetur, & ut Fideles ipſi eo libentius confluant ad eandem, & pro reparatione neceſſariorum ędificiorum Eccleſię, Domus, & Conventus predictorum manus promptius porrigant adiutrices, quo propter hoc ibidem dono cęleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui a primis Veſperis dicti Feſti Pentecoſtes uſque ad Veſperas tertię immediate ſequentis incluſive, Eccleſiam ipſam devote viſitaverint, & pro Fratrum receptione, & Capituli celebratione, ſeu ędificiorum predictorum reparatione, & conſtructione manus porrexerint adiutrices, ſeptem Annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Septimo, Octavo Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo. Indulgentia.

1. *Aniciensis*.) Vulgo *Le Puy*, in *Gallia*. Juris eſt *Toloſana* Provinciæ.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Arch. Apoſtol. Libro XII fol.* 312.
3. *Cum itaque*.) Exordium deeſt.

S. Stephanini Oratorium unitur Prioratui S. Marcelli Papien. (1).

Anno 1447 Die 6 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Dilectis filiis Sancti Michaelis majoris, & Sancti Inventii Papienſium Eccleſiarum Prepoſitis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

VII.

AD ea ex injuncto Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio libenter intendimus, per quę Eccleſiarum, & aliorum piorum locorum, ac perſonarum in eis degentium, preſertim ſub regulari habitu Domino famulantium, opportunitatibus valeat ſalubriter provideri. Exordium. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Antonii de Seſſa, Prioris Prioratus Sancti Marcelli Papienſis, Ordinis Sancti Auguſtini, petitio continebat: quod dictus Prioratus adeo in ſuis fructibus, redditibus, & proventibus tenuis, & exilis exiſtit, quod ex ipſis ipſius Prioratus Prior pro tempore exiſtens ſe decenter ſuſtentare, & alia ſibi incumbentia onera ſupportare nequit, &, ſi oratorium campeſtre ſine cura Sancti Stephanini Campanię Papię Prioratus nuncupatum, extra muros Papienſes dicti Ordinis, apud quod, cum habitationibus careat, nullus habitat, & quod quondam Nicolaus Arnoldi ipſius oratorii Rector, dum viveret, obtinebat, per ejuſdem Nicolai obitum qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacans ad preſens, eidem Prioratui Sancti Marcelli, cui cura imminet animarum, perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, Prior prefatus ſe commodius ſuſtentare, & onera predicta ſupportare valeret. Diplomatis cauſa. Quare pro parte dicti Antonii Prioris, aſſerentis, quod Prioratus quadraginta trium, necnon oratorii hujuſmodi duodecim florenorum auri de Camera, fructus, redditus, & proventus ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper iis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de premiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum ſuper eiſdem premiſſis omnibus, & ſingulis, & eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra vos diligenter informetis, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereritis, ſuper quo veſtras conſcientias oneramus, oratorium predictum, ſive, ut premittitur, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per liberam reſignationem cujuſcunque de illo extra Romanam Curiam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, vacet, etiam ſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranenſis ſtatuta Concilii ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta, ipſumque oratorium diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter reſervatum exiſtat, & a quocunque Monaſterio, ſeu alio Regulari loco dependeat, ſuper eo quoque inter aliquos lis, cujus ſtatum preſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo tempore dati preſentium non ſit in eo alicui ſpecialiter jus queſitum, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis prefato Prioratui auctoritate predicta in perpetuum uniatis, incorporetis, & annectatis, ita quod ex tunc liceat Priori pro tempore hujuſmodi per ſe, vel alium, ſeu alios, oratorii juriumque, & pertinentiarum predictorum corporalem poſſeſſionem auctoritate propria libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus in ſuos, ac Prioratus Sancti Mandatum.

Marcelli, & oratorii hujuſmodi uſus, & utilitatem convertere, Diœceſani loci, & cujuslibet alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii, ſive loci, a quo forſan pręfatum oratorium dependeat, & Ordinis prędictorum, Clauſula derogans. juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcunque. Aut ſi aliquis ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis Beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales Apoſtolicę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarit etiam ſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum. Quas quidem literas, ac proceſſus habitos per eaſdem, & quocunque modo ſecuta ad pręfatum oratorium volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis, quoad aſſecutionem Beneficiorum aliorum prędjudicium generari, & quibuslibet privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, per quę prędſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis; Proviſo quod oratorium hujuſmodi debitis propterea non fraudetur obſequiis, ſed illius debite ſupportentur onera conſueta. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Septimo, pridie Nonas Maii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Papien.*) In *Inſubria*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar authenticum ex Autographo *Papiæ* aſſervato in Cœnobio SS. *Thomæ & Apollinaris*.

Anno 1447 Die 8 Maii. Ut Monaſterium Mantuanum (1) juris ac poteſtatis ſit Magiſtri Generalis Ordinis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

VIII. Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium. AD decorem S. Religionis veſtrę meditationis dirigentes intuitum, votis illis, per quę Monaſteriorum, ac perſonarum in eis degentium, ſtatui, ac indemnitatibus conſulitur, ac Religionis ejuſdem propagatio ſequi ſperatur, annuimus gratioſe. Cum itaque, ſicuti exhibita Nobis nuper pro Supplex Monialium petitio. parte dilectarum in Chriſto Filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii S. Dominici Mantuan., per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, ſub inſtituto Ordinis Fratrum Prędicatorum viventium, petitio continebat, ipſę, quę mundanis abjectis illecebris pro animarum ſuarum ſalute, divinique cultus augmento, regularem obſervantiam dicti Ordinis inibi perpetuo vigere ferventius concupiſcunt, pro obſervantię hujuſmodi conſervatione, quam per dilectos filios Generalem Magiſtrum, ac Fratres Domorum Ordinis Fratrum Prędicatorum in Civitate, & Diœceſi Mantuan. conſiſtentium, qui ſub regulari obſervantia ipſius Ordinis Fratrum Prędicatorum die, noctuque divinis laudibus inſiſtendo, gratum impendunt Altiſſimo famulatum, propter ipſorum vitam laudabilem, manuteneri facilius poſſe ſperant, curę, regimini, & gubernationi Magiſtri, ac Fratrum Prędicatorum ſub obſervantia degentium hujuſmodi ſubjici, & ſubmitti, ac ſub illis perpetuo vivere deſiderent, pro parte earundem Prioriſſę, & Conventus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionis propagationem fieri, illiuſque obſervantiam vigere ubilibet intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi, necnon dilectę in Chriſto Filię Nobilis Mulieris Paulę (3) Marchionis (4) Mantuan. Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantis, ſupplicationibus inclinati, Monaſterium, illiuſque pro tempore Prioriſſam, & Conventum, necnon omnes, & ſingulas Moniales, ac perſonas prędſentes, & futuras, donec in hujuſmodi regulari obſervantia permanſerint, curę, regimini, & gubernationi prędictis auctoritate Apoſ- Mandatum. tolica tenore prędſentium perpetuo ſubjicimus pariter, & ſubmittimus, dictoſque Magiſtrum, & Fratres (5) illa, & prorſus ſimilia juriſdictionem, dominium, & poteſtatem in Monaſterium, Prioriſſam, Conventum, Sorores, & Perſonas hujuſmodi habere, & exercere poſſe volumus, quę in alia Monaſteria dicti Ordinis eorumque perſonas ſub inſtitutis hujuſmodi, curę, regimini, & gubernationi ipſorum ſubjecta, habent, & exercere poſſunt. Non obſtantibus privilegiis, gratiis, & indultis, Epiſcopis Mantuan. pro tempore exiſtentibus conceſſis, necnon conſtitutionibus Apoſtolicis, & Ordinum, & Monaſteriorum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis, ſubjectionis, ſubmiſſionis, mandati, & conſtitutionis infringere. Si quis autem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Septimo, Octavo Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Primo (6).

1. *Mantuanum*.) In ejuſdem nominis Ducatu *Italiæ*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Arch. Apoſtol. Libro LXX fol.* 51. Legitur etiam *Lib. B. fol.* 284, ex Autographo *Mantuano*.

3. *Paula*.) Oriunda ex antiquiſſima gente *Malateſta*.

4. *Marchionis*.) *Marchioniſſa*. *Paula* ſiquidem nupſerat *Johanni Franciſco*, e gente *Gonzaga*, qui *Mantuanus* Marchio renunciatus erat anno circiter *M.CCCXXXIII.*

5. *Fratres*.) *Lombardiæ* Provinciæ, cujus juris eſt Monaſterium *Mantuanum*.

6. *Anno Primo*.) In Exemplari *Libri B.* legitur: *Anno Secundo*.

Ut F. Johannes de Colonia (1) Beneficium eccleſiaſticum aſſequi poſſit.

Anno 1447 Die 1 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Colonia Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

IX.

MErentur fructuoſa exactę tuę vitę ſtudia, ut te ſinceris proſequentes affectibus, opportunitatibus tuis, prout congruum fore conſpicimus, ſalubriter conſulamus. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod nuper dilectus filius Bartholomęus Texerii (3) Ordinis Fratrum Prędicatorum Generalis, non ignarus ſolicitudinis, & laborum, quos tu una cum quondam Johanne de Monte Nigro (4) dicti Ordinis Profeſſore, pro arduis negotiis Sacroſanctę Univerſalis Eccleſię (5), & Catholicę fidei tam in reductione Gręcorum (6), quam nonnullarum aliarum nationum ad pręfatam fidem per varias Mundi partes peragrando indeſeſſe pertuleras, & animadvertens, te ſenio confractum, ac viribus tui corporis plurimum debilitatum exiſtere, ętati tuę compatiens, necnon volens tuis neceſſitatibus aliqualiter providere, ut extra Domos prędicti Ordinis, quem expreſſe profeſſus exiſtis, alicui Eccleſię poſſes in divinis deſervire, plenam, & liberam licentiam conceſſit, prout in literis authenticis, ejuſdem Generalis ſigillo munitis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſionem hujuſmodi confirmare, ac alias tibi, & ſtatui tuo in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur conceſſionem hujuſmodi ratam, & gratam habentes, ac volentes te, apud Nos de religionis zelo, vitę ac morum honeſtate, aliiſque probitatis, & virtutum meritis multipliciter commendatum, prędictorum intuitu, favore proſequi gratioſo, hujuſmodi ſuplicationibus inclinati, tibi, ut curam cujuſcunque Parochialis Eccleſię, ſeu alterius Eccleſiaſtici Beneficii Curati, ſi te ad illam gerendam alias canonice deputare contigerit, abſque alicujus prejudicio gerere, & exercere, nec non Eccleſię, ſeu beneficio, hujuſmodi quoad vixeris deſervire, libere, & licite poſſis, fel. rec. Martini PP. V Prędeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, cęteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate apoſtolica tenore prçſentium indulgemus, proviſo quod Cura hujuſmodi nullatenus negligatur. Nulli ergo &c Noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Septimo, Kalendis Junii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Diplomatis cauſa.

Indultum.

1. *Johannes de Colonia.*) Cujus ætatem, & præclaras dotes hocce Diplomate diſcimus.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtol. Lib. IX fol.* 215.
3. *Bartholomæus Texerii.*) Cujus ſæpius mentio facta fuit.
4. *Johanne de Montenigro.*) Viro celeberrimo, de quo ſæpe, & conſulendi *S. Antoninus* auctor æqualis *Hiſtor. Parte III Tit. XXII.*, *Leander Albertus de Viris illuſtribus*, *Leo Allatius*, ceterique, quos laudat & excipit *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXLIV pag.* 799.
5. *Univerſalis Eccleſiæ.*) Tribus ſiquidem Conciliis adfuit *Johannes* juſſu *Eugenii IV*, ut videre eſt ex Actis Conciliorum *Baſileenſis*, *Ferrarienſis*, & *Florentini*. Nota, quod in *Actis* illis aliquando *F. Johannes Provincialis* appellatur *Johannes* noſter, quia nempe Provinciæ *Lombardiæ* tunc præerat.
6. *In reductione Græcorum.*) Hac de re legendus *Joſephus Methonenſis*, *Græcus*, in *Reſponſione ad Marcum Epheſium De Actis in Synodo*, apud *Labbeum*: refert ille quæ contra *Græcos* egit *Johannes*, quem laudibus ad cælum effert.

Fratres, & Sorores de Pœnitentia Secularium juriſdictione reddit immunes (1).

Anno 1447 Dei 17 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

X.

EA, quę pro fidelium perſonarum, pręſertim in humilitatis ſpiritu Altiſſimo famulantium, salubri ſtatu provide proceſſiſſe comperimus, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolico munimine roboramus. Dudum ſiquidem felicis recordationis Eugenius PP. IIII Prędeceſſor noſter Priorem, ac Fratres, & Sorores pro tempore exiſtentes de Societate Tertię Regulę Sancti Dominici nuncupatos in Monte Magnanapoli de Urbe, ad hoc ut quietius ſua Altiſſimo vota exhibere valerent, ab omni juriſdictione ſeculari, auctoritate Apoſtolica, exemit (3), liberavit, ac exemptos voluit eſſe, & liberos, necnon etiam decrevit, eos, & ipſorum quemlibet ſuper ſingulis etiam criminalibus cauſis, & querelis, eis pro tempore motis, coram Vicario dictę Urbis pro tempore duntaxat comparere debere, ac alibi, quam coram eo reſpondere minime teneri, necnon diſtrictius inhibuit univerſis, & ſingulis Senatoribus, Conſervatoribus, Judicibus, & Mareſcallis, aliiſque quibuſvis ſecularibus officialibus pręfatę urbis pro tempore exiſtentibus, ne ex tunc in antea per ſe, vel alium, ſeu alios, Priorem, Fratres, & Sorores pręfatos ſuper quibuſvis rebus, negotiis, & bonis inquietare, vel moleſtare, aut eis onera, vel gravamina quavis cauſa, vel occaſione imponere quoquomodo prçſumerent. Non obſtantibus ſtatutis, & conſuetudinibus, ac Privilegiis, officialibus ejuſdem Urbis tunc conceſſis, & in antea concedendis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, Fratrum, & Sororum de Societate hujuſmodi prçſentialiter exiſten., petitio continebat, ipſi Literas prędictas, ac omnia in illis contenta, & inde ſecuta pro eorum ſubſiſtentia firmiori per Nos confirmari, ac ſuper hoc eorum ſtatui providere deſiderant, Nos, votis hujuſmodi favorabiliter annuentes, eorundem prçſentium Prioris, Fratrum, & Sororum in hac parte ſupplicationibus inclinati, literas, exemptionem, liberationem, voluntatem,

Diplomatis cauſa.

Indultum.

Decretum, ac inhibitionem hujuſmodi, ac alia omnia, & ſingula in ipſis literis contenta, & inde ſecuta, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, tenore pręſentium, valere, ac plenariam roboris firmitatem obtinere debere, decernimus, ac etiam ad abundantiorem cautelam ipſos Priorem, Fratres, & Sorores pro tempore, ut pręmittitur, auctoritate, & ſcientia prędictis eximimus, & liberamus, necnon deſuper in omnibus, & per omnia, prout ſuperius continetur, volumus, decernimus, & in-
Clauſula derogans. hibemus. Non obſtantibus omnibus illis, quę idem Prędeceſſor noſter in dictis ſuis literis voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę Conſtitutionis, exemptionis, liberationis, voluntatis, & inhibitionis infringere &c. ſi quis autem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Septimo, Quintodecimo Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Immunes.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. XIV.*
3. *Exemit.*) *Conſtitutione CCC.* Legitur *pag.* 103 hujus *III* Tomi.
5. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico.*

Anno 1447 Die 27 Octobris.

Ut F. Thomas (1) de Eugubio veniat in poſſeſſionem Eccleſiæ S. Michaelis Conſtantinopolitanæ Diœceſeos.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XI.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Coronen. (3), & Mothonen. (4) Epiſcopis, ac dilecto filio Priori Monaſterii Beatę Marię Miſericordię per Priorem ſoliti gubernari Conſtantinopolitan. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa. RЕligionis zelus, literarum ſcientia, vitę ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus dilectus filius Thomas de Eugubio Ordinis Prędicatorum, & Theologię profeſſor, apud nos fide digno commendatur teſtimonio, nos inducunt, ut ea ſibi favorabiliter concedamus, quę ſuis commoditatibus fore conſpicimus opportuna. Cum itaque, ſicut accepimus, dilectus filius Fr. Dominicus dicti Ordinis profeſſor Eccleſiam S. Michaelis ſitam in loco Peyre (5), Conſtantinopolitan. Dięceſis, quę eſt membrum Patriarchatus latini Conſtantinopolitan. quam tunc ex diſpenſatione Apoſtolica in commendam obtinebat, commendę hujuſmodi in manibus venerabilis Fratris noſtri Jacobi Epiſcopi Caphen (6) coram notario publico, & nonnullis teſtibus extra Romanam Curiam ſponte, & libere ceſſerit, Nos volentes dicto Thomę, qui, ut aſſerit, Ordinem ipſum expreſſe profeſſus exiſtit, pręmiſſorum meritorum ſuorum intuitu, de alicujus ſubventionis auxilio providere, gratiam quoque facere ſpecialem, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica Scripta
Mandatum. mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam de ceſſione hujuſmodi vobis conſtiterit, illam auctoritate noſtra admittatis. Non obſtantibus Bonifacii PP. VIII & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus &c. Seu ſi Venerabili Fratri noſtro Patriarchę Conſtantinopolitan. vel quibuſvis aliis &c. mentio ſpecialis, proviſo, quod propter commendam hujuſmodi Eccleſia ipſa debitis propterea non fraudetur obſequiis, & animarum cura in ea nullatenus negligatur. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo quadrageſimo Septimo, Sexto Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Thomas.*) *De Eugubio* ex patria nuncupatus.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXVII fol.* 229.
3. *Coronen.*) in *Peloponneſo.*
4. *Mothonen.*) Rectius *Methonen.*, *vulgo Modon*, in *Peloponneſo.*
5. *Peyre.*) Suburbium eſt *Conſtantinopolitanum.*
6. *Caphen.*) In *Taurica Cherſoneſo.*

Anno 1447 Die 17 Novembris.

Conſentini (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii B. Marię de la matena (3) Sancti Marci (4) Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. SIncerę devotionis affectus, quem dilectus filius nobilis vir Antonius de Sancto Severino Comes Tricaricen. (5) ad Nos, & Romanam gerit Eccleſiam, promeretur, ut petitiones ſuas, illas pręſertim, quę divini cultus incrementum, & religionis propagationem reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Sane pro parte dicti Comitis Nobis nuper exhibita
Supplex Comitis petitio. petitio continebat, quod ipſe pia devotione ſuccenſus, cupiens terrena in cęleſtia, ac tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, de bonis ſibi a Deo collatis unam domum pro uſu, & habitatione nonnullorum Fratrum de obſervantia Ordinis Prędicatorum extra muros Civitatis Cuſentin. (6) in loco ad hoc congruo, & honeſto cum Eccleſia, campanili, campana, domibus, hortis, hortalitiis, refectorio, dormitorio, & aliis neceſſariis officinis fundare, & conſtruere, ſeu fundari, & conſtrui facere deſiderat, ſi ei Sedis Apoſtolicę ſuper hoc licentia concedatur. Quare pro parte dicti Comitis, qui etiam Dux Sancti Marci exiſtit, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi dictam domum in loco ad

ad id congruo, & honeſto, ut pręfertur, fundandi, & conſtruendi, ſeu fundari, & conſtrui faciendi, ac illam, poſtquam conſtructa fuerit, eiſdem Fratribus recipiendi licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque qui divinum cultum noſtris potiſſime temporibus vigere, & augeri intenſis deſideramus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, eidem Comiti domum prętatam cum Eccleſia, campanili, campana, domibus, refectorio, dormitorio, & officinis pro uſu, & habitatione prętatis in loco hujuſmodi fundandi, & conſtruendi, ſeu fundari, & conſtrui faciendi, ac eiſdem Fratribus domum ipſam pro hujuſmodi eorum uſu, & habitatione recipiendi, & perpetuo retinendi, licentiam auctoritate Apoſtolica largiaris. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali faciente plenam & expreſſam &c. & aliis Apoſtolicis &c. quibuſcunque Nos enim ſi conceſſionem hujuſmodi per te vigore pręſentium fieri contigerit, Fratribus prędictis, qui in ipſa conſtruenda domo pro tempore morabuntur, ut omnibus, & ſingulis privilegiis &c. jure tamen Parochialis Eccleſię &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Septimo, Quinto decimo Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Conſentini.*) Vulgo *Coſenza*, in *Calabria*.
2. *Archivo*) In quo duplex Exemplar, Authenticum unum *Libro B. fol.48.* ex Autographo aſſervato *Conſentiæ* in Cœnobio *S. Dominici*, aliud ex *Archivo Apoſtolico Lib. XVI fol.58.*
3. *De la Matena.*) Vulgo *della Matina*.
4. *S. Marci*.) In *Calabria*, *Conſentiam* inter & *Temeſam*.
5. *Tricaricen.*) Vulgo *Tricarico*. Urbs eſt *Lucaniæ* in Regno *Neapolitano*. Verum in Exemplari *Conſentino* legitur Comes *Catancenſis*, ſeu *Catacenſis*, vulgo *Catanzaro*. Urbs eſt *Calabriæ ulterioris*. Utraque Epiſcopalis.
6. *Cuſentin.*) *Coſentin.*, rectius *Conſentin.*, ut in *Nota I.*

Ferrarienſes (1) Fratres biduo ante & poſt Aſſumptionis feſtum iiſdem peccatis ſolvant Chriſti fideles, quibus Epiſcopi poſſunt abſolvere.

Anno 1447 Die 3 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XIII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

SIncerę devotionis affectus, quam dilectus filius nobilis vir Leonellus (3) Marchio Eſtenſis, Civitatis noſtrę Ferrarienſis, pro Nobis, & Romana Eccleſia in temporalibus Vicarius Generalis, ad eandem gerit Eccleſiam, promeretur, ut petitionibus ſuis, illis pręſertim, quas ex devotionis fervore prodire, & ad animarum ſalutem provenire conſpicimus, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Dudum ſiquidem per felicis recordationis Eugenium PP. IV Prędeceſſorem noſtrum accepto (4), quod quondam (5) Nicolaus Marchio Eſtenſis, quandam extra muros Civitatis noſtrę Ferrarien. in honorem, & ſub vocabulo B. M. Virginis Eccleſiam pro nonnullis Religioſis ſub regulari obſervantia vivere volentibus opere inſigni, & ſumptuoſo erigi, & ędificari facere inceperat, illamque ad optatum finem perducere, ac ſufficienter dotare intendebat, idem Prędeceſſor, cupiens ut ipſa Eccleſia per eundem Nicolaum Marchionem debite perficeretur, & congruis frequentaretur honoribus, ac divinus cultus, & Fidelium devotio ferventius vigerent, & augerentur, conceſſit, quod omnes, & ſinguli utriuſque ſexus fideles vere pœnitentes, & confeſſi, qui in Feſto Aſſumptionis ejuſdem Beatę Marię, a primis Veſperis uſque ad ſecundas, Eccleſiam ipſam, poſtquam in illa Divina Officia celebrari contingeret, devote viſitarent annuatim, illam Indulgentiam, ac plenam ſuorum peccaminum remiſſionem conſequerentur, quam viſitantes Eccleſiam B. Marię in Portiuncula, alias de Angelis, extra muros Aſſiſinat. prima die Menſis Auguſti quomodolibet conſequuntur, prout in eiſdem literis, plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Leonelli petitio continebat, Eccleſia prędicta decenti opere conſtructa ſit, ac dilecti filii Prior, & Conventus Fratrum Ordinis Prędicatorum in illa ſub eadem obſervantia degentes, divinorum celebrationi hujuſmodi continuo intendant, &, Deo annuente, de cętero inſiſtere, & divinis laudibus Altiſſimum venerari proponunt, & ut fideles prędicti ad eandem Eccleſiam, pro ſuorum peccaminum conſequenda remiſſione, dicta die, vel antea confluentes, ęterna inde pręmia, Deo propitio, reportent, & hujuſmodi Indulgentię melius participes fieri valeant, pro parte dicti Leonelli Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut prędictis Fratribus dictorum fidelium ſic confluentium confeſſiones audiendi, & alia circa id opportuna faciendi, facultatem concedere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ſupplicationibus hujuſmodi inclinati, eiſdem Fratribus in dicta Eccleſia pro tempore exiſtentibus, in Sacerdotio conſtitutis duntaxat, ut omnium, & ſingulorum fidelium prędictorum cujuſcunque Civitatis, & Diœceſis, ad dictam Eccleſiam pro dicta remiſſione conſequenda, confluentium, & per duos pręcedentes, & per duos hujuſmodi primam ſequentes dies remanentium, confeſſiones audire, ac illis diligenter auditis, pro commiſſis, etiam in ſingulis in quibus Epiſcopis abſolvendi facultas conceſſa exiſtit caſibus, fidelibus ipſis debitam abſolutionem impendere, & pœnitentiam ſalutarem injungere, licite valeant, Auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, concedimus pariter, & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & prohibitionibus Apoſtolicis, cęteriſque &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum conceſſionis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Septimo, Tertio Nonas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Diplomatis cauſa.

Facultas.

2. Fer-

1. *Ferrarienſes.*) Conventus *S. Mariæ Angelorum*, tunc extra, nunc vero intra muros Civitatis Ferrarien. In ejuſdem nominis Ducatu *Italiæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Ferrarienſi*.
3. *Leonellus.*) Vulgo *Lionello*. Conſulendus Johannes *Baptiſta Pigna Hiſtor. Eſtenſis Familiæ*;
4. *Accepto.*) Legenda *Conſtitutio CCXVI Eugenii IV.* Legitur pag. 130 hujus *III* Tomi.
5. *Quondam.*) Obierat *Nicolaus* anno *MCCCCXLI*, ut nonnullis placet, ut aliis anno *MCCCCXLV*.

Anno 1448 Die 12 Januarii.

Declarat Fratres quatuor Ordinum Mendicantium, & Moniales eiſdem ſubjectas immunes (1) eſſe ſubſidio, ſeu tributo, juſſu Sedis Apoſtolicæ ſolvendo Regi Aragonum.

Ex Archivo (2) Ordinis Lib. B. fol. 580.

XIV.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

SEdis Apoſtolicę providentia circunſpecta nonnunquam conceſſa per eam juſtis, & rationabilibus ſuadentibus cauſis dilucidat, & declarat, ac deſuper diſponit, & ordinat, prout perſonarum, rerum, locorum, & temporum qualitate penſata, id conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Dudum felicis recordationis Eugenius Papa IV Prędeceſſor noſter videlicet pridie nonas Maii Pontificatus ſui anno ſexto decimo (3) ex certis tunc ei pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Alfonſi (4) Regis Aragonum Illuſtris, expoſitis cauſis, ad ipſius Regis ſupplicationem, per quaſdam ſuas literas auctoritate Apoſtolica venerabilibus Fratribus noſtris Cęſarauguſtan., & Tarraconen Archiepiſcopis inter cetera unum ſubſidium quadraginta millium Florenorum auri de camera ſuper fructibus, redditibus & proventibus, omnium beneficiorum eccleſiaſticorum, ac perſonarum in Aragonię, Valentię, & Majoricarum Regnis, ac Principatu Catalonię ubique conſiſtentium, ad utilitatem, & commodum dicti Regis imponendum, necnon pręfatam ſummam ab omnibus, & ſingulis Archiepiſcopis, & perſonis Eccleſiaſticis, ſecularibus, & regularibus, exemptis, & non exemptis, in Regnis, & Principatu pręfatis, redditus Eccleſiaſticos obtinentibus, cujuſcunque gradus, ſtatus, dignitatis, Religionis, ordinis vel conditionis exiſterent, infra certos tunc expreſſos terminos, petendi, exigendi, percipiendi, eoſque ad ſolutionem ſummę hujuſmodi infra eoſdem terminos ſub excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, ac aliis tunc expreſſis, pęnis cogendi, & compellendi, ac nonnulla alia tunc expreſſa deſuper faciendi, gerendi, & exequendi, Ordinibus Mendicantium, & Sanctę Marię Servorum, ac Monaſteriorum Sororum, ſive Monialium Ordinum quorumcunque Mendicantium, & redditus non habentium, necnon Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalium beneficiis duntaxat exceptis, plenam, & liberam facultatem conceſſit. Et deinde Nobis qui, dicto Prędeceſſore, ſicut Domino placuit, rebus humanis exempto, fuimus divina favente clementia, ad apicem Summi Apoſtolatus aſſumpti, pro parte dicti Regis inter alia expoſito, quod pręfati duo Archiepiſcopi ad earundem literarum executionem non procedere inclinaverant, quodque ſumma prędicta ad ipſius ſtatus conſervationem, non ſolum utilis, ſed etiam neceſſaria exiſtebat, Nos tunc pręmiſſis, & certis aliis tunc expreſſis rationabilibus cauſis pręfati Regis in ea parte ſupplicationibus inclinati, literas prędictas, ac facultatis conceſſionem, aliaque in illis contenta, ſuum plenarium effectum ſortiri, dictoſque Cęſarauguſtan., & Tarraconen. Archiepiſcopos facultate eis conceſſa prędicta uti, & illam exequi poſſe alias juxta literarum prędictarum continentiam, atque formam, etiam ſecundum quandam tunc expreſſam extimationem aliis noſtris literis auctoritate Apoſtolica ſtatuimus, & decrevimus, prout in ſingulis literis ipſis plenius continetur.

Diplomatis cauſa.

Cum itaque, ſicut nuper accepimus, ab aliquibus in dubium vertitur, an Priores, Guardiani, & Fratres pro tempore exiſtentes domorum Prędicatorum, Minorum, Beatę Marię de Monte Carmeli, ac Eremitarum Sancti Auguſtini Mendicantium Ordinum infra Regna, & Principatum hujuſmodi conſiſtentium, necnon Abbatiſſę, Priorіſſę, Moniales, & Sorores in Monaſteriis, & locis etiam infra Regna, & Principatum prędicta conſiſtentibus ſub Prędicatorum, ac Minorum Fratrum prędictorum cura pro tempore degentes, ſub literis, & facultate prędictis comprehendantur, Nos, ad hujuſmodi dubium ſubmovendum, & ne ipſi Priores, Guardiani, & Fratres, ac Abbatiſſę, Prioriſſę, Moniales, & Sorores ſuper pręmiſſis contra intentionem noſtram in aliquo moleſtentur, providere volentes, motu proprio, non ad eorum, vel alicujus ex ipſis Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, Priores, Guardianos, & Fratres domorum, necnon Abbatiſſas, Prioriſſas, Moniales, & Sorores ſub eorum cura degentes Monaſteriorum infra Regna conſiſtentium hujuſmodi, ipſaque domus, & Monaſteria, necnon eorum, & cujuslibet ipſorum mobilia, & immobilia, res, & bona, vel eorum aliqua ſub literis facultate, conceſſione, ſubſidio, ſtatuto, & decreto prędictis, vel eorum aliquo minime comprehenſa fuiſſe, nec eſſe, ſed ab illis, & eorum ſingulis Priores, Guardianos, & Fratres quatuor Ordinum Mendicantium, necnon Abbatiſſas, Prioriſſas, & Sorores, eorumque domos, & Monaſteria infra Regna & Principatum conſiſtentia, necnon illorum res, & bona prędicta omnia, & ſingula totaliter excepta, & exempta extitiſſe, & exiſtere, necnon Cęſarauguſtan. & Tarraconen. Archiepiſcopos pręfatos vel ab eis ad id pro tempore deputatos ſubexecutores, aut eorum aliquem, Priores, Guardianos, Fratres, Abbatiſſas, Prioriſſas, Moniales, & Sorores, exceptos prędictos, vel ipſorum aliquem ad ſolutionem aliquam faciendam ſummę prędictę vigore Prędeceſſoris, ac noſtrarum literarum hujuſmodi, ſeu alias, cogere, ſeu compellere minime potuiſſe, nec debuiſſe, neque de cetero poſſe, nec debere, quinimmo omnes, & ſingulos proceſſus quoſcunque, excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdicti, aliaſque ſententias, cenſuras, & pęnas in ſe continentes per Cęſarauguſtan., ac Tarraconen. Archiepiſcopos, ſeu ab eis deputatos pręfatos, vel ipſorum aliquem, vigore tam Prędeceſſoris, quam noſtrarum literarum hujuſmodi, contra Priores, Guardianos,

Declaratio.

Fra-

Fratres domorum, quatuor Ordinum Mendicantium, ac Abbatiſſas, Prioriſſas, Moniales, & Sorores, Monaſteriorum hujuſmodi, eorumque colonos, laboratores, cenſuarios, & affictuarios, vel eorum aliquos pro eo quia monitis, & mandatis eis prętextu Prędeceſſoris, ac noſtrarum literarum hujuſmodi factis minime paruerunt, forſan olim habitos, fulminatos, quorum, necnon publicorum Inſtrumentorum forſan deſuper habitorum, tenores, ac domorum, & Monaſteriorum, necnon Priorum, Guardianorum, Fratrum, Abbatiſſarum, Prioriſſarum, Monialium, & Sororum, loca, nomina, cognomina, & quantitates, ac bonorum eorundem qualitates, valores, & etiam quantitates, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent, pręſentibus haberi volumus pro expreſſis, ac omnia inde ſecuta, nulla, & invalida, nulliuſque roboris, vel momenti, idque etiam tempore dati earundem literarum noſtrarum, noſtrę intentionis fuiſſe, & eſſe, auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia, tenore pręſentium, declaramus, ac decernimus, diſtrictius inhibentes Cęſarauguſtan. & Tarraconen. Archiepiſcopis, & ab eis vigore facultatis hujuſmodi pro tempore deputatis prędictis, & eorum ſingulis, ne ullo unquam tempore Priores, Guardianos, Fratres, Abbatiſſas, Moniales, & Sorores in declaratione comprehenſos hujuſmodi, vel eorum aliquos ad ſolvendum aliquid de ſubſidio prędicto cogere, ſeu compellere, aut contra declarationem noſtram pręfatam in aliqua parte venire, facere, attentare audeant, vel pręſumant, ac decernentes ex nunc irritum, & inane quicquid in contrarium ab Archiepiſcopis, & deputatis prędictis, aut eorum aliquo, vel aliis quibuslibet, etiam prętextu literarum prędictarum, vel alias, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Et inſuper ad abundantiorem cautelam omnes, & ſingulos ex Prioribus, Guardianis, Fratribus, Abbatiſſis, Prioriſſis, Monialibus, & Sororibus exceptis, necnon colonis, laboratoribus, affictuariis, & cenſuariis prędictis ſub hujuſmodi proceſſibus comprehenſos ab omnibus, & ſingulis excommunicationis, & aliis ſententiis, cenſuris, & pęnis, contra eos pręmiſſorum occaſione latis, ac in dictis proceſſibus contentis, auctoritate prędicta, ex nunc harum ſerie abſolvimus, & abſolutos fore decernimus, necnon in priſtinum, & eum ſtatum, in quo ante emanationem proceſſuum hujuſmodi exiſtebant, reſtituimus, atque reponimus, omnemque inhabilitatis & infamię maculam, ſive notam per ipſos pręmiſſorum occaſione forſan contractam penitus abolemus, necnon cum Prioribus, Guardianis, & Fratribus in proceſſibus comprehenſis hujuſmodi ſuper irregularitate, ſi quam ſententiis ipſis, vel earum aliqua forſan ligati, Miſſas, & alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando, & ſe illis immiſcendo, quomodolibet contraxerint, eadem auctoritate diſpenſamus. Et nihilominus cupientes, quod pręſentes literę, & earum effectus inviolabiliter obſerventur, dilectis filiis Narbonen., & Toloſan., ac Aquen. officialibus per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, Prioribus, Guardianis, Fratribus, Abbatiſſis, Prioriſſis Monialibus, Sororibus colonis, laboratoribus, affictuariis, & Cenſuariis in declaratione comprehenſis, pręfatis, & eorum ſingulis ſuper pręmiſſis efficacis defenſionis auxilio aſſiſtentes, non permittant, eos per Archiepiſcopos, & deputatos prędictos, vel eorum aliquem, aut alios quoſcunque, contra declarationem, & inhibitionem noſtras, ac tenorem pręſentium literarum hujuſmodi quomodolibet impeti, ſeu aliqualiter moleſtari. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus pręmiſſis, ac pię memorię Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri, illis pręſertim, quibus cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, & Dięceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſuę Dięceſis ad judicium evocetur, ſeu ne judices a Sede deputati prędicta extra Civitatem, & Dięceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, aut alii, vel aliis vices ſuas committere pręſumant, & de duabus dietis in Concilio Generali, ac aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, cetetiſque contrariis quibuſcunque, aut ſi Cęſarauguſtan. & Tarraconen. Archiepiſcopis, & eorum pro tempore deputatis prędictis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab eadem Sede indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut ultra, vel extra certa loca ad judicium evocari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes, plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę declarationis, conſtitutionis, inhibitionis, abſolutionis, reſtitutionis, abolitionis, repoſitionis, diſpenſationis, & voluntatis, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Septimo (5), Pridie Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Clauſula derogans.

Sanctio pœnalis.

1. *Immunes.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar.* Tomo *ultimo Tit. X.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo *Barchinonen*,

3. *Sexto Decimo.*) Chriſti *MCCCCXLVI.*

4. *Alphonſi.*) Hujus nominis *V.*

5. *Quadrageſimo Septimo.*) Stylo Bullarum, ęrę communis *MCCCCXLVIII.*

Re-

Anno 1448 Die 10 Februarii.

Reſtituendum decernit (1) quicquid Fratres Mendicantes propter ſubſidium, ſeu tributum, Aragoni Regis gratia indictum, ſolverunt.

XV.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Sanctę Marię de Populeto, & Montis Aragonum Monaſteriorum Abbatibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

NUper per noſtras certi tenoris literas (3) pridie Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno primo, motu proprio, declaravimus, atque decrevimus, Priores, Guardianos, Fratres, domorum Prędicatorum, Minorum, S. Marię de Monte Carmeli, & Eremitarum S. Auguſtini, Mendicantium Ordinum, necnon Abbatiſſas, Prioriſſas, & Moniales, & Sorores ſub dictorum Ordinum cura degentes infra Aragonię, Valentię, & Majoricarum Regna, ac Principatum Catalonię conſiſtentes, necnon eorum bonorum quęcunque a ſolutione, & prędtatione ſubſidii quadraginta millium florenorum, auctoritate noſtra Apoſtolica cariſſimo in Chriſto filio Alfonſo Regi Aragonum, & Sicilię Illuſtri hactenus conceſſi, exempta, & libera eſſe debere, nec ſub hujuſmodi conceſſione ſubſidii comprehenſa eſſe, nec ad aliquam hujuſmodi ſubſidii ſolutionem teneri, prout in dictis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, multi ex Prioribus, Guardianis, Fratribus, & Abbatiſſis, Prioriſſis, & aliis prędictis perſonis metu pęnarum in monitionibus, & mandatis Venerabilium Fratrum noſtrorum Tarraconen., & Cęſarauguſtan. Archiepiſcoporum, prędicti ſubſidii executorum, vel per eoſdem deputatorum, contentarum, & alias diverſas pecuniarum ſummas ſolvere, necnon alia bona tradere, & dare coacti fuerint, etiam poſt interpoſitas ab eis ad Sedem Apoſtolicam appellationes; Nos, ſtatui, & indemnitati religioſarum perſonarum prędatarum paterno affectu providere cupientes, necnon omnium, & ſingularum litium, & cauſarum, ſi quę premiſſorum occaſione inter ſupradictos, tam in Romana Curia, quam extra eam ubicunque indeciſę forſan pendeant, ſtatus, & appellationum tenores, necnon pecuniarum perſolutarum, & bonorum traditorum, acceptorum prędictorum, ſummas, & quantitates pręſentibus pro expreſſis haberi volentes, eaſque ad Nos advocantes, & lites hujuſmodi penitus extinguentes, ac motu proprio, non ad ipſorum exemptorum, vel alicujus pro eis Nobis, ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate decernentes, & auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, tenore pręſentium, ſtatuentes, & declarantes, quod poſteriores literę noſtrę prędictę ab earum dato, ac omnia in eis contenta, & inde ſecuta valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, perinde in omnibus, & per omnia, ac ſi in illis de appellationibus, ac cauſis, & litibus pręfatis ſpecialis, & expreſſa mentio facta, ipſęque cauſę tunc advocatę, ac lites extinctę fuiſſent, vobis, & veſtrum cuilibet, tenore pręſentium, committimus, & diſtricte mandamus, quatenus omnes, & ſingulas pecuniarum ſummas ſic perſolutas, libros, aut alia quęcunque bona tradita, ſeu per executores, ſubexecutores, & collectores dicti ſubſidii, aut alios prędictorum occaſione accepta, etiamſi illi, vel illa ad uſum, ſeu ſubſidium Regis hujuſmodi jam, vel tunc tradita, & aſſignata fuerint illis omnibus, & ſingulis, ex Prioribus, Guardianis, Fratribus, Abbatiſſis, Prioriſſis, Monialibus, & Sororibus pręfatis, qui dicta bona tradiderint, vel a quibus acceptata fuerint, aut pecunias perſolverint, ut prefertur, per executores prędictos, collectores, aut receptores, qui nunc ſunt, vel pro tempore erunt, pecuniarum ſubſidii hujuſmodi, per unum, ſeu plures ex eis infra ſpatium quindecim dierum a die requiſitionis eis deſuper vigore pręſentium faciendę ſub excommunicationis pęna, quam ex nunc, prout ex tunc, in quoslibet ex executoribus, receptoribus, ſeu collectoribus ſupradictis, contrafacientes harum ſerie proferimus, & etiam promulgamus, dicta bona quęcunque data, vel accepta fuerint, & pecunias prędicti ſubſidii occaſione perſolutas, de collectis tunc, ſeu colligendis pro ſubſidio hujuſmodi pecuniis realiter, integre, & cum effectu reſtitui, & tradi faciatis, vobis nihilominus & veſtrum cuilibet mandantes, ut ſi vobis, aut alteri veſtrum conſtiterit, executores, receptores, & collectores pręfatos ſententiam excomunicationis hujuſmodi incurriſſe, ac deſuper pro parte illorum ex ſupradictis, ad quos id tunc ſpectabit, vel eorum alicujus deſuper requiſiti fueritis, excommunicatos publice nuncietis, & ab aliis nunciari, necnon ab omnibus arctius evitari faciatis, donec de pręmiſſis tunc debitam ſatisfactionem impenderint. Non obſtantibus pręmiſſis, ac omnibus illis, quę in aliis poſterioribus literis voluimus non obſtare, cęteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi executoribus, receptoribus, & collectoribus pręfatis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim, ab eadem Sede indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut ultra, vel extra certa loca ad judicium evocari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. Nulli ergo &c. noſtrę advocationis, extinctionis, conſtitutionis, ſtatuti, declarationis, commiſſionis, mandati, prolationis, promulgationis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Septimo (4) Quarto Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mandatum.

1. *Decernit*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. X.*
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolice Lib. XXIX fol. 47.*
3. *Literas*.) Pręcedentes.
4. *Quadrageſimo Septimo*.) Stylo Bullarum, ęrę communis *MCCCCXLVIII*.

De

De Sacello S. Antonii fundando juxta ſacras Ædes Finarienſis (1) Cœnobii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Anno 1448 Die 7 Martii.

XVI.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo Albinganen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

HUmilibus, & honeſtis ſupplicum votis, illis pręſertim, per quę pie teſtantium voluntates adimpleutur, ſeu in alium modum pii operis commutantur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & fratrum S. Catharinę Terrę Finarii Ordinis Fratrum Prędicatorum, Savonen. (3) Diœceſis, necnon Lazarini de Orco, & Laurentii de Girardis Laicorum ejuſdem Terrę, petitio continebat, quod olim Andreas Pilotus Laicus, condens de bonis ſuis in ejus voluntate ultima Teſtamentum, in illo inter cetera voluit, & ordinavit, quod pro ſuę, ac ſuorum animarum ſalute, de bonis hujuſmodi una Capella ſub vocabulo S. Antonii ſuper certa parte cujuſdam Poſſeſſionis ad eundem Teſtatorem, dum vixit, legitime pertinentis, extra muros dictę Terrę conſiſtentis, denuò fundari, conſtrui, & ędificari deberet, necnon in dotem ipſius Capellę pro Miſſis, & aliis Divinis officiis, in ea pro tempore celebrandis, poſſeſſionem prędictam, & quingentas libras monetę Savonen., ac declaranda in certos tunc expreſſos eventus nonnulla alia ejus bona, legavit, & reliquit, certis per eum ſuper his executoribus deputatis, prout in quodam publico inſtrumento, exinde confecto, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, non ſolum Domus, & habitationes ſecularium, ſed etiam Eccleſię, & Capellę extra muros pręfatos ſitę fere omnes propter duras, & capitales guerras, quarum ſtrepitu, & furore Terra prędicta noviſſimis diebus hoſtiliter invaſa fuerit, deſtructę, & incultę remanſerint, prout remanent de pręſenti, ac communi omnium opinione veriſimiliter pręſumatur, quod hujuſmodi Capella ſi conſtructa, & ędificata fuiſſet, in deſtructionis jacturam ſimilis incidiſſet, dictique Lazarinus, & Laurentius pręfati Teſtamenti executores ſe fore aſſerentes, ac de ſiniſtris ibidem in poſterum occurſuris caſibus dubitantes proinde conſiderent, quod ſi ex pecuniis, & bonis per Teſtatorem relictis hujuſmodi prędicta Capella juxta Domum S. Catharinę hujuſmodi inter dictos muros tanquam in loco tuto ſitam, videlicet illi contigua, & conjuncta coſtrueretur, & ędificaretur, ipſaque poſſeſſio, & bona eidem Domui Sanctę Catharinę loco pręfatę dotis perpetuo applicarentur, ex hoc Fratres in ipſa domo degentes pro tempore eidem Capellę in Miſſis, & officiis prędictis ſecundum voluntatem, & ordinationem Teſtatoris hujuſmodi perpetuo deſervirent, dictiſque animabus utilius, & ſalubrius conſuleretur, ac hujuſmodi deſtructionis pericula protinus vitarentur, pro parte Prioris, & Fratrum, necnon Lazarini, & Laurentii executorum pręfatorum aſſerentium, quod fructus, redditus, & proventus poſſeſſionis, ac bonorum omnium pręfatorum pręterquam illorum, quę ſub eventibus prędictis comprehenduntur, viginti florenorum auri de Camera ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum non excedunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de pręmiſſis certam notitiam non habemus, ac poſſeſſionem, & bona omnia pręfata per eorum vocabula, loca, qualitates, quantitates, valorem, & confines pręſentibus haberi volentes pro expreſſis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra, te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ea inveneris ita eſſe, voluntatem & ordinationem Teſtatoris hujuſmodi ſic commutans, quod dictis pecuniis pręfatis Capella juxta Eccleſiam S. Catharinę hujuſmodi, ut pręfertur, in loco videlicet de quo eiſdem Priori, & Fratribus ac executoribus viſum fuerit, conſtrui, & ędificari poſſit, & debeat, eadem auctoritate decernas, & ordines, necnon poſſeſſionem, & relicta bona pręfata eidem Domui S. Catharinę perpetuo applices, concedas, pariter, & aſſignes, non obſtantibus, quod idem Teſtator aliter voluerit, & ordinaverit, ut pręfertur, ac Conventus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Domus S. Catharinę, & Ordinis pręfatorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod ſi, & poſtquam pręmiſſa juxta renorem pręſentium adimpleta fuerint, Fratres pręfati eidem Capellę in Miſſis, & aliis officiis hujuſmodi juxta voluntatem, & ordinationem ante dictas pro tempore deſervire laudabiliter teneantur. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Septimo (4), Nonis Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

1. *Finarienſis.*) Seu *Finalien.*, vulgo *Finale*, in ejuſdem nominis Marchionatu *Italia*, inter *Savonam* ad ortum & *Albengam* ad occaſum.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. X fol.* 218.
3. *Savonen.*) In *Liguria*.
4. *Quadrageſimo Septimo.*) Stylo Bullarum, ęra communis *MCCCCXLVIII.*

F. Chriſtophorus de Campo Corſo (1) Pœnitentiarius Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe creatur.

Anno 1448 Die 14 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XVII. Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Chriſtophoro de Campo Corſo Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

RElígionis zelus, literarum ſcientia &c. (3) Hinc eſt, quod Nos de perſona tua prędicta, premiſſorum obtentu, plenam in Domino fiduciam obtinentes, te qui, ut aſſeris, in ſacra pagina peritus exiſtis &c. in Pęnitentiarium Minorem in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe conſtituimus, & etiam ordinamus, tibi tenore pręſentium committentes, ut hujuſmodi officium Pęnitentiarii Minoris in pręfata Baſilica ſicut alii noſtri in illa illud ibidem gerere, & exercere conſueverint, diligenter, & fideliter exequaris. Volumus autem, quod tu, priuſquam ipſum officium incipias exercere, in manibus Majoris Pęnitentiarii noſtri de hujuſmodi fideliter exercendo officio pręſtes corporale juramentum juxta formam pręſentibus annotatam, quę talis eſt. Ego Frater Chriſtophorus de Campo Corſo Ordinis Fratrum Prędicatorum Domini PP. in pręfata Baſilica Pęnitentiarius minor ab hac hora in antea fidelis ero Beato Petro Sanctęque Romanę Eccleſię, ac Domino meo Domino Nicolao PP. V, ejuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus. Non ero in facto, conſilio, vel conſenſu, quod vitam perdant &c. Sic me Deus adjuvet, & hęc Sancta Dei Evangelia. Nulli ergo &c. noſtrę conſtitutionis, ordinationis, commiſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Septimo (4), pridie Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Chriſtophorus de Campo Corſo.*) Iſtum, & ſequentes miſſos fecit *Fontana* Pœnitentiarios recenſens in *Theatro Dominicano*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. IX fol. 17.*

3. *Scientia &c.*) Quæ hic deſunt reperiuntur in ejuſdem tenoris Diplomatibus.

4. *Septimo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCXLVIII*: In Archivo Ordinis aſſervantur tria alia Diplomata quibus *Nicolaus V* Pœnitentiarios ejuſdem Baſilicæ conſtituit.

Anno 1447 Die.....

XVIII. FRatrem Marcum. Conſtitutio ſic incipit. *Religionis zelus &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Septimo, Pontificatus noſtri Anno Primo*. Dies deſideratur. Ex Archivo Apoſtolico *Libro XXVII fol.56.*

Anno 1450 Die 10 Januarii.

XIX. FRatrem Marcum de Capitaneis. Conſtitutio ſic incipit. *Religionis zelus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Nono*, (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCL) *Quarto Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio*. Ex Archivo Apoſtolico *Libro IX fol.28.*

Anno 1451 Die 19 Septembris.

XX. FRatrem Nicolaum de Blavis, de Alexandria. Conſtitutio ſic incipit. *Religionis zelus &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Primo, Tertio decimo Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quarto*. Legendum *Quinto*, ut patet ex anno *MCCCCLI*. Ex Archivo Apoſtolico *Libro IX fol.104*

Anno 1448 Die 5 Aprilis.

Ut F. Antonius de Orrietis Beneficium Eccleſiaſticum aſſequi poſſit.

Ex Archivo (1) Ordinis.

XXI. Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Antonio de Orrietis Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

REligionis zelus &c. Hinc eſt, quod Nos venerabilis Fratris noſtri Philippi Baudoni (2) Epiſcopi Aſten. & dilecti filii nobilis viri Caroli (3) Ducis Aurelianen., (4) aſſerentium, quod licet tu circa directionem negotiorum Eccleſię Aſten. pro tempore ingruentium in ſpiritualibus & temporalibus eidem Epiſcopo utilis & acceptus exiſtas, ipſe tamen Epiſcopus, cupiens etiam in futurum, zelo Ordinis Fratrum Prędicatorum, cujus etiam profeſſor exiſtit, pręſentia, & aſſiſtentia tua potiri, ex fructibus, redditibus, & proventibus menſę Epiſcopalis Aſten., qui cauſantibus guerris, & aliis ſiniſtris eventibus, exiles ſunt, tuis indigentiis commode ſubvenire non poteſt, ac tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi qui Presbyter, &, ut aſſeritur, dictum Ordinem expreſſe profeſſus, ac in jure canonico peritus exiſtis, ipſique Epiſcopo in antea quandiu ſibi placuerit, aſſiſtere intendis, ut quodcunque beneficium Eccleſiaſticum cum cura, vel ſine cura, ſeculare, vel regulare, cujuſcunque Ordinis, etiam ſi parochialis Eccleſia, ſeu Prioratus, dignitas, perſonatus, adminiſtratio, vel officium fuerit, & ad Prioratum, dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem, vel officium hujuſmodi con-

conſueverit quis per electionem aſſumi, eique cura immineat animarum, dummodo Prioratus, aut dignitas Conventualis, ſeu officium hujuſmodi clauſtrale non exiſtat, ipſiuſque Beneficii fructus, redditus, & proventus, centum Florenorum auri de camera ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedat, ſi quod in Civitate, vel Dięceſi Aſtenſi, aut loco alio Provincię Mediolanen. vacans, vel vacaturum, quavis auctoritate tibi canonica commendetur, in hujuſmodi commendam recipere, & quoad vixeris, retinere libere, & licite valeas; Ita quod liceat tibi, hujuſmodi commenda durante, de ipſius beneficii fructibus, redditibus, & proventibus, diſponere, & ordinare, ſicuti illi qui beneficium ipſum obtinuerunt pro tempore de illis diſponere, & ordinare potuerunt, ſeu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcunque bonorum mobilium & pretioſorum mobilium Beneficii hujuſmodi tibi penitus interdicta. Non obſtantibus quod dicti Ordinis, ut prefertur, profeſſor exiſtis, ac Generalis Concilii, & quibuſcunque aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon Monaſterii, a quo forſan ipſum Beneficium dependere contigerit, ac illius & prędicti Ordinum Prędicatorum, juramento, confirmatione Apoſtolica &c. Proviſo quod Beneficium hujuſmodi debitis propterea non fraudetur obſequiis, & animarum cura, ſi qua illi immineat, nullatenus negligatur, ſed diligenter exerceatur, ac illius debite ſupportentur onera conſueta. Nulli ergo &c. Noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Octavo, Nonis Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico.*
2. *Philippi Baudoni.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Eugenii IV.*
3. *Caroli.*) Nati *Pariſiis* XXVI Maii MCCCXCI patre *Ludovico Aurelianenſium* Duce, matre *Valentina Mediolanenſi.*
4. *Aurelianen.*) *Aſtenſis* etiam Comitatus juris ac poteſtatis erat *Caroli.*

Quoddam Beneficium Monaſterio Hedingen. (1) uniendum decernit.

Anno 1448 Die 11 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto Filio Augię majoris Conſtantien. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex petitio.

APoſtolicę Nobis deſuper injunctę, ſervitutis officium mentem noſtram jugiter excitat, & inducit, ut circa ea, quę pro ſtatu proſpero Monaſteriorum, & piorum locorum, ac perſonarum in illis ſub Religionis obſervantia vacantium aſſidue ſtudio pię vitę opportuna fore conſpicimus, per quę eorum neceſſitatibus conſulitur, operoſis ſtudiis intendamus. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Sororum Monaſterii in Hedingen., Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum degentium Conſtantien. Dięceſis, petitio continebat, licet olim parochialis Eccleſia in Cruchenwiſz (3) dictę Dięceſis eidem Monaſterio unita, & incorporata fuiſſet, ipſęque Prioriſſa, & Sorores illam a ſexaginta annis, & ultra tenuiſſent, & poſſediſſent, prout tenent, & poſſident pacifice, & quiete, quia tamen literę Apoſtolicę, & alia monumenta ipſarum alias ignis voragine conſumpta fuerunt, ſuper hujuſmodi unione, & incorporatione aliter quam per longi temporis poſſeſſionem, & pręſcriptionem ſe tueri non poſſent, & propterea moleſtari poſſe dubitent tempore procedente Quare pro parte dictarum Prioriſſę, & Sororum, aſſerentium, quod Monaſterii, & Eccleſię prędictorum redditus decem marcarum argenti ſecundum communem ęſtimationem valorem annuum non excedunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dictam Eccleſiam eidem Monaſterio de novo unire, annectere, & incorporare, ac alias ea ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de pręmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe inveneris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Eccleſiam prędictam Rectore carentem cum villa Entenſchwiller dictę Diœceſis, ac omnibus aliis juribus, & pertinentiis ſuis eidem Monaſterio auctoritate Apoſtolica in perpetuum incorpores, & unias, & annectas, ita quod liceat Prioriſſę, & Sororibus pręfatis poſſeſſionem hujuſmodi retinere, ad hujuſmodi fructus, redditus, & proventus in ſuas, & ipſorum Monaſterii, & Eccleſię uſus convertere perpetuo, & retinere, Dięceſani loci, & cujuſvis alterius ſuper hoc licentia minime requiſita. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii, & Ordinum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cęteriſque contrariis quibuſcunqque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales Apoſtolicę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiam ſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, ac proceſſus habitos per eaſdem, & quęcunque inde ſecuta ad dictam Eccleſiam volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem Beneficiorum aliorum prejudicium generari, & quibuslibet privilegiis, indulgentiis, ac literis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus eorum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Volumus autem quod propter unionem, annexionem, & incorporationem hujuſmodi, ſi illas vigore pręſentium fieri, & effectum ſortiri, contigerit, Prioriſſa, & Sorores pręfatę animarum Curam dictę Eccleſię, ac omnia, & ſingula illi incumbentia onera per aliquem,

Confirmatio.

vel aliquos ad hoc idoneum, vel idoneos ſupportare debeant, ac teneantur, & inſuper ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Octavo, Tertio Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Hedingen.*) Fortaſſis *Medingen.* Hujus nominis Monaſterium eſt in Provincia *Saxoniæ*, cujus juris eſt *Conſtantienſe* Cœnobium.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXXIV fol.73.*

3. *Cruchenvviſz.*) In *Suevia*.

Anno 1448 Die 11 Aprilis.

Ratam habet & firmat donationem Neapolitani (1) Cœnobii S. Spiritus factam Fratribus Prædicatoribus.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXIII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii Beatę Marię de Capella Neapolitan. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

ORdinis Fratrum Prędicatorum ſacra Religio necnon perſonarum ipſius conſpicua merita promerentur, ut eis in his, quę divini cultus, dictęque Religionis augmentum concernunt, favorem benevolum impendamus. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Antonii della Rocha (3) dicti Ordinis profeſſoris, petitio continebat, quod olim dilectus filius Paulus Antonius de Bentivoglis (4) Prior Generalis Fratrum Armenorum Sancti Baſilii (5) ſub Regula, & ſecundum inſtituta eorundem Fratrum Prędicatorum degentium, Domum Sancti Spiritus Neapolitan. cum Eccleſia, Domibus, & aliis pertinentiis ſuis, tunc ad ipſos Fratres Armenos legitime pertinentem, & ipſis Fratribus deſtitutam, ac in ſuis ſtructuris, & ędificiis collapſam prędicto Antonio pro ipſius, & aliquorum aliorum dicti Ordinis Prędicatorum Fratrum uſu, & habitatione perpetuis, etiam ad id dilecti filii Bartholomęi Texerii ipſius Ordinis Prędicatorum Generalis Magiſtri conſenſu, & auctoritate accedentibus, perpetuo conceſſit, atque donavit, prout in Prioris, & Magiſtri prędictorum authenticis literis deſuper confectis, ipſorum ſigillis ſignatis, plenius dicitur contineri; ipſeque Antonius Domus, & Eccleſię prędictarum poſſeſſionem, conceſſionis, & donationis earundem vigore, extitit pacifice aſſecutus. Quare pro parte dicti Antonii, aſſerentis, ſe Domum, & Eccleſiam hujuſmodi ſuis laboribus, & induſtria pro parte reparaſſe, ac ulteriori illarum reparationi in dies intendere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſioni, & donationi prędictis, & inde ſecutis pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, & alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionem, & cultum hujuſmodi vigere, & augeri noſtris potiſſime temporibus intenſis deſideriis affectamus, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, conceſſionem, & donationem prędictas, ac quęcunque inde ſecuta auctoritate noſtra approbes, & confirmes, ſuppleaſque omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem; Et nihilominus eidem Antonio Domum cum Eccleſia, ac Domibus, & pertinentiis ſuis hujuſmodi perpetuo retinendi, ipſamque in Domum Conventualem cum Eccleſia, campanili, campana, cęmeterio, refectorio, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu, & habitatione prędictis, erigendi, ędificandi, & conſtruendi ſeu erigi, conſtrui, & ędificari faciendi, necnon Antonio, & Fratribus Ordinis Prędicatorum prędictis ipſam Domum ſic erectam, & fundatam pro uſu, & habitatione hujuſmodi recipiendi, & retinendi, ac in ea perpetuo commorandi, Diœceſani loci, & cujuslibet alterius licentia ſuper hoc minime requiſita &c.

Supplex petitio.

Confirmatio.

Nos enim, ſi, & poſtquam Domum prędictam in Domum Conventualem hujuſmodi erigi, conſtrui, & ędificari contigerit, ut prefertur, univerſis, & ſingulis Fratribus in eadem ſic erecta Domo pro tempore commorantibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, & Indulgentiis prędicto Ordini Prędicatorum, & ipſius Domibus, atque locis, necnon perſonis eorundem per Sedem Apoſtolicam, vel alias quomodolibet generaliter conceſſis, & in antea concedendis, uti, & gaudere libere, & licite valeant, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium indulgemus, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua Civitate, Villa, ſeu quovis caſtro, vel loco ad habitandum quęcunque Domos, vel loca de novo recipere, vel eatenus recepta mutare pręſumant abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, ac dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Octavo, Tertio Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Neapolitani.*) In ejuſdem nominis Regni Metropoli. Legendum hac de re ſequens Diploma.

NOs Fr. Pandolfus Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Abbas venerabilis Monaſterii S. Mariæ de Capella prope Neapolim Ordinis S. Benedicti, Judex, Executor, & Commiſſarius ad infraſcripta ſpecialiter deputatus per Sedem Apoſtolicam, univerſis, & ſingulis præſentes Literas inſpecturis, tam præſentibus, quam futuris, Salutem in Domino & Mandatis noſtris hujuſmodi, immo verius Apoſtolicis firmiter obedire.

Literas Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Nicolai Divina Providentia Papæ Quinti ex vera, & nota Bulla plumbea pendente ad cordulam fili cannabis, more Romanæ Curiæ bullatas, non vitiatas, non cancellatas, non abo-

abolitas, nec in aliqua ipſarum parte ſuſpectas, ſed ſanas, & integras, omni prorſus vitio, & ſuſpitione carentes, ut prima facie apparebant, præſentatas ſiquidem Nobis coram infraſcripto Notario publico & teſtibus, per Religioſum virum Fr. Antonium de la Rocca Profeſſum Ordinis Prædicatorum in eiſdem Literis Apoſtolicis principaliter nominatum, Nos cum ea, qua decuit, reverentia eas recepiſſe noveritis tenoris, & continentiæ ſubſequentis.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii S. Mariæ de Capella, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Ordinis Fratrum Prædicatorum &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIII, III Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Poſt quarum quidem Literarum Apoſtolicarum præſentationem, earumque receptionem, Nobis, & per Nos, ut præmittitur, factas, fuimus, per dictum Fratrem Antonium debita cum inſtantia requiſiti, quatenus, ut ad ipſarum Literarum Apoſtolicarum executionem, & contentorum in eiſdem procedere curaremus juxta traditam, & directam, a dicta Sede Apoſtolica, & per ipſas Literas Nobis formam.

Nos igitur Pandolfus Abbas, Judex, Commiſſarius, & executor prædictorum, volentes Mandatum Apoſtolicum ſupradictum Nobis in hac parte commiſſum reverenter exequi, ut tenemur, forma, & tenore ipſarum Literarum Apoſtolicarum diligenter attentis ſuper contentis in eiſdem Apoſtolicis Literis, debite inquiſivimus, & habita diligenti informatione, tam per veras, & legitimas probationes, quam per Literas dicti Pauli Antonii de Benivolis Prioris Generalis Fratrum Armenorum S. Baſilii, quam etiam per Literas Fratris Bartholomæi Texerii ipſius Ordinis Prædicatorum Generalis, coram Nobis exhibitas, & productas, omnia, & ſingula in ipſis Apoſtolicis Literis per ipſum Fratrem Antonium expreſſata comperimus, & invenimus, fore, & eſſe veram conceſſionem, & donationem prædictas, & quæcunque inde ſecuta Auctoritate Apoſtolica approbamus pariter, & confirmamus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forte interveniſſent in eiſdem Auctoritate præfata, & nihilominus eidem Antonio coram Nobis præſenti Domum prædictam, cum Eccleſia, Campanili, Campana, Cœmeterio, Refectorio, Dormitorio, Clauſtris, Hortis, Hortaliitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & hujuſmodi præfatis, erigendi, ædificandi, & conſtruendi, ſeu erigi, conſtrui, & ædificari faciendi; Necnon dicto Antonio, & aliis Fratribus Ordinis Prædicatorum prædictis ipſam Domum ſic erectam, & fundatam pro uſu, & habitatione hujuſmodi recipiendi, ac obtinendi, ac in ea perpetuo commorandi, Diœceſani Loci, & cujuslibet alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, Auctoritate prædicta Apoſtolica Nobis commiſſa concedimus, & poſtquam Domum præfatam in Domum Conventualem hujuſmodi, erigi, conſtrui, & ædificari contigerit, ut præfertur, univerſis, & ſingulis Fratribus in eadem ſic erecta Domo pro tempore commorantibus, ut omnibus, & ſingulis Privilegiis, libertatibus, Immunitatibus, exemptionibus, & Indulgentiis præfato Ordini Prædicatorum, & ſuis Domibus, atque locis, necnon Perſonis eorundem per Sedem Apoſtolicam, vel alias quomodolibet generaliter conceſſis, & in antea concedendis, uti, & gaudere libere, & licite valeant, Auctoritate Apoſtolica ſupradicta Nobis in hac parte conceſſa indulgemus. Jure tamen Parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvis.

Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi prohibitione, ne Fratres Ordinum Mendicantium, in aliqua Civitate, Villa, ſeu quovis Caſtro, vel Loco, ad habitandum quæcumque Domos, vel Loca de novo recipere, vel eatenus recepta mutare præſumant, & aliis, quæ præfatus Dominus Noſter Papa in eiſdem Apoſtolicis Literis non obſtare exprimit, & declarat, melioribus modo, & forma, quibus de jure Auctoritate Apoſtolica prædicta potuimus, ac valuimus, ac poſſumus, & valemus, & juxta ipſarum Literarum Apoſtolicarum Nobis propterea directarum continentiam, & tenorem.

In quorum omnium ſingulorum teſtimonium, certitudinem, & plenam fidem, has noſtras præſentes patentes Literas, ſive præſens publicum Inſtrumentum per infraſcriptum Notarium publicum Apoſtolica, & Imperiali, Curiæque Archiepiſcopalis Neapolitanæ Actorum Notarium, & Scribam, ſubſcribi, & publicari mandavimus, noſtrique ſigilli juſſimus appenſione communiri. Datum, & Actum in Hoſpitio nobilis viri Georgii de Genariis Genitoris noſtri, ſito, & poſito in Platea Fontanulæ Civitatis Neapolis ſub Anno Domini MCCCCXLVIII Die ſecundo Menſis Auguſti undecimæ Indictionis Pontificatus præfati Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Nicolai Divina Providentia Papæ Quinti Anno Tertio. Præſentibus Nobilibus viris Domino Leone de Genario, Campanea viola, & Notario Nicolao de Troiſio Teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, & rogatis. *Ex Autographo aſſervato in Archivo Cœnobii S. Spiritus.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XVII fol.21.* Autographum aſſervatur in Archivo *Neapolitani* Cœnobii *S. Spiritus*.

3. *Antonii della Rocha.*) Diſtinguendus iſte ab alio ejuſdem prorſus nominis, & cognominis Fratre, qui decimo ſeptimo ſeculo floruit in *America*. *Italus* ille cujus hic mentio, *Hiſpanus* alius fuit.

4. *De Bentivoglis.*) Gens eſt illuſtris & nobiliſſima, quæ nunc etiam floret in *Italia*.

5. *Armenorum S. Baſilii.*) Unitarum ſcilicet de quibus in Notis ad *Conſtitutiones V, & VII Innocentii VI Tomo II pag.246 &c.*

Digitized by Google

Anno 1448 Diee 16 Aprilis.

Ne inſignia gentis de Spinolis (1) e Sacello S. Nicolai ſito intra ſepta Cœnobii FF. Prædicatorum Peræ (2) tollantur.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

XXIV.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Chien. (4), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris & Conventus domus Peyræ, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Conſtantinopolitan. Diœceſis, petitio continebat, quod olim, poſtquam ipſi non valentes Capellam Sancti Nicolai, ſitam intra ſepta domus prędictę in ſtatu debito ſuſtentare, ac illi in divino cultu facere congrue deſerviri, per quoſdam cives Januenſes, de Spinolis nuncupatos, quod illam manutenerent, eique deſerviri facerent, permiſerant, ac dilectus filius Gabriel de Perſio, ut conjuncta perſona Petri de Perſio genitoris ſui, minus veraciter aſſerens, progenitores ſuos Capellam prędictam fundaſſe, Priorem, & Fratres, petendo eos aſtringi, & compelli, ad dicendum

Diplomatis cauſa.

cauſam, quare omnia arma & inſignia, alia a ſuis, de Capella hujuſmodi deleri non deberent, ac realiter amoveri, coram dilecto filio Nicolao Maymet tunc Vicario venerabilis Fratris noſtri Patriarchę Conſtantinopolitan. traxerat in cauſam, iidem quoque Prior, & Fratres prędictos de Spinolis de quorum armorum deletione, & amotione agebatur, tanquam principales vocandos fore duxerant, & etiam nominaverant, ac dictus Vicarius, in hujuſmodi cauſa perperam procedens, definitivam, per quam Capellam prędictam per prędictos de Perſio fuiſſe fundatam, Fratreſque prędictos arma, & inſignia de Spinolis hujuſmodi inibi apponi abſque conſenſu illorum de Perſio pati minime debuiſſe, ſententiam promulgaverat. Verum quia Prior, & Conventus prędicti per ſimplicitatem, & juris ignorantiam a dicta ſententia appellare omiſerant, propter quod enormiter ſe, ac domum prędictam læſos eſſe aſſerebant, felicis recordationis Eugenius PP. IV Prędeceſſor noſter, cum in Civitate Conſtantinopolitan., ſeu ejus Diœceſi, idoneus Judex minime reperiretur, tibi ſuis dedit literis in mandatis, quod ſi vocatis qui fuerent evocandi, conſtaret, Priorem, Conventum, & domum prędictos ex omiſſione appellationis hujuſmodi enormiter eſſe læſos, eos ad appellandum a dicta ſententia in integrum prout juſtum foret reſtituens dictiſque Priori, & Conventui a ſententia hujuſmodi infra tempus debitum appellantibus, & appellationem hujuſmodi infra tempus legitimum proſequentibus, auditis hinc inde propoſitis, quod juſtum foret appellatione remota, decerneres, & faceres, quod decreviſſes, per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari, prout in dictis literis plenius continetur. Poſtmodum vero tu ad earumdem literarum executionem, prout ex illarum forma poteras, procedens, conſtito tibi de enormi Prioris, Conventus, & domus hujuſmodi læſione, ſuper hoc diligenti, & matura deliberatione pręhabita, Priorem, & Conventum prędictos propter omiſſionem appellationis prędictę enormiter læſos fuiſſe, pronuntians, & declarans, eos adverſus ſententiam, ac quodcunque aliud gravamen ſibi, ac domui prędictę ex ipſa omiſſione illatum, in integrum ac in ſtatum priſtinum ad appellandum per tuam ſententiam interlocutoriam reſtituendos eſſe, ac reſtitui debere, decreviſti, & etiam declaraſti. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Prior, & Conventus prędicti, licet poſt reſtitutionem hujuſmodi ad te, vel ad ipſum Patriarcham appellarunt, eandem tamen appellationem, tempo-

Mandatum.

rum cauſante malitia, non fuerint infra tempus legitimum proſecuti, pro parte Prioris, & Conventus Prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut lapſu temporis hujuſmodi non obſtante, cauſam appellationis ejuſdem, & negotii principalis aliquibus in partibus illis committere, & alias eis ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę, cum in partibus illis non poſſit commode haberi copia peritorum, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, lapſu temporis hujuſmodi non obſtante, vocatis qui fuerint evocandi, audias cauſam ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſola facti veritate inſpecta, & auditis hinc inde propoſitis, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernas, facienſ quod decreveris per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari: teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas veritati teſtimonium perhibere. Non obſtantibus ſi Petro, & Gabrieli prędictis, vel quibuſvis aliis communiter, aut diviſim, ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Octavo, Sexto Decimo Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *De Spinolis.*) Nunc etiam floret Nobiliſſima gens *de Spinolis*, vulgo *Spinola*.

2. *Pera.*) Vulgo *Pera*, alias *Peyra*, ut liquet ex variis Diplomatibus. Suburbium eſt *Conſtantinopolitanum*, ubi Cœnobium Fratrum Prædicatorum.

3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro X fol.82.*

4. *Chien.*) Italis *Scio*, Gallis *Chio*, in ejuſdem nominis Inſula maris *Ægæi*, & *Icarii*.

Val-

Valvernenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1448
Die 13 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXV.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Burgen. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

HIs, quę pro divini cultus reſtauratione, ac ſacrę Religionis propagatione comperiuntur provide proceſſiſſe, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolici decernimus adiici muniminis firmitatem. Sane pro parte dilectorum filiorum Johannis de Maiurias Prioris, & nonnullorum aliorum Fratrum Ordinis Prędicatorum apud Eccleſiam Sanctę Marię de Valverna extra muros oppidi Lucromen., Calaguritan. (4) Dięceſis reſidentium, petitio continebat, quod olim bonę memorię Didacus Epiſcopus Calaguritan. cupiens, prout ejus paſtorali incumbebat officio, quod Eccleſia prędicta, quę habitu, non tamen actu, parochialis eſt, Miſſarum, & aliorum divinorum officiorum celebratione, qua, pro eo quod omnes & ſinguli illius Parochiani illam relinquendo ad nonnullas alias intra dictum oppidum conſiſtentes parochiales Eccleſias certis ex cauſis ſe retraxerant, plurimum deſtituta remanſerat, in poſterum debite reſtauraretur, dilecto filio Bartholomęo de Burgos tunc Priori, & prędictis, & aliis, qui aliunde tunc advenerant ejuſdem Ordinis Fratribus unam domum cum eius neceſſariis officinis apud eandem Eccleſiam pro ipſorum, & aliorum, qui eis inibi pro tempore ſuccederent, ipſius Ordinis Fratrum, habitatione perpetua, erigi, conſtrui, & ędificari faciendi, eamque recipiendi, & retinendi, licentiam auctoritate ordinaria conceſſit, ipſamque Eccleſiam cum omnibus juribus, & pertinentiis, necnon calicibus, crucibus, veſtimentis, & aliis ornamentis ſuis eiſdem Bartholomęo tunc Priori, Fratribus, & ſucceſſoribus auctoritate prędicta in perpetuum donavit, applicavit, appropriavit, & etiam aſſignavit, ita quod cedente, vel decedente ipſius Eccleſię Rectore, qui tunc erat, prout adhuc eſt, ſeu illam alias quomodolibet dimittente, liceret eiſdem Bartholomęo tunc Priori, Fratribus, & ſucceſſoribus, per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem Eccleſię poſſeſſionem, juriumque & pertinentiarum, necnon calicum, crucium, veſtimentorum, & ornamentorum prędictorum auctoritate propria libere apprehendere, & perpetuo retinere fructuſque redditus, & proventus ejuſdem Eccleſię in fabricę reparationem, conſervationem domus, Eccleſię, & ornamentorum pręfatorum, ipſorumque omnium Fratrum in communi uſus, & utilitatem convertere, prout in ipſius Epiſcopi literis, ſeu quibuſdam Inſtrumentis publicis, exinde confectis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte Johannis moderni Prioris, & Fratrum, exponentium prędictorum, aſſerentium, ſe hujuſmodi domum vigore licentię prędictę erigi, conſtrui & ędificari facere incepiſſe, necnon in ea, & apud ipſam Eccleſiam cujus hujuſmodi fructus, redditus, & proventus, quos prędfatus Rector annuatim percipit, & in ſuos uſus convertit, decem librarum Turonen. parvorum, ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum non excedunt, donationis, applicationis, appropriationis, & aſſignationis prędictarum obtentu, Miſſas, & officia hujuſmodi, quotidie & devote inibi celebrando, non ſolum de parochianorum prędictorum filiorum, ſed etiam de dilectorum univerſitatis ejuſdem oppidi Eccleſiam ipſam intuitu celebrationis hujuſmodi plerumque viſitantium, voluntate pariter, & conſenſu, pacifice, & quiete reſidere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſioni, donationi, applicationi, appropriationi, & aſſignationi, prędictis, ac omnibus inde ſecutis pro eorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de premiſſis certam notitiam non habemus, ac cultum divinum nedum reſtaurari, ſed etiam augeri, religionemque propagari noſtris potiſſime temporibus intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis, auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi repereris ita eſſe, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, conceſſionem, donationem, applicationem, appropriationem, & aſſignationem antedictam, ac quęcunque inde ſecuta eadem auctoritate noſtra approbes, & confirmes, ſuppiendo omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eis. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, illa pręſertim, qua inter alia prohibetur, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua civitate, caſtro, vel villa, ſeu alio quocunque loco domos, vel loca quęlibet de novo recipere, ſeu recepta mutare pręſumant, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo octavo, Idibus Junii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Diplomatis cauſa.

Facultas.

Clauſula derogans.

1. *Valvernenſis*.) Juris eſt Provincialis *Hiſpaniæ*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* XXIX *fol.* 74.
3. *Epiſcopo Burgen.*) Nunc Metropolis eſt *Burgenſis* Eccleſia.
4. *Calaguritan.*) Vulgo *Calaborra*. Diœceſis eſt ſub Archiepiſcopo *Burgenſi*.

In-

Anno 1448 Die 29 Junii.

Innovat, & confirmat Eugenii IV Conſtitutionem (1), qua damnantur errores Johannis de Poliaco, ipſiuſque aſſeclarum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXVI. Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis, & ſingulis venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis Electis, & Abbatibus ubilibet conſtitutis ad quos pręſentes literę pervenerint, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. PRoviſionis noſtrę debet provenire ſubſidio, ut ea quę a bonę memorię Prędeceſſoribus noſtris in religionis augmentum utiliter geſta ſunt, illęſa permaneant, & ab omnibus inviolabiliter obſerventur. Hinc eſt, quod Nos tenores quarundam litterarum felicis recordationis Eugenii Papę IV, Prędeceſſoris noſtri, in ipſius regiſtro repertos de regiſtro ipſo de verbo ad verbum tranſcribi, & pręſentibus annotari fecimus, qui ſunt tales: Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Univerſis, & ſingulis venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis Electis, & Abbatibus ubilibet conſtitutis, ad quos pręſentes litterę pervenerint, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Gregis nobis crediti &c. (3). Ceterum ut earundem litterarum tenores majoris roboris, & efficacię cenſeantur, Nos de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio, & aſſenſu, eaſdem Prędeceſſoris noſtri litteras in omnibus, & per omnia innovantes, approbamus, confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę innovationis, approbationis, confirmationis, & communitionis infringere &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Octavo, Tertio Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Biondus

Gratis de mandato D. noſtri Papę

A. de Magio.

1. *Conſtitutionem.*) *CCCIV* Datam *XVI* Januarii *MCCCCXLVII*. Legitur *pag.* 206 hujus *III* Tomi.
2. *Archivo.*) In quo Authographum. Plumbum ſericis filis appenditur. Legitur apud *Uſuſmarem pag.* 111.
3. *Crediti &c.*) Ut in *Conſtitutione* mox laudata ad finem uſque.

Anno 1448 Die 6 Julii.

Fratres Prædicatores veniant in poſſeſſionem Senenſis (1) Cœnobii S. Spiritus.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXVII. Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati (3) Monaſterii S. Antonii, Senen. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. PAſtoralis officii debitum exigit, ut circa ea, quę pro ſtatu proſpero Eccleſiarum, & piorum locorum, ac perſonarum pię ſtudio vitę Domino famulantium profutura conſpicimus, & per quę earum opportunitatibus conſulitur, opem, & operam, quantum poſſumus, efficaciter impendamus. Sane pro parte dilectorum filiorum Priorum, Civium, & Vexilliferi, ac Communis Senen., necnon Generalis Magiſtri Ordinis Fratrum Prędicatorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod licet alias

Diplomatis cauſa. Prioratus S. Spiritus Senen. Ordinis Sancti Benedicti Monaſterio Sancti Eugenii extra muros Senen. dicti Ordinis, ac illius Congregationi ſub certis modo, & forma appropriatus, & conceſſus fuerit (4), cum dilecti filii illius Abbas, & Monachi Prioratum ipſum in religionis, & regularis obſervantię Ordinis Fratrum Prędicatorum hujuſmodi favorem, & incrementum renunciare, ſeu appropriationi, ac omni juri ſibi in dicto Prioratu, ſeu ad eum quomodolibet competenti, cedere, ſunt, ſi ad id Sedis Apoſtolicę intervenerit conſenſus, parati. Quare pro parte Priorum, Vexilliferi, Communis, & Magiſtri prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Prioratum ipſum a dependentia dicti Monaſterii, necnon ab illo ſeparare, & ſegregare, ac in eo Ordinem Sancti Benedicti hujuſmodi ſupprimere, illumque ad uſum & habitationem Fratrum prędictorum applicare, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Mandatum. Nos igitur de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus, ſi eſt ita, poſtquam Abbatis, & Monachorum prędictorum expreſſus ad id acceſſerit conſenſus, appropriationem & conceſſionem eidem Monaſterio ſic factas, auctoritate noſtra revoces, & annulles, ac Prioratum ipſum, qui Conventualis, aut dignitas, vel perſonatus non eſt, & a dicto Monaſterio dependet, ac per illius Monachos gubernari conſuevit, cujuſque fructus, redditus, & proventus viginti quatuor florenorum auri de camera ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum, ut aſſeritur, non excedunt, ab eodem Monaſterio eadem auctoritate ſepares, & ſegreges, ac in eo Ordinem Sancti Benedicti ſupprimas, illumque eiſdem Magiſtro, & Fratribus dicti Ordinis Prędicatorum dones (5), appropries, & concedas, ipſiſque Prioratus prędicti corporalem poſſeſſionem apprehendendi, ac inibi Domum cum Eccleſia, campanili, campana, cęmeterio, domibus, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu, & habitatione Fratrum hujuſmodi, erigendi, & conſtruendi, ſeu conſtrui, & erigi faciendi, Diœceſani loci, & cujuſvis al-

alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alierius in omnibus ſemper ſaivo, eadem auctoritate iicentiam concedas. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii S. Eugenii, & illius, ac Ordinum hujuſmodi juramento, confirmatione Apoſtolica, vei quacunque firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nos enim, ſi donationem, conceſſionem, & appropriationem hujuſmodi per te vigore pręſentium fieri contigerit, Fratribus dicti Ordinis Prędicatorum, qui in domo ipſa pro tempore reſidebunt, ut omnibus, & ſingulis priviiegiis, etiam omnibus libertatibus, & gratiis, & induitis, quibus alii Fratres ejuſdem Ordinis ſub hujuſmodi regula degentes, eorumque domus quovis modo gaudent, & utuntur, uti etiam & gaudere valeant, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium indulgemus. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Octavo, Pridie Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Senenſis.*) In *Hetruria*. Hoc de Cœnobio conſulendus *Fontana de Romana Provincia Cap. II. Tit. XXVI pag. 173 &c.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XVI fol. 98*. Autographum eſt in eodem Cœnobio *S. Spiritus*. Meminit *Fontana* loco laudato.
3. *Abbati.*) Cui nomen *Jacobus*.
4. *Conceſſus fuerit.*) Anno *MCCCCXLV*.
5. *Dones.*) *Die... X Auguſti ejuſdem anni MCCCCXLVIII F. Petrus Antonii de Petruccis Senenſis, Peruſinus Baccalaureus a F. Antonio de Viterbio Generali Vicario Conventuum in Romana Provincia reformatorum, Vicarius inſtitutus; cum aliis Fratribus Senas petiit, & libera Monachorum ceſſione accedente, per dictum Dominum Abbatem Sancti Antonii delegatum & Apoſtolicum Commiſſarium poſſeſſionem Eccleſia Conventus, ac bonorum omnium ad illum ſpectantium ſuſcepit, Johanne de Senis Notario inſtrumentum conficiente*. Verba ſunt *Fontanæ* loco laudato.

Ex Eugenii IV Conſtitutione (1) Philippum Norreys FF. Mendicantibus infenſiſſimum damnandum, & carceri mancipandum decernit.

Anno 1448 Die 18 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXVIII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Cantuarien. (3), & Dublinen. (4), Archiepiſcopis, ac Londonien. (5) Epiſcopo, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Dudum felicis recordationis Eugenii Papę Quarti Prędeceſſoris noſtri emanarunt literę tenoris ſubſequentis. Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Dublinen., & Armachan. Archiepiſcopis, ac Epiſcopo Bajocen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Exhibita Nobis &c. (6). Et deinde, Nobis, qui dicto Prędeceſſori, ſicut Domino placuit, ab hac luce erepto, fuimus, Divina favente clementia, ad apicem ſummi Apoſtolatus aſſumpti, pro parte Magiſtrorum, Miniſtrorum, & Fratrum prędictorum expoſito, quod dictus Philippus Sententię hujuſmodi & habitis ſuper ea proceſſibus contumaciter parere non curaret, loco, & tempore congruis deſuper requiſitus, ſed congregatis in Baſilea etiam poſt translationem olim Concilii Baſileen. de Baſilea ad Civitatem noſtram Ferrarien. per eundem Prędeceſſorem factam adhęſerat, & in ſententiis, cenſuris, & pęnis in proceſſibus prędictis contentis, quas occaſione non paritionis hujuſmodi incurrerat, per duos annos inſorduerat, & a literis, proceſſibus, ac requiſitione prędictis ad Sedem Apoſtolicam, ut dicebat, appellarat, Nos dicto Dominico tituli Sanctę Crucis in Jeruſalem Presbytero tunc, ut prefertur, Sanctę Marię in Via lata, Diacono Cardinali commiſimus, ut ad dilecti filii Procuratoris Fiſcalis Curię cauſarum Camerę Apoſtolicę inſtantiam contra pręfatum Philippum, eo per literarum contradictarum Auditorem citato, aggravatorias, brachium ſeculare implorando, literas daret, ac prout ſibi videretur, omnibus, & ſingulis Prelatis, ac Principibus ſecularibus, Communitatibus, & aliis officialibus locorum, ad quę dictus Philippus declinaret, ſub pęnis, & cenſuris mandavit, ut ipſum Philippum caperent, & ſub firma cuſtodia detinerent, quouſque dictas damnatas concluſiones revocaret, ac dictis Magiſtris, Miniſtris, & Fratribus de expenſis hujuſmodi, in quibus condemnatus erat, ſatisfaceret, & quid de ipſo agi deberet, exiſteret ordinatum, ipſeque Cardinalis dictum Philippum tanquam rebellem, & inobedientem mandatis Sedis Apoſtolicę, & propter pręmiſſa hęreticum in ſententiis, cenſuris, & pęnis prędictis per ſuas literas aggravavit, cum auxilii brachii ſecularis invocatione hujuſmodi extra Romanam Curiam decrevit, & conceſſit, prout in Inſtrumento publico deſuper confecto, ipſius Cardinalis ſigillo munito, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Magiſtri, Miniſtri, & Fratres prędicti dubitent, quod dictus Philippus literis Cardinalis hujuſmodi, & pertinentium vigore habendis proceſſibus, reverenter parere non velit, pro parte Magiſtrorum, Miniſtrorum, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum; ut eis ſuper his de opportuno remedio providere dignaremur. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, literas Cardinalis, ubi, & quando expedire videritis, auctoritate noſtra ſolemniter publicantes, necnon ſententias, cenſuras, & pęnas hujuſmodi aggravatas fore nunciantes, dictum Philippum, quoties ſuper hoc pro parte Magiſtrorum, Miniſtrorum, & Fratrum prędictorum fueritis requiſiti, in Eccleſiis, aliiſque locis infra Miſſarum ſolemnia, dum major inibi populus ad Divina convenerit, Dominicis, feſtiviſque diebus, hęreticum, & excommunicatum, campanis pulſatis, candelis accenſis pariter, & extinctis, ac in terram projectis, publice nuncietis, & ab aliis nunciari, & ab omnibus arctius evitari, necnon capi, & ſub dicta cuſtodia detineri, faciatis, donec, & quouſque pręfatas Concluſiones revocaverit, & de expenſis ipſis Magiſtris, Miniſtris, & Fratribus prędictis ſatisfecerit, & inſuper legitimis ſuper his per vos habendis ſervatis proceſſibus, eos, quoties expedierit, aggravare euretis tandiu auctoritate noſtra &c. Invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtante ſi

dicto Philippo, vel quibuſdam aliis communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Millesimo Quadringentesimo Quadrageſimo Octavo, Quintodecimo Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Conſtitutione.*) CCXIV data XXIV *Auguſti MCCCCXL.* Legitur *pag.*128 hujuſce *III* Tomi.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtol. Lib. XIV fol.*36.
3. *Cantuarien.*) In *Anglia*.
4. *Dublinen.*) In *Hibernia*.
5. *Londonien.*) Seu *Londinen.*, in *Anglia*.
6. *Exhibita nobis &c.*) Ut in Conſtitutione laudata, ad finem uſque.

Anno 1448 Die 31 Julii.

Iis qui in Cœnobiis noſtris commorantur Sacramenta miniſtrare (1), eorumque cadavera ſepulturæ (2) tradere poſſumus.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

XXIX.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

JUſtis, & honeſtis ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis, pro parte dilectorum filiorum Bartholomęi (4) Magiſtri, & Jacobi (5) Procuratoris Generalium Ordinis Prędicatorum, petitio continebat, quod olim Magiſtro, Prioribus, & Fratribus dicti Ordinis pro tempore exiſtentibus a variis Romanis Pontificibus, Prędeceſſoribus noſtris indultum (6) & conceſſum exiſtit, quod ipſi omnibus, & ſingulis perſonis, quę in eorum obſequiis morarentur, poſſent Sacramenta eccleſiaſtica miniſtrare, & illas, cum deceſſerint, in eorum cimiteriis ſepelire, prout in litteris inde confectis, quarum tenores pręſentibus haberi volumus pro expreſſis, plenius continetur. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, perſępe in diverſis domibus, ſive Conventibus dicti Ordinis contingat, nonnullos Chriſti fideles ob cauſam devotionis infra ſepta domorum hujuſmodi & clauſuram cohabitare, quibus dari debent hujuſmodi Sacramenta; Nos noſtrorum Prędeceſſorum in hac parte veſtigiis inhęrentes, ipſorum Magiſtri, & Procuratoris ſupplicationibus inclinati, Magiſtro, Prioribus, & Fratribus pręfatis ubilibet conſtitutis, omnibus, & ſingulis perſonis infra ſepta, & clauſuram prędicta, pro tempore commorantibus, quotiens opus fuerit, Sacramenta eccleſiaſtica libere & licite, ſicut illis, qui in eorum ſervitiis inſiſtunt, miniſtrandi, & eas poſt earum deceſſum in eorum cimiteriis ſepeliendi, Diœceſani loci, aut alterius cujuſcunque licentia ſuper hoc minime requiſita, plenam & liberam concedimus tenore pręſentium, auctoritate apoſtolica, facultatem: Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus pręfati, & aliorum quorumvis Ordinum, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo, Quadrageſimo Octavo, Pridie Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Conceſſio.

Poggius.

N. A. Puteo.

Ja. De Viterbio.

1. *Miniſtrare.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.VII.*
2. *Sepultura.*) Ibidem *Tit.IX.*
3. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur. Legitur apud *Uſuſmarem pag.*121.
4. *Bartholomai.*) *Texerii.*
5. *Jacobi.*) *De Regno* nuncupati.
6. *Indultum.*) Ut in *Tractatu* mox laudato.

Anno 1448 Die 17 Auguſti.

Fulginatenſes (1) Moniales Ordinis Prædicatorum, annua penſione propoſita, quaſdam domos cedere poſſint Confratribus *Hoſpitalis Pietatis* nuncupatis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXX.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Nicolao (3) Epiſcopo Tubertin. (4) Civitatis noſtrę Fulginaten. pro Nobis, & Romana Eccleſia Gubernatori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

PIa cunctorum vota fidelium, pręſertim quibus pauperum, & miſerabilium perſonarum indigentiis ſuccurritur, & paternę caritatis officio Apoſtolicis favoribus proſequimur, &, ut ſalubres inde fructus proveniant, miniſterii noſtri pręſidium impartimur. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Confratrum Societatis, ſeu Confraternitatis Collegii Pietatis Fulginaten., petitio continebat, quod cum alias ipſi miſericordię opera amplecti cupientes pro ſuſtentandis, & curandis pauperibus, & infirmis, ac peſtilentię morbo gravatis perſonis, ac nonnullis aliis piis exercendis operibus, quandam in ſe Societatem, ſeu Confraternitatem fidelium, Collegium Pietatis nuncupatum, inſtituerunt, quia tamen Domum aliquam, in qua ſe congregare, ac dictas perſonas pauperes, & infirmas recipere poſſent, non habebant, a dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſa, & Monialibus Monaſterii

Supplex petitio.

S. Ma-

S. Marię de Populo Fulginaten., ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum degentibus, ... Sancti Johannis gratiarum etiam Fulginaten., quę de menſa dicti Monaſterii exiſtit, cum certis domibus, ſeu manſionibus ſibi contiguis, prętorquam Hoſpitali Sancti Petri ſito in pertinentiis Colliſloriti Fulginaten. Diœceſis, cujus fructus, redditus, & proventus duodecim florenos auri de camera ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, pro perſonis curandis, & recipiendis, ac aliis operibus hujuſmodi ſub aliquo congruo cenſu, de quo inter ſe concordaverint per ipſos Sorores, & Confratres eidem Monaſterio annis ſingulis perſolvendo, de dilectorum filiorum Sororum, & Conventus Domorum Sancti Dominici Fulginaten. dicti Ordinis conſenſu, ſibi concedi, appropriari, & applicari obtinuerunt. Quare pro parte Sororum & Confratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſioni, applicationi, & appropriationi hujuſmodi pro earum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac dictas Domos, ſeu manſiones ad opus Hoſpitalis pro recipiendis, & curandis perſonis hujuſmodi deputare, ita quod de cetero Hoſpitale Pietatis nuncupetur, ipſiſque Priori, & Confratribus Juſpatronatus, & pręſentandi unum ex Fratribus dicti Ordinis in Capellanum, ſeu Rectorem dictę Eccleſię, quoties illam in antea vacare contigerit, reſervare, ac alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de pręmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus per te ipſum de pręmiſſis omnibus, & ſingulis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, conceſſionem, appropriationem, & applicationem approbes, & confirmes, necnon Domos, & manſiones, dicto Hoſpitali Sancti Petri excepto, ad opus hujuſmodi deputes, dictumque jus pręfatis Priori, & Confratribus eadem auctoritate perpetuo reſerves, ac facias, & exequaris in pręmiſſis & cetera omnia prout dictorum Prioris, & Confratrum, necnon hoſpitalis pauperum, & infirmorum ſtatui, & utilitati videris expedire. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis necnon dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Per hoc autem Confraternitatem ipſam non intendimus alias in aliquo approbare. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Octavo, Sexto Decimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Indultum.

1. *Fulginaten.*) Vulgo *Foligno*, in *Umbria*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*.
3. *Nicolao*.) *De Cęſaribus de Caciliano*, de quo conſulendi *Ciaconius* in *Eugenio IV*, & *Ughellus* in *Epiſcop. Tiburtin.* *Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 1310, *Edit. II.*
4. *Tubertin.*) *Tiburtin.*, vulgo *Tivoli*, in *Campania Romana*.

Anno 1448 Die 21 Auguſti.

Aragoniæ (1) Provinciali agendi rationem præfinit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXI.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

REgimini univerſalis Eccleſię quanquam immeriti, diſponente Domino, pręſidentes, curis urgemur, & aſſidua meditatione pulſamur, ut quorumcunque Religioſorum, & pręſertim Fratrum Prędicatorum, ac Sororum, quorum Beatus Dominicus inſtituit Ordinem, illorumque perſonę dirigantur ſalubriter, & feliciter gubernentur, ac ne in ſpiritualibus, vel temporalibus detrimenta ſubeant, libenter ipſis, quantum poſſumus, opportunę proviſionis remedium adhibemus. Sane, ſicut nuper cariſſimi in Chriſto filii noſtri Alfonſi (3) Regis Aragonum illuſtris fide digna relatione ad noſtrum, non ſine mentis turbatione; pervenit auditum, licet cujuslibet Ordinis Pręſidens expenſarum ſuperfluitate, mundaniſque pompis, & illecebris penitus abjectis, veluti lucerna lucens ejus ſubditis potiſſime in tribus ſubſtantialibus votis bonum & ſalubre exemplum pręſtare debeat, & teneatur, nonnulli tamen pręſidentes, ſive Priores Provinciales Provincie Aragonię juxta morem dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, qui dilecto filio Petro Coſta (4) ejuſdem Ordinis, & Theologię Profeſſori in Prioratu Provincię hujuſmodi ſucceſſerunt &c. in eam devenerunt temeritatem, ut quę ſibi a jure, & laudabili conſuetudine noverint interdicta exquiſitis viis, ac fraudibus, ad eorum nutum uſurpare moliti fuerint, & dietim moliantur, in non modicam ejuſdem Ordinis ipſiuſque obſervantię enervationem. Supplex Regis petitio. Nos igitur, cupientes, ut pręſumptorum hujuſmodi compeſcatur temeritas, & aliis de cetero talia perpetrandi penitus via pręcludatur, pręfati Alfonſi Regis in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, pręſenti perpetua, & irrefragabili, conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, quod in antea perpetuis futuris temporibus, dilectus Filius Jacobus Ægidii (5) qui nunc eſt, & quicunque in antea erit Prior Provincialis dictę Provincię, Monaſteria dicti Ordinis Sororum exhortandi inibi perſonas ad bene religioſeque vivendum, ſeu corrigendi defectus, vel audiendi computa, aut quavis alia etiam juſta, rationabili, & neceſſaria cauſa, ultra bis, vel ter annis ſingulis intrare non poſſint, neque debeant, & Sororibus ipſis etiam id petentibus in Priorem aut Confeſſorem aliquis, quavis auctoritate dari non poſſit, niſi Frater dicti Ordinis Prędicatorum, qui quinquageſimum ſuę ętatis annum tranſcendat, dictuſque Jacobus, & pro tempore Prior Provincialis omnibus & ſingulis ſtatutis & ordinationibus per Generalia, & Provincialia Capitula Fratrum Prędicatorum pro tempore editis ſubjecti ſint, & eſſe debeant, ac dicto Jacobo, & pro tempore Priori Provinciali, aliquę, quas, ut in officio Provincialatus hujuſmodi remanerent, ſe feciſſe aſſeruerint, nullatenus, ſed illę duntaxat expenſę communes, & rationabiles, quas ſe in Generali Capitulo feciſſe probaverint, & quę ab omnibus Fratribus vocalibus in Capitulo hujuſmodi fuerint approbatę perſolvantur, &

perſolvi debeant. Pręterea ut omnis Conventus dictę Provincię Prioris Provincialis pręſentia gaudeat & lętetur, Jacobus & pro tempore Prior Provincialis prędicti in uno Conventu ultra menſem de uno in alium cunctos, & per circuitum ſucceſſive viſitando, morari, ſeu ſtare non poſſint, illis Conventibus duntaxat exceptis, ad quos non niſi per mare (6) tranſitus habetur, & illo, in quo dictus Jacobus, & pro tempore Prior Provincialis Religionis habitum receperint, in quibus pro ſuę voluntatis libitu ſtare, & morari valeant, & quilibet Conventus Provincię hujuſmodi ipſi Jacobo, ac pro tempore Priori Provinciali expenſas juxta ordinationem Magiſtri Generalis dicti Ordinis tempore quo dilectus filius Petrus Queralt (7) ipſius Ordinis Profeſſor, & dicti Generalis Magiſtri in Pręfata Provincia Vicarius Generalis erat, ad petitionem, & inſtantiam Magiſtrorum, ac Fratrum de conſilio Conventus Barchinonen. ejuſdem Ordinis factam duntaxat miniſtrare teneantur, quodque ſi forſan aliquem Magiſtrum in Theologia vel Fratrem antiquum dicti Ordinis pro ſuis ſcandaloſis, manifeſtis, & probatis exceſſibus pręfatum Jacobum, & pro tempore Priorem Provincialem corrigere oportuerit, & punire, tunc Magiſtrum, ſeu Fratrem hujuſmodi infra ipſius delinquentis Conventum corrigere, & punire debeant, & ſi propter aliquem inordinatum favorem id facere forſitan nequiverint, tunc ipſum delinquentem coram Generali Magiſtro ejuſdem Ordinis, per quem corrigatur conveniant, niſi forſan ſic delinquens vagabundus fuerit, & ſcandaloſam extra ſepta ſui Conventus vitam ageret, tunc enim, & non alias, dicti Jacobus, & pro tempore Provincialis brachium ſeculare invocare poſſint, quicunque vero ex Jacobo, & pro tempore Prioribus Provincialibus erga ſubditos ſuos male ſe habuerit, aut eos injuſte, vel inique, ſive indebite moleſtaverit, ſeu inquietaverit, quovis modo, eidem ſubdito expenſas per eum occaſione hujuſmodi factas ſolvere teneatur, ſed etiam eo ipſo ab officio Provincialatus hujuſmodi ſit ſuſpenſus, donec, & quouſque ſic moleſtato, ſeu inquietato ſubdito expenſas hujuſmodi integre perſolverit; quod ſi forſan deſuper ab eodem ſubdito requiſitus ipſas expenſas infra menſem a die requiſitionis ejuſdem computandum ſolvere recuſaverit, lapſo menſe hujuſmodi a dicto officio ipſo facto depoſitus, & abſolutus ſit, & eſſe cenſeatur. Ne autem bona delinquentium Fratrum, & quę in illorum cameris invenirentur, alienari poſſint, per Conventum, & non per Provincialem, cum beneficio inventarii cuſtodiantur, & conſerventur. Fratres autem qui dicto Petro Coſta in Provincialatu hujuſmodi ſucceſſerint, & qui in antea Provinciales pro tempore erunt, quicquid indebite, aut injuſte ope ſui Provincialatus a quovis Conventu dictę Provincię, ſive Fratre ejuſdem, per ſe, vel alium receperint, illis, a quibus receperint, ſeu recipient, integre reſtituere teneantur, & ad reſtitutionem hujuſmodi faciendam compelli poſſint, & debeant. Nullus etiam ex Jacobo, & pro tempore Prioribus Provincialibus prędictis per ſe, vel alium, ſeu alios ut in officio Provincialatus remaneat, ſeu pro ſui defenſione in eodem, literas a Pręlatis Eccleſię, ac Collegiis, aut à quibuſcunque ſecularibus cujuſvis poteſtatis, vel Regularibus, Magiſtro Generali, ſeu Sedi Apoſtolicę pręſentandas per ſe, vel per alium procurare pręſumat, quod ſi contrarium fecerint, excommunicationis ſententiam incurrant eo officio, ac hujuſmodi literis per quemvis, & quovis modo pręſentatis dicti Priores Provinciales ab officio Provincialatus hujuſmodi ex tunc depoſiti, privati, & abſoluti eo ipſo exiſtant. Prior quoque Provincialis hujuſmodi poſt depoſitionem, ſeu abſolutionem ab officio Provincialatus, locum ſuper Magiſtros ſe antiquiores tenere non pręſumat, nec quidquam a Conventibus pluſquam ipſi Magiſtri obtinere valeat. In hujuſmodi vero officio Provincialatus Jacobus, & Prior Provincialis pro tempore per triennium (8), & non ultra ipſum gubernando exiſtant, ac elapſo ipſo triennio, quod tam quoad Jacobum, quam alios Priores Provinciales pro tempore a die confirmationis eorum ad Provincialatum hujuſmodi factę volumus, & computari debere decernimus, ipſe Jacobus, & pro tempore Prior Provincialis a pręfato Provincialatu eo ipſo abſoluti ſint, & eſſe cenſeantur, ac Prior Conventus, in quo proximum, & ſic ſucceſſive futurum celebrari debebit Capitulum, niſi Generalis Magiſter dicti Ordinis de alio Vicario ante celebrationem hujuſmodi Capituli providerit, dictę Provincię Vicarius eo ipſo abſque aliqua de eo deſuper deputatione facienda exiſtat, donec, & quouſque per Capitulum hujuſmodi alius Prior Provincialis eligatur, ipſiuſque electio per dictum Generalem Magiſtrum confirmata publicetur in dicta Provincia, & noviter Prior Provincialis confirmatus pręſens extiterit in eadem, decernentes omnia, & ſingula ſtatuta, & ordinationes noſtra prędicta per omnes, & ſingulos Conventus dictę Provincię, ac illorum Fratres ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus inviolabiliter obſervari debere, ac mandantes venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis Cęſarauguſtan. (9), & Tarraconen. (10), & Valentinen. (11) Epiſcopo (12), quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, quoties pro parte Fratrum dictę Provincię, ſeu alicujus eorum deſuper fuerint requiſiti, ſeu aliquis eorum fuerit requiſitus, dicta auctoritate Apoſtolica pręſentes literas ſolemniter publicantes, omnia, & ſingula ſtatuta, & ordinationes prędictas, per eoſdem Fratres, & alios, ad quos ſpectat, quacunque appellatione poſtpoſita, per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris remedia, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, inviolabiliter faciant obſervari, necnon illos ex dictis Fratribus, quos vigore pręſentium ſententiam excommunicationis hujuſmodi eis incurriſſe conſtiterit, tandiu dicta auctoritate Apoſtolica excommunicatos nuncient, & ab aliis faciant nunciari, necnon ab omnibus arctius evitari, donec ſic excommunicati in his, in quibus circa premiſſa deliquerant, debite ſatisfecerint, ſeu alias ab ipſa ſententia abſolutionis beneficium, & reconciliationis gratiam a nobis, vel Sede prędicta, ſeu, quibus deſuper poteſtatem concedimus, ab Archiepiſcopis, vel Epiſcopo prędictis, ſeu ad id per eos, vel aliquem ipſorum deputandis meruerint obtinere. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne quis extra ſuam civitatem, & Dięceſim niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſuę Dięceſis ad judicium evocetur, ſeu ne judices a Sede pręfata deputati extra civitatem, & Dięceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, vel alii, ſeu aliis vices ſuas committere pręſumant, dummodo ultra duas dietas quis auctoritate pręſentium non trahatur, aut ſi dicto Ordini ab eadem ſit Sede indultum,

quod

quod ipſius perſonę ad judicium trahi, ſeu ſuſpendi, vel excommunicari, aut ipſa ejuſdem Ordinis loca interdici non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictę Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali cujuſcunque tenoris exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta ipſorum Archiepiſcoporum, & Epiſcopi juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, quę quoad hoc volumus eiſdem Fratribus nullatenus ſuffragari. Nulli ergo &c. noſtrorum ſtatuti, ordinis, Conſtitutionis, mandati, conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Octavo, Duodecimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Aragoniæ.*) Illi Provinciæ per id tempus jus dicebat *P. Jacobus Ægidii*, ut ex ipſo Diplomate conſtat: Vir erat inſtaurandæ religioſæ Diſciplinæ totus natus. Hinc F. *Bartholomaus Texerii* Magiſter totius Ordinis ipſum Vicarium Generalem Congregationis *Aragoniæ* conſtituerat anno *MCCCCXL*, ut liquet ex Literis, quas refert *Diago* mox laudandus. Naſcentem congregationem ſanctiſſimis legibus inſtituerat cum *Aragoniæ* Provincialis evaſit, & hocce Diploma rogatu Regis obtinuit. Videas infra *Conſtitutionem* LII, *datam IX Martii MCCCCL*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XIV fol. 15*.

3. *Alfonſi.*) De quo ſæpius dictum fuit.

4. *Petro Coſta.*) Ab anno ſcilicet *MCCCCXXXIV*, quo Vicarius Generalis *Aragoniæ* Provinciæ F. *Martinus Trilles* electus erat. De F. *Petro Coſta* legendus *Diago pag. 65*, loco mox laudato.

5. *Jacobus Ægidii.*) Vulgo *Gil*. Provincialis renunciatus erat anno *MCCCCXLV* in Comitiis *Aragoniæ* Provinciæ *Podiicerdani* coactis. Magiſter Sacri Palatii fuit *Jacobus*, de quo conſulendi *Diago Hiſtor. Provinciæ Aragon. Lib. I Cap. XXXVII pag. 65. &c. Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. V num. XXXIII pag. 440, ex Olmeda, Plodio, & Fernandez. & Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLXV pag. 831*.

6. *Per mare.*) In Inſulis nempe *Balcari*, & *Ebuſenſi*, vulgo *Ivica*. Tunc etiam *Aragoniæ* Provinciæ juris erant Conventus *Sardiniæ*. Ibi nunc nova Provincia quæ ab anno *MDCCVI* conſtituta fuit.

7. *Petrus Queralt.*) Vir venerabilis, *Beati* nomine paſſim inſignitus. De quo legendus *Diago Hiſtor. Provin. Aragoniæ Lib. I Cap. XXXIX pag. 68. &c.*

8. *Triennium.*) Nunc per *Quadriennium*.

9. *Cæſarauguſtan.*) In *Aragonia*.

10. *Tarraconen.*) In *Catalonia*.

11. *Valentinen.*) In ejuſdem nominis Regno *Hiſpaniæ*.

12. *Epiſcopo.*) Nunc Archiepiſcopalis eſt *Valentina* Sedes.

Ut Encinenſe (1) Monaſterium ſit juriſdictionis Fratrum Prædicatorum.

Anno 1448 Die 5 Septembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Petri Decano Eccleſię Civitaten., in Civitate Zamoren. commoranti, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrę Religionis, ſub qua dilectę in Chriſto filię Agnes Prioriſſa, & Sorores in quodam Eremitorio Beatę Marię Magdalenę del Encina vulgariter nuncupato, ſito extra locum de Aldea del Palo, Zamoren. Diœceſis, ſub regulari obſervantia Ordinis Fratrum Prędicatorum degentes, devotum, & ſedulum exhibent Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut illa eis favorabiliter concedamus, per quę, omnibus ſemotis diſpendiis, famulatum hujuſmodi cum animi quiete reddere poſſint. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dictarum Prioriſſę, & Sororum, petitio continebat, quod olim poſtquam dicta Agnes de ſui Superioris licentia Beatę Marię de Conſolatione Salamantin. primo, & deinde ejuſdem Beatę Marię de las Duenas Zamoren. Monaſteria Sororum dicti Ordinis cum gratia Domini ad obſervantiam reduxerat, tandem quibuſdam legitimis ſupervenientibus cauſis etiam de ſui Superioris licentia una cum nonnullis ipſius Ordinis Sororibus in pręfato Eremitorio ſe recluſit, ac inibi de conſenſu habitatorum dicti loci tam propriis ſuppetentibus, quam ex Chriſti fidelium ſuffragiis unam Domum cum Eccleſia, Dormitorio, Refectorio, ac aliis neceſſariis officinis, pro earum uſu, & habitatione honeſtiſſime conſtrui, & ędificari procuravit, in qua Agnes, & Sorores prędictę earum Sponſo, qui Chriſtus eſt, in orationibus, & Divinis officiis ſub regulari obſervantia continuo complacere ſtudentes, per triennium fere ſteterunt, & commorantur de preſenti. Verum quia Prior Prioratus Sancti Michaelis del Burgo Zamoren., Ordinis Sancti Benedicti, aſſerens dictum Eremitorium infra metas Parochię Parochialis Eccleſię ejuſdem loci de Aldea ipſi Prioratui ſubiectę conſiſtere dictas Prioriſſam, & Sorores, quę ſub cura Fratrum Prędicatorum ſemper fuerunt, & perpetuo eſſe intendunt, viſitare, corrigere, & ab eis ratione viſitationis hujuſmodi pecuniam, ſeu bona recipere nititur, pręfatę Prioriſſa, & Sorores gravem in earum animis perturbationem ſuſcipiunt, nec poſſunt, prout ſua Religio mandat, cum quiete Altiſſimo famulari. Quare pro parte dictarum Prioriſſę, & Sororum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſas, ac Eccleſiam, Domum, Eremitorium, cum horto, poſſeſſionibus, necnon omnibus, & ſingulis eorum mobilibus, & immobilibus ab omni juriſdictione, viſitatione, correctione, inſtitutione, deſtitutione, mero, & mixto imperio, civili, & criminali prędicti, & pro tempore exiſtentis, dicti Prioratus Prioris prorſus ex nunc, & perpetuo liberare, necnon conſtructionem, & ędificationem prędictas confirmare, & approbare, aliaſque ipſarum Prioriſſę, & Sororum ſtatui, & indemnitatibus opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionem hujuſmodi ubique propagari deſideramus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam vocatis dicto Priore, & aliis, qui fuerint evocandi, tibi de pręmiſſis legitime conſtiterit, conſtructionem, & ędificationem prędictas auctoritate noſtra approbes, ac Prioriſſam, & Sorores in eadem Domo degentes tam pręſentes, quam futuras, cum hortis, poſſeſſionibus, ac omnibus aliis bonis ſuis mobilibus, & immobilibus a juriſdictione, correctione, viſitatione, inſtitutione, deſtitutione, mero, & mixto im-

Supplex petitio.

Mandatum.

imperio civili, & criminali prędicti, & pro tempore exiſtentis Prioratus ejuſdem Prioris auctoritate Apoſtolica penitus, & omnino eximas, atque liberes, necnon eas, & illa prędicto Ordini Prędicatorum ſubjicias, & ſubjectas eſſe decernas, ita quod deinceps tam pręſentes, quam futurę Prioriſſa, & Sorores in dicta domo ſub regulari obſervantia degentes, per quempiam ab eadem domo amoveri, ac

Clauſula derogans.

per alium quam per dicti Ordinis Prędicatorum Provincialem, ſeu ejus locum tenentem viſitari, & corrigi non poſſint; Nos enim ſi approbationem, confirmationem, exemptionem, & alia pręmiſſa per te pręſentium vigore fieri contigerit, ut pręfertur, Prioriſſę, & Sororibus, ac earum domui hujuſmodi, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, francheſiis, & immunitatibus, quibus alię domus, ſeu Monaſteria Sororum dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum in genere gaudent, & utuntur, uti valeant, pariter & gaudere, pręfata auctoritate concedimus per pręſentes. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus domus, Prioratus, & Ordinum Prędicatorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, jure tamen dictę Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius alias in omnibus ſemper ſalvo. Datum Romę apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Octavo, Nonis Septembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Encinenſe.*) In *Hiſpania Tarraconenſi*, ubi cetera loca de quibus hoc in Diplomate.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XVI fol.* 41.

Anno 1448 Die 6 Septembris.

Inquiſitori, & Provinciali Græciæ, ne Latini deſciſcant ad Ritus Græcos (1).

Ex Odorico (2) *Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCCXLIX num. X.*

XXXIII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis hereticę pravitatis Inquiſitori, & Provinciali Provincię Grecię Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PErvenit ad aures noſtras, quod in locis, quę Catholicis in Grecia ſubjecta ſunt, multi catholicę unionis pretextu, ad Grecos imprudenter tranſeunt ritus. Mirati admodum ſumus, mirarique non deſinimus, neſcientes, quid ſit, quod eos a conſuetudine, ac ritibus, in quibus nati, nutritique ſunt, in alienigenarum ritus tranſpoſuit. Nam etſi laudabiles Orientalis Eccleſię ritus ſint, non licet tamen Eccleſiarum ritus permiſcere, neque id unquam Sacroſancta Synodus Florentina permiſit. Quas ob res Nos, quibus, quamvis immeritis, hujuſmodi rerum omnium cura divinitus impoſita eſt, cupientes citius, ne malum longius ſerpat, huic rei providere, vobis, & utrique veſtrum ſub virtute ſanctę obedientię diſtricte mandamus, ut auctoritate Apoſtolica in omnibus locis prędictis, cum ea ex officio veſtro viſitabitis, permixtionem rituum omnino prohibeatis, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis &c. Datum Romę apud S. Potentianam Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Octavo (3), Octavo Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Græcos.*) Adeas *Odoricum* loco laudato.
2. *Odorico.*) Ex *Lib. XXII Nicolai V pag.* 229.
3. *Quadrageſimo Octavo.*) *Odorici* librarius mendoſe ſcribit *MCCCCLVIII*, quo anno *Nicolaus V* non ſedebat certe: obierat enim anno *MCCCCLV.*

Anno 1448 Die 15 Octobris.

Ut F. Laurentius Valaſcii Portugalliæ Regis (1) Orator Caſibus Epiſcopalibus abſolvere poſſit.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXXIV.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Laurentio Valaſcii, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Magiſtro in Theologia, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

INjunctum Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officium tunc digne peragere non ambigimus, cum illis, quę ex devotionis fervore prodire conſpicimus, & per quę ſaluti animarum Chriſti fidelium providetur, favorem Apoſtolicum impartimur. Hinc eſt, quod Nos, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, qui ex parte cariſſimi in Criſto filii noſtri Alfonſi Portugallię Regis illuſtris Ambaſſiator ad Nos deſtinatus exiſtis, ut uſque ad quatuor annos a dato pręſentium computandos, quarumcunque perſonarum utriuſque ſexus tam Eccleſiaſticarum, etiam cujuſcunque Ordinis, & obſervantię Regularium, quam Secularium in Regno Portugallię conſiſtentium, Ordinariorum, ſeu Rectorum Parochialium, ac ſuperiorum, aut aliorum quorumcunque licentia ſuper hoc minime requiſita, quoties fuerit opportunum, aut perſonis ipſis videbitur, Confeſſiones audire, ac eas ab omnibus, & ſingulis peccatis, exceſſibus, & delictis, de quibus confitebuntur, etiam in caſibus Epiſcopalibus, dummodo talia non

Indultum.

fuerint propter quę Sedes Apoſtolica foret conſulenda merito, abſolvere, ac ipſis perſonis pęnitentiam ſalutarem injungere valeas, Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, Auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium indulgemus. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Potentianam Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Octavo, Idibus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. Por-

1. *Portugalliæ Regis*.) *Alfonſi V*, cognomento *Africani*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXVII fol.*139.

Roterodamenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1448 Die 19 Octobris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXXV.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Proconſulibus, Oppidanis, habitatoribus, & incolis Oppidi Roterdam, Trajecten. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

PIis fidelium votis gratum Nos preſtare decet aſſenſum, & ut ea, quę Religionis propagationem ac Divini cultus augmentum reſpiciunt, optatum ſortiantur effectum, libenter interponimus ſollicitudinis noſtrę partes. Sane pro parte veſtra Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod vos devotionis zelo ſuccenſi, ac tranſitoria in ęterna, & terrena in cęleſtia felici commercio commutare cupientes, in oppido Roterdam, Trajecten. Diœceſis, quendam accommodum, & congruum locum, ut in eo Domus Ordinis Fratrum Prędicatorum conſtruatur, & ędificetur, pia largitione aſſignaſtis, donaſtis, & deputaſtis, ac in eodem loco collectis vobis a Deo bonis Domum dicti Ordinis cum Eccleſia, cęmeterio, campanili, campana, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, ac aliis neceſſariis officinis pro perpetuis Fratrum dicti Ordinis ſub regularibus illius habitu, & obſervantia Altiſſimo famulaturorum uſu, & habitatione cum Chriſti fidelium adminiculo conſtrui, & ędificari facere proponitis, Apoſtolicę deſuper Sedis pręſidium ſuppliciter implorantes. Nos igitur, qui religionem, & cultum hujuſmodi noſtris temporibus vigere, & etiam augeri intenſis deſideriis affectamus, tam pium veſtrum propoſitum in Domino plurimum commendantes, ac eiſdem veſtris ſupplicationibus inclinati, vobis Domum cum Eccleſia, campana, & aliis officinis hujuſmodi in dicto loco fundandi, & erigendi, ſive conſtrui, & fundare faciendi, necnon Fratribus ipſis illum pro uſu, & habitatione pręmiſſis recipiendi, & emendi, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, licentiam elargimur; Et nihilominus univerſis, ac ſingulis Fratribus, quos in dicta Domo pro tempore reſidere contigerit, ut omnibus privilegiis, indulgentiis, libertatibus, & exemptionibus pręfato Ordini, & ipſius Domibus, ac perſonis per Sedem prędictam, & alias, quomodolibet generaliter conceſſis, uti, & gaudere libere, & licite valeant, eadem auctoritate indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua Civitate, Villa, Caſtro, vel alio quovis loco ad inhabitandum quęcunque Domos, vel loca denuo recipere, vel eatenus recepta mutare pręſumant, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, jure tamen Parochialis Eccleſię dicti Oppidi ſemper ſalvo. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud S. Potentianam Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Octavo, Quarto decimo Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Supplex petitio.

Facultas.

1. *Roterodamenſis*.) Vulgo *Roterdam*, in *Holandia*. Provinciæ *Saxoniæ* primum, deinde Provinciæ *Germaniæ inferioris* fuit hocce Cœnobium, ab hæreticis tandem occupatum.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*.

Firmat, & inſerit Conſtitutiones quibus Gregorius XI (1), Martinus V (2), & Eugenius IV (3) Ordinem FF. Prædicatorum privilegiis ornarunt.

Anno 1448 Die 4 Decembris.

Ex Archivo (4) *Ordinis*.

XXXVI.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

LIcet ex debito ſummi Pontificatus officii, Nobis deſuper injuncti, circa fidelium quorumlibet profectus, & commoda Nos deceat intentos exiſtere, illos tamen ex eis qui ſua, mundanis abjectis illecebris, ſub regulari habitu Altiſſimo vota perſolvunt, tanto potioribus gratiis libenter, cum a nobis petitur, confovemus, quanto ipſorum, vita laudabili, necnon ſcientia, prędicationibus, aliiſque virtutibus, & fructuoſis operibus, merito compenſatis, id ad privilegiorum illis conceſſorum corroborationem, eorumque ſalubrem ſtatum conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Hinc eſt, quod Nos dilecti filii Bartholomęi Texerii Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac Theologię profeſſoris, necnon Generalis ejuſdem totius Ordinis Magiſtri, in hac parte devotis ſupplicationibus inclinati, quaſdam fel. recordationis Gregorii XI, ad inſtar nonnullorum Romanorum Pontificum Prędeceſſorum ſuorum Magiſtro, Prioribus, & Fratribus univerſis ejuſdem Ordinis per eum conceſſas, necnon alias piæ memorię Martini V, & Eugenii IV, Summorum Pontificum, Prędeceſſorum noſtrorum, ipſarum conceſſarum confirmatorias literas, quas omnes diligenter inſpici, & examinari, quarumque tenores de verbo ad verbum pręſentibus inſeri fecimus, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ex certa ſcientia innovamus, & confirmamus, ac pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenores vero ſingularum litterarum prędictarum ſequuntur, & tales ſunt. Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Romanus Pontifex in quo poteſtatis plenitudo conſiſtit, ad ſtatum eccleſiaſticarum perſonarum, ſua pręſertim mundanis abjectis illecebris, ſub ſacro Religionis jugo Altiſſimo vota reddentium, & circa fidelium animarum ſalutem, necnon hęreticorum, & aliorum infidelium quorumlibet, debita converſatione, prędicationibus, & doctrina continuo laborantium libenter intendens, non nun-

Supplex petitio.

nunquam per ſuos Prędeceſſores, in earum favorem geſta innovat, ac approbat, & confirmat, prout id conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Hinc eſt, quod nos dilecti filii Bartholomęi, Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac Theologię profeſſoris, necnon Generalis totius Ordinis hujuſmodi Magiſtri, devotis in hac parte ſupplicationibus inclinati, quaſdam fel. rec. Gregorii XI, ad inſtar nonnullorum Romanorum Pontificum Prędeceſſorum ſuorum, dilectis filiis Magiſtro, Prioribus, & Fratribus univerſis ejuſdem Ordinis per eum conceſſas, necnon alias Martini V Prędeceſſorum noſtrorum, etiam conceſſarum hujuſmodi confirmatorias litteras, quas diligenter inſpici, & examinari, quarumque tenorem de verbo ad verbum pręſentibus inſeri fecimus, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ex certa ſcientia innovamus, ac confirmamus, ac pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenor vero ſingularum litterarum prędictarum talis eſt. Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Dilectis filiis Magiſtro, Prioribus, & Fratribus univerſis Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Ex Apoſtolicę Sedis proviſione, ac perſonarum Deo devotarum, pręſertim ſub regulari obſervantia, & in favorem fidei catholicę Domino famulantium ſtudio pię vitę, devotione provenire dignoſcitur, ut Romanus Pontifex quandoque Prędeceſſorum ſuorum, Romanorum Pontificum geſta innovet, innovatione reſtauret, & auctoritate fulciat innovata. Hinc eſt, quod Nos veſtris devotis in hac parte ſupplicationibus inclinati quaſdam litteras fel. rec. Gregorii PP. XI Prędeceſſoris noſtri, ad inſtar nonnullorum aliorum Romanorum Pontificum Prędeceſſorum ſuorum vobis & Ordini veſtro conceſſas, quas diligenter inſpici, & examinari, quarumque tenorem de verbo ad verbum pręſentibus inſeri fecimus, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ex certa noſtra ſcientia, innovamus & pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenor vero dictarum litterarum talis eſt. Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Dilectis filiis Magiſtro, Prioribus & Fratribus univerſis Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apollolicam Benedictionem. Virtute conſpicuos Sacri veſtri ordinis profeſſores &c. Ceterum cum fel. rec. Innocentius PP. IV. Prędeceſſor noſter, olim duxerit ſtatuendum, ut exempti, quantumcunque gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, ſeu contractus, aut rei, de qua contra ipſos agitur, rite poſſint coram locorum Ordinariis conveniri, & illi (quoad hoc) ſuam in illis juriſdictionem, prout jus exigit, exercere, Nos vobis, ut occaſione conſtitutionis hujuſmodi, nullum libertatibus, & immunitatibus vobis & ordini veſtro, per privilegia, & indulgentias ab Apoſtolica Sede conceſſis, vel impoſterum concedendis, pręjudicium generetur, auctoritate pręſentium indulgemus; Decernentes vos, ſeu Perſonas veſtri Ordinis, in prędictis caſibus, Ordinariis ipſis minime ſubjacere. Decernimus ergo irritum & inane, quicquid contra tenorem conceſſionum, conſtitutionum, & inhibitionum hujuſmodi per quoſcunque fuerit attemptatum, & interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententias, ſi quas contra conceſſiones, conſtitutiones, & inhibitiones eaſdem, in vos, vel veſtrum aliquos, vel loca veſtra, ſeu benefactores, vel executores, aut hęredes prędictos impoſterum promulgari contigerit, penitus non tenere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pagioam noſtrarum conceſſionum, conſtitutionum, & inhibitionum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare pręſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avinioni II Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Ceterum ut earundem litterarum tenor ſic inſertus, omnimodam rei, ſeu facti certitudinem faciat. Auctoritate Apoſtolica decernimus, illud idem robur, eamque vim, & eundem vigorem, tenor ipſe per omnia habeat, quę haberent originales litterę ſupradictę, & eadem prorſus hujuſmodi tenori fides adhibeatur, quandocunque & ubicunque, ſive in judicio, vel alibi fuerit exhibitus, vel oſtenſus, & eidem ſtetur firmiter, in omnibus, quę eiſdem originalibus litteris adhiberetur, ac ſicut eis ſtaretur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę, nec per hoc orginales litteras dicti Gregorii, ſeu Boniſatii, aut Benedicti, ad quarum inſtar illę ſunt editę, producere, ſeu oſtendere teneamini. Verum ne dubitationes ac controverſię, quę alias vos plurimis laboribus, & expenſis vexaverunt, de cetero vobis fiant, ex certa ſcientia decernimus, ut dictum Privilegium Gregorii Papę XI, in judicio, & extra in qualibet ſui diſpoſitione inviolabiliter obſervetur. Non obſtantibus conſuetudinibus Apoſtolicis, illa pręſertim felicis recordationis Clementis PP. V, Prędeceſſoris noſtri, edita in Concilio Viennen., quę incipit: Dudum: nec non privilegiis, gratiis, & conceſſionibus Apoſtolicis in genere, vel in ſpecie, quibuſvis perſonis, Eccleſiis, ſive locis conceſſis, ſub quacunque forma, vel expreſſione verborum, etiam ſi de eis habenda eſſet in pręſentibus mentio ſpecialis, ſeu per quę pręſentibus non expreſſi, aut totaliter de verbo ad verbum non inſerta, earum in toto, ſeu in aliqua parte ſui, effectus poſſet aliqualiter impediri, & aliis contrariis quibuſcunque. Nos autem ex nunc, irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his aut eorum aliquo a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Declarantes clauſulam illam, videlicet, (ſalva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum a quibus mortuorum corpora aſſumuntur) in omnibus aliis debere intelligi, pręterquam in iis de quibus in ipſo privilegio ſpecialiter cavetur, quod canonica portio minime exigatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę innovationis, communitionis, voluntatis, conſtitutionis, & declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos, XII Kalendas Junii, Pontificatus noſtri anno decimo. Ceterum ut quarumlibet litterarum earundem tenor ſic inſertus omnimodam rei, ſeu facti certitudinem faciat, auctoritate Apoſtolica prędicta decernimus, ut illud idem robur, eamque vim, & eundem vigorem tenor ipſe per omnia habeat, quę haberent ſingulę originales litterę ſupradictę, & eadem prorſus hujuſmodi tenori fides adhibeatur quandocunque, & ubicunque, ſive in judicio, vel alibi, ubi fuerit exhibitus, vel oſtenſus, ac eidem ſtetur firmiter in omnibus, quę ſingulis originalibus litteris adhiberetur, ac ſicut eis ſtaretur, ſi forent exhibitę vel oſtenſę, nec per hoc originales litterę Gregorii, ſeu Bonifatii, ſicut Benedicti, vel Martini hujuſmodi pręfati, Magiſter, Priores, & Fratres, producere, ſeu oſtendere teneantur.

Vo-

Volumus etiam auctoritate Apoſtolica, & ſcientia ſupradictis, harum ſerie decernentes, quod Privilegium Gregorii PP. XI hujuſmodi in judicio, & extra in qualibet ſui diſpoſitione inviolabiliter obſervetur. Non obſtantibus conſtitutionibus, illa præſertim piæ memoriæ Clementis PP. V, etiam Prędeceſſoris noſtri, in Concilio Viennen. edita, quę incipit: Dudum: necnon privilegiis, gratiis, & conceſſionibus Apoſtolicis in genere, vel in ſpecie, quibuſvis perſonis, Eccleſiis, ſive locis, ſub quavis forma verborum, & expreſſione conceſſis, etiamſi de illis pręſentibus habenda foret mentio ſpecialis, ſeu per quę pręſentibus non expreſſa, aut totaliter de verbo ad verbum non inſerta, earum in toto, ſeu in aliqua parte ſui, effectus poſſet aliqualiter impediri, & aliis contrariis quibuſcunque. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper iis vel eorum aliquo, a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę innovationis, confirmationis, communitionis, conſtitutionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attemptare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę M. CD. XL. tertio Idus Aprilis Pontificatus noſtri Anno decimo. Ceterum ut omnium, & ſingularum litterarum prędictarum tenores ſic inſerti omnimodam rei, ſeu facti, certitudinem faciant, eadem auctoritate Apoſtolica decernimus, ut illud idem robur, eamque vim, & eundem vigorem ipſi tenores inſerti, & eorum ſinguli, per omnia habeant, quę haberent ſingulę originales litterę ſupradictę, necnon eadem fides tenoribus omnibus, & ſingulis hujuſmodi quandocunque, & ubicunque illi in judicio, vel alibi fuerint exhibiti, vel oſtenſi, adhibeatur, & illis firmiter ſtetur in omnibus, ſicut ſingulis originalibus litteris ſtaretur, ſi illę forent exhibitę, vel oſtenſę, nec per hoc Magiſter, Priores, & Fratres prędicti litteras originales prędictas, vel earum aliquam oſtendere teneantur: volentes, ac auctoritate Apoſtolica, & ſcientia prędictis, harum ſerie, decernentes, quod Privilegium Gregorii XI hujuſmodi in qualibet ſui diſpoſitione, in judicio, & extra, inviolabiliter obſervetur. Non obſtantibus pię memorię Clementis PP. V ſimiliter Prędeceſſoris noſtri, in Concilio Viennen. edita, quę incipit: Dudum: & aliis Conſtitutionibus, necnon privilegiis, gratiis, & conceſſionibus Apoſtolicis, in genere, vel in ſpecie, quibuſvis perſonis, Eccleſiis, ſive locis, ſub quavis forma, aut verborum expreſſione conceſſis, etiam ſi de illis pręſentibus habenda foret mentio ſpecialis, per quę pręſentibus non expreſſa, aut totaliter de verbo ad verbum non inſerta, eorum in toto, vel in aliqua parte effectus valeat aliqualiter impediri, & aliis contrariis quibuſcunque. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę innovationis, confirmationis, communitionis, conſtitutionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Octavo, pridie Nonas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Gratis de mandato D. noſtri Papę

N. Senſlebm

Pe. de Noxeto

Gratis de mandato D. noſtri Papę

Ja. de Viterbio.

1. *Gregorius XI.*) *Conſtitutione XX.*
2. *Martinus V.*) *Conſtitutione CCXX.*
3. *Eugenius IV.*) *Conſtitutione CCVII.*
4. *Archivo.*) In quo duplex Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur. Ibidem aſſervatur Exemplar authenticum. Legitur apud *Uſuſmarem pag.* 112. Aliud Autographum habes in *Genuenſi* Cœnobio *S. Dominici*.

Ut F. Conradus Wrin Eccleſiaſticum Beneficium aſſequi poſſit.

Anno 1448 Die 30 Decembris.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XXXVII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Conrado Wrin Juniori Ordinis Prędicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

RElligionis zelus, vitę ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fidedigno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, ut te ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequamur. Hinc eſt quod Nos, volentes te, qui, ut aſſeritur, Ordinem Fratrum Prędicatorum expreſſe profeſſus exiſtis, & pro quo cariſſimus in Chriſto filius noſter Fredericus (a) Romanorum Rex illuſtris, aſſerens, te dilectum ſuum Capellanum fore, Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicavit, horum intuitu favore proſequi gratioſo, Regis hujuſmodi, necnon tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tecum, ut quodcunque beneficium Eccleſiaſticum cum cura, vel ſine cura, cujuſvis valoris annui per ſeculares Eccleſiaſticos regi ſolitum, etiam ſi Parochialis Eccleſia, vel ejus perpetua vicaria, ac de jure patronatus laicorum fuerit, ſi alias tibi canonice conferatur, vel te ad illud pręſentari, & in eo conſtitui contigerit, recipere, & quoad vixeris retinere libere, liciteque valeas, quod dicti Ordinis profeſſor exiſtis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon

Indultum.

ipſius Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, de ſpecialis dono gratię diſpenſamus, proviſo, quod beneficium hujuſmodi debitis propterea non fraudetur obſequiis, ſed ejus congrue ſupportentur onera conſueta. Nulli ergo &c. noſtrę diſpenſationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Millesimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Octavo, Tertio Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XV fol. 59.*

2. *Fredericus.*) *Pacificus* nuncupatus, filius *Erneſti* Ducis *Auſtrię.*

Anno 1449 Die 4 Januarii.

Vallis Tarienſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXVIII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Vicario in ſpiritualibus Generali venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Piacentin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Piis fidelium votis gratum pręſtamus aſſenſum, & ut ea, quę Religionis propagationem, divinique cultus augmentum reſpiciunt, optatum ſortiantur effectum, libenter interponimus ſollicitudinis noſtrę partes. Sane pro parte dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Prędicatorum, ac habitantium incolarum Burgi Vallis Tari, Piacentin. Diœceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod dilectus filius Nicoloxius de Caſterboxa habitator dicti Burgi, ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Prędicatorum hujuſmodi gerit devotionis affectum, cupiens, quod in eodem Burgo, in quo nulla dicti Ordinis domus exiſtit adhuc, una inibi cum Eccleſia, campanili, campanis, dormitorio, clauſtro, & aliis officinis neceſſariis pro uſu, & habitatione dictorum Fratrum, quorum virtutibus, & laudabili vita, ac fructuoſis operibus pręfati incolę, & habitatores multa ſuarum animarum conſolationes, & gaudia ſentire ſperant, de novo conſtruatur & ędificetur, Fratribus prędictis nonnulla bona ſua Supplex petitio. mobilia, & immobilia in eadem Diœceſi conſiſtentia ea donatione, quę dicitur inter vivos, donavit, tradidit, & aſſignavit. Quare pro parte Fratrum, & incolarum, ac habitantium prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem Fratribus, fundandi, & ędificandi, ſeu fundari, conſtrui, & ędificari faciendi domum ipſam cum Eccleſia, campanili, campanis, dormitorio, clauſtro, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionem ipſam ubique propagari, & cultum divinum noſtris potiſſime temporibus augeri ſupremis affectibus deſideramus, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam tibi de donatione hujuſmodi legitime conſtiterit, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, eiſdem Fratribus unam domum cum Eccleſia, campanili, campanis, cęmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione perpetuis nonnullorum ipſius Ordinis Fratrum in dicto Burgo in loco inibi ad Facultas. hoc congruo, & honeſto, de novo erigendi, fundandi, & conſtruendi, illamque recipiendi, & in ea perpetuo permanendi, plenam & liberam licentiam auctoritate Apoſtolica largiaris, Nos enim, ſi erectionem, conſtructionem, & ędificationem hujuſmodi fieri contingat, ut pręfertur, Priori, & Fratribus in dicta conſtruenda domo pro tempore degentibus, quod ipſi omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indultis, & gratiis, aliis domibus pręfati Ordinis, aut eorum Prioribus, & Fratribus per Sedem Apoſtolicam, vel alias in genere quomodolibet conceſſis, uti valeant pariter, & gaudere, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium concedimus, & etiam indulgemus. Clauſula derogans. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi Prędeceſſoris noſtri, illa pręſertim, qua prohibetur, ne Fratres de quibuſvis Mendicantium Ordinibus in aliqua civitate, villa, terra, ſeu alio quocunque loco domum de novo recipere poſſint abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis quibuſcunque, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Octavo (3), pridie Nonas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Vallis Tarien.*) in Ducatu *Parmenſi.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XVII fol. XCIX.*

3. *Quadrageſimo Octavo.*) Stylo Bullarum, ęrę communis *MCCCCXLIX.*

F. Leo-

F. Leonardus (1) Abbas Monaſterii SS. Andreæ & Gregorii de Urbe renunciatur.

Anno 1449 Die 13 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXXIX.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Leonardo, alias Marcello, Abbati Monaſterii Sanctorum Andreę, & Gregorii de Urbe, Ordinis Sancti Benedicti, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

INter ſolicitudines varias, quibus aſſidue premimur, illa potiſſime pulſat, & excitat mentem noſtram, ut ſtatus Eccleſiarum, & Monaſteriorum omnium curę noſtrę divina providentia commiſſorum, ſpiritualiter, & temporaliter augeatur, quodque illis, quę ſuis deſtituta Paſtoribus vacationis incommoda deplorare noſcuntur, tales miniſtros pręficere ſtudeamus, per quorum regimen Eccleſię, & Monaſteria ipſa utiliter, & ſalubriter valeant gubernari. Dudum ſiquidem Monaſterio Sanctorum Andreę & Gregorii de Urbe Ordinis Sancti Benedicti, cui quondam Johannes illius Abbas, dum viveret, prędidebat, per obitum ejuſdem Johannis Abbatis, qui extra Romanam Curiam deceſſit, vacante, felicis recordationis Martinus Papa V, Predeceſſor noſter, Monaſterium ipſum ſic vacans bonę memorię Sagaci Epiſcopo Caven. per eum tenendum, regendum, & gubernandum auctoritate Apoſtolica commendavit. Cum autem commenda hujuſmodi per obitum ipſius Sagacis Epiſcopi, qui extra dictam Curiam debitum naturę perſolvit, expiraverit, dictumque monaſterium, ut premittitur, vacaverit, & vacet ad pręſens, Nos ad proviſionem ipſius Monaſterii celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, pro eo quod Nos nuper proviſiones Monaſteriorum omnium tunc vacantium, & in antea vacaturorum, ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę reſervavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari, ne dictum Monaſterium diuturnę vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam ſuper his cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prędicatorum, Ordinem ipſum expreſſe profeſſum, & in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem monaſterio de eorundem Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Abbatem, curam, regimen & adminiſtrationem ipſius Monaſterii tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo, qui dat gratias, & largitur pręmia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos pręfatum Monaſterium, per tuę induſtrię, & circumſpectionis ſtudium fructuoſum regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Quocirca diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum tibi a Domino onus regiminis pręfati monaſterii ſuſcipiens reverenter, ſic te in ejus cura ſalubriter exercenda diligentem exhibeas, & etiam ſtudioſum, quod dictum Monaſterium per diligentię tuę ſtudium, gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſum, tuque pręter ęternę retributionis pręmium noſtram, & dictę Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Octavo (3), Idibus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Diplomatis cauſa.

Abbas conſtitutus.

1. *Leonardus*.) Quod Ordinis Fratrum Prædicatorum fuerit iſte, ex ipſo Diplomate conſtat. Hæc igitur inſcriptionis verba: *Ordinis S. Benedicti*: referenda ſunt ad Monaſterium *SS. Andreæ & Gregorii*, non autem ad *F. Leonardum*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XVIII fol. 75*.

3. *Quadrageſimo Octavo*,) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCXLIX*.

Inſerit Diploma (1); quo Martinus V ex Conſtitutione Bonifatii IX Fratres Prædicatores Epiſcoporum juriſdictione, Decimis, Tributis &c. immunes eſſe declarat.

Anno 1449 Die 15 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XL.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Provinciali, & univerſis Conventualibus Prioribus, ac Fratribus Domorum, ſive Conventuum Ordinis Fratrum Prędicatorum Provincię Hiſpanię juxta morem dicti Ordinis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PRoviſionis noſtrę debet provenire ſubſidio, ut jus ſuum cuilibet conſervetur. Hinc eſt, quod Nos tenorem quarundam literarum felicis recordationis Martini Papę V, Prędeceſſoris noſtri, in Regeſtro ipſius Prędeceſſoris repertum, pro eo quod, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte veſtra, petitio continebat, licet ipſarum literarum tranſumpta in forma publica habeatis, tamen cum tranſumpta hujuſmodi pro veſtrorum jurium defenſione in judicio exhibetis, plerumque nonnulli judices, ſeu alię perſonę nimium curioſę pręfatis ſic exhibitis tranſumptis, quia illorum Originalia non exhibentur, fidem adhibere recuſant in non modicum veſtri prejudicium, atque damnum, de regeſtro pręfato de verbo ad verbum tranſcribi, & ad veſtrę petitionis inſtantiam pręſentibus annotari fecimus, qui talis eſt;

Diplomatis cauſa.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam Rei Memoriam. Ad ſummi Apoſtolatus apicem divina diſpoſitione vocati, dum pręclaram dilectorum filiorum Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorum Religionem, & merita intra noſtrę mentis recenſentes arcana, & ad commendabiles, quibus operoſis eorum miniſteriis erga Deum, & homines indeſinenter exuberant fructus, digne noſtros

Nota. diffundimus cogitatus, votis illis gratioſum libenter offerimus auditum, per quę ipſorum ſtatui, & indemnitatibus conſulitur, ut ea, quę pro illorum quiete, commodoque, & profectibus exquiſita comperimus, prędidio muniminis Apoſtolici jugiter invaleſcant. Dudum ſiquidem &c. (3). Ceterum ut earundem literarum tenor ſic inſertus omnimodam rei, ſeu facti, certitudinem faciat, auctoritate Apoſtolica decernimus, ut illud idem robur, eamque vim, eundemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem haberent originales literę ſupradictę, & eadem prorſus ipſi tenori fides adhibeatur quandocunque & ubicunque in judicio, vel alibi ubi fuerit exhibitus vel oſtenſus, & eidem ſtetur firmiter in omnibus, ſicut ipſis originalibus literis ſtaretur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę, per hoc autem nullum jus vobis de novo acquiri volumus, ſed antiquum, ſi quod habetis, tantummodo conſervari. Nulli ergo &c. noſtrę conſtitutionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Octavo (4), Idibus Martii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Diploma.*) *LXVI* nempe *Conſtitutionem Martini V*, quæ legitur *Tomo II pag.585*.

2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar, Authenticum unum *Lib. B. fol.*198. ex Authographo aſſervato in *Tudenſi* Cœnobio. Aliud ex *Archivo Apoſtolico Lib. XVIII fol.7*.

3. *Dudum ſiquidem &c.*) Ut in Diplomate mox laudato ad finem uſque.

4. *Quadrageſimo Octavo.*) Stylo Bullarum, æra communis *MCCCCXLIX*.

Anno 1449 Die 15 Martii.

Inſerit, & firmat Conſtitutiones quaſdam quibus errores Johannis de Poliaco damnantur (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLI.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Provinciali, & univerſis Conventualibus Prioribus, ac Fratribus domorum, ſeu Conventuum Ordinis Fratrum Prędicatorum Provincię Hiſpanię juxta morem dicti Ordinis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. PRoviſionis noſtrę debet provenire ſubſidio, ut jus ſuum cuilibet conſervetur. Hinc eſt, quod Nos tenorem quarundam literarum noſtrarum, in regeſtro noſtro repertum, pro eo quod, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, licet ipſarum literarum tranſumpta in forma publica habeatis, tamen, cum tranſumpta hujuſmodi pro veſtrorum jurium defenſione in judicio exhibetis, plerumque nonnulli judices, ſeu alię perſonę nimium curioſę, pręfatis ſic exhibitis tranſumptis, quia illorum Originalia non exhibentur, fidem exhibere recuſant, in non modicum veſtri prejudicium atque damnum, de regeſtro prędicto de verbo ad verbum tranſcribi, & ad veſtrę petitionis inſtantiam pręſentibus annotari fecimus, qui talis eſt. Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis, &

Diplomatis cauſa. ſingulis Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis electis, & Abbatibus ubilibet conſiſtentibus, ad quos pręſentes literę pervenerint, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Proviſionis noſtrę debet provenire ſubſidio &c. (3). Ceterum ut earundem literarum tenor prędictus ſic inſertus omnimodam rei, ſeu facti certitudinem faciat, auctoritate Apoſtolica decernimus, ut illud idem robur, eamque vim, eundemque vigorem, dictus tenor per omnia habeat, quę haberent originales literę ſupradictę, & eadem prorſus ipſi tenori fides adhibeatur quandocunque & ubicunque in judicio, vel alibi, ubi fuerit exhibitus, vel oſtenſus, & eidem ſtetur firmiter in omnibus, ſicut ipſis originalibus literis ſtaretur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Per hoc autem nullum jus vobis de novo acquiri volumus, ſed antiquum, ſi quod habeatis, tantummodo conſervari. Nulli ergo &c. Noſtrę conſtitutionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Octavo (4), Idibus Martii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Damnantur.*) Vide Notas ad *Conſtitutionem XXXI Johannis XXII*. Legitur *Tomo II pag.152*.

2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar, authenticum unum *Libro B. fol.*200 ex Autographo *Tudenſi*, aliud ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXI fol.27*.

3. *Subſidio &c.*) Ut in *Conſtitutione XXVI data XXIX Junii MCCCCXLVIII* ad finem uſque. Legitur *pag.256*.

4. *Quadrageſimo Octavo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCXLIX*.

Inſerit & firmat Mare magnum (1) Eugenii IV.

Anno 1449. Die 15 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Provinciali, & univerſis Conventualibus Prioribus, ac Fratribus domorum, ſeu Conventuum Ordinis Fratrum Prędicatorum Provincię Hiſpanię juxta morem dicti Ordinis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

PRoviſionis noſtrę debet provenire ſubſidio, ut jus ſuum cuilibet conſervetur. Hinc eſt, quod Nos tenorem quarundam literarum felicis recordationis Eugenii Papę IIII, Prędeceſſoris noſtri, in ipſius Regeſtro repertum, pro eo quod, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, licet ipſarum literarum tranſumpta in forma publica habeatis, tamen cum tranſumpta hujuſmodi pro veſtrorum jurium defenſione in judicio exhibetis, plerumque nonnulli judices, ſeu alię perſonę nimium curioſę pręfatis ſic exhibitis tranſumptis, quia illorum Originalia non exhibentur, fidem adhibere recuſant in non modicum veſtri prędjudicium, atque damnum, de regeſtro prędicto de verbo ad verbum tranſcribi, & ad veſtrę petitionis inſtantiam pręſentibus annotari fecimus, qui eſt talis. Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Romanus Pontifex, in quo poteſtas plenitudo conſiſtit &c.(3). Ceterum, ut earundem literarum Eugenii Prędeceſſoris tenor prędictus ſic inſertus omnimodam rei, ſeu facti, certitudinem faciat, dicta auctoritate Apoſtolica decernimus, ut illud idem robur, eamque vim, & eundem vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem haberent originales literę ſupradictę, & eadem prorſus ipſi tenori fides adhibeatur, quandocunque & ubicunque in judicio, vel alibi, ubi fuit exhibitus, vel oſtenſus, & eidem ſtetur firmiter in omnibus, ſicut ipſis originalibus literis ſtaretur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Per hoc autem nullum jus vobis de novo acquiri volumus, ſed antiquum, ſi quod habetis, tantummodo conſervari. Nulli ergo &c Noſtrę conſtitutionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Octavo (4), Idibus Martii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Diplomatis cauſa.

1. *Mare Magnum.*) *Conſtitutionem* ſcilicet *CCVII Eugenii IV.* Legitur *pag.* 117 hujuſce *Tomi III.*
2. *Archivo.*) In quo duplex exemplar, Authenticum unum *Libro B. fol.* 192 ex Autographo *Tudenſi*, aliud ex *Archivo Apoſtolico Libro X fol.* 51.
3. *Conſiſtit &c.*) Ut in *Conſtitutione CCVII Eugenii IV*, mox laudata, ad finem uſque.
4. *Quadrageſimo Octavo.*) Stylo Bullarum, ærę communis *MCCCCXLIX.*

Unit Monaſterium Beatæ Mariæ de Nazareth Conventui S. Apollinaris Papien. (1) Ordinis noſtri.

Anno 1449. Die 5 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLIII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Archidiacono Eccleſię Papien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrę Religionis ſub qua dilecti filii Prior, & Fratres domus Sancti Apollinaris extra muros Papien., Ordinis Fratrum Prędicatorum, devotum, & ſedulum exhibent Altiſſimo famulatum promeretur honeſtas, ut illa ſibi ſavorabiliter concedamus, per quę earum commoditatibus valeat ſalubriter provideri. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dictorum Prioris, & Fratrum, petitio continebat, quod olim dilecti filii Prior, & Fratres Sancti Thomę Papien. Ordinis prędicti de conſenſu Generalis totius Ordinis pręfati Monaſterium Monialium Beatę Marię de Nazareth Papien. Ordinis Sancti Auguſtini, quod ſub cura Fratrum domus Sancti Thomę hujuſmodi olim exiſtebat, & quod ipſi tunc ex conceſſione Apoſtolica de illo eis facta per antea obtinebant videlicet illius Eccleſiam, & infra ejus ſepta conſiſtentia Domus, hortos, & ędificia, Prioribus, & Fratribus pro tempore exiſtentibus Domus Sancti Apollinaris hujuſmodi, in qua regularis obſervantia vigebat, prout viget, ad hoc ut ipſi cum ſuis bonis mobilibus, guerrarum temporibus pro eorum ſecuritate ſe reducere, necnon plura commoda conſequi poſſent, perpetuo ac libere conceſſerunt, tradiderunt, atque donarunt, prout in quodam publico Inſtrumento, deſuper confecto, dicitur plenius contineri. Quare pro parte Prioris, & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſioni, donationi, & traditioni prędictis pro illarum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, aliaſque in prędmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, de prędmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam tibi, quod dicti Prior, & Fratres Domus Sancti Thomę Monaſterium Monialium prędictum, ex conceſſione Apoſtolica canonice obtinuerint, ac illud cum Eccleſia, Domo, horto, & ędificiis prędictis Priori, & Fratribus pro tempore exiſtentibus Domus Sancti Apollinaris hujuſmodi donaverint, conceſſerint, & tradiderint, ut prędfertur, legitime conſtiterit, donationem, conceſſionem, & traditionem eaſdem, ac, prout illas concernunt, omnia, & ſingula in dicto Inſtrumento contenta, & inde ſecuta quęcunque auctoritate noſtra approbes, & confirmes, ſuppleaſque omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Domus Monaſterii, & Ordinum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel

Supplex petitio.

Conceſſio.

Digitized by Google

vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & coſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Nono, Nonis Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Papien.*) In *Inſubria*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. II fol. 26.*

Anno 1449. Die 5 Julii.

F. Henricum Kaltiſen (1) Magiſtrum Sacri Palatii Apoſtolici Beneficio Eccleſiaſtico donat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLIV.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Magiſtro Henrico Kaltiſen, Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Theologię Profeſſori, familiari noſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

GRata familiaritatis obſequia, quę Nobis, & Apoſtolicę Sedi hactenus impendiſti, & adhuc ſolicitis ſtudiis impendere non deſiſtis, necnon Religionis zelus, literarum ſcientia, vitę ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus perſonam tuam tam familiari experientia, quam ex fide dignorum teſtimoniis juvari percepimus, Nos inducunt, ut ea tibi favorabiliter concedamus, quę tuis neceſſitatibus fore conſpicimus opportuna. Dudum ſiquidem omnes Prępoſituras Conventuales, tunc vacantes, & in antea vacaturas, collationi, & diſpoſitioni noſtrę reſervavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Cum itaque poſtmodum Prępoſitura Monaſterii Montis Sancti Johannis per Prępoſitum ſoliti gubernari extra Muros oppidi Sulden. (3) Maguntin. (4), & Herbipolen. (5) Dięceſum (6), Ordinis Sancti Benedicti, quę Dignitas Conventualis eſt, & quam quondam Hermannus de Buchenauwe ipſius Monaſterii Prępoſitus, dum viveret, obtinebat, per obitum ipſius Hermanni, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacaverit, & vacet ad pręſens, nulluſque de illa pręter Nos hac vice diſponere potuerit, ſive poſſit, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis; Nos, volentes tibi, qui etiam (7) Scholarum Palatii Apoſtolici Magiſter exiſtis, ut ſtatum tuum decentius tenere valeas, de alicujus ſubventionis auxilio providere, ac pręmiſſorum obſequiorum, & meritorum tuorum intuitu gratiam facere ſpecialem, motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate Prępoſituram prędictam, cui cura imminet animarum, & ad quam conſuevit quis per electionem aſſumi, cujuſque fructus, redditus, & proventus triginta Marcarum argenti ſecundum communem ęſtimationem valorem annuum, ut accepimus, non excedunt, ſive pręmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per liberam reſignationem dicti Hermanni, vel alterius de illa in dicta Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, aut per Conſtitutionem felicis recordationis Johannis Papę XXII Prędeceſſoris, quę incipit: Execrabilis (8): ſeu per aſſecutionem alterius, beneficii eccleſiaſtici incompatibilis, quavis auctoritate collati, vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad dictam Sedem legitime devoluta, ipſaque Prępoſitura Diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter, vel alias generaliter, reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis tibi pro te, quoad vixeris, una cum Parochiali Eccleſia in Weſlherch Leodien. (9) Dięceſis, & aliis quibuſcunque Beneficiis eccleſiaſticis quę ad pręſens in commendam obtines, & in poſterum obtinebis, tenendam, regendam, & etiam gubernandam, auctoritate Apoſtolica commendamus, decernentes, prout eſt, irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari, ita quod debitis ipſius Prępoſiturę, ac dilectorum filiorum Conventus ejuſdem Monaſterii ſupportatis oneribus, de reſiduis fructibus, redditibus, & proventibus pręfatę Prępoſiturę diſponere, & ordinare libere, & licite valeas, ſicuti veri illius Prępoſiti, qui fuerunt pro tempore, de illis diſponere, & ordinare potuerunt, ſeu etiam debuerunt, alienatione tantum quorumcunque bonorum immobilium pręfatę Prępoſiturę tibi penitus interdicta. Non obſtantibus pię memorię Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, necnon Monaſterii, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus, ſive commendis, ſibi faciendis de dignitatibus ipſius Monaſterii ſpeciales, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus generales, dictę Sedis, vel Legatorum ejus, literas impetrarint, etiam ſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quibus omnibus te in aſſecutione dictę Prępoſiturę volumus anteferri, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem dignitatum, aut beneficiorum aliorum pręjudicium generari, ſeu ſi venerabili Fratri Noſtro Archiepiſcopo Maguntin., & prędictis Conventui, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod ad receptionem, vel proviſionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli non poſſint, quodque de dignitatibus ejuſdem Monaſterii, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis, ad eorum collationem, proviſionem, pręſentationem, electionem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem conjunctim, vel ſeparatim ſpectantibus, nulli valeat provideri, per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictę Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali, cujuſcunque teno-

Indultum.

aenoris exiſtat, per quam prǽſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, effectus hujuſmodi commendę impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, cujuſque toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Nulli ergo &c. Noſtrę commendę, conſtitutionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Spoleti Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Nono, Tertio Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *F. Henricum Kaltiſen.*) Seu *Kalteyſen*, vel *Kaltyſen*, de quo in *Notis* ad *Conſtitutionem CCVIII. Eugenii IV.* Legitur *pag.* 122 hujus *III* Tomi.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XVI fol.* 18.

3. *Salden.*) *Fulden.*, uti mox dicetur.

4. *Maguntin.*) *Magontia.*, *Moguntia.*, & *Mocontia.*, Germanis *Maintz*, Italis *Magonza*, in *Germania*.

5. *Herbipolen.*) Incolis *Wurtzburg*, in *Germania*.

6. *Diœceſum.*) *Fuldenſis* Urbs *Germania* juris eſt Abbatis, qui Princeps eſt Imperii. Sita eſt inter Diœceſes *Maguntinam* & *Herbipolenſem*. Hinc utriuſque Diœceſeos dicitur. Celebris eſt Abbatia *Fuldenſis*, Ordinis *S. Benedicti*. Hac de re conſulendus *Chriſtophorus Brovver* in *Fulden. Antiquit.* Oppidum vero *Salden.*, nec in his partibus, nec alibi novi.

7. *Qui etiam.*) Utroque ſiquidem munere, Magiſtri ſcilicet Sacri Palatii, & Magiſtri Scholarum ejuſdem Palatii tunc fungebatur *Henricus* noſter.

8. *Execrabilis.*) Legitur inter *Extravagantes communes Lib. III Tit. II Cap. IV.*

9. *Leodien.*) Epiſcopatus iſte Tractus eſt *Germaniæ*, in *Belgio* inſertus.

Ut Fratres Prædicatores aliud a Cœnobio S. Anaſtaſiæ Veronæ (1) ponere poſſint.

Anno 1449 Die 18 Auguſti.

Ex Arch. (2) *Ord. Lib. B. fol.* 472.

XLV.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Suſcepti cura regiminis Apoſtolatus Nos continue vigilare compellit, ut perſonarum omnium, prǽſertim ſub regulari habitu altiſſimo famulantium, quantum cum Deo poſſumus, ſtatui conſulatur; & ut ea, quę Religionis propagationem, & divini cultus augmentum reſpiciunt, votivum ſortiantur effectum, libenter noſtrę ſolicitudinis partes interponimus. (Exordium.) Cum enim dilectus filius Generalis (3) Ordinis Prędicatorum, petente nobili viro Duce Venetiarum, & Civibus Veronen., ſtatuerit, & ordinaverit ponere in Conventu Sanctę Anaſtaſię in ipſa Civitate Veronen. Fratres de obſervantia dicti Ordinis, remotis Conventualibus, exceptis illis, qui in obſervantia vivere voluerint, ne Conventuales illi, qui in dicto Conventu fuerant, vagandi cauſam haberent, Nos de opportuno remedio providere volentes, dilectis filiis Provinciali Provincię S. Dominici, & Fratribus Conventualibus ejuſdem Ordinis, aut ab eo legitime deputandis perſonis idoneis, ſeu perſonę idonee, auctoritate Apoſtolica ut tam infra muros, quam extra, Civitatis Veronen. hujuſmodi aliam Domum, ſive locum, cujuſcunque magnitudinis, & ſitus cum Eccleſia, campanili, campanis, domibus, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, ac membris pro uſu, & habitatione perpetuis Fratrum Conventualium hujuſmodi prǽſentium, & futurorum recipere, & fundare, conſtrui, & ędificari facere ad ipſius Provincialis, & Fratrum, ſeu aliarum ſuper hoc ab eo deputandarum perſonarum hujuſmodi libitum voluntatis, libere, & licite valeant, tenore prǽſentium concedimus facultatem. (Diplomatis cauſa.) Et inſuper Provinciali, & Fratribus prǽfatis, ac eorum Priori, qui pro tempore in dicta recipienda, ſeu fundanda Domo reſidebunt, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, indultis, & gratiis aliis ejuſdem Ordinis Magiſtro Generali, Provincialibus, Prioribus, & Fratribus per Prędeceſſores noſtros Romanos Pontifices, ac Sedem Apoſtolicam, ſeu alias in genere, vel in ſpecie quomodolibet conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, & gaudere libere, & licite poſſint, ac valeant, auctoritate prǽfata ſimiliter concedimus per prǽſentes, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuſcunque alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri, (Facultas.) prohibentis, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua Civitate, Villa, Caſtro, vel alio quovis loco ad inhabitandum quęcunque Domos, vel loca, de novo recipere, vel eatenus recepta mutare prǽſumant abſque Sedis prędictę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis &c. Datum Fabriani, Camerinen. Diœceſis, Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Nono, Quinto Decimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Veronæ.*) In *Longobardia* Ditionis *Venetæ*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Veronenſi*.

3. *Generalis.*) *Bartholomæus Texerii*. Obiit hoc anno vir prǽſtantiſſimus: de quo ſæpius dictum fuit.

De

De reficiendo Papienſi (1) Cœnobio S. Thomæ.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Anno 1449 Die 20 Auguſti.

XLVI.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Archidiacono Majoris, & Sanctiſſimę Trinitatis, ac Sancti Innocentii Papien. Prępoſitis Eccleſiarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AD ea ex Apoſtolicę ſervitutis officio libenter intendimus, per quę ſtructura & ędificia Eccleſiarum ac Domorum Religioſorum, in quibus devotę ſolicitudinis ſtudio veneratur Altiſſimus, noſtrę proviſionis ope celeriter perficiantur. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Ludovici de Lira, Provincię Lombardię Provincialis, & Prioris, & Fratrum Domus S. Thomę Papien. Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, quod dudum felicis recordationis Eugenius P.P. Quartus Prędeceſſor noſter ad humilem ſupplicationis inſtantiam dilectorum filiorum Jo. de Monte Nigro (3) tunc ejuſdem Provincię Provincialis (4), ac Priorum & Fratrum domus ejuſdem per ſuas *literas* certo executori in eis deputato, dedit in mandatis, ut, ſi, & poſtquam ſibi de nonnullis per Jo. Provincialem, ac Priorem & Fratres Domus Papien. hujuſmodi ipſi Prędeceſſori expoſitis legitime conſtitiſſet, dignitatem Prioriſſalem in Monaſterio S. Marię de Nazareth etiam Papien., Ordinis Sancti Auguſtini penitus, & omnino ſupprimeret, ac illud cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis prędictę Domui uniret, & incorporaret, necnon de illius redditibus & proprietatibus, quemadmodum ſuę conſcientię viſum foret, provideret; & deinde prędictus executor ad earundem literarum executionem procedens, quia ſibi de narratis in literis hujuſmodi legitime conſtitit, dignitate ipſa in eodem Monaſterio per eum prius ſuppreſſa penitus & extincta, illud cum omnibus juribus & pertinentiis ſupradictis prędictę Domui perpetuo incorporavit, annexuit, & univit, ita tamen ut medietas reddituum & proprietatis hujuſmodi, qui ſeptuaginta florenorum auri de camera, ſecundum communem exiſtimationem, valorem annuum non excedunt, ad opus fabricę dictę Domus, & illius Eccleſię, alia vero medietas in ſuſtentationem Fratrum in dicta Domo pro tempore ſtudentium, certis modo, & forma ad eum adhibitis, prout in dictis literis, & proceſſu executoris hujuſmodi deſuper confecto, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Eccleſia ejuſdem Domus quaſi in centro civitatis Papien. exiſtens plurimis amplis & imperfectis ędificiis exuberet, & ad illam Fratrum inibi quotidie Miſſas, & alia Divina Officia celebrantium copioſus numerus, ac non mediocris populi multitudo confluat, ipſaque ad opus fabricę hujuſmodi aſſignata portio pro dictorum ędificiorum reparatione perficienda minime ſufficiat, pro parte Ludovici Provincialis, ac Prioris, & Fratrum hujuſmodi nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis prędictas Fratribus aſſignatas portiones vendendi, ac pretium inde proveniens in fabricam ipſam convertendi licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque de prędictis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum de prędictis omnibus, & ſingulis ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra vos diligenter informetis, &, ſi per informationem hujuſmodi de his, & aliis prędictis vobis legitime conſtiterit, Ludovico Provinciali, necnon Priori, & Fratribus prędictis pro tempore exiſtentibus medietatem pro ſuſtentatione Fratrum ſtudentium hujuſmodi, ut prędicitur, aſſignatam, cuicunque, ſeu quibuſcunque, perſonę, vel perſonis plus offerenti, ſeu offerentibus, vendendi, & alienandi plenam & liberam licentiam auctoritate noſtra concedatis, non obſtantibus prędictis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Domus, Monaſterii, & Ordinum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem quod pecunię ex dicta vendenda, ſeu alienanda portione tunc habitę vel receptę apud operarios ejuſdem fabricę abſque mora deponantur, & ad illius opus quam citius convertantur. Datum Fabriani Camerinen. Diœceſis Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Nono, Tertio Decimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Supplex petitio.

Mandatum.

1. *Papienſi*.) Conſulenda *Conſtitutio XLIII data V Aprilis MCCCCXLIX*.
2. *Archivo*.) In quo exemplar ex *Archivo Apoſtolico*.
3. *Jo. de Monte Nigro*.) Vide Notas ad *Conſtitutionem IX pag.* 243.
4. *Ejuſdem Provincia Provincialis*.) Hinc firmantur ea quæ in *Notis* mox laudatis dicta ſunt de *F. Johanne Provinciali Lombardiæ*, cujus ſæpius mentio in Actis Conciliorum *Baſileenſis*, *Ferrarienſis*, & *Florentini*.

Quic-

Quicquid pro Cœnobiis Reformatis conſtitutum fuit, ſervetur, mortuo licet (1) Generali Magiſtro totius Ordinis.

Anno 1449 Die 2 Septembris.

Ex Bullario Caſtellani Parte I pag. 10.

Dilectis filiis Vicariis Conventuum Ordinis Prędicatorum in regulari obſervantia per Italiam reformatorum.

XLVII.

NICOLAUS PP. V.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUoniam rumor increbuit, dilectum Filium Generalem (2) veſtri Ordinis defunctum eſſe, Nos, conſulentes paci, & quieti Conventuum Ordinis ejuſdem, & obviantes turbationi, & ſcandalis, quę forte propter ejus mortem oriri poſſent, volumus, & ſerie pręſentium declarmus. ut, aut nunc ſi Generalis mortuus eſt, aut quandocunque mori contigerit, quicquid poteſtatis, & juriſdictionis, & alia omnia quęcunque habetis, vel a Sede Apoſtolica, vel ab ipſo Generali, vigorem ſuum, veluti eo vivente habeant, & teneant, quouſque Generalis futurus creetur, & de officiis, aliiſque, quę habetis, ordinaverit, & diſpoſuerit. Non obſtantibus quibuſcunque in contrarium facientibus. Datum Fabriani (3), Camerinen. (4) Dięceſis, ſub annulo Piſcatoris die II Menſis Septembris (5), Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Mortuo licet.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Titulo IV.*
2. *Generalem.*) *Petrum Rochim.*
3. *Fabriani.*) In *Marchia Anconitana.* Nunc Epiſcopalis Sedes eſt Eccleſia *Fabrian.*
4. *Camerinen.*) Vulgo *Camerino*, ibidem.
5. *Septembris.*) Adde *MCCCCXLIX.*

Tergeſtenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1449 Die 9 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Elphinen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XLVIII.

Exordium.

TUnc injunctum Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officium effectui mancipamus optato, cum ad ea, per quę ſacra Religio ubilibet propagata, divinuſque cultus incrementum ſuſcipere valeat, favorem Apoſtolicum impertimur, necnon his, quę propterea proceſſiſſe comperimus, ut illibata perſiſtant, Apoſtolici mandamus adiici muniminis firmitatem, ſtatui perſonarum Religioni & cultui hujuſmodi deditarum, deſuper opportune providendo. Sane dilectorum filiorum Dernutii Micinaeltuly, & Tergalli Mictigernan., ac aliorum Fratrum Ordinis Prędicatorum, in Domo loci Trieſto nuncupatai, Elphinen. Dięceſis, commorantium, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ipſi a paucis temporibus citra, etiam nulla per eos a Sede Apoſtolica deſuper obtenta licentia, ad dictum locum per nonnullas beneſcientes, ad hujuſmodi Ordinem ſingularem devotionem gerentes perſonas, pia eis largitione donatum, & conceſſum, ſe tranſtulerunt, & locum eundem, confirmatione ordinaria eis ſuper hoc ſuffragante, receperunt, ac inibi Domum, & Ædificia de lignis pro habitatione ipſorum Fratrum conſtrui, & ędificari, ac Cęmeterium benedici, necnon corpora Mortuorum ſepeliri, & inhumari fecerunt, ac ex tunc in eadem Domo ſub regulari habitu, ac regularibus dicti Ordinis inſtitutis Altiſſimo famulando permanſerunt, prout etiam permanent ad pręſens. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Dernutius, Tergallus, & alii Fratres prędicti in pręfata Domo ſub habitu, & famulatu prędictis remanere deſiderent, & ſumme peroptent, Sedis prędictę licentia interveniente, pro parte ipſorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut donationi, conceſſioni, conſtructioni, & confirmationi hujuſmodi pro earum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, & alias ſuper his ſibi, & ſtatui ſuo, optime providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionem dicti Ordinis ſingulari devotione ubilibet propagari, ac divinum cultum adaugeri noſtris potiſſime temporibus, intenſis deſideriis affectamus, de pręmiſſis tamen certam notitiam non habentes, necnon Dernutium, Tergallum, & alios ſupradictos a quibusvis excommunicationum, ſuſpenſionum, aliiſque ſententiis, & cenſuris eccleſiaſticis, quas per Conſtitutiones Apoſtolicas, ac dicti Ordinis regularia inſtituta, vel alias quomodolibet pręmiſſorum occaſione incurriſſe noſcuntur, Apoſtolica auctoritate abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra, te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi, ita eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, donationem, conceſſionem, conſtructionem, & confirmationem prędictas, & quęcunque inde ſecuta, eadem Auctoritate noſtra approbes pariter, & confirmes, ſupplendo omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & nihilominus Dernutio, Tergallo, & aliis Fratribus prělibatis, ut in dicto loco, Domum, etiam de lapidibus, & aliis ſtructuris neceſſariis pro uſu, & habitatione ipſorum, & aliorum Fratrum dicti Ordinis una cum Eccleſia, campanili, refectorio, dormitorio, horto, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis erigendi, conſtruendi, & ędificandi, ſive erigi, conſtrui, & ędificari faciendi, necnon Dernutio, Tergallo, & prędictis, ac aliis dicti Ordinis Fra-

Supplex petitio.

Facultas.

Fratribus pręſentibus, & futuris, ad Domum pręfatam ſe transferendi, & eam inhabitandi, ac pro uſu, & habitatione huiuſmodi, quodque conventualiter Altiſſimo famulentur, ibidem recipiendi, acceptandi, & etiam retinendi, eadem auctoritate noſtra licentiam largiaris. Nos enim, ſi confirmationem, & approbationem, ac conceſſionem prędictas per te vigore pręſentium fieri contigerit, ut omnibus, & ſingulis, ac aliis prorſus ſimilibus privilegiis, indulgentiis, libertatibus, exemptionibus, & gratiis pręfato Ordini, ac illius Domibus, & perſonis per Sedem prędictam quomodolibet conceſſis, & in antea concedendis uti, & gaudere libere, & licite valeant, Auctoritate Apoſtolica, indulgemus. Non obſtantibus pręmiſſis, ac, tam felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi, Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua Civitate, villa, ſeu quovis alio loco ad habitandum quęcunque Domos, vel loca de novo recipere, ſeu eatenus recepta mutare pręſumant abſque Sedis ejuſdem licentia ſpeciali, faciente, plenam, & expreſſam de prohibitione bujuſmodi mentionem, quam aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, necnon dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, jure tamen Parochialis, & cujuslibet alterius Eccleſię in omnibus ſemper ſalvo. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Nono, Quinto Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Tergeſtenſis.*) Vulgo *Trieſte*, in *Iſtria*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. VI fol.* 15.

Anno 1449 Die 15 Decembris.

Argentienſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLIX.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Vicario in Spiritualibus Generali Venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi Neapolitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

PIis fidelium votis, illis pręſertim, quę divini cultus augmentum, & Religionis propagationem reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, favorem Apoſtolicum impartimur. Sane pro parte dilecti filii Nobilis Domini Marini Boſſo Domini terrę de Argentio Agathen. (3) Dięceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ipſe pia devotione ſuccenſus, cupiens in cęleſtibus theſaurizare, de bonis ſibi a Deo collatis unam domum pro uſu, & habitatione Fratrum Prędicatorum in territorio dictę terrę juxta Eccleſiam S. Marię Ajuto de Argentio dictę Dięceſis, quę ſine cura eſt, & in qua nullus reſidere conſuevit, & quę Menſę Epiſcopali Agathen. canonice eſt annexa, fundare, & conſtruere, ſeu fundari, & conſtrui facere deſiderat, ſi Apoſtolicę Sedis ei ſuper hoc ſuffragetur auctoritas. Quare pro parte dicti Marini Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ei dictam domum juxta pręfatam Eccleſiam cum campanili, campanis, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis fundari, & conſtrui faciendi, ac ipſis Fratribus illam una cum dicta Eccleſia, ac illi contiguo territorio pro hujuſmodi hortis, hortalitiis, necnon paramentis, & aliis Eccleſiaſticis ornamentis ad divinum cultum neceſſariis, in dicta Eccleſia exiſtentibus, recipiendi, & pro hujuſmodi eorum uſu, & habitatione perpetuo retinendi, reſervatis tamen pręfatę menſę omnibus, & ſingulis aliis poſſeſſionibus, & bonis dictę Eccleſię eorumque fructibus, redditibus, & proventibus, pręter territorium prędictum, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divinum cultum vigere, & augeri, intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, pręfatam Eccleſiam cum dicto territorio ſibi contiguo ab eadem menſa auctoritate noſtra ſepares, & ſegreges, ac unionem, annexionem, & incorporationem, de ipſa Eccleſia dictę menſę factas quoad Eccleſiam, & territorium hujuſmodi duntaxat diſſolvas, &, ſi ſeparationem, ſegregationem, & diſſolutionem hujuſmodi vigore pręſentium feceris, pręfato Marino domum ipſam cum campanili, campanis, domibus, hortis, hortalitiis, & officinis pro uſu & habitatione hujuſmodi fundari, & conſtrui faciendi, ac eiſdem Fratribus dictam domum cum Eccleſia, territorio, paramentis, & ornamentis prędictis ex tunc recipiendi, & perpetuo retinendi, ac illam in domum conventualem Ordinis Fratrum Prędicatorum erigendi, eadem Auctoritate, licentiam largiaris, jure Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius, in omnibus ſemper ſalvo. Volumus autem, quod dictus Marinus, prout ad id ſe ſponte obtulit, infra certum terminum, quem ſibi pręfixeris, congruam pręfatę menſę recompenſam facere teneatur. Non obſtantibus, tam felicis recordationis Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris Noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua civitate, caſtro, vel villa, loca de novo recipere, aut recepta mutare pręſumant abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, quam aliis &c. Nos enim dictis Fratribus, quos in ipſa Domo pro tempore morari contigerit, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, libertatibus, & immunitatibus pręfato Ordini, ac illius Domibus, & locis per Sedem Apoſtolicam generaliter conceſſis uti, & gaudere, libere, & licite valeant, tenore pręſentium, indulgemus. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Nono, Decimo Octavo Kalendas Januarii, Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Supplex petitio.

Facultas.

Clauſula derogans.

1. *Argentienſis.*) In *Regno Neapolitano*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum.
3. *Agathen.*) Vulgo *S. Agatha de' Goti*.

Fir-

Firmat ea quæ Peruſini (1) ſtatuerant ad Ædes ſacras Cœnobii FF. Prædicatorum ejuſdem Civitatis perficiendas.

Anno 1450 Die 10 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

L.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

EA, quę pro Eccleſiarum, & aliorum Eccleſiaſticorum locorum, ſecularium, & regularium quorumlibet fabrica, & utilitate provide proceſſiſſe comperimus, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolico munimine roboramus. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, quod dilecti filii Priores & Conſilium noſtrę Civitatis Peruſin. conſiderantes, quod quędam proviſio, ſtatutum, & ordinatio ab eis pro augmento, ſeu fabrica dictę domus, ſeu Eccleſię ejuſdem, & ut illa in eius etiam imperfectis ſtructuris, & ędificiis, etiam ad decorem prętatę Civitatis, ad ſui perfectionem commodius deduci poſſet, dudum edita atque facta, ac poſtea auctoritate Apoſtolica confirmata, in effectu continentia, quod de quibuſcunque exitibus pertinentibus, ſeu quę ex tunc in antea fieri deberent quibuſcunque, ac quibuſvis de cauſis, re, & facto per quoſcunque Magiſtratus, ſeu officiales Camerę Apoſtolicę Peruſin. tam civibus, & comitatinis, quam Forenſibus, etiam ſi noſtri, & Sanctę Romanę Eccleſię ſtipendiarii forent, vel alii tam ordinarie, quam extraordinarie, ſeu alias quovis modo fieri debuiſſent, perſonę pecunias ex exitibus hujuſmodi percipientes unum ſolidum monetę in dicta Civitate currentis pro quolibet floreno per quinquennium extunc computandum, illi, qui ad fabricam ipſam pro tempore deputatus exiſteret, perſolverent, ſeu relaxarent, ac etiam quia tempora quinquennii hujuſmodi abſque eo quod fabrica prędicta ad ſui perfectionem hujuſmodi deducta fuiſſet, ceſſaverant, & expiraverant, de novo in favorem fabricę, & pro commodiori illius perfectione hujuſmodi providerunt, ſtatuerunt, & ordinaverunt, & conceſſerunt in omnibus, & per omnia juxta formam ſuperius annotatam, ita quod hujuſmodi nova conceſſio, proviſio, ſtatutum, & ordinatio per biennium duntaxat in die Kalendarum Januarii ex tunc ſecuturi inchoandum durare, ac per Sedem Apoſtolicam approbari deberent, & ſucceſſive illa venerabilis Frater Noſter Bartholomęus (3) Archiepiſcopus Ravennas etiam tunc in prefata Civitate pro Nobis & dicta Romana Eccleſia in temporalibus Gubernator, auctoritate ſui officii hujuſmodi approbavit, & confirmavit, prout in Inſtrumento publico ſuper novis proviſione, ſtatuto, ordinatione, & conceſſione, necnon ipſius Archiepiſcopi authenticis literis ſuper ejus approbatione, & confirmatione prędictis confectis in Cancellaria Apoſtolica viſis, lectis, & diligenter inſpectis, plenius continetur. Quare pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſtatuto, proviſioni, ordinationi, & conceſſioni ultimo factis, necnon approbationi, & confirmationi eorum, ac omnibus & ſingulis in Inſtrumento, & literis prefatis contentis, & inde ſecutis, pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur geſta & conceſſa per Priores huiuſmodi tanquam pie, & miſericorditer emanata, condignis in Domino laudibus commendantes, proviſionem, ſtatutum, ordinationem, conceſſionem denuo factam, ac eorum approbationem, & confirmationem, necnon alia omnia, & ſingula in Inſtrumento, & literis contenta, indeque ſecuta hujuſmodi auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia approbamus, & confirmamus, necnon pręſentis ſcripti patrocinio communimus; ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus conſtitutionibus, ordinationibus Apoſtolicis, ac Civitatis, & camerę prefatarum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Noſtrę approbationis, & confirmationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Nono (4), Quarto Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Marginal notes: Exordium. — Supplex petitio. — Confirmatio.

1. *Peruſini.*) Conſulendæ notæ ad *Conſtitutionem CCLXXXIII Eugenii IV.* Legitur *pag.* 187 hujus *III Tomi*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXVII fol.* 15.
3. *Bartholomæus.*) Adeas *Ughellum* in *Archiep. Ravennaten.*
4. *Quadrageſimo Nono.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCL.*

Confirmat indulta (1) Monialibus Monaſterii Beatæ Mariæ Mediolanen. a Bonifatio IX conceſſa.

Anno 1450 Die 10 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LI.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii Sancti Ambroſii Mediolanen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ETſi quibuslibet perſonis, & locis religioſis ex injunctę Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio defenſionis munimine aſſiſtere teneamur, illis tamen ſpecialius, & efficacius adeſſe Nos convenit, quibus propter fęminei ſexus fragilitatem proprię defenſionis potentia minus ſuffragatur. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę & Conventus Monaſterii Beatę Marię Portę Ticinen. extra muros Mediolanen, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis Sancti Auguſtini, ſecun-

Marginal note: Exordium.

ſecundum inſtituta Ordinis Sancti Dominici viventium, petitio continebat, quod olim bonę memorię Bonifatio VIIII in ſua obedientia nuncupato, pro parte Priorisſę & Conventus Monaſterii hujuſmodi tunc exiſtentium expoſito, quod ipſę vehementer optabant, ut Prior, & Fratres domus Fratrum Ordinis Prędicatorum Mediolanen. eiſdem Priorisſę, & Conventui Miſſas celebrare, & eorum confeſſiones audire, necnon eccleſiaſtica Sacramenta eis miniſtrare, ac corpora decedentium ex eis tradere eccleſiaſticę ſepulturę, libere poſſent, prefatus Bonifatius VIIII dictarum Priorisſę & Conventus tunc exiſtentium in ea parte ſupplicationibus inclinatus, per ſuas certi tenoris literas, auctoritate Apoſtolica, eiſdem Priorisſę & Conventui conceſſit, ſtatuit, & ordinavit, quod Fratres ejuſdem domus in prefato Monaſterio Miſſas celebrare, Confeſſiones audire, & ipſi Priorisſę, & Conventui eccleſiaſtica ſcramenta miniſtrare, necnon decedentium in eis corpora tradere eccleſiaſticę ſepulturę libere & licite poſſent, & deberent, inhibendo Prępoſitis & Canonicis Eccleſię Sancti Laurentii Majoris Mediolanen., infra cujus Parochiam dictum Monaſterium ſitum exiſtit, ac eorum Vicariis, & Capellanis, ne de premiſſis ſe intromittere quoquo modo pręſumerent, ſed duntaxat de antiquo annuo cenſu, per Priorisſam, & Conventum hujuſmodi eis pręſtari ſolito, contenti eſſe deberent, ſive poſſent, & nihilominus eiſdem Priorisſę & Conventui, ut Prior, & Fratres prędicti eas tempore infirmitatis viſitare, ac ille ex eis, qui per prędictam Priorisſam eligeretur, & requireretur pro tempore, exequias Monialium dicti Monaſterii pro tempore decedentium, ac Miſſas annuales, ſeptimas, triceſimas, in eodem Monaſterio celebrare, ac etiam eiſdem Priorisſę & Conventui Verbum Dei intimare, quoties foret opportunum, & ſeculares perſonę quoties aliquid in dicto Monaſterio de novo recipi contingeret, infra ſepta dicti Monaſterii intrare, & infirmantes hujuſmodi viſitare & quod ipſa Priorisſa quaſcunque dicti Monaſterii Moniales pro utilitate Monaſterii, quoties ſibi placeret, deſtinare libere, & licite poſſet, & valeret, Diœceſani loci, & cujuſcunque alterius ſuper hoc licentia minime requiſita, gratioſe conceſſit, prout in eiſdem literis dicitur plenius contineri. Quare pro parte Priorisſę & Conventus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſioni, ſtatuto, ordinationi, ac aliis in prędictis literis contentis pro eorum ſubſiſtentia firmioris robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, aliaſque in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de premiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam de literis, conceſſione, ſtatuto, & ordinatione, ac aliis premiſſis tibi legitime conſtiterit, ſtatutum, conceſſionem, & ordinationem, ac omnia, & ſingula in dictis literis contenta, & inde ſecuta quęcunque auctoritate noſtra approbes, confirmes, ſuppleaſque omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem decernentes literas ipſas plenum firmitatis robur obtinere. Nonobſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſterii & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Nono (3), Quarto Idus Januarii Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Confirmatio.

1. *Indulta*,) Vide *Conſtitutiones CIV*, & *CV Bonifatii IX Tomo II pag.* 374 &c.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Arch. Apoſtol. Libro VI fol.* 51.

3. *Quadrageſimo Nono*.) Stylo Bullarum, æra communis MCCCCL.

Anno 1450 Die 9 Martii.

Inſtitutiones Vicariorum Generalium, Privilegia quibuſdam Fratribus conceſſa, ceteraque Conſtitutionibus Ordinis non conſona reſcindit (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

LII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium a laude Ordinis.

AD vitam laudabilem, ac diverſarum, pręſertim ſacrarum litterarum, ſcientiam admirabilem, necnon virtutes alias plurimas, ac opera fructuoſa, quibus Religioſi Ordinis Fratrum Prędicatorum, etiam ad laudem, & gloriam Divini nominis, fideique catholicę conſervationem, & augmentum, ac plurimorum fidelium animarum ſalutem, continuo pollere noſcuntur, noſtrę dirigentes conſiderationis intuitum, illa libenter eis concedimus, atque in eorum favorem, ſtatumque ſalubrem facimus, diſponimus, & ordinamus, per quę antiqua ipſius Ordinis conſuetudines, & regularia inſtituta, necnon Apoſtolica eidem Ordini conceſſa privilegia, ſublatis contrariis quibuslibet, inviolabiliter obſerventur, ipſique Religioſi inſtitutis, & conſuetudinibus ſupradictis ſe conformantes, ſua in pacis & quietis manſuetudine Altiſſimo vota reddere, ac fructus in Dei Eccleſia proferre valeant ampliores. Cum itaque, ſicut Nobis innotuit, plurima, & diverſa quorundam Summorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum, atque noſtra privilegia, litterę, & indulta, Vicariorum deputationes, ſeu inſtitutiones, ac illorum, necnon domorum multarum ejuſdem Ordinis, earumque pro tempore Fratrum exemptiones, ac alias diverſas conceſſiones, ordinationes, & inſtitutiones, earumque forſan confirmationes in ſe continentia, contra conſuetudines, & inſtituta Ordinis hujuſmodi, illiſque derogantia tam in genere quam in ſpecie, hactenus emanaſſe noſcantur, ex quibus Ordo prędictus pro magna parte, quaſi laceratus, ſeu diviſus appareat, ac plurima diſſenſiones, & ſcandala etiam in ipſius Ordinis vilipendium, prężudicium, atque damnum, necnon plurimorum pernicioſum exemplum olim ſubſecuta fuerint, & in dies ſubſequantur; Nos, premiſſa omnia ęque, debite, & paternaliter compenſantes, ac ſuper eis ſtatui, & indemnitati dicti Ordinis, quantum cum Deo poſſumus, ſalubriter providere volentes, motu proprio, non ad alicujus, ſeu aliquorum nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, auctoritate Apoſtolica, ex cer-

Diplomatis cauſa.

Abrogatio.

Digitized by Google

certa ſcientia, tenore pręſentium, omnes, & ſingulos Vicarios, etiam Generales, & Provinciales pręfati Ordinis, ubique exiſtentes, ad eorum Vicariatuum prędictorum officia per Sedis prędictę, ſeu noſtras litteras, aut earum vigore, ſeu alias quomodolibet contra Ordinis hujuſmodi conſuetudines, & ſtatuta hactenus deputatos, necnon ab ipſis inſtitutos Priores, & officiales, ab hujuſmodi Vicariatuum Prioratuum, & Officialium officiis omnibus, & ſingulis ex nunc realiter amovemus, & amotos eſſe cenſemus, eoſque, & Fratres domorum hujuſmodi ad Magiſtri Generalis, necnon aliorum ſuperiorum dicti Ordinis pręſentium, & futurorum, juxta eadem ſtatuta, & conſuetudines pro tempore electorum obedientiam, & ſubjectionem totaliter reducimus, ac etiam ſupradicta, necnon ſuper exemptionibus, aliiſque diverſis indultis, & gratiis per Nos, vel dictam Sedem, Vicariis, Prioribus, officialibus, & domibus, eorumque Fratribus pręfatis olim conceſſis, & in ipſorum favorem emanatis, ac pro illorum confirmationibus confecta privilegia, litteras, & indulta, inter quę quaſdam (3) noſtras, quoad domos, Monaſteria, & loca Provincię Aragonię juxta morem dicti Ordinis, eorumque Pręlatos, & Fratres ſub dato diei duodecimo Kalendas Septembris Pontificatus noſtri Anno Secundo emanatas litteras, cum ſtatutis, & ordinationibus, aliiſque contentis in eiſdem includantur, & comprehendantur, indeque ſecuta omnia, & ſingula, necnon etiam quaſcunque confirmationes Apoſtolicas ſuper quibuſvis per Generales, Vicarios, & Provinciales dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum quibuſcunque Fratribus ejuſdem Ordinis, tam graduatis, quam non graduatis, olim conceſſas, ac litteras deſuper confectas, revocamus, caſſamus, & annullamus, viribuſque evacuamus, ac pro nullis, & infectis haberi volumus, & mandamus; Et inſuper alios quoſcunque dicti Ordinis profeſſores, cujuſcunque gradus extiterint, tam in noſtros, & ipſius Sedis, quam Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Capellanos, etiam continuos commenſales, cum diverſis honoribus, exemptionibus, indultis, & gratiis vigore ſpecialium noſtrorum, ac pręfatę Sedis, necnon Cardinalium pręfatorum litterarum, & privilegiorum hactenus creatos, atque receptos qui extra Palatium Apoſtolicum, ac Domos eorundem Cardinalium vel alicujus eorum moram traxerint, ſeu trahant, etiamſi alias ſervitiis noſtris, ac dictę Sedis, vel ipſorum Cardinalium extra Palatium, ac Domos Cardinalium hujuſmodi inſiſterent, ac etiam tam illos ex profeſſoribus Ordinis hujuſmodi, qui ex ſpecialibus ejuſdem Sedis privilegiis abſque conſenſu dicti pro tempore Magiſtri emanatis, ſervitiis Parrochialium Eccleſiarum, ſeu aliorum quorumlibet eccleſiaſticorum locorum, in quibus titulum non habent, inſiſtere noſcuntur, quam alios omnes, & ſingulos qui vigore quarumvis litterarum, & privilegiorum Apoſtolicorum, de Ordine pręfato, ac illius habitu totaliter dimiſſo, ad Monaſteria, & loca Monaſticorum Ordinum ſe tranſtulerunt, & in eorum Monachos, habitum Monaſticum ſuſcipiendo, recepti fuerunt, quique in Monaſteriis ſive locis ipſis continuam non fecerunt, ſeu neque faciunt reſidentiam, ad ipſum Ordinem Fratrum Prędicatorum, ac illius domos, necnon obedientiam, & ſubjectionem Magiſtri Generalis, & aliorum ſuperiorum pro tempore exiſtentium Ordinis hujuſmodi auctoritate Apoſtolica, & ſcientia ſupradictis, etiam ex nunc totaliter reducimus, & etiam revocamus, ita quod ex nunc, ac antea tam noſtri quam ſupradicti Vicarii, Priores, officiales, & Fratres, Magiſtro, & ſuperioribus pro tempore pręfatis, eorumque monitis, & mandatis plenarie parere, intendere, & obedire, ac ſtatutis, & conſuetudinibus prędictis in omnibus ſe conformare, perpetuo teneantur; & debeant: diſtrictius inhibentes omnibus, & ſingulis Vicariis, Prioribus, officialibus, & Fratribus, privilegiis, litteris, & indultis Apoſtolicis utentibus, ſeu gaudentibus ſupradictis, ne de cetero ullo unquam tempore poſt pręſentium publicationem, directe, vel indirecte, publice, vel occulte, quovis quęſito colore, ſub excommunicationis pęna, quam ex nunc prout ex tunc in quoslibet ex eis contrafacientes harum ſerie promulgamus, dictis eis conceſſis Apoſtolicis litteris, privilegiis, & indultis, vel eorum aliquo uti, ſeu contra amotionem, caſſationem, revocationem, & alia per Nos hodie geſta pręmiſſa, vel eorum aliquod venire, facere, ſeu attemptare, aut alias abſque licentia ſpeciali Magiſtri pro tempore ſupradicti ſimilia, vel alia quęvis contra ſtatuta pręfata, privilegia, litteras, ſeu indulta a Nobis, vel Sede prędicta per ſe, vel alium, ſeu alios impetrare, aut eis alias forte concedendis uti audeant, vel pręſumant: decernentes ex nunc hujuſmodi per Nos, vel Sedem pręfatam forſan concedenda litterę, privilegia, & indulta, niſi in illis de dato, ac tenore pręſentium de verbo ad verbum mentio habeatur, nullius exiſtere roboris, vel momenti, ac etiam irritum, & inane, ſi ſecus ſuper hiis a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Pręterea omnia & ſingula, quę contra Capituli Generalis pręfati Ordinis ultimo celebrati, ac indicta ab eodem Capitulo deputatorum ſtatuta, ordinata, ſententiata, geſta, atque facta, per Nos, vel Sedem eandem conceſſa ſunt, auctoritate Apoſtolica, & ſcientia prędictis etiam revocamus, & annullamus, & nihilominus Magiſtro Generali pro tempore exiſtenti prędicto, ac illis, quos ipſe aut Capitulum Generale dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum pro tempore celebrandum, ad id duxerint eligendos, & eorum cuilibet contra Vicarios, Priores, & Fratres pręſentes, & futuros Ordinis Fratrum Prędicatorum hujuſmodi, qui de cetero contra pręſentium litterarum continentiam, atque tenorem, ſeu earum aliquam partem venire, facere, ſeu attemptare pręſumerent, alias juxta canonicas ſanctiones, ac pręfata inſtituta, procedendi, puniendi, incarcerandi, corrigendi, aliaque deſuper neceſſaria, & opportuna faciendi, & exequendi, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica ſupradicta per hujuſmodi pręſentes concedimus facultatem, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus privilegiis, litteris, indultis, & aliis contra ſtatuta, & conſuetudines hujuſmodi emanatis prędictis, etiamſi illa, quorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent, pręſentibus haberi volumus pro expreſſis, motu proprio, & ex certa ſcientia, & cum quibuſvis Ordini, ac ejus ſtatutis, & conſuetudinibus prędictis, necnon aliis derogatoriis clauſulis, ac irritantibus decretis emanaverint, necnon conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque: Aut ſi Vicariis, Prioribus, & aliis Fratribus ſupradictis ab eadem Sede indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem; contradictores

per

per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę amotionis, reductionis, revocationis, caſſationis, annullationis, evacuationis, conſtitutionis, promulgationis, conceſſionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Nono (4), Septimo Idus Martii, Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

X
X
X

Pe. de Noxeto

... Frocardus.

Duplicata

Ja. de Viterbio.

1. *Reſcindit.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur. Legitur apud *Ujusmarem pag.* 115.

3. *Quaſdam.*) *Conſtitutionem ſcilicet XXXI, datam XXI Auguſti MCCCCXLVIII.*

4. *Quadrageſimo Nono.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCL.*

Anno 1450 Die 13 Martii.

Monaſterii Corporis Chriſti Genuæ (1) fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LIII. Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii Sancti Andreę de Sexto, Januen. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. VOtis fidelium quorumlibet gratum Nos decet pręſtare aſſenſum, & ut ea, quę Religionis propagationem, & Eccleſiarum pręſertim Metropolitan., ac aliis pręſidentium, necnon Religioſarum perſonarum commoda reſpiciunt, optatum ſortiantur effectum, libenter partes noſtrę ſolicitudinis adhibemus. Sane pro parte venerabilis Fratris noſtri Jacobi (3) Archiepiſcopi Januen., & dilectarum in Chriſto filiarum Philippę de Auria, & Thomaſię de Gambacurtis, Monialium Monaſterii Sancti Dominici Piſan., ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ipſe Archiepiſcopus ad laudem divini nominis, & ob ſingularem, quam ad ipſum Ordinem gerit devotionem, Parochialem Eccleſiam Sancti Silveſtri (4) Januen., ac palatium ſibi contiguum ad ipſius menſam Archiepiſcopalem legitime ſpectans, ad hoc ut ibidem unum Monaſterium dicti Ordinis, ſub vocabulo Corporis Chriſti, pro uſu, & habitatione quarundam Monialium, ſub cura hujuſmodi, ac regulari obſervantia, vivere debentium, erigatur, concedere proponit, dummodo dictę Eccleſię fructus, & redditus poſt obitum Rectoris nunc exiſtentis ejuſdem Eccleſię dictę menſę perpetuo remaneant, ac Philippa, & Thomaſia prędictę pro Palatio, & Eccleſia hujuſmodi triginta, & unum loca in Compera (5) Sancti Georgii Januen. deſcripta, ac per eas, vel earum alteram, emenda pręfatę menſę, in recompenſam, prout ad id ſe obtulerunt, realiter aſſignaverint, & ad hoc Apoſtolicę Sedis ſuffragetur auctoritas. Quare pro parte Archiepiſcopi, ac Philippę, & Thomaſię prędictorum, aſſerentium, ex premiſſis ejuſdem menſę conditionem meliorem effici evidenter, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eidem Archiepiſcopo prędicta Eccleſiam, & Palatium eiſdem Philippę, & Thomaſię pro hujuſmodi uſu, & habitatione concedendi, licentiam elargiri, & alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de pręmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe, necnon conceſſionem ipſam, ſi fiat, in evidentem utilitatem dictę menſę cedere, & ad hoc dicti Rectoris aſſenſum accedere, repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, poſtquam Philippa, & Thomaſia prędictę ipſa loca eidem menſę aſſignaverint, ut prefertur, Archiepiſcopo, ut eis Eccleſiam, & Palatium, cum omnibus honoribus, oneribus, juribus, & pertinentiis ſuis, exceptis fructibus ipſis, concedere, ac Philippę, & Thomaſię prędictis, ut illa pro hujuſmodi uſu, & habitatione recipere, & ibidem dictum Monaſterium cum omnibus neceſſariis officinis erigere valeant, ita tamen quod fructus, & redditus prędicti poſt obitum Rectoris ejuſdem dictę menſę remaneant, eadem auctoritate licentiam largiaris. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac Eccleſię Januen., & Monaſterii Sancti Dominici, & Ordinis prędictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Nono (6), Tertio Idus Martii, Pontificatus noſtri anno Tertio.

Supplex petitio.

Facultas.

1. *Genua.*) In *Liguria.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex autographo aſſervato in *Januenſi* Cœnobio *de Caſtello*. Plumbum filis cannabinis appenditur.

3. *Jacobi.*) Adeas *Ughellum* in *Archiep. Januen.*

4. *S. Silveſtri.*) Hoc eodem nomine paſſim vocatur inſigne hoc Monaſterium *Corporis Chriſti*. Vide infra *Conſtit. XCI ejuſdem Nicolai V.*

5. *Compera.*) *Sic dicitur quaſi Communis pera.*

6. *Quadrageſimo nono.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCL.*

Ut

Digitized by Google

Ut F. Chriſtophorus de Corbera ſe, ſuaque devoveat hoſpitio Pauperum Placentin. (1)

Anno 1450 Die 28 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LIV.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Dilecto filio Chriſtophoro de Corbera Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

MEritis tuę devotionis inducimur, ut votis tuis, illis pręſertim, quę animarum ſalutem ac erga pauperes, & miſerabiles perſonas pietatis opera reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte tua, petitio continebat, tu qui, ut aſſeris, Ordinem Fratrum Prędicatorum expreſſe profeſſus exiſtis, zelo devotionis accenſus, ac miſericordię opera amplecti deſiderans, de licentia dilecti filii moderni Provincialis Provincię Lombardię juxta morem dicti Ordinis ad ſervitia pauperum, & infirmorum in hoſpitali Pauperum S. Lazari extra muros Placentin. degentium, qui ultra centum & ſeptuaginta numero ad pręſens exiſtunt, tam animarum, quam corporum eorundem ſaluti conſulere ſatagens, cum aliquo tenui ſalario, ſeu proviſione, pro tuis victu, & veſtitu, te perſonaliter dedicaveris, atque obtuleris, ac ſervitiis hujuſmodi continue die noctuque inſiſtas in grande pauperum & infirmorum eorum ſuffragium, & refugium; ac ex magno devotionis fervore ſervitiis pręfatorum, ac pro tempore in eodem hoſpitali exiſtentium pauperum, & infirmorum perpetuo intendere, omniaque & etiam ſingula mobilia bona per te forſan ex ſalario ſeu proviſione hujuſmodi, aut alias quomodolibet licite, acquiſita, ſi quę tempore obitus tui tibi ſuperfuerint, hoſpitali, aut pauperibus hujuſmodi donare, concedere, ac aſſignare proponas pariter & affectes, pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſuper egenos & pauperes libenter intendimus, tam pium tuum propoſitum plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi, ut in dicto hoſpitali ad ſervitia pauperum, & infirmorum in illo ad pręſens, & pro tempore degentium perpetuo remanere, necnon omnia, & ſingula bona hujuſmodi eidem hoſpitali donare, concedere, & aſſignare, cujuſvis licentia ſuper his minime requiſita, libere, & licite valeas, quodque a ſervitiis hujuſmodi, quoad vixeris, a quoquam invitus revocari, ſeu amoveri nequeas, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, de ſpeciali gratia indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis ac dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Noſtrę conceſſionis infringere. Si quis autem &c. Datum Laterani Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo, quinto Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Exordium.

Diplomatis cauſa.

Facultas.

1. *Placentin.*) In ejuſdem nominis Ducatu *Italia*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XVI fol.* 122.

Cœnobii S. Juliani de Monte (1) fundandi facultas.

Anno 1450 Die 21 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LV.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Aſturicen. (3) Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CIrcumſpecta Sedis Apoſtolicę benignitas &c. (4) Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Conventus Monaſterii S. Juliani de Monte Ordinis Fratrum Prędicatorum, Legionen. Diœceſis, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias dilecti filii Decanus, & Capitulum Eccleſię Legionen. Monaſterium prędictum, tunc domum, ſive Eremitorium dicti Sancti, ac quandam vineam cum nonnullis decimis, & pertinentiis, aliiſque juribus, & pertinentiis, tunc expreſſis, Fratribus tertii Ordinis S. Franciſci in domo, ſive Eremitorio hujuſmodi pro tempore commorantibus, perpetuo libere donarunt, & aſſignarunt, quodque poſtmodum nonnulli ex Fratribus Tertii Ordinis hujuſmodi, poſtquam ipſi domus, vineę, decimarum, juriumque, & pertinentiarum eorundem poſſeſſionem adepti fuerant, illaſque per longa tempora pacifice & quiete poſſederant, in ipſa domo ſecundum inſtituta regularia Ordinis Fratrum Minorum Altiſſimo vota ſua perſolventes, cupientes, diſponenteſque vitam eorum in melius commutare, ſana & matura inter ſe pręhabita deliberatione, habitum Fratrum Prędicatorum hujuſmodi aſſumpſerunt, ſub quo in domo prędicta ſub denominatione nominis Monaſterii ſecundum Inſtituta regularia Ordinis dictorum Fratrum Prędicatorum hactenus laudabiliter vixerunt, prout degunt ad pręſens. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, venerabilis Frater noſter Epiſcopus Legionen., necnon Decanus, & Capitulum prędicti, ne Priorem, & Fratres Monaſterii prędictos ſuper donatione, & aſſignatione, ac aliis pręmiſſis ſucceſſu temporis moleſtari, & inquietari contingeret, eis Monaſterium tunc domum, vineam, decimas, primitias, jura, & pertinentias ſupradicta in omnibus, & per omnia denuo conceſſerunt, donarunt pariter, & aſſignarunt, prout in Inſtrumentis publicis, inde confectis dicitur plenius contineri, pro parte Prioris & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſioni, donationi, & aſſignationi pręfatis necnon translationi de Ordine Fratrum Minorum ad Ordinem Fratrum Prędicatorum hujuſmodi per eoſdem Priorem, & Fratres, ut pręmittitur, factę pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adjicere de be-

Supplex petitio.

Facultas.

benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de pręmiſſis certam ootitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper pręmiſſis, & enrum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per eandem informationem ita eſſe repereris, conceſſionem, donationem, & aſſignationem, necnon translationem pręſatas, & ea, quę circa illa, ac habitus aſſumptionem hujuſmodi per ipſos Priorem, & Fratres facta fuere, omnia, & ſingula in dictis Inſtrumentis contenta, ac quęcunque inde ſecuta eadem auctoritate approbes, & confirmes, ſupplendo omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii, & Ordinum prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo, Undecimo Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *S. Juliani de Monte.*) In *Hiſpania Tarraconenſ.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXI fol.* 12.
3. *Aſturicen.*) Vulgo *Aſtorga*, in *Hiſpania Tarraconenſ.*
4. *Benignitas &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Anno 1450 Die 7 Maii.

Moniales Monaſterii Phortzemenſis (1) quibuſdam Beneficiis donat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LVI.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii in Mulbrun., Spiren. (3) Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. AD ea ex injuncto Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio libenter intendimus, per quę domus, & alia regularia loca quęlibet incommodis ſubacta, in illiſque jugi ſanctimonię & caſtitati dedirę, perſonę ipſę ad ſtatum proſperum redigantur, & in eorum neceſſitatibus opportunę ſubventionis auxilio releventur, ut exinde perſonę ipſę devotionis & attentioris ſolicitudinis ſtudio inibi divini cultus jugiter vacare valeant incremento. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Domus B. Marię in Phorchen., (4) Spiren. Dięceſis ſub cura Fratrū Ordinis Fratrum Prędicatorum degentium, petitio continebat, quod licet dicta domus noviter per dilectum filium nobilem virum Jacobum Marchionem Badem (5) adeo & totaliter fuerit reformata, quod ipſę inibi ſub arcta clauſura, & regulari obſervantia Altiſſimo famulentur, nihilominus quia domus ipſa in ſuis fructibus, redditibus, & proventibus taliter diminuta exiſtit, quod ex illis commode ſuſtentari, nec Fratres idoneos, qui earum confeſſiones pro tempore audiant, & Eccleſiaſtica Sacramenta eis miniſtrent, apud ſe tenere minime poſſunt, propter quorum carentiam regularis obſervantia

Supplex petitio. hujuſmodi per eaſdem minime manuteri poteſt, quodque ſi duę perpetuę Capellanię ſine cura ad altare S. Laurentii ſitum in Eccleſia dictę domus per ceſſum vel deceſſum illas ad pręſens obtinentium, ſeu alias quomodolibet dimittentium pręfatę domui perpetuo unirentur, annecterentur, & incorporarentur, ex tunc Prioriſſa, & Conventus dictę domus nunc & pro tempore exiſtentes, commodius ſuſtentari, & incumbentia ſibi onera ſupportare, Confeſſores quoque pręfatos eo melius apud ſe tenere poſſent. Quare pro parte Prioriſſę, & Conventus prędictarum, aſſerentium in dicta domo quinquaginta perſonas fęminei ſexus, vel circa, pręter illius familiares, exiſtere, collationem quoque, proviſionem, pręſentationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem dictarum Capellaniarum ad Prioriſſam, & Conventum dictę domus pro tempore ſpectare, quodque domus triginta, & cujuslibet capellaniarum prędictarum trium marcarum argenti fructus, redditus, & proventus ſecundum communem exiſtimationem, valorem annuum non excedunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Capellanias prędictas cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem domui perpetuo incorporare, annectere, & unire de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de pręmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de omnibus, & ſingulis expoſitis ſupradictis, & eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes & ſi per informationem hujuſmodi ea repereris veritate fulciri, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Capellanias prędictas cum omnibus juribus, & pertinentiis antedictis pręfatę domui auctoritate pręfata perpetuo incorpores, unias, & annectas, ita quod ex tunc, decedente, vel decedentibus dicti Altaris Capellano, ſeu Capellanis ſimiliter, vel ſucceſſive, aut illam, vel illas alias quomodolibet dimittente, ſeu dimittentibus, liceat Prioriſſę pro tempore exiſtenti, & Conventui pręfatis per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem Capellanię, ſeu Capellaniarum, juriumque, & pertinentiarum prędictorum poſſeſſionem auctoritate propria libere apprehendere, & perpetuo retinere, ac illorum fructus, redditus, & proventus in ſuos & dictę domus uſus convertere, Dięceſani loci, & cujuſcunque alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac domus, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis, in illis partibus ſpeciales, vel generales, Apoſtolicę Sedis, vel Legatorum ejus, literas impetrarint, etiam ſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitus per eaſdem ac quęcunque inde ſecuta ad dictas Capellanias volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum pręjudicium generari; Proviſo quod Capellanię ſupradictę debitis propterea non fraudentur obſequiis, ſed congrue eorum onera juxta illarum fundationem ſupportentur conſueta. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quo-

a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo, Nonis Maii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Phortzemen.*) Vulgo *Phortzhaim*, in *Badenſi* Marchionatu *Germaniæ*, ad *Entium* fluvium.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtol. Lib. XVI fol.* 18.
3. *Spiren.*) Vulgo *Speyr*, in *Germania*.
4. *Phorchen.*) Seu *Phortzemen*. Ut enim notat *Baudrand*, *Phortzemum* a nonnullis *Phorca* vocatur.
5. *Badem.*) *Baden.*, celebris eſt & antiquiſſima familia *Germaniæ*, quæ nunc etiam floret.

Cœnobii Squillacen. (1) fundandi facultas.

Anno 1450 Die 21 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii S. Leooardi Catacen. (3) Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. LVII.

Soler Sedis Apoſtolicę clementia &c. (4). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus S. Johannis Squillacen., Ordinis Fratrum Prędicatorum petitio continebat, quod olim poſtquam dilecti filii commune & Cives Squillacen. ob ſingularem devotionem, quam ad dictum Ordinem gerebant, prout de pręſenti gerunt, Eccleſiam Sancti Johannis Squillacen. Fratribus ejuſdem Ordinis pro eorum uſu, & habitatione perpetuis de conſenſu, & voluntate bonę memorię Franciſci (5) Epiſcopi Squillacen., ac dilecti filii nobilis viri Johannis Antonii Ducis Sueſſan. Domini temporalis dictę Civitatis, donarunt, dicta Eccleſia in Domum Fratrum Prędicatorum erecta, & per Priorem, ac quoſdam dicti Ordinis Fratres recepta, ac viginti annis, & ultra tenta, poſſeſſa, & gubernata extitit, prout etiam de pręſenti tenetur, & gubernatur, licet de facto. Cum autem, ſicut eadem petitio, ſubjungebat, a nonnullis aſſeritur, Domum ipſam olim hoſpitale pauperum fuiſſe, illamque de licentia Sedis Apoſtolicę ſive ordinaria auctoritate in domum dicti Ordinis erectam fuiſſe, pro parte Prioris, & Conventus prędictorum, aſſerentium, fructus, redditus, & proventus dictę Eccleſię decem florenorum auri de camera ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedere, & quod ipſi quoddam hoſpitale pauperum prope Domum pręfatam pro pauperibus recipiendis conſtrui facere inceperunt, illudque perficere proponunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pro ipſorum ſecuritate, ad hoc quod in eadem domo cum animorum ſuorum quiete, & ſana conſcientia Altiſſimo famulari valeant, ipſos, & ipſorum quemlibet ab excommunicationis ſententia, ſi quam pręmiſſorum occaſione incurrerint, abſolvere, ac ſuper irregularitate, ſi quam forſan Miſſas, & alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando, vel illis ſe immiſcendo, contraxerint, diſpenſare, omnemque inhabilitatis, & infamię maculam abolere ab eis, quodque Prior, & Fratres prędicti domum ipſam cum Eccleſia, ac omnibus bonis, fructibus, & redditibus, ac proventibus, juribus, & pertinentiis ſuis retinere, & in ea conventualiter permanere, eiſque quod alias ſuper his opportune conſulere, & providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, volentes Priorem & Fratres prędictos pręmiſſorum intuitu favore proſequi gratioſo hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Priorem, & Fratres prędictos, ſi hoc humiliter petierint, ab hujuſmodi excommunicationis ſententia, ſi quam pręmiſſorum occaſione quomodolibet incurrerint, auctoritate noſtra hac vice duntaxat abſolvas in forma Eccleſię conſueta, injunctis inde ſibi pro modo culpę pęnitentia ſalutari, & aliis, quę de jure fuerint injungenda, ac cum eis ſuper irregularitate quam forſan eadem ſententia ligati, non tamen in contemptum clavium, celebrando, vel immiſcendo ſe illis, contraxerint, ipſis tamen prius ad tempus, de quo tibi videbitur, a ſuorum Ordinum executione ſuſpenſis, eadem auctoritate diſpenſes, aboleaſque omnem inhabilitatis, & infamię maculam per eos forſan pręmiſſorum occaſione contractam; & nihilominus poſtquam abſolutionem, ſuſpenſionem, & diſpenſationem prędictas feceris, ut pręfertur, eis, ut domum prędictam cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis pro uſu, & habitatione pręfatis de novo recipere, & perpetuo retinere, in illaque remanere, ut inibi Altiſſimo famulari poſſint, felicis recordationis Bonifatii Papę VIII, & Clementis VI, Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum, quibus cavetur, ne Mendicantes in Civitate, caſtro, vel villa &c. necnon aliis Apoſtolicis conſtitutionibus &c. quibuſcunque, & inſuper quod ſi te pręmiſſa facere contigerit eiſdem Priori, & Fratribus qui in eadem domo pro tempore reſidebunt, quod omnibus privilegiis, indulgentiis &c. jure tamen Parochialis Eccleſię &c. Datum Romę apud Sactum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo, Duodecimo Kalend. Junii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Diplomatis cauſa.

Facultas.

1. *Squillacen.*) Seu *Scyllacen*, vulgo *Sciglio*, & *Squillace*, in *Calabria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CV fol.* 17.
3. *Catacen.*) Vulgo *Catanzaro*, in *Calabria*.
4. *Clementia &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
5. *Franciſci.*) Adeas *Ughellum* in *Epiſcop. Catacen.*

Anno 1450 Die 9 Junii.

Ut F. Thomas (1) Simeonis de Caphaſta mittatur in poſſeſſionem quorundam Beneficiorum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LVIII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Tanen. (3), & Salmaſtren. (4), ac Soldaien. (5) Epiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa. HUmilibus ſupplicum votis &c. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Thomę Simeonis de Caphaſta, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, petitio continebat, quod licet dudum per felicis recordationis Eugenium PP. IIII Prędeceſſorem noſtrum accepto, quod Parochialis Sancti Michaelis, & ſine cura S. Laurentii, Caphen. Eccleſię, quas quondam Antonius de Roncho ipſarum eccleſiarum Rector, dum viveret obtinebat, per obitum ejuſdem Antonii, qui extra Romanam Curiam &c. vacaviſſent, & vacarent tunc, idem Prędeceſſor Eccleſias prędictas, ſive, ut pręmittitur, ſive alias quovis modo vacarent, dicto Thomę per eum, quoad viveret, tenendas, regendas, & gubernandas, ſub certis modo & forma per ſuas literas commendari gratioſe mandaverit, volens inter cetera, quod ipſe Thomas ſub Vicarii Generalis pręfati Ordinis obedientia permanere teneretur, ipſeque Thomas dictas Eccleſias earundem literarum vigore ſibi commendatas hujuſmodi commendę obtentu canonice aſſecutus fuerit, ac illas ex tunc tenuerit, & poſſederit, tamen Venerabilis Frater noſter Jacobus Epiſcopus Caphen. (6), neſcitur quo ſpiritu ductus, ipſum Thomam prędatis eccleſiis, earumque fructibus, redditibus, proventibus, juribus, ac libris etiam, aliiſque bonis mobilibus per ipſum Thomam legitime acquiſitis de facto temeritate propria ſpoliare pręſumpſit, in animę ſuę periculum, & ipſius Thomę pręjudicium non modicum atque damnum. Quare pro parte ejuſdem Thomę, aſſerentis quod tempore reductionis dilectorum filiorum Armeniorum ad fidem catholicam illorum interpres extitit, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur, attendentes quod ſpoliato injuſte ex reſtitutionis beneficio ſuccurrendum, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati Fraternitati veſtrę &c. mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, vocatis dicto Epiſcopo, & aliis, qui fuerint evocandi, ac conſtito vobis ſummarie de pręmiſſis, & eodem Thoma, ſicut juſtum fuerit, reſtituto, audiatis cauſam, & fine debito decidatis, facientes quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore &c. non obſtantibus pię memorię Bonifatii PP. VIII, etiam Prędeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, vel Diœceſim niſi in certis exceptis caſibus &c. Seu ne Judices a Sede Apoſtolica deputati extra ſuam Civitatem &c. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus &c. quibuſcunque, aut ſi Epiſcopo pręfato, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo, Quinto Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Nota.

Mandatum.

1. *Thomas.*) *Armenorum* interpres in *Florentino* Concilio, ut ex ipſo Diplomate liquet.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*.
3. *Tanen.*) Seu *Tanaenſis*, incolis *Azak*, Italis *La Tana*, in *Tartaria Precopenſi*, juxta *Tanaim* fluvium.
4. *Salmaſtren.*) *Samaſtren.*, rectius *Famaſtren.*, vulgo *Samaſtro*, & *Famaſtro*. Urbs eſt *Paphlagoniæ*, in ora maris *Euxini*. Dicitur etiam *Amaſtren.*
5. *Soldaien.*) Aliis *Soldadien.*, indigenis *Sultardarai*, in *Taurica Cherſoneſo*.
6. *Caphen.*) In *Taurica Cherſoneſo*.

Anno 1450 Die 1 Auguſti.

Ne, mortuo Generali Magiſtro totius Ordinis, ejuſdem Generalis Vicarii ab officio abeant (1).

Ex Bullario Caſtellani Parte I pag. 10.

LIX.

Dilectis filiis Vicariis Conventuum Ordinis Prędicatorum in regulari obſervantia per Italiam Reformatorum.

NICOLAUS PP. V.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD aures noſtras pervenit, dilectum Filium Fratrem Petrum Rochini (2) veſtri Ordinis Generalem nuper diem ſuum extremum clauſiſſe (3). Quare volentes paci, & Conventuum quieti ejuſdem Ordinis conſulere, ac turbationi, & ſcandalis, quę forte propter ejus mortem oriri poſſent, obviare volumus, & harum ſerie declaramus, ut nunc, ſi Generalis ipſe mortuus eſt, aut quandocunque eum mori contigerit, quicquid poteſtatis, juriſdictionis, necnon cetera omnia, quęcunque habetis, a Sede Apoſtolica, vel ab ipſo Generali, vigorem ſuum, veluti eo vivente, habeant, & teneant, quouſque futurus Generalis creetur, & ipſe de officiis, ac aliis omnibus, quę habetis, ordinaverit, & dif-

diſpoſuerit. In contrarium facientibus quibuſcunque non obſtantibus. Datum Fabriani Camerinenſis Dięceſis ſub Annulo Piſcatoris Kal. Auguſti (4) Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Abeant.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Petrum Rochini.*) *Petrum Rochim*, natione *Gallum*. Provinciæ *Provinciæ* præerat cum Generalis Magiſter renunciatus fuit anno *MCCCCL.*
3. *Clauſiſſe.*) Eodem anno quo creatus eſt Generalis Magiſter, intra primum ab electione menſem, mortuus eſt.
4. *Auguſti.*) Addendum: *MCCCCL.*

Ut Vicarii Generales Cœnobiorum Reformatorum ab Officio removeri (1) poſſint.

Anno 1450 Die 1 Auguſti.

Ex Bullario Caſtellani Parte I pag. 10.

Dilecto filio Vicario Generali totius Ordinis Prędicatorum.

NICOLAUS PP. V.

LX.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Scribimus (2) Vicariis Conventuum tui Ordinis per Italiam reformatorum, quod, ſi Magiſter Generalis (3) Ordinis ipſius mortuus eſt, quemadmodum Nobis nuper extitit ſignificatum, aut eum mori contigerit, quicquid Officiorum, poteſtatis, ac juriſdictionis a Sede Apoſtolica, vel ab ipſo Magiſtro, quovis modo illis conceſſum fuit, vigorem ſuum, veluti ſi ipſe Magiſter viveret, obtineat, quouſque Magiſter Generalis, creabitur, qui de Officiis ipſis, & ceteris omnibus aliter diſponere, & ordinare valebit. Verum quia poſſent quidam Vicarii reperiri, qui mentibus Fratrum Conventuum prędictorum non bene ſatisfacerent, volumus, & ſerie prẹſentium tibi concedimus, quod ipſos Vicarios, aut eorum aliquos, uti dictis Fratribus Conventuum Reformatorum videbitur, & placuerit, modo ad hoc concordes fuerint, deſtituere, & loco illorum novos Vicarios inſtituere poſſis, & valeas, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Fabriani Camerinenſis Diẹceſis ſub annulo Piſcatoris Kal. Auguſti (4), Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Removeri.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Scribimus.*) Ut in præcedenti Diplomate.
3. *Generalis.*) *Petrus Rochim*. Vicarius autem Generalis cui inſcribitur Diploma, erat *F. Guido Flamochetti*, de quo poſtea dicetur.
4. *Auguſti.*) Addendum: *MCCCCL.*

Contra detentores bonorum Ordinis Prædicatorum.

Anno 1450 Die 13 Septembris.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo Imolen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LXI.

Significarunt Nobis dilecti filii Procurator Generalis, & Fratres Provincię Sancti Dominici Ordinis Prędicatorum, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorſus ignorant, decimas, cenſus, fructus, redditus, proventus, jura, juriſdictiones, poſſeſſiones, terras, vineas, prata, paſcua, nemora, ſilvas, molendina, piſcarias, equos, jumenta, boves, vaccas, porcos, oves, aſinos, gallinas, Cappones, localia, vaſa aurea, argentea, ęrea, cuprea, ſtannea, lignea, trabes, poſtes, libros, Calices, Cruces Sanctorum Reliquias, ornamenta eccleſiaſtica, pannos laneos, lineos, linteamina, domorum utenſilia, auri, argenti monetati, & non monetati quantitates, debita, legata, pecuniarum ſummas, & nonnulla alia mobilia, & immobilia bona ipſis Fratribus in eleemoſynam erogata, temere, & malitioſe occultare, & occulte detinere pręſumunt, non curantes ea pręfatis Fratribus exhibere, in animarum ſuarum periculum, ipſorumque Fratrum non modicum detrimentum, ſuper quibus iidem Fratres Apoſtolicę Sedis remedium implorarunt. Quocirca Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus omnes hujuſmodi occultos debitores decimarum, cenſuum, fructuum, reddituum, proventuum, & aliorum bonorum prędictorum ex parte noſtra publice in Eccleſiis coram populo, per te, vel alium moneas, ut infra competentem terminum, quem eis pręfixeris, eiſdem pręfatis Fratribus reſtituant, & revelent, ac de ipſis plenam, & debitam ſatisfactionem impendant, &, ſi id non adimpleverint infra alium competentem terminum, quem eis ad hoc peremptorie duxeris pręfigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis ſententiam proferas, & eam facias, ubi, & quando expedire videris uſque ad ſatisfactionem condignam ſolemniter publicari. Datum Fabriani Camerinen. Diẹceſis, Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo, Idibus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

F. de Sinibaldis.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum, ex Autographo aſſervato in Cœnobio *S. Andreæ Faventin.*

Anno 1450 Die 30 Novembris.

Conſtituit Judices qui de lite Fratribus Prædicatoribus Portugalen. (1) illata ſententiam ferant (2).

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

LXII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Viſen. (4), & Cepten. (5) Epiſcopis, ac dilecto filio Cantori Eccleſię Lamacen. (6), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HUmilibus ſupplicum votis &c. (7). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi, & dilectorum filiorum Capituli Eccleſię Portugalen., petitio continebat, quod olim pro parte eorum Nobis expoſito, quod cum Prior & Conventus domus S. Dominici Portugalen.

Diplomatis cauſa.

Ordinis Fratrum Prędicatorum Crucem Domini noſtri Jeſu Chriſti elevatam per Civitatem Portugalen. nullatenus deferre valerent, niſi a pręfatis Epiſcopo & Capitulo ad proceſſiones, vel alias, evocati fuiſſent, & pręfati Epiſcopus & Capitulum in quaſi poſſeſſione juris & obſervantię hujuſmodi a tanto tempore inconcuſſę, quod ejus initii memoria hominum non exiſtit, eſſent quodque Prior & Conventus prędicti a modico tempore citra, neſcitur quo ſpiritu ducti, elevata cruce hujuſmodi per Civitatem pręfatam uſque ad ripam fluminis Civitatis ejuſdem quandam Imaginem Crucifixi ex Flandria devecti ad eorum Eccleſiam deferendi cauſa, certis adhibitis cęremoniis palam & publice tranſmiſiſſent, ipſamque Imaginem ad eorum Monaſterium detuliſſent, & aquis ab eis inter eas cęremonias benedictis, prędicaſſent, quod qui ex illis biberent omnes infirmitates evaderent & languores, ac quandam Confraternitatem occaſione ejus Imaginis ordinaſſent, ut populum Civitatis ejuſdem ab Eccleſia Portugalen., quę totius ejus Civitatis Parochialis exiſtit, concurſu & devotione extraherent, ex quibus Portugalen. Eccleſia & Capitulum prędicti graves injurias, & damna plurima erogabantur (8), Nos dilecto filio noſtro Dominico (9) Eccleſię S. Crucis in Jeruſalem Presbytero Cardinali dediſſe dicimur in mandatis, ut, ſi, & poſtquam de pręmiſſis ſibi conſtiterit, Priorem, & Conventus prędictos moneret, ut abſtinerent ab omnibus & ſingulis ſupradictis, qui quidem Cardinalis, conſtito ei de illis, pręfatos Priorem & Conventum, ut ab omnibus, & ſingulis innovatis hujuſmodi abſtinerent ſub pęnia & cenſuris tunc expreſſis per ſuas certi tenoris literas, prout latius in illis contineri dicitur, monuit, & mandavit eiſdem, ac Prior & Conventus pręfati monitioni hujuſmodi paruerunt pariter & mandato. Et deinde pro parte dictorum Prioris & Conventus fuit Nobis expoſitum, quod licet a tanto tempore citra cujus contrarii memoria hominum non exiſtebat, variis, & diverſis privilegiis ac indultis tam per Nos, quam Prędeceſſores noſtros ab omni juriſdictione, & ſuperioritate Ordinaria exempti extitiſſent, & privilegiorum hujuſmodi vigore corpora fidelium defunctorum in eorum Cęmeterio & Eccleſia ſepelire, ac illa cum Cruce erecta ad ſepeliendum aſſociare, Miſſaſque, & alia divina officia etiam ſolemniter celebrare, & verbum divinum prędicare eleemoſynaſque ab hujuſmodi Chriſti fidelibus exigere, confeſſioneſque audire, conſueviſſent, & alias ad ſolutionem alicujus quartę de eleemoſynis quibuſdam, pręſertim pro celebrandis Miſſis, & anniverſariis faciendis, minime obligati fuiſſent, nihilominus Capitulum, & Canonici prędicti, ex eo quod ipſi Prior, & Fratres Imaginem prędictam collocaverant, quodque Cives hujuſmodi adinſtar aliarum Civitatum & nonnullorum aliorum locorum Regni Portugalię quandam Confraternitatem (10) ad honorem, & ſub vocabulo Jeſu Chriſti pro eorum animarum conſolatione inſtituerant, pręfatos Priorem, & Fratres coram

Mandatum;

dilectis filiis Alfonſo Fernandi Scholaſtico (11), & Alfonſo Dionyſii Canonicis, necnon Vicariis dictę Eccleſię Portugalen. traxiſſent in cauſam, ac Priorem, & Fratres prędictos citari feciſſent, & ne ſub excommunicationis pęna Cives hujuſmodi ad dictam Confraternitatem admitterent, necnon Miſſas, & alia divina officia eis celebrarent, aut corpora defunctorum hujuſmodi in dicta domo, aut eorum Eccleſia ſepelirent, nec Crucem erectam in proceſſionibus, & ſepulturis mortuorum portarent, necnon Civibus prędictis, ne ad dictam domum accederent, ſive illam introirent, & quod eleemoſynas Fratribus antedictis nullatenus darent, per certas eorum literas Scholaſticus, Canonici, & Vicarii pręfati inhibuiſſent, ac diverſa alia gravamina, damna, & injurias eiſdem Priori, & Fratribus, necnon Civibus, & populo Portugalen. hujuſmodi intuliſſent pariter, & jacturas, quodque Prior, Fratres, & populus ſupradicti videntes indebite ſe gravari, a futuro, ut aſſerebant, gravamine ad Sedem Apoſtolicam appellaſſent, &, hujuſmodi appellatione pendente, Priorem, & Fratres prędictos excommunicatos ſententialiter & publice nunciaſſent, & declaraſſent, & alia plura feciſſent, & propterea ad Sedem prędictam appellaſſent, cauſęque appellationum hujuſmodi pręfato Cardinali commiſſę fuiſſent, & per ipſum Cardinalem ad nonnullos actus in illis proceſſum extitiſſet, pręſatas, ac omnes alias cauſas, pręmiſſorum occaſione, movendas, dilecto filio Priori Monaſterii S. Crucis per Priorem ſoliti gubernari extra muros Columbrien. (12) Ordinis Sancti Auguſtini, Apoſtolicis literis obtinuerint (13), prout in illis, quarum pretextu pręſatos Epiſcopum, & Capitulum coram dicto Priore fecerint ad judicium evocari, plenius dicitur contineri, coram quo pro parte dictorum Epiſcopi, & Capituli fuit, excipiendo, propoſitum, quod cum ipſe fuiſſet conſultor, & ordinator hujuſmodi ad ſe directarum literarum, & promiſiſſet cauſam hujuſmodi ſuſcipere, ac Priori, & Conventui domus Sancti Dominici hujuſmodi favere, illoſque quos paterna affectione diligebat, adjuvare, prout erant probare parati, eiſdem Epiſcopo, & Capitulo reddebatur multiplici ratione ſuſpectus, deputarique arbitros, coram quibus de hujuſmodi, & aliis gravibus ſuſpicionibus tunc expreſſis legitime docerent, humiliter poſtularent, & quia dictus Prior pręſatos Epiſcopum, & Capitulum, ſuper his audire contra juſtitiam denegabat, pręſati Epiſcopus, & Capitulum ad Sedem Apoſtolicam appellarunt, ſed

prę-

prefatus Prior ; appellatione Epiſcopi & Capituli hujuſmodi, de qua non erat ignarus, & infra termini proſecutionis tempus, de quo non modicum ſupererat, iidem Epiſcopus & Capitulum erant, contempta, ad ulteriora, licet nulliter, procedens, definitivam contra dictos Epiſcopum & Capitulum ſententiam promulgavit iniquam. Quare pro parte dictorum Epiſcopi & Capituli Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus cauſam appellationis hujuſmodi, & negotii principalis aliquibus probis in partibus illis viris committere, & alias ſuper his eis providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtre per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, de utriuſque partis procuratorum aſſenſu, ſi, vocatis Priore, & Conventu, ac Civibus hujuſmodi, & aliis qui fuerint evocandi, ita eſſe repereritis, revocato in irritum quicquid poſt appellationem ad Nos legitime interpoſitam inveneritis temere attentatum, auditis hinc inde propoſitis, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes, quod decreveritis per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari; Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellatis veritati teſtimonium perhibere. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Predeceſſoris noſtri, preſertim qua cavetur, ne quis extra ſuam civitatem, vel Dieceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & ultra unam dietam a fine ſue Dieceſis ad judicium evocetur: ſeu ne judices a Sede deputati prefata extra Civitatem & Dieceſim in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, aut alii, vel aliis vices ſuas committere, ſeu aliquos ultra unam dietam a fine Dieceſis eorundem trahere preſumant, dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate preſentium non trahatur, & aliis conſtitutionibus Apoſtolicis, contrariis quibuſcunque, aut ſi Priori & Conventui domus hujuſmodi, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim, a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominice Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo, pridie Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Portagalen.*) In *Luſitania* Regno.
2. *Ferant.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII*, & *IX.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XLVIII fol.* 191.
4. *Viſen.*) Vulgo *Viſeo*, in *Luſitania*.
5. *Septen.*) *Septen.*, vulgo *Ceuta*, in *Mauritania Tingitana*. Tunc juris erat *Luſitaniæ* Regis.
6. *Lamacen.*) Aliis *Lamecen.*, vulgo *Lamego*, in *Luſitania*.
7. *Votis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
8. *Erogabantur.*) Patiebantur.
9. *Dominico.*) *Capranica* nuncupato, viro utique doctrina, religione, & ſanctis ſemper operibus admirabili; ut in ipſius Epitaphio legere eſt in Templo *S. Mariæ ſuper Minervam* de Urbe. Cardinalis *Dominici* laudes celebrat *S. Antoninus*. Adeas Auctores quos laudat & excipit *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCCXVII pag.* 832.
10. *Confraternitatem.*) *SS. Nominis Dei*, ut ex ipſo Diplomate videre eſt.
11. *Scholaſtico.*) Canonico nempe Theologo Profeſſori. Hinc Theologalis Præbenda, ut vocant, a nonnullis *Scholaſteria* nuncupatur.
12. *Columbrien.*) *Colimbrien.*, ſeu *Conimbricen.*, vulgo *Coimbra*, in *Luſitania*.
13. *Obtinuerint.*) Nonnihil deeſt.

Confirmat omnia privilegia Cœnobio San-Maximinenſi (1) conceſſa.

Anno 1451 Die 3 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXIII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus Beate Marie Magdalene de Sancto Maximino Ordinis Fratrum Predicatorum, Aquenſis Dieceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm a Nobis petitur quod juſtum eſt, & honeſtum, tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis petitionibus grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates, & immunitates a Predeceſſoribus noſtris, Romanis Pontificibus, ſive per privilegia, vel alias indulgentias vobis, & domui veſtre predicte conceſſas, necnon libertates, & exemptiones ſecularium exactionum a Regibus, & Principibus, vel aliis Chriſti fidelibus rationabiliter vobis, & domui veſtre prefate indultas, ſicut eas juſte, & pacifice poſſidetis, vobis, & per vos eidem domui veſtre auctoritate Apoſtolica, confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis, & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare preſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominice Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo (3), Tertio Nonas Januarii Pontificatus noſtri Anno Quarto. Exordium. Confirmatio.

1. *San-Maximinenſi.*) Vide *Conſtitutiones III, IV, V*, & *VI Bonifatii VIII Tomo II pag.* 40 *&c.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo *San-Maximinenſi*. Legitur etiam *pag.* 19 *Bullarii San-Maximinenſis* typis *Pariſien.* editi anno *MDCLXVI.*
3. *Quinquageſimo.*) Stylo Bullarum, ęra communis *MCCCCLI.*

De

Anno 1451 Die 13 Martii.

De F. Johanne (1) de Raguſio, aliiſque Fratribus in Boſnam (2), ſive Serviam (3) mittendis, ut ibidem Evangelium prædicent, & Cœnobia conſtituant.

Ex Archivo (4) *Ordinis.*

LXIV.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Raguſio Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AD hoc Nos prętulit ejus domui benigniſſima clementia Salvatoris, ut ad meſſem ſuam, ubicunque illa valuerit, colligendam, ac acquirendum animas illorum, qui propinquiores barbaris infidelibus in majora, ac quotidiana diſcrimina, niſi in Catholica Fide inſtruantur, veriſimiliter ſunt caſuri, ſeminatores verbi Dei tranſmittere, & alia opportuna remedia adhibere indeſeſſa ſollicitudine ſtudeamus. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte tua, petitio continebat, quod in Provincia Boſnę, ſive Servię pauci Religioſi, ac viri Eccleſiaſtici exiſtunt, qui verbum Dei habitantibus, & incolis ejuſdem Provincię prędicent, ob quorum defectum incolę, & habitatores prędicti, qui infidelibus ſunt vicini, in Fide Catholica non inſtruuntur, & inibi fides ipſa quotidie cum animarum damnatione minuitur.

Diplomatis cauſa.

Unde tu pia conſideratione motus una cum nonnullis Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoribus ad augmentum Fidei Orthodoxę, & pro ſalute incolarum, & habitatorum prędictorum, ad pręfatam Provinciam, & partes illas perſonaliter accedere, & ibidem Verbum Dei prędicare, ac aliquas domos dicti Ordinis de novo erigi, conſtrui, & ędificari facere ferventer exoptas, dummodo tibi, & eiſdem Fratribus ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam licentia concedatur. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi, & Fratribus prędictis licentiam hujuſmodi concedere, aliaſque in prę miſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Catholicę Fidei incrementum, & animarum ſalutem ſupremis affectibus deſideramus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi, ut petita, & obtenta a Generali ejuſdem Ordinis, ſeu ejus Vicario licentia, una cum aliquibus Fratribus ejuſdem Ordinis in lege Domini eruditis, & ad hęc ſufficientibus, & voluntariis, ad pręfatam Provinciam accedendi, & quoties tibi videbitur alios ipſius Ordinis profeſſores recipiendi, ac inibi Verbum Dei prędicandi, & annuntiandi, necnon Chriſti fidelium omnium

Miſſio.

in eadem provincia commorantium, quoties opportunum fuerit, confeſſiones per te, vel dictos Fratres audiendi, ac pro commiſſis juxta delictorum, & criminum per eos commiſſorum qualitatem, & exigentiam, etiam ſi Sedes Apoſtolica ſuper his conſulenda eſſet, debitam abſolutionem impendendi, & pęnitentiam ſalutarem injungendi, & ad Fidem Catholicam venientes cum cęremoniis conſuetis baptizandi, omniaque alia Sacramenta fidelibus Chriſti, & baptizatis hujuſmodi miniſtrandi, necnon Conventus, & domos dicti Ordinis de conſenſu, & conceſſione Domini temporalis illius patrię in Civitatibus, Oppidis, & locis ad id aptis, & accommodis, & per ipſum Dominum tibi aſſignandis, erigendi, conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, erigi, & ędificari faciendi, & illas pro uſu, & habitatione Fratrum dicti Ordinis recipiendi, ac omnia, & ſingula, quę Rectores Parochialium Eccleſiarum de jure, vel conſuetudine facere poſſent, faciendi, diſponendi, & exequendi, plenam, & liberam licentiam tenore pręſentium elargimur.

Privilegia.

Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę VIII, Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in quacunque civitate, Caſtro, villa, vel loco ad inhabitandum domos de novo recipere, ſeu eatenus recepta mutare pręſumant abſque Sedis prędictę licentia ſpeciali faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę elargitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo (5), Tertio Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Pe. de Noxeto.

1. *Johanne.*) Diſtinguendus iſte ab alio *Johanne* noſtro *de Raguſio*, cognomento *Stoico*, qui, ut docent Annales Eccleſiaſtici, & videre eſt apud *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCCCXLIV pag. 797 &c*, Eugenio IV Summo Pontifice, floruit. Uterque patria *Raguſinus*, ut conſtat ex Monumentis Archivi *Raguſini* Cœnobii. Uterque alumnus ejuſdem *Raguſini* Conventus. Verum *Johannes* cujus in hoc Diplomate mentio fit, cognomento fuit *Olearius*, vir multæ doctrinæ, ac pietatis, qui aliquot Cœnobia in *Boſnia* Regno fundavit, multoſque ad fidem convertit Principes, nobiles, & plebeios. Occupato a Turcis *Boſnia* Regno, *Raguſium* reverſus eſt, obiitque non ſine ſpeciali pietatis nota die *VII* Martii anno circiter *MCCCCLXIX*. Ex Monumentis *Raguſini* Cœnobii.

2. *Boſnam.*) *Boſniam*, & *Boſſenam*. Pars fuit *Hungariæ* late ſumptæ, Regio nempe *Serviæ Mediterraneæ*, ut in ſequenti Nota.

3. *Sive Serviam.*) *Mediterraneam* nempe, quæ duplex eſt. *Pars*, ut inquit *Baudrand* in Dictionario Geographico, *Drino fluvio orientalis Raſcia dicitur, la Raſcie vulgo; eſt que inter Drinum & Moravam. Pars vero Drino fluvio occidentalis, ſeu inter Drinum ad ortum & Croatiam ad occaſum Boſna, ſeu Boſnia, dicitur, la Boſnie.* Hinc in ipſo Diplomate legitur: *Provincia Boſnæ, ſive Serviæ.*

4. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Raguſino*.

5. *Quinquageſimo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLI*.

VI.

Vicarius Generalis Italiæ Fratres extra Conventus degentes (1) revocet. Anno 1451 Die 29 Martii.

Ex Bullario Caſtellani Parte I pag. 11.

Dilecto filio Fratri Vincentio (2) de Finario Ordinis Prędicatorum Vicario Generali Conventuum Reformatorum citra Alpes. LXV.

NICOLAUS PP. V.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PLacet, & volumus, ac tuę devotioni per pręſentes facultatem concedimus, ut omnes, & ſingulos Fratres tui Ordinis in terminis tuę viſitationis tibi commiſſis conſiſtentes, etiamſi in ſervitio Eccleſiarum Parochialium, aut Dominorum Eccleſiaſticorum, vel temporalium poſiti ſint, auctoritate noſtra per cenſuram eccleſiaſticam, & alia juris remedia, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, compellere valeas, ut a pręfatis locis exeant, & ad Conventus Ordinis revertantur, quibuſcunque literis per Nos, vel Prędeceſſores noſtros, vel Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales, aut a Superiore Ordinis eorundem, ſub quacunque forma factis non obſtantibus, quorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent, haberi volumus pro expreſſis, & quibus quoad hoc ſpecialiter & expreſſe derogamus, pro infectis declaramus. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXIX Martii, MCCCCLI, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Degentes.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*

2. *Vincentio.*) *De Finario* cognominatur ex patria, Urbe eſt *Liguria.*

Da portione (1) Canonica non ſolvenda. Anno 1451 Die 30 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. LXVI.

DIligentia ſemper exacta ſtuduimus Prędeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum non ſolum non infringere voluntates, quin imo cupivimus rectis illorum veſtigiis inhęrere, & ſi quando illorum conceſſa mutavimus, aut id rationabilibus cauſis ſuadentibus fecimus, aut negotiis arduis, quę undique in Romanę Curię alveum confluunt prępediti. Nuper ſiquidem ſub dato pridie Kalend. Junii, Pontificatus noſtri Anno Quarto, dilectis filiis Generali, & Fratribus Ordinis Fratrum Heremitarum Sancti Auguſtini literas conceſſimus, per quas eis indulſimus inter cetera, ut de hiis quę pro ornamentis, paramentis, libris, fabrica, luminaribus, Anniverſariis, ſeptimo, viceſimo, triceſimo, vel aliis diebus ad perpetuum cultum divinum, ſeu pro pictantiis, aut victu, vel veſtitu, ad ſuſtentationem eorum, aut pro annuis cenſibus redimendis, ad quorum ſolutionem aliquę domus ejuſdem Ordinis obligatę dicebantur, vel de domibus, prędiis, ortis, aliiſque locis ſecundum inſtituta ejuſdem Ordinis de hiis, quę pro hujuſmodi, ortis, & locis emendis eis legabantur, ſeu hactenus legata fuerant, dummodo non converterentur in alios uſus, ſed in illos dumtaxat, pro quibus relicta fuerant, aut relinqui contingeret, nulli tenerentur portionem Canonicam exibere. Poſtmodum vero ſub dato Id. Februarii, Pontificatus, & Anni prędictorum pręfatum indultum, & quęvis alia per Nos, aut Prędeceſſores noſtros Romanos Pontifices, quibusvis aliis quorumcunque Ordinum Mendicantium Fratribus, aut eorum Conventibus, ſive domibus, ubicunque conſiſtentibus, ſub quavis verborum forma, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, facta indulta, & conceſſas deſuper litteras, revocavimus, prout in quibuſdam aliis noſtris litteris continetur, quarum tenorem de verbo ad verbum pręſentibus inſeri fecimus & eſt talis. Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. Tunc recte & congrue officium noſtrum gerimus, cum ſingulis Eccleſiis, & perſonis eccleſiaſticis, jura & dignitates diligenti ſtudio pręſervamus, & eas a temerariorum inſultibus cuſtodimus indemnes. Nuper ſiquidem dilecti filii Prior Generalis, & Fratres Ordinis Fratrum Heremitarum Sancti Auguſtini cum importuna ſupplicationis inſtantia a Nobis extorſerunt litteras tenoris ſubſequentis. Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Generali, & Fratribus Ordinis Fratrum Heremitarum Sancti Auguſtini, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sincerę devotionis affectus, quem ad Nos, & Romanam geritis Eccleſiam, promeretur, ut petitiones veſtras, quantum cum Deo poſſumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc eſt, quod Nos veſtris ſupplicationibus inclinati, ut de hiis quę pro ornamentis, paramentis, libris, fabrica, luminaribus, anniverſariis, ſeptimo, viceſimo, vel triceſimo, aut aliis diebus, ad perpetuum cultum divinum, ſeu pictantiis, aut victu, vel veſtitu, ad ſuſtentationem veſtram, necnon pro annuis cenſibus redimendis, ad quorum ſolutionem aliquę domus ejuſdem Ordinis obligatę dicuntur, vel de domibus, prędiis, ortis, aliiſque locis vobis ſecundum inſtituta ejuſdem Ordinis de hiis, quę pro hujuſmodi domibus, ortis, & locis emendis, vobis legantur, ſeu hactenus legata fuerunt, dummodo non convertantur in alios uſus, ſed in illos dumtaxat pro quibus relicta fuerunt, aut relinqui contigerit, nulli teneamini portionem canonicam exibere, vobis tenore pręſentium indulgemus. Et, ne quis a vobis, vel ultimarum voluntatum executoribus, ſeu decedentium hęredibus, de premiſſis, aut de hiis, quę vobis in ultimis voluntatibus legantur, vel antea legata fuerunt, ſeu alias pro veſtris ne-

Exordium.

Diplomatis cauſa.

Inſerit literas quas reſcindit.

neceſſitatibus cooferentur, aliquid exigere, vel extorquere prę́ſumat, diſtrictius inhibemus. Non obſtantibus Bonifatii VIII, quę incipit: Super Cathedram: ac Johannis XXII, in Concilio Lugduneo (3), necnon Clementis V, Prędeceſſorum noſtrorum, Romanorum Pontificum, editis Conſtitutionibus, quibus auctoritate Apoſtolica tenore prę́ſentium quoad prę́miſſa dumtaxat hac vice ex certa ſcientia ſpecialiter derogamus. Nulli ergo &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo, Pridie Kalen. Junii, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Cum autem ex litteris prędictis Rectoribus Parochialium Eccleſiarum evidens fiat injuria, maxime eum ſit in ſacris Canonibus provide ſtatutum, & ordinatum, ut quod prędicti, & quorumcunque Ordinum Mendicantium Fratres de luminaribus, anniverſariis, & aliis in prędictis litteris contentis eiſdem rationibus (4) canonicam exibere portionem (5). Nos, ad quos ex officio Nobis commiſſo pertinet, prę́fatos canones ac geſta Sanctorum Patrum prę́ſervare, motu proprio, non ad alicujus, vel aliquorum, Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia, prędictas, necnon quaſcunque alias, quibus aliis quorumcunque Ordinum Mendicantium Fratribus, aut eorum Conventibus, ſive domibus, ubicunque conſiſtentibus, ſeu Ordinibus hujuſmodi per Nos, ſeu Prędeceſſores noſtros Romanos Pontifices ſuper non exibitione Canonicę portionis hujuſmodi, ſub quacunque verborum forma, etiam motu proprio, & ſcientia ſimilibus conceſſas litteras, ac proceſſus habitos per eaſdem, & quęcunque inde ſecuta, illarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent, prę́ſentibus pro expreſſis habendo, revocamus, caſſamus, & annullamus, decernentes prędictos, ac omnes & ſingulos Fratres eorundem Ordinum ad exibitionem canonicę portionis hujuſmodi juxta Prędeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, Bonifatii VIII, Johannis XXII, & Clementis V, inſtituta, in omnibus, & per omnia, teneri, & compelli poſſe, & debere, perinde ac ſi litterę ipſę a Nobis, ſeu Prędeceſſoribus noſtris, nullatenus emanaſſent. Non obſtantibus prę́miſſis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę revocationis, caſſationis, annullationis, & Conſtitutionis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo (6), Id Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Nos igitur, qui talia, & tanta, intendimus maturo digeſtoque conſilio recenſere, & diverſis arduis prępediti negotiis primo dictas litteras revocavimus, illas, & alias Prę́fatorum Prędeceſſorum quaſcunque hactenus eorundem Ordinum Fratribus conceſſas, & per Nos confirmatas, ſeu approbatas litteras, & proceſſus inde habitos, per eaſdem, & quęcunque inde ſecuta, illarum tenores ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent, prę́ſentibus pro expreſſis habendo, volumus, & decernimus in earum robore permanere, ac ſi ultimo dictę revocatorię litterę nullatenus emanaſſent, quas cum omnibus, & ſingulis inde ſecutis, motu & ſcientia ſimilibus, revocamus, caſſamus & annullamus, eaſque nullius volumus eſſe roboris vel momenti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę voluntatis, Conſtitutionis, revocationis, caſſationis, & annullationis infringere &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Primo, Tertio Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Fratres eximit canonica portione ſolvenda.

P. De Noxeto.

A tergo legitur.

Gratis de mandato D. n. Papę

Regiſtrata
apud me
P. de Noxeto.

S. de Spada.

1. *Portione.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Titulo X.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur.
3. *In Concilio Lugdunen.*) *Lugduni* Pontificalibus infulis anno MCCCXVI *Johannem XXI*, dictum *XXII*, decoratum fuiſſe, prodit hiſtoria. Ex hoc autem Diplomate diſcimus, eundem Summum Pontificem Concilium ibidem celebraſſe.
4. *Rationibus.*) *Rectoribus.*
5. *Portionem.*) Addendum: *Teneantur.*
6. *Quinquageſimo.*) Stylo Bullarum, ęrę communis *MCCCCLI.*

Anno 1451 Die 3 Aprilis.

LXVII.

Helſingoburgenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Roskilden. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

UT ea, quę pro divini cultus augmento, Religionis propagatione, & animarum ſalute provide facta ſunt, firma perpetuo, & illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, favorem Apoſtolicum impertimur, &, ut ad optatum perducantur effectum, partes noſtrę ſolicitudinis interponimus. Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Prędicatorum in quodam Oratorio in villa Helſingoor (4) tuę diœceſis commorantium Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum cariſſimus in Chriſto filius noſter Ericus (5) Rex Dacię zelo devotionis accenſus, intendens divinum cultum ampliare, prę́fatis Priori, & Fratribus quendam locum ad fundandum, & conſtruendum unam domum pro uſu, & habitatione Fratrum dicti Ordinis pie donavit, quam quidem donationem Fratres prędicti ſecundum Inſtituta dicti Ordinis acceptarunt, ac Oratorium ipſum quotidie augmentare feſtinant. Quare pro parte dictorum Prioris, & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut donationem ipſam confirmare, & approbare, ac eis in prę́fato loco fundandi unam domum, cum Eccleſia, campanili,

Supplex petitio.

cam-

campana, cęmeterio, & aliis neceſſariis officinis, licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui cultum divinum ubique vigere, & augeri continue deſideramus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi & poſtquam tibi de hujuſmodi donatione legitime conſtiterit, illam, & inde ſecuta quęcunque auctoritate noſtra approbes, & confirmes, & poſt confirmationem hujuſmodi, ſi illam feceris, pręfatis Priori, & Fratribus in eodem ſibi donato loco unam domum cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, cęmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione Fratrum Ordinis Prędicatorum conſtruendi, erigendi, & ędificandi, ſeu fundari, conſtrui, erigi, & ędificari faciendi, plenam, ac Fratribus prędictis illam pro uſu, & habitatione hujuſmodi accipiendi, & tenendi, liberam licentiam auctoritate noſtra concedas; Nos enim, ſi conceſſionem hujuſmodi per te vigore pręſentium fieri contingat, ut pręfertur, univerſis, & ſingulis Fratribus in eadem erigenda domo pro tempore commoraturis, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, gratiis, & privilegiis, aliis domibus dicti Ordinis, ac Fratribus in eis commorantibus per Sedem Apoſtolicam, vel alias generaliter conceſſis, uti valeant pariter, & gaudere, eadem auctoritate concedimus per pręſentes. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi, Prędeceſſoris Noſtri, prohibente, ne Ordinum Mendicantium Fratres in quocunque Caſtro, Villa, vel alio loco ad inhabitandum domos de novo recipere, ſeu hactenus receptas mutare pręſumant, abſque Apoſtolicę Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, jure tamen Parochialis Eccleſię & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadrigenteſimo quinquageſimo primo, Tertio Nonas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Facultas.

1. *Helſingeburgenſis*.) Vulgo *Elſingborch*, in Scania Provincia.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XV fol. 57.*

3. *Roſkilden*.) *Roſchilden.*, vulgo *Roſchild*, in *Zelandia* Inſula.

4. *Helſingoor*.) *Helſingborch*.

5. *Ericus*.) Seu *Henricus*.

De Reformando Bergomenſi (1) Monaſterio Sancti Matthæi, eoque committendo curæ celebris Congregationis Lombardiæ.

Anno 1451 Die 4 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXVIII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Bergomen., & Brixien., ac Plebis de Nimbro Bergomen. Diœceſis, Eccleſiarum Archipresbyteris, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

INter ceteras ſollicitudines, quas ad univerſi ſtatus Eccleſiaſtici reformationem gerimus, id ſinceris proſequentes ſtudiis, ut in Monaſteriis, aliiſque religioſis locis, in quibus pręſertim Moniales ſub fragili ſexu voto Religionis aſtrictę divinis obſequiis dedicatę noſcuntur, diſciplina, & obſervantia regularis vigeat, honeſtas floreat, virtutum plantaria per bonorum operum ſtudia, ac ſanctimonię merita, ſemper exuberent, opportunę proviſionis intendere debemus antidotis, ne ſi quid in illis indecorum irrepſerit, vitioſum ſuccreſcendo inceptum, devotas perſonarum religioſam cupientium ducere vitam, mentes retrahat, ſed quicquid ſacrę Religioni contrarium prąſumitur, ad illius augmentum, & Dei gloriam ſalubriter corrigatur. Sane pro parte dilectorum filiorum communitatis, ac Civium Bergomen. Nobis nuper exhibitę petitionis ſeries continebat, quod ex reformatione certarum domorum, & locorum religioſorum pręſertim domus Ordinis Fratrum Prędicatorum in Civitate Bergomen. conſiſtentis, quę reformata, & ad Regularem ejuſdem Ordinis Obſervantiam reducta extitit, propter eorum Fratrum religioſam, bonorumque exemplorum copiam producturam vitam, laudabilemque tam in cultu divino, quam Prędicationibus, & exhortationibus, quę populo illuc pro tempore affluenti frequenter fiunt, per eoſdem Fratres obſervatum ritum, quamplures illarum partium utriuſque ſexus Chriſti Fideles vitam ſuam corrigere volentes ad religioſe, ſancteque vivendum inducuntur; Eiſdemque, ut pie creditur, animarum ſuſcipitur ſalutis incrementum; & licet nonnullę, & devotę fęminei ſexus perſonę tam virgines, quam viduę mundanis abjectis illecebris pro ſuarum provide cogitantes animarum ſalute, ęternoque Sponſo cum ſuis lampadibus, meritoriis videlicet actibus, obviam ire, perpetuumque ſub habitu & eorum Fratrum regularibus Inſtitutis famulatum reddere pia mente deſiderant, Monaſteria tamen, ſeu domus Monialium ſub habitu, & regularibus Inſtitutis, ac in cura, & regimine venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Bergomen. viventium, quę in dicta Civitate plura conſiſtere dignoſcuntur, propter illorum nimiam in ſpiritualibus deformitatem intrare perhorreſcentes, locumque, in quo ſuarum animarum ſalutem procurare poſſe ſe ſperent, non reperientes, ſuum pium deſiderium in pręmiſſis adimplere non valent. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, communitas, & cives pręfati pręmiſſa provide conſiderantes, ſummo deſiderent affectu Monaſterium S. Marthę dicti Ordinis in Burgo S. Stephani Bergomen. conſtitutum, in quo cum Prioriſſa ſeptem vel circa Moniales conſiſtere dignoſcuntur, quodque propter diſciplinę, & obſervantię regularis per ipſius Prioriſſam, & Moniales . . . . nimiumque Prioriſſa, & Moniales ipſarum ſuarum ſalutis animarum immemores vitam deducere conſpiciuntur, viſitationis, reformationis, ac correctionis officio quamplurimum noſcitur indigere, debite reformari, & ad regularem dicti Ordinis juxta illius ſtatuta, ac ad eorundem Fratrum Prędicatorum, Reformatorum, ut pręfertur, curam & gubernationem reduci, Diplomatis cauſa.

perpetuoque remanere, pro parte Communitatis, & civium prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, Mandatum, quatenus pium, ſanctumque ipſorum deſiderium hujuſmodi contovere, ipſiuſque Monaſterii S. Marthę ſtatui in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Monaſteriorum, aliorumque religioſorum locorum omnium ſtatum, cultumque hujuſmodi noſtris potiſſime temporibus ubique adaugeri ſummis deſideriis affectantes, piamque communitatis, ac civium prędictorum intentionem, etiam conſideratione dilectorum filiorum nobilis viri Franciſci Foſcari Ducis, ac Dominii Venetorum Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantium, benignis proſequentes affectibus, diſcretioni veſtrę, de qua in iis, & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum aſſumptis vobiſcum duobus Fratribus Regularis Obſervantię dicti Ordinis, qui laudabilis famę, ac honeſtę converſationis exiſtant, ad prefatum Monaſterium S. Marthę perſonaliter accedentes, ac ſolum Deum prę oculis habentes, in eodem Monaſterio S. Marthę tam in capite, quam in membris viſitationis officium auctoritate noſtra diligenter impendere, ac ſolerter exercere procuretis, reformationis debitę adminicula propenſius exquirendo, ac ea quę veſtrarum, quas ſuper hoc oneramus, conſcientiarum judicio reformationis pręſidio indigere proſpexeritis, reformando, Nos enim, ut ex viſitationis, & reformationis officio hujuſmodi fructus ſequantur optati, vobis, & cuilibet veſtrum Monaſterium S. Marthę prędictum, necnon illius Prioriſſam, ac alias perſonas inibi degentes viſitandi, & de quibuſvis criminibus, & exceſſibus ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, ſola facti veritate inſpecta, inquirendi, crimina quoque, & exceſſus hujuſmodi puniendi, & corrigendi, dictumque Monaſterium S. Marthę, ac Prioriſſam, & perſonas hujuſmodi ad regularem obſervantiam dicti Ordinis reducendi, necnon Prioriſſam Prioratu, ac alias perſonas hujuſmodi officiis, quę inibi obtinent, ſi earum culpę, & demerita id exegerint, & ad regularem obſervantiam dicti Ordinis reduci recuſaverint, privandi, & ab illis Nota. amovendi, ipſaſque etiam invitas, ad alia Monaſteria in eadem civitate conſtituta cum earum dotibus, perſonarum etiam eorundem Monaſteriorum, ad quę transferentur, licentia minime requiſita, transferendi, quaſcunque etiam deformitates in moribus, & modo vivendi, ac circa obſervantiam hujuſmodi introductas debite reformandi, inutilia, & damnoſa evellendi, proficua vero, & neceſſaria plantandi, ac omnia, & ſingula antiqua dicti Monaſterii S. Marthę conſuetudines, & ſtatuta eadem auctoritate recenſendi, & diligenter examinandi, & prout ſecundum Deum, ſalubri quoque, & felici ipſius Monaſterii, necnon inibi divinis pro tempore laudibus inſiſtentium perſonarum ſtatui expedire cognoveritis, juris, ac ęquitatis inſecuto tramite, illa ex eiſdem ſtatutis, & conſuetudinibus, quę raſionabilia fore repereritis, approbandi, & confirmandi, aliis vero debitis reductionis, moderationiſque pręſidiis addendi, vel detrahendi, nova quoque rationabilia ſtatuta, quę, necnon antiqua inibi, ac hujuſmodi conſuetudines juxta veſtram approbationem, confirmationem, additionem, & detractionem, ac ipſius Ordinis obſervantiam regularem in dicto Monaſterio vigere debeant, condendi, & ordinandi, necnon unam, duas, aut plures Sorores Monaſteriorum, ſeu locorum Ordinis, & obſervantię prędictorum ubicunque conſiſtentium de eiſdem Monaſteriis, ſeu locis, ſuorum tamen ſuperiorum ad hoc interveniente conſenſu, ad Monaſterium Sanctę Marthę hujuſmodi in perpetuum, vel ad tempus, prout vobis expedire videbitur, transferendi, ac ſincera inibi caritate tractare faciendi, unamque ex illis, aut aliis, quę probatę vitę, & laudabilis converſationis, & famę, in regulari quoque obſervantia dicti Ordinis experta fuerit, in Prioriſſam ejuſdem Monaſterii S. Marthę ordinandi, & inſtituendi, & nihilominus, ut Prioriſſa, & perſonę Monaſterii S. Marthę hujuſmodi in Obſervantia prędicta melius, & uberius perſiſtere valeant, Monaſterium, Prioriſſam, ac perſonas hujuſmodi a regimine, & cura pręfati Epiſcopi eximendi, & penitus liberandi, ac ſub regimine, & cura dilectorum filiorum Vicarii, ac Fratrum Prędicatorum regularis obſervantię Lombardię ponendi, & reducendi, quodque Monaſterium, & Prioriſſa, ac perſonę hujuſmodi eorundem Vicarii, & Fratrum curę, & Regimini juxta illorum ritus, mores, & privilegia eiſdem Fratribus per Sedem Apoſtolicam conceſſa, ac ipſius regularis obſervantię inſtituta, poſtquam exemptionem hujuſmodi feceritis, ut pręfertur, in omnibus perpetuo ſubiecti ſint, & ſubiici cenſeantur, eadem auctoritate decernendi, ipſique Vicario, & Fratribus, ut Monaſterium, Prioriſſam, & perſonas hujuſmodi ſub eorum cura, & regimine, ut pręfertur, recipere procurent, mandandi, ac omnia, & ſingula alia, quę in pręmiſſis, vel circa ea neceſſaria fuerint quomodolibet, vel opportuna, faciendi, ordinandi, & ſtatuendi, ac ea, quę ordinaveritis, & ſtatueritis, exequendi, contradictores quoque quoſlibet, & rebelles, necnon quoſcunque, quo minus hujuſmodi viſitationis officium exercere poſſitis, cujuſcunque ſtatus, gradus, vel conditionis fuerint, etiam ſi Epiſcopali prędulgeant dignitate, per ſe, vel alium, ſeu alios quomodolibet impedientes per cenſuram eccleſiaſticam, & alia juris remedia, cujuſvis ſublato appellationis obſtaculo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, compeſcendi, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus facultatem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſteriorum, & Ordinis Prędicatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alias roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim, ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut ſuis dignitatibus, ſeu officiis privari, aut de loco, ad locum invite transferri non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes, plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi, ac eorum Ordinibus, propriis nominibus, & cognominibus mentionem, & quibuſlibet aliis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, indulgentiis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum, veſtręque juriſdictionis explicatio in hac parte impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis

Do-

Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo primo, Pridie Nonas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

P. F. Ginibaldus

Jo. de Manlato

A tergo legitur.

Regiſtrata apud me Pe. de Noxeto.

1. *Bergomenſ.*) In ditione *Veneta*. Subeſt modo Provinciali *Lombardia*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Bergomenſi*.

Bononienſe Cœnobium quibuſdam redditibus in gratiam ſtudentium donat.

Anno 1451 Die 8 Maii.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

LXIX.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis, Priori, & Fratribus domus Ordinis Prędicatorum Bononien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Regularis obſervantię voto aſtrictis perſonis, ut onera eis pro tempore incumbentia facilius ſupportare valeant, congrue adhibemus proviſionis ſubſidium, prout rerum, & temporum qualitatibus debite penſatis, conſpicimus in Domino expedire. Cum, ſicut accepimus, domus veſtra Ordinis Prędicatorum Bononien., ad quam ſtudentium ex diverſis mundi Provinciis, occaſione ſtudii Generalis inibi vigentis, multitudo confluere, ac ibidem recipi, ac caritative tractari conſuevit, ad eorundem ſtudentium, ac alia ſibi incumbentia onera ſupportanda facultatibus non abundet, Nos, volentes vobis, ac eidem domui de alicujus ſubventionis auxilio, quo onera hujuſmodi facilius ſupportare valeatis, providere, motu proprio, non ad veſtram, vel alicujus pro vobis, Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, omnes, & ſingulos fructus, redditus, & proventus, jura, & obventiones Gregoriani, Avinionen., & Brixien. Collegiorum in Civitate noſtra Bononien. invicem unitorum, vobis, ac eidem domui veſtrę uſque ad noſtrum, & Apoſtolicę Sedis beneplacitum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium de pręfatę Sedis munificentia liberali donamus, conferimus, & etiam aſſignamus, ita quod liceat vobis fructus, redditus, & proventus, jura, & obventiones hujuſmodi propria auctoritate apprehendere, ac in veſtros, & dictę domus, uſus, & utilitates, uſque ad beneplacitum hujuſmodi convertere, cujuſvis ſuper hoc licentia minime requiſita, alienatione tamen quorumcunque immobilium, ac pretioſorum mobilium bonorum dictorum Collegiorum vobis penitus interdicta. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Noſtrę donationis, collationis, & aſſignationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Primo, Octavo Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Diplomatis cauſa.

Indultum.

Clauſula derogans.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononien.* *fol.*34, ex Autographo *Bononiæ* aſſervato.

Innovat, & confirmat Conſtitutionem, qua B. Benedictus XI Moniales (1) Ordinis immunes reddit Epiſcoporum juriſdictione, Tributis &c.

Anno 1451 Die 15 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*

LXX.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium

Ex clementi proviſione Sedis Apoſtolicę, necnon religioſarum perſonarum, pręſertim ſub regulari obſervantia Altiſſimo famulantium, ſtudio pię vitę, devotione, & meritis noſcitur provenire, ut Romanus Pontifex, quandoque Prędeceſſorum Romanorum Pontificum geſta corroboret, & indulta confirmet. Dudum ſiquidem felicis recordationis Benedictus PP. XI, Prędeceſſor noſter dilectis in Chriſto filiabus univerſis Priorifſis, & Sororibus Monaſteriorum Ordinis S. Auguſtini, ſecundum inſtituta, & ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum viventibus, pręſentibus, & futuris, literas conceſſit tenoris ſubſequentis. Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus univerſis, Prioriſſis, & Sororibus Monaſteriorum Ordinis S. Auguſtini ſecundum Inſtituta, & ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum viventibus, tam pręſentibus, quam futuris, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sacra veſtra religio, ſub qua devotum Creatori noſtro &c. (3). Datum Laterani Tertio Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dictarum Prioriſſarum, & Sororum, petitio continebat, ipſę Prioriſſę, & Sorores literas prędictas, ut eo potioris roboris firmitate ſubſiſtant, & per illos, ad quos ſpectat, firmius obſerventur, quo frequentiori fuerint Sedis ejuſdem pręſidio ſtabilitę, noſtro munimine roborari deſideremus, pro parte earundem Prio-

Tenor Conſtitutionis B. Benedicti XI.

Prꝭoriſſarum, & Sororum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut earum deſiderio hujuſmodi favorabiliter annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos hujuſmodi ſupplicationibus inclinati Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium literas prędictas, ac omnia, & ſingula in illis contenta, & inde ſecuta approbamus, ac pleno decernimus ſubſiſtere robore firmitatis. Nulli ergo &c noſtrę approbationis & conſtitutionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Primo, Idibus Maii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Confirmatio.

1. *Moniales.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. XIII.*
2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar. Authenticum unum *Libro B. fol. 529* ex Autographo *Taurenſi*. Aliud ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXII fol. 16.*
3. *Noſtro &c.*) Ut in *Conſtitutione XIX B. Benedicti XI pag. 91 Tomi II.*

Anno 1451 Die 17 Maii.

Ex Martini V præſcripto prohibet, ne Mendicantes Fratres ad Monachorum, Carthuſianis exceptis, Ordines tranſeant (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXI.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Hac de re ſancita a Martino V.

SOlicitudo paſtoralis officii &c. (3). Dudum ſiquidem felicis recordationis Martinus Papa Quintus, Prędeceſſor noſter, viam ambitioſę cupiditatis Religioſis potiſſime mendicantibus ad alios Ordines, pręſertim Monaſticos, ſucatis coloribus, & ob frugem melioris vitę convolare nitentibus, pręcludere cupiens, ex certa ſcientia declaravit, ac decrevit, ſtatuens, quod de cetero nullus Religioſus de Ordinibus Mendicantium, quorumcunque, cujuſcunque ſtatus, conditionis, vel Religionis exiſteret, quomodocunque, & qualitercunque, poſſet, & deberet virtute cujuſcunque licentię & indulti Apoſtolici, ſeu Pęnitentiarię noſtrę, nunc ſuę, curam gerentis, vel alia quavis auctoritate, hactenus etiam per Bullas Apoſtolicas facultatum quarundam, tam Legatorum, & Nunciorum Sedis pręfatę, necnon Pęnitentiarię hujuſmodi pro tempore curam gerentis, quam aliorum quorumcunque, ſub quavis poteſtate, aut Auctoritate, maxime de transferendis Fratribus, aut aliquibus pręſertim Ordinum Mendicantium profeſſoribus in genere, vel in ſpecie ab Ordinibus hujuſmodi Mendicantibus ad Monaſticos, ſub quacunque conceptione verborum apparerent, admitti, aut recipi per aliquos etiam ſuperiores Ordinis, ſeu Monaſterii, aut loci Monaſtici, ſeu alias in Monachum, ſeu in Fratrem alicujus ex Ordinibus Monaſticis ſupradictis, vel alias expreſſis, & non expreſſis, Ordine Carthuſiano duntaxat excepto, ſub pęna excommunicationis, in quam tam recipientes, quam recepti, ipſo facto incurrerent, & quam ex tunc contra quemlibet tranſgreſſorem protulit, ac ſecus, vel aliter facta, non tenere, nullius exiſtere efficacię, roboris, vel momenti: decernens, quod ſi quis virtute cujuſcunque licentię, ſeu indulti fuiſſet receptus ad aliquem Monaſticum Ordinem, & habitum conſuetum geſtari per Monachos dicti Ordinis ſuſcepiſſet, ſive profeſſionem emiſiſſet, ſive non, ſub dicta pęna teneatur in Monaſterio, in quo receptus eſt, ſtare, per quaſdam primo, & deinde per alias ſuas literas ſtatuit, & ordinavit, quod omnes, & ſinguli Fratres Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, qui ipſius Prędeceſſoris ſuper hoc non obtenta licentia, erant tunc, & in antecedenter eſſent, venerabilium S. R. E. Cardinalium, ſeu aliorum Prçlatorum, aut quarumvis perſonarum Eccleſiaſticarum, vel ſecularium Capellani, ſeu Confeſſores, aut familiares, non tamen in domibus eorundem Cardinalium pro tempore commorantes, proinde eorum Superioribus, & correctioni ipſorum in omnibus, & per omnia eſſent ſubjecti, ac ſi Capellani, ſeu Confeſſores, aut familiares, ut pręfertur, non eſſent, decernens nihilominus, eos ad renunciandum officiis & familiaritatibus hujuſmodi obtentis, deſiſtendumque penitus, & omnino ab officiis & familiaritatibus eiſdem atque ad clauſtra ſua revertendum, & regulariter juxta ſuę profeſſionis continentiam vivendum, per dilectos filios Priorem Generalem, ac Provinciales ipſius Ordinis Priores, efficaciter compellendos, prout in ſingulis dicti Prędeceſſoris inde confectis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut facti evidentia demonſtrat,

Inhibitio.

Prędeceſſoris ſtatuta, decreta, & ordinationes hujuſmodi, quę minime cuſtodita ſunt, non ſolum ſperatos fructus, prout veriſimiliter credebatur, non attulerunt, verum etiam iidem Religioſi exquiſitis mediis, ſuavi jugo Domini excuſſo, religionis obſervantia, & clauſtri amęnitate penitus derelictis, ad alios Monaſticos, ſive Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini Ordines ſe tranſtulerunt, nonnulli vero beneficia Eccleſiaſtica, etiam quibus cura imminet animarum, ſimulatis occaſionibus, aſſecuti, illa contra decreta, ſtatuta, & ordinationem prędicta detinuerunt, prout eorum aliqui detinent in animarum ſuarum periculum, & Ordinis memorati prędjudicium, ac non modicum detrimentum; Nos, volentes in pręmiſſis prout ex officii Paſtoralis debito obligamur, de opportuno remedio providere, declarationem, ſtatuta, & ordinationes, prędicta, auctoritate Apoſtolica ratificantes, & approbantes, & pro illorum ſoliditate innovantes, illaſque inviolabiliter obſervari, mandantes, univerſis, & ſingulis ejuſdem Ordinis profeſſoribus cujuſcunque dignitatis, ordinis, vel conditionis fuerint, qui contra literarum earundem tenores ad aliquem Monaſticum, ſive Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini, pręter quam Carthuſien. Ordinem, ſe tranſtulerint, quique beneficia eccleſiaſtica cum cura, vel ſine cura ex poſt adepti ſint, aut earundem, vel aliarum perſonarum, pręter quam ſi aliquorum S. R. E. Cardinalium prędictorum Capellani continui commenſales, eorumque ſervitiis inſiſtant, harum ſerie in virtute Sanctę obedientię auctoritate Apoſtolica pręcipimus & mandamus, quatenus infra unius menſis ſpatium, poſtquam pręſentes ad ipſorum notitiam deductę fuerint, ad domos ipſius Ordinis, in quibus regularem profeſſionem emiſerant, vel alias prout Generales, & Provinciales Priores dicti Ordinis pro tempore exiſtentes ſtatuerint, omni prorſus exceptione remota redire, ac beneficia hujuſmodi, quę

ex

Digitized by Google

ex nunc vacare decernimus, realiter, & cum effectu dimittere, ipſorumque ſuperiorum mandatis parere, eiſque intendere humiliter teneantur. Et nihilominus eiſdem Prioribus tenore pręſentium auctoritate prędicta pręcipimus, & mandamus, quatenus omnes, & ſingulos profeſſores prędictos, qui in earundem, ac pręſentium litterarum obſervatione ſe exhibuerint negligentes, quomodolibet, vel rebelles, non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, exemptionibus, habilitatibus, diſpenſationibus, commendis, licentiis, collationibus, proviſionibus, aut literis Apoſtolicis, eis, vel eorum aliquibus, etiam alicujus, ſeu aliquorum intuitu vel reſpectu, ſub quacunque forma, vel expreſſione verborum, etiamſi de illis individua & expreſſa mentio, ac de verbo ad verbum habenda foret, hactenus factis, ſeu conceſſis, & in poſterum forte faciendis, & concedendis, quę eis in pręmiſſis nullatenus volumus ſuffragari, omnibus, & ſingulis beneficiis, quę obtinent, ſeu obtinebunt quomodolibet in futurum, privare, ipſoſque ab illis amovere, & amoveri facere, necnon inobedientes prędictos, pęnis quę pro culpis, aut exceſſibus majoribus, ſeu gravioribus in dicto Ordine imponi ſolent, ſive alias pro ſui arbitrio punire, & corrigere; Necnon omnes & ſinguli, qui aliquem ex Fratribus dicti Ordinis in Eccleſiis ſibi commiſſis, vel alias ad eos legitime pertinentes pro Capellanis, vel aliter retinent, illos infra dictum menſem licentiare, ac expellere vigili attentione procurent. Alioquin ſi de pręmiſſis fuerint negligentes, quomodolibet vel rebelles, beneficiis hujuſmodi eo ipſo privati exiſtant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę ratificationis, approbationis, conſtitutionis, commiſſionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Primo, Sexto decimo Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Tranſeant.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XII.*

2. *Archivo.* In quo Exemplar authenticum *Lib. B. fol. 705.* ex Autographo *Barchinonenſi*. Legitur in *Bullario Caſinenſi Tomo I Conſt. LXXXI pag. 37.*

3. *Officii &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Monaſterii Toletani (1) fundandi facultas.

Anno 1451 Die 18 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Toletan., & dilectis filiis Archidiacono de Talaurza, ac Theſaurario Eccleſię Toletan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SEdis Apoſtolicę gratioſa benignitas piis fidelium quorumlibet, pręſertim feminei ſexus, qui ſpretis mundanis illecebris, ac mortalis viri toro propulſo, in illius, qui ſpecioſus eſt pię filiis hominum beneplacitis ſub Religionis habitu Altiſſimo famulantur, votis libenter annuit, ac honeſtis ſupplicantium precibus favorem benevolum impertitur. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectę in Chriſto filię Conſtantię (3) Prioriſſę Monaſterii Monialium Sancti Dominici de Majorito (4) per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, Toletan. Dięceſis, petitio continebat, quod ſcilicet olim pro ejus parte Nobis expoſito, quod ipſa pro divini cultus augmento, & regularis obſervantię ejuſdem Ordinis S. Auguſtini, quę ſub cura antedicta, & regulari obſervantia erat, propagatione, quandam domum in Civitate Toletan. conſiſtentem, & per Chriſti fidelium largitionem, ad illius inſtantiam ad id conceſſam, ſeu quę in poſterum concedi contigerit, in Monaſterium Monialium ejuſdem Ordinis S. Auguſtini, quę ſub cura antedicta, & regulari obſervantia Altiſſimo famularentur, de bonis quę ad uſum pręmiſſorum ſibi ſimili largitione pertinebant, ſeu pervenirent in futurum, fundare, & ſufficienter dotare proponebat, & intendebat, ac pro parte dictę Conſtantię, quę, ut aſſerebat, cariſſimi in Chriſto filii noſtri Johannis (5) Caſtellę, & Legionis Regis Illuſtris conſanguinea erat, Nobis humiliter ſupplicato, ut ejus pio deſiderio hujuſmodi favorabiliter annuere, & alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur, Nos hujuſmodi, ac dicti Regis Nobis in ea parte humiliter ſupplicantis, ſupplicationibus inclinati, dilecto filio officiali Toletan., ejus proprio nomine non expreſſo, aliis noſtris literis dedimus in mandatis, quatenus, ſi eſſet ita, eidem Conſtantię, poſtquam domum ſpeam, & mobilia pro conſtructione, & immobilia bona pro dote Monaſterii hujuſmodi ſufficientia debite aſſignare feciſſet, prędictam domum in Monaſterium Monialium dicti Ordinis, quę inibi ſub regulari obſervantia perpetuo Altiſſimo famularentur, erigendi, fundandi, & dotandi, ac cum Eccleſia, cęmeterio, campanili, clauſtro, dormitorio, refectorio, & aliis ſolitis, ac debitis officinis, erigi, fundari, conſtrui, & dotari faciendi, jure Parochialis Eccleſię, & cujuſlibet alterius alias in omnibus ſemper ſalvo, ac illas ex dilectis in Chriſto filiabus Monialibus prędicti Monaſterii de Majorito, quę ſub obſervantia hujuſmodi vivere valerent ad dictum fundandum Monaſterium transferendi, licentiam elargiri, & quod dictum fundandum Monaſterium perpetuis futuris temporibus per Prioriſſam regatur, & gubernetur, ſtatuere, & decernere, ipſamque Conſtantiam fundando Monaſterio in Prioriſſam pręficere, curam, regimen, & adminiſtrationem illius ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, ſeu fundandi Monaſterii Prioratum ſibi conferre & aſſignare, necnon quod pręfata Conſtantia & ipſius fundandi Monaſterii exiſtentes Prioriſſę, & in eo degentes Moniales, illarumque Viſitator, Capellani, ſervitores, & ſervitrices, etiam extra dictum Monaſterium commorantes pro tempore, ipſumque fundandum Monaſterium, omnibus, & ſingulis exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, gratiis, conceſſionibus, & indultis pręfati Ordinis Sancti Auguſtini, necnon de Outordeſillas Ordinis Sanctę Clarę, Palentin. Dięceſis, Monaſterii per Nos, vel Sedem Apoſtolicam, ſeu alias quomodolibet, ſub quibuſvis verborum formis,

in

Supplex petitio.

in ſpecie, vel in genere, necnon particulariter conceſſis, & in poſterum forſan concedendis, in omnibus, & per omnia pariter, & abſque ulla differentia perinde ac ſi illa omnia, & ſingula, quorum tenores de verbo ad verbum pręſentibus haberi volumus pro expreſſis, eidem Conſtantię, Priorissę, & degentibus Monialibus, viſitatori, Capellanis, ſervitoribus, & ſervitricibus, ipſique fundando Monaſterio, nominatim, ſpecifice, & expreſſe conceſſę fuiſſent, & concederentur, uti, gaudere libere, ac licite poſſent, & valerent, concedere, & indulgere curaret, prout in dictis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dictę Conſtantię, petitio continebat, licet dictus officialis ad ipſarum literarum executionem procedens, quia per informationem per eum deſuper habitam pręmiſſa repererit fore vera, Monaſterium fundandi, conſtruendi, & dotandi licentiam elargitus fuerit, quod Monaſterium ipſum perpetuis futuris temporibus per Priorissam regatur, & gubernetur, necnon omnia alia, & ſingula in dictis literis contenta conceſſerit, & fecerit, tamen nonnulli aliorum in dicta civitate conſiſtentium pręfati Ordinis Monaſteriorum Fratres, & Moniales, alięque Eccleſiaſticę, & ſeculares perſonę Civitatis prędictę per eoſdem Fratres & Moniales inductę pręfatam Conſtantiam in ſuo laudabili propoſito hujuſmodi multipliciter impedire pręſumpſerunt, ac pręſumunt, feceruntque, & faciunt, quo minus ipſa Conſtantia Monaſterium pręfatum fundare, erigere, & conſtruere, Civitatemque prędictam intrare, ſeu ad illam procuratores, factores, & familiares ſuos mittere valeat, pro parte ejuſdem Conſtantię Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam, vocatis, qui fuerint evocandi, vobis de pręmiſſis legitime conſtiterit, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & pręeminentię fuerint, dictam Conſtantiam in pręmiſſis per ſe, vel alium, ſeu alios impedientes, & perturbantes, ſeu ipſos impedientibus, & perturbantibus auxilium, conſilium, vel favorem publice, ſeu occulte, directe, vel indirecte pręſtantibus, ut ab impedimentis, & perturbationibus, ac auxilii, conſilii, & favoris hujuſmodi pręſtationibus, penitus omnino ceſſent, necnon deinceps talia facere attentare pręſumant, ſub excommunicationis pęna, quam contrafacientes eo ipſo incurrant, & a qua nonniſi a Nobis, vel ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, pręter quam in mortis articulo conſtitutus, quis abſolvi poſſit, monere, & eiſdem mandare, auctoritate noſtra curetis. Et nihilominus illos ex pręſumptoribus prędictis, quos excommunicationis ſententiam hujuſmodi incurriſſe conſtiterit, tandiu Dominicis, aliiſque feſtivis diebus, in Eccleſiis, dum inibi populi multitudo concurret ad divina, excommunicatos publice nuncietis, faciatiſque ab aliis nunciari, necnon ab omnibus arctius evitari, donec excommunicati, a Nobis, vel Sede prędicta abſolutionis beneficium meruerint obtinere. Non obſtante, ſi ordinationibus pręfatis a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod ipſorum Ordinum perſonę vel eorum Ordines non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictę Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, veſtrę juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, quę quoad hoc nolumus aliquibus ſuffragari. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Millesimo Quadringenteſimo Quinquageſimo primo, Quintodecimo Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Facultas.

1. *Toletani.*) Vulgo *Toledo* in *Hiſpania Tarraconen.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXIV fol. 74.*
3. *Conſtantia.*) E ſtirpe regia oriundæ, ut ex hoc & ſequenti Diplomatibus liquet.
4. *De Majorito.*) Seu *Majorico*, id eſt *Madriten.*, vulgo *Madrid.*
5. *Johannis.*) Hujus nominis *II.*

Anno 1451
Die 18 Maii.

Donationem Toletano (1) Monaſterio factam confirmat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXIII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis de Majorito & de Guadalfarara in Eccleſia Toletan. Archidiaconis, ac officiali Toletan, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

EX debito miniſterii paſtoralis, quo Eccleſiis, & Monaſteriis omnibus pręſidemus, illis quę pro Eccleſiarum, & Monaſteriorum eorundem, ac in eis pręſertim ſeminei ſexus ſub regulari habitu Domino famulantium perſonarum, commodo, & utilitate proceſſiſſe, comperimus, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolici mandamus adjici muniminis firmitatem. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectę in Chriſto filię Conſtantię Priorissę Monaſterii Monialium Sancti Dominici de Majorito (3) Ordinis Sancti Auguſtini, Toletan Dięceſis, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium petitio continebat, quod olim ipſa, cui per alias noſtras literas inter cetera quandam Domum in Civitate Toletan. conſiſtentem in Monaſterium Monialium dicti Ordinis, quę inibi ſub regulari obſervantia in perpetuum famularentur, erigendi, conſtruendi, fundandi, & dotandi, licentia conceſſa exiſtit, volens dictum fundandum Monaſterium de bonis ſibi pia Chriſti fidelium largitione donatis dotare, inter alia ſummam, ſive quantitatem octo millium Morabetinorum (4) Monetę illius patrię, ac unam petiam (5) de panno de Moſtreviller nuncupatam, necnon viginti Caficia (6) frumenti ſibi a cariſſimo in Chriſto filio noſtro Johanne Caſtellę, & Legionis Rege Illuſtri in ipſius Regis libris annuatim in donationem perpetuo aſſignata de pręfati Regis voluntate, & conſenſu, dicto fundando Monaſterio in dotem perpetuo donavit, & conceſſit, prout in inſtrumento publico deſuper confecto dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem

Supplex petitio.

pe-

petitio ſubjungebat, dicta Conſtantia donationem, & conceſſionem prędictas, ac omnia, & ſingula inde ſecuta pro ipſorum ſubſiſtentia firmiori Apoſtolico munimine roborari deſideret, pro parte Regis, & ejuſdem quę, ut aſſerit, ipſius Regis conſanguinea exiſtit, Conſtantię prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Conſtantię deſiderio hujuſmodi ſavorabiliter annuere, & alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam vobis, de donatione, ac conceſſione hujuſmodi legitime conſtiterit, eas, & prout illas contingunt, & rationabiliter proceſſerunt, quęcunque inde ſecuta approbare, & confirmare auctoritate Apoſtolica curetis, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Primo, Quinto Decimo Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Toletano.*) Conſulendum precedens Diploma.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro IX fol. 14.*
3. *Majorito.*) *Majorico.*
4. *Morabetinorum.*) Monetæ ſpecies, de qua dictum fuit.
5. *Petiam.*) Id eſt *Panni volumen.*
6. *Caficia.*) Menſura *Hiſpanica*, de qua *Du Cange* in *Gloſſario*, verbo *Caficium.*

Ordinis Conſervatores in Hiſpania, & Galliis conſtituti.

Anno 1451
Die 19 Maii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

LXXIV.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Compoſtellan., Cęſarauguſtan., & Lugdunen. Archiepiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

MIlitanti Eccleſię licet immeriti, diſponente Domino, pręſidentes, circa curam Eccleſiarum, & Monaſteriorum omnium ſolertia omni reddimur indefeſſe ſoliciti, ut juxta paſtoralis officii regimen eorum occurramus diſpendiis, & profectibus, divina cooperante clementia, ſalubriter intendamus. Sane dilectorum filiorum Magiſtri, & Fratrum Prędicatorum, necnon dilectarum in Chriſto filiarum Sororum, aliarumque perſonarum ſub obedientia dicti Ordinis conſtitutarum, conqueſtione percepimus, quod nonnulli Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliique Eccleſiarum Pręlati, ac Eccleſiaſticę perſonę, tam Religioſę, quam Seculares, necnon Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Milites, & Laici, Communia Civitatum, Univerſitates oppidorum, caſtrorum, villarum, & aliorum locorum, & alię ſingulares perſonę Civitatum, & Dięceſum, & aliarum partium diverſarum, occuparunt, & occupari fecerunt, Caſtra, Villas, & alia loca, terras, domos, poſſeſſiones, jura, & juriſdictiones, necnon fructus, cenſus, redditus, & proventus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Sororum, & perſonarum aliarum prędictarum, & nonnulla alia mobilia, & immobilia ſpiritualia, & temporalia ad Ordinem, Fratres, Sorores, & perſonas prędictos ſpectantia, & ea detinent indebite occupata, ſeu ea detinentibus pręſtant auxilium, conſilium, vel favorem, nonnulli etiam civitatum, & dięceſum, ac partium prędictarum, qui Nomen Domini in vanum recipere non formidant, eiſdem Ordini, & perſonis ſuper prędictis caſtris, villis, & Locis aliis, terris, Domibus, & poſſeſſionibus, juribus, juriſdictionibus, fructibus, cenſibus, redditibus, & proventibus eorundem, ac quibuſcunque aliis bonis mobilibus, & immobilibus, ſpiritualibus, & temporalibus, & aliis rebus ad eoſdem Ordinem, Fratres, & Sorores, & perſonas ſpectantibus, multiplices moleſtias, & injurias inferunt, & jacturas. Quare dicti Magiſter, & Fratres, & Sorores, alięque perſonę Nobis humiliter ſupplicarunt, ut cum eiſdem, valde reddatur difficile pro ſingulis querelis ad Apoſtolicam Sedem habere recurſum, providere ipſis ſuper hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adverſus occupatores, detentores, prędſumptores, moleſtatores, & injuriatores, hujuſmodi, illo volentes eiſdem Ordini, Fratribus, Sororibus, & Perſonis remedio ſubvenire, per quod ipſorum compeſcatur temeritas, & aliis aditus committendi ſimilia pręcludatur, Fraternitati veſtrę, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, etiamſi ſint extra loca, in quibus deputati eſtis conſervatores, & judices, pręfatis Ordini, & Fratribus, Sororibus, & perſonis, efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes non permittatis eos ſuper his, & quibuslibet aliis bonis, & juribus ad Ordinem, Fratres, Sorores, & perſonas prędictos, ab eiſdem & quibuslibet aliis, indebite moleſtari, vel eis gravamina, ſeu damna, vel injurias irrogari, facturi dicto Magiſtro, Fratribus, Sororibus, & perſonis, cum ab eis, vel Procuratoribus ſuis, aut eorum aliquo fueritis requiſiti, de prędictis, & aliis perſonis quibuslibet ſuper reſtitutione hujuſmodi Caſtrorum, Villarum, Terrarum, & aliorum locorum, juriſdictionum, jurium, & bonorum mobilium, redditium quoque, & proventuum, & aliorum quorumcunque bonorum, necnon de quibuslibet moleſtiis, injuriis, & damnis pręſentibus, & futuris, in illis videlicet quę judicialem requirunt indaginem, ſummarie, de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, in aliis vero prout qualitas eorum exegerit, juſtitię complementum, occupatores, ſeu detentores, prędſumptores, moleſtatores, & injuriatores hujuſmodi, necnon contradictores quoslibet, cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis extiterint, quandocunque, & quotieſcunque expedierit, Auctoritate noſtra per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus, tam felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, in quibus cavetur, ne aliquis extra ſuam Civitatem, & Dięceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis, ultra unam dietam a fine ſuę Dięceſis, ad judicium evocetur, ſeu ne judices, & conſervatores a Sede deputati prędicta, extra Civitatem, & Dięceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, ſive alii, vel aliis vi-

Diplomatis cauſa.

Supplex petitio.

Conſervatores conſtituti.

vices ſuas, committere, aut aliquem, ultra unam Dietam, a fine ſuę Dięceſis trahere pręſumant, dummodo ultra duas dietas, aliquis auctoritate pręſentium non trahatur, ſeu quod de aliis, quam manifeſtis injuriis, & violentiis, ac illis, quę judicialem requirunt indaginem, pœnis in eos, ſi ſecus egerint, & in id procurantes editis, conſervatores, ſe nullatenus intromittant, quam aliis quibuſcunque Conſtitutionibus, a Prędeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, tam de Judicibus delegatis, & conſervatoribus, quam perſonis, ultra certum numerum ad judicium non vocandis, aut aliis editis, quę veſtrę poſſent juriſdictioni, aut poteſtati, ejuſque libero exercitio, quomodolibet obviare, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim a prefata ſit Sede indultum, quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici, ſeu extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi, & eorum perſonis, locis, Ordinibus, & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dictę Sedis Indulgentia generali vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, veſtrę juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, & de qua cujusque toto tenore, de verbo ad verbum in noſtris literis, habenda ſit mentio ſpecialis. Ceterum volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod quilibet veſtrum, proſequi valeat Articulum, etiam per alium inchoatum, quamvis id inchoans, nullo fuerit impedimento canonico prępeditus, quodque a datis pręſentium, ſit vobis, & unicuique veſtrum, in pręmiſſis omnibus, & eorum ſingulis cęptis, & non cęptis, pręſentibus, & futuris, perpetuata poteſtas, & juriſdictio attributa, ut eo vigore, eaque firmitate poſſitis in omnibus pręmiſſis, cęptis, & non cęptis, pręſentibus, & futuris, & pro prędictis procedere, ac ſi prefata omnia, & ſingula a vobis cępta fuiſſent, & juriſdictio veſtra, & cujuslibet veſtrum, in prędictis omnibus, & ſingulis per citationem, vel modum alium perpetuata legitime extitiſſet. Conſtitutione prędicta ſuper Conſervatoribus, ac alia qualibet in contrarium edita, non obſtante. Pręſentibus futuris perpetuis temporibus valituris. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Primo, Quarto decimo Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar authenticum ex Autographis aſſervatur in Cœnobio *Cordubenſi*, & in Monaſterio *S. Petri Martyris* in oppido *de Mayorga* in *Hiſpania*. Aliud habes in *Salmanticenſi* Cœnobio.

Anno 1451
Die 26 Junii.

Cœnobii prope Halduſten (1) fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXV.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Zagrabien. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Piis fidelium votis gratum Nos decet pręſtare aſſenſum, &, ut ea, quę Religionis propagationem, divinique cultus augmentum reſpiciunt, optatum ſortiantur effectum, libenter interponimus ſollicitudinis noſtrę partes. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Federici Cilię (4), Segnrię (5) & Hortemburgę (6) Comitis, petitio continebat, quod ipſe ob ſingularem devotionem quam erga Ordinem Prędicatorum geris, cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in eterna felici commercio commutare, de bonis a Deo collatis, & propriis facultatibus ad ſui Creatoris, & glorioſiſſimę ejus Genitricis ſemper Virginis Marię laudem, & gloriam ſub vocabulo S. Spiritus, quandam domum cum Eccleſia, campanili, refectorio, & aliis officinis neceſſariis inter ... & Savech caſtra prope Haiduſten, Aquilejen. Dięceſis, ſitam, de licentia Ordinarii loci conſtrui, & ędificari fecis, quam quidem domum pro uſu, & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis de cetero in eadem domo regulariter viventium donare vult, & proponit. Quare pro parte dicti Comitis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi Fratribus Ordinis hujuſmodi prędictam domum donandi, & illis recipiendi, & acceptandi licentiam concedere, & alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionem, & cultum hujuſmodi vigere, & etiam adaugeri intenſis deſideriis affectamus, ac Comitem ipſum in ſuo laudabili propoſito confovere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati suę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, donata, & aſſignata domo hujuſmodi per dictum Comitem, ut pręfertur, Fratribus Ordinis prędicti talem domum cum habitationibus ſuis univerſis recipiendi, & retinendi auctoritate Apoſtolica licentiam largiaris, & nihilominus univerſis, & ſingulis quos in dicta domo pro tempore reſidere, ſive degere contigerit, Fratribus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, libertatibus, exemptionibus Ordini pręfato, & ipſius domibus, ac perſonis per Sedem Apoſtolicam, & alias generaliter quomodolibet conceſſis, quę preſentibus pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, uti, & gaudere libere, & licite valeant, auctoritate prędicta tenore pręſentium indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua civitate, vel villa, aut quovis loco ad habitandum quęcunque loca de novo recipere, vel hactenus recepta mutare pręſumant, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Primo, Sexto Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Supplex petitio.

1. Hal-

1. *Halduſten.*) Hocce Cœnobium in *Stiria* ſitum videtur.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXII fol.28.*
3. *Zagrabien.*) Aliis *Zagabrien.*, vulgo *Zagabria*, in *Pannonia*.
4. *Cilia.*) *Celia*, & *Celeja*, vulgò *Cyllej*, in *Stiria*.
5. *Segoria.*) Fortaſſis *Secovia*, vulgo *Seckavv*, in *Stiria*.
6. *Hortemburga.*) Forſan *Altenburgi*, vulgo *Altemburg*, in *Hungaria*, *Arrabonem verſus*.

Anno 1451 Die 28 Junii.

Madritenſe, ac Toletanum Monaſteria (1) variis privilegiis ornat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXVI.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

Digna reddimur attentione ſoliciti, ut in admittendis illarum votis benevolentię impertiamur effectum, quę illecebris mundanis, ac mortalis viri toro propulſis, in illius, qui ſpecioſus eſt prę filiis hominum, beneplacitis, ſub regulari obſervantia laudabiliter converſantur. Hinc eſt, quod Nos, qui dudum ex certis tunc a Nobis pro parte dilectę in Chriſto filię Conſtantię Prioriſſę Monaſterii Monialium Sancti Dominici de Majorito (3) per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, Toletan. Diœceſis, expoſitis cauſis, cariſſimi in Chriſto filii noſtri Johannis Caſtelię ſecundę (4), Legionis (5) Regis Illuſtris, nobis deſuper humiliter ſupplicantis, ipſiuſque Conſtantię ſupplicationibus inclinati, per alias noſtras literas eidem Conſtantię quandam Domum in Civitate Toletan. conſiſtentem in Monaſterium Monialium dicti Ordinis, quę inibi ſub regulari obſervantia perpetuo Altiſſimo famularentur, erigendi, conſtruendi, fundandi, & dotandi, ac erigi, fundari, conſtrui, & dotari faciendi, licentiam elargiri, necnon quod pręfata Conſtantia, & ipſius fundandi Monaſterii Prioriſſę pro tempore exiſtentes, ac in eo degentes Moniales, illarumque Viſitator, Capellani, ſervitores, & ſervitrices, etiam extra dictum Monaſterium commorantes pro tempore, ipſumque Monaſterium fundandum omnibus, & ſingulis exemptionibus, & immunitatibus, libertatibus, privilegiis, gratiis, conceſſionibus, indulgentiis, & indultis pręfati Ordinis Sancti Auguſtini, necnon de Otordeſillas Ordinis Sanctę Clarę, Palentin. Diœceſis, Monaſteriis per Nos, vel Sedem Apoſtolicam, ſeu alias quomodocunque, ſub quibusvis verborum formis, in ſpecie, vel in genere, necnon particulariter conceſſis, & in poſterum forſan concedendis, in omnibus, & per omnia pari modo, & abſque ulla differentia, perinde ac ſi illa omnia & ſingula, quorum tenores de verbo ad verbum ipſis aliis literis voluimus pro expreſſis, eidem Conſtantię, Prioriſſis, & degentibus Monialibus, Viſitatori, Capellanis, ſervientibus, & ſervitricibus, ipſique fundando Monaſterio, nominatim, ſpecifice, & expreſſe conceſſa fuiſſent, & concederentur, uti, & gaudere libere, & licite poſſent, & valerent, concedi, & indulgeri mandavimus, certo deſuper executore deputato, prout in dictis literis plenius continetur, Regis, & Conſtantię prędictorum in hac parte ſupplicationibus inclinati, eidem Conſtantię, & aliis Prioriſſis dicti Monaſterii de Majorito, ac in eo degentibus Monialibus, illarumque Viſitatori, Capellanis, ſervitoribus, & ſervitricibus, etiam extra prędictum Monaſterium de Majorito commorantibus pro tempore, ac ipſi Monaſterio de Majorito, quod pręfato fundando Monaſterio, & illius Prioriſſis, Monialibus, Viſitatori, Capellanis, ſervitoribus, & ſervitricibus per Nos, ut pręmittitur, conceſſis, necnon eis, & dicti fundandi Monaſterii Prioriſſis, Monialibus, Capellanis, ſervitoribus, & ſervitricibus pręſentibus & futuris, ut etiam per Nos, & Sedem prędictam, vel alias dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum Monaſteriis quomodocunque, & qualitercunque ſub quibusvis verborum formis, in ſpecie, vel in genere, etiam particulariter conceſſis, & concedendis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, gratiis, conceſſionibus, & indultis omnibus, & ſingulis libere, & licite uti, & gaudere poſſint, & valeant, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus pariter, & indulgemus; mandantes diſtrictius dictorum Sancti Auguſtini, & Fratrum Prędicatorum Ordinum, ac de Otordeſillas Monaſteriorum quorumcunque Prioribus, & ſuperioribus, Abbatiſſę, Monialibus, & perſonis, ut dum, & quoties deſuper fuerint requiſiti, eiſdem Conſtantię, & aliis de Majorito, ac fundandi Monaſteriorum prędictorum Prioriſſis, & Monialibus, illarumque Procuratoribus exemptionum, immunitatum, libertatum, privilegiorum, gratiarum, conceſſionum, & indultorum eis conceſſorum apud eos conſiſtentium, vera, & integra tranſumpta tradant, & aſſignent, ſeu tradi, & aſſignari faciant, & permittant, ipſarum tamen requirentium propriis ſumptibus, & expenſis. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii, & Ordinum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrorum conceſſionis, indulti, & mandati infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo primo, Quarto Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Indultum.

1. *Monaſteria.*) Conſulendæ *Conſtitutiones LXXII, LXXIII &c.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXVI fol.161.*
3. *Majorito.*) *Majorico.*
4. *Caſtella Secunda.*) Seu *Caſtella Nova*;
5. *Legionis.*) *Et Legionis.*

Anno 1451
Die 1 Julii.

Compoſitionem Parochum inter & Horteſianos (1) Fratres initam confirmat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXVII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Officiali Laſcuren. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

EA quę judicio, vel concordia terminata ſunt, ne in recidivę contentionis ſcrupulum relabantur, ſed illibata perſiſtant, Apoſtolico convenit pręſidio communiri. Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Prędicatorum Conventus loci de Horteſio Ordinis Fratrum Prędicatorum, Aquen. (4) Dięceſis, Nobis exhibita, petitio continebat, quod olim poſtea quam inter Priorem, & Fratres prędictos ex una, ac quondam Gulliemotum tunc perpetuum vicarium Parochialis Eccleſię dicti loci ſuper eo, quod Prior, & Fratres prędicti decedentium Corpora in cęmeterio Eccleſię dicti Conventus in ejuſdem Vicarii prępjudicium tradebant Eccleſię ſepulturę, necnon quibuſdam oblationibus legatis, & rebus aliis ex altera partibus, quęſtionis materia exorta fuerat, tandem de conſenſu bonę memorię Navarri (5) tunc Epiſcopi Aquen. ſuper pręmiſſis amicabilis inter partes ipſas compoſitio intervenerat, prout in patentibus literis inde confectis dicebatur plenius contineri, felicis recordationis Clemens PP. IIII Prędeceſſor noſter compoſitionem ipſam ſicut rite, & provide facta fuerat, & ab utraque parte ſponte recepta, ac ex tunc pacifice obſervata, ratam habens, & firmam, auctoritate Apoſtolica confirmavit prout in literis dicti Clementis Prędeceſſoris plenius continetur. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, moderni Prior, & Fratres dicti Conventus compoſitionem, auctorizationem, confirmationem, & communitionem prędictas dubitant ex certis cauſis viribus non ſubſiſtere, pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut compoſitioni, auctorizationi, confirmationi, & communitioni pręfatis cum omnibus inde ſecutis, pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę Confirmationis adiicere, ac alias eis ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam tibi de compoſitione, auctorizatione, confirmatione, & communitione prędictis legitime conſtiterit, illas, necnon quęcunque inde ſecuta, auctoritate Apoſtolica approbes, & confirmes, ſupplendo omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Conventus, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Primo, Kalendis Julii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Diplomatis cauſa.

Confirmatio.

1. *Horteſianos.*) *Horteſianum*, aliis *Orteſianum* Cœnobium juris eſt *Occitaniæ* Provinciæ.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XCVI fol.* 17.
3. *Laſcuren.*) Vulgo *Leſcar*, in *Aquitania*.
4. *Aquen.*) Vulgo *Acqs*
5. *Navarri.*) Is erat *Navarrus de Mioſſens.* Ad eas *Sammarthanos in Epiſcopis Aquen.*

Anno 1451
Die 3 Julii.

De ampliando Pinarolienſi (1) Cœnobio.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXVIII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Sanctę Marię de Stafarda, ac ejuſdem Sanctę Marię de Cabiiero Abbatibus, ac Prępoſito Sancti Laurentii extra Muros Pinaroli per Prępoſitum ſoliti gubernari, Taurinen. (3) Dięceſis, Monaſteriorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SEdis Apoſtolicę gratioſa benignitas piis fidelium, pręſertim ſub Religionis habitu Domino militantium, votis libenter annuit, & honeſtis ſupplicum precibus favorem benevolum impertitur. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Ludovici (4) Ducis Sabaudię ac Prioris, & Fratrum domus SS. Dominici & Antonii oppidi Pinaroli, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Taurinen. Dięceſis, petitio continebat, olim pręfatus Dux de ſalute propria recogitans, ac cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, ſufficienti deſuper a Sede Apoſtolica licentia ſuffultus, pręfatam domum cum Eccleſia, campanili, campana, dormitorio, & aliis neceſſariis officinis ad honorem Dei, & glorioſiſſimę Virginis Marię ſub vocabulo dictorum Sanctorum pro uſu, & habitatione Fratrum hujuſmodi in pręfato oppido fundari, & conſtrui facere cępit, & cum ad perfectionem fundationis, ac conſtructionis hujuſmodi magnę requirantur expenſę, ac quędam domus Confratrię Portę Sancti Franciſci nuncupatę de dicto oppido eidem domui contigua pro perfectione hujuſmodi, necnon ampliatione ſtructurarum, & ędificiorum illius permaxime neceſſaria exiſtat, nonnulli quoque Confratres dictę Confratrię conſentiant, quod pręfata domus cum omnibus, & ſingulis aliis domibus, poſſeſſionibus, & bonis ad ipſam Confratriam ſpectantibus dictis Priori, & Fratribus pro perfectione fundationis, & conſtructionis hujuſmodi concedatur, & aſſignetur, ita tamen quod ipſi Prior & Fratres Ordinis Prędicatorum de prędictis, vel aliis bonis aliquam idoneam & ſufficientem recompenſationem dilectis filiis Guardiano & Fratribus domus Sancti Franciſci de dicto oppido Ordinis Fra-

Diplomatis cauſa.

Fratrum Minorum pro cibariis ex quibus certis anni diebus ipſi Confratres de fructibus Confratrię hujuſmodi duodecim ex Fratribus prędicti Ordinis Minorum exhibere debent, aſſignare teneantur, pro parte eorundem Ducis, Prioris, & Fratrum Ordinis Prędicatorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur; Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, vocatis dictis Confratribus, & aliis, qui fuerint evocandi, vobis de pręmiſſis legitime conſtiterit, poſtquam eiſdem Guardiano, & Fratribus Minorum pro cibariis antedictis debita recompenſa facta fuerit, pręfatam domum, Confratriam nuncupatam, in illa, quatenus opus ſit, dicta Confratria ſuppreſſa penitus, & extincta, cum omnibus aliis domibus, poſſeſſionibus, & bonis ſupradictis, quorum omnium fructus, redditus, & proventus quindecim Florenorum auri de camera ſecundum communem ęſtimationem valorem annuum non excedunt, ipſis primo dictis Priori, & Fratribus pro perfectione fundationis, & conſtructionis domus hujuſmodi deputare, concedere, & aſſignare, ita quod ipſi Prior, & Fratres prędicti ipſam domum Confratrię, ſi opus fuerit, demoliri, & in ea alia ędificia fundari, & conſtrui, facere, alia quoque domos, poſſeſſiones, & bona vendere, ac illarum pretium in perfectionem fundationis, & conſtructionis hujuſmodi convertere, libere, & licite valeant, deputare, concedere, & aſſignare auctoritate noſtra curetis. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo primo, Quinto Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Mandatum.

1. *Pinarolienſi.*) Vulgo *Pignerol*, *Pinarolo*, ad radices *Alpium*, in *Pedemontio*. Juris aſt Provinciæ *S. Petri Martyris*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. VI fol.* 79.

3. *Taurinen.*) In *Pedemontio*.

4. *Ludovici.*) Succeſſerat patri ſuo *Amedeo*, ſeu *Amadeo VIII*, quem *Baſileenſes* Antipapam, *Felicem V*, creaverant.

Anno 1451
Die 20 Julii.

Doctrinam Sancti Thomæ laudibus celebrat (1), & providet Cœnobio Toloſano (2) reficiendo.

Ex Archivo (3) Ordinis.

LXXIX.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori (4), & Fratribus Conventus Toloſani Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

CUm & plantare ſacram Religionem & plantatam fovere modis omnibus debeamus, nuſquam hoc melius exequimur, quam cum, ut regulares Ordines, & eorum loca jugi ſanctioni dedita, prout congruit, proſperitatis optatę dirigantur eventu, noſtrę vigilantię partes ſolerter impertimur. Unde propterea ex paſtoralis officii debito illa plurimum gaudemus concedere, quę ad id credimus veriſimiliter profutura, ne Ordines, & loca ipſa Apoſtolico, quod abſit, deſtituta auxilio, periculoſę deformationis attingant opprobrium, ſed labente curſu temporis continuum auctore Domino ſuſcipiant incrementum. Sane pro parte veſtra Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod licet Conventus veſter Toloſanenſis, Ordinis Fratrum Prędicatorum, in quo, mundanis propulſis illecebris, dignoſcimini Altiſſimo famulari, qui totius ejuſdem Ordinis primus fuiſſe perhibetur, & in cujus Eccleſia Sancti Thomę de Aquino, ex cujus doctrina tota univerſalis illuminatur Eccleſia, Corpus ſolemniter & honorifice reconditum (5) cum decenti admodum veneratione conſervatur, in ſuis hujuſmodi Eccleſia, & officinis neceſſariis decenter conſtructa, & ędificata extiterit, nihilominus tamen occaſione terrę motus (6), qui diverſis inibi vicibus retroactis temporibus contigit, Eccleſia ipſa in pleriſque, ejuſque dormitorium, quod nondum completum extitit, adeo in magna ſui parte collapſum, & dirutum extitit, quod niſi certa illi noviter appoſita fuiſſent ſuſtentacula, ne ad terram rueret, ac etiam de totali ejus deſolatione non mediocriter timendum erat, ceterę autem officinę prędictę talem etiam ruinam minantur, quod illarum, ac Eccleſię & dormitorii reparationes pro quatuor millibus ſcutorum auri, prout per architectores ſatis expertos compertum, & ęſtimatum extitit, nullatenus fieri poſſint, tanta quoque Conventus pręlibatus pręgravatur inopia, quod ibidem pauperibus dicti Ordinis Fratribus in Theologia, & aliis licitis facultatibus in Univerſitate (7) Tholoſanenſi ſtudentibus, & illuc de quibuſcunque Provinciis, & nationibus confluentibus, vix ſolus panis, & ille interdum cum magna penuria dari valeat, ac etiam miniſtrari, & propter vitam miſeram Fratrum eorundem in Conventu hujuſmodi pro tempore degentium, & qui antea ibidem miſerrime vixerunt, cauſante inopia, & paupertate, quamplurima calices, candelabra, thuribula, diverſaque alia argentea Sacriſtię Conventus memorati jocalia ad uſuram impignorata, & tandem propter inopiam hujuſmodi non redempta, deperdita fuere pariter, & diſtracta, ac etiam in eodem Conventu Magiſter ſecularis prout hactenus conſueverat ad inſtruendum novitios in primitivis ſcientiis ulterius aliquatenus teneri, & ſuſtentari nequit, quodque paupertate, & miſeria hujuſmodi cauſante, nulli, vel pauci ſub dicti Ordinis regulari habitu Altiſſimo famulaturi, qui Conventum ipſum ingredi velint, reperiuntur. Unde cum propter pręmiſſa Fratres dicti Conventus pro tempore exiſtentes pro victu ſibi acquirendo pariter, & veſtitu hinc inde mendicando diſcurrere cogantur, eſt profecto veriſimiliter dubitandum, ne ſi miſeria hujuſmodi duret in Conventu prędicto fervor Religionis tepeſcat, divinus cultus minuatur, & finaliter Religio ipſa totaliter pereat in eodem: ac de reędificatione, reparatione Eccleſię, Conventus, officinarum, & ędi-

Doctrina S. Thomæ præconium.

ędificiorum prędictorum, necnon aliarum incommoditatum ſublevamine ad pręſens ſpes nulla reſultat, neque reſultare ſperatur, niſi Apoſtolico ſuffragio etiam largiſſimo interveniente. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, alias quam plures perſonę provinciarum, civitatum, & dięceſum infraſcriptarum, plura, & diverſa pecuniarum ſummas, res, & bona, per uſurarum voraginem, furtum, & rapinam, ac alios illicitos modos acquiſierint, & quibus eorum reſtitutio facienda ſit, penitus ignoretur. diverſęque alię ex perſonis ipſarum provinciarum, civitatum, & dięceſum, Sancti Jacobi in Compoſtella vota emiſerint, quę certis ex cauſis eis in alia pietatis opera ſumme deſiderant commutari, pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum Fuxi (8), Armanaci (9), & Convenarum (10) Comitum, ſingularem. ut aſſeritur, ad Conventum prelibatum devotionis affectum gerentium, ac Capitulariorum (11) Civitatis, & Univerſitatis ſtudii Toloſanenſis, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pręmiſſis attentis, ne Conventus ipſe, quod abſit, in divini cultus, & religionis diminutionem ad nihilum

Mandatum. redigatur, & totaliter pereat, de pecuniarum, rerum, & bonorum hujuſmodi alicujus ſubventionis ſuffragio, de Apoſtolicę Sedis munificentia ſpeciali, ac alias ſuper his opportune providere, vota vero prędicta in alia pietatis opera in uſus, & utilitatem inferius latius deſignatos, convertenda, tibi Priori, & aliis ex Fratribus tecum in dicto Conventu commorantibus, per te ad id eligendis, & deputandis, commutandi, facultatem concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Ordinis antedicti, quem etiam ſingulari dilectione in viſceribus amplectimur caritatis, religioſorum locorum, ac perſonarum ſtatum decentem, & congruum, & tranquillum manutenere, necnon cultum divinum vigere & augeri noſtris potiſſime temporibus intenſis deſideriis affectamus, de expoſitis, & ſubjunctis prędictis fide dignorum relatione informati, & plenam notitiam habentes, Comitum, Capitulariorum hujuſmodi, ac etiam veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi Priori, & dilecto filio Hugoni (12) Magiſtro Sacrę Theologię & dicti Ordinis profeſſori in toto Regno Francię (13) hereticę pravitatis Inquiſitori, & Fratribus per te, & ipſum Inquiſitorem ad id eligendis, & deputandis (14) pręfatis, ut quarumcunque &c. Toloſanenſis, Auxitanenſis, Burdigalenſis, & Bituricen. Provinciarum (15) harumque Civitatum, & Dięceſum utriuſque ſexus Chriſti fidelium, Eccleſiaſticarum, etiam Ordinum quorumlibet, vel ſecularium perſonarum, cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, nobilitatis, conditionis, vel pręeminentię fuerint, confeſſiones audire, ac eis diligenter auditis, illas a quibuſvis excommunicatione, aliiſque ſententiis, & cenſuris eccleſiaſticis, & eis a jure, vel ab homine, occaſione bonorum detentorum, & uſurpatorum hujuſmodi latis, & inflictis, ſeu promulgatis, & quibus ligatę exiſtent, debitam abſolutionem impendendi, cum his vero ex dictis eccleſiaſticis perſonis, quibus te Priorem, & Inquiſitorem, & hujuſmodi Fratres per te deputandos, ipſum abſolutionis beneficium impendere, contigerit, ſuper quacunque irregularitate, ſi quam eiſdem ſententiis ligatę Miſſas, & alia divina officia, nec tamen in contemptum clavium, celebrando, aut ſe illis immiſcendo, contraxerint, diſpenſandi, omnemque inhabilitatis, & infamię maculam, ſive notam, abolendi, necnon ducentis ex omnibus perſonis prędictis Sancti Jacobi in Compoſtella vota quę, ut pręmittitur, emiſerint, in alia pietatis opera, in ędificationem, & reparationem Conventus, Eccleſię, officinarum, ſtructurarum & ędificiorum prędictorum, ac etiam ſuſtentationem veſtram convertenda, commutandi, & perſonas, quibus vota, tu Prior, & Fratres per te deputandi hujuſmodi commutaveritis, ad votorum eorundem obſervantiam in antea non teneri, denuntiandi, nec non per uſuras, furtum, & rapinam, ac alios illicitos modos, ut pręfertur, de acquiſitis, ablatis, uſurpatis, ſeu extortis pecuniis, rebus, & bonis in Provinciis, Civitatibus & Dięceſibus hujuſmodi, uſque ad ſummam trium millium Ducatorum auri duntaxat, ab omnibus, & ſingulis, etiam cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, nobilitatis, conditionis, vel pręeminentię exiſtant, perſonis, quas illa, ſeu eorum partem quomodolibet extorſiſſe, ſeu apud eas exiſtere, aut per ipſas indebite occupari, tu Prior, & Fratres deputandi inveneritis, ac etiam prędictam votorum commutationem juxta commutationem eandem auctoritate Apoſtolica petendi, levandi, exigendi, atque recipiendi, ac de receptis, exactis, & levatis eiſdem ſingulas perſonas pręfatas, a quibus illa levata, & recepta fuerint, quitandi, abſolvendi, & liberandi, ac etiam omnia alia, & ſingula in pręmiſſis, vel circa ea neceſſa-

Sanctio pœnalis. ria, ſeu etiam quomodolibet opportuna, etiam Dięceſanorum locorum, & quorumcunque aliorum licentia minime requiſita, faciendi, plenam, & liberam concedimus auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo primo, Tertio decimo Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Celebrat.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. VI.*

2. *Toloſano.*) Adeat *Percinum Monumen. Conventus Toloſani Seculo III ad an. MCCCCLI pag.* 101 *&c.*

3. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo *Toloſano*. Legitur (mutilum tamen) apud *Percinum* mox laudatum.

4. *Priori.*) Is erat *F. Johannes Belige*, uti liquet ex *Tabula Priorum Toloſan.*, quam *Percinus* exhibet *pag.* 180 *&c.* & ex Inſtrumento, quod legitur apud eundem *pag.* 101.

5. *Reconditum.*) Vide *Conſtitutiones III, IV, & V*, Urbani *V, Tomo II pag.* 258 *&c.*

6. *Terra motus.*) De quo ſic legitur in Actis Capituli Provincialis apud *Fanum-Jovis* coacti anno *MCCCCLII.... F. Johannes Vaſſiere Prior Provincialis, & FF. Diffinitores horribilibus & damnoſis terra motibus anno MCCCCXXVII ingruentibus, plaga quotidie ſuccreſcente, ad inſtantiam FF. Conventus Toloſæ, totius Ordinis primi, qui penuria laborantes vendere ac alienare coacti fuerant plura jocalia, cultui & ſervitio Divino dicata, lecta relatione Capituli, Nobilium Urbis & Suburbii Toloſæ, qua declaratur non ſufficere ſummam ſex millium ſcutorum pro reparatione Eccleſiæ, Pinnaculi, & officinarum Conventus....., concedunt participationem omnium noſtrorum bonorum iis qui aliquid in eleemoſynas nobis contulerint.*

7. *Univerſitate.*) Notat *Percinus*, quod *Conventus Toloſanus* nomen hic habet *Univerſitatis*.

8. *Fuxi.*) Vulgo *Foix* in *Occitania*.

9. *Armanaci.*) Seu *Arminiaci*, vulgo *Armagnac*, in *Aquitania*.

10. Con-

10. *Convenarum.*) Vulgo *Cominges*, ad fontes *Garumnæ* fluvii.
11. *Capitulariorum.*) Vulgo *Capitouls*.
12. *Hugoni.*) *Nigri* cognominatur in Inſtrumento ſupra citato. Vide ſequens Diploma.
13. *In toto Regno Franciæ.*) Nota *Toloſanum* Cenſorem fidei *Inquiſitorem in toto Regno Franciæ* nuncupari.
14. *Deputandis.*) Unus ex delegatis fuit *F. Philippus Roberti*, ut videre eſt ex Inſtrumento ſæpius laudato.
15. *Provinciarum.*) *Gallia Aquitanica*.

Inquiſitorem Toloſanum variis privilegiis ornat, ipſique conceſſa firmat (1).

Anno 1451 Die 1 Auguſti.

Ex Odorico (2) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCCLI. num. VI.

LXXX.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Hugoni (3) Nigro (4) Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Sacrę Theologię profeſſori, hęreticę pravitatis in toto Regno Francię Inquiſitori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

OMnia & ſingula privilegia, libertates, immunitates, conceſſiones, & indulta Inquiſitoribus hęreticę pravitatis in toto Regno Francię, Ducatu Aquitanię, Occitaniſque partibus, & tota Vaſconia, in quibus (5) Hęreticę pravitatis Inquiſitor deputatus exiſtis, qui pro tempore fuerunt, per quoſcunque Summos Pontifices, Prędeceſſores noſtros ſub quavis forma, vel conceſſione verborum hactenus quomodolibet conceſſa, quęcunque, quotcunque, & qualiacunque fuerint, illorum effectus, continentias, & tenores pręſentibus pro ſufficienter expreſſis, eaque omnia & ſingula rata, & grata habentes, innovamus, confirmamus pariter, & approbamus, ac vim, & vigorem habere decernimus; pręſentiſque ſcripti patrocinio committimus (6); ſupplendo omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan interveneriut in eiſdem. Et inſuper tibi habituro deinceps ad exterminationem ſcelerum, & exceſſuum inferius deſignatorum, in iis pręſertim, quę antea ex officio per te ipſum facere non poteras, & in illis, de quibus, an te intromittere poſſes, ab aliquibus forſan hęſitabatur, auctoritate noſtra, ſpecialem, quam tibi pręſentium vigore attribuimus, juriſdictionem, contra omnes, & ſingulos, cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, vel pręeminentię exiſtant, divino timore poſtpoſito, in ſuarum detrimentum animarum, Deum & glorioſiſſimam Virginem Mariam, & Sanctos ejus blaſphemantes; necnon ſacrilegos, & divinatores, etiamſi hęreſim non ſapiant manifeſte, patratores quoque ſceleris illius tam enormis, propter quod ira Dei venit in filios diffidentię, ac cum brutis animalibus carnaliter damnabiliter participantes, Quarreriſtas (7), & cujuſcunque alterius, etiam quovis nomine nuncupatę ſectę, & opinionis, ſchiſmaticos, eorumque omnium, & ſingulorum, tam conjunctim quam diviſim receptores, defenſores, & fautores, ac eis adhęrentes, necnon pręſtantes auxilium, conſilium, vel favorem, publice, vel occulte, directe, vel indirecte, quovis quęſito colore, per te ipſum etiam ex officio, vel alias, dięceſanorum locorum, & quorumcunque aliorum licentia ſuper hoc minime requiſita, ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura judicii, ſola duntaxat veritate inſpecta, procedendi, necnon illos examinandi, & prout eorum exceſſuum qualitates exegerint, carceribus mancipandi; bonis quoque & debitis, ac per Cenſuram Eccleſiaſticam & alia opportuna juris remedia percellendi, contra illos etiam ex prędictis, de quibus tibi videbitur, quaſcunque citatorias, & alias opportunas literas decernendi, & deſtinandi, eoſque etiam quantumcunque agant in remotis, citandi, & citari faciendi, ac ipſas, & quaſvis alias per te pro tempore, tam ex officio, quam pręſentium vigore decretas, & deſtinatas, ſeriatę emanatas literas, etiam, abſque Dięceſanorum eorundem & ipſorum officialium requiſitione, & illarum oſtenſione, libere, & licite, ac ſine quovis impedimento, obſtaculo, executioni demandare faciendi; contradictores quoque quoſlibet, & rebelles auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis; cęteraque omnia, & ſingula quę in pręmiſſis, vel circa neceſſaria fuerint, ſeu etiam quomodolibet, opportuna, faciendi, & exequendi, plenam, & liberam concedimus auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium facultatem &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Primo, Kalendis Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Conceſſio.

1. *Firmat*) Coſulendus *Odoricus* laudatus.
2. *Odorico.*) Ex *Libro XII pag.* 48.
3. *Hugoni.*) Adeas *Percinum* in *Diſſertatione de Inquiſitione Parte III Cap. VII num. IV pag.* 106.
4. *Nigro.*) *Nigri* cognominatur in Inſtrumento quod refert *Percinus Monumen. Convent. Toloſani Seculo III ad an. MCCCCLI pag.* 102
5. *In quibus.*) Hinc quanta fuerit Inquiſitionis *Toloſana* juriſdictio liquet.
6. *Committimus.*) *Communimus*.
7. *Quarreriſtas.*) Recenſendi eos inter hæreticos quos non novit *Vauraſt* in *Hiſtoria Hæreticorum & Hæreſum*.

Inſerit, & firmat Conſtitutiones quibus Bonifatius IX, Martinus V, & Eugenius IV Ordinem FF. Prædicatorum præconiis, & privilegiis ornant (1).

Anno 1451 Die 6 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXXI.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

LIcet ea, quę auctoritate Romani Pontificis fiunt, plenam obtineant firmitatem, Nos tamen illis interdum nihilominus robur adiicimus, ut eo firmius illibata perſiſtant, quo magis noſtro fuerint pręſidio communita. Dudum ſiquidem quondam Bonifatius, IX in ſua obedientia nuncupatus, Ordinem Fratrum Prędicatorum, ac dilectos filios Magiſtrum, Priores, ac Fratres pręſentes, & futuros, nec-

necnon quaſcunque Sorores, ac domos, Monaſteria, loca, Hoſpitalia, quęcunque ſub cura, & regimine Ordinis & Fratrum Prędicatorum, pro tempore conſtituta, & eorum Rectores, ac gubernatores, cum omnibus pertinentiis ſuis, quę tunc obtinerent, & in futurum, dante Domino, adipiſcerentur, ſub B. Petri, & ſua protectione ſuſcipiens, eiſdem Magiſtro, Prioribus, & Fratribus nonnulla exemptiones, libertates, privilegia per quaſdam ſuas conceſſit, quę felicis recordationis Martinus V, & Eugenius IV Romani Pontifices Prędeceſſores noſtri per eorum literas poſtmodum confirmarunt, prout in ipſius Eugenii literis, in quibus ſingularum aliarum literarum hujuſmodi tenores inſerti ſunt, plenius continetur, & quorum quidem ipſius Eugenii literarum tenorem de verbo ad verbum pręſentibus annotari fecimus, qui ſequitur in hęc verba. Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Ad ſtatum dilectorum filiorum univerſorum Ordinis Fratrum Prędicatorum Religioſorum &c. (3) Quare pro parte dilectorum filiorum, Guidonis (4) Magiſtri Generalis (5) dicti Ordinis, & eorundem Priorum, & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus exemptionibus, & libertatibus, privilegiis, conceſſionibus, necnon omnibus, & ſingulis in ipſis literis contentis pędictis pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia, & ſingula exemptiones, libertates, & privilegia, conceſſiones, & contenta prędicta, rata, & grata habentes, illa auctoritate Apoſtolica confirmamus, & approbamus, ac pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſteriorum, Locorum, Hoſpitalium, & Ordinis Prędicatorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis, approbationis, & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Primo, Octavo Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Inſerit Conſtitutionem Eugenii IV.

1. *Ornant.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Titulo V &c.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Authentico *Cremonenſi.* Legitur apud *Uſuſmarem pag.* 118.
3. *Religioſorum.*) Ut in *Conſtitutione CCVI Eugenii IV* ad finem uſque. Legitur *pag.* 116 *hujus Tertii Tomi.*
4. *Guidonis.*) Cognomento *Flamochetti*, natione *Galli*, alumni Provinciæ *Franciæ*. Adeas *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLI pag.* 808.
5. *Magiſtri Generalis.*) Hoc eodem anno *MCCCCLI* electus fuerat in Comitiis Generalibus *Romæ* coactis.

Anno 1451 Die 17 Auguſti.

Albenſe (1) Monaſterium ſolius Generalis Magiſtri juriſdictionis eſſe declarat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXXII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Margaritę (3) & Conventui Monaſterii Beatę Marię Magdalenę Alben., Ordinis Sancti Auguſtini, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Digna reddimur attentione ſoliciti, ut in admittendis earum votis benevolum impertiamur affectum, quę, illecebris mundanis, & mortalis viri toro propulſis, in illius, qui ſpecioſus eſt pręfiliis hominum, beneplacitis ſub regulari obſervantia laudabiliter converſantur. Dudum ſiquidem ex certis tunc Nobis pro parte tua, filia Margarita Abbatiſſa, & nonnullarum Monialium, ſive Sororum veſtri Monaſterii beatę Marię Magdalenę Alben., Ordinis Sancti Auguſtini, tunc (4) Sororum Tertii Ordinis Sancti Dominici expoſitis cauſis, pręfatum Monaſterium tunc Domum Sororum ejuſdem Tertii Ordinis in Monaſterium pręfati Ordinis Sancti Auguſtini ereximus, ac vobis tunc Sororibus dicti Tertii Ordinis regularem profeſſionem in Ordine Sancti Auguſtini hujuſmodi emitti ſolitam emittendi, licentiam conceſſimus, dictumque ſic erectum Monaſterium cum annexis, necnon illius Abbatiſſam, Moniales, & Converſas ab omnibus ſuperioritate, Dominio, & poteſtate venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Alben., aliorumque Prelatorum, & judicum ordinariorum, necnon Superiorum Religioſorum & Fratrum dicti Ordinis Sancti Auguſtini eximimus, ac ſub Beati Petri, & Sedis Apoſtolicę protectione atque noſtra ſuſcepimus, nonnulla quoque alia tunc expreſſa conceſſimus, & indulſimus prout in noſtris inde confectis literis dicitur plenius contineri. Nos igitur, ut eo quietius, & ferventius in humilitatis ſpiritu Altiſſimo vota veſtra reddere ſtudeatis, quo vos ſpecialibus favoribus, & gratiis per Nos proſequi conſpexeritis, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vos dictumque Monaſterium Ordinis Prędicatorum Generali Magiſtro duntaxat auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium ſubiicimus, ita quod vos, & Abbatiſſa, ac Sorores dicti Ordinis pręſentes, & futurę pro hac prima vice & etiam in antea, quoties vos, & illas eo carere contigerit, unum ex Fratribus dicti Ordinis, dummodo quinquageſimum ſuę ętatis annum tranſcendat, in veſtrum, & ipſarum Capellanum, Confeſſorem, ſeu Vicarium, qui veſtras, & illarum Confeſſiones audire, eis Miſſas, & alia divina officia celebrare, velum profitentium exhibere, ac circa eiuſdem Monaſterii in ſpiritualibus, & temporalibus regimen, & gubernationem, quęcunque licita, & honeſta agere poſſit, eligere valeatis, & valeant, ac ſic electus, poſtquam a majori parte dilectarum in Chriſto filiarum Conventus ejuſdem Monaſterii electus fuerit, ſine alia deſuper facienda confirmatione, confirmatus ſit, & eſſe cenſeatur, & abſque juſta, & rationabili cauſa per dictum Generalem, aut quemvis alium ſuperiorem amoveri non poſſit, jure Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius alias in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii, & Ordinis prędictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel

Supplex petitio.

Indultum.

Sanctio pœnalis.

vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę ſubjectionis infringere. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Primo, Sexto decimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

X
X
X
A. de Bonda.
P. de Spinoſis.

1. *Alben.*) Vide *Notas ad Conſtitutionem CCXXV Eugenii IV.* Legitur *pag.*138 hujus *III Tomi.*

2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar, Authenticum unum ex *Albenſi* Autographo, aliud eſt *Archivo Apoſtolico Libro XVII fol.*55.

3. *Margarita.*) Beatæ, de qua dictum fuit in *Notis* ad Diploma laudatum.

4. *Tunc.*) Tertio ſiquidem Ordini nomen prius dederant, & perfectiori vitæ ſtudentes ad altiorem poſtea convolarant.

Decernit (1) Quæſtionem de miraculis & vita S. Vincentii Ferrerii.

Anno 145t
Die 18 Octobris.

Ex Odorico (2) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCCLI num. XVI.

LXXXIII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Georgio (3) Epiſcopo Preneſtrino, & dilectis filiis Alfonſo (4) tit. SS. Quatuor Coronatorum Presbytero, ac Johanni (5) Sancti Angeli Diacono S.R.E. Cardinalibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAnctorum Patrum exempla nos provocant, & ſacrarum literarum admonet auctoritas, ut quos excellentior vita commendat, ſi vera miraculorum viventes, ac mortuos ſequuntur ſigna, in regnis cęleſtibus conſtitui non ambigamus, ac ut Catalogo Sanctorum aſcribi, & a tota Eccleſia ſolicitis ſtudiis, & pręconiis ſonoris honorari curemus. Cum itaque dudum Fratris Vincentii (6) de Ferrariis (7), origine Valentini (8), Ordinis Prędicatorum Sancti Dominici (9), Vitę (10) excellentia, caſti mores, fructuoſa prędicatio (11) cum caritate, in adverſis patientia, miraculorum perſeverata coruſcatio, toti fere Occidenti innoteſcerent, recolendę memorię quondam Johannes (12) Dux Britannię, apud cujus patriam (13) religioſus hic vir debitum carnis exolverat (14), & plurima miracula (15) ejus meritis continuo fieri cognoverat, inſtantibus ejus Prælatis, Principibus, ac populis apud felicis recordationis Martinum (16) Papam V Prędeceſſorem noſtrum, inſtitit, ut hujus glorioſę memorię viri Canonizationi intenderet, demum pręfato Martino Papa de medio ſublato (17), per ſuos ſolemnes Nuncios graves viros Dux pręfatus apud ſa: memorię Eugenium Papam IV, Prędeceſſorem noſtrum inſtitit pro hoc ſancto opere inchoando, ſed & hac ſtante ſolicitudine dictus Dux extitit vita functus (18). Demum Nobis ad apicem ſummi Apoſtolatus aſſumptis per cariſſimos filios noſtros Johannem (19) Caſtellę, & Legionis, & Alfonſum (20) Aragonum Reges Illuſtres, per literas, & Nuncios, necnon per Capitulum Generale Sacri Ordinis Prędicatorum, hic apud hanc Almam Urbem proxime celebratum (21), particulariter, & in communi pro hoc ſancto opere inchoando, fuimus ſępius requiſiti, nunc inſtantibus pręfatis Johanne Hiſpaniarum, Alfonſo Aragonum Regibus, Petro (22) moderno Duce Britannię, qui poſt ejus genitoris obitum, prout in hęreditate, ſic in hujus Sancti operis devotione ſucceſſit, in generali Conſiſtorio pro parte eorundem Nobis pręſentibus per dilectum filium Andream de Sancta Cruce Civem Romanum, Advocatum Conſiſtorialem, miraculis hujuſmodi, longo, & gravi Sermone explicatis (23) ſupplicari fecerunt, quatenus aliquibus ex venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus committere, ut deſuper vita dicti Fratris Vincentii, & miraculis hujuſmodi, & eorum circumſtantiis univerſis ſe ſolemniter, & diligenter informent, & habita ſuper his Informatione matura, ea quę repererint, Nobis, & reliquis Cardinalibus referant, & alias ſuper hujuſmodi ſupplicatione providere opportune dignaremur. Nos igitur, divini Nominis gloriam ampliari, ac Catholicam Fidem ſuos ſacros palmites continuo dilatare, noſtris pręſertim temporibus ſupremis deſiderantes affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, quorum grave judicium, & pręcipua prudentia, ac fidele conſilium in maximis noſtris, & dictę Eccleſię negotiis comprobatum a Nobis extitit, de eorundem Fratrum conſilio, per Apoſtolica ſcripta committimus, ut vos, aut aliquę perſonę Eccleſiaſticę in Dignitatibus conſtitutę, comprobatę integritatis, & doctrinę ſacrarum literarum peritę, quas ad hoc deputandas eſſe duxeritis, ſuper pręmiſſis omnibus, & ſingulis, & eorum circumſtantiis univerſis in Curia, & extra (24), diligentem Informationem recipere, & veritatem elicere ſtudeatis, & habita ſuper his informatione matura, quę veritati innixa eſſe repereritis, ſive hujuſmodi deputandi (25) invenerint, Nobis in ſecreto Conſiſtorio fideliter referatis, ut una cum veſtro, & pręfatorum Cardinalium conſilio ad Domini noſtri laudem efficere valeamus quę Sanctorum Patrum dogmata, & ſacrorum Canonum inſtitutiones, ac juſtitia, & chriſtiana caritas poſtulat, & requirit, ſuper quibus plenam, & omnimodam, auctoritate Apoſtolica, vobis tenore pręſentium concedimus facultatem. Verum cum inter ceteras graviores cauſas, quę apud Sedem Apoſtolicam agitantur, hęc graviſſima ſit, & in eadem omnis diligentia, & conſcientię ſerenitas adhiberi debeat, ut in hac cauſa, non ſimulata, ſed ſolida veritas elici poſſit, volumus, ut hujuſmodi perſonę a vobis deputandę, quanquam graves quidem fore exiſtimentur, in manibus veſtris, aut alterius eorum, vel in manibus ejus, quem deputabitis ad hoc, pręſtent juramentum, ut omnia eis a vobis commiſſa, ſolum Deum, & veritatem prę oculis habentes, prout Sac. Canones dictant, omni ſtudio, & diligentia exequantur. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Primo, Quintodecimo Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

1. *De-*

Digitized by Google

1. *Decernit.*) Adeas *Odericum Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCCLI num. XVI*, eruditos Editores *Actorum SS. Tomo I April. a pag.477 ad 519*, ceteroſque ſcriptores mox laudatos

2. *Oderico.*) Ex *Archivo Apoſtolico Lib. XIV fol.34.*

3. *Georgio.*) *De Fiſco*, ex *Lavania* Comitibus. Conſulendus *Ughellus* in *Epiſcop. Praneſtin. Tomo I Italia Sacra pag.218.*

4. *Alfonſo.*) *Borgia* cognominato, de quo *Ciaconius* in *Eugenio IV.* Is ipſe eſt *Caliſtus III* qui Sanctorum albo *Vincentium* aſcripſit.

5. *Johanni*,) *Caravagial*, ſeu *Carvaial*. Idem *Ciaconius* ibidem.

6. *Vincentii.*) Ætatis ſuæ Thaumaturgi, Angelici viri, Europæ Apoſtoli, quem Deus Optimus Maximus innumeris prodigiis ubique celeberrimum reddidit.

7. *De Ferrariis.*) *Ferrariis*, Hiſpanis *Ferrer*. Natus eſt *S. Vincentius* patre *Guillelmo Ferrer*, matre *Conſtantia Miguel.*

8. *Valentiæ.*) *Valentia* ſiquidem, in *Aragonia*, lucis uſuram accepit *Vincentius*.

9. *S. Dominici.*) In Cœnobio *Valentino*.

10. *Vita.*) Vitam S. *Vincentii* conſcripſere *Rancanus* noſter, *Vincentius Juſtinianus*, *Franciſcus Caſtilionenſis*, *S. Antoninus*, *Flaminius*, *Leander*, *Diago*, *Seraphinus Thomas Miguel*, aliique varii, quos laudat *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXIX pag.765.*

11. *Prædicatio.*) *Quæ loca, & quo tempore ſint illuſtrata prædicatione evangelica S. Vincentii* recenſet *Godefridus Henſchenius*, in Actis ſupra laudatis, *pag.480 &c.*

12. *Johannes.*) Hujus nominis *VI*, agnomine *Bonus*, & *Sapiens*.

13. *Patriam.*) *Venetia* ſcilicet, vulgo *Vannes*, in *Britannia Minori*.

14. *Exolverat.*) Quo anno, dicetur in *Notis* ad *Bullam Canonizationis*.

15. *Miracula.*) *Patrata in eorum gratiam qui diæceſim Venetenſem incolebant*, refert *Bernardus Guyardus* apud *Henſchenium pag.514 &c.*

16. *Martinum.*) *III* dictum *V.*

17. *Sublato.*) *Romæ* Die *XX* Februarii, *MCCCCXXXI.*

18. *Vita functus.*) Anno *MCCCCXLII.*

19. *Johannem.*) Hujus nominis *II*, non vero *I*, ut excidit nonnullis.

20. *Alfonſum.*) Hujus nominis *V.*

21. *Celebratum.*) Anno *MCCCCLI* Die *XIII* Junii.

22. *Petro.*) *Simplici* nuncupato.

23. *Explicatis.*) Nota morem. Id etiam nunc fit in Conſiſtoriis publicis.

24. *In Curia & extra.*) *Avenione*, *Venetiæ*, *Toloſa*, *Neapoli &c.*

25. *Deputandi.*) Delegatorum nomina refert *Pius II* in *Bulla* data Kalendis Octobris *MCCCCLVIII.*

Anno 1451 Die 27 Novembris.

Abrogat Literas (1) a ſe datas de Canonica portione (2) ſolvenda, vel non ſolvenda.

Ex Archivo (3) Ordinis.

LXXXIV.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

Regimini Univerſalis Eccleſię, diſponente Domino, prȩſidentes, juxta paſtoralis officii debitum cura reddimur indefeſſa ſoliciti, ut Chriſti fideles ſinguli in quorum utique tranquillitate quieſcimus, jurgiorum reſecatis anfractibus, in concordi dulcedine, pacis undique famulentur auctori. Unde ad omnes prȩſertim dirimendas lites, ac quęcunque ſubmovenda ſcandala, quę inter eccleſiaſticas, ſeculares, ac Mendicantium Ordinum regulares perſonas hoſtis antiqui verſutia veterem jam prope ſopitam renovantes zizaniam, ex quibuſdam per Nos hinc inde eiſdem perſonis factis conceſſionibus pullulare conſpicimus, eo Apoſtolicę ſolicitudinis ſtudio propenſius occurrimus, quo ipſarum perſonarum diſſenſio periculoſius aliis cedit in exemplum, & illarum turbatio vehementius Nos perturbat.

Diplomatis cauſa.

Nuper ſiquidem pridie Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Quarto, dilectis filiis Priori Generali, & Fratribus Ordinis Fratrum Heremitarum Sancti Auguſtini per quaſdam inter cetera indulſimus, ut de hiis, quę pro ornamentis, paramentis, libris, Fabrica, luminaribus, Anniverſariis, ſeptimo, vigeſimo, triceſimo, vel aliis diebus, ad perpetuum cultum divinum, ſeu pro pictantiis, aut victu, & veſtitu, ad ſuſtentationem eorum, aut pro annuis cenſibus redimendis, ad quorum ſolutionem aliquę domus ejuſdem Ordinis obligatę dicebantur, vel de domibus, prȩdiis, ortis, aliiſque locis, eis ſecundum Inſtituta ejuſdem Ordinis de hiis, quę pro hujuſmodi domibus, ortis, & locis emendis eis legabantur, ſeu hactenus legata fuerant, dummodo non converterentur in alios uſus, ſed in illos dumtaxat pro quibus relicta fuerant, aut relinqui contingeret, nulli tenerentur portionem canonicam exibere. Et deinde, videlicet Idibus Februarii Pontificatus & Anni prȩdictorum, prȩfatum, & quęvis alia, per Nos, aut Prȩdeceſſores noſtros Romanos Pontifices, quibuſvis aliis quorumcunque Ordinum Mendicantium Fratribus, aut eorum Conventibus, ſive domibus ubicunque conſiſtentibus ſub quavis verborum forma, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia facta indulta, & conceſſas deſuper litteras, per alias noſtras litteras revocavimus, caſſavimus, & annullavimus. Ac ſubſequenter, videlicet III Kalendas Aprilis dicti Pontificatus Anno Quinto alię a Nobis emanarunt litterę, per quas, Nos, aſſerentes, quod Nos, qui talia & tanta maturo, digeſtoque conſilio recenſere intendebamus, & diverſis arduis prȩpediti negotiis primodictas litteras revocaveramus, illas, & alias prȩfatorum Prȩdeceſſorum quaſcunque eatenus eorundem Ordinum Fratribus conceſſas, & per Nos confirmatas, ſeu approbatas litteras, & proceſſus inde habitos per eaſdem, & quęcunque inde ſecuta, illarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent ipſis poſterioribus litteris, pro expreſſis habendo, voluimus, & decrevimus in earum robore permanere, ac ſi ultimo dictę revocatorię litterę a Nobis nullatenus emanaſſent. Quas cum omnibus, & ſingulis inde ſecutis, motu, & ſcientia, ſimilibus, revocavimus, caſſavimus, & annullavimus, ac nullius eſſe volumus roboris, vel momenti, prout in ſingulis litteris prȩdictis, quarum tenores de verbo ad verbum prȩſentibus haberi volumus pro inſertis, plenius continetur. Cum autem, ſicut gravibus plurimorum querelis fide digna relatione percepimus, ex eo quod nonnulli ex Venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac ex dilectis filiis Rectoribus & Clericis Parrochialium Eccleſiarum, necnon Prȩdicatorum, Minorum, Heremitarum, Carmelitarum, ceterorumque Mendicantium Ordinum Fratribus, prȩtendentes per prȩfatas, ac alias, a Nobis habitas, litteras, Conſtitutionibus, conſuetudinibus, privilegiis, & indultis ſuper ſolvendis, aut non ſolvendis Parrochialibus, & aliis juribus editis, fuiſſe derogatum,

in-

Indulta, conceſſiones, & pacta inter eos inita, & conſuetudines diutius habitas ſervare recuſant, non modo antiquam, & periculoſam inter eos ab olim ſuſcitatam, & alias ſopitam, diſcordiam revocari, quin imo graviora poſſent jurgia, diſſenſiones, & ſcandala veriſimiliter exoriri, Nos, qui illius in terris vicem gerimus, qui pacem, & concordiam nutrit in ſublimibus, ac pacem ipſam jure hęreditario ſuis reliquit Diſcipulis in diſceſſu, motu proprio, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia prędictas, ac quaſcunque alias per Nos tam Archiepiſcopis, Epiſcopis, Rectoribus & clericis, quam Fratribus prędictis, etiam motu, & ſcientia ſimilibus, ac ſub quibusvis formis, & expreſſionibus verborum ſuper ſolvendis, vel non ſolvendis, juribus prędictis, ſeu per quas aliquid ſuper ſolutione jurium prędictorum innovaretur, ſeu innovari quomodolibet poſſet, per Nos hactenus in ſpecie, ſeu in genere conceſſas litteras, illarum tenores de verbo ad verbum pręſentibus pro inſertis habentes, revocamus, caſſamus, annullamus, ac illis in judicio, & extra, ubicunque exhibitę fuerint, vel oſtenſę, nullam fidem adhiberi debere decernimus, necnon Archiepiſcopos, Epiſcopos, Rectores, & Clericos, ac Fratres prędictos, & illorum quoslibet quoad ſolutionem faciendam, vel non faciendam antedictam, in eo ſtatu, in quo, antequam a Nobis prędictę litterę emanarent, fuerant, in integrum reſtituimus, & reponimus; Mandantes, juxta formam, & tenorem pręſentium in judicio & extra ubicunque per quoslibet cenſeri & judicari, ipſaſque pręſentes in libro Cancellarię noſtrę deſcribi, & ad cujuslibet illas petentis inſtantiam per dictam Cancellariam in forma de Curia gratis abſque taxatione aliqua expediri. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę revocationis, caſſationis, annullationis, conſtitutionis, reſtitutionis, repoſitionis, & mandati infringere &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Millesimo Quadringentesimo Quinquageſimo primo, Quinto Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Literas a ſe datas reſcindit.

De Curia.

A. de Reate.

1. *Literas.*) Vide *Conſtitutionem LXVI.* Legitur *pag.*287.
2. *Portione.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.X.*
3. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur. Legitur apud *Uſuſmarem pag.*118. Exemplar authenticum aſſervatur in Cœnobio *Mutinenſi*.

Ne mortuo Generali Magiſtro Ordinis F. Vincentius (1) abeat ab officio (2) Vicarii Generalis Conventuum reformatorum Italiæ.

Anno 1451 Die 1 Decembris.

Ex Bullario Caſtellani Parte I pag.11.

Dilecto filio Fratri Vincentio de Finario Ordinis Prędicatorum Vicario Generali Conventuum reformatorum citra Alpes,

LXXXV.

NICOLAUS PP. V.

Dilecte Fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NOlentes, quod ex obitu Fratris Guidonis Flamocher (3) olim Generalis (4) Magiſtri veſtri Ordinis aliquid ipſi Ordini, ac Fratribus in eo degentibus prejudicium quomodolibet irrogetur, tibi dictum Vicariatus Officium, faciendi, ac exercendi cum auctoritate, poteſtate, & juriſdictione, a pręfato Magiſtro, dum in humanis eſſet, habita, quam hic haberi volumus, pro expreſſa, & in hujus adminiſtratione perſiſtendi, ac perſeverandi ſuper omnibus, & ſingulis Conventibus, & Monaſteriis tam Fratrum, quam Sororum, committimus auctoritate noſtra per pręſentes, donec, & quouſque futurus Magiſter electus, & confirmatus extiterit, & circa deputationem alterius Vicarii, vel aliter fuerit inſtitutum, aut ordinatum, ſuper quibus omnibus, dicto durante tempore, tibi plenam concedimus facultatem, & ſic ab omnibus, quorum intereſt, aut intererit, mandamus inviolabiliter obſervari, in contrarium forſitan facientibus quibuſcunque non obſtantibus. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die prima Decembris MCCCCLI, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Vincentius.*) De *Finario*, ex patria nuncupatus.
2. *Abeat ab officio.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.III.*
3. *Guidonis Flamocher.*) *Flamocheti*, ut dictum fuit in *Nota IV* ad *Conſtitutionem LXXXI* ejuſdem *Nicolai V.*
4. *Olim Generalis.*) Hoc eodem anno, quo obiit, fuerat electus.

Anno 1452 Die 27 Januarii.

Eccleſiaſticum Beneficium confert Finarienſi (1) Cœnobio.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXXXVI.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Laurentio Sanſono Canonico Saonen. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AD ea ex Apoſtolicę ſervitutis officio libenter intendimus, per quę pię teſtantium voluntates, ex quibus divini cultus augmentum, & animarum ſalus procuratur, deſiderato effectui mancipentur. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Prędicatorum Domus Sancti Dominici loci de Finario, Saonen. Dięceſis, Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, quod quidam Chriſtophorus Marcho, Civis Saonen. olim, dum in humanis ageret, poſtquam ſepulcrum Dominicum & alia loca tranſmarina peregre viſitaverat, zelo devotionis accenſus, cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna commutare, de propriis facultatibus, & bonis ſibi a Deo collatis quandam Eccleſiam, ſive Capellam, ſine cura, ſub vocabulo Sancti Sepulcri in Villa Portu (4), Naulen. (5) Dięceſis, in Territorio Finarii conſtrui, & ędificari fecit, & deinde poſtquam illam certis poſſeſſionibus, & introitibus uſque ad ſummam decem Florenorum auri de camera de ſuis propriis bonis dotaverat, ac juspatronatus, necnon pręſentandi perſonam idoneam ad Capellam

Diplomatis cauſa,

ipſam, dum pro tempore vacaret, ſibi per loci Ordinarium reſervari obtinuerat, ſuum cundidit teſtamentum, in quo jus, & in quantum potuit, Capellam hujuſmodi Fratribus Ordinis Prędicatorum dictę Civitatis Saonen., ſeu Monachis de Obſervantia Sancti Benedicti, vel Fratribus Ordinis Carthuſien. reliquit, ac voluit, & ordinavit, quod caſu quo ipſi Fratres Capellam prędictam non haberent, quod ex introitibus prędictis, ſex Floreni auri ſimiles vel circa in prędicta Civitate Saonen. pauperibus Chriſtianis diſtribuerentur annuatim, prout in quodam publico Inſtrumento deſuper confecto, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, prefatus Chriſtophorus in ſuis dictis vivę vocis oraculo verbo ſolum in pręſentia nonnullorum fide dignorum teſtium etiam voluerit, & ordinaverit, quod Capella ipſa per certos ſuos fideicommiſſarios tanquam proximioribus eidem Capellę cum illius domo, ac poſſeſſionibus & introitibus daretur, & aſſignaretur Fratribus Ordinis Prędicatorum in dicta Villa Finarii commorantibus, qui inibi Miſſas, & alia divina officia pro ipſius Chriſtophori, & parentum, & amicorum ſuorum animarum ſalute tempore procedente celebrarent, pro parte tam dictorum Prioris, & Fratrum loci Finarii hujuſmodi, aſſerentium, quod Capella prędicta ab eadem Civitate Saonen., ac locis in quibus proximiores Monachi Sancti Benedicti, & Fratres Carthuſien. Ordinum prędictorum commorantur, multum diſtat, & quod ipſi Monachi, & Carthuſien. illam cum onere celebrandi Miſſas, & divina hujuſmodi acceptare nolunt, pro parte nobilis viri Johannis de Carreto Marchionis Saonę, & Domini dicti loci Finarii, ac etiam Jacobi de Zortorolino, & Gaſparis de Noxeto Civium Saonen. dilectorum filiorum, pręfati Chriſtophori fideicommiſſariorum in eodem teſtamento deputatorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Capellam, cum illius domo, introitibus, poſſeſſionibus, ac omnibus juribus, & pertinentiis ſuis pręfatis Priori, & Fratribus loci de Finario pro eorum uſu, & habitatione perpetuo concedere, & donare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam, vocatis Monachis Sancti Benedicti, & Fratribus Carthuſien. Ordinum prędictorum, ac aliis, qui fuerint evo-

Mandatum.

candi, tibi de pręmiſſis legitime conſtiterit, Capellam prędictam, dummodo tempore dati pręſentium non ſit in eo alicui ſpecialiter jus quęſitum, cum domo, poſſeſſionibus, introitibus, ac omnibus juribus, & pertinentiis ſupradictis eiſdem Priori, & Fratribus loci de Finario pro eorum uſu, & habitatione perpetuis, ita tamen quod ibidem Miſſas, & alia Divina officia juxta voluntatem, & ordinationem dicti Chriſtophori celebrare debeant, & teneantur, pręfata auctoritate noſtra donare, concedere, & aſſignare procures. Non obſtan. voluntate dicti Chriſtophori, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Ordinum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo primo (6), Sexto Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Finarienſi*.) Vulgo *Finale*, in *Liguria*;
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XVII fol.92*.
3. *Saonen*.) Vulgo *Savona*, in *Liguria*.
4. *Portu*.) Vulgo *Porto*, in *Liguria*.
5. *Naulen*.) Vulgo *Noli*, in *Liguria*.
6. *Quinquageſimo Primo*.) Stylo Bullarum, ęrę communis *MCCCCLII*.

Fra-

Fratres Prædicatores Veneti domum ſibi legatam abalienare poſſint, ad canonis, ſeu penſionis annuæ ſortem rependendam.

Annô 1452 Die 7 Februarii.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

LXXXVII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Patriarchę Venetiarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Digna exauditione vota perſonarum humilium, maxime Divinis laudibus, & ſacrę Religionis obſervantię dedicatarum, Apoſtolico Nos convenit favore proſequi, ipſarumque diſpendiis occurrere proviſionis gratia congruentis. Exordium. Sane, ſicut pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus Ordinis Fratrum Prędicatorum Venetiarum, petitio continebat, ipſi ex cauſa legitima Domui Sancti Andreę de Littore, etiam Venetiarum, Carthuſien. Ordinis, anno quolibet quoddam livellum, ſive canonem, ſeptem ducatorum auri ſolvere ſunt aſtricti, &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, quędam mulier, etiam Venetiarum, cupiens eos ab onere ſolutionis hujuſmodi relevare, eis quandam Domum ad eam legitime pertinentem, Venetiis ſitam, in eleemoſynam per eorum Priorem in relevamen oneris hujuſmodi convertendam erogavit. Diplomatis cauſa. Quare pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis licentiam, Domum erogatam hujuſmodi in eleemoſynam recipiendi & de ea in relevamen livelli, ſeu canonis prędicti libere diſponendi, concedere dignaremur. Nos itaque, eorum in hac parte ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus, ſi eſt ita, quod Prioris & Fratrum dictę Domus Sancti Andreę per eos ad hoc legitime conſtitutus procurator laicus, Domum erogatam prędictam in eleemoſynam recipere, & Facultas. ex ea obventiones reſultantes in recompenſam, ac livelli, ſive Canonis quantitatis relevamen hujuſmodi convertere libere, & licite debeat, & teneatur, auctoritate noſtra licentiam largiaris. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo primo (2), Septimo Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XV fol.* 74.

2. *Quinquageſimo Primo.*) Stylo Bullarum, æra vero communis *MCCCCLII*.

Unit Eccleſiaſticum beneficium Monaſterio Kirchemienſi (1).

Anno 1452 Die 4 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXXXVIII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Prępoſito Eccleſię Beatę Marię in Obernhoſen extra Muros Oppidi Gippingen., Conſtantien. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

His, quę pro Domibus, pręſertim Monialium, & in illis ſub humilitatis ſpiritu, ac vitę caſtimonia Altiſſimo famulantium, pie, ac provide proceſſiſſe comperimus, ut illibata perſiſtant, libenter, Exordium. cum a Nobis petitur, Apoſtolico mandamus munimine roborari, necnon ad illa etiam ex injuncto Nobis deſuper officio libenter intendimus, per quę Domibus, & Monialibus hujuſmodi opportuno ſubventionis auxilio ſuccurratur, ut exinde ipſę Moniales devotioris, & attentioris ſolicitudinis ſtudio inibi Divini cultus vacare valeant incremento. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus domus Monialium in Kircheim, Conſtantien. Diœceſis, ſub cura, & Regula Ordinis Fratrum Prędicatorum degentium petitio continebat, quod dudum quondam Kruſo certę puellę de militari genere procreatę Sraelcharm nuncupatę, dum vixit tutor, provide attendens, quod Prioriſſę, & Conventus dictę domus vix haberent unde ſuſtentari poſſent, eiſdem compatiendo, juſpatronatus, & pręſentandi perſonam idoneam ad Parochialem Eccleſiam in Oppido Wendlingen dictę Diœceſis, dum viveret, in Prioriſſam, & Conventum dictę domus tutorio nomine pręfatę puellę tranſtulit, Diplomatis cauſa. & illud eiſdem donatione inter vivos donavit, quodque Prioriſſa, & Conventus dictę domus tunc exiſtentes pręte xtu translationis, & donationis, juſpatronatus, ſeu pręſentandi perſonam idoneam ad illam, dum vacat, aſſecutę fuere, illudque per decem annos, vel circa, pacifice poſſederunt, prout etiam poſſident de pręſenti, & ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi Parochialis Eccleſia prędicta domui pręfatę per ceſſium, vel deceſſum moderni Rectoris ejuſdem eandem ad pręſens obtinentis, ſeu alias quomodolibet dimittentis, perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ex hoc Prioriſſa pro tempore exiſtens dictę domus, & Conventus pręfatę eo commodius ſuſtentari, ipſamque domum in ędificiis, & ſtructuris reparare, & conſervare poſſent, ipſęque Prioriſſa, & Conventus, ex hoc non modicum ſuſciperent relevamen. Quare pro parte Prioriſſę, & Conventus prędictorum, aſſerentium, quod Eccleſię prędictę duodecim, ac domus pręfatę viginti marcarum argenti fructus, redditus, & proventus ſecundum communem ęſtimationem valorem annuum non excedunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tranſlationi, & donationi hujuſmodi, ac omnibus inde ſecutis pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, necnon Eccleſiam prędictam, quam primum illam, ut pręfertur, vacare contigerit, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Domui perpetuo unire, annectere, & incorporare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Mandatum. Nos igitur, qui de pręmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, vocatis, qui fuerint evocandi, de omnibus, & ſingulis expoſitis prędictis, ac eorum

circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ea repereris veritate fulciri, translationem, & donationem jurispatronatus hujuſmodi, necnon quęcunque inde ſecuta, eadem auctoritate noſtra approbes, & confirmes, ſuppleaſque omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & nihilominus Eccleſiam prędictam cum omnibus juribus, & pertinentiis ſupradictis eidem Domui auctoritate noſtra pręfata perpetuo incorpores, unias, & annectas, ita quod illius Rectore, qui nunc eſt, cedente, vel decedente, aut eam alias quomodolibet dimittente, liceat Prioriſſę pro tempore exiſtenti, & Conventui prędictis per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem Eccleſię, juriumque, & pertinentiarum prędictorum poſſeſſionem, auctoritate propria libere apprehendere, & perpetuo retinere, ac hujuſmodi illius fructus, redditus, & proventus, reſervata tamen ex eis pro uno perpetuo Vicario inibi per te hac prima vice, & deinde quoties Vicariam hujuſmodi in antea vacare contigerit, per Ordinarium loci inſtituendo, congrua, de qua dictus Vicarius commode ſuſtentari, Epiſcopalia jura ſolvere, & alia ſibi pro tempore incumbentia onera ſupportare valeat, portione, in ſuos, & domus, ac Parochialis Eccleſię prędictorum uſus, utilitatemque convertere, Ordinarii loci, & cujuſcunque alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Domus, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales Apoſtolicę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiam ſi per eaſdem ad inhibitionem, reſervationem & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem, ac quęcunque inde ſecuta ad dictam Eccleſiam volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum pręjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Proviſo, quod Eccleſia prędicta debitis propterea non fraudetur obſequiis, & animarum cura in ea nullatenus negligatur, ac ei per Vicarium perpetuum inſtituendum hujuſmodi laudabiliter deſerviatur in divinis, ac onera conſueta ſupportentur. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Primo (3), Quarto Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Kirchemienſi.*) Vulgo *Kircheim*, in *Suevia*.
2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. VI fol.* 17, & *Libro LX fol.* 49.
3. *Quinquageſimo Primo.*) Stylo Bullarum, ęra vero communis *MCCCCLII.*

Phortzemenſe (1) Monaſterium quibuſdam Beneficiis donat.

Anno 1452 Die 28 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXXIX.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Conventui Domus Beatę Marię Pforzheim (3), Spiren. (4) Diœceſis, ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum degentium, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

RELigionis zelus, vitę, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendamini teſtimonio, Nos inducunt, ut ea vobis favorabiliter concedamus, quę veſtris commoditatibus fore conſpicimus opportuna. Dudum ſiquidem ex certis rationabilibus cauſis tunc expreſſis duas perpetuas ſine cura Capellanias ad Altare S. Laurentii ſitum in Eccleſia dictę domus, per ceſſum, vel deceſſum, illas tunc obtinentium, ſeu eas quomodolibet alias dimittentium, pręfatę domui perpetuo uniri, & incorporari mandavimus, certo executore vobis deſuper deputato, prout in noſtris inde confectis literis, in quibus, quod fructus, redditus, & proventus ejuſdem Monaſterii, ſive domus, triginta marcarum argenti ſecundum communem

Diplomatis cauſa.

exiſtimationem valorem annuum non excedebant, expreſſum fuit, plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, licet forſan inſertum ſit, quantum fructus, redditus, & proventus hujuſmodi valeant annuatim, nihilominus ex illis ſeptuaginta perſonę, vel circa, computatis familiaribus, & ancillis, in eodem Monaſterio, ſive domo, educantur, & ſuſtentantur ad prędens, ad quarum victum triginta marcę argenti penitus non ſufficerent, Nos, ne propterea eędem literę de ſubreptione notari poſſint, voſque illarum effectu fruſtrari valeatis, providere volentes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, volumus, & Apoſtolica vobis Auctoritate concedimus, quod literę prędictę valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, quodque prętatus executor, & ab eo pro tempore deputatus ſubexecutor, ad earum omnimodam executionem procedere poſſit, & debeat in omnibus, & per omnia, ac ſi in eiſdem literis verus valor fructuum, reddituum, & proventuum Monaſterii, ſive domus, & Capellaniarum hujuſmodi expreſſus fuiſſet, non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quę in dictis literis voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Noſtrę voluntatis, & conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo ſecundo, Quinto Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. Por-

1. (*Phortzemense.*) Vulgo *Pfortzheim*, in *Badensi* Marchionatu *Germaniæ*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXXVI fol.* 51.
3. *Pforzheim*.) Aliis, *Phortzheim*, & *Phortzhaim*.
4. *Spiren*.) Vulgo *Speyer*, & *Speyr*, Gallis *Spire*, in *Germania*.

Hoſpitale S. Lazari unitur Varaginenſi (1) Cœnobio FF. Prædicatorum.

Anno 1452 Die 5 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XC.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Laurentio Sanſono, Canonico Saonen., Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Diplomatis cauſa. Mandatum.

HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus Beatę Marię de Eremita de Varagine, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Saonen. (3) Dięceſis, petitio continebat, quod licet ipſi hoſpitale Sancti Lazari eidem domui contiguum, in quo aliqua hoſpitalitas a memoria hominum ſervata non fuit, a fundatione dictę domus pro ipſorum Prioris, & Fratrum uſu, & habitatione, nemine contradicente, pacifice tenuerint, poſſederint, & inhabitaverint, ac aliquas neceſſarias officinas, quas ipſi abſque dicto hoſpitali poſſidere non poſſent, ędificaverint, tamen quia hoſpitale ipſum forte a ſui primęva fundatione, & conſtructione pro pauperibus ibi recipiendis, & hoſpitalitate ſervanda conſtructum, & ędificatum fuit, dubitant, hoſpitale ipſum, in cujus pacifica poſſeſſione exiſtunt, canonice non poſſidere. Quare pro parte dilecti filii Raphaelis de Pornaſio (4), Vicarii Generalis dictę domus, Magiſtri in Theologia, ac Prioris, & Fratrum prędictorum aſſerentium, quod hoſpitale ipſum ruinoſum, & certę ejus poſſeſſiones incultę ſunt, & illius fructus, redditus, & proventus quatuor Florenorum auri de camera ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum non excedunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut hoſpitale prędictum cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis pro eorum uſu, & habitatione perpetuo concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam vocatis qui fuerint evocandi, tibi de pręmiſſis omnibus, & ſingulis legitime conſtiterit, hoſpitale ipſum, dummodo tempore dati pręſentium non ſit in eo alias alicui ſpecialiter jus quęſitum, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſupradictis Priori, & Fratribus hujuſmodi pro eorum, ac poſterum ſuorum uſu, & habitatione, perpetuis, auctoritate noſtra concedas pariter, & aſſignes. Et nihilominus, ſi conceſſionem, & aſſignationem hujuſmodi prędictas vigore pręſentium fieri contingat, facias eadem auctoritate noſtra Priorem, & Fratres prędictos pacifica dicti hoſpitalis poſſeſſione gaudere. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Proviſo, quod Eccleſia dicti hoſpitalis ad prophanos uſus veluti hęreditas minime redigatur. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Secundo, Nonis Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Varaginenſi.*) Vel *Voraginenſi*, vulgo *Varagine*, & *Voragine*, in *Liguria*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXXVI fol.* 59.
3. *Saonen.*) Vulgo *Savona*, in *Liguria*.
4. *Raphaelis de Pornaſio*.) Viri celeberrimi, de quo conſulendi Scriptores quos laudat & excipit *Echard Tomo I Script. Ord. ad annum MCCCCLXV pag.* 831.

De Januenſi (1) Monaſterio S. Silveſtri fundando.

Anno 1452 Die 6 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XCI.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Monaſterii Sancti Nicolai De Buſcheto extra Muros Januen. per Priorem ſoliti gubernari, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Diplomatis cauſa.

HUmilibus, & honeſtis ſupplicum votis, illis pręſertim, per quę divini cultus augmentum, & religionis propagatio, ac animarum ſalus proveniunt, libenter annuimus, ac perſonarum fragilis potiſſime ſexus feminei, quę mundi hujuſmodi ſpretis illecebris, virginitatem ſuam Jeſu Chriſto Filio Virginis devoverunt, vota favorabiliter exaudimus. Dudum ſiquidem pro parte venerabilis Fratris noſtri Jacobi Archiepiſcopi Januen., & dilectarum in Chriſto filiarum Philippę de Auria, & Thomaſię de Gambacurtis Monialium Monaſterii Sancti Dominici Piſarum, ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum degentium, expoſito, quod ipſe Archiepiſcopus ad laudem Divini Nominis, & ob ſingularem, quem ad ipſum Ordinem gerebat, devotionis affectum, Parochialem Eccleſiam Sancti Silveſtri Januen. ac palatium ſibi contiguum, ad ipſius menſam Archiepiſcopalem legitime ſpectans, ad hoc, ut ibidem unum Monaſterium dicti Ordinis ſub vocabulo Corporis Chriſti pro uſu, & habitatione quarundam Monialium ſub cura hujuſmodi, ac regulari obſervantia vivere debentium, concedere proponebat, dummodo dictę Eccleſię fructus, & redditus poſt obitum Rectoris tunc exiſtentis ejuſdem Eccleſię dictę men-

menſę perpetuo remanerent, ac Philippa, & Thomaſia prędictę pro palatio, & Eccleſia hujuſmodi triginta, & unum loca in compera Sancti Georgii Januen. deſcripta, ac per eas, vel earum alteram emenda prefatę menſę in recompenſam, prout ad id ſe offerebant, realiter aſſignarent, Nos tunc bonę memorię Gregorio Abbati Monaſterii Sancti Andreę, Ordinis Ciſtercien., ejus proprio nomine non expreſſo, aliis noſtris literis dedimus in mandatis, quod de prȩmiſſis omnibus, & ſingulis ſe diligenter informaret, &, ſi ita eſſe, necnon conceſſionem ipſam, ſi fieret, in evidentem utilitatem dictę menſę cedere, & ad hoc dicti Rectoris aſſenſum accedere, reperiret, ſuper quo ipſius Abbatis conſcientiam oneravimus, poſtquam Philippa, & Thomaſia prędictę ipſa loca eidem menſę aſſignaviſſent, Archiepiſcopo, ut eis Eccleſiam, & Palatium, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, exceptis fructibus ipſis, concedere, ac Philippę & Thomaſię prędictis, ut illa pro hujuſmodi uſu, & habitatione recipere, & ibidem dictum Monaſterium cum omnibus neceſſariis officinis erigere valerent, ita tamen quod fructus, & redditus prędicti poſt obitum Rectoris ejuſdem, dictę menſę remanerent, auctoritate noſtra licentiam concederet, prout in eiſdem literis plenius continetur. Poſtmodum vero, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Philippę & Thomaſię prędictarum, petitio continebat, licet ipſę triginta & unum loca in comperis hujuſmodi emerint, & illa pro recompenſa eidem Archiepiſcopo facienda & aſſignanda deputaverint, quia tamen idem Gregorius Abbas, ſicut Domino placuit, debitum naturę perſolvit, nequiverunt prędictam Eccleſiam, & palatium, in quo pro erectione prȩfati Monaſterii ex piis fidelium eleemoſynis duo millia Florenorum, vel circa expoſuerunt, pacifice poſſidere, ac prȩfatus Archiepiſcopus, qui a principio favorabilis fuit, mortuo tunc exiſtente Rectore dictę Eccleſię Sancti Silveſtri, illam dilecto filio Benedicto Presbytero, Januen. Diȩceſis, de cujus in prȩmiſſis prȩſtando conſenſu nulla ſpes habetur, auctoritate ordinaria contulit, ſibique providit etiam de eadem, eiſque minime, ut antea facere conſuevit, aſſiſtit, ita ut, cauſantibus mandatis & comminationibus, quę eis ex poſt fecit, necnon excommunicationis ſententia, qua ipſas, licet exemptas, de facto innodari fecit, ejuſdem Monaſterii, in quo plures mulieres Januen. ingreſſę ſunt, & ex optimatibus, ac primis ipſius Civitatis, aliȩ plures ingredi affectant, erectio & conſtructio, hoſte humani generis procurante, pene impedita exiſtit, ac nuper contra ipſas ſuper prȩmiſſis in Romana Curia dilecto filio Guillelmo de Fondera electo Oloren. (3), locum unius ex Auditoribus Cauſarum Palatii Apoſtolici obtinenti, committi, & in ea ad nonnullos actus, citra tamen concluſionem, inter partes ipſas procedi, obtinuit. Quare pro parte Philippę, & Thomaſię prędictarum, ac aliarum earundem Sororum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut cauſam hujuſmodi ad Nos advocare, eamque, & litem prędictas extinguere, necnon eas ab hujuſmodi excommunicationis ſententia, ſi illa forſitan ligatę exiſtant, ſimpliciter, & ad cautelam abſolvere, necnon omnes defectus, ſi qui forſan in prȩmiſſis intervenerunt, ſupplere, ac alias, eis & earum ſtatui, & quieti ſuper his paterna caritate conſulere, ac etiam providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ſtatum cauſę hujuſmodi prȩſentibus pro expreſſo habentes, ac illam ad Nos harum ſerie, & ex certa ſcientia, advocantes, eamque, & litem hujuſmodi penitus extinguentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę, de qua in his, & aliis ſpecialem in Domino

Mandatum. fiduciam obtinemus, per apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus, vocatis Archiepiſcopo, & Rectore prȩfatis, ac aliis, qui fuerint evocandi, Philippam, Thomaſiam, & Sorores prędictas ab hujuſmodi ſententia, ſi ea forſitan innodatę exiſtunt, abſolvas in forma Eccleſię conſueta, injunctis inde earum cuilibet pro modo culpę pȩnitentia ſalutari, & aliis, quę de jure fuerint injungenda, & nihilominus, ſi prȩfatus Archiepiſcopus infra annum a die notificationis prȩſentium computandum, omnes, & ſingulas expenſas per Philippam, & Thomaſiam, & Sorores prędictas tam pro reparatione, & fabrica dicti palatii, quam etiam ad ordinationem Monaſterii hujuſmodi, ſive alias occaſione prȩmiſſorum factas, necnon omnes proventus, qui ex locis prędictis ad manus ipſius, vel ejus procuratoris pervenerunt, reſtituerit cum effectu, Philippam, & Thomaſiam, & Sorores prȩfatas ad reſtituendum, & aſſignandum ipſum palatium prȩfato Archiepiſcopo per Cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, compellas. Ita tamen quod Archiepiſcopus memoratus ipſum palatium alicui alii pro loco Eccleſię, ſecularive perſonę nullatenus vendere, aut alienare, vel diſtrahere valeat quoquomodo, alioquin ſi idem Archiepiſcopus expenſas hujuſmodi integraliter, & cum effectu infra tempus prędictum reſtituere diſtulerit, ſeu alias recuſaverit, Palatium prędictum Philippę, Thomaſię, & Sororibus prȩfatis, contradictione aliqua non obſtante, pro conſtruendo Monaſterio antedicto, necnon earum uſu, & habitatione perpetuis, auctoritate noſtra tradas, pariter, & aſſignes, ac alias ad earundem priorum literarum omnimodam executionem, ac ſi illę tibi directę fuiſſent procedens, de prȩmiſſis omnibus, & ſingulis, ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ac ſine figura judicii te informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, triginta & unum loca prędicta Archiepiſcopo pro menſa prȩfata, & Eccleſiam cum capellis, libris, calicibus, & aliis ornamentis, necnon illi juncta domo, Rectoris ejus contradictione penitus non obſtante, ac Palatium ante dictum cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis Philippę, Thomaſię, & Sororibus memoratis ex nunc tradere, & aſſignare, curam quoque Parochianorum dictę Eccleſię vicinioribus Eccleſiis parochialibus, prout tibi melius videbitur, applicare, illamque, & in dictas Eccleſias transferre, necnon fructus, redditus, & proventus Eccleſię hujuſmodi prȩfatę menſę unire & applicare procures, ita quod, cedente, vel decedente Rectore dictę Eccleſię, ſive fructus, & redditus hujuſmodi alias quomodolibet dimittente, liceat tunc Archiepiſcopo Januen. per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem, vel quaſi, poſſeſſionem eorundem fructuum, & redditum auctoritate propria apprehendere, & pro menſa prȩfata perpetuo obtinere, alicujus ſuper hoc licentia minime requiſita, Philippam & Thomaſiam, & Sorores prędictas Eccleſię, Domus, atque Palatii, juriumque, & pertinentiarum facias prędictorum pacifica poſſeſſione gaudere, eiſque efficacis defenſionis prȩſidio aſſiſtens non permittas eas ſuper prȩmiſſis aliqualiter moleſtari. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fue-

Digitized by Google

fuerit, auxilio brachii ſecularis. Prędterea in pręmiſſis, & circa ea facias, ordines, & diſponas, prout ſecundum Deum, pro ipſius Monaſterii utilitate, ac Philippę, Thomaſię, & Sororum prędictarum pace pariter, & quiete videris expedire. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nos enim ſi traditionem, aſſignationem, & unionem prędictas per te vigore pręſentium fieri contigerit, ex tunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Secundo, Octavo Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Januenſ.*) In ejuſdem nominis Reipublicæ Metropoli. De hoc autem Monaſterio conſulendæ *Conſtitutiones LIII*, & *XCVII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Januenſi*.
3. *Oloren.*) Vulgo *Oleron*, in *Gallia*.

Anno 1452 Die 10 Junii.

F. Thomas de S. Dionyſio fit Abbas Monaſterii S. Michaelis de Zebegen. (1)

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Officiali Strigonien. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XCII.

APoſtolicę ſollicitudinis ſtudium &c. (4). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte Thomę de Sancto Dionyſio, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, petitio continebat, quod olim Monaſterio S. Michaelis Archangeli de Zebegen., Ordinis Sancti Benedicti, Quinque Eccleſien (5) Diœceſis, per liberam ceſſionem regiminis, & adminiſtrationis illius per dilectum filium Vincentium ejuſdem Monaſterii monachum tunc illius Abbatem in manibus venerabilis Fratris noſtri Dionyſii Archiepiſcopi Strigonien., cui pręfatum Monaſterium eſt Ordinario jure ſubjectum, extra Romanam Curiam ſponte factam, & per eundem Archiepiſcopum extra dictam Curiam ordinaria auctoritate admiſſam vacante venerabilis Frater Noſter Raphael tunc electus Gezen. (6) verus ipſius monaſterii patronus ex ſpeciali Sedis Apoſtolicę privilegio, cui non eſt hactenus in aliquo derogatum, eundem Thomam in Abbatem ipſius Monaſterii pręfato Archiepiſcopo infra tempus legitimum pręſentavit, idemque Archiepiſcopus ad pręſentationem eandem de perſona dicti Thomę pręfato monaſterio eadem auctoritate providit: Ipſumque illi pręfecit in Abbatem, licet de facto, ac dictus Thomas pręſentationis, proviſionis, & pręfectionis earundem obtentu, regiminis, & adminiſtrationis dicti Monaſterii corporalem poſſeſſionem, vel quaſi, extitit aſſecutus, ac nulla ſuper hoc a Sede Apoſtolica obtenta diſpenſatione ad illud ſe tranſtulit &c. Inſuper eidem Thomę, ſi per te de perſona ſua dicto Monaſterio vigore pręſentium provideri contigerit, ut a quocunque catholico Antiſtite, gratiam, & communionem pręfatę Sedis habente, munus benedictionis, ſi ei alias canonice impenſus non ſit, ſuſcipere valeat, ipſique Antiſtiti, ut illud ſibi impendere poſſit libere, & licite, eadem auctoritate concedas. Volumus autem, quod prędictus Antiſtes, qui eidem Thomę munus prędictum impendet, ab eo noſtro, & Romanę Eccleſię nomine fidelitatis debitę ſolitum recipiat juramentum, juxta formam quam ſub Bulla noſtra mittimus interclusam, ac formam juramenti, quod ipſe Thomas pręſtabit, Nobis de verbo ad verbum per ejus patentes literas, ſuo ſigillo ſignatas, per proprium Nuncium quantocitius deſtinare procuret, quodque per hoc pręfati ordinario juri Epiſcopi Strigonien., cui dictum Monaſterium ordinario jure, ut pręmittitur, ſubeſſe dignoſcitur, nullum in poſterum prejudicium generetur. Datum (7) Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Secundo, Quarto Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Zebegen.*) In *Hungaria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXXVI fol.* 17.
3. *Strigonien.*) Vulgo *Gran.*, in *Hungaria*.
4. *Studium &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Diplomatibus.
5. *Quinque Eccleſien.*) In *Hungaria*.
6. *Gezen.*) Fortaſſis *Gieſſen*, in *Germania*.
7. *Datum.*) In Archivo Ordinis aſſervantur duo alia Diplomata quibus *Nicolaus V* Abbates creavit

FRatrem Dominicum de Triſcayno de Tarento Abbatem Monaſterii S. Marię de Sabuzzano, Ordinis S. Baſilii, Gallipolitanę Diœceſeos, in Regno Neapolitano. Conſtitutio ſic incipit: *Solitæ conſiderationis indagine &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Tertio, Undecimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XVI fol.* 89. Anno 1453 Die 22 Auguſti. XCIII.

FRatrem Michaelem de Raguſio Abbatem Monaſterii S. Marię Melliſen., Ordinis S. Benedicti, Raguſin. Diœceſeos, in ejuſdem nominis Republica. Conſtitutio ſic incipit: *Apoſtolicæ Sedis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Tertio,* (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCLIV) *Undecimo Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Octavo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXVI fol.* 84. Anno 1454 Die 22 Martii. XCIV.

Unit

Anno 1452 Die 16 Junii.

Unit quædam Beneficia Cœnobio S. Mariæ de Victoria. (1)

Ex Archivo (2) Ordinis.

XCV.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Ceptenſi, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

ROmanus Pontifex fabricis Eccleſiarum, & eccleſiaſticorum locorum, ut hujuſmodi fabricę, pręſertim chriſtianorum Regum Apoſtolicę Sedi devotiſſimorum occaſione triumphorum per eos victorioſiſſime obtentorum, curis, & expenſis honorifice, & mirifico opere ad divini Nominis laudem, conſtrui inceptę, fine debito terminari, & conſervari valeant, libenter intendit, ſuęque ſolicitudinis partes impertitur efficaces. Sane pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Alfonſi (3) Portugallię, & Algarbii Regis illuſtris, Nobis nuper exhibitę, petitionis ſeries continebat, quod cum quondam clarę memorię Johannes (4) Portugallię, & Algarbii Rex, ipſius Regis Alfonſi progenitor, dum ageret in humanis, propter certam victoriam, tunc per eum cum Dei adiutorio contra ſuos inimicos obtentam, ac alias gerens ad Beatam Mariam Virginem ſingularem devotionis affectum, cupienſque terrena in cęleſtia, ac tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, ac de propria ſalute recogitans, de bonis ſibi a Deo collatis unam Eccleſiam, ſeu domum ad divini cultus augmentum, in honorem, & reverentiam pręfatę Beatę Marię fundari, conſtrui, & ędificari facere promiſerit, pręfatus Johannes Rex, volens promiſſum hujuſmodi adimplere, quandam domum, ſeu Monaſterium Fratrum Prędicatorum ſub Regula, & Ordine Sancti Dominici, ac ſub vocabulo Beatę Marię de Victoria cum Eccleſia, cęmeterio, campanili, campana, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, aliiſque neceſſariis officinis, pro uſu, & habitatione Prioris, & Fratrum dicti Ordinis in territorio oppidi de Leiria, (5) Colimbrienſis Dięceſis, in dominio ſuo temporali conſiſtentis, honorifice, & magnifice, multumque ſumptuoſe fundari, conſtrui, & ędificari facere incepit, quę domus, ſeu Monaſterium propter operis magnitudinem, & ędificiorum ſumptuoſitatem nondum ad perfectionem deduci potuit, deſideratque pręfatus Rex Alfonſus ędificia hujuſmodi continuari, & compleri, ipſamque domum, ſeu Monaſterium, ac ejus ornamenta, necnon Fratres inibi divinis inhęrentes obſequiis in veſtibus, ac aliis ſuis neceſſitatibus debite conſervari, & ſuſtentari, pro quibus quidem completione, conſervatione, & ſuſtentatione pręfatum Monaſterium, ſeu domus quampluribus noſcitur indigere. Et, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi aliquę Parochiales Eccleſię, de jure patronatus ejuſdem Regis exiſtentes, Fabricę dictę domus, ſeu Monaſterii, in quo cultus divinus devote obſervatur, ad illius, & Fratrum prędictorum utilitatem, & neceſſitatem perpetuo unirentur, annecterentur, & incorporarentur, ędificia hujuſmodi compleri, ipſumque Monaſterium, ſeu domus debite conſervari, ac Fratres in illo uberius ſuſtentari, & cultus divinus per amplius augmentari valerent. Quare pro parte pręfati Regis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus unam, duas, ſeu plures Parochiales Eccleſias de jure patronatus ejuſdem Regis Alfonſi exiſtentes, eujus, ſeu quarum fructus, redditus, & proventus, mille librarum Turonen. parvorum ſecundum ęſtimationem communem valorem annuum non excedant, prędictę fabricę, perpetuo uniri, annecti, & incorporari mandare pro ipſius Regis complacentia ſingulari, benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, Eccleſias, locaque eccleſiaſtica, etiam in quibus pręſertim regularis viget obſervantia, conſtrui, & conſervari, cultumque hujuſmodi noſtris potiſſime temporibus, ubique adaugeri ſummis zelantes affectibus, de premiſſis tamen certam notitiam non habentes, ipſiuſque Regis devotis in hac parte ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, eorumque circumſtantiis univerſis, te autoritate noſtra informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, unam, vel duas, ſeu plures Parochiales Eccleſias de jurepatronatus ipſius Regis Alfonſi exiſtentes, eujuſcunque taxę ſeu annui valoris, fructus, redditus, proventus illius, vel illarum exiſtant, dummodo mille librarum ſimilium, ſecundum eandem ęſtimationem, valorem annuum non excedant, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, fabricę dictę Eccleſię, ſeu Monaſterii pro ipſorum ędificiorum complemento, & conſervatione, aliiſque in eadem domo, ſeu Monaſterio neceſſariis acquirendis, & ſupportandis, reſervata tamen primitus per te ſuper fructibus, redditibus, & proventibus, uniendę, ſeu ſingularum uniendarum Eccleſię, vel Eccleſiarum hujuſmodi, pro ſingulis inibi inſtituendis, ac in divinis laudabiliter deſervituris, perpetuis Vicariis portione congrua, de qua quilibet eorum congrue ſuſtentari, Epiſcopalia jura ſolvere, ac alia ei ratione Eccleſię ſibi commiſſę incumbentia onera valeat ſupportare, necnon jurepatronatus, ſeu pręſentandi perſonam, ſeu perſonas idoneam, vel idoneas, ad perpetuam, ſeu perpetuas Vicariam, ſeu Vicarias Eccleſię, vel Eccleſiarum, uniendę, ſeu uniendarum hujuſmodi, quoties illam, vel illas pro tempore vacare contigerit, pręfato Regi Alfonſo, ſuiſque ſucceſſoribus Portugallię Regibus ſemper ſalvo, pręfata auctoritate in perpetuum unias, annectas, & incorpores ita, quod, cedente, vel decedente, aut decedentibus Rectore, ſeu Rectoribus Eccleſię, vel Eccleſiarum, uniendę ſeu uniendarum hujuſmodi, ſeu Eccleſiam dimittente, vel Eccleſias hujuſmodi, ſimul, vel ſucceſſive quomodolibet dimittentibus, liceat uni, vel duobus, ſeu tribus probo vel probis viro, ſeu viris, per te ad nominationem pręfati Alfonſi Regis, & ſucceſſorum ſuorum, Regum Portugallię pro tempore exiſtentium ad hoc deputando, ſeu deputandis corporalem Eccleſię, vel Eccleſiarum, juriumque, & pertinentiarum prędictorum, per ſe, vel alium, ſeu alios poſſeſſionem propria auctoritate apprehendere, illiuſque, vel illarum fructus, redditus, & proventus in fabricę, ac Domus, ſeu Monaſterii hujuſmodi, complementum, & conſervationem, & ornamentorum proviſionem, ac alias in Monaſterii, ſeu Domus uſus, & utilitates, Fratrumque ſuſtentationem, perpetuo convertere, Dięceſani, ſeu Dięceſanorum loci, vel locorum, aut aliorum quorumcunque licentia ſuper hoc minime re-

Diplomatis causa.

Mandatum.

requiſita. Contradictores auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſterii, ſeu Domus, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, contrariis quibuſcunque. Aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi ſpeciales, vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus generales Apoſtolicę Sedis, vel Legatorum eius literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, necnon proceſſus habitos, & habendos per eaſdem, ad Eccleſiam, ſeu Eccleſias uniendam, vel uniendas hujuſmodi, volumus non extendi: ſed nullum eis quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum prejudicium generari, & quibuslibet privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis: proviſo, quod Eccleſia, ſeu Eccleſię, unienda, vel uniendę prędictę, debitis propterea non fraudentur obſequiis, & animarum cura in eis nullatenus negligatur, ſed illarum debite ſupportentur onera conſueta. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Secundo, Sexto decimo Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Pe. de Noxeto.

1. *Cœnobio S. Maria de Victoria.*) Juris eſt Provinciæ *Portugalliæ*.
2. *Archivo*,) In quo Exemplar *Lib. B. fol.*174 ex Autographo aſſervato in Cœnobio S. *Maria de Victoria*;
3. *Alfonſi.*) Cognomento *Africani*.
4. *Johannes.*) Hujus nominis *I* cognomento *Pater Patriæ*.

Anno 1452 Die 27 Junii.

De reſcindenda ſententia ab Epiſcopo Portugalen. (1) in quoſdam Fratres lata.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XCVI.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Monaſterii de Igreivo per Priorem ſoliti gubernari, Portugalen. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

JUſtis, & humilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Didaci de Portu, Prioris domus, ſeu Monaſterii Sancti Dominici Portugalen., Ordinis Fratrum Prędicatorum, Magiſtri in Theologia, ac Johannis de Laureto dicti Ordinis profeſſi, in eadem Theologia Bacchalaurei, petitio continebat, quod alias Venerabilis Frater noſter Gundisalvus Epiſcopus Portugalen., ſeu ejus Vicarii, odio potius, & rancore, quam a juſtitię zelo moti, pretendentes Didacum, & Johannem pręfatos nonnullorum fuiſſe, & eſſe teſtamentorum executores, ac de geſtis per eos circa teſtamentorum hujuſmodi executionem Epiſcopo, ſeu ejus Vicariis pręfatis rationem reddere debere, eoſdem Didacum & Johannem ad certos pretenſos tunc expreſſos terminos coram Epiſcopo, ſeu Vicariis hujuſmodi, recipiendos, in quibus de geſtis hujuſmodi rationem reddere deberent, citari, procuravit. Verum quia de antiqua, & tanto tempore, cujus hujuſmodi memoria in contrarium non exiſtit, inconcuſſe obſervata conſuetudine, executio teſtamentorum, & deinde rationes illorum, in Eccleſia, civitate, & Dięceſi Portugalen. ad Epiſcopum, & Vicarios, pręfatos minime, ſed ad cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Alfonſum, & quemlibet pro tempore Portugallię Regem pertinet, Didacus, & Johannes pręfati ſcientes, ſe etiam ab omni juriſdictione, ſuperioritate, & correctione Epiſcopi, & Vicariorum pręfatorum fore exemptos, ac illorum, qui eos immutabiliter proſecuti fuerunt, prout adhuc proſequuntur, ipſoſque capi, & carceribus mancipare, permoliti ſunt, potentiam merito perhorreſcentes, coram Epiſcopo, ſeu Vicariis ipſis minime comparuerunt, propter quod Epiſcopus, ſeu Vicarii pręfati, contra Didacum, & Johannem pręfatos ob non comparitionem hujuſmodi ſententiam excommunicationis promulgarunt, ipſoſque excommunicatos fore publice denuntiari fecerunt, quanquam nulliter, & de facto, in non modicum Didaci, & Johannis prędictorum prejudicium, & gravamen, ac Ordinis, & Regis pręfatorum libertatum detrimentum, & ſcandalum plurimorum. Quare pro parte eorundem Didaci, & Johannis, aſſerentium ſe coram Epiſcopo & Vicariis pręfatis, eis manifeſte comminantibus, & eos incarcerare volentibus, in judicio comparere, multum ipſis periculoſum fore, nec Epiſcopum, ſeu Vicarios pręfatos, contra eos, ab omni juriſdictione Epiſcopi exemptos, hujuſmodi ſententiam ferre potuiſſe, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ſtatui eorum in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſingulorum Chriſti fidelium pręſertim Sacrę religionis voto aſtrictorum pacem libenter confovemus, de pręmiſſis tamen certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam vocatis Gundisalvo Epiſcopo, ſeu Vicariis pręfatis, & aliis, qui fuerint evocandi, de pręmiſſis, ac quod deinde rationes executorum teſtamentorum hujuſmodi ad pręfatum Epiſcopum non ſpectent, tibi legitime conſtiterit, omnes & ſingulas excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliaſque ſententias, cenſuras, & pęnas Eccleſiaſticas, per Epiſcopum, ejuſque Vicarios, contra Didacum & Johannem pręfatos, tam conjunctim, quam diviſim, pręmiſſorum occaſione, quomodolibet latas, ac proceſſus deſuper habitos, & quęcunque inde ſecuta, auctoritate noſtra nulla fuiſſe, & eſſe, ac de facto proceſſiſſe decernas, & declares, non obſtantibus pręmiſſis, necnon conſtitutionibus, &

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Secundo, Quinto Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Portugalen.*) In *Luſitaniæ* Regno.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXVII fol.276.*

Anno 1453 Die 4 Januarii.

Concordiam initam inter Monaſterium (1) Sancti Silveſtri de Piſis Januen., & Archiepiſcopum Januenſem confirmat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XCVII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

ETſi ad procurandum univerſis Chriſti fidelibus pacis commoda ſolicite cogitemus, circa perſonas tamen fragilis ſexus fęminei, quę, ſpreto mortalis viri toro, Chriſto Jeſu virginitatem ſuam, mundanis relegatis illecebris, devoverunt, tanto efficacius, & ferventius id efficere, & quę pro ipſarum tranquillitate judicio, vel concordia terminata ſunt, ne in recidivę contentionis ſcrupulum relabantur, Apoſtolico munimine roborare, appetimus, quanto eędem perſonę pro earum imbecillitate majoribus auxiliis indigere noſcuntur. Dudum ſiquidem pro parte bonę memorię Jacobi Archiepiſcopi Januen., & dilectarum in Chriſto filiarum Philippę de Auria, & Thomaſię de Gambacurtis, Monialium Monaſterii Sancti Dominici Piſan. ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, Nobis expoſito, quod idem Archiepiſcopus ad laudem Divini Nominis, & ob ſingularem, quem ad ipſum Ordinem habebat devotionis affectum, Parochialem Eccleſiam Sancti Silveſtri Januen., & Palatium ſibi contiguum, ad ipſius Menſam Archiepiſcopalem legitime ſpectans, ad hoc, quod ibidem unum

Diplomatis cauſa.

Monaſterium dicti Ordinis ſub vocabulo Corporis Chriſti pro uſu, & habitatione quarundam Monialium ſub cura hujuſmodi, ac regulari obſervantia vivere debentium, erigeretur, concedere proponebat, dummodo dictę Eccleſię fructus, & redditus poſt obitum Rectoris, tunc exiſtentis, ejuſdem Eccleſię dictę menſę perpetuo remanerent, ac Philippa, & Thomaſia prędictę pro Palatio, & Eccleſia hujuſmodi triginta & unum loca in compera Sancti Georgii Januen. deſcripta, ac per eas emenda, prefatę menſę in recompenſam, prout ad id ſe offerebant, realiter aſſignarent. Nos tunc bonę memorię Gregorio Abbati S. Andreę de Sexto, Ciſtercien. Ordinis, Januen. Diœceſis, ejus proprio nomine non expreſſo, dedimus in mandatis, quod de pręmiſſis omnibus, & ſingulis ſe diligenter informaret, &, ſi ita eſſe, necnon conceſſionem ipſam, ſi fieret, in evidentem utilitatem dictę menſę cedere, & ad hoc dicti Rectoris aſſenſum accedere reperiret, ſuper quo ipſius Abbatis conſcientiam oneravimus, poſtquam Philippa, & Thomaſia prędictę ipſa loca eidem menſę aſſignaviſſent, Archiepiſcopo, ut eis Eccleſiam, & Palatium, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, exceptis fructibus ipſis, concedere, ac Philippę, & Thomaſię prędictis illa pro hujuſmodi uſu, & habitatione recipere, & ibidem dictum Monaſterium cum omnibus neceſſariis officinis erigere valerent, ita tamen, quod fructus, & redditus prędicti poſt obitum Rectoris ejuſdem dictę menſę remanerent, auctoritate noſtra licentiam concederet, primo per quaſdam, & deinde pro parte Philippę, & Thomaſię prędictarum expoſito Nobis, quod licet ipſę triginta & unum loca in compera hujuſmodi emiſſent, ac illa pro recompenſa eidem Archiepiſcopo facienda, & aſſignanda deputaſſent, quia tamen idem Gregorius Abbas morte pręventus fuerat, nequiverant prędictam Eccleſiam, & Palatium in quo pro erectione prefati Monaſterii ex piis fidelium eleemoſynis ipſę duo millia Florenorum vel circa expoſuerant, pacifice poſſidere, ac prefatus Archiepiſcopus, qui a principio eis favorabilis fuerat, mortuo Rectore dictę Eccleſię illam dilecto filio Benedicto de Leivi presbytero Januen. Diœceſis, de cujus in pręmiſſis prębendo conſenſu nulla ſpes habebatur, auctoritate Apoſtolica contulerat, ſibique providerat de eadem, ipſiſque minime, ut tenebatur, aſſiſtebat, itaut cauſantibus mandatis, & comminationibus, quę eis ex poſt fecerat, necnon excommunicationis ſententia, qua ipſas, licet exemptas, innodaverat, ejuſdem Monaſterii, in quo plures mulieres ingredi affectabant, erectio, & ędificatio pene impeditę erant, ac etiam dictus Archiepiſcopus ſuper pręmiſſis in Romana Curia coram dilecto filio Guillelmo De Fondera Electo Oloren. cauſam contra ipſas committi, & in ea ad aliquos actus procedi, obtinuerat, Nos ſtatum Cauſę prędictę tunc pro expreſſo habentes, ac Cauſam ipſam ad Nos ex certa ſcientia advocantes, & litem eandem penitus extinguentes, dilecto filio Juliano de Vernatia, Priori Monaſterii Sancti Nicolai de Boſcheto extra Muros Januen., per Priorem ſoliti gubernari, Ordinis Sancti Benedicti, ejus proprio nomine ſimiliter non expreſſo, per alias noſtras literas commiſimus, & mandavimus, quod, vocatis, Archiepiſcopo, & Rectore prefatis, ac aliis, qui fuerint evocandi, Philippam, Thomaſiam, & alias Sorores prędictas ab hujuſmodi ſententia, ſi ea forſitan innodatę eſſent, abſolveret in forma Eccleſię conſueta, & nihilominus, ſi prefatus Archiepiſcopus infra annum a die notificationis poſteriorum literarum prędictarum computandum, omnes, & ſingulas expenſas per Philippam, & Thomaſiam & Sorores prędictas, tam pro reparatione, & fabrica dicti Palatii, quam etiam ad ordinationem Monaſterii hujuſmodi, ſive alias, occaſione pręmiſſorum, factas, necnon omnes proventus, qui ex locis prędictis ad manus ipſius, vel ejus procuratoris pervenerant, reſtitueret cum effectu, Philippam, & Thomaſiam, & Sorores prędictas ad reſtituendum, & aſſignandum ipſum Palatium prefato Archiepiſcopo per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, compelleret; ita tamen, quod Archiepiſcopus memoratus ipſum Palatium alicui pro loco Eccleſię ſecularium perſonę vendere, aut alienare, vel diſtrahere non valeret quoquomodo. Alioquin, ſi idem Archiepiſcopus expenſas hujuſmodi

inte-

Digitized by Google

integraliter, & cum effectu infra tempus prędictum reſtituere differret, ſeu alias recuſaret, Palatium prędictum Philippę & Thomaſię, & Sororibus pręfatis, contradictione aliqua non obſtante, pro conſtituendo Monaſterio antedicto, necnon earum uſu, & habitatione perpetuis, auctoritate noſtra traderet pariter, & aſſignaret, ac alias ad earumdem priorum literarum omnimodam executionem, ac ſi illę ſibi directę fuiſſent, procedens, de premiſſis omnibus & ſingulis ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura judicii ſe informaret, &, ſi per informationem eandem ita eſſe reperiret, triginta & unum loca prędicta pro menſa pręfata, & Eccleſiam cum capellis, libris, calicibus, & aliis ornamentis, necnon illi juncta domo, Rectoris ejus contradictione non obſtante, & Palatium antedictum cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis Philippę, & Thomaſię, & Soribus prędictis, ex tunc tradere, & aſſignare, curam quoque Parochianorum dictę Eccleſię vicinioribus Parochialibus Eccleſiis prout ei melius videretur, applicare, illamque in dictas Eccleſias transferre, necnon fructus, redditus & proventus hujuſmodi pręfatę menſę unire, & applicare curaret, ac in premiſſis, & aliis tunc expreſſis, ac circa ea faceret, ordinaret, atque diſponeret, prout ſecundum Deum, & pro ipſius Monaſterii erectione, ac Philippę, Thomaſię; & Sororum prędictarum pace, & quiete ſibi videretur expedire, prout in ſingulis literis prędictis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis pro parte Philippę, Thomaſię, & Sororum prędictarum petitio continebat, poſt aliqualem controverſiam, ac mutuos tractatus inter ipſas, ac Archiepiſcopum pręfatos, & coram dicto Priore habitos, de communi partium conſenſu Prior, & executor pręfatus dictum Palatium cum juribus, & pertinentiis ſuis pro conſtruendo dicto Monaſterio, ac ipſarum Sororum uſu, & habitatione perpetuis pro triginta & uno locis in compera hujuſmodi per prędictas Sorores pręfato Archiepiſcopo aſſignandis, perpetuo remanere debere, pronuntiaverit, decreverit, & declaraverit, ipſumque Palatium eiſdem Sororibus, loca vero prędicta quę uſque ad decennium pro evictione dicti Palatii voluit obligata manere, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis Archiepiſcopo pręfatis pro ſua Menſa tradiderit, & aſſignaverit, & quod dicta Eccleſis Sancti Silveſtri in ſuo ſtatu quoad omnia alia remanente in ea Sorores prędictę crates, & feneſtras ferratas fabricari facere, illiuſque, necnon ornamentorum, librorum, & paramentorum uſum, & commoditatem habere ſub certis modo, & forma tunc expreſſis, libere, & licite poſſent, voluerit, atque mandaverit, ac nonnulla alia pro ipſarum partium pace, & tranquillitate, utilia, & honeſta fecerit, & ordinaverit, quę per ipſas partes ratificata, & approbata fuerunt, prout in quodam publico Inſtrumento, cujus tenorem pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, plenius continetur, pro parte dictarum Sororum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut declarationem, traditionem, aſſignationemque prędictas, ac omnia alia per ipſum executorem facta, geſta, & ordinata, ac per ipſas partes ratificata & approbata in dicto Inſtrumento contenta, & inde ſecuta, auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia approbare, & confirmare, omneſque defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, declarationem, traditionem, aſſignationem, voluntatem, mandatum, & ordinationem ejuſdem Prioris, ac omnia alia per ipſum facta, geſta, & ordinata, ac per ipſas partes emologata, ratificata, & approbata, in dicto Inſtrumento contenta, & prout illa contingunt, inde ſecuta, auctoritate Apoſtolica ratificamus, & approbamus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, atque illis pręſertim, quibus cavetur, quod ſuper ſimilibus cauſis conditiones fiant ad partes onerando conſcientias eorum quibus fit commiſſio, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę ratificationis, approbationis, & ſuppletionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Secundo (3), pridie Nonas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Confirmatio:

1. *Manaſterium*. Vide Conſtitutiones *LIII*, & *XCI*.
2. *Archivo*.) In quo duplex exemplar i authenticum unum ex Autographo *Januenſi*, aliud ex *Archivo Apoſtolico Libro XXIII fol.*18.
3. *Quinquageſimo Secundo*.) Stylo Bullarum, æræ vero communis *MCCCLIII*.

De F. Martino in ſtudiis alendo a Conventu S. Crucis Tragurien. ex his quæ vel ipſe Martinus, vel illius mater eidem Conventui contulerunt (1).

Anno 1453 Die 11 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XCVIII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Sibenicen. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Martini Magiſtri Marci Ciroyci de Sibenico (4) Provincię Dalmatię, Ordinis Prędicatorum profeſſoris, petitio continebat, quod nuper dilectus filius Dominicus Johannis de Florentia (5) Prior Provincialis Provincię Romanę, ac ejuſdem Ordinis Generalis Vicarius (6), in Theologia Magiſter, ex certis tunc expreſſis cauſis, pręfato Martino uſumfructum redditus, & bonorum tam mobilium, quam immobilium quę ipſe Martinus Conventui, ſeu Domui Sanctę Crucis Tragurien. (7) dicti Ordinis de Inſula Bua (8) nuncupato, libere reliquit, a prędicto Conventu exigere, recipere, & pro ſuſtentatione ejus in ſtudio, & aliis neceſſitatibus habere, & in ſuos uſus hujuſmodi licite convertere poſſet, gratioſe conceſſit, prçcipiens Pręſidenti dicti Conventus in

Diplomatis cauſa.

virtute Sanctę obedientię, ut relicta hujuſmodi bona eidem Fratri Martino omni exceptione remota darent, reſtituerent, & aſſignarent primo, & deinde eis ſub excommunicationis pęna mandavit, ut, etiam pecuniarum ſummam, ſi quę poſt ſuam conceſſionem hujuſmodi, & priorem inhibitionem per ipſum illis deſuper factas a matre ejuſdem Fratris Martini percepiſſent forte, & habuiſſent, illam eidem Martino omni dilatione, & exceptione poſtpoſitis, reſtituere deberent, prout in ipſius Prioris Provincialis deſuper confectis patentibus literis plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, prętati Conventus de uſufructu, & pecunia hujuſmodi ipſi Martino reſpondere hactenus non curaverint, nec curent, in magnum ipſius Martini, qui, ut aſſerit, literarum ſtudio inſiſtere cupit,
Mandatum. prejudicium, atque damnum, pro parte dicti Martini nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi quandiu literarum ſtudio inſtiterit, de uſufructu redditus, & bonorum hujuſmodi reſpondere, dictamque pecuniarum ſummam per eoſdem Conventum ſibi aſſignari, mandare, atque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam vocatis Pręſidente, & Conventu prędictis, & aliis, qui fuerint evocandi, de relictis bonis, pręcepto, & mandato, & literis Vicarii hujuſmodi tibi legitime conſtiterit, facias ipſi Martino quan-
Nota. diu literarum ſtudio inſtiterit, & non alias, de uſufructu hujuſmodi integre reſponderi, ac etiam dictę pecunię ſummam ſibi, ut pręfertur, ſtudio inſiſtenti aſſignari. Contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam &c. non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, illis pręſertim quibus cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem vel Diœceſim niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſuę Diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne Judices a Sede Apoſtolica deputati extra Civitatem vel Diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, ſeu alii, vel aliis vices ſuas committere pręſumant, dummodo aliquis ultra duas dietas auctoritate pręſentium non trahatur, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, ac ſtatutis, & Conſuetudinibus Domus, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis contrariis quibuſcunque. Aut ſi Pręſidenti, & Conventui prędictis, vel quibusvis aliis communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Secundo (9), Tertio Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Contulerunt.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XVII fol.* 106.
3. *Sibenicen.*) Vulgo *Sebenico*, in *Illyrico*.
4. *Martini Magiſtri Marci Ciroyci de Sibenico.*) Id eſt *Martini oriundi de Sibenico, qui patrem habuit Magiſtrum Marcum Cirovcum.*
5. *Dominicus Johannis de Florentia.*) *Vir ingenio, pietate atque prudentia conſpicuus, omni literarum genere preditus, orator, poeta, theologus &c.* Verba ſunt *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCLXXXIII pag.* 864.
6. *Generalis Vicarius.*) Per menſes *XVIII* munus Vicarii Generalis obiiſſe *Dominicum*, docet *Echard* mox laudatus.
7. *Tragurien.*) Vulgo *Trau*, in *Illyrico*.
8. *Bua.*) Seu *Bubua*, vulgo *Bua*, Slave *Cibove*. Inſula eſt *Illyrici*.
9. *Quinquageſimo Secundo.*) Stylo Bullarum, ærę vero communis *MCCCCLIII.*

Anno 1453 Die 28 Martii.

Fratres reformatos commendat.

Ex Bullario Caſtellani Parte I pag. 11.

XCIX.

Dilectis filiis Vicario, & Capitulo Generalibus Ordinis Prędicatorum.

NICOLAUS PP. V.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm Fratres (1) veſtri Ordinis, qui in regulari obſervantia Altiſſimo Domino famulantur, propter Religionis augmentum quod ex eorum operibus ſequitur, & propter utilitatem, quas verbo & exemplo ferunt in populo Chriſtiano, gerimus ſingularem Curatus (2) affectionem, volumus, & tenore pręſentium mandamus vobis, ut non permittatis eos per aliquos injuſte moleſtari, aut circa eorum vitam, & regimen aliquid immutari, ſed ſinatis ipſos juxta formam prius obſervatam ſub ſuis Vicariis, ſub obedientia tamen veſtri Ordinis Magiſtri, omnemque favorem eis, quantum in vobis eſt, impendatis, itaut poſſint in dies proficere in melius, cum videatis ex eorum multiplicatione honorem magnum accedere Ordini veſtro, & revelari (3) multa incommoda, & damna Ordinis veſtri, ex eorum propagatione. Super iis autem dilectus filius Vincentius de Finario Generalis Vicarius citra Alpes Fratrum Regularis obſervantię, qui de Religione, & prudentia multum commendatur, loquetur latius cum devotione noſtra (4), cui veſtris fidem prębere. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Martii (5) Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Cum Fratres.*) *Cum ad Fratres.*
2. *Curatus.*) *Caritatis.*
3. *Revelari.*) *Relevari.*
4. *Noſtra.*) *Veſtra.*
5. *Martii.*) Addendum *MCCCCLIII.*

F. Rolandus de Coſic (1) Inquiſitor Regni Franciæ conſtituitur.

Anno 1453 Die 10 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Rolando de Coſic Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori in Theologia Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. C.

CONſiderantes tuę circumſpectionis induſtriam in multis & arduis ſępius approbatam, ac alia grandia virtutum inſignia, quibus perſonam tuam bonorum dator Altiſſimus decoravit, ea quę gravia ſunt ponderis tibi fiducialiter committimus, ſperantes firmiter, quin potius pro certo tenentes, quod ad illa efficaciter exequenda ferventer intendas, intentum animi dirigas, & operoſę ſolicitudinis ſtudio proſequaris. Hinc eſt, quod Nos, qui deſideramus, & in votis gerimus, ut fides catholica noſtris proſperetur temporibus; & pravitas perverſorum hominum in Regno Francię vigentium, de finibus fidelium extirpetur, circa extirpationem eandem ſalubriter, & utiliter providere intendentes, te, qui, ut aſſeritur, Inquiſitor hęreticę pravitatis auctoritate Sedis Apoſtolicę deputatus exiſtis, in Regno prędicto cum omnibus, & ſingulis immunitatibus, privilegiis, gratiis, & libertatibus Inquiſitoribus dictę pravitatis a jure, vel conſuetudine hactenus conceſſis, in cauſis hęreſum Inquiſitorem facimus, conſtituimus, & etiam deputamus, dantes, & concedentes contra prędictę hęreticę pravitatis Credentes, receptores, fautores, & defenſores eorum, tam eccleſiaſticas quam ſeculares utriuſque ſexus perſonas, exemptas, & non exemptas, cujuſcunque etiam dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant, necnon infamatos, vel ſuſpectos de hęreſi, aut erroribus prędictis, procedendi, ac officium Inquiſitoris tibi commiſſum exequendi quę de jure, vel conſuetudine Inquiſitores pravitatis prędictę quomodolibet facere conſueverunt, ſeu etiam potuerunt, plenam & liberam auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus facultatem. Per conceſſionem autem hujuſmodi non intendimus poteſtati, ac Juriſdictioni aliorum Inquiſitorum a Nobis, vel aliis, ad hoc auctoritatem habentibus, deputatorum in aliquo derogare. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo (3), Quarto Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

F. Rolandum laudibus ornat.

Inquiſitor conſtituitur.

1. *Rolandus de Coſic.*) Seu *Le Coxic*, ut vocatur apud Echard *Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCLIV pag.* 812.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*.
3. *Quinquageſimo.*) Legendum *LIII* cum Pontificatus Annus Septimus aſcribatur. Vel dicendum quod erravit Amanuenſis in ipſo Pontificatus Anno, & ſcribendum: *Pontificatus noſtri Anno Quarto*, Chriſti *MCCCCL*.

Salernitan. (1) Monaſterii S. Mariæ Magdalenæ Moniales Regulam S. Benedicti ſervent, licet Ordinis noſtri veſtes induerint.

Anno 1453 Die 11 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Galerio Marchiſio Canonico Salernitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CI.

VOtis humilibus ſexus fęminei perſonarum, quę mundanis ſpretis illecebris in illius, qui ſpecioſus eſt forma prę filiis hominum, beneplacito delectantur, libenter annuimus, ut noſtris gratioſis, ac juſtis favoribus, ſublato quocunque conſcientię ſcrupulo, gloriam cum majori tranquillitate conſequi mereantur perpetuę claritatis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Conventus Monialium, & Sororum Monaſterii S. Marię Magdalenę Salernitan., petitio continebat, quod cum olim dictum Monaſterium, quod Archiepiſcopo Salernitan. ordinario jure ſubjectum fore dignoſcitur, & tunc laxioris vitę exiſtebat, Monialibus deſtitutum foret, & careret, nonnullę Moniales diverſorum Monaſteriorum aliorum etiam Salernitan. ſub regulari habitu vivere cupientes, cooperantibus Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum de obſervantia, tunc in Civitate Salernitan. commorantibus, de licentia, & beneplacito Archiepiſcopi Salernitan. qui tunc erat, ad dictum Monaſterium S. Marię Magdalenę ſe tranſtulerunt, Altiſſimo devote famulando, quarum devotionis exemplum quamplures nobiles dictę Civitatis puellę imitantes, ſpretis nuptiis, & carnalibus deſideriis, etiam Chriſto Sponſo virginitatem voventes, monaſterium ipſum ingreſſę profeſſionem per illius Moniales emitti ſolitam inibi emiſerunt regularem, etiam illius habitum cum Mantello nigro, tunica, & Scapulari albis ſub certis ceremoniis deferendo, in ipſo quoque Monaſterio B. Marię Magdalenę officium Divinum ac horę Canonicę ad uſum, & ſecundum conſuetudinem majoris Eccleſię Salernitan. dicuntur, & recitantur. Et licet dictę Moniales Ordinem S. Benedicti profiteantur, ac ſecundum illius regulam vivant, dubitant tamen, an Monaſterium ipſum ejuſdem S. Benedicti, vel alterius, SS. Bernardi videlicet Ciſtercien., ſeu Dominici Prędicatorum, vel Franciſci Minorum Ordinum exiſtat, & ſuper hoc certam notitiam tam per ſcripturas Monaſterii ejuſdem, quam perſonas antiquiores illarum partium, ſeu quemvis alium modum habere nequeunt, ſed inveniuntur aliqua Inſtrumenta publica, quibus habetur, quod Religioſę ipſius Monaſterii Sorores Beatę Marię Magdalenę nuncupabantur. Quare pro parte Conventus Monialium, & Sororum prędictarum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſis, ad omnem circa premiſſa tollendum ſcrupulum, pro earum ſecuritate conſcientiarum ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de premiſſis certam notitiam non habentes, hu-

Exordium.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

Digitized by Google

hujuſmodi ſupplicationibus inclinati diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, prędictis receptis, & in dicto Monaſterio recipiendis pro tempore pręſentibus, & futuris Monialibus, & Sororibus quod ipſę perpetuis futuris temporibus ſub regula, & profeſſione dicti S. Benedicti degere, ac cum regulari habitu videlicet Mantello nigro, tunica, & Scapulari albis, ac ceremoniis, qui, & quę in ipſo Monaſterio de pręſenti obſervantur perſeverare, & remanere ſub juriſdictione, & ſubjectione dicti Epiſcopi Salernitan. pro tempore exiſtentis, prout hactenus fuerunt, libere, & licite poſſint, & valeant, auctoritate noſtra concedas pariter, & indulgeas, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Tertio, Quinto Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Salernitan.*) In Regno *Neapolitano*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXVII fol.* 28.

Anno 1453 Die 16 Junii.

F. Nicolaus de Aymo (1) Duciſſæ Calabriæ Sacelli præfectus, variis privilegiis ornatur.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nicolao de Aymo Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

Religionis zelus &c. Hinc eſt quod Nos te, cui dudum felicis recordationis Eugenius PP. IIII Prędeceſſor noſter, ut clarę memorię Marię de Baucia Reginę, & dilecti filii nobilis Viri Johannis Antonii de Urſinis Principis Tarentin. ejuſdem Marię nati, dum viveret, exiſtens, & ipſis ac eorum cuilibet cum uno Fratre tui Ordinis Fratrum Prędicatorum tam extra, quam intra Conventum Miſſam, & alia divina officia libere ac licite celebrare, & in ſpiritualibus operibus eis deſervire valeres, tui ſuperiorum licentia minime petita, per ſuas conceſſit primo, & deinde Nos, qui dicto Prędeceſſore, ſicut Domino placuit, ſublato de medio, divina favente clementia ad apicem Summi Apoſtolatus aſſumpti fuimus, quique poſtmodum literas Capellanatus hujuſmodi, ac quaſcunque alias Fratribus dicti Ordinis Apoſtolica vel alia quavis auctoritate conceſſas, certis rationabilibus ſuadentibus cauſis, revocavimus, caſſavimus, & annullavimus, ac volumus, quod nullus prędicti Ordinis profeſſor quarumcunque literarum Apoſtolicarum, etiam facultatis, vel licentię Sedis Apoſtolicę vigore, abſque ejuſdem Generalis Ordinis licentia extra ſuum Conventum moram facere, ſive ipſis literis conceſſis, vel in poſterum concedendis, uti poſſet, ſub excommunicationis, ac aliis cenſuris, ſententiis, & pęnis, quas contrarium facientes incurrere volumus ipſo facto, tibi per alias noſtras literas conceſſimus pariter, & indulſimus, ut non obſtantibus literis antedictis quoad viveres Capellanus hujuſmodi Principis eſſe, illique in miſſis, & aliis divinis officiis miniſtrare libere, ac licite valeres, premiſſorum meritorum tuorum intuitu gratioſis favoribus proſequi volentes, tuis, & aſſerentis, Nos ſibi nuper per quaſdam noſtras literas in forma Brevis duos Fratres ejuſdem Ordinis de quibus ſibi videretur in Capellanos, & ad ſua ſervitia retinendi, ac eiſdem Fratribus ad hujuſmodi ſervitia ſtandi, & commorandi facultatem conceſſiſſe, dilectę in Chriſto filię nobilis mulieris Iſabelię de Aragonia de Claromonte Duciſſę Calabrię Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantis, in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi quod pręfatę Duciſſę, quoad vixeris, Capellanus eſſe, & tecum unum Socium, profeſſorem dicti Ordinis, quem ad hoc duxeris eligendum, habere, tuque, & prętatus Socius, alter videlicet alterum, ſeu quemcunque alium ſecularem, vel prędicti, aut cujuſcunque alterius Ordinis regularem Presbyterum, qui tuis, & illius confeſſionibus diligenter auditis pro commiſſis in reſervatis ſemel tantum, non reſervatis vero Sedi Apoſtolicę caſibus quoties fuerit opportunum, debitam tibi, & illi, abſolutionem impendat, & injungat pęnitentiam ſalutarem, eligere, tuque de quibuſcunque mobilibus bonis per te ex tui induſtria, non tamen de fructibus beneficiorum eccleſiaſticorum per te pro tempore obtentorum, acquiſitis, quęcunque, quotcunque, & qualiacunque, ac cujusvis valoris dicta bona ſint, dum tamen in utilitatem & commodum prędicti Ordinis, ac Conventus, ſeu domorum, & locorum ejuſdem pro tuę voluntatis libito tam in vita, quam in morte donare, & diſponere, necnon omnium & ſingulorum familiarium ac curialium pręfatę Duciſſę eorum peccata confiteri volentium confeſſiones audire, illiſque diligenter auditis pro commiſſis debitam abſolutionem impendere, & injungere pęnitentiam ſalutarem, necnon omnibus, & ſingulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, gratiis, & indultis tibi per Nos, & dictum Prędeceſſorem noſtrum cum dictorum Reginę & Principis Capellanus eſſes, conceſſis uti, & gaudere, libere & licite poſſis, & valeas, ac ſupradictis revocatoriis literis, quibus quoad premiſſa harum ſerie expreſſe derogamus, illis alias in ſuo robore permanſuris, necnon conſtitutionibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica &c. Nulli ergo &c. noſtrę derogationis, conceſſionis, & indulti infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Tertio, Sexto decimo Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Privilegia.

1. *Nicolaus de Aymo.*) De quo ſæpius dictum fuit.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXVI fol.* 188.

Fir-

Firmat tranſactionem inter FF. Prædicatores, & Rectorem quendam Majoricenſes (1).

Anno 1453 Die 21 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CIII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

PAſtoralis officii &c. (3). Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, Vicariorum, & Fratrum S. Dominici Majoricen., & S. Trinitatis de Miramari, domorum Ordinum Fratrum Prędicatorum, ac Jacobi Sabet, Rectoris Parochialis Eccleſię de Muro, Majoricen. Dięceſis, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod orta dodum inter ipſos Priorem, Vicarios, & Fratres ex una, & Jacobum Rectorem, partibus, ex altera; ſuper quadam annua penſione centum & quadraginta librarum monetę illarum partium, quam Prior, Vicarii, & Fratres eidem ſuper fructibus, redditibus, & proventibus prędictę Eccleſię annis ſingulis in certis tunc expreſſis locis, & terminis, ratione eiuſdem domus de Miramari, quę de jurepatronatus cariſſimi in Chriſto filii noſtri Alfonſi (4) Aragonum Regis Illuſtris exiſtit, auctoritate Apoſtolica aſſignatam, ac eundem Jacobum illam eis ſolvere debere, ſeque in poſſeſſionem, vel quaſi juris pręſentandi dictam proviſionem fuiſſe, ac dictum Jacobum Rectorem ipſos poſſeſſione hujuſmodi contra juſtitiam ſpoliaſſe, necnon ad eos juspatronatus ejuſdem Eccleſię pertinere, Jacobus vero Rector prędictus, ſe ad ſolutionem prędictę penſionis non teneri, atque contra eum factos proceſſus ſuper pręmiſſis fuiſſe, & eſſe nullos, aſſerebant, materia quęſtionis, & cauſa, hujuſmodi pluribus annis jam decurſis tam in Romana Curia, quam extra, coram diverſis judicibus, ſeu Auditoribus, ex diverſis etiam appellationis commiſſionibus ventilata, latiſque contra dictum Jacobum Rectorem per diverſos Judices, etiam auctoritate Apoſtolica delegatos, extra dictam Curiam diverſis definitivis ſententiis, quarum aliquę in rem dicuntur tranſiſſe judicatam, necnon in Jacobum Rectorem pro eo, quod dictis ſententiis non paruerat, in vim literarum, & proceſſuum executorialium ſuper dictis ſententiis habitorum, & in Priorem, Vicarios, & Fratres prędictos, qui juxta monitorium, & mandatum eis per dilectum filium Magiſtrum Petrum Martini de Caverſrubeis, Capellanum noſtrum, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditorem, cui cauſam prędictam, & quarundam appellationem ſententiarum ad ipſius Jacobi inſtantiam audiendas, commiſeramus, & fine debito terminandas, certa tunc expreſſa acta, & jura ad cauſam hujuſmodi facientia, eidem Jacobo Rectori, ſeu dicto Auditori non reſtituerant, ſeu aſſignaverant, nonnullis excommunicationum ſententiis promulgatis, & in cauſa ipſa ſuper pręmiſſis, aut aliquibus eorum per pręfatum Auditorem ad nonnullos actus, citra tamen concluſionem, inter dictas partes proceſſo, ac lite ſic coram eodem Auditore indeciſa pendente, tandem dilectus filius Guillermus Portes, dicti Ordinis profeſſor, Syndicus Prioris, & Fratrum S. Dominici prędictorum, ac ipſe Jacobus lites, & diſſenſiones hujuſmodi ſuccidere, ac laboribus, & expenſis exinde provenientibus parcere, cupientes, poſtquam dilectus filius noſter Antonius tituli S. Griſogoni Presbyter Cardinalis quandam deſuper arbitralem ſententiam promulgaverat, ſuper litibus, & controverſiis antedictis hanc inter ſe concordiam inierunt, videlicet quod dictus Rector, & ſucceſſores, qui interim in eadem Eccleſia erunt, tenerentur, & ſolverent cum effectu de fructibus dictę Eccleſię eiſdem Priori & Fratribus, qui etiam interim in dicta domo de Miramari eſſent, mille & ducentas libras dictę monetę infra ſpatium duodecim annorum, ita quod darent centum libras quolibet anno, & ſi in aliquo dictorum annorum eſſent dicti fructus adeo ſteriles, quod non ſufficerent pro ſuſtentatione Rectoris, & onerum ſibi, & dictę Eccleſię incumbentium, ac ſolutione prędictarum centum librarum, quod ſolutio illo anno facienda transferretur ad alium primum annum, in quo dicti fructus abundarent ad prędicta, & ſic toties uſque dum totalis ſolutio compleretur, etiamſi transferretur dictus terminus duodecim annorum ad tredecim, vel plures annos, nec aliquo anno teneretur dictus Rector ſolvere ultra centum de dictis libris, & quod prima ſolutio inciperet fieri in feſto Reſurrectionis Dominicę venturo anno a nativitate Domini Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Quinto, in eodem feſto ſingulis aliis ſequentibus annis, quodque dictę pecunię conferrentur primo in ſolutionem expenſarum per ipſos Priores, Vicarios, & Fratres in proſecutionem dictarum cauſarum legitime factarum, & redemptionem cenſualium, & pignorum earundem domorum quę ob neceſſitatem ſupportationis onerum dictarum cauſarum, & ſic ob dictam cauſam juſte alienata reperientur, quibus ſolutis, & redemptis, de reſiduo dictarum librarum emantur tot cenſualia, ad quot dictum reſiduum ſufficeret, & dicta emenda cenſualia ſint & approprientur perpetuo dictę domui de Miramari pro ſuſtentatione Prioris & Fratrum in ipſa Eccleſia continuo in divinis deſervientium, quodque etiam ſi prędictum Rectorem, aut aliquem ejus ſucceſſorem ſuper dicta penſione per aliquem in antea in litem trahi, aut alias moleſtari contingeret, Priores, Vicarii, Conventus, & Fratres domorum prędictarum, qui eſſent pro tempore, poſtquam idem Rector litem, ſeu moleſtiam hujuſmodi, ... ſuis ſumptibus, & de bonis utriuſque domorum relevare deberent, & interim lite, & moleſtia hujuſmodi durantibus, ad prętationem centum librarum hujuſmodi idem Rector arctari non poſſet, quinimmo a pręmiſſis, & aliis, in quibus eum forſitan propterea condemnari, ſeu quovis modo directe, vel indirecte detrimentum pati contingeret, illum ipſi Fratres indemnem conſervare, ac de bonis domorum prędictarum hujuſmodi damna ipſi Rectori, aut ejus ſucceſſoribus, ac per eos indebite ſolutas libras reſarcire tenerentur, ipſeque Jacobus, & ejus ſucceſſores hujuſmodi ad aliquam aliam ſolutionem Priori, Vicariis & Fratribus prętatis ultra pręmiſſas mille ducentas libras in poſterum faciendam tam ratione pręteriti, quam pręſentis, & futuri temporis, nullatenus teneantur: ſed dicta Eccleſia & illius fructus, ac modernus, & qui pro tempore erunt illius Rectores, ſolutis prędictis mille ducentis libris ab omni ſolutione dictę, aut cujuſvis alterius penſionis, oc-

occaſione pręmiſſorum Priori, Vicariis, & Fratribus prędictis pręſentibus & futuris, ſeu eorum domibus, aut cuivis alteri facienda ex nunc in antea perpetuo liberi, & immunes exiſtant, ipſaque penſio omnino ceſſaret & penitus expiraret, nullaque ex nunc in antea Prioribus, Vicariis, & Fratribus, ſeu domibus antedictis, ſeu cuivis alteri actio petendi penſionem eandem, ac etiam ſuper patronatu prędicto ad ejuſdem Eccleſię diſpoſitionem, & ordinationem illi, ad quem alias de jure pertineret, intacta perpetuo remaneret. Voluerunt pręterea partes ipſę, quod ſuper cognitione ſterilitatis, fructuum, redditsuum, & proventuum prędictorum, necnon taxatione expenſarum per ipſos Fratres factarum, & redemptione cenſualium, & bonorum alienatorum hujuſmodi ſtaretur judicio & arbitrio dilecti filii Nicolai de Montalto Canonici Majoricen., &, ipſo abſente, perſonę Rectoris Parochialis Eccleſię S. Eulalię Majoricen. pro tempore exiſtentis, per ſe ipſum judicantis, & ab eorum pronunciatione ſeu declaratione appellari non poſſet, ac interponenda forſitan contra voluntatem hujuſmodi appellatio nulla, & invalida cenſeretur, prout in diverſis, ſuper ipſarum arbitralis ſententię & concordię capitulis confectis Inſtrumentis, ſeu literis publicis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte Prioris, Vicariorum, Fratrum, atque prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut lites hujuſmodi noſtro miniſterio debitum finem accipiant, ipſique ſemotis diſcordiis tranquille vivere, & Altiſſimo vota ſua quietius reddere poſſint, cauſas hujuſmodi ad Nos advocare, ac illas, & lites hujuſmodi penitus extinguere, necnon pręfatę concordię & capitulis in ea contentis robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui pacem, & quietem appetimus ſingulorum, de conſenſu partium, concordię & capitulorum de verbo ad verbum tenores, ac cauſę hujuſmodi ſtatum, pręſentibus pro expreſſis habentes, ipſamque cauſam ad Nos harum ſerie advocantes, & illas, ac lites hujuſmodi penitus extinguentes, necnon Priorem, Vicarios, Fratres, & Jacobum Rectorem prędictos, ac eorum quemlibet ab omnibus & ſingulis excommunicationis, ſuſpenſionis &c. & abſolutum fore cenſentes, Concordiam & Capitula prędicta, ac prout illa contingunt, & rationabiliter proceſſerunt, omnia & ſingula in illis contenta & inde ſecuta rata habentes & grata, ea auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia approbamus, & confirmamus, ac perpetuo, & pleno firmitatis robore ſubſiſtere, necnon per partes ipſas, & ſingulares perſonas ex eis, ac perpetuis futuris temporibus inviolabiliter obſervari, & ad obſervantiam hujuſmodi cogi, ac compelli debere, ac poſſe, ac per ſolutionem dictarum mille & ducentarum librarum Eccleſiam, necnon Jacobum, & ſucceſſores prędictos tam preteriti, quam futuri temporis ratione prędictę, ſeu cujuſlibet alterius penſionis, ac etiam ab omnibus dominio, ſuperioritate, poteſtate, & patronatu domorum, illarumque Priorum, Vicariorum, & Fratrum prędictorum, ſeu quorumvis aliorum ſuperiorum dicti Ordinis penitus, & omnino liberos, & exemptos exiſtere, ac ipſis domibus, Priori, Vicariis, & Fratribus in nullo ſubjacere, decernimus per pręſentes. Supplemus quoque de ſimili conſenſu omnes & ſingulos defectus &c. & conſenſus omnium ſuperiorum de dictorum Ordine ac aliorum, quorum intererat &c. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę advocationis, extinctionis, abſolutionis, ratihabitionis, approbationis, confirmationis exemptionis, ſuppletionis, & conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Tertio, Duodecimo Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Confirmatio.

1. *Majoricen.*) In ejuſdem nominis Inſula maris Mediterranei.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* *LXXVIII fol.* 34.
3. *Officii &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Alfonſi.*) Hujus nominis *V*, cognomento *Sapientis*.

Anno 1453 Die 21 Julii.

Conſervatores creat qui Conſtitutionem præcedentem ſervandam curent.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CIV.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Archidiacono, & Sacriſtę Eccleſię Majoricen., ac Officiali Majoricen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie noſtrę emanarunt literę tenoris ſubſequentis. Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. Paſtoralis officii cura, quam diſponente Domino licet immeriti &c. Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, Vicariorum, & Fratrum S. Dominici Majoricen., & S. Trinitatis de Miramari domorum Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac Jacobi Saber Rectoris Parochialis Eccleſię de Muro Majoricen. Dięceſis &c.(2). Cupientes, ut concordia, & contenta prędicta per utramque dictarum partium, & alios, ad quos ſpectat, inviolabiliter obſerventur, ac volentes eorundem Prioris, Vicariorum, Fratrum, & Rectoris, aſſerentium ſe, illorumque Factores, & procuratores excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis per dictum Petrum, ſeu alios Judices forſan innodatos fore, ſtatui, in pręmiſſis, opportune providere, ipſorum Prioris, Vicariorum, Fratrum, & Rectoris in hac parte ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę &c. mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum Priorem, Vicarios, Fratres, & Jacobum pręfatos & quoſvis alios eorum procuratores, ſeu actores, ſi hoc humiliter petierint, a prędictis, & quibuſvis aliis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, quibus pręmiſſorum occaſione quomodolibet innodati exiſtunt, auctoritate noſtra hac vice duntaxat abſolvatis in forma eccleſię conſueta, injunctis inde pro modo culpę pęnitentia ſalutari, & aliis, quę de jure fuerint injungenda, ac cum illis ex eis, qui eccleſiaſtici fuerint, ſuper irregularitate, ſi quam hujuſmodi ſententiis, vel earum aliqua ligati, Miſſas, & alia divina officia non tamen in con-

Digitized by Google

contemptum clavium, celebrando, aut immiſcendo ſe illis, contraxerint, diſpenſare, omnemque ab eis inhabilitatis, & infamię maculam, ſive notam per ipſos pręmiſſorum occaſione contractam abolere, & nihilominus per vos, vel alium, ſeu alios eiſdem Priori, Vicariis, Fratribus, & Rectori in pręmiſſis efficacis defenſionis auxilio aſſiſtentes, quoties, & quandocunque pro parte ipſorum, ſeu alicujus eorum, deſuper fueritis requiſiti, literas noſtras hujuſmodi ſolemniter publicantes, concordiam, & contenta pędicta per partes ipſas, & alios, ad quos ſpectat, ſeu ſpectabit, perpetuis futuris temporibus inviolabiliter obſervari facere, auctoritate Apoſtolica curetis, non permittentes eos, ſeu ipſorum aliquem contra concordata hujuſmodi aliquatenus moleſtari. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus tam felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, illis pręſertim quibus cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, & Dięceſim &c., ſeu ne Judices, & Conſervatores &c. quam aliis quibuſcunque conſtitutionibus a Prędeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus tam de Judicibus delegatis, ac Conſervatoribus &c. quam aliis &c. quibuſcunque. Aut ſi Priori, & Fratribus, Vicariis, & Rectori pręfatis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim, a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, &c. Ceterum volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit canonico impedimento prępeditus, quodque a dato pręſentium ſit vobis, & unicuique veſtrum in pręmiſſis omnibus, & eorum ſingulis ceptis, & non ceptis, pręſentibus, & futuris perpetuata poteſtas, & juriſdictio attributa, ut eo vigore, eaque firmitate poſſit in pręmiſſis omnibus ceptis, & non ceptis pręſentibus, & futuris, & pro prędictis procedere, ac ſi prędicta omnia & ſingula coram vobis, cepta fuiſſent, & juriſdictio veſtra & cujuslibet veſtrum in prędictis omnibus, & ſingulis per citationem, vel alium modum perpetuata legitimum extitiſſet, conſtitutione prędicta ſuper Conſervatoribus, & alia qualibet in contrarium edita non obſtante, pręſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Tertio, Duodecimo Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XCII folio* 229.

2. *Dięceſis &c.*) Ut in præcedenti Diplomate ad finem uſque.

F. Dominicus de Neapoli (1) fit Generalis Vicarius Ravellenſis (2) Diœceſeos.

Anno 1453 Die 6 Octobris.

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

CV.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Dominico de Neapoli Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, & in Theologia Baccallario, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

REligionis zelus &c. (4). exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte tua, petitio continebat, quod alias venerabilis Frater noſter Laurentius (5) Epiſcopus Ravellen., attente conſiderans propter imminentem ſibi ſenectutem, & corporales ęgritudines, viribus corporeis, adeo in dies deſtitui, quod Eccleſiam Ravellen., cui pręeſt, commode, ſicut affectabat, regere non poterat per ſe ipſum, te pro ejuſdem Eccleſię ſuę, ſubditorumque ſuorum, regimine, & gubernatione felici in Civitate, & Dięceſi Ravellen. Vicarium in ſpiritualibus conſtituit generalem, ſperans, propter tuas virtutes eidem Eccleſię te futurum eſſe multipliciter fructuoſum. Quare pro parte pręfati Epiſcopi, qui propter pręmiſſa eandem Eccleſiam per ſe ipſum regere minime poſſe confidit, ac dilecti filii Nobilis viri Raymundi de Urſinis (6) Principis Salernitan., & Domini Civitatis Ravellen., ac tua, Nobis humiliter ſupplicatum fuit, ut ſuper hoc communibus eorum votis annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, conſtitutionem de te factam hujuſmodi ratam, & gratam habentes, tibi, ut dictum Vicariatus officium in Civitate & Dięceſi prędictis, duntaxat gerere, & exercere libere & licite valeas, conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque nequaquam obſtantibus auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus pariter & indulgemus. Nulli ergo &c. Noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Tertio, pridie Nonas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *F. Dominicus de Neapoli.*) *Dominicus* nempe cognomento *Mercarius*, ex patria *de Neapoli* nuncupatus. De ipſo dicetur in *Appendice ad Pontificatum Caliſti III*, fuit enim *Ravellenſis* Epiſcopus.

2. *Ravellen.*) In Regno *Neapolitano*.

3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XCIV fol.* 227.

4. *Zelus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

5. *Laurentius.*) Adeas *Ughellum* in *Epiſcopis Ravellen.*

6. *Raymundi de Urſinis.*) Nobiliſſima gens eſt, de qua ſæpe dictum fuit, & ſæpius dicetur.

Anno 1453 Die 24 Novembris.

Conſtituit Judices qui de lite Reatinis (1) Fratribus illata ſententiam ferant.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CVI.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Monaſterii S. Paſtoris extra Muros Reatin. per Priorem ſoliti gubernari, & Chriſtophoro de Valentinis Canonico Reatin., Saluſem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

SUa Nobis dilecti filii Prior, & Fratres Domus S. Dominici Reatin. Ordinis Prędicatotum petitione monſtratunt, quod licet dictus Ordo, & univerſi ipſius Ordinis profeſſores per ſpeciale Sedis Apoſtolicę privilegium, cui non eſt in aliquo derogatum, ab omni dominio, juriſdictione, & poteſtate quorumcunque Ordinariorum judicum ſint prorſus exempti (3), & eidem Sedi immediate ſubjecti, ita quod judices ipſi, etiam ratione delicti, ſeu contractus, aut rei, de qua agitur, ubicunque committatur delictum, ineatur contractus, ſeu res ipſa conſiſtat, non poſſint in eos dominium, juriſdictionem, aus poteſtatem aliquam exercere, ac Ordo, & profeſſores prędicti fuerint in pacifica poſſeſſione, vel quaſi, exemptionis hujuſmodi a tempore conceſſionis Privilegii ſupradicti, ac etiam cujus contrarii memoria non exiſtit, ſamen Angelus Lancellotti Civis Reatin., falſo aſſerens, quod Prior, & Fratres prętati certam pecunię ſummam tunc expreſſam ſibi nomine Gentileſchę, conjugis ſuę, ex cauſis ſimiliter tunc expreſſis dare, & ſolvere legitime tenerentur, eoſdem Priorem, & Fratres, ſuper hoc petendo eos condemnari, & compelli, ad dandum, & ſolvendum ſibi dicto nomine pecuniarum ſummam hujuſmodi, coram Vicario in ſpiritualibus Generali Venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Reatin. fecis ad judicium evocari. Pro parse vero Prioris, & Fratrum Prędicatorum fuit coram Vicario eodem, excipiendo, propoſitum, quod cum ipſi eſſent dicti Ordinis profeſſores, & ab omni dominio, juriſdictione, & poteſtate Epiſcopi Reatin., qui eſt pro tempore, & quorumlibet Judicum ordinariorum per ſpeciale privilegium dictę Sedis, cui non erat in aliquo derogatum, exempti, & prętatę Sedi immediate ſubjecti, ita quod iidem Ordinarii non poſſint in eos juriſdictionem, dominium, aus poteſtatem aliquam exercere, & tam idem Prior, & Fratres, quam prędeceſſores eorum fuiſſent a tempore prędicto in pacifica poſſeſſione, vel quaſi, exemptionis hujuſmodi, prout ſuperius eſt expreſſum, & ipſi erans legitime probare parati, ipſi ſuper pręmiſſis coram dicto Vicario convenirl non poterant, nec debebant, & tamen cum idem Vicarius eos ſuper hoc audire contra juſtitiam denegaret, pro parte eorundem Prioris, & Fratrum ex hoc indebite ſe gravari ſentientium, ad Sedem prędictam extitit appellatum, ſed dictus Vicarius, appellatione hujuſmodi, cujus non erat ignarus, & infra cujus proſecutionis tempus, de quo non modicum ſupereras, Prior, & Fratres prędicti erans, contempta, nihilominus in hujuſmodi cauſa procedens, definitivam contra eoſdem ſententiam promulgavit, iniquam licet, etiam nulliter, & de facto, & eandem ſententiam exequi temere attentans, quandam petiam terrę tunc expreſſam in Diœceſi Reatin. conſiſtentem, quę dictis Priori, & Fratribus per eos in conſervationem, & reparationem ędificiorum, & paramentorum ipſius domus, & alios licitos uſus ipſorum Fratrum convertenda in eleemoſynam erogata fuerat, & quam iidem Prior, & Fratres tunc in uſus convertendam prędictos legitime tenebant, pro ſolutione hujuſmodi pecuniarum eidem Civi aſſignavit, ſimiliter nulliter, & de facto. Unde pro parte eorundem Prioris, & Fratrum, denuo ad Sedem fuit appellatum antedictam, quapropter diſcreſioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes, quod decreveritis per cenſuram ecclesiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellatis veritati teſtimonium perhibere. Quod ſi non ambo his exequendis poteritis intereſſe, alter veſtrum ea nihilominus exequatur. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Tertio, Octavo Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Mandatum.

1. *Reatin.*) Vulgo *Rieti*, in *Umbria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Reatino*.
3. *Exempti.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. V.*

Anno 1454 Die 24 Januarii.

Mirenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CVII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Theſaurario Eccleſię Elboren. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

PIis fidelium votis illis pręſertim, quę erectiones domorum Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac illius, necnon divini cultus augmentum reſpiciunt, libenter annuimus, illaque, quantum cum Deo poſſumus, favoribus proſequimur opportunis. Sane exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Sanctii de Laronda, Comitis de Mira, Elboren. Diœceſis, petitio continebat, quod ipſe zelo devotionis, quem ad Ordinem, & Fratres prędictos ſemper geſſit, atque gerit, accenſus, cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, in villa de Mira, quę eſt caput, & principalior locus ſui Comitatus, quandam domum pro uſu, & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis, in qua ſub regulari ejuſdem Ordinis obſervantia Fratres Altiſſimo famulentur, & verbum Dei populo publice prędicetur, & alias opere, & exemplo populum ipſum a malis operibus retrahant, ſum-

Supplex petitio.

ſumptuoſo opere conſtrui, fundari, inſtitui, & erigi facere, necnon locum pro hujuſmodi domo, cum Eccleſia. clauſtro, dormitorio, refectorio, aliiſque terminis, & officinis neceſſariis, & opportunis fundanda, donare, concedere, necnon de bonis ſibi a Deo collatis pro ipſius domus fundatione, erectione, & conſtructione, necnon librorum, calicum, & ornamentorum, eccleſiaſticorum acquiſitione, & conſervatione, erogare intendat. Quare pro parte dicti Comitis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus Provinciali, & Fratribus dicti Ordinis Provincię Portugallię, ſecundum illius morem, domum prędictam in dicta villa, ſeu prope ipſam in loco ad hoc congruo, & honeſto, per ipſum Comitem eis concedendo, & aſſignando, cum Eccleſia, campanili, campana, Altaribus, clauſtro, dormitorio, refectorio, aliiſque officinis neceſſariis, & opportunis prędictis fundandi, erigendi, & conſtruendi, ac in illa Fratres dicti Ordinis ſub obſervantia ponendi, & inducendi, licentiam, & facultatem concedere, & alias Comiti, Provinciali, & Fratribus prędictis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Divinum cultum, necnon ipſius Ordinis augmentum intenſis deſideriis appetimus, ipſius Comitis pium propoſitum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, & committimus, quatenus, ſi, & poſtquam tibi de prędictis pręmiſſis conſtiterit, & dictus Comes, ac alii Chriſti fideles domum ipſam fundari, & erigi facere volentes, & bona pro illius fundatione, conſtructione, erectione, & aliorum prędictorum acquiſitione, & conſignatione coram te libenter obtulerint, & locus eligendus ad hoc congruus, & honeſtus repertus fuerit, eiſdem Comiti, Provinciali, ac Fratribus prędictis, cum Eccleſia, campanili, ac aliis pręmiſſis pro Provinciali, & Fratribus prędictis, illorumque uſu, & habitatione perpetuis fundandi, conſtruendi, & erigendi, ac alia omnia, & ſingula pręmiſſa faciendi, & adimplendi, necnon quęcunque bona mobilia, & immobilia pro ipſius domus conſervatione, & ornamentorum augmento a fidelibus ſibi oblata recipiendi, & in uſus domus conſtruendę, ac ornamentorum eccleſiaſticorum aliorum prędictorum, convertendi, felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris Noſtri, qua prohibetur, ne Religioſi Ordinum Mendicantium in aliqua civitate, caſtro, vel villa locum ad habitandum abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de hujuſmodi prohibitione mentionem, recipere de novo pręſumant, ac aliis conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuſlibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, auctoritate noſtra licentiam largiaris. Nos enim ſi erectionem, fundationem, conſtructionem, & donationem hujuſmodi per te fieri contigerit, ut prefertur, Provinciali, & qui pro tempore erunt Fratribus in dicta domo conſtruenda, poſtquam erecta, & fundata fuerit, ut pręfertur, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, indultis, libertatibus, exemptionibus, & immunitatibus Ordini pręfato, necnon ipſius domibus, locis, & perſonis per Sedem prędictam, vel alias generaliter conceſſis, uti & gaudere libere, & licite poſſint, & valeant, concedimus per pręſentes. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Tertio (4), Nono Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Septimo. Facultas.

1. *Mirenſis.*) In *Portugallia* Regno.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XCII fol.* 289.
3. *Elboren.*) *Eboren.*, vulgo *Evora*, in *Portugallia.*
4. *Quinquageſimo Tertio.*) Stylo Bullarum, ęra vero communis *MCCCCLIV.*

Anno 1454 Die 9 Aprilis.

Cavet, ne quis ex Fratribus imperium Generalis Magiſtri detrectare poſſit (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. CVIII.

DUm ad vitam laudabilem, ac ſacrarum literarum ſcientiam, plurimaſque alias virtutes, & opera fructuoſa, quibus in agro Dominico Ordinis Fratrum Prędicatorum Religioſi pollent, noſtrę dirigimus conſiderationis intuitum, profecto ea eis libenter impendimus auxilia, ac in eorum favorem, ſtatumque ſalubrem dirigendum, ſtatuimus, diſponimus, & ordinamus, per quę ſalubria ipſius Ordinis conſuetudines, & regularia inſtituta, necnon Apoſtolica illi conceſſa privilegia, ſemotis quibuslibet diſturbiis, inviolabiliter obſerventur, ipſique Religioſi, inſtitutis, & conſuetudinibus ſupradictis ſe conformantes, ſua in pacis, & quietis manſuetudine Altiſſimo vota reddere, ac fructus in Dei Eccleſia proferre valeant ampliores. Sane, ſicut Nobis innotuit, plurima, & diverſa nonnullorum Summorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum, atque noſtra privilegia, literę, ordinationes, conceſſiones, & indulta, Vicariorum, & Reformatorum deputationes, ſeu inſtitutiones, illorum, ac domorum, Fratrumque, & Sororum plurimorum ejuſdem Ordinis exemptiones, ac ſuper pluribus aliis conceſſionibus confirmationes, conſuetudines, & inſtituta ſupradicta, illiſque derogantia, tam in genere, quam in ſpecie, hactenus emanaſſe noſcuntur, ex quibus ipſe Ordo pro magna parte, quaſi laceratus, ſeu diviſus apparet, & aliqui ad Magiſterii in Theologia gradum per ſaltus anelantes, nonnulli vero eorundem regularis obſervantię Religioſorum depreſſa norma, pię vitę ſtudio, & ſuavi contemplationis jugo ſepoſitis, proſilientes ad vetita, mundanis ſe immiſcere, ſuis in eodem Ordine Superioribus obedientiam, & reverentiam debitas, & devotas denegare, hinc inde vagari, & alias enormiter vivere non tremiſcunt, in ſacrę Religionis opprobrium, & pernicioſiſſimum exemplum, & ſcandalum plurimorum. Nos quorum intereſt, noſtras ſuper his afferre vigilantię curas, pręmiſſa omnia, quę debire, & paternaliter compenſantes, ut excuſſis, quę eorundem Religioſorum offuſcant decentiam, incontinentiis, aptiores parturiant alumnos, providere volentes, motu proprio, non ad alicujus inſtantiam, ſed ratione, & juſtitia ſuadentibus, auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia, tenore pre-

Exordium a laude Ordinis.

Diplomatis cauſa.

pręſentium, omnes, & ſingulos in ipſo Ordine pręter, & contra illius conſuetudines, & inſtituta hujuſmodi, Vicarios, Viſitatores, & Reformatores etiam Generales, & Provinciales, ubicunque exiſtentes, per Nos, aut Sedem Apoſtolicam, literarum noſtrarum auctoritate, ſeu alias quomodolibet hactenus deputatos, necnon ab eis inſtitutos Priores, & officiales, ab hujuſmodi Vicariatuum, Prioratuum, & officialatuum officiis, omnibus, & ſingulis ex nunc, realiter, & omnino removemus, ac amotos eſſe cenſemus, pariter & nunciamus; Necnon eos etiam qui non completis ſcholaſticis actibus & exercitiis, ad id requiſitis, per ſaltum, ut pręfertur, & ſine Magiſtri, ac Capituli Generalis ejuſdem Ordinis licentia, a quoquam, quavis auctoritate, gradum Magiſterii hujuſmodi ſuſceperint, & alios Fratres, ac Sorores, eorumque domos, prędictos ad pręfati Magiſtri, necnon aliorum Superiorum dicti Ordinis pręſentium, & futurorum, juxta ſtatuta & conſuetudines ſupradicta, pro tempore exiſtentium, obedientiam, & ſubjectionem, omnimodas, totaliter reducimus. Necnon ſuper exemptionibus, aliiſque diverſis indultis, & gratiis per Nos, vel dictam Sedem Vicariis, Viſitatoribus, Reformatoribus, Prioribus, Officialibus, & domibus, eorumque ſingularibus Fratribus, & Sororibus pręfatis in genere, vel in ſpecie, etiam motu proprio, ſcientia, & auctoritate ſupradictis, ſub quibuſvis formis, & verborum expreſſionibus, & cum quibuſcunque etiam talibus, quod illis per quęvis alia Apoſtolica, literas, facultates, & privilegia, niſi ſub certis modis, & formis, ac ſpecificationibus, & denominationibus, plene, debite, ſignanter, & ſpecifice expreſſis, vel ullo modo derogari nequeat, ac aliis etiam individualium, & aliarum quarumvis derogatoriarum clauſularum, vim, & effectum habentibus, derogatoriis, necnon formarum earundem, ſive illę ſervatę fuerint, ſive non, prohibitoriis, ceteriſque effectui pręſentium pręjudicialibus, etiam in Apoſtolicis literis poni inſolitis, clauſulis, illiſque adjectis decretis irritantibus, quovis intuitu, reſpectu, cauſa, vel occaſione conceſſis, & in eorum favorem emanatis, ac illorum confirmationibus, confecta privilegia, literas, & indulta, indeque ſecuta omnia, & ſingula, necnon etiam quaſcunque confirmationes Apoſtolicas, ſuper quibuſvis, per Generales Vicarios, & Provinciales quibuſcunque Fratribus, ejuſdem Ordinis, tam graduatis quam non graduatis, olim conceſſis, & indultis emanatas, ac literas deſuper confectas, quorum, aliorumque pręmiſſorum omnium, & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent, pręſentibus, haberi volumus pro expreſſis, revocamus, caſſamus, & annullamus, viribuſque evacuamus, ac pro nullis, & infectis haberi volumus, & mandamus. Et inſuper alios quoſcunque dicti Ordinis profeſſores, cujuſcunque gradus extiterint, tam in noſtros, & ipſius Sedis, quam Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalium Capellanos etiam continuos commenſales, ac diverſis, honoribus, exemptionibus, indultis, & gratiis vigore ſpecialium noſtrorum, & Sedis, necnon Cardinalium pręfatorum, literarum, & privilegiorum, hactenus creatos atque receptos, qui infra Palatium Apoſtolicum, ac domos eorundem Cardinalium, vel alicujus eorum moram non traxerint, ſeu trahunt, etiam ſi alias ſervitiis noſtris, ac dictę Sedis, vel ipſorum Cardinalium inſiſterent, ac etiam tam illos, ex profeſſoribus Ordinis hujuſmodi, qui etiam ſpecialibus ejuſdem Sedis privilegiis, abſque conſenſu dicti pro tempore Magiſtri emanatis, ſervitiis Parochialium Eccleſiarum, ſeu aliorum quorumlibet Eccleſiaſticorum locorum, in quibus titulum non habent, inſiſtere noſcuntur, quam omnes alios & ſingulos qui vigore quorumvis literarum, & privilegiorum Apoſtolicorum de Ordine pręfato, ac illius habitu totaliter dimiſſo, ad Monaſteria, & loca aliorum ſe tranſtulerint, & in ipſis Monaſteriis, & locis, continuam reſidentiam non fecerint, ad ipſum Ordinem Fratrum Prędicatorum, ac illius domos, necnon obedientiam & ſubjectionem Magiſtri, & aliorum Superiorum, pro tempore exiſtentium Ordinis hujuſmodi, auctoritate & ſcientia ſupradictis, etiam ex nunc totaliter reducimus, & etiam revocamus, ita quod ex nunc in antea tam ipſi quam ſupradicti Vicarii, Viſitatores, Reformatores, Officiales, Priores, & Fratres Magiſtro, & Superioribus, pro tempore pręfatis, eorumque monitis, & mandatis, plenarie parere, intendere, & obedire, ac ſtatutis, & conſuetudinibus prędictis in omnibus ſe conformare perpetuo debeant, & teneantur; diſtrictius inhibentes, omnibus & ſingulis Vicariis, Prioribus, Officialibus, & Fratribus, Apoſtolicis, & aliis privilegiis, literis, & indultis utentibus, & gaudentibus pręfatis, ne de cetero ullo unquam tempore poſt publicationem pręſentium, ſub excommunicationis pęna, quam ex nunc prout ex tunc, & e converſo, in quemlibet ex eis contrafacientem earum ſerie promulgamus, dictis eis conceſſis Apoſtolicis literis, privilegiis, & indultis, necnon qui per ſaltum, aut ſine licentia Capituli, vel Magiſtri hujuſmodi, ut pręmittitur, dictum gradum Magiſterii ſuſceperint, ne ullo, niſi poſtquam non completos actus, & curſus ad id requiſitos, ſecundum inſtituta prędicta, in locis debitis, & ad id ordinatis fecerint, ipſo gradu uti, ſeu contra amotionem, caſſationem, revocationem, & alia hodie per Nos geſta pręmiſſa, vel eorum aliquod venire, facere, ſeu attentare, aut alias abſque licentia ſpeciali Magiſtri pro tempore ſupradicti, ſimilia, vel quęvis alia, contra conſuetudinem & inſtituta pręfata, privilegia, literas, ſeu indulta, a Nobis, vel Sede prędicta per ſe, vel alium, ſeu alios impetrare, aut eis alias forte concedendis, uti audeant, vel pręſumant. Decernentes ex nunc, hujuſmodi per Nos, vel Sedem pręfatam forſan concedenda, literę, privilegia, indulta, niſi in illis de dato, & tenore pręſentium de verbo ad verbum, non autem per generales aut alias clauſulas quamvis expreſſam mentionem importantes, mentio habeatur, nullius exiſtere roboris & momenti, ac etiam irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Pręterea omnia & ſingula, quę contra Capituli Generalis pręfati Ordinis ultimo celebrati, ac ab eodem Capitulo deputatorum ſtatuta, ordinata, ſententiata, geſta, atque facta, per Nos, vel Sedem eandem conceſſa ſunt, auctoritate, & ſcientia ſimilibus etiam caſſamus, revocamus, & annullamus. Et nihilominus Magiſtro Generali pro tempore exiſtenti prędicto, ac illis, quos ipſe, aut Capitulum Generale ejuſdem Ordinis Fratrum Prędicatorum pro tempore ad id duxerint eligendos, & eorum cuilibet contra Vicarios, Priores, Viſitatores, Reformatores, Fratres, & Sorores pręſentes, & futuros Ordinis Fratrum Prędicatorum hujuſmodi, qui de cetero contra pręſentium literarum tenorem,

atque

atque formam, ſeu aliquam partem earundem vivere, facere, ſeu attemptare pręſumpſerint, alias juxta canonicas ſanctiones, ac pręfata inſtituta procedendi, illoſque puniendi, incarcerandi, corrigendi, ſententiam excommunicationis prędictam incurriſſe declarandi, & ut tales publice nunciandi, & nunciari, ac a Chriſti fidelibus arctius evitari faciendi, necnon ab ipſa ſententia, poſtquam a contradictione, & rebellione hujuſmodi, deſtiterint, & ab illa abſolutionis beneficium humiliter petierint, in forma Eccleſię conſueta abſolvendi, aliaque deſuper neceſſaria, & opportuna, prout eis videbitur expedire, etiam faciendi, & exequendi, contradictores quoslibet, & rebelles cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, per cenſuram eccleſiaſticam, & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendi, auxiliumque brachii ſecularis, ſi opus fuerit, invocandi, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, concedimus facultatem. Non obſtantibus omnibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ejuſdem Ordinis Fratrum Prędicatorum ſtatutis, & conſuetudinibus, ac privilegiis aliis, literis, & indultis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Aut ſi Vicariis, Viſitatoribus, Reformatoribus, Prioribus, Officialibus, Fratribus, Sororibus, & aliis ſupradictis, vel quibusvis aliis, communiter, vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę remotionis, nunciationis, reductionis, revocationis, caſſationis, irritationis, annullationis, evacuationis, mandati, inhibitionis, promulgationis, conſtitutionis, conceſſionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Quarto, Quinto Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Octavo. Clauſula derogans.

Pe. De Noxeto.

ſuper plicum, ſeu partem inflexam.

A tergo legitur.

A. De Reate.

Regiſtrata in Camera Apoſtolica.

1. *Poſſit.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.IV.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur. Legitur apud *Uſuſmarem pag.*120.

Quędam Bononienſi (1) Cœnobio reſtituenda jubet.

Anno 1454 Die 16 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus domus Sancti Dominici Bononien., Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CIX.

SAcrę Religionis, ſub qua devotum, & ſedulum ſub regulari obſervantia exhibetis Altiſſimo famulatum, ac devotionis ſinceritas, quam ad Nos, & Romanam geritis Eccleſiam, non indigne merentur, ut votis veſtris, in his pręſertim, per quę veſtra, ac domui veſtrę Sancti Dominici Bononien., Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſtatui, & indemnitatibus conſulitur, gratioſum Apoſtolici favoris pręſidium liberaliter impendamus. Sane pro parte veſtra Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod, licet ad domum veſtram prędictam, cui alias, ut poſſeſſiones, annuos redditus, & immobilia bona retinere, ac poſſidere libere, & licite poſſet, creditur Apoſtolica fuiſſe auctoritate conceſſum, tam uſufructus quorundam immobilium bonorum ex tranſactione habita inter tunc Priorem, & Fratres ejuſdem domus ex una, & Prioriſſam, ac Sorores Monaſterii Sanctę Agnetis Bononien. Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura veſtra degentes, ex alia, partibus, quam nonnulla annui redditus, poſſeſſiones, & bona, ex diverſis, tam ex teſtamento, quam alias in morte, ſeu vita ei factis inſtitutionibus, relictis, legatis, donationibus, ſeu conceſſionibus pervenerint, tamen pro eo quod vos, & antequam domus ipſa ad regularem obſervantiam dicti veſtri Ordinis, ſub qua nunc degitis, reduceretur, quidam ex prędeceſſoribus veſtris, Prioribus, & Fratribus ejuſdem domus ex ignorantia, ſeu inadvertentia, vel alias forſan credentes, id vobis, ſeu illis licere, nonnulla ex ſupradictis poſſeſſionibus, & bonis, etiam illis, quorum uſufructus duntaxat ex dicta tranſactione ad pręfatam domum pervenerat, etiam quoad ipſam irrequiſitis Prioriſſa, & Sororibus pręfati Monaſterii tunc exiſtentibus, etiam in perpetuum, ſeu ad certum tempus in locationem, vel emphiteuſim, aut in excambium, ſeu permutationem, vel alias conceſſiſtis, ſeu vendidiſtis, vel alias alienaſtis, aut conceſſerunt, vendiderunt, vel alienarunt, quorum etiam aliqua per ipſos teſtatores, ſeu concedentes vendi, vel alienari prohibebantur, aut Miſſarum, ſeu aliorum divinorum officiorum celebrationem, vel erogationem eleemoſynarum, aut pecuniarum, ſeu aliorum bonorum diſtributionem, vel alia, quid ſpirituale, ſeu temporale concernentia, conditiones, & onera, etiam hujuſmodi adjecta pęna, quod niſi illa adimplerentur, relicta, legata, donata, ſeu conceſſa bona hujuſmodi ad alia Eccleſias, Monaſteria, domos, hoſpitalia, ſeu pia loca, vel ad certos pios uſus, ſeu etiam perſonas eccleſiaſticas, vel laicos, eo ipſo devolverentur, non adimpleviſtis, ſeu non

Exordium.

Diplomatis cauſa.

non adimpleverunt, dubitatis, ſeu opinamini, illa ex uſufructibus, redditibus, poſſeſſionibus, & bonis prędictis, quę nunc pacifice poſſidetis, tanquam ad alios devoluta, & ad eos pertinentia, abſque conſcientiarum veſtrarum ſcrupulo percipere, & retinere, ac de illis factas in locationem, ſeu emphiteoſim, vel ex cauſa permutationis, conceſſiones, ſeu venditiones, aut alienationes hujuſmodi, & quęcunque inde ſecuta, viribus non ſubſiſtere, pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur cupientes, ut ſublatis quibuſvis litium, & aliis diſpendiis, eo quietius in humilitatis ſpiritu, & prefata obſervantia Altiſſimo famulari, ac ſacrarum literarum ſtudiis, quibus quam plures ex vobis dediti fore noſcuntur, commodius inſiſtere valeatis, necnon uſufructus, redditus, poſſeſſiones, & bona per eorum nomina, cognomina, deſignationes, loca, confines, qualitates, & veros valores, ac inſtitutionum, relictorum, legatorum, donationum, conceſſionum, venditionum, & alienationum, condictionum quoque, & onerum prędictorum, quęcunque, quotcunque, & qualiacunque fuerint, tenores, de verbo ad verbum pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia tenore pręſentium, vos, ac prędictam veſtram domum, quoad uſufructus, redditus, poſſeſſiones, & bona prędicta, illa videlicet, quę nunc pacifice poſſidetis, necnon jus vobis, & prefatę veſtrę domui, in illis, ſeu ad ea quomodolibet competens, in eo ſtatu, in quo antequam per vos, ſeu dictos prędeceſſores, conceſſiones, venditiones, & alienationes prędictę fierent, ut vos, & illi condictiones, & onera antedicta facere omitteretis, ſeu facere omitterent quomodolibet, eratis, & dicti prędeceſſores erant, ſeu veſtra domus hujuſmodi erat, in integrum reſtituimus, reponimus, & integramus, illaque omnia, & ſingula ad vos, & veſtram dictam domum, ut prius ſpectare, & pertinere decernimus. Conceſſiones inſuper, venditiones, & alienationes pręfatas, ac quęcunque inde ſecuta approbamus, & confirmamus, ac pręſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplemuſque omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Et nihilominus omnia, & ſingula miſſarum, ac divinorum celebrationes, pecuniarum quoque, ſeu bonorum diſtributiones, & quęcunque alia ſpiritualia, & temporalia, condictiones, & onera, ad quę vos, & dicti prędeceſſores, ratione uſufructuum, reddituum, poſſeſſionum, & bonorum prędictorum, tenebamini, ſeu tenebantur, & fructus per vos, & dictos prędeceſſores exinde male forſan perceptos, quę omnia, quęcunque, quotcunque, & qualiacunque, ac quanticunque valoris ſint, ſimiliter pręſentibus haberi volumus pro expreſſis, vobis, ac prefatę domui penitus remittimus, & donamus; decernentes, vos; ſeu dictam veſtram domum ad ipſas condictiones, & onera ratione preteriti temporis adimplendum nullatenus teneri, nec ad id a quoquam invitos, quavis auctoritate, ullo unquam tempore, compelli poſſe, ac ex nunc irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Verum quia forſan ob diuturnitatem temporis, ſeu aliàs, difficile foret conceſſionem ſuper retinendis annuis redditibus, poſſeſſionibus, & bonis immobilibus, aliàs domui veſtrę, ut dicitur, factam prędictam probare, volumus, & dicta vobis Apoſtolica auctoritate concedimus, pariter, & decernimus, quod pręſentes literę ad probandum conceſſionem pręfatam in judicio, & extra, ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur, diſpenſantes nihilominus vobiſcum, ac vobis, & prefatę veſtrę domui harum ſerie concedentes, quod uſque ad Apoſtolicę Sedis beneplacitum, quę nunc poſſidetis, retinere, & quę in poſterum aliàs juſto titulo vos adipiſci contigerit, annuos redditus, & immobilia, quęcunque, ac poſſeſſiones, accipere, & retinere libere, & licite valeatis. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac inſtitutionibus, relictis, legatis, donationibus, conceſſionibus, omnibus, & condictionibus prędictis, ac pęnis in illis, ſeu in confectis deſuper inſtrumentis, contentis, etiam dicta auctoritate Apoſtolica, & ſimili ſcientia approbatis, & confirmatis, necnon inſtitutis, ſtatutis, & conſuetudinibus Ordinum prędictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi quoad illorum derogationem, de illis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda eſſet, illorum tenores ſimiliter pręſentibus pro expreſſis, habentes, quoad pręmiſſa expreſſe derogamus, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ceteriſque, contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę reſtitutionis, repoſitionis, reintegrationis, conſtitutionis, approbationis, confirmationis, communitionis, ſuppletionis, voluntatis, remiſſionis, donationis, conceſſionis, diſpenſationis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Quarto, Sexto Decimo Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Mandatum.

Bona immobilia in communi poſſideri poſſe confirmat, ac concedit &c.

1. *Bononienſi.*) Juris eſt, ac caput Provinciæ *Lombardiæ*.

2. *Archivo.*) In Bullario *Bononienſ. pag.* 24, ex Autographo *Bononien.*

Ut

Ut Leydenſe Monaſterium juris, ac poteſtatis ſit Ordinis.

Anno 1454 Die 23 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Prępoſito Eccleſię S. Petri Trajecten. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CX.

EA, quę pro ſacrę religionis &c. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum univerſarum Sororum, ſive Conventus, Monaſterii Sancti Dominici, oppidi de Leydis, Trajecten. Dięceſis, ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, petitio continebat, quod olim poſtquam dictum Monaſterium cum Eccleſia, campanili, cęmeterio, refectorio, dormitorio, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis Sororum inibi Altiſſimo pro tempore famulaturarum, auctoritate Apoſtolica in honorem Sancti, & Ordinis prędictorum canonice fundatum, & erectum extiterat, dilectus filius Auribelli (4) Generalis dicti Ordinis Magiſter, ad ipſarum Conventus petitionis inſtantiam, Monaſterium ipſum acceptans, illud eidem Ordini auctoritate ſui Magiſtratus perpetuo incorporavit, ipſaſque Conventum & ſingulares inibi pro tempore exiſtentes Sorores tam in capite, quam in membris, ſub cura Fratrum eorundem degere, omnibuſque privilegiis, indulgentiis, gratiis, libertatibus, & exemptionibus pręfato Ordini per Sedem Apoſtolicam conceſſis, uti, & gaudere debere, quantum in eo fuit, ſtatuit & decrevit, aliaſque fecit, prout in ipſius Magiſtri literis exinde confectis, ejuſque ſigillo munitis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte Sororum & Conventus exponentium prędictarum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut incorporationi, ſtatuto, & decreto, ac aliis in literis contentis hujuſmodi pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę &c. mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam de expoſitis hujuſmodi tibi legitime conſtiterit, incorporationem, ſtatutum, & decretum, ac quatenus ea concernunt, alia in literis contenta hujuſmodi, & inde ſecuta quęcunque auctoritate noſtra approbes, & confirmes, ſupplendo omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint. Non obſtantibus &c. quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Quarto, Decimo Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

1. *Leydenſe.*) Vulgo *Leyden*. Sic vocant *Lugdunum Batavorum in Hollandia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XCVII fol.* 241.
3. *Trajecten.*) In *Hollandia*.
4. *Auribelli.*) *Martialis* ſcilicet *Auribelli*. Anno *MCCCCLIII* vir animi fortitudine, prudentia, & eruditione clarus electus erat Generalis Magiſter Ordinis. Conſulendus *Johannes Mabuet in Prædicatorio Avenionenſi Lib. III Cap. III pag.* 113 *&c.* Adeas etiam *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad an. MCCCCLIII pag.* 811.

Reſcindit literas, quarum auctoritate nixus Abbas Ordinis S. Benedicti venerat in poſſeſſionem Tridentini (1) Monaſterii Monialium Ordinis noſtri.

Anno 1454 Die 19 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXI.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Tridentin. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

JUſtis ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favore proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris & Fratrum domus Ordinis Prędicatorum extra muros Tridentin., petitio continebat, quod dudum pro parte dilecti filii Benedicti Abbatis Monaſterii Sancti Laurentii extra dictos muros Nobis inter alia expoſito, quod fructus, redditus, & proventus dicti Monaſterii quinquaginta Florenorum Auri de Camera ſecundum taxationem Camerę Apoſtolicę valorem annuum non excedunt, & ſi Monaſterium Monialium S. Margaritę in Suburbio Tridentin., Ordinis S. Auguſtini, quod Ordinis Prędicatorum hujuſmodi, & tunc Monialibus prorſus deſtitutum fore aſſerebat, Abbatiali dignitate, & ejus Ordine inibi ſuppreſſis, ipſi Monaſterio S. Laurentii perpetuo uniretur, incorporaretur, & annecteretur, illius Abbas pro tempore exiſtens, & ejus Conventus, quem ibidem falſo eſſe aſſerebat, commodius ſuſtentari poſſent; Nos Priori Prioratus S. Laurentii de Burgero Ordinis Cruciferorum tuę Dięceſis noſtris dedimus literis in mandatis, quatenus ſuper pręmiſſis ſe diligenter informaret, & ſi per informationem hujuſmodi ea vera fore reperiret, dictum Monaſterium S. Margaritę, ejus Abbatiali dignitate, & Ordine inibi ſuppreſſis, dicto Monaſterio S. Laurentii perpetuo incorporaret, annecteret, & uniret, quodque Odo de Venetiis, Prior dicti Prioratus, ad dictarum literarum executionem procedens, quamvis expoſita Nobis in illis vera minime repeririſſet, prout nec vera erant, nihilominus ipſum Monaſterium S. Margaritę ipſi Monaſterio S. Laurentii perpetuo univit, annexuit, & incorporavit, & in eodem Monaſterio S. Margaritę Abbatialem dignitatem, & ejus Ordinem extinxit, licet de facto, Benedictus Abbas prętextu unionis, & annexionis hujuſmodi pręfati Monaſterii S. Margaritę poſſeſſionem apprehendens, illud ex tunc occupavit, & detinuit, fructus exinde percipiendo, ſimiliter de facto, &, ſicut eadem petitio

Diplomatis cauſa.

ſub-

ſubjungebat, cum fructus, redditus, & proventus dicti Monaſterii S. Laurentii circa treeentos Florenos ſimiles valeant communiter annuatim, dictęque literę, & quęcunque inde ſecuta ex eo quod in iiſdem literis verus fructuum, reddituum, & proventuum, ipſius Monaſterii S. Laurentii valor annuus ſecundum communem exiſtimationem expreſſus non extiſit, ipſumque Monaſterium S. Laurentii tempore impetrationis dictarum literarum Conventu caruit, prout caret de preſeoti, nullius exiſtant roboris. Quare pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum, aſſerentium, quod ab olim pręfatum Monaſterium Sanctę Margaritę Ordini hujuſmodi auctoritate Apoſtolica perpetuo incorporatum extitit, & illius Abbatiſſa, & Moniales, quę fuerunt pro tempore, ſub eorum cura, regimine, & diſcipiina, vivere conſueverunt, ſuaque propterea intereſſe, Nobis fuis humiliter ſupplicatum, ut literaa hujuſmodi, veiuti ſubreptionis vitio ſubjacentes, & inde ſecuta minime ſubſiſtere, declarare, dictumque Monaſterium, hujuſmodi unione reſciſſa, ad eius dignitatem, & Ordinem, ac in ſtatum priſtinos reſtitui, mandari, de providentia Sedis Apoſtolicę dignaremur. Quocirca diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamua, quatenua vocatia dicto Abbate, & aliis, qui fuerint evocandi, ſi pręmiſſa ita eſſe, ac unionem, incorporationem, & annexionem huiuſmodi ex falſis cauſis proceſſiſſe, repereris, unionem, annexionem, & incorporationem prędictas auctoritate noſtra diſſolvas, & alias ſuper pręmiſſis quod juſtum fuerit, eadem auctoritate, appellatione remota, decernas, faciens quod decreveris per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtea autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas teſtimonium veritati perhibere. Non obſtantibua ſi eidem Ordini a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod illius perſonę ad iudicium trahi, aut ſuſpendi, vel excommunicari, ſeu ipſę, aut dicti Ordinis loca interdici non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam ac de verbo ad verbum de induito hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictę Sedis induigentia, generali, vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, tuę juriſdictionis explicatio valeat in hac parte quomodolibet impediri, quę quoad hoc ipſis noiumua ſuffragari. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Quarto, Quarto decimo Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Tridentini.*) In *Rhatia*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XVI fol.7.*

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati Dignitates, Nicolao V Summo Pontifice, Promotos exhibens.

ARCHIEPISCOPI.

Anno 1449. F. Antonius de Carlenis, Coadjutor *Amalphitenſis* Archiepiſcopi, ut dictum fuit in *Appendice ad Pontificatum Martini V Tomo II pag.709*, Archiepiſcopus Amaiphitenſis, *Amalfi*, in Regno Neapolitano. *Ughellus in Archiep. Amalphiten. Tomo VII Italiæ Sacræ pag.241. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLX pag.820. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.IV Tit.II pag.51, ex Vallo. Cavalerius Tomo I pag.263 num.CLXXIX.*

Anno circiter 1450. F. Hugo Rethut, Burgenſis, Archiepiſcopus Corinthius, in Peloponneſo. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.IV Tit.XXXIII pag.70, ex Fernandez. Cavalerius Tomo I pag.250 num.CXXVIII.*

Anno 1450 Die 36 Decembris. F. Antonius de Omoſſa, vel de Ommeſſa, ut a *Fontana*, & *Cavalerio* cognominatur, Archiepiſcopus Athenienſis, in Græcia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.IV Tit.X pag.59, ex Regeſtis Nicolai V. Cavalerius Tomo I pag.254 num.CXLIX.* Epiſcopus *Accienſis* fuit *Antonius*, ut in hac *Appendice* dicetur.

Anno circiter 1451. F. Michael Murlanenſis, Archiepiſcopus Spalatenſis, *Spalatro*, in Dalmatia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.IV Tit.XCIV pag.100, ex Ughello in Mſs., Plodio, & Ferrario. Cavalerius Tomo I pag.255 num.CL.*

Anno 1452. F. Henricus Kaltyſen, Archiepiſcopus Nidroſien., vulgo *Drontheim*, & *Trontheim*, in Norvegia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.IV Tit.LXX pag.91, ex Libro Proviſionum Prælatorum, Plodio, Luſitano, Taegio, & Olmeda.* Conſulendi Scriptores laudati in *Notis ad Conſtitutionem CCVIII Eugenii IV pag.122* hujuſce *III* Tomi, & notandum, quod *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.IV Tit.XXV pag.66 Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLXV pag.828*, aliique nonnulli, *Henricum Kaltyſen* non diſtin-

diſtinguunt ab *Henrico Teutone* Archiepiſcopo *Cæſareenſi*, de quo dictum fuit in *Appendice ad Pontificatum Urbani V Tomo II pag.*262. Hinc *Henricus Kaltyſen* ab ipſis Archiepiſcopus *Nidroſienſis*, & *Cæſareenſis* ita conſtituitur, ut *Fontana* locis mox laudatis ipſum utriuſque Sedis Archiepiſcopum eadem die renunciatum fuiſſe, doceat. Verum quod *Henricus* ille diſtinguendus ſit ab alio *Henrico Teutone* qui florebat anno *MCCCLXV*, auctores ſunt *Plodius*, *Razzius*, & *Altamura*, quos excipit *Cavalerius Tomo I pag.* 268 *num.CXC*. Quod autem *Henricus Kaltyſen* Archiepiſcopatus *Cæſareenſis* titulo donatus fuerit, nullus quidem dubito, id enim legitur in antiquis ejuſdem epitaphiis, quæ refert *Echard*, ſed vix crediderim quod utriuſque Sedis Archiepiſcopus eadem die creatus ſit. Id *Fontana* pluries dicit, ſed nunquam probat. Quantum conjectura conſequi poſſum, propius vero videtur, quod redux ex Pontificia Legatione, qua fungebatur anno *MCCCCXLVIII*, ut in hac *Appendice* videre eſt, *Henricus Kaltyſen* Archiepiſcopus *Cæſareenſis* conſtitutus fuerit, poſtea *Nidroſienſis* Archiepiſcopus creatus.

F. Simon Blondus, Archiepiſcopus S. Severinæ, in Calabria. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXXXVIII pag.*98, *ex Ughello*. *Cavalerius Tomo I pag.*269 *num. CXCI*, ex eodem *Ughello*, qui *Simonem* vocat *virum ſumma vitæ innocentia & doctrina præditum*. Addit quod ipſius *electio notatur in Actis Conſiſtorialibus Nicolai V Anno Pontificatus VII.* Hinc autem emendandi *Cavalerius* & *Fontana*, qui *Simonem* anno duntaxat *MCCCCLIV* Archiepiſcopum creatum docent. Cum enim dicant, id contigiſſe die *XV* Octobris anni *VII* Pontificatus *Nicolai V*, hac dignitate *Simon* auctus eſt anno Chriſti *MCCCCLIII*, ut enim ſupra dictum fuit, *Nicolaus V* Summus Pontifex renunciatus & conſecratus eſt menſe Martio *MCCCCXLVII*. Anno 1453.

EPISCOPI.

F. Petrus de Silva, ex Epiſcopo *Lucenſi*, ut in præcedenti *Appendice* videre eſt, Epiſcopus Aurienſis, *Orenſe*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXVIII pag.*135, *ex Regeſtis Pontificiis*. *Cavalerius Toma I pag.*256 *num. CLVI.* Notandum quod *Fontana* diſtinguens *Aurienſem* Epiſcopatum ab *Orenſanenſi*, iſti, *Orenſanenſi* nempe, *Petrum* præficit anno *MCCCCLIII*, ut videre eſt in *Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXXXIX pag.*252. Anno 1447.

F. Guillelmus Van Oſoris, Epiſcopus Sareptanus, in Phœnicia, ſub Archiepiſcopo Tyrio. *Bernardus de Jonghe in Belgia Dominicano a pag.* 111 *ad* 116. *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcopor. pag.*22 *col. II*, *& Pag.*25 *col. I*, *ex Monumentis Conventus Gandaven.*, *& ex Sandero Rer. Gandaven. Lib. V Cap. VII.* Notat *Echard*, quod *Guilielmus* ab anno *MCCCCLIX* ad *MCCCCLXXV*, quo obiit, *Suffraganeus*, ſeu Vicarius, *Tornacenſis* fuit. Fuit certe, ſed ab anno *MCCCCL* conſecravit Altare ſacrarum ædium *Gandavenſis* Abbatiæ *S. Bavonis*, ut videre eſt apud *Bernardum de Jonghe* mox laudatum. Anno MCCCCLIV, ut ex antiquo Manuſcripto refert idem ſcriptor, *in feſto S. Bavonis, id eſt prima die Octobris, benedictum fuit primum & antiquum Cœmeterium ad meridiem Monaſterii* (S. Agnetis Gandaven.) *juxta murum Bilocæ per Dominum Wilelmum Epiſcopum Sareptanum, Domini Tornacenſis Reverendum Vicarium in Pontificalibus. Poſtea die XXVI Novembris ..... prædictus Epiſcopus Sareptanus Eccleſiæ campanam conſecravit ad gloriam Dei, & honorem S. Agnetis, a qua & nomen accepit*. Addit Bernardus noſter quod *anno MCCCCLV die XXVII Aprilis in Abbatia Aldenburgenſi Ordinis S. Benedicti* Guillelmus Sareptanus Epiſcopus *conſecravit chorum novum ab Aniano Abbate vigeſimo ſeptimo extructum. Item duo Sacella, & duo altaria nova: videlicet: Summum Altare in honorem SS. Trinitatis, & SS. Apoſtolorum, Altare ad meridiem, in honorem S. Crucis, & S. Benedicti. Reconciliavit etiam navim Eccleſiæ, atrium, refectorium, Capitulum, Dormitorium, & clauſtrum pertotum ..... Anno MCCCCLVII Kalendis Maii ex veteri capſa lignea in feretrum novum argento & auro decoratum tranſtulit corpus S. Arnulphi in Eccleſia prædictæ Abbatiæ Aldenburgen.* Ex his igitur liquet, *Guillelmum* noſtrum longe ante *MCCCCLIX* Epiſcopum fuiſſe. Id etiam firmari poteſt ex ejuſdem Præſulis Epitaphio, quod legitur apud Bernardum de Jonghe pag. 116. *Hic jacet Reverendus in Chriſto Pater, & Dominus, D. Guilielmus miſeratione Divina Epiſcopus Sareptanus, necnon Reverendiſſimorum in Chriſto Patrum Dominorum Johannis, Guilielmi, & Ferrici Dei providentia Epiſcoporum Tornacenſium Suffraganeus, Fundator Domus Sororum de Bethania in Brugis, ac Sanctiſſimi Domini noſtri D. Papæ in Sancto Petro in Urbe Pænitentiarius juratus, Frater Ordinis Prædicatorum Conventus S. Audomari, qui abiit anno MCCCCLXXV, XIX Novembris. Orate pro anima ejus.* Succeſſit *Guillelmus* cuidam *Nicolao*, de quo dictum fuit in præcedenti *Appendice*, ut videre eſt ex hoc Diplomate. *Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Guilielmo Electo Sareptan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſponente Clementia &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Nicolao Epiſcopo Sareptan. regimini Sareptan. Eccleſiæ præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret, per ipſius ſedis providentiam utilem, & idoneam præſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi & diſpoſitioni noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandum, decernentes extunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero Eccleſia ipſa per obitum ipſius Nicolai, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, Paſtoris ſolatio deſtituta, nos ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus* Anno 1448 Die 21 Octobris.

diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, Baccalaureum formatum in Theologia, ac in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis & eiſdem Fratribus, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta præfatæ Eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, ejus curam, & adminiſtrationem tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo &c. Datum Romæ apud Sanctam Potentianam Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Octavo, Duodecimo Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. II. fol. 53.*

Anno circiter *MCCCCXLVIII* Fratrem *Sebaſtianum*, *Valentinum*, Epiſcopum *Gratienſem* conſtitutum fuiſſe, docent *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXXI pag. 198*, *& Cavalerius Tomo I pag. 247 num. CVII.* Addit *Cavalerius* quod hæc *Gratienſis* Sedes, vulgo *Grazia*, vel *Crazia* ſita eſt in *Bithinia*, ſub Archiepiſcopo *Claudianopolitano*. *Fernandez* hac de re laudatur a *Fontana*: *Cavalerius* citat *Diago*. Sed hallucinantur. Epiſcopi ſiquidem quos *Hiſpani* vernacule vocant *de gracia*, ſunt Epiſcopi vulgo nuncupati *in Partibus*, & *Sebaſtianus* iſte eſt Epiſcopus ille *Galtillienſis*, de quo dictum fuit in *Appendice* præcedenti.

Anno 1448. F. Alfonſus Hiſpanus, Epiſcopus Ambronen., ſeu Embronen., Imbronenſis ſcilicet, vulgo *l'Embro* in ejuſdem nominis Inſula maris Ægæi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XXVII pag. 123, ex Regeſtis Nicolai V. Cavalerius Tomo I pag. 247. num. CVIII.*

Anno 1449 Die 24 Januarii. F. Gerlacus Gildehuyſen, Epiſcopus Hierapolitanus, in Phrygia, ſub Archiepiſcopo Synadenſi. Ipſe eſt *Gerlacus Teuto* Suffraganeus, ſeu Vicarius, *Ultrajectinus*, qui *Leydenſium* Sanctimonialium Sacellum dedicavit anno *MCCCCL* Menſe Julio, ut refert *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag. 25 col. I.* Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio*, ceteriſque. Succeſſit *Johanni*, ut liquet ex hoc Diplomate, quo ſeries Epiſcoporum *Hierapolitanorum* illuſtratur. *Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Gerlaco Gildehuyſen. Electo Jerapolitan. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſponente clementia &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Johanne Epiſcopo Jerapolitan. regimini Jerapolitan. Eccleſiæ præſidente, Nos attendentes quod Eccleſia prædicta etiam tanto tempore vacavit, quod de ejus vero vacationis modo certa notitia non habetur, ejuſque diſpoſitio eſt ad Sedem prædictam legitime devoluta, nolenteſque Eccleſiam ipſam ulterioris vacationis ſubjacere jacturam, ac cupientes ei per Apoſtolicæ Sedis providentiam utilem, & idoneam præſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi & diſpoſitioni noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero Nos ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem & felicem, de qua nullus, ſi eſt ita, præter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus supradictis, ne Eccleſia ipſa longioris vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum in Presbyteratus Ordine conſtitutum cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de ipſorum Fratrum noſtrorum conſilio, Auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Octavo* (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCXLIX) *Nono Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XI. fol. 52.*

Anno 1449. F. Dominicus Pulchriſili, Epiſcopus Dionyſien., ſub Boſtrenſi Metropoli Arabiæ Petreæ. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXIV pag. 186, ex Lib. Proviſion. Prælatorum. Cavalerius Tomo I pag. 247 num. CX.*

Anno circiter 1449. F. Jacobus de Cluſio, Epiſcopus Tarſenſis, ſeu Tharſenſis, in Cilicia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXXIII pag. 303, ex Ugurgerio in Pompis Senen., Fernandez, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 248 num. CXIII.* Metropolis certe nunc eſt *Tarſenſis* Sedes *Ciliciæ*. Notat Abbas *Blaſius Terzi* in *Syria Sacra Lib. I Cap. LXII pag. 85*, quod ejuſdem nominis Urbs eſt in *Bythinia*.

Anno 1449. F. Bartholomæus de Rimbertinis, ſeu Lapaccius, de quo ſæpius dictum fuit in *Appendice* præcedenti, ex Epiſcopo *Cortonenſi*, Epiſcopus Coronenſis, in Peloponneſo, ſub Archiepiſcopo Patracenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCIII pag. 180. Ughellus, Cavalerius, Echard*, aliique ſupra laudati. Licet enim nonnulli doceant, quod Eccleſiæ *Cortonenſi* jus nunquam dixit *Bartholomæus*, de *Coronenſi* tamen nulli dubium. Ipſius mentio in *Conſtitutione XXVII Caliſti III data VIII Junii MCCCCLVII.*

F. Ægi-

F. Ægidius de Bononia, Epiſcopus . . . . . Vicarius Archiepiſcopi Trevirenſis, in Germania. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.IV Tit.CVII pag.108, ex Fernandez, & Piodio. Cavalerius Tomo I pag.248 num.CXV.* Anno circiter 1450.

F. Amator Hiſpanus, Epiſcopus Oſcenſis, *Hueſca*, in Aragoniæ Regno, ſub Archiepiſcopo Cæſarauguſtano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.CCCCXXXVIII pag.252, ex Johanne Marietta, Fernandez, & Olmeda. Cavalerius Tomo I pag.248 num.CXVI.* Anno circiter 1450.

F. Franciſcus Cinquinus, Piſanus, Epiſcopus Tauriſien., vulgo *Tauris*, in Perſide. *Fontana Theatro Dominicano Parte I, Cap.V Tit. DLXXV pag.304, ex Monumentis Piſani Cœnobii, Fernandez, & Piodio. Cavalerius Tomo I pag.247 num.CXI.* Anno circiter 1450.

F. Bartholomæus de Medicis, Epiſcopus Comaclenſis, *Comacchio*, in Romandiola, ſub Archiepiſcopo Ravennatenſi. *Cavalerius Tomo I pag.249 num.CXVIII, ex Taegio, & Piodio.* Anno circiter 1450.

F. Benedictus, alumnus Lucenſis Cœnobii, Epiſcopus . . . . in Corſica. *Cavalerius Tomo I pag.249 num.CXX, ex Razzio, & Piodio.* Anno circiter 1450.

F. Bonifatius Lambrus, Mediolanenſis, Epiſcopus Palentinus, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Burgenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit. CCCCXLVII pag.258, ex Piodio, Fernandez, & Gozeo. Cavalerius Tomo I pag.249 num.CXXII.* Anno circiter 1450.

F. Thomas Bud, Epiſcopus Aſſaven., ſeu Aſaphen., vulgo *S. Aſaph*, in Anglia, ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.LVII pag.132, ex Regeſtis Pontificiis. Cavalerius Tomo I pag.250 num.CXXVI. Bernardus de Jonghe in Belgio Dominicano pag.414* Succeſſit cuidam *Reginaldo*, ut habetur ex Diplomate aſſervato in Archivo Ordinis. Sic incipit: *Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Thomæ Bud, Electo Aſſaven., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Sane Eccleſia Aſſaven. ex eo Paſtoris ſolatio deſtituta, quod Nos hodie venerabilem Fratrem noſtrum Reginaldum Ciceſtren., tunc Aſſaven., Epiſcopum, licet abſentem, a vinculo Aſſaven. Eccleſiæ, cui tunc præerat, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes, cum ad Eccleſiam Ciceſtren. &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & in Theologia Profeſſorem &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo, Sexto Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quarto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib.XXI fol.40.* Anno 1450 Die 27 Martii.

F. Bartholomæus de Bononia, Epiſcopus Draconarien., *Dragonara*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.CCXXVIII pag.187, ex Fernandez, & Piodio. Cavalerius Tomo I pag.250 num.CXXVII.* Anno circiter 1450.

F. Alfonſus Bituricenſis, alumnus Cœnobii Trecenſis, cum Regi Galliarum a confeſſionibus fuiſſet, Epiſcopus creatus eſt. Sic docet *Cavalerius Tomo I pag.251. num.CXXIX, ex Sampaio, & Piodio.* Quænam vero ſit illa ſedes, cui præfuit *Alfonſus*, non dicunt. Anno circiter 1450.

F. Bartholomæus de Bononia, Epiſcopus Signienſis, ſeu Senienſis, Italis *Segna*, Germanis *Zeng*, in Illyrico, ſub Archiepiſcopo Spalatenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit. DXLIX pag.295, ex Ferrario. Cavalerius Tomo I pag.251 num.CXXX.* Anno circiter 1450.

F. Benedictus de Andora, Epiſcopus Guden., fortaſſis Guaden., vulgo *Guadel*, in Perſide, in Provincia *Kherman*. Vel legendum Buden., vulgo *Budoa*, ſeu Biduanen., in Dalmatia Meridionali. Is ipſe videtur *Benedictus*, quem Amanuenſis *Fontanæ* cognominat *de Dadria*, quem *Colæ* ſucceſſiſſe dicit, quemque præficit Eccleſiæ *Siciden.*, ut videre eſt apud *Fontanam Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit. DLXV pag.300*, ubi hæc habet. *P. Fr. Benedictus de Dadria inſtitutus Siciden. Epiſcopus a Nicolao V per obitum Colæ ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopi, XVI Kalendas Decembris anno MCCCCL, prout Libri Proviſion. Prælatorum ejuſdem Pontificis Maximi teſtantur.* Hæc ille, cui ſuffragatur quidem *Cavalerius Tomo I pag.251 num.CXXXI*, ſed legendum putat: *Sicinen.*, in ejuſdem nominis Inſula maris *Ægæi*; non enim reperire potuit, quinam ſit Epiſcopatus ille *Siciden.* In Diplomate, quo *Benedictus* conſtituitur Epiſcopus, legitur: *Guden*: Hujus tenoris eſt. *Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Benedicto de Andora* Anno 1450 Die 16 Novembris.

electo Guden., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus Officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Nicolao Epiſcopo Guden. regimini Guden. Eccleſiæ præſidente, Nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum illam vacare contigerit, per operationis noſtræ miniſterium, utilem, & idoneam præſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſiæ ordinationi & diſpoſitioni noſtræ ea vice duximus ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ejuſdem Nicolai Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, paſtoris ſolatio deſtituta, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relationibus intellecta, ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter Nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne ipſa Eccleſia prolixæ vacationis exponeretur incommodis, paternis & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Guden. Eccleſiæ de eorundem Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem &c. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo, Sexto decimo Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Ex Archivo Apoſtolico Lib. LIV fol. 421.

Anno 1450. F. Johannes Iſambardus, Epiſcopus Chryſopolitanus, in Arabia Majori, ſub Archiepiſcopo Boſtrenſi. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXXI pag. 169, ex Fernandez, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 252 num. CXXXVI. Is ipſe eſt Johannes Yſambardi Epiſcopus Chriſtopolitanus, Suffraganeus, ſeu Vicarius Metenſis, qui dedicavit Altare quoddam in Eccleſia noſtra Metis anno MCCCCLIV, ut refert Echard Tomo I Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag. 26. col. I.

Anno 1450 Die 16 Novembris. F. Antonius de Omoſſa, Epiſcopus Accienſis, Accia, in Corſica, ſub Archiepiſcopo Genuenſi. Iſtius Epiſcopi meminit Ughellus in Epiſcopis Accien. Tomo IV Italiæ Sacræ pag. 909 Edit. II, ſed ſiies quod alumnus fuerit Ordinis Prædicatorum. Hinc a noſtratibus inter Accienſes Epiſcopos non recenſetur. Aſtanenſi Sedi præficitur a Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LVIII pag. 133. Addit quod hæc Aſtauenſis Sedes eſt in Corſica. Quia vero hujuſce nominis Epiſcopatus ibidem non eſt, hinc Cavalerius Tomo I pag. 254 num. CXLIX cenſet Antonium Epiſcopum Aſtenſem fuiſſe, io ejuſdem nominis Comitatu Italiæ, ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi. Emendandus etiam Ughellus in Accienſium Epiſcoporum ſerie. Antonius ſiquidem non ſucceſſit Alberto noſtro de Caſinis, ſed Agnello Ordinis Carmelitarum, ut ex hoc Diplomate videre eſt. Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Antonio de Omoſſa electo Accien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus Officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Agnello Epiſcopo Accien. regimini Eccleſiæ Accien. præſidente, Nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret, per Apoſtolicæ Sedis providentiam utilem & idoneam præſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandum, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Poſtmodum vero Eccleſia per obitum ipſius Agnelli Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, paſtoris ſolatio deſtituta, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad poviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem, ne longa vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de dictorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem &c. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo, Sexto decimo Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Ex Archivo Apoſtolico Lib. X fol. 250. Archiepiſcopus Athenienſis fuit Antonius, ut in hac Appendice videre eſt.

Anno 1450. F. Gaſpar de Caſtello S. Johannis in Perſichetto, Epiſcopus Imolenſis, ſeu Foro Cornelieoſis, Imola, in Romandiola, ſub Archiepiſcopo Ravennatenſi. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXCIX pag. 205, ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag. 258. num CLXVI, Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLVII pag. 815.

Anno 1450. F. Baptiſta de Firmo, Epiſcopus Hierapolitanus, in Arabia, ſub Archiepiſcopo Petrcenſi. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXCVI pag. 204, ex Lib. Proviſion. Prælatorum. Cavalerius Tomo I pag. 274 num. CCIII, ex Monumentis Conventus Firmani. Vivebat anno MCCCCLXIII, ut probat Cavalerius ex Inſcriptione, quam refert. Hinc autem liquet, quod Epiſcopatus iſte diſtinguendus eſt ab alio ejuſdem nominis, quem per id tempus obtinuerunt, Gerlacus, & Judocus, de quibus in hac Appendice. Et ex hoc emendandi Fontana & Cavalerius.

F. Lu-

F. Ludovicus de Foro, Cœnobii Weſalienſis alumnus, Epiſcopus Fogienſis. *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.26 col.I, ex Chronicis Weſalien.*. Quiſnam ſit Epiſcopatus iſte, non docet *Echard*. Idem videtur ac *Phoceenſis*, vulgo *Foia*, in *Æolide*, ſub Archiepiſcopo *Smirnenſi*.

Anno circiter 1450.

F. Johannes Polonus, Epiſcopus Culmenſis, *culm*, in Pruſſia, ſub Archiepiſcopo Gneſnenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit. CCXII pag.183, ex Bzovio. Cavalerius Tomo I pag.252 num. CXXXV, ex Plodio.*

Anno circiter 1451.

F. Jacobus Tuders, Epiſcopus Laudenſis, *Lodi*, in Lombardia, ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi. *Cavalerius Tomo I pag.253 num.CXXXVII, ex Sampaio, & Plodio.*

Anno circiter 1451.

F. Manuel de Candia, Emmanuel nempe Cretenſis, Epiſcopus Scutarenſis, Scodrenſis ſcilicet, vulgo *Scutari*, in Albania, ſub Archiepiſcopo Antibarenſi. *Cavalerius Tomo I pag.253 num.CXL, ex Taegio, & Plodio.* Succeſſit iſte cuidam *Johanni*, ut ex hoc Diplomate conſtat. *Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Manueli de Candia, Electo Scutaren., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Johanne Epiſcopo Scutaren. &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo* (Styio Bullarum, æræ communis MCCCCLI) *Sexto Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto*. Ex Archivo Apoſtolico *Libro LIX fol.28*.

Anno 1451 Die 8 Januarii.

F. Bernardus Michaelis, Epiſcopus Alienſis. *Cavalerius Tomo I pag.253 num. CXXXIX, ex Taegio, au Plodio, & ex Actis Capituli Generalis MCCCCLI.* Quænam ſit hæc *Alienſis* Eccleſia, non facile dictu. Urbs eſt Arabiæ felicis *Hali* vulgo vocata: eſt etiam Inſula maris *Æthiopici* quæ vulgo *Alioa* nuncupatur: ſed quod ibidem per id tempus Epiſcopatus fuerit, vel ibi *Bernardus* noſter jus dixerit, me fugit. Legendum fortaſſis *Uſellen.*, & *Bernardus* iſte oon diſtinguendus a ſequenti.

Anno circiter 1451.

F. Bernardus Michaelis, alumnus Aragoniæ Provinciæ, Epiſcopus Uſellenſis, in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Arborenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXLIX pag. 327, ex Lopez, & Fernandez. Cavalerius Tomo I pag.258 num.CLXIII. Diago Hiſtor. Provinciæ Aragoniæ Lib. II Cap. XCV pag.275*, ubi legitur ſequens Epitaphium Bernardi: *Hic jacet Reverendiſſimus Dominus, Dominus Bernardus Michaelis iſtius Monaſterii* (Cœnobii ſcilicet *Emporienſis*, vulgo *Ampurias*, in Aragoniæ Provincia) *filius, Uſellenſis Epiſcopus, & Sereniſſimi Domini Regis Aragonum Conſiliarius, ac Confeſſor illuſtriſſimi Domini Ferdinandi Ducis Calabriæ. Obiit Prima Octobris Anni Domini MCCCCLIV*. Hoc anno *MCCCCLIV* mortuum fuiſſe *Bernardum Michaelis* negat *Cavalerius*, quia, inquit, eodem anno diem ſupremum obiit *Michael Aragonus* Epiſcopus *Uſellenſis*, cui ſucceſſit *Bernardus Michaelis*. Verum hinc potius dubium ſubnaſcitur, utrum nempe *Michael* ille, de quo dictum fuit in *Appendice* præcedenti, diſtinguendus ſit a *Bernardo Michaelis*, cujus hic mentio. Et ſane *Diago* Provinciæ *Aragoniæ* ſcriptor diligentiſſimus *Michaelem* illum *Aragonum* non novit.

Anno circiter 1451.

F. Johannes de Enitra, Epiſcopus Tagaſtenſis, *Tagaſta*. Urbs eſt Africæ, natalibus S. P. *Auguſtini* clara. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio*, aliiſque. Hoc Diplomate conſtitutus fuit Epiſcopus. *Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Enitra Electo Tagaſten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Jacobo Epiſcopo Tagaſten. regimini eccleſiæ Tagaſten. præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam &c. Poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum ejuſdem Jacobi qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ipſius eccleſiæ celerem & felicem &c. ne eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis &c. demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem Ordinem ipſum expreſſe profeſſum, & in Theologia Baccalaureum, cui de vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis præmium noſtram & dictæ Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo primo, Pridie Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quinto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib.LXXI fol.56*.

Anno 1451 Die 31 Martii.

F. Ricardus Volſi, Epiſcopus Dunenſis, vulgo *Downe*, & Connerten., vulgo *Conner*, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Armachano. Hunc non norunt *Fontana*, *Cavalerius*, aliique. Succeſſit *Thomæ*, ut ex hoc

Anno 1451 Die 21 Julii.

hoc Diplomate conſtat. *Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Ricardo Volſi Electo Dunen. & Connerea., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſponente clementia &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Thomæ Dunen. & Conneren. eccleſiarum inſimul canonice unitarum Epiſcopo, regimini Dunen. & Conneren. eccleſiarum præſideate, nos cupientes eiſdem eccleſiis, cum vacarent &c. proviſionem ipſarum eccleſiarum ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam &c. poſtmodum vero eccleſiis ipſis per obitum ipſius Thomæ qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem earundem eccleſiarum celerem & felicem &c. ne eccleſiæ ipſæ longæ vacationis exponantur incommodis &c. poſt deliberationem quam de præficiendo eiſdem eccleſiis perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Sancti Dominici profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circunſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eiſdem eccleſiis de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate apoſtolica, providemus, teque illis præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſarum eccleſiarum tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis præmium noſtram & dictæ Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Primo, Undecimo Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXXI fol. 34.*

Anno 1451. F. *Robertus Rochford, Sacræ Theologiæ Profeſſor, Epiſcopus Connorenſis in Hybernia electus anno MCCCCLI. Ex Waræo. Hunc non norunt noſtri.* Hæc totidem verbis docet *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag. 26. col. II.* Sed notandum, quod ille *Conorcenſis* Epiſcopatus non reperitur in *Hibernia*. Hinc evidens eſt, irrepſiſſe mendum, legendumque *Conneren.*, rectius *Connerten.*, vulgo *Conner*, quæ Sedes eſt in *Hibernia*, uti mox dictum fuit. Utrum autem *Waræus* erraverit etiam in nomine Epiſcopi, & iſte *Robertus* idem ſit ac præcedens *Ricardus*, judicent alii.

Anno 1451 Die 1 Octobris. F. Michael de Candia, ſeu Cretenſis, Epiſcopus Agienſis, in Inſula Cretenſi, ſub Archiepiſcopo Cretenſi. Ipſe eſt *Michael Græcus*, quem *Cavalerius Tomo I pag. 287 num CCXLIII* præficit Eccleſiæ *Cydonienſi*, vulgo *La Canea*. Epiſcopatus eſt Inſulæ *Cretenſis* cui Sedes *Agienſis* unita fuit. Hinc Epiſcopus *Caneæ* dicitur a *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXXXII pag. 154*, ubi hæc habet. *F. Michael, natione Græcus, Sacræ Theologiæ Laureatus inſignis, Caneæ Epiſcopus creatus fuit ab Apoſtolica Sede in Inſula Cretenſi, & poſt aliquot annos Veronæ ex hac vita migravit anno MCCCCLXXIX, apud noſtros ſepultus.* Hæc ille ex *Plodio*, *Razzio*, & *Fernandez*. Ipſis ſuffragatur *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCXCI pag. 875* Sed *Altamura*, quem laudat *Cavalerius Tomo I pag. 302 num. CCCIII*, Michaelem noſtrum *Cretenſem* Archiepiſcopum creat, & in hoc emendandus ex ſequenti Diplomate. *Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Michaeli de Candia Electo Agiea., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Lucæ Epiſcopo Agien. regimini eccleſiæ Agien. præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam &c. Poſtmodum vero dicta eccleſia per obitum ejuſdem Lucæ Epiſcopi qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ipſius eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne eccleſia ipſa longæ vacationis exponeretur incommodis &c. poſt deliberationem quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Sacræ Theologiæ & Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem in Sacerdotio conſtitutum, literarum ſcientia præditum, vitæ ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circunſpectum, & aliis multipliciter virtutum meritis, prout fide dignorum teſtimoniis percepimus, inſignitum, direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus attenta meditatione penſatis de perſona tua nobis & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ Agien. de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem, ipſius curam & adminiſtrationem tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram & dictæ Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Primo, Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXXI fol. 3.*

Anno 1451. F. Johannes, Epiſcopus Tangaren., ſeu Tingitanus, vulgo *Tanger*, in Africa, ſub Archiepiſcopo Eborenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXCII pag. 310, ex Lib. Proviſion. Prælatorum. Cavalerius Tomo I pag. 254 num. CXLIV.*

Anno 1451. F. Johannes Roſa, Epiſcopus Moldavienſis, in ejuſdem nominis Regione Europæ. *Simon Okolski in Ruſſia Florida pag. 59, ex Bzovio. Dominicus Frydrychowicz in S. Hyacintho Poloniæ Patrono &c. pag. 232. Cavalerius Tomo I pag. 254 num. CXLVII, ex Plodio.*

F. Jacobus Dezza, Hiſpanus, Epiſcopus Zamorenſis, *Zamorra*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano. *Cavalerius Tomo I pag.254 num.CXLVIII, ex Plodio.*

Anno circiter 1451.

F. Hieronymus Vitalis, Epiſcopus Lathoren., ſeu Latopolitanus, a pleriſque Latorenſis dictus, in Ægypto Superiori. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio &c.* Epiſcopus renunciatus eſt hocce Diplomate. *Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Hieronymo Vitalis Electo Lathoren., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Nuper ſiquidem, Eccleſia Lathoren., cui de perſona alicujus a memoria hominum proviſum non fuit, Paſtori ſolatio deſtituta, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem & felicem, ne Eccleſia ipſa longioris vacationis exponatur incommodis, paternis & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, Baccalaureum formatum in Theologia, & cariſſimi in Chriſto filii noſtri Alfonſi Regis Aragonum Illuſtris Capellanum, in Sacerdotio conſtitutum, ac alias multiplicium virtutum donis, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus, inſignitum direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de ipſorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias, & largitur præmia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos præfata Eccleſia ſub tuo felici regimine, gratia tibi aſſiſtente Divina, regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens curam, & adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, fideliter, & prudenter, quod ipſa eccleſia gubernatori provido & fructuoſo Adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque exinde præter æternæ retributionis præmium noſtram & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam uberius conſequi merearis. Volumus autem quod poſtquam præſentes literas habueris expeditas, ad præfatam Eccleſiam te transferas & reſideas perſonaliter in eadem, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Pontificalia nequeas officia exercere. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Secundo* (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCLIII) *Pridie Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXXVI fol.87.*

Anno 1453 Die 12 Januarii.

F. Lupus de Cauſeco, Epiſcopus Lidenſis, vulgo *S. George de Lidde*, in Palæſtina, ſub Patriarcha Jeroſolymitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.CCCXXXI pag.215, ex Lib Proviſion. Prælatorum. Cavalerius Tomo I pag.255 num.CLII.* Succeſſit *Fernando*, ut ex hoc Diplomate liquet. *Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Lupo de Cauſeco, Electo Liden., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus Officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Fernando Epiſcopo Liden. &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Secundo*, (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCLIII) *Quarto Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXXVII fol.58.*

Anno 1453 Die 29 Januarii.

F. Johannes de Palentia, Epiſcopus Beritenſis, ſeu Berytenſis, *Berito*, vel potius *Baruti*, in Phœnicia, ſub Archiepiſcopo Tyrio. Nunc Metropolis eſt Berytenſis Eccleſia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.LXXXVI pag.140, ex Regeſtis Pontificiis. Cavalerius Tomo I pag.255 num.CLIV.* Notandum quod a Scriptoribus iſtis *Johannes Græcus* dicitur. Succeſſit *Martino*, ut ex hoc Diplomate videre eſt. *Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Palentia Electo Beriten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus Officium &c. Et deinde præfata Eccleſia per obitum Martini Epiſcopi Beriten. &c. Demum ad te Theologiæ & Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo tertio, Duodecimo* Kalendas *Maii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.* Ex Archivo Apoſtolico. *Libro XXVI fol.47.*

Anno 1453 Die 20 Aprilis.

E*Cclesiæ Benlencilonen. titulari, & in infidelium partibus datur Epiſcopus P. F. Hermanus Nortorp a Nicolao Papa V, tertio Idus Aprilis Anno ſui Pontificatus ſeptimo, qui fuit reparati orbis MCCCCLIII, prout in Regeſtis ejuſdem Pontificis habetur: de quo tamen ne verbum quidem habuere Ordinis ſcriptores.* Auctor eſt *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit. LXXXII pag.*139. Ipſum excipit *Cavalerius Tomo I pag.255 num.CLIII.*

Anno 1453.

F. Judocus Bar, Epiſcopus Hierspolitanus, in Phrygia, ſub Archiepiſcopo Synadenſi. Is ipſe eſt *Ludovicus* Epiſcopus *Jerapolitanus*, de quo *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.CCXCVI pag.*204, *ex Libro Proviſion. Prælatorum, & Cavalerius Tomo I pag.*250 *num.CXXV.* Errat inſuper *Cavalerius* dicens Epiſcopum iſtum anno *MCCCCL* die *XXIII* Januarii conſtitutum fuiſſe. Quod eodem circiter anno conſecratus fuerit *Judocus*, docet *Echard*, a quo cognominatur *Borre*. Sic enim loquitur *Tomo I Scriptorum Ordinis* in Indice Epiſcoporum pag.26. col.1. *Judocus Borre Epiſcopus Hierapolitanus, Suffraganeus* (ſeu Vicarius) *Ultrajectinus anno MCCCCL circiter conſecratus, obiit XXV Julii MCCCCLXX. Ex Monumen.*

Anno 1453 Die 14 Maii.

Con-

Conven. Ultraject. & Monialium Ordinis Leydenſium. Corrupte a Fontana, & ſequacibus dicitur Ludovicus. Vide Bataviam Sacram. Hæc ille. Succeſſit *Judocus* ipſe *Gerlaco* noſtro, ut videre eſt ex hoc Diplomate. *Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Judoco Bar Electo Hierapolitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſponente clementia &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Gerlaco Epiſcopo Hierapolitan. &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem, & in Theologia Magiſtrum &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Tertio, Pridie Idus Maii Pontificatus noſtri Anno Septimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro XXVI fol.* 87.

Anno circiter 1454. F. Martinus de Solera, Epiſcopus Chryſopolitanus, Vicarius Baſileenſis Epiſcopi. *Fontana Monument. Dominican. Parte II Cap. VIII ad an. MCCCLIV pag.* 224. Conſulendus *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcopor. pag.* 26 *col.* 1, & *Seculo XIV pag.* 729. Ceterum *Chryſopolitanus*, ſeu *Chriſopolenſis*, ut ſcribit *Fontana*, duplex eſt Epiſcopatus, unus in *Arabia*, ſub Archiepiſcopo *Boſtrenſi*, alius in *Macedonia*, ſub *Philippenſi* Metropoli.

Anno circiter 1455. F. Hieronymus de Vinea, Epiſcopus Policaſtrenſis, *Policaſtro*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Salernitano. *Ughellus in Epiſcop. Policaſtren. Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 564 *Edit. II. Theodorus de Valle in Lib. de Viris illuſtrib. Ord. Prædicatorum. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXXV pag.* 267. *Cavalerius Tomo I pag.* 276. *num. CCVII.*

Anno circiter 1455. F. *Thomas Serrano, Epiſcopus Canariarum IV, qui tum dicebatur Epiſcopus S. Martialis de Rubicon in Inſula Lancerote ſub Nicolao Papa V, & Paulo II. Hic Inſulas Canariæ & Teneriſæ ad fidem adducere laboravit, & ſucceſſorem habuit Johannem de Frias, qui ex Inſula Lancerote Sedem in Canariam tranſtulit anno MCCCCLXXXV die XX Novembris.* Auctor eſt *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.* 22, *ex Hiſtoria ſacra majoris Canariæ, quam ſcripſit Chriſtophorus de la Camara Canariarum Epiſcopus XXV, & edidit Matriti anno MDCXXXIV, in* 4. *Et hic Thomas a Fontana & aliis noſtris omiſſus.* Epiſcopatus *Canarienſis* eſt in ejuſdem nominis Inſulis *Oceani*, ſub Archiepiſcopo *Hiſpalenſi*.

L E G A T I.

Anno 1448. F. Henricus Kaltyſen, Magiſter S. Palatii Apoſtolici, Legatus ad Academiam Lovanienſem miſſus pro generali Eccleſiæ reformatione. *Valerius Andreas in Faſtis Academicis Lovanien. Cap. XIV. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLXV pag.* 828. Archiepiſcopus *Nidroſienſis* poſtea fuit *Henricus*, ut in hac *Appendice* videre eſt.

Anno 1448. F. Bartholomeus de Rimbertinis, ſeu Lapaccius, Epiſcopus *Cortonenſis*, ut in præcedenti *Appendice* dictum fuit, Legatus in Germaniam miſſus. *Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II num. XXXI pag.* 357, & *in Monumen. Dominican. Parte III Cap. I ad annum MCCCCXLVIII pag.* 343. *Cavalerius Tomo I pag.* 272 *num. CCI.*

Anno 1448. F. Leonardus Chienſis, Archiepiſcopus Mitylenenſis, ut in *Appendice* præcedenti videre eſt, Conſtantinopolim Legatus miſſus ad Græcorum Imperatorem Palæologum. *Echard Tomo I Scriptorum Ord. ad annum MCCCCLVIII pag.* 817. *Fontana*, *Cavalerius*, aliique ſupra laudati.

Anno circiter 1449. F. Bartholomæus de Rimbertinis, de quo mox dictum fuit, Venetias mittitur. *Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap. I ad annum MCCCCXLIX pag.* 344, *ex Olmeda*

CALIS-

CALISTUS III.

(a) *Ciaconius in Caliſto III.*
(b) *Panvinius in Chronicis.*
(c) *Ciaconius in Caliſto III.*

Alfonſus Borgia antea dictus, Hiſpanus, Valentinus, Electus (*a*) eſt Die VIII Aprilis MCCCCLV. Coronatus (*b*) fuit Die XX ejuſdem Menſis. Obiit (*c*) Die VI Auguſti MCCCCLVIII. Sedit Annos III, Menſes IV.

De perficiendo Papienſi (1) Cœnobio.

Anno 1455 Die 20 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Monaſterii S. Marcelli Papien. per Priorem ſoliti gubernari, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

I.

Exordium.

Rationi congruit &c. (3) Dudum ſiquidem felicis recordationis Nicolao PP. V, Prędeceſſori noſtro, pro parte dilectorum filiorum Conventus, & Fratrum domus Sancti Thomę Papien. Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac Auguſtini de Barrachia, laici dictę domus, ac illius Eccleſię operarii, expoſito, quod ſi nonnulla immobilia, & mobilia bona ad fabricam domus, & Eccleſię hujuſmodi ſpectantia, factis primitus ſubhaſtationibus (4), ac proclamationibus debitis, & congruis, plus offerenti venderentur, & pretium exinde redigendum in complementum ejuſdem domus, quę ſumptuoſo opere incepta fuerat, converteretur, id in evidentem domus, & fabricę hujuſmodi cederet utilitatem, pręfatus Prędeceſſor, volens eorundem bonorum quantitatem, & verum valorem pro expreſſis habere, inter cetera voluit, & conceſſit pridie Nonas Julii Pontificatus ſui Anno VIII (5), certo dari Judici in mandatis, ut ſuper prę miſſis omnibus, & ſingulis, auctoritate Apoſtolica ſe informaret, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe, venditionemque & alienationem bonorum hujuſmodi, ſi fieret, ut prę fertur, in evidentem utilitatem domus, & fabricę prędictorum cedere, reperiret, Fratribus, & operario prędictis bona prę miſſa, quibuſvis perſonis, etiam laicis, factis ſubhaſtationibus, & proclamationibus debitis, plus offerenti, vendendi, & alienandi, ac pretium exinde ſuſcipiendum, & redigendum, in fabricam, & complementum dictę domus convertendi, licentiam ipſa auctoritate Apoſtolica, concederet, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac domus, & Ordinis prędictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Ne autem dicti Fratres, & Conventus, ac operarius voluntatis, & conceſſionis prędictarum pro eo quod ſuper illis ipſius Nicolai Prędeceſſoris literę, ejus ſuperveniente obitu, confectę non fuerunt, fruſtrentur effectu, volentes, & auctoritate Apoſtolica prędicta decernentes, quod voluntas, & conceſſio hujuſmodi perinde a dicta die pridie Nonas Julii ſortiantur effectum, ac ſi ſuper eis ipſius Prędeceſſoris literę ſub ipſius diei dato confectę fuiſſent, prout ſuperius enarratur; quodque prę ſentes literę ad probandum plene voluntatem & conceſſionem prędictas ubique ſufficiant, nec ad id probationis alicujus adminiculum requiratur, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper prę miſſis omnibus, & ſingulis auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe, venditionemque & alienationem bonorum eorundem, ſi fiant, ut prę fertur, in evidentem utilitatem, domus, & fabricę prędictarum cedere repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Fratribus, & operario prędictis bona prę miſſa vendendi, alienandi, ac pretium in complementum fabricę convertendi, licentiam juxta voluntatem, & conceſſionem Nicolai, Prędeceſſoris noſtri, hujuſmodi auctoritate noſtra concedas, & largiaris. Non obſtantibus prę miſſis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Quinto, Duodecimo Kalendas Maii (6), Pontificatus noſtri Anno Primo.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

1. *Papienſi*.) In *Inſubria*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. V fol.61*.
3. *Rationi congruit &c.*) Ut in *Conſtitutione I Eugenii IV.*
4. *Subhaſtationibus*.) Id eſt auctione bonorum facta. Hæc autem auctio *ſubhaſtatio* dicitur, quia ſolebat haſta figi in publicis auctionibus.
5. *Anno Octavo*.) Chriſti *MCCCCLIV*.
6. *Duodecimo Kalendas Maii*.) Hac die *Caliſtum III* coronatum fuiſſe, docet *Panvinius*. Adverſantur *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II in Caliſto III ad annum MCCCCLV pag.981*, *Felix Contelorius in Elencho Cardinalium*, *Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium* mox citatum *pag.985*, *Platina in Caliſto III*, *Odoricus Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCCCLV num. XIX*, aliique paſſim. Nec inter ſeſe conveniunt iſti. *Ciaconius* enim cenſet, *Caliſtum* Anno MCCCCLV *Kalendis Maii* coronam Pontificiam ſuſcepiſſe. *Contelorius* apud *Oldoinum* docet, coronam *Caliſto* fuiſſe impoſitam die *XX* Martii *MCCCCLIV* ſtylo veteri, novo *MCCCCLV*. *Platina* tandem apud *Odoricum* id actum putat *XII* Kalendas Aprilis, die nempe *XXI* Martii. Hoc ſane Diplomate deſtruitur ſententia *Ciaconii*, cum enim *Duodecimo Kalendas Maii* datum ſit, ergo coronam jamjam ſuſceperat *Caliſtus*, non igitur coronatus fuit *Kalendis Maii*. De ceteris nihil moror, die ſiquidem *XXI* Martii *MCCCCLIV* ſtylo veteri, novo *MCCCCLV*, vivebat adhuc *Nicolaus V*, ut ex *Contelorio* ſcribit *Oldoinus pag.965*. Nota quod *Panvinii* ſententiam firmant hæc Diplomatis verba: *Datum .... Duodecimo Kalendas Maii*. Hinc enim conjici poteſt, hac ipſa die, *Caliſtum III* Corona Pontificia redimitum fuiſſe. Die ſiquidem qua coronam ſuſcipiebat Summus Pontifex, plerumque conſtitutiones edebat, quas Prædeceſſor morte præventus non potuerat promulgare. Conſulendæ quinque priores Conſtitutiones *Eugenii IV*.

Anno 1455 Die 20 Maii.

Ne Bonononienſis (1) Epiſcopus,& Cœnobii FF. Prædicatorum Prior, teſtamenti Franciſci de Pepolis (2) curatores, tributum in gratiam fabricæ S. Petronii indictum ſolvant.

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

II.

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Anama, Archidiacono Eccleſię Bononien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

HUmilibus ſupplicum votis, illis pręſertim, per quę pie teſtatorum conſequendo voluntates, eccleſiaſticorum, etiam regularium, & aliorum piorum locorum indemnitatibus conſulitur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum nonnullorum Conventuum, ac Religioſarum, & eccleſiaſticarum perſonarum, & domorum etiam regularium, ac hoſpitalium, & aliorum piorum locorum Civitatis Bononien., petitio continebat, quod olim, poſtquam quondam Franciſcus dictus Tezlatus de Pepolis, laicus Bononien., de propria ſalute recogitans, cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, ſuum condens in ultima ipſius voluntate teſtamentum, nonnulla annua legata, & relicta ad pios uſus, ac pro certis Conventibus, & Eccleſiis ac hoſpitalibus fecerat, Epiſcopo Bononien., & Priore Fratrum Prędicatorum dictę Civitatis pro tempore executoribus ſuper hoc deputatis, ac etiam poſtquam annua legata poſt ejus obitum abſque aliqua diminutione ſuis legatariis ſoluta fuerant,

Diplomatis cauſa.

dilecti filii populus, & commune dictę Civitatis, & tunc Regentes populares dictę Civitatis nonnulla ſtatuta, & ordinationes inter alia condiderunt, per quę voluerunt, quod ex quibuſcunque pecuniis Camerę, & Communitatis Bononien. dari deberent quatuor parvi denarii illius monetę pro qualibet libra, ſeu viginti ſolidis, pro fabrica Eccleſię Sancti Petronii primo, & deinde de pecuniis relictis ad pias cauſas per ipſam fabricam exigerentur duo ſolidi pro libra, quodque executores teſtamentorum, & ultimarum voluntatum ad id compelli poſſent, & ſubſequenter etiam ſtatutum ſolutionis duorum ſolidorum hujuſmodi ad hęreditates,& fideicommiſſa,quę nondum executioni demandata fuerant, ampliarunt, & etiam ordinatum fuit, quod ex legatis, & fideicommiſſis, ſeu aliis diſtributionibus ad pias cauſas, ſeu pro anima factis in pręteritum quandocunque, tempore longiſſimo etiam, ante ordinationem dictę fabricę, quę ſolvenda eſſent a tempore ordinationis dictę fabricę, etiam duo ſolidi pro fabrica Eccleſię S. Petronii ſolverentur. Quę quidem ſtatuta cum inſertione rubricarum eorundem etiam ſub his verbis quod de quibuſcunque relictis ad pias cauſas in pręteritum factis ſolvantur duo ſolidi pro libra, fuerunt per bonę memorię tunc Legatum Bononien., & deinde per Martinum V, & Eugenium IV, & tandem per Nicolaum V, Summos Pontifices, Prędeceſſores noſtros, motu proprio, & ex certa ſcientia confirmata, & approbata, & ad cautelam innovata. Cum itaque ſicut eadem petitio ſubjungebat, tempore dati dictorum ſtatutorum jam fuerit piis locis hujuſmodi jus quęſitum, teſtamentaque & legata hujuſmodi ante ſtatutorum prędictorum editionem facta extiterint, ac de relictis bonis hujuſmodi nihil hactenus ſolutum fuerit, cum abſurdum eſſe videatur ipſa ſtatuta per laicos edita, & generaliter a Sede Apoſtolica confirmata, teſtamenta, voluntates, & Eccleſiarum, ac piorum locorum bona pręſertim jam acquiſita, immutare, vel auferre, & ad pręterita trahi poſſe, ne igitur executores teſtamentorum piorum legatorum ſaltem ante editionem ſtatutorum hujuſmodi factorum, & pręſertim dicti quondam Franciſci, ac eorundem executores commiſſarii, necnon Conventus, Eccleſię, hoſpitalia, & pia loca prędicta, eorumque perſonę prętextu ſtatutorum eorundem valeant in aliquo per officiales dictę fabricę in futurum moleſtari, pro parte Conventuum & perſonarum eccleſiaſticarum, hoſpitalium, & piorum locorum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus eis aſſiſtere, ac ſuper pręmiſſis opportune providere, teſtamentum quoque, ac pia legata dicti Franciſci a ſtatutis, & ordinationibus hujuſmodi, eorumque confirmationibus, & omnino eximere, & tam illa, quam quęcunque teſtamenta, ſeu pias ultimas voluntates legata, relicta, fideicommiſſa, ac hęreditates, facta, & relicta ante ordinationem dictę fabricę non debuiſſe, neque debere ſub ordinationibus, & ſtatutis hujuſmodi, eorumque confirmationibus poſt ordinationem ipſius fabricę comprehendi, necnon pręfatos Conventus, & loca, aliaſque, quorum intereſſe poſſet, ad pręſtationem, vel ſolutionem ſolidorum hujuſmodi, aut ad obſervationem ſtatutorum eorundem, nullatenus compelli poſſe, aut debere, decernere, & declarare, & eis quatenus, ſub ipſis comprehendi viderentur, ſpecialius, & expreſſe derogare, eiſque ſuper pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę, de qua in his & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus vocatis operariis dictę fabricę S. Petronii, & aliis, qui fuerint evocandi, inquiſita diligentius per te ſuper pręmiſſis omnibus, & ſingulis, auctoritate noſtra, veritate, viſiſque & attentis diligenter, quę circa pręmiſſa fuerint attendenda, in pręmiſſis, & circa ea ordines, facias, decernas, exequaris, & provideas in omnibus & per omnia, prout tibi ſalubrius videbitur expedire, faciens quod decreveris per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Non obſtantibus pręmiſſis, & aliis ſtatutis, & conſuetudinibus Civitatis, Communitatis, ac Eccleſiarum, & locorum Bononien., & Ordinum quorumlibet, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, ſeu quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Quinto, Tertio Decimo Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mandatum.

1. *Bononienſis*.) In *Italia*.
2. *Pepolis*.) Gens eſt nobiliſſima, quæ nunc etiam *Bononiæ* floret.
3. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. V fol. 62.*

Mo-

Monaſterium Tertii Ordinis Florentiæ (1) erigendi facultas.

Anno 1455 Die 28 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

III.

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo (3) Florentin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

DIgna reddimur attentione ſoliciti, ut illarum votis gratum pręſtemus aſſenſum, quę mundanis abjectis illecebris, per ſanctę converſationis, & laudabilis vitę ſtudium ſemper ad hoc intendunt, ut in conſpectu Dei, & hominum pręfulgeant, & accenſis lampadibus poſſint obviam ire Chriſto. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectę in Chriſto filię Annelenę, relictę quondam ſtrenui Viri Baldacii, gentium armorum (4) Capitanei, petitio continebat, ipſa Annelena, quę clarę memorię Galleotti de Malateſtis (5) Comitis nata fuit, zelo devotionis accenſa, cupiat ſub regula Tertii Ordinis S. Dominici una cum nonnullis aliis mulieribus, id etiam affectantibus, in Civitate Florentin., in ejus Domo, devotum, & ſeduium exhibere Altiſſimo famulatum, pro parte dictę Annelenę Nobis extitit humiliter ſupplicatum, ut ſibi, quod in prędicta ejus domo, ſeu habitatione, unum Oratorium cum Capella, in qua, tam ipſa, quam pro tempore in eadem domo degentes Sorores Miſſas, & alia Divina Officia per proprium, vel alium Sacerdotem idoneum celebrari facere poſſint, erigere, ac habitum dicti Ordinis ab uno Fratre Ordinis Prędicatorum, per eam eligendo, ſuſcipere, & quod ipſa, & quę ſibi in Prioriſſam ſucceſſerint, omnes & ſingulas Mulieres viduas, vel quę maritum non habuerunt, ad earum ſocietatem recipere, & illas veſtire, ac in communi ſub Regula dicti Tertii Ordinis in hujuſmodi Oratorio vivere teneantur, concedere, & attento quod alię Sorores ſub eadem Regula degentes a foro ſeculari ſunt exemptę (6), & convenit, eas ex ſudore manuum ſuarum vitam ducere, cum eleemoſynas non petant, & paucos redditus habeant, Annelenam, & alias in dicto Oratorio pro tempore commoraturas, & ſub eadem Regula degentes, Sorores cum omnibus & ſingulis ſuis bonis mobilibus, & immobilibus, pręſentibus, & futuris, a quibuſcunque moleſtationibus, vexationibus, & gravaminibus pecuniariis, penitus, & omnino ex tunc, & totaliter liberare, aliaſque circa earum vitam & ſtatum opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Supplex petitio.

Facultas.

Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, & tuę videatur conſcientię, quam ſuper his oneramus, eidem Annelenę, quod in dicta ejus habitatione, ſeu alio pio loco pręfatum Oratorium cum Capella, in qua Miſſas & alia Divina Officia per proprium, vel alium Sacerdotem idoneum celebrari facere poſſint, & alias neceſſarias officinas erigere, conſtruere, & ędificare, ſeu erigi, conſtrui, & ędificari facere, ac habitum per Sorores dicti Ordinis geſtari ſolitum ab uno Fratre ejuſdem Ordinis Prędicatorum, & per eandem Annelenam eligendo, ſuſcipere, quodque eo ſuſcepto tam ipſa, quam alię, quę ſibi in Prioriſſam juxta formam dictę Regulę ſucceſſerint pro tempore, Prioriſſę, omnes, & ſingulas Mulieres viduas, vel quę maritum non habuerunt, ad earum ſocietatem aggregari volentes, recipere, ac illis habitum Ordinis & Regulas prędictorum dare, ſeu illas veſtire, necnon in communi ſub dicta ipſius Tertii Ordinis Regula vivere & ſimiliter unum prędicti Ordinis Prędicatorum de obſervantia Fratrem, virum utique vita & moribus comprobatum, in earum Magiſtrum, Confeſſorem, & Correctorem, qui, ſi forte, quod abſit, aliquos exceſſus, & crimina perpetrare eaſdem contingat, vel Magiſter Generalis dicti Ordinis, pro dictis exceſſibus illas miſericorditer punire habeat, eligere, & eundem, ſi idoneus non foret, aut circa earum regimen accurate non intenderet, vel intendere nollet, vel non poſſet, quoties hoc contigerit, deponere, ac alium loco illius eligere libere, & licite poſſint, concedere, & ne ipſa Annelena & alię Sorores prędictę pręſentes & futurę indebitis moleſtiis afficiantur, eas pręſentes, & futuras cum omnibus, & ſingulis earum bonis mobilibus, & immobilibus, pręſentibus, & futuris a quibuſcunque moleſtationibus, vexationibus, & gravaminibus pecuniariis penitus & omnino ex tunc, & totaliter liberare, & quod Prioriſſa, & Sorores prędictę quacunque ratione vel cauſa ad judicium ſeculare trahi non poſſint, quodque ipſa Annelena, quoad vixerit, Prioriſſa exiſtat, quę regimen, & adminiſtrationem dictę Domus habeat, & poſt ejus obitum, vel ceſſionem, eligatur per ipſas Sorores alia Soror dictę Domus utilis, & idonea in Prioriſſam, & ſic perpetuis temporibus electio fiat antedicta, abſque alicujus alterius confirmationis amminiculo, & quod dicta Annelena, & illa, quę ſibi ſucceſſerit, poſſint ſuas Sorores juxta criminum, & exceſſuum exigentiam, corrigere, & etiam ipſa, & quę ſibi ſucceſſerit modo ſupradicto corrigere, ſtatuere, & ordinare auctoritate noſtra procures.

Clauſula derogans.

Nos enim ſi pręmiſſa per te vigore pręſentium fieri contingat, Annelenę, & aliis Sororibus in pręfato Oratorio pro tempore commoraturis, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis, & gratiis aliis mulieribus ejuſdem Ordinis in genere conceſſis, uti, & gaudere poſſint, & valeant, ac potiantur, & gaudeant, auctoritate Apoſtolica concedimus per pręſentes. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, & aliis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus prędicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Quinto, Quinto Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Florentiæ.*) In *Hetruria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro II fol.* 23.
3. *Archiepiſcopo.*) Iserat *S. Antoninus* Ordinis Fratrum Prædicatorum decus, de quo in *Appendice ad Pontificatum Eugenii IV* dictum fuit.
4. *Gentium armorum.*) Vulgo *Gens d'armes*.
5. *Malateſtis.*) Adeas *Sanſovinum de Origine Familiarum Italiæ*.
6. *Exemptæ.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.XIV.*

Anno 1455 Die 7 Junii.

Conventus Florentinus S. Marci ſit in poſſeſſione (1) annuorum reddituum, aliorumque ſibi legatorum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

IV. Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus domus S. Marci Florentin., Ordinis Fratrum Prędicatorum, de obſervantia nuncupatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium: Sacrę Religionis, ſub qua devotum, & ſedulum exhibetis Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut illa vobis ſavorabiliter concedamus quę veſtris commoditatibus fore conſpicimus opportuna. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte veſtra, petitio continebat, dilectus filius Coſmas de Medicis (3), Civis Florentin. domum veſtram S. Marci Florentin., Ordinis Fratrum Prędicatorum, de obſervantia nuncupatorum, ad quam, & vos ſingularem gerit devotionis affectum, multi- Diplomatis cauſa. pliciter reparaverit, & ſuper modum deſideret, quod in ea obſervantia perpetuo vigeat, & manuteneatur, & quod vos, & pro tempore in ipſa domo degentes, ſucceſſores veſtri, commode ſuſtentare, ac bona immobilia recipere, & retinere poſſitis. Quare pro parte tam dicti Coſmę, quam veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis, & pro tempore ſucceſſoribus, Priori, & Fratribus in dicta domo commorantibus, & ſub regulari obſervantia viventibus, quod omnia, & ſingula bona immobilia, ac annuales redditus vobis, ſeu ipſi domui veſtrę pia fidelium largitione, aut ex donatione, vel teſtamento, ſeu alias eroganda, donanda, vel relinquenda, recipere, & retinere, ac in veſtros & dictę domus uſus convertere poſſitis, concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, cupientes, ut dicta obſervantia in pręfata domo ſemper vigeat (4), & manuteneatur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, & pręfatę domui veſtrę, ac pro tempore exiſtentibus, & obſervantiam prędictam tenentibus, & ſecundum illam viventibus, Indultum: Fratribus, ſucceſſoribus veſtris, ut omnia, & quęcunque bona immobilia, cenſuſque, & annuales redditus quoscunque, vobis, & dictę veſtrę domui, per quaſcunque perſonas, pia legatione, donatione, teſtamento, ſeu alias qualitercunque, eroganda, vel relinquenda, recipere, & retinere, ac in veſtros, & dictę domus uſus abſque alicujus culpę, vel pęnę incurſu convertere, & alias prout neceſſitas, vel utilitas exegerit, ſeu requiret, diſponere libere, & licite poſſitis, & valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, de ſpeciali gratia indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, conſuetudinibus, & privilegiis domui, & Ordini hujuſmodi, per Sedem Apoſtolicam, vel alias in genere, vel in ſpecie, ſub quacunque verborum forma vobis conceſſis, vel ab eadem Sede emanatis, etiam ſi juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roborata forent, ac de illis, earumque totis tenoribus ſpecialis, & expreſſa, ac de verbo ad verbum prętentibus mentio habenda foret, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Quinto, Septimo Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Poſſeſſione.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. II fol.* 159.
3. *Coſmas de Medicis.*) *Pater Patriæ* nuncupatus. Adeas *Scipionem Ammiratum de Nobil. Famil. Florentin.*
4. *Vigeat.*) Viget adhuc, & Sanctorum Seminarium diceres *Florentinum* Cœnobium *S. Marci*.

Anno 1455 Die 7 Junii.

De reficiendo Septempedano (1) Cœnobio.

Ex Archivo (2) Ordinis.

V. Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii S. Laurentii de Sancto Severino, Camerinen. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Ad ea ex Apoſtolicę ſervitutis officio libenter intendimus, per quę ſingulorum piorum locorum, ac perſonarum in illis Altiſſimo famulantium utilitatibus conſulatur, & ut illa optatum ſortiantur effectum, favorem Apoſtolicum liberaliter impertimur. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Conventus Domus B. Marię de Mercato de Sancto Severino Ordinis Fratrum Prędicatorum, Camerinen. Dięceſis, petitio continebat, quod Domus prędicta, ac illius Conven- Diplomatis cauſa. tus, & Eccleſia in ſuis ſtructuris, & ędificiis adeo ſumptuoſis reparationibus indigent, quod ipſi Prior & Fratres illas per ſe facere non poſſunt, verum ſi unam partem poſſeſſionum, quas habent in territorio ejuſdem loci pro reparationibus hujuſmodi fiendis uſque ad ſummam ducentorum florenorum, auri de camera, cum dictamine nonnullorum proborum virorum, vendendi licentia concederetur, ac pretium exinde habendum in manibus alicujus boni, & fidelis mercatoris deponeretur, Ipſi Prior, & Fratres ex dicto pretio, una cum aliis piis auxiliis, & eleemoſynis per incolas, & habitatores dicti loci factis, & in poſterum fiendis hujuſmodi reparationes facere poſſent, ex quibus etiam incolę, & habitatores prędicti, magnam exinde conſolationem ſuſciperent. Quare pro parte Prioris, & Conven- Facultas. tus prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis ex poſſeſſionibus hujuſmodi uſque ad prędictam ſummam vendendi, licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſ-

Digitized by Google

Apoſtolica dignaremur. Nos itaque de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe, ac venditionem ipſam, ſi fiat, in evidentem dicti Conventus utilitatem cedere repeteris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Priori, & Conventui prędictis aliquas ex iiſdem poſſeſſionibus uſque ad ſummam ducentorum florenorum prędictam, cum dictamine proborum virorum, vendendi, plenam, & liberam licentiam, eadem auctoritate concedas, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus domus, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, proviſo quod, ſi eadem venditio fiat, ut prefertur, pretium ex dictis poſſeſſionibus vendendis apud aliquam perſonam fide, & facultatibus idoneam deponatur, & in reparationes prędictas integraliter abſque diminutione quacunque quantocius, convertatur. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Quinto, Septimo Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

C. Fidelis.

1. *Septempedano*) Vulgo *S. Severino*, in *Piceno*.

2. *Archivo*.) In quo duplex Exemplar unum ex *Archivo Apoſtolico Lib. V fol.* 70, aliud ex Autographo *Septempedano*.

De quibuſdam agris Viterbienſis Cœnobii ſub annuo cenſu perpetuo locandis.

Anno 1455 Die 10 Julii.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

VI.

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Viterbien.; Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

HUmilibus, & honeſtis ſupplicum votis, illis pręſertim, quę Eccleſiarum, & locorum Religioſorum commodum, & utilitatem reſpiciunt, libenter annuimus, illaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus S. Marię ad Gradus, Viterbien., Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, quod olim quidam Petrus de Valle Miles Viterbien. de ſuę animę ſalute pie recogitans, inter alia legata per ipſum facta, ad pias cauſas in ſuo teſtamento ſuę voluntatis ultimę nonnullas poſſeſſiones, & alia immobilia, mobiliaque bona tunc expreſſa domui prędictę, ſeu illius Eccleſię, ac ejus tunc Priori, & Fratribus in eleemoſynam, ac pro conſervatione, & reparatione domus, & illius Eccleſię, necnon aliis neceſſariis, ſub certis modo, & forma, etiam tunc expreſſis legavit, & reliquit, ac in eleemoſynam donavit, ea tamen conditione adjecta, quod prędicti, & pro tempore exiſtentes Prior, & Fratres dictę domus poſſeſſiones, & bona immobilia hujuſmodi nullo unquam tempore vendere, vel alienare, vel etiam ultra quadriennium alicui locare, ſeu in locationem concedere poſſent, quod ſi ſecus facerent a jure ſuo caderent, & antedictis poſſeſſionibus, & bonis privati eſſent, prout in teſtamento prędicto dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, inter alias poſſeſſiones dictę domus Sanctę Marię ſic legatas, & relictas hujuſmodi, ſint quidam Campus, & certa alia immobilia bona in territorio Civitatis noſtrę Viterbien. conſiſtentia, ex quibus Priori, & Fratribus prędictis modica reſultat utilitas, cum illa ultra quadriennium locari non poſſint, ut pręfertur, quę ſi in perpetuum locari, ſeu concedi, vel alienari valerent tunc exinde multo pinguiores redditus, ſeu cenſus annui invenirentur, idque in evidentem dictę domus Sanctę Marię cederet, atque redundaret utilitatem; pro parte ipſorum Prioris, & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem quod ipſi poſſeſſiones, & bona hujuſmodi cui, vel quibus eis videbitur, & placuerit in emphiteuſim (2) perpetuam ſub annuo cenſu, ſeu canone de quo concordabitur, locare, concedere, & aſſignare valeant, licentiam impertiri, & alias ipſis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſpecificatis, & deſignatis coram te prius Campo, & bonis immobilibus hujuſmodi per te ipſum ſuper pręmiſſis omnibus, & ſingulis, & eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi tibi conſtiterit pręmiſſa fore vera, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, ac conceſſionem, & aſſignationem hujuſmodi in emphiteuſim, ſi fiat, in evidentem utilitatem dictę domus cedere, pręfatis Priori, & Fratribus Campum, & alia immobilia bona hujuſmodi, cui, vel quibus ipſis videbitur, & placuerit, in emphiteuſim perpetuam ſub annuo cenſu, de quo ipſi mutuo concordabunt, ita tamen quod campus, & alia immobilia bona hujuſmodi juxta voluntatem dicti teſtatoris alienari non poſſint, ſed obligata remaneant, ut prefertur, locandi, concedendi, & aſſignandi eadem auctoritate noſtra licentiam largiaris, voluntate pręmiſſa, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon domus, & Ordinis prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, ceteriſque contrariis non obſtantibus, quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Quinto, Sexto Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Facultas.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. V fol.* 106.

2. *Emphiteuſim*.) Græca vox eſt ἐμφύτευσις. *Contractus apud Juriſtas intelligitur, quo directus Dominus alicujus fundi uſumfructum ejus concedit cum pacto meliorandi, & ſolvendi annuales reſponſiones*. Verba ſunt *Macri* in *Sacro Dictionario*.

F. An-

Anno 1455 Die 15 Julii.

F. Antonio (1) Archiepiſcopo Florentino de quibuſdam Beneficiis conferendis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

VII.

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Antonio Archiepiſcopo Florentin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

EXigunt tuę devotionis merita, ut perſonam tuam ſingularibus favoribus, & gratiis proſequamur. Volentes igitur eandem perſonam adeo honorare, quod per honorem, tibi exhibitum aliis valeas te reddere gratioſum, motu proprio, non ad tuam, vel alicujus alterius, pro re Nobis ſuper hoc oblatę, petitionis, inſtantiam, ſed noſtra mera liberalitate Fraternitati tuę, de qua plurimum in Domino confidimus, quatuor ex beneficiis Eccleſiaſticis cum cura, vel ſine cura, ad tuam, etiam conjunctim cum Capitulo tuę Eccleſię Florentin., ſeu illorum, vel venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Piſtorienſis, vel cujuſvis alterius collationem, proviſionem, pręſentationem, electionem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem pertinentibus, etiamſi Prioratus, Plebanatus, Prępoſitura, vel Archipresbyteratus, ſeu alię in Collegiatis Eccleſiis principales dignitates, aut in Collegiatis ipſis Canonicatus, & prębendę fuerint, & ad illos, vel illas conſueverunt aliqui per electionem aſſumi, eiſque cura immineat animarum, etiamſi ſpecialiter, vel ex quavis cauſa, etiam ratione perſonę, vel perſonarum illa obtinentium, generaliter diſpoſitioni Apoſtolicę reſervata, dummodo aliquod ex eis dignitas in Eccleſia tua Florentin., major poſt Pontificalem non ſit, quę infra quinquennium a dato

Indultum.

pręſentium computandum in quibuſcunque menſibus etiam Apoſtolicis expectantibus conceſſis, & concedendis, quocunque, modo pręterquam per obitum apud Sedem, vel promotionem ad Eccleſiarum, vel Monaſteriorum regimina, vel etiam per obitum dictę Sedis officialium, aut noſtrorum familiarium continuorum commenſalium in noſtris, ſeu Romanę Eccleſię obſequiis actu inſiſtendo, extra Romanam Curiam pro tempore decedentium vacare contigerit, gratiis expectativis, ſpecialibus, vel generalibus, reſervationibus, nominationibus, nominandi facultatibus, unionibus, privilegiis, literis quibuſcunque, & indultis ſub quacunque verborum forma, etiam motu ſimili, & ex certa ſcientia, cum quibuſvis prerogativis, antelationibus, inhibitionibus, ſuſpenſionibus, decretis irritantibus, declarationibus, derogatoriarum derogatoriis, & aliis, etiam inſolitis & talibus, quod eis etiamſi ſpecialiter, ſpecifice, & expreſſe derogaretur, derogari non poſſit, clauſulis, vivis, &

Clauſule derogant.

effectum habentibus, a Nobis, vel eadem Sede quomodolibet emanatis, & emanandis, quibuſvis perſonis, cujuſcunque ſtatus, dignitatis, gradus, officii, vel conditionis fuerint, etiamſi pręfatę Sedis Notarii, vel alii Officiales, ſeu Capellani noſtri, vel cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, etiam actu ſua officia exercentes, vel in Romana Curia pręſentes, ac pręſentialitate, & aliis prerogativis, antelationibus, & declarationibus, etiam ad inſtar familiarium noſtrorum, in certo libro Cancellarię Apoſtolicę pro tempore deſcriptorum, ſeu deſcribendorum, aut majoribus, & uberioribus pro tempore gaudentes, ſeu aliter qualitercunque privilegiati, & in dat. priores, & in proceſſibus diligentiores fuerint, & quacunque eccleſiaſtica, vel mundana dignitate pręfulgeant, conceſſis, & concedendis, etiamſi de illis, ac eorum totis tenoribus, necnon nominibus, & cognominibus perſonarum, dignitatum, & officiorum, ac cauſis, propter quas pręmiſſa conceſſa fuerint, ſpecialis, & expreſſa, non autem per generales clauſulas, & idem importantes, ſed ſpecifice cum illarum totali inſertione, pręſentibus, mentio habenda foret, alias non ſit, nec cenſeatur eis eſſe derogatum, ac reſervationibus ſimilium facultatum a Nobis quomodolibet pro tempore emanatis, & emanandis, ſub quibus beneficia reſervata, ſeu dignitates, vel Canonicatus, & Prębendę hujuſmodi comprehenduntur, ac generalibus reſervationibus per Nos, ac eandem Sedem factis, & faciendis, necnon Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis Regulis Cancellarię prefatę quibus omnibus, & aliis pręmiſſis, in quantum effectui pręſentium pręjudicent, motu, & ſcientia ſimilibus hac vice duntaxat ſpecialiter, ſpecifice, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, ſingula videlicet eorundem ſingulis perſonis idoneis. etiam quęcunque, quotcunque, & qualiacunque, cum cura, vel ſine cura, ſimilia, aut diſſimilia beneficia eccleſiaſtica obtinentibus, & expectantibus, conferendi, & de illis etiam providendi, ac alias de eis diſponendi, omniaque alia, & ſingula in pręmiſſis neceſſaria, & opportuna faciendi, & exequendi, necnon contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuram eccleſiaſticam, & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendi, plenam, & liberam tenore pręſentium concedimus facultatem, & omnimodam poteſtatem; volentes, quod perſonę, quibus beneficia ipſa, ſeu canonicatus, & prębendas hujuſmodi contuleris, omnibus aliis, pręterquam Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalibus, poſſint, & debeant anteferri, ac ſtatuentes, & ordinantes, quod per quaſcunque alias noſtras literas, etiam motu proprio, & ſcientia pręfatis a Nobis emanatas, & in poſterum emanandas, nullatenus ſit, nec cenſeatur tenori pręſentium eſſe in aliquo quoquomodo derogatum, niſi tu Nobis ſuper hoc duxeris humiliter ſupplicandum, irritum, & inane decernentes quicquid ſecus attentatum eſt, vel in poſterum contigerit attentari. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę. . . . . (3) Idibus Julii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Antonio.*) Sancto ſcilicet *Antonino*, de quo in *Appendice ad Pontificatum Eugenii IV.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Feſulano*

3. *Dominicę . . . . . .*) Anno ſcilicet *MCCCLV.*

No

Ne Monaſterium de Turreboldon. uniatur Pergamen. (1) Monaſterio Matris Domini.

Anno 1455 Die 29 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Mediolanen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. VIII.

JUſtia, & honeſtis ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Dudum ſiquidem felicis recordationis Nicolao PP. V, Prędeceſſori noſtro, pro parte Venerabilis Fratris noſtri Johannis (3) Epiſcopi Pergamen., ac dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Beatę Marię Matris Domini, Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſub cura & ſecundum inſtituta ejuſdem Ordinis viventium, in Burgo Pergamen., expoſito, quod pręfatus Epiſcopus dudum provide attendens, quod in Monaſterio Beatę Marię de Turreboldon., Pergamen. Dięceſis pluribus annis Moniales ejuſdem ſub Prioriſſa ad nutum Epiſcopi Pergamen., qui pro tempore fuerat in eo eligenda, inſtituenda, & renovanda, religioſe vixerint, ac guerrarum turbinibus, hoſtiumque incurſibus id cauſantibus, ſex Moniales ejuſdem ſub Prioriſſa & duę converſę duntaxat exiſtebant, minus honeſte nec tute, neque ſine infamia in eodem Monaſterio in loco Campeſtri, & a Civitate Pergamen. per tria milliaria, vel circa, diſtante, vivere poterant, & quod omnibus etiam tranſeuntibus & gentibus armigeris aditus patebat, ruſtici quoque & coloni ſeculares una cum ipſis monialibus habitabant, propter quam habitationem nomenque infamię, & gravia ſcandala orta fuerint, & graviora in futurum veriſimiliter oriri timebantur, dictus Epiſcopus volens, boni paſtoris more, ſcandalis, & infamię hujuſmodi, propter religionis honeſtatem, & ſexus fragilitatem, obviare, prętatum Monaſterium de Turreboldon., quod ſibi ordinario jure ſubjectum exiſtebat, cum omnibus bonis mobilibus, & immobilibus, ac juribus & pertinentiis ſuis dicto Monaſterio Matris Domini in loco tuto, & clauſo ac honeſto ſito, & Epiſcopo Pergamen. pro tempore exiſtenti etiam ſubjecto perpetuo auctoritate ordinaria univerat, annexerat, & incorporaverat, ac moniales, & converſas dicti Monaſterii de Turre, pro evitando ſcandalo, in dictum Matris Domini Monaſterium tranſtulerat, & collocaverat, dignitatemque, ſive officium Prioriſſę in dicto Monaſterio de Turre penitus extinxerat, ac dicta Monaſteria de cetero unum exiſtere, & per Prioriſſam gubernari debere decreverat, aliaque fecerat, prout pręmiſſa omnia in literis authenticis, ſive Inſtrumentis publicis, deſuper confectis, dicebatur plenius contineri, idem Nicolaus Prędeceſſor dictorum Epiſcopi, Prioriſſę, & Conventus aſſerentium, quod de Turre ſexaginta, ac Matris Domini Monaſteriorum hujuſmodi centum florenorum auri de camera fructus, redditus, & proventus ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedebant, ac in ipſo Monaſterio Matris Domini ſexaginta Moniales, vel circa profeſſę exiſtebant, in ea parte ſupplicationibus inclinatus unionem, incorporationem, & annexionem prędictas, ac quęcunque inde ſecuta, rata, & grata habens, ea omnia auctoritate Apoſtolica per ſuas literas confirmavit, omneſque & ſingulos defectus, ſi qui interveniſſent in eiſdem, eadem auctoritate ſupplevit, necnon Monaſterium de Turre prętatum eidem Monaſterio Matris Domini cum bonis, juribus, & pertinentiis ſupradictis, denuo perpetuo univit, annexuit, & incorporavit, dignitatemque, ſive officium Prioriſſę in dicto Monaſterio de Turre penitus, & omnino extinxit, ac voluit, & eadem auctoritate decrevit, ipſa Monaſteria de cetero unum Monaſterium exiſtere & cenſeri, ac per unam Prioriſſam dicti Monaſterii Matris Domini perpetuis futuris temporibus in ſpiritualibus, & temporalibus regi, & gubernari debere, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Prioriſſę, & Monialium Monaſterii de Turre hujuſmodi Ordinis petitio continebat, ipſę occaſione literarum prędictarum diſperſę in domibus parentum ſuorum degant, ac prętatę literę ex talis cauſis obtentę fuerint, & in eis expreſſa a veritate ſint penitus aliena, ac in eis quod iſte qui fundavit, & dotavit dictum Monaſterium jam centum annis elapſis nobilis laicus exiſtebat, nulla mentio facta fuerat, pro parte ipſarum Prioriſſę & Monialium Monaſterii de Turre Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eas ad prędictum earum Monaſterium reſtitui, prętataſque unionem, & annexionem, & incorporationem ex talis cauſis obtentas diſſolvere, necnon literas Nicolai Prędeceſſoris hujuſmodi tanquam ſubreptitias revocari mandare, aliaſque ſtatui earum in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ex officio Nobis commiſſo tenemur unicuique juſtitiam miniſtrare, de pręmiſſis rebus ex poſſe certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus per te ipſum de pręmiſſis Nobis expoſitis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi, vocatis Prioriſſa & Conventu Monaſterii Matris Domini hujuſmodi, & aliis qui fuerint evocandi, ita eſſe, & quod unio, annexio, & incorporatio prędictę ex falſis cauſis obtentę, ipſęque literę ſubreptitię exiſtant, tibi legitime conſtiterit, prętatas unionem, annexionem, incorporationem, & confirmationem revocare, caſſare, & annullare, ac dictas Prioriſſam, & Moniales dicti Monaſterii de Turre ad illius poſſeſſionem, in qua ante unionem & confirmationem hujuſmodi exiſtebant, reſtituere, & reponere eadem auctoritate noſtra procures, prout de jure fuerit faciendum. Non obſtantibus pręmiſſis ac pię memorię Bonifatii PP. VIII etiam prędeceſſoris noſtri illis pręſertim quibus cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem vel Dięceſim niſi in certis exceptis caſibus & in illis ultra unam dietam a fine ſuę Dięceſis ad judicium evocetur, ſeu ne judices a Sede Apoſtolica deputati extra civitatem vel Dięceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, aut alii, vel aliis vices ſuas committere pręſumant, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſterii, & Ordinis prędictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis De-

Diplomatis cauſa.

Nota.

Mandatum.

Clauſula derogans.

Digitized by Google

Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Quinto, Quarto Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Pergamen.*) Seu *Bergomen.*, vulgo *Bergamo*, in *Lombardia* Ditionis *Veneta*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* *Lib. V fol.* 83.
3. *Johannis.*) Adeas *Ughellum in Epiſcopis Bergomen.*

Anno 1455 Die 25 Septembris.

Ut F. Gaſpar Melchioris, Friderici Imperatoris Capellanus, licet Eccleſiaſticum Beneficium ſit conſecutus, in Cœnobiis Ordinis commorari poſſit (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

IX.

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Prępoſito Eccleſię Salzeburgen. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

REligionis zelus, vitę ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos dilectus filius Gaſpar Melchioris, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, apud Nos fide digno commendatur teſtimonio, Nos inducunt, ut ipſum ſpecialibus favoribus & gratiis Apoſtolicis proſequamur. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dicti Gaſparis, petitio continebat, quod olim dilectus filius Martialis Auribelli de Avinione, Generalis Prior (4) dicti Ordinis pręfato Gaſpari, cum quo dudum, ſicut aſſerit, ut non obſtante quod dicti Ordinis profeſſor exiſtit, nihilominus duo beneficia eccleſiaſtica ſecularia, etiamſi alterum illorum curatum fuerit, ſi ſibi alias canonice conferantur, recipere & retinere poſſit, Apoſtolica fuit auctoritate diſpenſatum, gratioſe conceſſit, ut nihilominus in nativa, aut alia quacunque domo dicti Ordinis cum omnibus & ſingulis gratiis, exemptionibus, & privilegiis per ipſum & prędeceſſores ſuos Generales Priores dicti Ordinis ipſi Gaſpari conceſſis, ſtare poſſit, prout in eiuſdem Martialis Prioris inde confectis literis plenius dicitur contineri. Quare pro parte dicti Gaſparis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſioni hujuſmodi pro illius ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi, ac cariſſimi in Chriſto filii noſtri, Frederici Romani Imperatoris ſemper Auguſti, pro dicto Gaſpare Capellano ſuo Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantis, in hac parte ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de pręmiſſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi ea repereris ita eſſe, conceſſionem prędictam, dummodo Prioris dicti Gaſparis ad hoc conſenſus acceſſerit, auctoritate noſtra approbes, & confirmes, ſupplendo quoſcunque defectus, ſi qui fortaſſis intervenerint in eadem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Quinto, Septimo Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Poſſit.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro V fol.* 27.
3. *Salzeburgen.*) *Salisburgen.* ſcilicet, vulgo *Saltzburg*.
4. *Prior.*) Seu *Magiſter*.

Anno 1455 Die 30 Octobris.

Calcarienſis (1) Cœnobii fundandi (2) facultas.

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

X.

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri ... Archiepiſcopo Colonien. (4), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

COgnita devotionis conſtantia, Fidei quoque integritas, quas dilecti Filii Burgi Magiſter (5), Conſules, Scabini (6), & incolę Oppidi Calcarię, Colonienſis Dięceſis, ad Nos, & Romanam gerunt Eccleſiam, non indigne merentur, ut eorum petitiones, illas pręſertim quę etiam animarum propagatam ſalute, ſacrę Religionis augmentum reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, ad exauditionis gratiam admittamus.

Supplex petitio.

Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte eorundem Burgi Magiſtri, Conſulum, Scabinorum, & incolarum, petitio continebat, quod ipſi provide attendentes, quod nullus cujuſvis Religionis virorum, nedum in dicto Oppido, quod admodum populoſum, verum etiam in Ducatu Clivenſi (7), uno duntaxat Ordinis Fratrum Prędicatorum excepto, Conventus exiſtit, zelo, devotionis accenſi, motique fama Sanctitatis, & boni odoris fragrantia, ac vitę exemplo, dilectorum filiorum Fratrum Domus Rotterdamen. (8) dicti Ordinis, Trajecten. (9) Dięceſis, de bonis eis a Deo collatis, piiſque Chriſti fidelium ſuffragiis, unam domum pro uſu, & habitatione aliquorum Fratrum domus Rotterdamen. huiuſmodi in dicto Oppido cum Eccleſia, campanili, campana, cęmeterio, domibus, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis in honorem, & ſub vocabulo Sancti Vincentii (10), olim dicti Ordinis profeſſoris, nuperque per Nos ſuis exigentibus meritis, ac miraculis evidentiſſimis poſcentibus, ſumma cum reverentia Canonizati (11), fundare, erigere, & conſtruere, ſeu fundari, erigi, & conſtrui facere, ſummopere deſiderant, ſi eis Sedis Apoſtolicę ſuper hoc licentia concedatur. Quare pro parte Burgi Magiſtri, Conſulum, Scabinorum, & incolarum prędictorum aſſerentium, ſe id faciendi a dilecto filio Martiali Auribelli (12) dicti Ordinis Magiſtro Generali, licentiam, quantum in

eo

eo fuerit, habuiſſe, & uſumfructum cujuſdam petię terrę ad Univerſitatem dicti oppidi legitime pertineotia, & aliquoa annos (13) pro Domus, & aliorum prędictorum inchoatione paratos aſſignare obtuliſſe, Nobis fuit humiliter ſupplicatum; ut eis Domum cum Eccleſia, campanili, campana, cęmeterio, domibus, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officiois hujuſmodi, ſundandi, erigendi, & conſtruendi, ut prefertur, & prefatis Fratribus Domua Rotterdamen., poſtquam ſundata, erecta, & cooſtructa fuerit, illam recipiendi, & pro eorum uſu, & habitatione prędictis, perpetuo retioendi, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ad dictum Sanctum ſingularis gerimus devotionis affectum, ac cultum divinum, ooſtris potiſſimum temporibus augeri, inteoſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamua, quatenus prefatis Burgi Magiſtro, Conſulibus, Scabiois, & incolis, poſtquam uſumfructum dictę petię terrę aſſignaverint, ut prefertur, ſeu ad id facieodum, ſe efficaciter obligaverlot; Domum prędictam cum Eccleſia, campanili, campana, cęmeterio, domibus, hortis, hortalitiis, & officinis hujuſmodi in dicto oppido, & loco ad id congruo, & honeſto, ſub prefati Sancti vocabulo pro uſu, & habitatione antedictis, fundandi, erigendi, & conſtruendi, ſeu fundari, erigi, & conſtrui facieodi, ac Fratribus de dicta Domo Rotterdamen. domum ipſam erigendam pro hujuſmodi eorum uſu, & habitatione recipiendi, & perpetuo retinendi, auctoritate Apoſtolica per te ipſum licentiam largiaris (14). Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri inter alia prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua civitate, caſtro, vel villa, ſeu quovis alio loco domos, vel loca quęcunque de novo recipere, vel hactenus recepta mutare preſumant abſque Apoſtolicę Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, privilegiis, & indultis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus, in preſentibus ſpecialis, & expreſſa mentio habenda foret, necnon Ordinis, & domus Rotterdamen. prędictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nos enim ſi licentiam hujuſmodi conceſſeris, ut prefertur, univerſis Fratribus dicti Ordinis quos in ipſa Domo erigenda pro tempore reſidere contigerit, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, & indulgentiis, libertatibus, & exemptionibus, Ordinis prefati, illiuſque Domibus, locis, & perſonis per Sedem Apoſtolicam, & aliis quomodolibet generaliter conceſſis uti, & gaudere, libere, & licite valeant, dicta auctoritate tenore preſentium indulgemus, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Volumus autem, quod uſusfructus dictę petię terrę aſſignandę, ut prefertur, pro domus erigendę & aliorum prędictorum conſtructione omnino convertatur. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo quinto, Tertio Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Clauſula derogans.

1. *Calcarienſi.*) In Ducatu *Clivenſi*. Hoc Cœnobium juris eſt Provinciæ *Germaniæ inferioris*. Conſulendus *Bernardus de Jonghe* in *Belgio Dominicano pag.* 314. *&c.*
2. *Fundandi.*) Ab anno *MCCCCL* inceptum fertur. Vide *Seriem Conventuum FF. Prædicatorum in Belgio & Vicinis locis* Auctore *Bernardo* noſtro *de Jonghe*.
3. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar.
4. *Colonien.*) *Coloniæ* ſcilicet *Agrippinæ*, cujus Archiepiſcopus unus eſt ex Electoribus Imperii.
5. *Burgi Magiſter.*) Vulgo *Burger Meiſter*, Gallice *Bourg-Maitre*. Is ipſe eſt Ædilis qui Burgo præeſt.
6. *Scabini.*) De *Scabinis* alibi dictum fuit. Hic a Conſulibus diſtinguuntur. *Belgæ* ſiquidem *Scabinos* vocant *Ædilitios Judices*.
7. *Clivenſi.*) Regio eſt *Germaniæ*, a *Rheno* fluvio bipartita. Illi Ducatui *Johannes* tunc jus dicebat.
8. *Rotterdamen.*) Seu *Roterodamen*. vulgo *Roterdam*, in *Hollandia*.
9. *Trajecten.*) Vulgo *Utrecht*, in *Hollandia*.
10. *Vincentii.*) *Ferrerii*, patria *Valentini*. Vide *Notas* ad *Conſtitutionem LXXXIII Nicolai V.* Legitur *pag.* 303 hujuſce Tomi.
11. *Canonicati.*) Hoc anno *MCCCCLV* Menſe Junio.
12. *Auribelli.*) Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCLIII pag.* 811.
13. *Annos.*) Sic in utroque exemplari. Legerem: *Agros*.
14. *Largiaris.*) Conſulendus vir clariſſimus *Willelmus de Alten* Inquiſitor *Colonienſis*, Cœnobii *Calcarienſis* alumnus, in Inſtrumento quod refert *Bernardus* noſter *de Jonghe* in *Belgio Dominicano* pag. 314.

Bononienſium Collegiorum Gregoriani, Avenionen., & Brixien. nuncupatorum, redditus confert (1) Bononienſi Cœnobio.

Anno 1455 Die 25 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XI.

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus domus Ordinis Fratrum Prędicatorum Bononien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrę Religionis, ſub qua devotum, & ſedulum exhibere ſtudetis Domino famulatum, promeretur honeſtas, ut votis illis, per quę veſtris, ac dictę domus ſtatui, & profectibus conſulitur, gratioſum Apoſtolici favoris prẹſidium laudabiliter impendamus. Dudum ſiquidem per felicis recordationis Nicolaum Papam Quintum, Prędeceſſorem noſtrum, accepto, quod domus veſtra Bononien., Ordinis Fratrum Prędicatorum. ad quam ſtudentium ex diverſis mundi partibus, ſeu provinciis, cauſa ſtudendi, & occaſione ſtudii generalis inibi vigentis, multitudo confluere, ac ibidem recipi, & caritative tractari conſueverat, ad eorundem ſtudentium, ac alia ſibi incumbentia onera ſupportanda, facultatibus non abundabat, dictus Prędeceſſor tunc motu proprio, omnes, & ſingulos redditus, fructus, proventus, jura, & obventiones Gregoriani, Avinionen., & Brixien. Collegiorum in Civitate noſtra Bononien. conſiſtentium, invicem unitorum, vobis, & eidem domui veſtrę uſque ad ſuum, & Sedis Apoſtolicę beneplacitum, donavit, contulit, & aſſignavit per quaſdam primo; Et deinde per eundem Prędeceſſorem etiam accepto, quod vos, qui collationis, donationis, & aſſignationis prędictarum vigore, fructus, redditus, proventus, jura, & obventiones collegiorum hujuſmodi

Diplomatis cauſa.

ex tunc pere eperatis, prout etiam percipiebatis, pro conſtructione, ſeu reparatione Librarię prędictę domus, necnon emptione librorum, in quibus Religioſi, & alii ſcientię margaritam inibi acquirere cupientes, ſludere, & alias ipſorum laudabile deſiderium ad divini nominis laudem, & gloriam, ac ſuorum, & aliorum fidelium animarum ſalutem, commodius adimplere poſſent, plura ſubire habebatis onera expenſarum, pręfatus Prędeceſſor tunc pro hujuſmodi, & aliorum vobis pro tempore incumbentium, onerum commodiori ſupportatione per quaſdam alias ſuas literas, donationem, collationem, & aſſignationem prędictas, uſque ad decennium duntaxat a datis poſteriorum literarum hujuſmodi computandum extendit, & prorogavit, vobiſque & pręfatę domui fructus, redditus, & proventus, jura, & obventiones prędicta uſque ad dictum terminum duntaxat donavit, contulit, & aſſignavit, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte veſtra, petitio continebat, finis dicti decennii infra quinquennium futurum inſtare noſcatur, credaturque pro complemento fabricę, & proviſione librorum dictę librarię, vix quatuor
Conceſſio. millium Florenorum auri ſummam ſufficere. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut donationem, collationem, & aſſignationem, prędictas, poſt finem dicti decennii ad aliud decennium prorogare, ac alias vobis ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, volentes vobis pro eorundem onerum ſupportatione, de ampliori deſuper ſubventionis auxilio providere, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, donationem, collationem, & aſſignationem prędictas uſque ad aliud decennium, poſt lapſum dicti decennii computandum, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium prorogamus, vobiſque fructus, redditus, proventus, jura & obventiones
Clauſula derogans. hujuſmodi uſque ad finem alterius prorogati decennii hujuſmodi, & deinceps uſque ad noſtrum, & Sedis Apoſtolicę beneplacitum auctoritate prędicta donamus, concedimus, & aſſignamus, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus quę dictus Prędeceſſor in eiſdem literis voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis, collationis, donationis, prorogationis, aſſignationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Quinto, Septimo Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Confert.*) Conſulenda *Conſtitutio LXIX Nicolai V.* Legitur *pag.*291 hujus *III* Tomi.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononien.* *pag.*36, ex Autographo *Bononienſi*.

Anno 1456 Die 24 Februarii.

Cœnobii in Portugalliæ Regno fundandi facultas.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XII.

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio nobili viro Alfonſo (2) Marchioni de Valentia, ac Comiti de Ourem, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Pia, Deo, &c. (3) Cum itaque, ſicut Nobis exhibita nuper pro parte tua, petitio continebat, tu qui, ut aſſeris, claręmemorię Johannis (4) Portugallię Regis illuſtris nepos fuiſti, ob ſingu-
Supplex petitio. larem devotionem, quam ad Ordinem Fratrum Prędicatorum geris, ad laudem Omnipotentis Dei pro Chriſti fidelium animarum ſalute & divini cultus augmento, unam domum, ſeu Eccleſiam pro uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis in aliquo loco Regni Portugallię ad id convenienti, & honeſto, de bonis tibi a Deo collatis cum Eccleſia, campanili, campana, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, ac aliis neceſſariis officinis de novo fundare, conſtruere, & ędificare, ſeu fundari, conſtrui, & ędificari facere plurimum exoptas, dummodo tibi ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam licentia concedatur. Nos igitur, tuum pium, & laudabile propoſitum in hac parte plurimum in Domino commendantes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi unam domum, ſeu Eccleſiam, pro habitatione, & uſu dictorum Fratrum in aliquo loco dicti Regni ad id convenienti, & honeſto de bonis tibi a Deo collatis cum Eccleſia, campanili, campana, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, &
Facultas. aliis neceſſariis officinis de novo fundandi, conſtruendi, & ędificandi, ſeu fundari, conſtrui & ędificari faciendi, plenam, & liberam licentiam auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, elargimur, & nihilominus Fratribus pręfati Ordinis, ut prędictam domum pro eorum uſu & habitatione perpetuis temporibus recipere, & inhabitare, ac in ea pro tempore degentibus, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, indultis, indulgentiis, & gratiis, quibus alii Fratres dicti Ordinis per Sedem Apoſtolicam prędictam, vel alias eis, ac eorum domibus in genere quomodolibet conceſſis, utuntur, & gaudent, ſeu uti, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, & gaudere, li-
Sanctio pœnalis. bere, & licite valeant, eadem auctoritate indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium ad inhabitandum domos in quocunque loco de novo recipere, vel hactenus receptas mutare pręſumant abſque prędictę Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis quibuſcunque, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nulli ergo &c. Noſtrę elargitionis, & conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Quinto (5), Sexto Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XI fol.*53.

2. *Alfonſo.*) Adeas *Nonium* in *Genealogia Regum Portugalliæ*.

3. *Pia Deo &c.*) Exordium deeſt.

4. *Johannis.*) Hujus nominis *I.*

5. *Quinquageſimo Quinto.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLVI.*

F. Ma-

F. Mathiam de Rapica (1) commendat, & in nonnullos neophitos animadvertendum decernit.

Anno 1456 Die 27 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XIII.

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Narbonen., & Epiſcopo Gerunden., ac dilecto filio Officiali Narbonen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

HUmilibus ſupplicum votis &c.(3). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Mathię de Rapica, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, in Theologia Magiſtri, ac in Comitatibus Roſſilionis, & Ceritaine (4) Regni Aragonię hęreticę pravitatis Inquiſitoris auctoritate Apoſtolica deputati, petitio continebat, quod Bernardus Ferrarii, Leonardus Boneti, Johannes de Aia, Franciſcus Caxas, Marcus Caxas, Johannes Cipriani, ac eius natus Jacobus Jaci, & Faber Moren. Neophiti in Villa Perpiniani (5), Dięceſis Elnen. (6), commorantes, ſe priſtinis, quibus abrenunciaverant erroribus involventes, in pleriſque exceſſibus judaizare non verentur, ac chriſtianę Religioni, & catholicę Eccleſię inſtituris detrahendo, quadrageſimę, & aliis jejuniorum diebus contra ipſius Eccleſię prohibitionem, nulla ipſos ad hoc impellente neceſſitate, carnibus veſcuntur, & eorum familiam, & conſervitores Chriſtianos eiſdem diebus ad hujuſmodi carnium eſum compellunt, necnon prędictus Bernardus certa ſuperſtitione ſortilegiis, & divinationibus intentus, virgulas quaſdam ligneas, quibus in hujuſmodi ſortilegiis, & divinationibus utebatur conſecrari fecit, & cum venerabilis Frater noſter Johannes (7) Epiſcopus Elnen., & dictus Inquiſitor, ſuper his ex officio adverſus dictum Bernardum, ſuper pręmiſſis publice diffamatum, legitimum formaſſent Inquiſitionis proceſſum, iidem Bernardus, & alii neophiti propter quandam conſpirationem per eos adverſus dictum Inquiſitorem factam certum libellum famoſum contra ipſum Inquiſitorem concipere, & publicare, ipſumque apud graves nequiter diffamare, & ne dictum proceſſum continuare, nec adverſus alios in pręmiſſis etiam culpabiles procedere valeret, diverſis ſiniſtris exquiſitis viis, & modis impedire, aliaſque ipſum quampluribus injuriis, damnis, & expenſis afficere pręſumpſerunt, quibuſdam aliis laicis in hoc ipſis pręſtantibus auxilium, conſilium, & favorem, in animarum ſuarum periculum, Dei offenſam, ac dicti Inquiſitoris opprobrium, & pernicioſum exemplum plurimorum. Quare idem Inquiſitor humiliter ſupplicavit, per Nos ſuper his opportune provideri. Nos igitur, quorum eſt, tales exceſſus, ne in deteriora protendantur, cohibere, hujuſmodi in hac parte ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę &c. mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi eſt ita, pręfatos neophitos, & alios in pręmiſſis ipſis pręſtantes auxilium, conſilium, vel favorem, ut ab hujuſmodi impedimentis deſiſtant, & dictum Inquiſitorem, officium ſuum, quando id faciendum fuerit, libere exercere permittant, monitione pręvia, per cenſuram eccleſiaſticam, & alia juris remedia compellatis. Super aliis vero, vocatis dictis neophitis, & conſpiratoribus, & aliis, qui fuerint evocandi, quod juſtum fuerit, appellatione remota &c. decernatis, facientes quod decreveritis &c. teſtes autem qui fuerint nominati &c. Et nihilominus legitimis ſuper iis, per vos habendis, ſervatis proceſſibus, eos, quoties expedierit, aggravare curetis, non obſtantibus pię memorię Bonifatii Papę VIII, Prędeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, vel Dięceſim niſi in certis exceptis caſibus &c. Seu ne judices a Sede Apoſtolica deputati &c. quam aliis conſtitutionibus &c. quibuſcunque, aut ſi dictis neophitis, & conſpiratoribus, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim, a dicta ſit Sede indultum quod interdici &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Quinto (8), Tertio Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

1. *Rapica*.) Vel *de la Rapita*, ut a *Diago* cognominatur *Hiſtor. Provincia Aragon. Lib. I Cap. XXXVIII pag.* 68.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XIII fol.* 276.
3. *Votis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Ceritaine*.) *Cerretania*, vel *Ceretania*, vulgo *la Cerdaña*. Eſt Comitatus *Occitaniam* inter & *Cataloniam* ſitus.
5. *Perpiniani*.) Vulgo *Perpignan*. Urbs eſt Comitatus *Ruſcinonenſis* caput.
6. *Elnen.*) Seu *Helenen.*, vulgo *Elna*. Nunc Epiſcopatus *Perpinianum* translatus eſt.
7. *Johannes*.) Adeas *Sammarthanos in Epiſcop. Helenen.*
8. *Quinquageſimo Quinto*.) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLVI*.

Qui peccata deponunt apud Prædicatores, ceteroſque Mendicantes Fratres, non tenentur eadem Parocho confiteri (1).

Anno 1456 Die 14 Martii.

Ex Waddingo (2) *Annal. Minor. Tomo VI in Reg. Caliſti III pag.* 81.

XIV.

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

AD ea libenter intendimus &c. (3). Sane pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum Alberti (4) Ducis Auſtrię, & Alberti (5) Ducis Bavarię, ac Communitatis, & hominum Argentin. (6), necnon Prędicatorum, Minorum, & aliorum Mendicantium Ordinum, Priorum, Guardianorum, & Fratrum domorum in Civitate Argentina conſiſtentium, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod non nulli parochialium Eccleſiarum Rectores, dictę Civitatis homines, & Fratres Mendicantes prędictos, mo-

moleſtare, & inquietare pręſumunt, aſſerentes, quod quilibet hominum Argentin. ſemel in anno eiſdem Rectoribus ſub pęna peccati mortalis confiteri teneatur, propter quod, ſi quis alicui Fratrum Mendicantium, & non Rectori ſuę Parochialis Eccleſię confeſſus eſt, Euchariſtię Sacramento privatur, in maximum dictorum hominum ſcandalum pariter, & detrimentum. Quare pro parte Ducum, Communitatis, & hominum, necnon Priorum, Guardianorum, ac Fratrum prędictorum, aſſerentium, quod niſi per Sedem Apoſtolicam de remedio provideatur opportuno, in partibus illis plura ſcandala veriſimiliter ſubſequentur, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ad omne dubium tollendum ſuper privilegiis, eiſdem Fratribus Mendicantibus conceſſis, pro ipſorum hominum devotione ipſi Fratres Mendicantes omnium utriuſque ſexus perſonarum in Civitate, & Dięceſi Argentin. conſiſtentium, confeſſionem, eiſdem Rectoribus minime requiſitis, audire libere, & licite poſſint, indulgere, & decernere, ac declarare, & alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Diplomatis cauſa.

Nos igitur; qui, quantum cum Deo poſſumus, libenter diſſenſionibus, & ſcandalis obviamus, Prędeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum veſtigiis inhęrentes, qui ſuper iis per Clementinam, quę incipit: Dudum de ſepulturis: (7) ſalubriter providerunt, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut prędicti Fratres Mendicantes, omnium, & ſingularum utriuſque ſexus perſonarum, in civitate, & Dięceſi Argentin conſiſtentium, Confeſſiones, dictis Rectoribus minime requiſitis, audire, & ipſę perſonę prędictos Mendicantes adire, & ipſis Confiteri, & pęnitentiam hujuſmodi ſalutarem ab eiſdem ſuſcipere libere, & licite poſſint, & valeant, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium juxta tenorem dictę Clementinę indulgemus, quodque ob hoc prędicti parochialium Eccleſiarum Rectores eiſdem perſonis Euchariſtiam, & alia Sacramenta Eccleſiaſtica denegare nequeant, harum ſerie decernimus, necnon ſi prędictę perſonę ſemel in anno eiſdem Fratribus Mendicantibus confeſſę fuerint, peccata dictis Fratribus confeſſa non amplius prędictis Parochialium Eccleſiarum Rectoribus confiteri teneantur, eadem auctoritate juxta eandem Clementinam declaramus, mandantes prędictis Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, ne ſub pęna excommunicationis conceſſioni, decreto, & declarationi hujuſmodi contradicere, ſeu contra premiſſa quomodolibet attentare &c. non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Quinto (8), Pridie Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mandatum.

1. *Confiteri.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. VII.*
2. *Waddingo.*) Laudat Regeſtum Pontificium.
3. *Intendimus. &c.*) Ut in aliis ejuſdem tenoris Diplomatibus.
4. *Alberti.*) Qui patrem *Erneſtum*, fratrem *Fredericum* Imperatorem habuit.
5. *Alberti.*) Hujus nominis *III*, cognomento *Pii*.
6. *Argentin.*) Vulgo *Straſbourg*, in *Alſatia*.
7. *Dudum de ſepulturis.*) Id eſt quæ incipit *Dudum*, & legitur *Libro Tertio Clementinarum Titulo VII de Sepulturis Cap. II*.
8. *Quinquageſimo Quinto.*) Stylo Bullarum, æra communis *MCCCCLVI*.

Anno 1456 Die 15 Martii.

Cœnobium B. Mariæ de Victoria (1) quibuſdam Beneficiis donat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XV.

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Cepten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex Regis petitio.

ROmanus Pontifex &c. (4). Sane pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Alfonſi (5) Portugallię & Algarbii Regis illuſtris, Nobis nuper exhibitę petitionis ſeries continebat, quod cum quondam clarę¸ memorię Johannes (6) Rex Portugallię & Algarbii, ipſius Regis Alfonſi progenitor, dum ageret in humanis, propter certam victoriam tunc per eum cum Dei adjutorio contra ſuos inimicos obtentam, ac alias gerens ad Beatam Mariam Virginem ſingularem devotionis affectum, cupienſque terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna, felici commercio, commutare, ac de propria ſalute recogitans, de bonis ſibi a Deo collatis unam Eccleſiam, ſeu Domum ad divini cultus augmentum, in honorem, & reverentiam pręfatę B. Marię fundari, conſtrui, & ędificari facere promiſerit, pręfatus Johannes Rex, volens promiſſum hujuſmodi adimplere, quandam Domum, ſeu Monaſterium Fratrum Prędicatorum ſub Regula & Ordine S. Dominici, ac ſub vocabulo Beatę Marię de Victoria, cum Eccleſia, cęmeterio, campanili, campana, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, aliiſque neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione Prioris, & Fratrum dicti Ordinis in termino oppidi de Loreca, Colimbrien. (7) Dięceſis, in dominio ſuo temporali conſiſtentis, honorifice, & magnifice, multumque ſumptuoſe fundari, conſtrui, & ędificari facere incepit, quę Domus, ſeu Monaſterium, propter operis magnitudinem, & ędificiorum ſumptuoſitatem, nondum ad perfectionem deduci potuit, deſideratque pręfatus Rex Alfonſus ędificia hujuſmodi continuari, & compleri, ipſamque Domum, ſeu Monaſterium, ac ejus ornamenta, necnon Fratres inibi divinis inhęrentes obſequiis, in veſtibus, & aliis ſuis neceſſitatibus debite conſervari, & ſuſtentari, pro cujus quidem completione, conſervatione, & ſuſtentatione pręfatum Monaſterium, ſeu Domus quam pluribus noſcitur indigere, &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi aliquę Parochiales Eccleſię de jurepatronatus ejuſdem Regis exiſtentes, fabricę dictę Domus, ſeu Monaſterii, in quo cultus Divinus devote obſervatur, ad illius, & Fratrum prędictorum utilitatem, & neceſſitatem perpetuo unirentur, annecterentur, & incorporarentur, ędificia hujuſmodi compleri, ipſumque Monaſterium, ſeu Domus debite conſervari, ac Fratres in illo ulterius ſuſtentari, & cultus divinus per amplius augmentari valerent. Quare pro parte pręfati Alfonſi Regis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus unam, duas, ſeu plures Parochiales Eccleſias de jurepatronatus ejuſdem Regis Alfonſi exiſtentes,

cu-

cujus, ſeu quorum fructus redditus, & proventus, mille librarum Turonen. petinorum (8), ſecundum exiſtimationem valorem non excedant, prędictę fabricę perpetuo uniri, annecti, & incorporari mandare, pro ipſius Regis complacentia ſupplicantis de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, Eccleſias, locaque eccleſiaſtica, etiam in quibus pręſertim regularis viget obſervantia, conſtrui, & conſervari, cultumque hujuſmodi noſtris potiſſime temporibus ubique adaugeri, ſummis zelantes affectibus, de pręmiſſis tamen certam notitiam non habentes, ipſiuſque Regis devotis in hac parte ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, de pręmiſſis omnibus & ſingulis, eorumque circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi, ita eſſe repereris, unam, vel duas, ſeu plures Parochiales Eccleſias de jurepatronatus ipſius Regis Alfonſi exiſtentes, cujuſcunque taxę, vel annui valoris, fructus, redditus, & proventus illius, vel illarum, exiſtant, dummodo mille librarum ſimilium ſecundum eandem exiſtimationem valorem annuum non excedant, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, fabricę dictę Domus, ſeu Monaſterii pro ipſorum ędificiorum complemento, & conſervatione, aliiſque in eadem domo, ſeu Monaſterio neceſſariis acquirendis, & ſupportandis, ſervata tamen primitus per te ſuper fructibus, redditibus, & proventibus uniendę, ſeu ſingularum uniendarum hujuſmodi, pro ſingulis inibi inſtituendis, ac in divinis laudabiliter deſervituris perpetuis Vicariis, portione congrua, de qua quilibet eorum congrue ſuſtentari, Epiſcopalia jura ſolvere, & alia ei, ratione Eccleſię ſibi commiſſę, incumbentia onera valeat ſupportare, necnon jurepatronatus, ſeu pręſentandi perſonam, ſeu perſonas idoneam, vel idoneas, ad perpetuam, ſeu perpetuas Vicariam, ſeu Vicarias, Eccleſię, vel Eccleſiarum, uniendę, ſeu uniendarum, hujuſmodi, quoties illam, vel illas, pro tempore vacare contigerit, pręfato Alfonſo, ſuiſque ſucceſſoribus Portugallię Regibus ſemper ſalvo, pręfata auctoritate in perpetuum unias, annectas, & incorpores, ita quod, cedente, aut cedentibus, vel decedente ſeu decedentibus Rectore, ſeu Rectoribus Eccleſię, vel Eccleſiarum uniendę, ſeu uniendarum hujuſmodi, ſeu Eccleſiam dimittente, vel Eccleſias hujuſmodi ſimul, vel ſucceſſive quomodolibet dimittentibus, liceat uni, vel duobus, ſeu tribus, probo, vel probis, viro, ſeu viris, per te ad nominationem pręfati Alfonſi Regis, & ſucceſſorum ſuorum Regum Portugallię pro tempore exiſtentium, ad hoc deputando, ſeu deputandis, corporalem Eccleſię, vel Eccleſiarum, juriumque, & pertinentiarum prędictorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, poſſeſſionem, pręfata auctoritate apprehendere, illiuſque, vel illarum fructus, redditus, & proventus, ad Domus, ſeu Monaſterii hujuſmodi complementum, & conſervationem, & ornamentorum proviſionem, ac alias in Monaſterii, ſeu Domus, uſus, & utilitates Fratrumque ſuſtentationem perpetuo convertere, Diœceſani, ſeu Diœceſanorum loci, vel locorum, aut aliorum quorumcumque ſuper hoc licentia minime requiſita. Contradictores auctoritate noſtra &c. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis & conſuetudinibus, Monaſterii, ſeu Domus, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi ſpeciales, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus generales Apoſtolicę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetraverint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, necnon proceſſus habitos, & habendos per eaſdem, ad Eccleſiam, ſeu Eccleſias uniendam, ſeu uniendas hujuſmodi volumus non extendi, & nullum per hoc eis quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum pręjudicium generari, & quibuslibet privilegiis indulgentiis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, proviſo, quod Eccleſia, ſeu Eccleſię, unienda, vel uniendę prędictę debitis propterea non fraudentur obſequiis, & animarum cura in eis nullatenus negligatur, ſed illarum debite ſupportentur onera conſueta. Nos enim ex nunc irritum & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his a quocunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Quinto (9), Idibus Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Conceſſio.

Clauſula derogans.

1. *Victoria.*) Juris eſt Provinciæ *Portugalliæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XI fol.* 216.
3. *Cepten.*) Seu *Septen.*, vulgo *Ceuta*, in *Mauritania Tingitana*.
4. *Pontifex &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Diplomatibus.
5. *Alfonſi.*) Hujus nominis *V*, cognomento *Africani*.
6. *Johannes.*) Hujus nominis *I*, *Pater Patriæ* nuncupatus.
7. *Colimbrien.*) Seu *Conimbricen.*, vulgo *Coimbra*, in *Luſitania* Regno.
8. *Petinorum.*) Legerem *Parvorum* (ſupple *denariorum*) ut in aliis Diplomatibus.
9. *Quinquageſimo Quinto.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLVI*.

Marelegnii (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1456 Die 27 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XVI.

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Cirman. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Piis fidelium votis &c. ſane pro parte dilectorum filiorum Communitatis, & hominum Terrę Marelegnii Valliſtelinę (4) Cirman. Diœceſis. Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ipſi pro animarum ſuarum ſalute, necnon hujuſmodi cultus augmento, ac Ordinis Fratrum Prędicatorum Sancti Dominici propagationem, & ob ſingularem quem gerunt devotionis affectum ad eundem Ordinem, ac

Supplex petitio.

ac Beatum Petrum Martyrem, domum, ſive Conventum pro uſu, & habitatione Fratrum dicti Ordinis juxta Eccleſiam Sanctorum Antonii, & Marthę quę ſine cura, & in qua nullus reſidet extra dictam terram conſiſtentem, conſtrui, & ędificari ſacere, corde proponunt, ſi eis ſuper hoc Apoſtolica ſuffragetur auctoritas. Quare pro parte ipſorum Communitatis, & hominum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſis domum, ſeu Conventum hujuſmodi cum Eccleſia, campanili, campana, cęmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, aliiſque neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione Fratrum prędicti Ordinis, ſub regulari obſervantia degentium, fundandi, & conſtruendi, & prędictam Eccleſiam in hujuſmodi conſtruendo Conventu includendi, ipſiſque Fratribus ad ipſam domum, poſtquam conſtructa fuerit, ſe transferendi, eamque ſub obedientia ſuorum Superiorum inhabitandi, & in divinis deſerviendi, omniaque alia juxta uſum Ordinis prędicti exercendi, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divinum cultum noſtris pręcipue temporibus adaugeri, & Ordinem ipſum propagari intenſis deſideriis affectamus, piumque propoſitum Communitatis, ac hominum prędictorum in hac parte pręcipue plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, necnon ob contemplationem dilecti filii nobilis viri Franciſci Sfortię (5) Ducis Mediolanen., in cujus temporali dominio dicta Eccleſia ſita eſt, Nos deſuper interpellantis, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus in pręmiſſis, & circa ea auctoritate noſtra provideas, prout tibi videbitur expedire, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus. Nos enim, ſi licentiam conſtructionis domus per te concedi contigerit, univerſis, & ſingulis Fratribus, quos in pręmiſſa conſtruenda domo pro tempore reſidere contigerit, ut omnibus Privilegiis, Indultis, libertatibus, immunitatibus, & exemptionibus Ordini prefato, necnon ipſius domibus, & perſonis per Sedem Apoſtolicam, & alias quomodolibet conceſſis uti, gaudere, libere, & licite valeant, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus, & etiam indulgemus. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Sexto, Quinto Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Facultas.

1. *Marelegnii.*) Sic in ipſo Diplomate. Scribendum tamen videtur *Morbinii*, vulgo *Morbegno*, in *Tellina Valle*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXI fol.* 214.
3. *Cirman.*) Legerem *Coman.*, rectius *Comen.*, ſeu *Novocomen.*, vulgo *Como* in *Inſubria*.
4. *Valliſtelina.*) Seu *Vallis Tellinę*, vulgo *Valtellina*. Pars eſt *Rhetię*. Sita eſt inter *Rhętiam propriam*, Dominium *Venetum*, Ducatum *Mediolanenſem*, & Comitatum *Tirolenſem*.
5. *Franciſci Sfortia.*) Hujus nominis *I*. Adeas *Boſium Hiſtor. Mediolanen.*

Anno 1456 Die 29 Maii.

Albenſe (1) Monaſterium variis privilegiis ornat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XVII.

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

SAcrę Religionis ſub qua dilectę in Chriſto filię Margarita de Sabaudia, Marchioniſſa Montisferrati Abbatiſſa, & Conventus Monaſterii Beatę Marię Magdalenę Alben., Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum degentes, mundanis abdicatis illecebris, ſedulum, & devotum exhibent Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut earum ſtatui, tranquillitati, & ipſius Monaſterii augmento favorabiliter intendamus, ac his quę propterea proceſſerunt, ut illibata perſiſtant, adiiciamus Apoſtolici muniminis firmitatem. Dudum ſiquidem poſtquam felicis recordationis Eugenius Papa IV Prędeceſſor noſter dilectis in Chriſto filiabus Margaritę Marchioniſſę Montisferrati, & aliis Sororibus de Pęnitentia Sancti Dominici nuncupatis, tunc in civitate Alben. commorantibus, diverſas ſuas conceſſerat licentias (3) quarum vigore, ſeu etiam per quas cuidam domui, tunc ad ipſam Marchioniſſam legitime pertinenti, & in dicta Civitate conſiſtenti, Sororibus prędictis pro earum uſu, & habitatione perpetuis, per eandem Marchioniſſam donatę, domus Sanctę Marię Magdalenę Alben. Ordinis Humiliatorum, ac Monaſterium Sanctę Marię de Gratia, Ordinis Sancti Benedicti, Alben. Dięceſis, ſub certis modo, & forma, auctoritate Apoſtolica perpetuo unita, & vigore unionis prędictę per Marchioniſſam, & Sorores pręlatas apprehenſa, ipſaque donata domus, in conventualem cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, & aliis neceſſariis officinis, eadem auctoritate erecta fuerant, necnon dictus Prędeceſſor ipſis Prioriſſę, per quam ipſam domum regi, & gubernari voluit, ac Sororibus pro tempore exiſtentibus, omnes, & ſingulas mulieres pie domum ipſam ingredi, & in ea ſub illius regulari habitu ſua vota Altiſſimo reddere, volentes, dummodo alias eſſent idoneę, in earum, & prefatę domus Sorores, recipiendi, eiſque regularem habitum exhibendi, ipſique Prioriſſę etiam earum ſingularum profeſſionem juxta ipſarum conſuetudinem, ſi illam in ſuis manibus ſponte emittere vellent, etiam recipiendi, & admittendi, licentiam conceſſerat, & ſucceſſive domum erectam, Prioriſſam, & Sorores prędictas, earumque bona, ab omni viſitatione, correctione, ſuperioritate, majoritate, & juriſdictione Magiſtri Generalis, & aliorum Superiorum, & Religioſorum Ordinis Fratrum Prędicatorum, necnon ab omnibus impoſitionibus, collectis, ſubſidiis, etiam caritativis, & aliis quibuslibet oneribus, & exactionibus, dilectis filiis Clero civitatis prędictę, illiuſque Dięceſis ex quibuſvis cauſis per Sedem Apoſtolicam, aut Epiſcopum pro tempore exiſtentem, necnon dilectos filios Capitulum, Abbatem (4), vel alios quomodolibet in antea imponendis, ac etiam omni jure Parochialis Eccleſię, infra cujus limites ipſa erecta domus exiſtebat, exemerat, & liberaverat, ac perpetuo exemptam, & totaliter liberam exiſtentem eſſe voluerat, ita quod Magiſtri, ſuperiores, & Fratres prędicti, vel aliorum aliqui, in Prioriſſas, & Sorores, ac earum & dictę erectę domus, & bona pręſentia, & futura ullam juriſdictionem, viſitationem, correctionem, majoritatem vel ſuperioritatem, etiam

Diplomatis cauſa.

Digitized by Google

etiam ratione delicti, ſeu contractus, aut rei, de qua ageretur, ubicunque committeretur delictum, iniretur contractus, aut res ipſa conſiſteret, exercere, ac Epiſcopus pro tempore, Capitulum & Clerus prędicti, vel alii quicunque, ab ipſa erecta domo, Prioriſſis, & Sororibus, ratione ſubſidiorum, impoſitionum, & collectarum, & aliorum onerum prędictorum, aliquid petere, vel exigere, ſeu colonos eorum inquietare, non poſſent: quodque ipſę Sorores unam ex eis, prima vice, & ſucceſſive perpetuis futuris temporibus, quoties ipſa erecta domus Prioriſſa careret, eligere valerent, pręfatuſque Epiſcopus pro tempore ſingulas electiones hujuſmodi confirmare, ac omnes, & ſinguli Sacerdotes idonei, quos Prioriſſa, & Sorores eligerent, celebrare, & ipſorum confeſſiones audire, & pro commiſſis, etiam eidem Sedi reſervatis, ſemel duntaxat, in aliis vero, quoties expediens foret, debitam abſolutionem, & pęnitentiam ſalutarem injungere, ac Euchariſtię, & alia Sacramenta miniſtrare, & curam animarum gerere, & exercere poſſent, ipſęque domus, Prioriſſa, & Sorores, earumque bona ſub protectione dilecti filii nobilis viri Johannis, ejuſdem Marchioniſſę nepotis, & ſucceſſorum ſuorum marchionum Montisferrati, tanquam ipſius domus Patronorum permanerent, necnon confeſſores pro tempore eligendi, omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contritę, & ore confeſſę forent, plenam remiſſionem ſemel tantum in mortis articulo indulgerent. Et ſubſequenter Pię memorię Nicolaus Papa V, etiam Prędeceſſor noſter, de pęnitentia, & exemplari vita Marchioniſſę pręfatę informationem habens ſufficienter, Ipſius, ac Sororum prędictarum ſupplicationibus inclinatus, Regulam de Pęnitentia prędicta ſuppreſſit, & extinxit, ita quod ab illis, & earum obſervantia, necnon a quocunque ſuperiorum, & Fratrum Ordinis Prędicatorum obedientia & omnimoda ſubmiſſione, omnes, & ſingulę ex Sororibus prędictis, quę Ordinem, & Regulam Sancti Auguſtini profiteri vellent, perpetuo abſolutę remanerent, reliqua omnia, & ſingula in literis Eugenii prędeceſſoris noſtri conceſſa, dummodo effectui literarum ſuarum non obſiſterent, ex certa ſcientia approbavit, illaque perpetua firmitate, & robore ſubſiſtere, ac eis omnes, & ſingulas Sorores, quę Ordinem, & regulam Sancti Auguſtini profiterentur, ſicut prius plene uti, & gaudere poſſe, atque debere, oppoſita vero, ſeu contraria quoad eas, ne ſibi aliqualiter obeſſe, ſeu nocere valerent, ſimiliter ſuppreſſa, & omnino extincta fore decernens, Ordinem Sancti Auguſtini in ipſa domo perpetuo inſtituit, eamque in Monaſterium, & in illo Abbatialem dignitatem cum cęmeterio pro eiſdem Sororibus de novo erexit, volens & decernens, quod Prioriſſa, & Sorores ipſius domus, regularem profeſſionem Ordinis Sancti Auguſtini pręfati in manibus Epiſcopi Alben. emitterent, & deinceps domus ipſa Monaſterium Monialium Sanctę Marię Magdalenę Ordinis Sancti Auguſtini, & Sorores prędictę Moniales nuncuparentur, ipſumque Monaſterium per Abbatiſſam triennalem, per ipſas Moniales ſingulis trienniis eligendam regeretur, ac in Abbatiſſam electa perinde miniſtrare poſſet, ac ſi per Sedem Apoſtolicam eſſet canonice confirmata, eiſdem quoque Abbatiſſę & Monialibus, alias Moniales idoneas in Moniales inibi & Sorores recipiendi, eiſque regularem habitum exhibendi, ac nonnulla alia tunc expreſſa faciendi, facultatem, licentiam, & poteſtatem conceſſit, ac inter alia ſtatuit, & ordinavit, quod Abbatiſſa pro tempore exiſtens, & Moniales prędictę ſub Regula Sancti Auguſtini, obſervantia, & perpetua clauſura vivere, & nulla ipſarum ejuſdem Monaſterii ſeparata, niſi in certis caſibus exire deberet, nullaque Monialium earundem cum quavis extranea perſona, certis tunc expreſſis duntaxat exceptis perſonis, colloquium haberet, quodque alienatio quorumcunque bonorum ejuſdem Monaſterii, Abbatiſſę & Monialibus prędictis eſſet penitus interdicta, ac poſtremo eiſdem Abbatiſſę, Conventui, & Monialibus pręſentibus, & futuris, quod dictum erectum Monaſterium cum annexis ſuis, ac omnibus, & ſingulis libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, privilegiis, conceſſionibus, favoribus, gratiis, & indultis pręfato Ordini Sancti Auguſtini, ejuſque domibus, locis, Conventibus, & perſonis, quacunque auctoritate conceſſis, & in poſterum concedendis, plene, libere, ac in perpetuum uti, & gaudere valerent, Apoſtolica auctoritate indulſit, ac Monaſterium, Abbatiſſam, Conventum, & Moniales prędictas de novo exemit, ac liberavit, ac penitus exempta, & libera eſſe, ſibique & ſucceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus canonice intrantibus, & dictę Sedi duntaxat voluit ſubjacere, & ſucceſſive per alias literas dictum Monaſterium, Abbatiſſam, Conventum, & Moniales prędictas Generali Magiſtro Ordinis Prędicatorum ſubjecit, ita quod Abbatiſſa, & Moniales pręfatę pręſentes, & futurę ex tunc in antea, quoties ipſas Generali Magiſtro carere contigerit, unum ex Fratribus dicti Ordinis, dummodo quinquageſimum ſuę ętatis annum transcenderet, in earum Capellanum, confeſſorem, ſeu Vicarium. qui eas, & illarum confeſſiones audire, eis Miſſas, & alia divina celebrare, velum profitentibus exhibere, ac circa ejuſdem Monaſterii in ſpiritualibus, & temporalibus, regimen, & gubernationem, quęcunque licita, & honeſta agere poſſet, eligere valerent, ac ſic electus a majori parte earum ſine alia confirmatione deſuper facienda, confirmatus exiſteret, nec per dictum Generalem, abſque juſta & rationabili cauſa, vel quemcunque alium Superiorem amoveri poſſet, prout in ſingulis literis prędictis, quarum tenores, ac ſi pręſentibus de verbo ad verbum inſerti forent, haberi volumus, pro expreſſis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Margaritę Marchioniſſę prędictę, necnon Abbatiſſę, & Conventus Monaſterii hujuſmodi, petitio continebat, ipſę quę in pacifica poſſeſſione, vel quaſi, omnium pręmiſſorum exiſtunt, prędicta omnia, ac alia per dilectum filium Jacobum de Belinis dicti Ordinis Prędicatorum Sacrę Theologię profeſſorem, per eas vigore literarum ejuſdem Nicolai Prędeceſſoris, & conceſſam eis facultatem, in ipſarum, & dicti Monaſterii Confeſſorem, & Vicarium hujuſmodi electum, geſta, & facta, maxime in exhibendo velum Monialibus ejuſdem Monaſterii, ratificari per Nos, ac etiam approbari, & confirmari, necnon Jacobum pręfatum, quanquam in quinquageſimo ſuę ętatis anno conſtitutus non ſit, licet quadrageſimum ſecundum ejuſdem ętatis annum excedat, in ipſo Vicariatus officio, tanquam ipſi Monaſterio utilem, & neceſſarium, perpetuari, eumque ab omni viſitatione, correctione, ſuperioritate & juriſdictione Magiſtri Generalis, Priorum Provincialium dicti Ordinis Prędicatorum & alio- Nota

Digitized by Google

Privilegia conceſſa.

& aliorum quorumcunque eximi ſummopere cupiat, & affectet, pro parte Marchioniſſę, Abbatiſſę, Conventus, & Monialium prędictarum Nobis humiliter ſupplicatum fuit, ut premiſſis omnibus, & ſingulis pro ipſorum ſubſiſtentia firmiori, etiam noſtrę munimen auctoritatis adiicere, ac alias earum, & dicti Monaſterii ſtatui ſuper his providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui perſonis Religioſis prefertim fragilis ſexus feminei, ut eo devotius, quo quietius, Altiſſimo famulari valeant, & Chriſto Jeſu filio Virginis, cui ipſę virginitatem propriam devoverunt, cum puritate mentium, vota ſua exſolvere, pacis, & tranquillitatis commoda procuramus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, literas Eugenii, & Nicolai, Prędeceſſorum eorundem, ac omnia & ſingula in eis contenta modificata tamen, ut prefertur, & quantum poſterioribus, reformationi, limitationi, & ordinationi, ut premittitur, poſterius factis, non obviant, ac Abbatiſſa, & Conventus prędicti, illa juſte, & canonice poſſident, necnon electionem, & deputationem per Abbatiſſam, & Conventum in perſonam prędicti Jacobi pro Vicariatus officio, hujuſmodi exercendo factam, licet quinquageſimum annum, ut in literis prędictis continetur, non tranſcendat, ſed quadrageſimum ſecundum excedat, ac etiam omnia, & ſingula, per ipſum Jacobum vigore vicariatus prędicti, rite geſta, & ordinata, auctoritate Apoſtolica ex certa noſtra ſcientia ratificamus, approbamus, & confirmamus, ac prefentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Et nihilominus quod idem Jacobus ab hujuſmodi officio, & Vicariatus exercitio a Magiſtro Generali, Priore Provinciali, & aliis prędictis invitus amoveri nequeat, ut prefertur, ſed officium ipſum perpetuo exercere libere, & licite valeat, voluntate, & ordinatione prędictis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, tenore prefentium, auctoritate Apoſtolica indulgemus, rurſumque ipſum Jacobum, in Confeſſorem, Capellanum, & Vicarium ſic electum ab omni ſuperioritate, dominio, poteſtate, juriſdictione, viſitatione, correctione, & ſubjectione Epiſcopi Alben., aliorum Prelatorum, & judicum ordinariorum, necnon Magiſtri Generalis, & aliorum Superiorum Religioſorum, & Fratrum Ordinis Prędicatorum, & reliquorum, tam ſpiritualium, quam temporalium quorumcunque eadem auctoritate perpetuo eximimus, & totaliter liberamus, ipſumque liberum penitus, & exemptum eſſe decernimus, ac ſub Beati Petri, & dictę Sedis protectione ſuſcipimus, atque noſtra, nobiſque, & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, ac dictę Sedi duntaxat volumus ſubjacere, ita quod Epiſcopus, Prelati, Judices ordinarii, Magiſter Generalis, ſuperiores Ordinis Prędicatorum, & alii ſupradicti in ipſum Fratrem Jacobum, utpote prorſus exemptum, etiam ratione, ſeu pretextu cujusvis delicti, aut contractus, ſive rei, de qua ageretur, ubicunque committatur delictum, vel ineatur contractus, nullam ſuperioritatem, juriſdictionem, poteſtatem, viſitationem, correctionem, ullumque dominium valeant quomodolibet exercere, quaſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliaſque ſententias, cenſuras, & penas, necnon quoſcunque proceſſus, quas, & quos per Epiſcopum, Prelatos, Judices, ordinarios, Magiſtrum Generalem, & alios ſupradictos, ac eorum quemlibet contra prędictum Fratrem Jacobum exemptum, & exemptionem hujuſmodi, ſive aliquos eorum forſan promulgari, & fieri contigerit, irritos, & inanes exiſtere decernentes. Volumus enim hujuſmodi adjectioni, confirmationi, approbationi, ratificationi, exemptioni, & indulto, per quamcunque ſignaturam, ſive conceſſionem, per Nos, vel Succeſſores noſtros, Romanos Pontifices canonice intrantes, ad ſupplicationis inſtantiam Magiſtri Generalis, & aliorum quorumcunque prenominatorum, etiam motu proprio in poſterum concedendas nullatenus derogari, niſi in illa, vel illis de nomine, & titulo prędictę Margaritę Marchioniſſę Montisferrati, ac de officio prędicti Fratris Jacobi expreſſa mentio habeatur. Non obſtantibus pię memorię Innocentii IV, & Bonifatii VIII, ac Clementis V Romanorum Pontificum etiam prędeceſſorum noſtrorum, omnibus premiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon privilegiis, ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſterii & Ordinum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ratificationis, approbationis, confirmationis, communitionis, indulti, ſupplectionis, liberationis, conſtitutionis, ſuſceptionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare preſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Sexto, Quarto Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Clauſula derogans.

1. *Albenſe.*) Vide *Notas ad Conſtitutionem CCXXV Eugenii IV pag.*138.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Bullario *Bononienſi* pag. 38.
3. *Licentias.*) Legerem: *Literas.*
4. *Abbatem.*) Legendum videtur. *Alben.*

Anno 1456 Die 21 Auguſti.

Decretalem (1) quæ incipit: *Super Cathedram*: ſervandam decernit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XVIII.

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis clauſ.

ILlius, licet immeriti, vicefgerentes in terris &c. Sane licet olim ſuper queſtionibus, & periculoſis diſcordiis, quę inter Prelatos, & Rectores, ſeu Sacerdotes, & clericos parochialium Eccleſiarum, per diverſas mundi partes, & provincias conſtitutos ex una parte, & Fratres Ordinum Mendicantium ſuper prędicationibus fidelibus populis faciendis, audiendis eorum confeſſionibus, penitentiis iniungendis eiſdem, & tumulandis corporibus defunctorum, qui ſuam, apud Fratrum ipſorum Eccleſias, ſive loca, eligerent Sepulturam, ac plurimum ſuſcitabantur diſſenſiones, per decretalem dudum a fel. rec. Bonifatio Papa

Papa VIII Prędeceſſore noſtro edita, quę incipit: Super Cathedram: ac per pię mem. Clementem V, qui in Concilio Viennen. Decretalem innovavit eandem, necnon Johannem XXII, etiam Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros qui illam duntaxat de Prędicatorum, & Minorum Ordinum Fratribus mentionem facientem, ad Eremitarum, & Carmelitarum Ordinum Fratres extendens, eandem Conſtitutionem per ipſos Eremitarum, & Carmelitarum Ordinum Fratres per omnia voluit integraliter, & inconcuſſe obſervari, ſalubriter proviſum extitiſſet; Nihilominus innumeroſę quodammodo de diverſis mundi partibus venerabilium Fratrum Epiſcoporum, aliorumque Superiorum Prętatorum, necnon dilectorum filiorum curatorum, & Parochialium Sacerdotum quereię contra dilectos filios prędictorum Ordinum profeſſores clamoroſis inſinuationibus noſtrum excitare, & fatigare non ceſſant auditum, quod iidem Fratres Decretalem prędictam tenere, & obſervare non curant, & illam in Apoſtolicę Sedis contemptum, & in animarum ſuarum periculum, transgredi non verentur, plerique etiam ex illis ſpecialium, quę ab ipſa Sede in eorum favorem, adverſus ipſam Decretalem emanaſſe aſſerunt, privilegiorum, conceſſionum, & indultorum prętextu, ne ad hujuſmodi Decretalis obſervationem compelli poſſint, ſe tuentur, in eorum conquerentium, & Eccleſiarum Parochialium prędjudicium, & gravamen. Intelleximus quoque, quod a nonnullis ex Epiſcopis, Prętatis, Rectoribus, Curatis, & Sacerdotibus dictis Fratribus, contra tenorem prędictę Decretalis, graves injurię, moleſtięque inferuntur, quodque ex eo quod dicti Fratres in ipſorum Prędicationibus Parochianos a viſitatione ſuarum Parochialium Eccleſiarum retrahentes, eoſque parochianos ad viſitandum Parochiales Eccleſias diebus Dominicis, & Feſtivis non teneri, ſed divina in Eccleſiis ipſorum Fratrum libere frequentare poſſe, ac eoſdem Fratres fore quorumlibet parochianorum proprios Sacerdotes, quibus in anno per ipſos parochianos omnia ipſorum peccata confitenda ſunt, & ipſi veri proprii Sacerdotes, quod confeſſio de peccatis a ſemel confeſſis dictis Fratribus ad confeſſiones audiendas, juxta prędictam Decretalem deputatis, ipſis propriis Sacerdotibus iteranda ſit, aſſerere pręſumant; Inter talia prędicantes, & aſſerentes, ac veros dictorum Parochianorum Sacerdotes proprios, frequenter ſcandala non abſque rancoris, & odii livore ſuſcitantur. Nos igitur, quorum eſt hujuſmodi quęſtionibus & diſcordiis, ac ſcandalis, rancoris, & odii fomentis, ubilibet obviare, & eo diligentius inter conquerentes, & Fratres prędictos, quo illa deteriora prętenduntur innoxius, & fidelium corda ſcrupuloſis motibus circa Eccleſiaſtica Sacramenta ipſis impendenda pernicioſius diſcindunt, & conturbant, cupientes quęſtionibus, & diſcordiis eiſdem finem imponere, & ut ſinguli, ad quos id ſpectaverit, juris ſui terminis contenti, alieri debitum non invadant, & fimbrias ſuas non dilatent, prętentis conſtitutionis irrefragabili ſancimus edicto, prędictam Decretalem, per Clementinam: Dudum: ut pręfertur, innovatam, ab omnibus, etiam per eos, ad quos juxta pręmiſſa extenſa extitit, in omnibus, & per omnia juxta illius, ac renovationis, & extenſionis hujuſmodi ſeriem, & tenorem integraliter, ac firmiter, & inſtanter, ſic ubilibet, etiam in Urbe Romana obſervanda fore, & obſervari debere, quęcunque privilegia, conceſſiones, & indulta ſi quę a quibuſvis Romanis Pontificibus, Prędeceſſoribus noſtris, adverſus Decretalem, & ejus innovationem, & extenſionem prędictas ſub quacunque verborum forma, & cum quibuſvis irritantis Decreti, ac talibus, quod illis per quaſvis alias literas Apoſtolicas, etiam facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de illorum tali tenore mentionem, aut aliis ſimilis effectus, vel majoris cautelę derogatoriis clauſulis qualitercunque derogari nequeat, ſive motu proprio, ſive quovis reſpectu pro quibuſvis ex dictis Ordinibus, ſeu eorum domibus, & locis in genere, vel in ſpecie emanaverint, quorum quidem privilegiorum, conceſſionum, & indultorum tenores perinde, ac ſi de verbo ad verbum, etiam cum Ordinum, domorum, & locorum, quibus conceſſa fuerint ſpecifica, & individuali expreſſione, prętentibus inſerti forent, eiſdem prętentibus pro expreſſis haberi volumus, quolibet uſu eorundem privilegiorum, conceſſionum, & indultorum, ac hujuſmodi uſus, etiam continuata poſſeſſione nullatenus obſiſtente, prędicta auctoritate caſſantes, revocantes, & irritantes, nulliuſque decernentes cenſenda fore roboris, vel momenti. Prętereas aſſertiones, quibus dicti Fratres Eccleſiarum Parochianos ad viſitandum Eccleſias diebus Dominicis, & feſtivis non teneri ſeu divina in Eccleſiis ipſorum Fratrum libere frequentare poſſe, ſeque proprios Sacerdotes fore quorumlibet Parochianorum, quibus per ipſos Parochianos ad minus ſemel in anno confitendum ſit, cum non ipſi, ſed parochialium Eccleſiarum ipſarum Rectores, ſeu Viceſgerentes eorundem, aut alii, quibus cura animarum parochianorum hujuſmodi imminere dignoſcitur, proprii Sacerdotes cenſeantur, illas etiam quibus iidem proprii Sacerdotes confeſſionem de peccatis Fratribus ipſis juxta Decretalem prędictam, ad audiendas Confeſſiones deputatis, ſemel confeſſis factam, iiſdem propriis Sacerdotibus iterandam fore aſtruunt, ut pręfertur, reprobantes, Fratribus, & Sacerdotibus eiſdem, ne talia aſſerere pręſumant, in virtute ſanctę obedientię diſtrictius inhibemus: volentes, & decernentes, quod quicunque ex dictis Fratribus, & Sacerdotibus talia de cetero aſſerere pręſumpſerint publice, vel occulte, niſi per locorum Dięceſanos, ſeu eorum auctoritate moniti ab illis deſtiterint, excommunicationis ſententiam incurrant eo ipſo, & per Dięceſanos ipſos, quibus ſuper hoc plenam, & liberam prętentium ſerie poteſtatem concedimus, excommunicationis ſententiam hujuſmodi incurriſſe declarari, & ut tales denunciari poſſint. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis ac exemptionibus ſpecialibus, vel generalibus, tam Fratribus, & Ordinibus prędictis. quam prędictis Sacerdotibus, communiter, vel diviſim, ſub quacunque forma, vel expreſſione verborum a prędicta Sede conceſſis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Mariam Maiorem Anno Incarnationis Dominicę Millеſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Sexto, duodecimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

1. *Decretalem.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* XLIV *fol.*9. Legitur etiam apud *Waddingum Tomo VI Annal. Minorum pag.*86 *Regeſti.*

Anno 1456 Die 31 Auguſti.

De Decretali (1) : *Super Cathedram* : ſervanda .

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XIX. Caliſtus Epiſcopus , Servus Servorum Dei , dilectis filiis Spiren. , & Sancti Petri Prępoſitis , ac Theſaurario Majoris Baſileen. Eccleſiarum , Salutem , & Apoſtolicam Benedictionem .

NUper pro ſemovendis quęſtionibus & diſcordiis , quę inter ſecularem Clerum , & Mendicantium Ordinum profeſſores , pro eo quod per ipſos hinc inde Decretalis per felicis recordationis Bonifatium PP. VIII Prędeceſſorem noſtrum edita , & a bonę memorię Clemente Papa V , etiam Prędeceſſore noſtro , in Concilio Viennen. innovata , non ſervatur , ut plurimum ſuſcitabantur , literę noſtrę emanarunt tenoris ſequentis . Caliſtus Epiſcopus , Servus Servorum Dei . Ad Perpetuam Rei Memoriam . Illius licet immeriti &c. (3) . Cum autem , ſicut pro parte venerabilis Fratris Epiſcopi Argentinen. , & dilectorum filiorum Capitulorum Majoris Argentinen. , & aliarum Eccleſiarum Civitatis , & Dięceſis Argentinen. , necnon Pręlatorum , Conventuum Priorum , Rectorum , Curatorum , Sacerdotum , & Vicariorum Parochialium , ac Cleri tam Regularium , quam ſecularium Civitatis & Dięceſis earundem Nobis extitit intimatum , quod prędicti eorundem Prędicatorum , Minorum , Eremitarum , & Carmelitarum Ordinum Fratres contra tenorem Decretalis , & literarum noſtrarum prędictarum , multa eiſdem & eorum ſingulis gravamina inferunt , & jacturas , quia igitur parum eſſet jura condere niſi etiam qui ea tueatur exiſtat , diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus , quatenus vos , vel duo , aut unus veſtrum per vos , vel alium , ſeu alios , etiam ſi ſint extra loca , in quibus eſtis deputati Conſervatores , ſeu judices , tam eiſdem Epiſcopo , Capitulis , Prioribus , Conventibus , Rectoribus , Curatis , Sacerdotibus , Vicariis , ac Clero Civitatis , & Dięceſis prędictarum & eorum cuilibet adverſus prędictos , quam e converſo eiſdem Fratribus adverſus Epiſcopum , Capitula , Pręlatos , Priores , Conventus , Rectores , Curatos , Sacerdotes , Vicarios , & Clerum pręfatos , ac ſingulis eorundem efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes , ac dictas noſtras literas , ubi , & quando expedierit , ſolemniter publicantes , ac facientes Decretalem , & literas noſtras prędictas quoad omnia in eis contenta firmiter obſervari , non permittatis contra illorum tenorem , memoratos Fratres dictorum Ordinum eiſdem Epiſcopo , Capitulis , Pręlatis , Prioribus , Conventibus , Rectoribus , Curatis , Sacerdotibus , Vicariis , ac Clero , ſeu alicui , vel aliquibus eorundem , nec etiam per dictos Epiſcopum , Capitula , Pręlatos , Priores , Conventus , Rectores , Curatos , Sacerdotes , Vicarios , & Clerum , ſeu aliquem , vel aliquos ipſorum eiſdem Fratribus gravamina , aut injurias irrogari , ſeu alias quidquam adverſus Decretalem , & literas noſtras prędictas attentari , facturi ipſis hinc inde de quibuſcunque injuriis , moleſtationibus , gravaminibus , & damnis illatis hactenus , & etiam in poſterum inferendis eiſdem , contra tenorem Decretalis , & literarum noſtrarum earundem , in illis , videlicet , quę judicialem requirunt indaginem , ſummarie , ſimpliciter , & de plano , ſine ſtrepitu & figura judicii ; in aliis vero prout qualitas ipſorum exegerit juſtitię complementum ; moleſtatores , & injuriatores , ac pręſumptores hujuſmodi , necnon contradictores quoslibet , & rebelles quandocunque , & quotieſcunque expedierit , per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita , compeſcendo ; non obſtantibus omnibus , quę in dictis literis volumus non obſtare , necnon prędicti Bonifatii PP. VIII , qua cavetur , ne aliquis extra ſuam civitatem , vel Dięceſim , niſi in certis exceptis caſibus , & in illis ultra unam Dietam a fine ſuę Dięceſis ad judicium evocetur , ſeu ne judices , & conſervatores a Sede prędicta deputati extra civitatem , & Dięceſim , in quibus deputati fuerint , contra quoſcunque procedere , ſeu alii , vel aliis vices ſuas committere , ſeu quod de aliis , quam de manifeſtis injuriis , & moleſtiis , quę judicialem exigunt indaginem , pęnis in eos , ſi ſecus egerint , & in id procurantes , adjectis , conſervatores ſe nullatenus intromittant , quam aliis quibuſcunque conſtitutionibus a Prędeceſſoribus noſtris , Romanis Pontificibus , tam de judicibus delegatis , & conſervatoribus , quam perſonis ultra certum numerum per literas Apoſtolicas ad judicium non evocandis , aut aliis edictis quę veſtrę poſſint in hac parte juriſdictioni , aut poteſtati , ejuſque libero exercitio quomodolibet obviare , ſeu ſi tam eiſdem Fratribus , ſeu eorum Ordinibus , aut alicui , ſeu aliquibus Fratrum , & Ordinum prędictorum , quam Epiſcopo Capitulis , Prioribus , Conventibus , Rectoribus , Curatis , Sacerdotibus , Vicariis , & Clero prędictis , vel aliquibus ipſorum , ſeu quibuſvis aliis communiter , vel diviſim a pręfata ſit Sede indultum , quod excommunicari , ſuſpendi , vel interdici , ſeu extra , vel ultra certa loca , vel alio quocunque modo ad judicium evocari non poſſint , per literas Apoſtolicas non facientes plenam , & expreſſam , ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi , & eorum poſſeſſione , locis , ordinibus , & nominibus propriis mentionem , & quibuslibet aliis indulgentiis , ſeu privilegiis dictę Sedis , generalibus , vel ſpecialibus , quorumcunque tenorum exiſtant , per quę pręſentibus non expreſſa , vel totaliter non inſerta veſtrę juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri , & de quibus , quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum ſpecialem oporteat in noſtris literis fieri mentionem . Ceterum judicibus , ſeu conſervatoribus quibuſcunque , per literas Apoſtolicas ſub quacunque alia quam pręſenti verborum forma , vel expreſſione confectas , aut tam eiſdem dictorum Prędicatorum , Minorum , Eremitarum , & Carmelitarum Ordinum Fratribus , ſeu ipſis Ordinibus , quam Epiſcopo , Capitulis , Pręlatis , Prioribus , Conventibus , Rectoribus , Curatis , Sacerdotibus , Vicariis , ac Clero , vel alicui , ſeu aliquibus eorum , communiter , vel diviſim ſuper damnis , & injuriis , & aliis quibuſcunque rebus , ſeu negotiis alias deputatis , vel ſubdelegatis eorum pręſentibus , & futuris , auctoritate pręſentium diſtrictius inhibemus , ne aliquem , ſeu aliquos auctoritate literarum ipſarum , prętextu , ſeu occaſione quorumcunque damnarum , vel injuriarum , ſeu gravaminum contra tenorem dictę Decretalis : Super Cathedram : & literas noſtras antedictas , tam ipſis Fratribus , & eorum Ordinibus quam Epiſcopo , Capitulis , Prioribus , Pręlatis , Conventibus , Rectoribus , Curatis , Sacerdotibus , Vicariis , & Clero , vel aliquibus , ſeu alicui eo-

eorum communiter, vel diviſim, a quibuſcunque perſonis illarorum hactenus, & etiam inferendorum in poſterum, coram ſe alicubi deinceps ad judicium, vel alias quoquo modo vocare, ſeu in cauſam aliquatenus trahere preſumant, inhibitionem hujuſmodi non ſolum ad futura, ſed etiam quovis modo adhuc pendentia, & jam cępta negotia volentes extendi, ac decernentes prefatas literas & proceſſus eorum auctoritate quomodocunque habitos, & habendos ad damna, gravamina, & injurias hujuſmodi contra tenorem dictę Decretalis, & dictarum literarum noſtrarum illata, & inferenda, ut dictum eſt, deinceps aliqualiter non extendi, ac etiam irritum, & inane, ſi ſecus ſuper pręmiſſis per quoſcunque, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Vobis nihilominus injungentes, ut inhibitionem noſtram hujuſmodi ad dictorum Judicum, ſeu Conſervatorum, & ſubdelegatorum notitiam, de quibus vobis expedire videbitur, deducere procuretis. Inſuper volumus, & auctoritate Apoſtolica decernimus, quod quilibet veſtrum valeat proſequi, articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento legitimo prępeditus, quodque a dato pręſentium ſit vobis, & unicuique veſtrum in pręmiſſis omnibus, & eorum ſingulis, cęptis, & non cęptis, pręſentibus, & futuris & pro prędictis omnibus perpetuata poteſtas, & juriſdictio attributa, ut eo vigore, eaque firmitate poſſitis in pręmiſſis omnibus, & ſingulis cęptis, & non cęptis, pręſentibus & futuris, & pro prędictis procedere, ac ſi prędicta omnia, & ſingula coram vobis cępta fuiſſent, juriſdictio veſtra, & cujuſlibet veſtrum in prędictis omnibus, & ſingulis per citationem, vel modum alium legitimum perpetuata fuiſſet. Conſtitutione prędicta ſuper conſervatoribus, & alia qualibet in contrarium ędita non obſtante. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Sexto, Pridie Kal. Septembris, Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

1. *Decretali.*) De qua in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXI fol. 3.* Idem tranſcripſit *Waddingus Annal. Minorum Tomo VI pag. 26. Regeſti.*

3. *Immeriti &c.*) Ut in *Conſtitutione praecedenti Data XXI Auguſti MCCCCLVI*, ad finem uſque.

Privilegium conceſſum Taraſconen. (1) Confraternitati (2) B. Mariæ Virginis.

Anno 1456 Die 9 Octobris.

Ex Archivo (3) Ordinis.

XX.

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio nobili viro Carolo (4) de Andegavia, Comiti Cenomanię (5), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

GEneris tui claritas &c. (6). Dudum ſiquidem felicis recordationis Nicolao PP. V Prędeceſſori noſtro pro parte tua expoſito, quod quędam inſignis, & notabilis Capella in honorem glorioſę Virginis Marię, & ſub ejus vocabulo in Conventu Ordinis Prędicatorum Oppidi Taraſconen, Avinionen. Diœceſis, per te fundata, & magnifice, ac ſumptuoſe conſtrui incepta extiterat, nondum erat completa, ad quam tam cauſa devotionis, quam ob multitudinem miraculorum, quę Altiſſimus ad interceſſionem ejuſdem Virginis Marię, ut pie credebatur, dietim operabatur, Chriſti fideles utriuſque ſexus illarum partium confluere conſueverant, ac in qua ad ejuſdem B. Marię gloriam, & honorem nonnullę perſonę quandam honorabilem Confraternitatem erexerant, fecerant, & inſtituerant, ac obſervaverant, prout obſervabant tunc, quam etiam propter pręmiſſa nonnulli Reges, Duces, Comites, Barones, aliique quamplures & nobiles, necnon utriuſque ſexus homines manutenebant, & celebrabant annuatim, ſeque illi incorporarant, in qua tres quotidie, una alta per pueros choraies ejuſdem Conventus decantabantur, reliquę vero duę ſubmiſſa, vocibus, ad ipſius Virginis laudem, & gloriam, Miſſę celebrari dignoſcebantur, idem Prędeceſſor, ſupplicationibus tuis inclinatus, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus perſonis in dicta Confraternitate tunc exiſtentibus, ut Confeſſor idoneus ſecularis, vel Regularis, quem earum ſingulę ad hoc ducerent eligendum, omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contritę, & vere confeſſę forent, ſemel tantum in mortis articulo plenam remiſſionem eiſdem Apoſtolica auctoritate concedere valeret, devotioni tuę tenore ſuarum literarum (7), ſuper certis modo, & forma induſit, prout in eiſdem plenius continetur. Nos igitur cunctas ſingulorum fidelium, prout ex debito Nobis incumbit officii, ipſi Altiſſimo lucrifieri animas, intenſis deſideriis affectantes, tuis devotis ſupplicationibus inclinati, omnibus, & ſingulis pręſentibus utriuſque ſexus perſonis in dicta Confraternitate impręſentiarum exiſtentibus, ut Confeſſor idoneus ſecularis, vel Regularis, quem quęlibet dictarum perſonarum duxerit eligendum, confeſſionibus hujuſmodi diligenter auditis, pro commiſſis per eaſdem perſonas criminibus, exceſſibus, & peccatis, etiam in omnibus, & ſingulis caſibus Sedi Apoſtolicę reſervatis, ſemel duntaxat debitam eis abſolutionem in forma Eccleſię conſueta, impendere, & pœnitentiam ſalutarem injungere, necnon ipſe, vel alias pro tempore Confeſſor, quem quęlibet dictarum perſonarum elegerit, omnium ſuorum peccatorum, de quibus corde contritę, & ore confeſſę fuerint, etiam ſemel duntaxat in mortis articulo plenariam remiſſionem illis in ſinceritate fidei, unitate Sanctę Romanę Eccleſię prędictę, & obedientia, & devotione noſtra, & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, canonice intrantium, perſiſtentibus auctoritate Apoſtolica impendere valeat, devotioni tuę, tenore pręſentium, indulgemus; Sic tamen quod ipſe Confeſſor de iis, de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, eam eiſdem perſonis per eas, ſi ſupervixerint, vel per alias, ſi forte tunc tranſierint, faciendam injungat, quam perſonę ęędem, vel alii

Nicolaus V eandem confraternitatem privilegiis ornat.

Nota;

Privilegium conceſſum.

pręſati facere teneantur, & ne, quod abſit, propter hujuſmodi gratiam dictę perſonę reddantur procliviores ad illicita committenda, volumus, quod ſi ex confidentia remiſſionis hujuſmodi aliqua ex dictis perſonis quędam committeret, dicta remiſſio committenti perſonę hujuſmodi nullatenus ſuffragetur, quodque per unum annum a tempore quo pręſens noſtra conceſſio ad quarumlibet dictarum perſonarum notitiam devenerit, computandum, ſingulis ſextis feriis, impedimento ceſſante legitimo, ſingulę dictarum perſonarum jejunent, & ſi prędictis feriis ex pręcepto Eccleſię, regulari obſervantia, injuncta pœnitentia, voto, vel alias, quęlibet dictarum perſonarum jejunare teneretur, una alia die ſingularum ſeptimanarum ejuſdem anni, quo ad jejunandum, ut pręmittitur, quęlibet earundem non ſit aſtricta, jejunet; Et ſi in dicto anno, vel aliqua ejus parte eſſent legitime impeditę, anno ſequenti, vel alias quamprimum poterunt, modo ſimili ſupplere hujuſmodi jejunium teneatur. Porro ſi forſan quęlibet earundem perſonarum prelibatum jejunium in toto, vel in parte quomodocumque adimplere commode nequiverit, eo caſu Confeſſor prędictus jejunium ipſum in alia pietatis opera eiſdem perſonis commutare valeat, prout animarum prędictarum perſonarum ſaluti viderit expedire, quę perſonę hujuſmodi pari modo adimplere debeant. Alioquin pręſens noſtra conceſſio, quoad plenariam remiſſionem hujuſmodi duntaxat, nullius ſit roboris, vel momenti. Per hoc autem non intendimus Confraternitatem eandem in aliquo approbare. Nulli ergo &c. Noſtrę conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Sexto, Septimo Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Taraſconen.*) In *Gallo-Provincia*.
2. *Confraternitati*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*
3. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXI fol. CLXXIII.*
4. *Carolo*.) Filio *Ludovici II* Regis *Jeruſalem Neapolis, Siciliæ* & *Aragoniæ* &c., Patri *Caroli IV* Regis *Jeruſalem* &c.
5. *Cenomaniæ*.) Vulgo *Le Maine*.
6. *Claritas &c.*) Exordium deeſt.
7. *Literarum*.) Deſiderantur hæ literæ.

Anno 1456 Die 13 Novembris.

S. Palatii Apoſtolici Magiſter examinet (1) orationes habendas coram Summo Pontifice.

Ex Fontana (2) Theatro Dominicano Parte II Cap. V pag. 410.

XXI.

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

Licet ubilibet ad ſeminandum verbum Dominicum, Apoſtolica Sedes decreverit operarios fore ex omni Religione viros idoneos aſſumendos, illud tamen in alma Palatii Apoſtolici Capella, in qua ad Romanum Pontificem undique ex diverſis mundi nationibus confluentes, viri famoſiſſimi ſedulo conveniunt, & in qua veluti ex chriſtianę ſapientię, & eloquentię fonte quęvis doctrina imbibitur, eo ſtudioſius, & accuratius agi voluit, quo univerſus orbis ea, quę apud Sedem ipſam aguntur, tanquam pręclariſſimum quoddam ſalubris eruditionis intuetur exemplar, & quo periculoſius foret, ſi in dominica traditione quantumlibet exiguus aſſeveretur error, quam Sedes ipſa ſinceram, & puram, ſine ruga, vel macula fidelibus toto orbe miniſtrare procurat. Hac igitur conſideratione moti, nonnullorum Romanorum Pontificum, Prędeceſſorum noſtrorum, qui inter alia ſtatuerunt (3), & injunxerunt, ut nullus in eadem Capella, ſermonem verbi dominici habere pręſumeret, niſi prius a Magiſtro dicti Palatii pro tempore exiſtente examinatus, & correctus, ac pro idoneo judicatus foret, veſtigiis inherentes, ac periculis, quę propter ignorantiam, vel temeritatem quorundam, qui non ſubacto examine, hujuſmodi ſermones ipſos in eadem Capella nonnunquam proferre temere pręſumpſerunt, facile poſſent emergere, pręſentis conſtitutionis edicto occurrere cupientes, auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia ſtatuimus, & ordinamus, quod nullus de cetero cujuſcunque pręeminentię, gradus, Ordinis, vel dignitatis exiſtat, venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus duntaxat exceptis, ſermonem in eadem capella pręſumat habere, niſi illud ſibi a dicto filio Fratre Jacobo Ægidii (4) Ordinis Prędicatorum Sacrę Theologię profeſſore, moderno, & pro tempore exiſtente Magiſtro Sacri Palatii, fuerit ante commiſſum, ipſeque Sermo ab eodem Magiſtro pręviſus, accuratus, examinatus, ſi opus extiterit, ante correctus, & emendatus, ac ſufficiens, ut in conſpectu Romani Pontificis haberi valeat, reputatus fuerit. Ille vero, cui hoc commiſſum fuerit, ut prefertur, neminem poſſit loco ſui, ſine ipſius Magiſtri petita, & habita licentia ſubrogare. Magiſter autem pręfatus, in cujus humeris ſuper hoc cura dicti Pontificis, requieſcit, in hujuſmodi ſermonibus, ea, quę ad integritatem fidei orthodoxę, ſalubritatem doctrinę, & omnium revocationem ſcandalorum pertinent, necnon ad faſtidioſę prolixitatis moderamen, diligenter intendat. Si quis vero tantum de ſe ipſo pręſumeret, ut correctionem hujuſmodi humiliter forte recipere recuſaret, ex tunc liceat eidem Magiſtro ſermonem ipſum alteri, niſi illud temporis anguſtia prohiberet, committere, alioquin ſermonem eundem pro ea die, ſi ſibi videatur, prohibere. Quod ſi forte quiſpiam ita temerarius fuerit, ut illud, in quo correctus ab eodem Magiſtro extiterit, in dicta capella ſermocinando malitioſe enunciare pręſumpſerit, extunc ad amplius in dicta capella perorandum indignus cenſeatur, ac excommunicationis ſententia ſe ſubjacere noverit eo ipſo, nihilominus ab eodem Magiſtro publice, etiam noſtro in conſpectu, acriter arguatur.

Privilegia conceſſa.

Sacriſta autem, vel Subſacriſta, necnon Magiſtri, & Clerici ceremoniarum de hujuſmodi ſermonibus agendis, vel non agendis, ſive pronunciandis, non aliter ſe, niſi quantum eis per Magiſtrum pręfatum injunctum fuerit, quomodolibet intromittant. Volumus autem, quod ipſe Magiſter, quoties ipſum ab eadem capella, infirmitate, aut alio impedimento legitimo abeſſe contigerit, ſubſtituendi ibidem alium loco ſui liberam habeat vigore pręſentium facultatem. Non obſtantibus in contrarium facientibus quibuſcunque. Nulli ergo &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę

Mil-

Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Sexto, Idibus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Examinet*. Conſulendus *Fontana* loco laudato.
2. *Fontana*.) Citat *Regeſtum Vaticanum fol.* 17. Idem tranſcripſit *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſtic.*
3. *Statuerunt*.) Nota, privilegium ſacras conciones in ſacello Pontificio habendas examinandi, Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici conceſſum a Prædeceſſoribus *Caliſti III.* Conſtitutionem *Eugenii IV* hoc idem concedentis habes *pag.* 81.
4. *Ægidii*.) Adeas *Fontanam Theatro Dominicano Parte II Cap. V pag.* 440, *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCCLXV pag.* 831, & Auctores, quos iſti laudant & excipiunt.

Bononienſes (1) Fratres, & Moniales omni tributo ſolvendo immunes (2).

Anno 1456 Die 22 Novembris.

Ex Bullar. Carmelitano Parte I in Caliſto III pag. 244. *Conſtitut. IV.*

XXII.

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

ROmanus Pontifex in militantis Eccleſię ſpecula conſtitutus, vigilis more Paſtoris ad ea diligentię ſuę curas magna ex parte convertit, per quę Eccleſiarum, & Monaſteriorum omnium, eiſque pręſidentium, ac in illis Altiſſimo famulantium, perſonarum, ſtatus, & libertas inviolabiliter obſerventur, & quę interdum ex ſuis conceſſionibus, & literis inſurgere videntur varietates, & jurgia, dubia, ac jurgiorum, contentionumque fomenta per ſuę declarationis oraculum, & alia opportuna remedia radicitus extirpentur, ac eędem perſonę juris ſui integritate potiię auctori ſuo quietius valeant famulari. Dudum ſiquidem pro parte dilectorum filiorum Communitatis, & populi civitatis Bononien. nobis expoſito, quod in eadem civitate erant, prout ſunt, nonnulla, Eccleſię, & Monaſteria, tam virorum, quam mulierum, ac alię perſonę eccleſiaſticę tam Seculares, quam etiam diverſorum Ordinum Religioſę, ac etiam cives quidam ſeculares, qui non ſolum ſe, ſed etiam eorum colonos per ſpecialia Sedis Apoſtolicę privilegia, etiam a Nobis obtenta, a ſolutione datiorum, & gabellarum, aliorumque onerum, eidem Civitati pro tempore incumbentium, ſe eximi procuraverant, & propter hujuſmodi privilegia Communitas ipſa maximam jacturam ſuſtinebat, multęque fraudes committebantur, timendumque erat, ne prędictarum exemptionum occaſione diſſenſiones, & ſcandala tunc in eadem civitate ſubſequerentur. Nos de premiſſis certiores eſſe volentes dilectis filiis Ludovico de Bentivoliis (3) tunc in eadem Civitate Vexillifero juſtitię, & Johanni de Catania Vicario venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Bononienſis in ſpiritualibus Generali, & Petro de Cathalonia (4), Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Sacrę Theologię profeſſori, necnon Inquiſitori hęreticę pravitatis per alias noſtras literas (5) in forma Brevis commiſimus: ut ſuper pręmiſſis plenam informationem reciperent, & Nobis, quid in hac re invenirent, per ſuas literas reſponderent. Et deinde cum Vexillifer, Vicarius, & Inquiſitor prędicti Nobis ſignificaſſent, Privilegia ipſa multum prejudiciaria, & ſcandaloſa eidem Communitati exiſtere, ſibique poſt diligentem informationem ſuper ea habitam concorditer videri: ut Decreta, & exemptiones prędicta ſolum extenderentur ad ipſos Eccleſiaſticos, & Religioſos, & cives Seculares Decreta habentes, & eorum familias duntaxat cum ipſis habitantes, non ad alios, ac etiam pręfata Communitas, & populus nobis humiliter ſupplicaſſent, ut ſuper hoc opportune providere dignaremur. Nos maturius in hac re procedere volentes, per alias ſimiles literas Vexillifero, Vicario, & Inquiſitori pręfatis commiſimus, quod vocatis Eccleſiaſticis, Religioſis, civibus, & aliis omnibus decreta habentibus, necnon regiminibus dictę Communitatis, ſeu Civitatis, concordiam unanimiter inter ſe inirent, quo facto, Nos per Apoſtolicas literas eam confirmavimus. Poſtmodum vero per eorundem commiſſariorum literas, ac etiam publicum inſtrumentum, de pręfata concordia inter eos facta certificati, acceptoque, quod inter Eccleſiaſticos, & Religioſos, ſeculares, & alios decreta habentes univerſaliter conventum eſſet, ut decreta prędicta ad ipſos, eorumque familias duntaxat ſecum habitantes, & non ad alios, ſe extenderent, prout in eodem Inſtrumento, cujus, ac privilegiorum hujuſmodi tenores haberi volumus pro expreſſis, plenius continetur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, concordiam ipſam, & illam concernentia, omnia, & ſingula in dicto Inſtrumento contenta rata, & grata habentes, illa auctoritate Apoſtolica confirmavimus, approbavimus, decrevimus, & declaravimus, omnes, & ſingulos colonos, & terrarum laboratores, Eccleſiarum, Monaſteriorum prędictorum tam virorum, quam mulierum, ac aliarum quarumcunque perſonarum Eccleſiaſticarum, ſecularium, & Religioſorum Ordinum quorumcunque, & civium ſecularium civitatis, & dięceſis prędictarum ad ſolutionem datiorum, gabellarum, & aliorum onerum in dicta Civitate incumbentium, exceptis illis, quibus.... (6) decreta, & privilegia conceſſa erant, vel loca quędam ſilveſtria, & nemoroſa, in quibus aliter habitari non poſſit, ad culturam, & habitationem reducerent, teneri, & obligari, & ad illa poſſe, & debere in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi privilegia hujuſmodi, quę eis, aut alicui ipſorum quoad hoc nolumus aliquatenus ſuffragari, a Nobis, vel ab eadem Sede non emanaſſent, non obſtantibus privilegiis prędictis, quibus, etiamſi de illis, ac de eorum totis tenoribus, ac ordinationibus hujuſmodi, necnon nominibus, & cognominibus perſonarum ſpecialis, expreſſaque mentio habenda foret, quoad pręmiſſa ſpecialiter, & expreſſe, & ex certa ſcientia derogavimus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Per hoc autem non intendimus privilegiis exemptionum hujuſmodi quoad eos, qui illis cum ſua familia potiebantur, alias in aliquo derogari, prout in dictis literis, quarum tenorem, ac ſi de verbo ad verbum pręſentibus inſertus foret, haberi voluimus pro expreſſo, plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte univerſorum Prelatorum & Religioſorum, aliarumque perſonarum Eccleſiaſticarum earundem, petitio continebat, ipſi, qui in pręmiſſis circumventi, & decepti fuerunt, cum non conſenſerint in hoc, quod duntaxat ipſi, & ſui cohabitantes, eorumque bona, exemptionibus, immunitatibus, & privilegiis hujuſmodi uti poſſint, & quod ipſorum coloni, & laboratores duntaxat eiſdem exim-

Diplomatis cauſa.

exemptionibus, & immunitatibus non gauderent, ſed tenerentur ad onera antedicta, exquiſitis adinventionibus, & cavillationibus Datiariorum ejuſdem Civitatis hactenus inquietati, vexatique, graves moleſtias perpeſſi fuerint, vereanturque creſcente hominum malitia plurimas ſuſtinere in dies, pro eo quod ipſi Datiarii ſuis limitibus non contenti, contemptu literarum Apoſtolicarum earundem minus veraciter aſſeverant, exemptiones, immunitates, & privilegia Eccleſiis, & Monaſteriis hujuſmodi conceſſa ſervari alias minime debere, niſi pro tot perſonis, quot in illis perſonaliter habitare comprobetur, ac de reliquis Eccleſiarum, & Monaſteriorum bonis quibuſcunque gabellas & datia oportere perſolvi, & ad illud poſſe etiam coarctari, non habentes reſpectum, quod in quampluribus, & Monaſteriis, &
Nota. Eccleſiis antedictis magna, & continua ſervatur hoſpitalitas, eleemoſynarumque largitio, & quamplures tam cives quam forenſes, & tam Civitatenſes, quam coloni, & laboratores ex diverſis cauſis confluant, & declinent ad Monaſteria, & Eccleſias antedictas, ac propterea graves oporteat ipſos Prælatos, Religioſos, & perſonas eccleſiaſticas ſubire expenſas, & quod deterius eſt, perſonas, & bona Eccleſiarum, atque locorum exemptione, & immunitate hujuſmodi gaudentium ad certos numerum, taxam, & menſuram pro eorum libito voluntatis taxare, limitare, & reducere minime vereantur. Quare cum hæc eadem in evidentem Eccleſiarum, & Monaſteriorum eorundem læſionem, ac privilegiorum hujuſmodi violationem, & libertatis eccleſiaſticæ detrimentum, ac vilipendium cedere dignoſcantur, pro parte Prælatorum, ac Religioſorum, & perſonarum prædictarum, qui Altiſſimo cum quiete, & puritate mentium famulari affectant, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut præmiſſis omnibus debita meditatione attentis, ne libertas eccleſiaſtica paſſim ſupprimatur, & pereat, eoſque quotidie injuſte moleſtari, & inquietari, contingat, & ex ſua moleſtia quis poſſit commodum reportare, ſuper iis eorum indemnitati conſulere, & de opportuno remedio providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod ſingulis actibus nihil eſt tam contrarium quam diſſenſus: ac volentes, prout noſtro
Mandatum. incumbit officio, Eccleſiarum, Monaſteriorum, necnon perſonarum hujuſmodi, ne contra ſanctiones Canonicas, atque legales opprimantur, vexenturque indebite, libertatem, & jura tueri, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, pro ſuccidendis litibus, ac dubiis, diſſidiis, moleſtationibus, & inquietationibus antedictis penitus amputandis, motu proprio, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, decernimus, & declaramus, per conſenſum, ſive conventiones, & pacta in literis Apoſtolicis, & inſtrumento prædictis contenta, necnon approbationem, & confirmationem noſtram poſtea ſubſecutam, aut quaſcunque alias literas Apoſtolicas, quorumcunque tenorum exiſtant, etiamſi ex certa noſtra ſcientia, ac motu proprio emanaverint, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, & libertatibus Eccleſiarum, Monaſteriorum, & perſonarum hujuſmodi, niſi in eo tantum, quod ipſi coloni, & laboratores duntaxat, datia, & gabellas ſolvere, & ad onera alia, ſicut ceteri coloni, & laboratores tenentur, nullatenus præjudicatum, ſive derogatum fore, neque intentionis noſtræ fuiſſe, aut eſſe per præmiſſa, vel alia quæcunque eiſdem exemptis, & privilegiatis in aliquo, præterquam de colonis, & laboratoribus eorum duntaxat, derogare, aut præjudicare voluiſſe, neque velle. Quinimmo privilegia, exemptiones, libertates, & immunitates Eccleſiarum, Monaſteriorum, & perſonarum Eccleſiaſticarum hujuſmodi in ſuo pleno, & priſtino robore, & firmitate, quoad reliqua omnia, & ſingula perdurare, ac in nullo omnino, præterquam de colonis ipſis, ut præmittitur, diminutata eſſe, vel cenſeri debere; Mandantes nihilominus auctoritate, & motu prædictis, univerſis Magiſtratibus, ſeu Datiariis Civitatis noſtræ prædictæ modernis, & qui pro tempore fuerint, ſub excommunicationis pœna, quam, ſi ſecus fecerint, ipſo facto eorum ſinguli incurrant: quod in præmiſſis, vel circa ea nulla taxa, ſive reductio numeri certi, vel menſuræ de perſonis, ſive bonis hujuſmodi, immunitate, & exemptione gaudentibus, fieri poſſit, ſive
Nota. debeat, ſed Prælatorum, ſeu Priorum, ac Officialium, & Procuratorum perſonarum, atque locorum prædictorum ſimplici verbo, & aſſertioni credatur, omni contradictione ceſſante prorſus, necnon eiſdem, ac omnibus aliis, & ſingulis dictæ Civitatis Officialibus præſentibus, & futuris cujuſcunque dignitatis, ſtatus, vel conditionis fuerint, necnon eiſdem datiariis, ne prætextu earundem literarum noſtrarum, vel aliarum quarumlibet, Eccleſias, Monaſteria, ac perſonas hujuſmodi, eorumque res, & bona, præmiſſorum occaſione, aut pro molendo, ſeu bladis, uvis, vinis, lignis, vel aliis rebus quibuslibet, aut quibuſcunque contractibus pro Eccleſiarum, Monaſteriorum, perſonarumque eorundem victu, uſu, utilitate, hoſpitalitate ſervanda, receptione declinantium, neceſſariis, vel utilibus, etiamſi in prædiis, vel poſſeſſionibus ipſorum Eccleſiarum, Monaſteriorum, vel locorum eccleſiarum minime colligantur, ſed emantur pretio a quocunque, vel alias gratuito titulo tribuantur eiſdem ad ſolutiones alicujus datii, vel gabellæ, aut alias moleſtare, vexare, inquietare, ſeu directe, vel indirecte cogere quoquomodo præſumant. Non obſtantibus conſtitutione, literis, pactis, & inſtrumento prædictis, quæ alias pro infectis haberi volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis, declarationis, & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Sexto, Decimo Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Bononienſes.*) In *Italia*.
2. *Immunes.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. X.*
3. *Bentivoliis.*) Gens eſt illuſtris quæ nunc etiam floret in *Italia*.
4. *Petro de Cathalonia.*) Deſideratur Inquiſitor iſte eos inter quos recenſet *Fontana Theatro Dominicano Parte III Cap. III pag.* 559. In *addendis* autem *ad III Partem pagina* ſcilicet 632 Inquiſitor *Bononienſis* ab anno *MCCCCLII* ad *MCCCCLX* vocatur *F. Petrus de Majoricis*, qui fortaſſis idem eſt ac *Petrus de Cathalonia*.
5. *Literas.*) Quæ deſiderantur.
6. *Quibus...*) Quædam deſunt.

Epiſ-

Epiſcopo (1), & Inquiſitori Taurinen. (2) contra hæreticos;

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

Anno 1457 Die 29 Januarii.

XXIII.

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Taurinen. & dilecto filio in partibus illis pro tempore exiſtenti, hęreticę pravitatis Inquiſitori per Sedem Apoſtolicam deputato, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

VOtis humilium, illis &c. (4) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum hominum, & Communitatis loci de Bernetio (5) Taurinen. Dięceſis, petitio continebat, quod olim dilectus filius Bertrandus Petri Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor Magiſter in Theologia tunc dilecti filii Ludovici de Sunſino (6), dicti Ordinis, hęreticę pravitatis Inquiſitoris Vicarius, contra diverſos utriuſque ſexus homines in dicto loco, ſub diſtrictu tamen loci de Cuneo (7), Montis Regalis (8) Dięceſis, commorantes, adeo, & taliter ſuper hujuſmodi pravitate ad inquiſitionem proceſſit, quod tam ex illius quam dilecti filii Vicarii Generalis in ſpiritualibus, & dilecti filii Abbatis Monaſterii Sancti Michaelis de Cluſa Ordinis Sancti Benedicti, dictę Taurinen. Dięceſis, proceſſu, viginti, vel circiter homines de hęreſi, & infidelitate convicti, ultimo ſupplicio traditi, & eorum bona confiſcata fuerunt, ac conſequenter ad effectum Inquiſitionis ulterioris faciendę ex ordinatione conſiliariorum Ducalis Conſilii Taurinen., & dilecti filii Magiſtri Thomę (9) de Scaravellis, de Vercellis, dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum tunc Vicarii Generalis, ad hoc deputati, ut ipſe locus de Bernetio ab eadem radicitus purgaretur pravitate, ipſi Bertrandus, & Ludovicus communiter in hujuſmodi Inquiſitionis negotio procedentes inquirere cęperunt, paucis tamen per hujuſmodi Inquiſitionem ad debitam pęnitentiam reductis, ac poſtquam aliquos proceſſus ſuper iis inchoaſſent &c. receſſerunt, ipſo loco de Bernetio nondum purgato, ſed plurimum infecto remanente, in divinę Majeſtatis offenſam, Fidei Catholicę, & locorum circumſtantium detrimentum, & periculum, ac perniciosum exemplum, & ſcandalum plurimorum. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, licet dilectus filius Abbas Monaſterii Sancti Petri, de Savilliano, Ordinis Sancti Benedicti, & Taurinen. Dięceſis, prędictorum, ſuper hoc a bona memoria Amadeo Epiſcopo Sabinen., tunc Felice V in ſua obedientia, de qua partes illę tunc erant, nuncupato, deputatus, ſuper eadem pravitate, procedens, nonnullos de dicto loco de Bernetio de hujuſmodi pravitate infamatos inſontes, & inculpabiles repertos abſolverit, nihilominus tamen ipſi per modernum Inquiſitorem pravitatis, & partium hujuſmodi de novo moleſtentur & vexentur indebite, & injuſte, ac moleſtari, perturbari, & vexari formidant in futurum, pro parte Communitatis, & hominum loci de Bernetio predictorum, cupientium hęreticam pravitatem prędictam de dicto loco de Bernetio penitus extirpari, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ut Inquiſitor pro tempore deputarus prędictus, ſeu alia quęcunque perſona contra homines dicti loci de Bernetio procedere, inquirere, & ipſos punire non poſſint, niſi duobus peritis Doctoribus, aut Magiſtris, ſibi aſſiſtentibus, & aſtitis, per Venerabilem Fratrem noſtrum Epiſcopum Montis Regalis, & dictum Abbatem Monaſterii de Savilliano deputandis, & eligendis, decernere, ſtatuere, & ordinare, necnon eiſdem Epiſcopo, & Abbati, & duobus eligendis Inquiſitoribus, omnibuſque aliis Eccleſiaſticis, & ſecularibus, exemptis, & non exemptis perſonis, etiamſi pontificali, ſeu alia quacunque prętulgerint dignitate, ſub pęnis, & cenſuris Eccleſiaſticis, & pecuniariis, quibus ſibi videbitur, inhibendum, ac dictis Inquiſitoribus, & deputatis inſimul procedentibus, ut pręfertur, contra dicta pravitate hujuſmodi infamatos inquirendi, ac eos corrigendi, & puniendi, & ad totalem dictę hęreticę pravitatis extirpationem omnibus remediis providendi, necnon pęnitentes, & ad debitam converſionem ſe reducentes abſolvendi, ac ad bona eorum, honores & officia reſtituendi, licentiam concedere, ac alias ſuper iis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus, duabus ad hoc peritis, & idoneis perſonis vobiſcum aſſumptis, in pręmiſſis, & circa ea auctoritate noſtra opportune provideatis, facientes quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, firmiter obſervari. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Sexto (10), Quarto Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Epiſcopo*.) Nunc Archiepiſcopalis eſt *Taurinenſis* Sedes.
2. *Taurinen*.) In *Pedemontio*.
3. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*.
4. *Illis &c.*) Exordium deeſt.
5. *Bernetio*.) In *Pedemontio*.
6. *Ludovici de Sunſino*.) Rectius *Soncino*. Sic a patria, quæ civitas eſt *Lambardiæ*, cognominatur *Ludovicus* noſter, qui de *Cenſina* dicitur ab *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCXIV pag.757*.
7. *Cuneo*.) Vulgo *Coni*, in *Pedemontio*.
8. *Montis Regalis*.) Vulgo *Mondovi*, in *Pedemontio*.
9. *Thomæ*.) Cujus meminit *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCXL pag.795*.
10. *Sexto*.) Stylo Bullarum, æra communis *MCCCCLVII*.

No:

Anno 1457 Die 6 Februarii.

Monaſterii in Regno Siciliæ (1) fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXIV.

Caliſtus Epiſcopus Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Theanen. (3), & Narnien. (4), ac Theatin. (5), Epicopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

UT inter ęternę beatitudinis amatrices, quę habitu Sacrę Religionis aſſumpto, Domino Jeſu Chriſto ſe voto celebri deſponſarunt, quies mentis proficere, ac inter eas obſervantia regularis ſtabiliri valeat, tanto propenſius ęquum eſt illas attollere gratiis, & earum pia confovere propoſita, quanto ſexus fęminei fragilitas ad ferendum Sacrę Religionis propoſitum auxilio potiori noſcitur indigere. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectę nobis in Chriſto filię Nobilis Mulieris Franciſcę de Urſinis (6), relictę quondam Nobilis Viri Johannis Antonii de Marezano, olim Ducis Suenę, & Regni Sicilię Amirati (7) viduę petitio continebat, quod ipſa per tres annos, & ultra poſt obitum dicti Johannis mariti ſui pro animi propoſito conſervando, votum caſtitatis emiſit, reverenter, & affectuoſe habitum de Pęnitentia Beati Dominici ſuſcepit, & infra dictum tempus ad ipſam in eodem modo vivendi, & ſub habitu hujuſmodi nonnullę Virgines, poſtquam per verba de pręſenti matrimonium contraxerant, nulla tamen carnali copula ſubſecuta, confluxerunt (8), cum quibus ipſa Franciſca in Civitate Neapolitana ſocialiter omni tempore in Domo conducta vixit, experiendo continue in victu, & veſtitu, vigiliis, & ſtratu aſperitates, & hujuſmodi Inſtituta Sororum regulatarum de habitu primi Ordinis Sancti Dominici, conti-

Supplex petitio.

nue affectans, in perpetua clauſura, cum ſuis ſociabus Deo famulari poſſe, & primum habitum Sancti Dominici profiteri ſub cura, & regimine generalis Magiſtri Ordinis Prędicatorum, ac pręcipue per Fratres de obſervantia dicti Ordinis gubernari. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, pręfata Franciſca fervore devotionis accenſa, unum Monaſterium dicti Ordinis de Obſervantia cum Eccleſia humili, campana, campanili, dormitorio, horto, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione ſua, ac aliarum Sororum, ibidem ſub perpetua clauſura Altiſſimo famulari volentium, ſuis ſumptibus de novo infra duos a dato pręſentium computandos, fundare, conſtruere, & ędificare, ſeu conſtrui, & ędificari facere ferventer exoptet, pro parte dictę Franciſcę Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi licentiam prędictam, & quod donec ipſum Monaſterium decenter, & congrue inhabitari poſſit, in quadam domo, quam pro ſe, & ſociabus interea pro decenti clauſura deputavit, commorari, ac alię, quę ſecum ad probandum ſupradicta per annum ſteterint, & profiteri voluerint, per Vicarium Conventuum Reformatorum Provincię Regni citra Pharum, ſive alium per eum deputandum, ad profeſſionem ſolemniter recipi valeant, concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dictę Religionis propagationem noſtris potiſſime temporibus augeri ſupremis affectibus deſideramus, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati veſtrę per Apoſtolica Scripta mandamus, atque committimus, quatenus de pręmiſſis omnibus & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis vos diligenter informetis, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereritis, ſuper quo veſtram conſcientiam oneramus, pręfatę Franciſcę unum Monaſterium dicti Ordinis de Obſervantia, cum Eccleſia humili, campana, campanili, dormitorio, horto, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu, & habitatione ſua, & aliarum Sororum, ibidem Altiſſimo ſub perpetua clauſura famulari volentium, in aliquo congruo loco, & ad id apto abſque tamen alicujus prejudicio, cum ſuis ſumptibus in aliqua civitate, vel diœceſi, caſtro, loco, vel villa, de conſenſu tamen ordinarii loci infra biennium de novo conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, illudque, poſtquam conſtructum & ędificatum fuerit, cum eiſdem Sororibus recipiendi, & inhabitandi, plenam, & liberam licentiam auctoritate noſtra, concedatis, non obſtante felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi prohibitione, ne abſque Sedis Apoſtolicę licentia, faciente plenam, & expreſſam de hujuſmodi privilegio mentionem, Mendicantes loca de novo recipere, & fundare pręſumant, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nos enim Franciſcę, & mulieribus prędictis, donec ipſum Monaſterium decenter & congrue inhabitari poſſit, in eadem dicta domo cum ſuis ſociabus commorari, & alię, quę ſecum ad probandum prędicta per annum ſteterint, & profiteri voluerint, per ſupradictum Vicarium Provincię Regni pro tempore exiſtentem, ſive per alium per eum deputandum, ad profeſſionem ſolemniter recipi poſſint, & inſuper, ut ipſum Monaſterium per ſupradictam Franciſcam de novo erigendum, ſeu conſtrui faciendum ſub regulari obſervantia B. Dominici perpetuo conſervetur, auctoritate Apoſtolica ſtatuimus, & decernimus, quod Vicarius Fratrum de Obſervantia Ordinis Prędicatorum Provincię Regni Sicilię citra Pharum, qui pro tempore fuerit, curam dicti Monaſterii habeat, ac etiam quod ille de Fratribus dicti Ordinis idoneis, & honeſtis, per ipſum Vicarium ponendis, & amovendis, qui ipſarum Sororum confeſſiones audiant, & illas pro commiſſis abſolvant, ac eis, quoties opus fuerit, Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrent, providere debeat, & teneatur, quodque Franciſca & Sorores prędictę tam in dicta condecenti domo, donec Monaſterium prędictum perficiatur, quam in dicto Monaſterio ſub regulari obſervantia pro tempore degentes, omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, indultis, & immunitatibus, aliis Monaſteriis dicti Ordinis de obſervantia, necnon Sororibus in illis degentibus, per Sedem Apoſtolicam, vel alias in genere conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, & gaudere libere, & licite valeant, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium de ſpeciali gratia indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus per Nos, vel Prędeceſſores noſtros Romanos Pontifices hactenus factis, ac ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſteriorum & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis fir-

firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi eiſdem Ordinis Sancti Dominici, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod aliquos preter, & contra eis conceſſa privilegia, ſive indulta, ad viſitandum, vel alias admittere teneantur, Pręſidenteſque quoque (9) & perſonę ad id compelli, & excommunicari, & ſuſpendi, ſeu ipſę, aut Monaſterium hujuſmodi interdici non poſſint per literas Apoſtolica, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, & indulgentiis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta veſtrę juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, & quę quoad hoc eis nolumus aliquatenus ſuffragari. Quod ſi non omnes his exequendis intereſſe potueritis, duo, aut unus veſtrum ea nihilominus exequatur. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Sexto (10), Pontificatus noſtri Anno Secundo, Sexto Februarii (11).

1. *Regno Siciliæ.*) *Neapolitano* ſcilicet, ut alicubi dictum fuit.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum, cujus Autographum eſt in Archivo Archiepiſcopi *Teatini*.
3. *Theanen.*) *Teanen.*, in *Campania*, ſub Archiepiſcopo *Capuano*
4. *Narinen.*) Seu *Neriten.*, vulgo *Nardo*. Urbs eſt *Salentinorum*, in Regno *Neapolitano*.
5. *Theatin.*) Seu *Teatin.*, vulgo *Chieti*, in *Aprutio citeriori*, in Regno *Neapolitano*.
6. *Franciſca de Urſinis.*) E nobiliſſima ſcilicet *Urſinorum* gente oriunda. Adeas *Sanſovinum De Gente Urſina*.
7. *Amirati.*) Sic ſummi claſſium Præfecti apud *Siculos* appellati. In ſequenti Diplomate *Amiratus* iſte vocatur *Johannes Antonius de Marzano*, Dux *Sueſſanus*.
8. *Conſtuxerunt.*) Enim vero *poſt conſenſum legitimum de præſenti licitum eſt alteri, altero etiam repugnante, eligere Monaſterium* (*ſicut ſancti quidam de nuptiis vocati fuerunt*) *dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos*, ut habetur Cap. *Verum* De Converſ. Conjugatorum Tit. XXXII Lib. III Decretal. Gregor. Id etiam liquet ex Capite *Ex publico* Titulo mox laudato, & ex Sacro Concilio *Tridentino*. Hac de re conceduntur conjugibus menſes duo.
9. *Præſidenteſque quoque.*) Turbatus videtur locus. Vel ſenſus eſt: *Et Præſidentes*, id eſt Præpoſitę, *& Perſonæ*, ſeu communia quibus præſunt &c.
10. *Quinquageſimo Sexto.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLVII*.
11. *Sexto Februarii.*) Sic Amanuenſis. Legendum: *Octavo Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo*.

Ut Soror Franciſca de Urſinis (1) F. Angeli de Periis conſiliis regatur.

Anno 1457 Die 8 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXV.

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectę in Chriſto filię Franciſcę de Urſinis, Sorori Ordinis Sancti Dominici de Pęnitentia nuncupati, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex petitio.

SIncerę &c. (3) Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu per octo fere annos de voluntate & beneplacito quondam Johannis Antonii de Marzano (4) tunc Ducis Sueſſan. (5), viri tui, conſtante etiam inter te & ipſum matrimonio, ex permiſſione, & conceſſione, quondam Magiſtri Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, tunc exiſtentis, dilectum filium Angelum de Periis, ejuſdem Ordinis, de Obſervantia nuncupati profeſſorem, in tuum elegeris, & ſuſceperis confeſſorem, ac etiam inſtructorem, & deinde matrimonio hujuſmodi per obitum ejuſdem viri tui ſoluto, viduitatis tempore, ſpe conſervandi votum caſtitatis, & pudicitię, ab eodem ſuſceperis habitum S. Dominici de Pęnitentia hujuſmodi, moderni Generalis Magiſtri dicti Ordinis ſuper hoc interveniente aſſenſu, ac propter ipſius Angeli laudabilem vitam, regimen, & converſationem optimam, prout experta es, proponas dictum Ordinem profiteri, ac quandam domum dicti Ordinis de Pęnitentia, in qua permiſſione divina poſſis clauſtraliter perpetuo Altiſſimo famulari, de novo ędificare facere, ac etiam conſummare, ſperans ab experto, ipſius Angeli cura & pręſidio mediantibus, hoc efficaciter conſequi poſſe, alioquin fragilitate ſexus fęminei & diverſorum Religioſorum inexperta familiaritate attentis id peragere poſſe ex toto diffideres. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut te, in hujuſmodi pio laudabilique propoſito confoventes, mentis tuę tranquillitati, & animę tuę ſaluti, ſuper hoc paterna caritate proſpicere & opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut tui laudabilis propoſiti hujuſmodi conſequaris effectum, tibi, quod eundem Angelum quandiu vixeris in tuum Confeſſorem, ac patrem ſpiritualem, & gubernatorem animę tuę, habere valeas, eidemque Angelo, ut abſque alicujus ſuperioris ſui contradictione, ſeu immutatione, ipſe confeſſiones tuas audire, necnon animę tuę ſaluti, & gubernationi intendere debeat, nec a pręmiſſis, niſi ipſius demeritis exigentibus, revocari poſſit invitus, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, tibi, & illi concedimus, ac pariter indulgemus, & eidem Angelo pręſentium tenore mandamus. Non obſtantibus ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrorum conceſſionis, indulti, & mandati infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Sexto (6), Sexto Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Mandatum.

1. *Franciſca de Urſinis.*) De qua in præcedenti Diplomate.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*.
3. *Sincerę &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Conſtitutionibus.
4. *De Marzano.*) In præcedenti legitur: *Marezano*.
5. *Sueſſan.*) Optime ſic, non vero *Suena*, ut in præcedenti. *Sueſſanus* Ducatus, vulgo *Seſſa*, eſt in *Campania*, in Regno *Neapolitano*.
6. *Quinquageſimo Sexto.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLVII*.

Anno 1457 Die 23 Martii.

Firmat Fratrum Mendicantium privilegia (1) de Confeſſionibus excipiendis, & ſacris concionibus habendis, reſcindens ea quæ Rector Univerſitatis Pariſienſis adverſus eoſdem Fratres ſanxerat.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXVI.

Caliſtus (3) Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

INter cetera, quę noſtrę paſtorali curę competunt, ea ipſa procul dubio eſſe decernimus, quibus Chriſti fideles, cunctis propulſis erroribus, in virtute fidei, ac pacis quiete vivere, gloriamque proſequi beatam conſpicimus, ſed & acceptabile Deo multum id eſſe non ambigimus, quo religioſę perſonę Chriſto famulantes, noſtrę vigilantię miniſterio, ac juſtitię favore, privilegiis eiſdem, a Sancta Sede Apoſtolica matura cum deliberatione conceſſis, nullo colore impediri, ſed libere frui intuemur.

Diplomatis cauſa.

Nuper ſiquidem, non ſine quadam animi diſplicentia, ex relatibus plurimorum fide dignorum percepimus, quod quanquam fel. rec. Bonifatius Papa VIII Prędeceſſor noſter, in ſua quę incipit: Super Cathedram (4): Conſtitutione, ſive Decretali, quam poſtmodum pię me: Clemens V, etiam Prędeceſſor noſter, in Concilio Viennen. innovavit, & quę ſubſequenter ad Heremitarum Sancti Auguſtini, & Beatę Marię de Monte Carmeli, Ordinum, Fratres, per Sedem Apoſtolicam extenſa fuit, inter cetera ſtatuerit, & ordinaverit, quod in ſingulis Civitatibus, & Diœceſibus, in quibus Prędicatorum, & Minorum Ordinum Fratrum loca conſiſterent, ac in locis ipſis vicinis, in quibus loca hujuſmodi non haberentur, Magiſtri, & Priores Provinciales Prędicatorum, aut eorum Vicarii, Generales, ac Provinciales Miniſtri, necnon Cuſtodes Minorum, Ordinum prędictorum ad preſentiam Prelatorum ibidem ſe conferrent per ſe, vel Fratres, quos ad hoc idoneos fore putarent, humiliter petituri, ut Fratres qui ad hoc electi forent, in eorum civitatibus, & Dioceſibus confeſſiones ſuorum ſubditorum, confiteri ſibi volentium, audire libere valeant, & hujuſmodi confitentibus, prout ſecundum Deum expedire cognoſcerent, pęnitentias imponere ſalutares, ac beneficium abſolutionis impendere, de licentia, gratia, & beneplacito eorundem, prefatique Magiſtri, Priores, ac Miniſtri ſtuderent eligere perſonas idoneas, ſufficientes, vitę probatę, diſcretas, modeſtas, atque peritas, ad tam ſalubre miniſterium & officium exequendum, quas ſic electas, Prelatis ipſis preſentarent, vel facerent preſentari, ut de illorum licentia, gratia, & beneplacito, in Civitatibus & Dioceſibus eorundem, perſonę ſic electę hujuſmodi, Confeſſiones ſibi confiteri volentium audirent, & eis imponerent pęnitentias ſalutares, ac beneficium abſolutionis impenderent. Ac etiam bonę memorię Johannes PP. XXII Prędeceſſor noſter certos errores damnaverit, & reprobaverit de conſenſu Fratrum ſuorum S. Romanę Eccleſię Cardinalium, necnon celebris recordationis Eugenius IV, etiam Prędeceſſor noſter, errores ipſos pro falſis, erroneis, & adverſantibus ſacris Canonibus damnatos, reprobatoſque declaraverit, cum quibuſdam aliis, atque decreverit, & ſubſequenter pię memorię Nicolaus Papa V, ſimiliter Prędeceſſor noſter, de Fratrum ſuorum conſilio, de quorum numero tunc eramus, dicti Eugenii prędeceſſoris literas, in omnibus & per omnia approbaverit, & confirmaverit, prout in ſingulis literis Eugenii, & Nicolai, Prędeceſſorum hujuſmodi, plenius continetur, quarum quidem tenor ſequitur, & eſt talis. Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis, & ſingulis venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis Electis, & Abbatibus ubilibet conſtitutis, ad quos preſentes literę pervenerint, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Proviſionis noſtrę debet provenire ſubſidio, &c. (5). Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Millefimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Octavo, Tertio Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Verumtamen dum pridem in vigilia Pentecoſtes proxime preterita prefatę literę Nicolai Prędeceſſoris noſtri venerabili Fratri noſtro Epiſcopo (6) Pariſien., ſeu in ejus Epiſcopali curia preſentatę forent, dilectus filius Guillelmus Riveti (7) Rector pro tunc Univerſitatis Pariſien. eaſdem impediri fecit, aſſerens dicti Nicolai Prędeceſſoris literas de falſo plurimum ſuſpectas, pacis in eadem Univerſitate ſolemniter juratę, & ſtatus Iherarchici (8) in Eccleſia S. Dei plurimum turbativas, ſcandaloſas, & adverſas juri communi, ſanctionibus ſacris, & Pragmaticę ſanctioni, & quod ſuper illis renunciando, & illarum revocatoria impetranda Religioſi quatuor Ordinum Mendicantium fuerunt attentius ſummati (9), quod facere renuerant, & diſtulerant, per ſuas patentes literas, univerſis notum fecit, quod ex cauſis prędictis, & aliis rationabilibus, de mandato, ac ſpeciali, & matura deliberatione, & concluſione dictę Univerſitatis, omnes & ſinguli illius jurati, de dictis quatuor Mendicantium Ordinibus, a gremio prefatę Univerſitatis erant perpetuo privati, non jurati autem ab ejuſdem Univerſitatis conſortio, & gradunm in eadem ſuſceptione ſimiliter reſecati. Si tamen dictis ſuis obtemperaverint concluſionibus cum effectu, eadem Univerſitas cum eiſdem miſericorditer agere intendebat. Et etiam cum in ſtatutis & privilegiis dictę Univerſitatis, & precipue felicis recordationis Alexandri IV inter cetera contineri dicatur, quod ſi forte Magiſtris & Scolaribus dictę Univerſitatis hoſpitiorum ſubtrahatur taxatio, aut eis, vel alicui ipſorum injuria, vel exceſſus inferrentur enormes, utpote mortis, vel membri mutilatio, niſi, congrua monitione premiſſa, infra quindecim dies foret ſatisfactum, liceret eiſdem Magiſtris & Scolaribus, uſque ad ſatisfactionem condignam ſuſpendere lectiones, & ſi aliquem eorum indebite incarcerari contingeret, fas eſſet ipſis, niſi, monitione prehabita, ceſſaret injuria, ſtatim a lectione ceſſare. Quodque ſi pro aliqua ex cauſis in Conſtitutione pię memorię Gregorii PP. VIIII (10) contentis, eadem Univerſitas lectiones duxerit ſuſpendendas, omnes Magiſtri tam Regulares, quam Seculares ipſas ſuſpendere tenerentur, eas niſi cum Univerſitate minime reſumpturi, eveniatque interdum, ut ex cauſis premiſſis ab hujuſmodi lectionibus ceſſatio fiat, Rector, & Univerſitas Religioſos

prę-

prędictos, ut de aliis taceamus, non ſolum a lectionibus hujuſmodi, verum etiam a prędicationibus Verbi Dei ceſſare compellunt, in Sedis Apoſtolicę irreverentiam, fidei Chriſtianę diſpendium, ac perturbationem dictorum Religioſorum, necnon malum exemplum, & ſcandalum plurimorum. Quare pro parte dictorum Religioſorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in pręmiſſis opportune providere paterna diligentia curaremus. *Confirmatio.* Nos igitur, ad quos ex officio Nobis commiſſo pertinet in pręmiſſis vigilantię noſtrę curas adhibere, ſcientes, quod prędictę Nicolai Prędeceſſoris literę matura cum deliberatione proceſſerunt, & quod nullo capite reputandę ſunt de falſitate, aut ſurreptione, vel obreptione ſuſpectę, nec ſtatus ierarchici in Eccleſia Dei turbativę, vel ſcandaloſę, neque ſacris Canonibus adverſantes, ſed potius conſonę, ſaluti animarum Chriſti fidelium plurimum profuturę, eaſque de venerabilium Fratrum noſtrorum Cardinalium conſilio, & aſſenſu innovamus, confirmamus, & approbamus, ſerie cum pręſenti, mandantes illas, ac omnia, & ſingula in eis, necnon Eugenii Prędeceſſoris literis hujuſmodi contenta ſub excommunicationis, & aliis diverſis ſententiis, cenſuris, & pęnis firmiter obſervari, quodque idem Rector pręfatos quatuor Ordinum Mendicantium Fratres, pro eo quod determinationibus Sacroſanctę Romanę Eccleſię in materia fidei renunciare noluerint, reſecatos, atque privatos, ut pręfertur, notificavit: ſtatutum quoque, & privilegium Alexandri IV hujuſmodi ſolum de ceſſatione a lectionibus, & non a prędicationibus mentionem fecit, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ne tam celebres Ordines, quorum pręclara ſuppoſita, illam Univerſitatem, Francię Regnum, ac Univerſalem Eccleſiam, ſuis doctrinis, & exemplis decoraverunt, atque decorant, tam ſubito tamque repente fuerint ab eadem Univerſitate, remaneant, & ſint, vel cenſeantur quoquomodo reſecati, quinimo ibidem perpetuo vigeant, & notabile facultatis ſacrę Theologię membrum fuerint, & exiſtant, privationem, reſecationem, & literas Rectoris hujuſmodi, ac in eis contenta, & inde ſecuta quęcunque, de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu, auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia, tenore pręſentium, revocamus, caſſamus, irritamus, & annullamus, ac nullius roboris, vel momenti fuiſſe, & eſſe decernimus, ipſos quatuor Ordinum Mendicantium Fratres, in priſtinum, & in eum ſtatum, in quo ante notificationem, privationem, & reſecationem prędictas exiſtebant, reſtituimus, & reponimus, eoſque in aliquo caſuum, niſi hoc in ipſis literis Alexandri (11), & ſtatutis ante dictis caveatur expreſſe, ad ceſſandum a prędicationibus Verbi Dei, nec ad id per Rectorem pro tempore dictę Univerſitatis, ſeu quemcunque alium, aut alios compelli poſſe, declaramus, ſed ipſos quatuor Ordiuum Mendicantium Fratres, tam juratos, quam non juratos, & alios Pręlatos, Doctores, ac Rectores Eccleſiarum, ad quos ſpectat Verbum Dei in ſuis Eccleſiis, & aliis locis, ubi fuerint requiſiti, prędicare libere & licite poſſe, & debere in omnibus & per omnia perinde, ac ſi hujuſmodi ceſſatio non foret in caſibus antedictis, & ita literas Alexandri, & ſtatuta hujuſmodi, ut juri conſona debere intelligi, declaramus. Nichilominus omnibus, & ſingulis Fratribus quatuor Ordinum Mendicantium prędictorum, qui in dicta Univerſitate debitos, & conſuetos curſus in Theologia inceperint, continuaverint, & profecerint (12), & in futurum incipient, continuabunt & proficient (13), durante hujuſmodi aut ſimili reſecatione, ut Licentię gradus, & doctoratus inſignia Cancellarius dictę Univerſitatis pro tempore, ut moris eſt, ſibi impendat, & ſi forſan idem Cancellarius ad id requiſitus, gradus Licentię & Magiſterii inſignia, eis impendere contradiceret, ex tunc liceat antiquiori Magiſtro in Theologia prędictorum quatuor Ordinum, vel uni ad hoc deputato ab eorundem quatuor Ordinum Magiſtris, illis qui dictos curſus perfecerint, gradus, & inſignia hujuſmodi, prout, ſervatis alias ſolemnitatibus & examine conſuetis, meruerint, abſque alicuius ſpiritualis, vel temporalis pęnę incurſu, libere impendere, quodque Fratres ſic per eoſdem Magiſtros promoti, omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, libertatibus, exemptionibus, indultis, & immunitatibus, gaudeant, & utantur, ac uti, & gaudere poſſint, ſicuti illi, quibus idem Cancellarius hujuſmodi gradus, & inſignia juxta ſtatuta, & conſuetudines dictę Univerſitatis impendit, in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi gradus, & inſignia prędicta, ab eodem Cancellario cepiſſent, eadem auctoritate concedimus, pariter, & indulgemus. Pręterea quia pretextu privilegiorum dictę Univerſitatis, occaſione, ſeu ex cauſis prędictis, quidam Fratres prędictorum Ordinum citati fuerunt, atque moleſtati, durante hujuſmodi reſecatione, pręfato, & pro tempore exiſtenti, Rectori, Conſervatoribus, necnon Magiſtris, & Scolaribus dictę Univerſitatis, in virtute Sanctę obedientię, ac ſub excommunicationis pęna latę ſententię, a qua niſi in mortis articulo per alium, quam per Romanum Pontificem abſolvi non poſſint, ſi ſecus egerint, promulgamus, ne occaſione, ſeu ex cauſa prędictis, pretextu ſupradictorum privilegiorum, ipſos Fratres, vel aliquem ipſorum, niſi apud Sedem Apoſtolicam dumtaxat, directe, vel indirecte, ſeu alio quovis quęſito colore, per ſe, vel per alium, ſeu alios, tam ſuper reſecatione, quam gradus impenſione, ceſſatione a prędicatione, quam alias occaſione, ſeu ex cauſa prędictis moleſtare, vexare, ſeu perturbare pręſumant, eadem auctoritate diſtrictę inhibemus, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę revocationis, caſſationis, irritationis, annullationis, conſtitutionis, reſtrictionis, repoſitionis, declarationis, conceſſionis, induiti, promulgationis, inhibitioois, & decreti, infringere, vel ei auſu temerario contraire. *Sanctio poenalis.* Si quis autem hoc attemptare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Sexto (14), Decimo Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Laus Fratrum Mendicantium.

Abrogat Decretum Rectoris.

A. Ferrarii.

Super partem inverſam, ſeu plicam, legitur:

De Curia

G. De Porria.

A tergo legitur:

Regiſtrata in Camera Apoſtolica.

G. De Vulterria,

1. *Privilegia.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII.* Adeas *Waddingum* mox laudandum.

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Legitur apud *Uſuſmarem pag.* 122, *Caſtellanum pag.* 90, *Waddingum Annal. Minor. Tomo VI pag.* 392 *ad an. MCCCCLVII num. LXI*, & in *Conſtitutionibus editis anno MDVII num. XCIX pag.* 53.

3. *Caliſtus.*) Ex hoc Autographo ſcribendum *Caliſtus*, non vero *Calixtus*, vel *Callixtus*, ut paſſim legitur apud Auctores.

4. *Super Cathedram.*) Extat inter *Extravagantes communes Libro III Tit. VI de Sepulturis Cap. II.*

5. *Subſidio &c.*) Ut in *Conſtitutione XXVI Nicolai V* ad finem uſque (*pag.* 256.) Conſtitutio ſiquidem *Eugenii IV* a *Nicolao V* renovata, in hoc *Caliſti III* autographo legitur.

6. *Epiſcopo.*) Nunc Archiepiſcopalis eſt Sedes Pariſienſis.

7. *Riveti.*) Cujus meminit *Boulaus Hiſtor. Univerſitatis Pariſien.*

8. *Iherarchici.*) Seu *Hierarchici*.

9. *Summati.*) Appellati ſcilicet, ſeu admoniti.

10. *Gregorii PP. VIIII.*) Legitur hæc *Gregorii* Conſtitutio apud *Boulæum*.

11. *Alexandri.*) Conſulenda quæ dicta ſunt in *Notis ad Conſtitutiones Alexandri IV* hac de re tranſcriptas *Tomo I* hujus Bullarii.

12. *Profecerint.*) Sic in Autographo. Scribendum videtur: *Perfecerint*.

13. *Proficient.*) Ut in *Nota* præcedenti.

14. *Quinquageſimo Sexto.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLVII.*

Anno 1457
Die 8 Junii.

Statuit annuam Penſionem F. Bartholomæo (1) ſolvendam ex redditibus Coronenſis Eccleſiæ.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXVII.

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Bartholomęo olim Coronenſi, nunc in Univerſali Eccleſia Epiſcopo, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

PErſonam tuam Nobis, & Apoſtolicę Sedi devotam, paterna benevolentia proſequentes, illa tibi libenter concedimus, quę tuis commoditatibus fore conſpicimus opportuna. Cum itaque tu nuper regimini, & adminiſtrationi Eccleſię Coronenſis, cui tunc prẹeras, per dilectum filium Juſtum de Juſtis, Civem Motonen. procuratorem tuum ad hoc a te ſpecialiter conſtitutum, in manibus noſtris ſponte, & libere conceſſeris, Noſque ceſſionem tuam duxerimus admittendam, ac eidem Eccleſię per hujuſmodi ceſſionem Paſtore carenti de perſona dilecti filii Johannis Electi Coronenſis, de Fratrum noſtrorum conſilio, gratioſe duxerimus providendum, pręficiendo ipſum illi in Epiſcopum & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Nos igitur, volentes tibi, qui, ut accepimus, regimini, & adminiſtrationi prędictis in manibus noſtris libere, & abſque penſione aliqua, pręſertim ex eo quod poſtquam tu olim deliberaveras, regimini, & adminiſtrationi dictę Eccleſię cedere velle, in periculo mortis conſtitutus voluntatem hujuſmodi voto de cedendo regimini, & adminiſtrationi ejuſdem Eccleſię abſque aliqua reſervatione penſionis ratificaveras, cedere voluiſti, quodque tu lapſo certo temporis ſpatio, conſiderans cauſas ceſſionis hujuſmodi, & quod abſque locorum diſpendio, ad quę te conferre, & in quibus reſidere te contingeret, votum hujuſmodi adimplere non valeas, nec te abſque ſervitore progredi debere, penſioni hujuſmodi ſuper fructibus, redditibus, & proventibus dictę Eccleſię tibi reſervandę, dicto voto non obſtante, acquieviſti, ne propter ceſſionem ipſam minimum diſpendium patiaris, ac ſtatum tuum juxta Epiſcopalis dignitatis decentiam tenere poſſis, de alicujus ſubventionis auxilio providere, motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te Nobis oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, te ab emiſſione voti hujuſmodi Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium abſolvimus, necnon penſionem annuam centum ducatorum auri Venetorum ſuper fructibus, redditibus, & proventibus menſę Epiſcopalis Coronenſis tibi, quoad vixeris, vel procuratori tuo ad hoc a te ſpeciale mandatum habenti, per ipſum Electum, cujus ad id expreſſus acceſſit aſſenſus, & ſucceſſores ſuos Epiſcopos Coronenſes pro tempore exiſtentes, pro una videlicet in Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & alię medietatibus, penſionis ejuſdem in Nativitatis Sancti Johannis Baptiſtę feſtivitatibus, in Civitate Venetiarum annis ſingulis efficaciter perſolvendam, auctoritate prędicta tenore pręſentium reſervamus, conſtituimus, & aſſignamus, tibique illam quoad vixeris percipere, & in uſus tuos convertere, licere decernimus. Et nihilominus Electum, & ſucceſſore prędictos, ad ſolutionem penſionis hujuſmodi, juxta reſervationis, conſtitutionis, & aſſignationis earundem continentiam atque formam fore efficaciter obligatos decernentes, ac volentes, & eadem auctoritate ſtatuentes, quemlibet ex Electo, & ſucceſſoribus prędictis quoties, in aliqua ex feſtivitatibus pręfatis, vel ſaltem infra triginta dies immediate ſequentes penſionem per ipſum tunc debitam hujuſmodi non perſolverint cum effectu, lapſis diebus eiſdem, ei ingreſſus Eccleſię interdictus exiſtat. Si vero per ſex menſes pręfatos triginta dięs immediate ſequentes ſub hujuſmodi Interdicto, animo, quod abſit, permanſerit indurato, ex tunc lapſis menſibus eiſdem, regimine, & adminiſtratione pręfatę Eccleſię in ſpiritualibus, & temporalibus ſuſpenſus exiſtat eo ipſo. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac pręfatę Eccleſię Coronen., juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, contrariis quibuſcunque; aut ſi Electo ac Succeſſoribus pręfatis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod ad ſolutionem, ſeu pręſtationem penſionis alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, vel ſuſpendi non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictę Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam effectus hujuſmodi gratię impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, cujuſque toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, noſtrarum abſolutionis, reſervationis, conſtitutionis, aſſignationis,

Diplomatis cauſa.

Penſio conſtituta.

Clauſula derogans.

Sanctio poenalis.

vo-

voluntatis, & ſtatuti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Septimo, Sexto Idus Junii, Pontificatus noſtri Tertio.

1. *Bartholomæo.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Nicolai V.*

2. *Archivo*) In quo exemplar authenticum ex Authographo aſſervato in *Florentino* Cœnobio *S. Mariæ Novellæ.*

Concordiam Pariſienſem Univerſitatem inter & Mendicantes Fratres ſine conſenſu Generalium eorundem Fratrum initam reſcindit. (1)

Anno 1457 Die 11 Octobris.

Ex Bullario (2) Carmelitano Parte I in Caliſto III Conſtitutione VII pag. 249.

XXVIII.

Calliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Rectori, & Univerſitati Studii Pariſien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NOlentes, ſicut nec velle debemus, ea quę improvido paucorum conſilio geſta ſunt cum detrimento multorum conniventibus oculis pręterire, ac inanes hominum actiones cum jactura animarum pro firmis haberi, pręſentium ſerie declaramus, concordiam anno proxime elapſo per quoſdam Ordinum Mendicantium Fratres cum Univerſitate veſtra ſine conſenſu Generalium, & Conventuum dictorum Ordinum in pręjudicium executionis, declarationis, & mandati felicis record. Nicolai Papę V Prędeceſſoris Noſtri, in ſua, quę incipit: Proviſionis Noſtrę: per Nos etiam de unanimi aſſenſu venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium nuper innovata, confirmata, & approbata per literas Apoſtolicas exordium ſumentes: Inter cetera: factam, necnon renunciationis, appellationis ad Sedem Apoſtolicam interjectę, ea occaſione, ac aliorum inde ſubſecutorum, eſſe temerariam, & pręſumptam, nulliuſque exiſtere roboris firmitatis, etiam juramento temerario, ſi quod ſit, pręſtito roboratam. Quapropter vobis pręcipimus, & mandamus, ut ſicut obedientię filii, & verę Doctrinę ſectatores eſtis, huic juſſioni noſtrę Apoſtolicę pareatis, & obediatis, ut tenemini, & inde ut merito devoti noſtri filii, & huic Sanctę Sedi, cui licet immeriti pręſidemus, gratiis, & favoribus proſequi mereamini, ut optamus. Datum Romę apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Septimo, Quinto Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Reſcindit.*) Conſulenda *Conſtitutio XXVI pag.362.*

2. *Bullario.*) Ex Autographo *Romæ* aſſervato.

Drepanenſis (1) Monaſterii fundandi facultas.

Anno 1457 Die 3 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXIX.

Calliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Panormitan. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

PIa devotorum Deo, & Eccleſię deſideria &c. (3). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Jacobi Papi de Drapano, laici Mazarcen. (4) Diœceſis, petitio continebat, quod ipſe ob ſingularem devotionem, quam ad Ordinem Prędicatorum gerit, & etiam conſiderans, quod in terra Drapani (5) nullum prędicti Ordinis Monaſterium Monialium exiſtit, & quod jam diu tam ejus filię, quam forſan alię Virgines ejuſdem terrę ſupra modum affectant, ſub regulari habitu dicti Ordinis ſedulum, & devotum exhibere Domino famulatum, cupit in eadem terra unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis de novo fundare, conſtruere, & ędificare, ſeu conſtrui, fundari, & ędificari facere, dummodo ei ſuper hoc per Nos licentia concedatur, ac duę Sorores dicti Ordinis in Monaſterio Sanctę Catharinę de Caſſaro Panormitan. commorantes, videlicet Contiſſa, & ejus ſocia in vitę ſanctimonia plurimum comprobatę, ad inſtruendum dictas Virgines futuras Moniales deputentur, pręfataque Contiſſa alias juxta ſtatuta, & conſuetudines dicti Ordinis in Abbatiſſam ſeu Priориſſam ipſi erigendo Monaſterio pręficeretur. Quare pro parte dicti Jacobi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi in aliquo loco dictę terrę ad id convenienti, & idoneo, abſque tamen alicujus pręjudicio, unum Monaſterium Monialium pręfati Ordinis cum Eccleſia humili, campana, campanili, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione Sororum dicti Ordinis, quę ſub perpetua clauſura, & regulari obſervantia vivant, de bonis ſibi a Deo collatis de novo fundandi, conſtruendi, & ędificandi, ſeu fundari, conſtrui, & ędificari faciendi, plenam, & liberam licentiam concedere, dictaſque Contiſſam, & ejus ſociam de eodem Monaſterio Sanctę Catharinę ad pręfatum erigendum Monaſterium cum earum bonis ad inſtruendum prędictas Virgines, & inibi perpetuo commorandum transferri, ipſamque Contiſſam in Pręlatam, ſeu Abbatiſſam dicti erigendi Monaſterii alias juxta ſtatuta, & ordinationes pręfati Ordinis, pręfici mandare, necnon Abbatiſſę, & Sororibus in eodem erigendo Monaſterio pro tempore commoraturis, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, immunitatibus, exemptionibus, indultis, & indulgentiis, quibus alia dicti Ordinis Monaſteria in Inſula Sicilię exiſtentia, ac illorum Abbatiſſę, & Sorores in genere a Sede Apoſtolica, vel alias gaudent, & utuntur, ſeu uti, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, ipſę etiam Abbatiſſa, & futurę Moniales, uti & gaudere, necnon unum idoneum Sacerdotem ſecularem, vel dicti Ordinis Religioſum vitę laudabilis, & ętate provectum, qui eis miſſas celebret, & Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtret, in earum capellanum tene-

Supplex petitio.

Nota.

tenere libere, & licite valeant, concedere, & indulgere, aliaſque in pręmiſſis opportune provide-
Facultas. re de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus per te ipſum, ſi eſt ita, ſervatis ſervandis, ſuper ſupplicatis hujuſmodi, eadem auctoritate noſtra
Clauſula derogans. provideas. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę VIII, Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne perſonę quorumvis Ordinum Mendicantium ad inhabitandum loca de novo recipere, vel hactenus recepta mutare pręſumant abſque Apoſtolicę Sedis licentia ſpeciali faciente plenam & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis quibuſcunque, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Septimo, Tertio Nonas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Drepanen.*) Vulgo *Trapani*, in *Valle Mazaren.*, in *Sicilia*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXX fol.*72.
3. *Deſideria &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Diplomatibus.
4. *Mazarcen.*) *Mazaren.*, vulgo *Mazara*, in *Sicilia*.
5. *Drapani*.) *Drepani*, ut in 1 *Nota*.

Anno 1457 Die 5 Novembris.

Bruxellenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

*Ex Belgio Dominicano (2) pag.*326.

XXX.

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Archidiacono Bruxellenſi, Cameracenſis (3) Dięceſis, & S. Pancratii Leydenſis (4), ac S. Pharaildis Gandenſis (5), Trajectenſis (6), & Tornacenſis (7) Dięceſum, Prępoſitis Eccleſiarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Piis Chriſti fidelium deſideriis gratum nobis decet pręſtare conſenſum, & ea, quę Religionis propagationem, cultuſque divini augmentum reſpiciunt, ut votivum conſequantur effectum, favore proſequi gratioſo. Sane pro parte dilectę in Chriſto filię, nobilis mulieris Iſabellę (8) Ducíſſę Burgundię (9), Nobis nuper exhibita petitio continebat: quod cum in oppido Bruxellenſi, Cameracenſis Dięceſis, quod admodum inſigne, & populoſum exiſtit, nulla domus pro inhabitatione Fratrum Ordinis Prędicatorum exiſtat, ipſaque Ducíſſa ob ſingularem devotionem, quam erga Ordinem ipſum, & S. Vincentium Confeſſorem gerit, deſiderat in ipſo Oppido, in loco ad hoc congruo, & honeſto, unam domum, ſive Conventum pro inhabitatione dictorum Fratrum regularem vitam inibi ducentium, una cum Eccleſia, campanili, campanis, cęmeterio, refectorio, hortis, hortalitiis, aliiſque
Supplex petitio. officinis neceſſariis, in honorem, & ſub titulo dicti Sancti Vincentii, de novo fundare, erigere, ac conſtrui facere, ferventer exoptat, dummodo ei ad id Apoſtolicę Sedis ſuffragetur auctoritas. Quare pro parte ejuſdem Ducíſſę Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuo propoſito favorabiliter annuentes, ei domum, ſive Conventum hujuſmodi cum Eccleſia, campanili, campanis, cęmeterio, refectorio, hortis, hortalitiis, aliiſque officinis prędictis in dicto oppido, in loco ad hoc congruo, & honeſto fundandi, & erigendi, ac conſtrui faciendi, ipſiſque Fratribus, poſtquam conſtructum fuerit, illum ſive illam recipiendi, & pro uſu, & habitatione prędictis, perpetuo retinendi, licentiam concedere, ac alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui cultum divinum, noſtris potiſſime temporibus, ubique adaugeri intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel aliquis veſtrum, dictę Ducíſſę domum, ſive Conventum ipſum juxta inſtituta, & regularem obſervantiam dicti Ordinis in oppido pręfato in loco ad hoc congruo, & honeſto per ipſam Ducíſſam eligendo, cum Eccleſia, campanili, campanis, cęmeterio, refectorio, hortis, hortalitiis, aliiſque officiis prędictis de novo fundandi, erigendi, ſeu conſtrui faciendi, ac illam, ſeu illum pro eorum uſu, & habitatione recipiendi, & perpetuo retinendi, plenam, & liberam, auctoritate noſtra, licentiam largiamini, Dięceſani loci, aut cujuſcunque alterius licentia minime requiſita. Nos enim, ſi domum, ſive Conventum ipſum fundari, erigi, ſeu conſtrui contingat, ut pręfertur, univerſis, & ſingulis Fratribus in ipſa Domo, ſeu Conventu, pro tempore commorantibus, ut omnibus, & ſingulis prerogativis, indultis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, aliiſque gratiis, & con-
Facultas. ceſſionibus, quibus cęterę ipſius Ordinis perſonę ubilibet potiuntur, & gaudent, etiam uti, & gaudere poſſint, & debeant, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium indulgemus, non obſtantibus pię memorię Bonifatii Papę Octavi Prędeceſſoris . . . . (10), illa pręſertim, qua prohibetur, ne Fratres Ordinum Mendicantium ad inhabitandum de novo loca recipere, ſeu hactenus recepta mutare pręſumant abſque dictę Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Ordinis hujuſmodi, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis, cęteriſque contrariis quibuſcunque, jure tamen Parochialis Eccleſię & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Septimo, Nonis Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto (11).

1. *Bruxellenſis*.) In *Brabantia*, Ducatu *Belgii*. Hujuſce Cœnobii hiſtoriam ſcripſit auctor mox laudandus.
2. *Belgio Dominicano*.) Auctor eſt eruditus noſter *Bernardus de Jonghe*, Cœnobii *Gandenſis* alumnus.
3. *Cameracen.*) Vulgo *Cambray*, in *Belgio*.
4. *Leyden.*) *Lugduni* ſcilicet *Batavorum*, vulgo *Leyden*, in *Hollandia*.
5. *Ganden.*) Urbs eſt *Flandriæ* caput, vulgo *Ghendt*.
6. *Trajecten.*) Vulgo *Utrecht*, in *Belgio*.
7. *Tornacen.*) Vulgo *Tournay*. Nunc Epiſcopalis eſt hic-

ccleſia *Gandenſis*.
8. *Iſabella*.) *Luſitana*.
9. *Duciſſa Burgundiæ*.) Nupſerat enim *Philippo* Duci *Burgundiæ*.
10. *Prædeceſſoris .....*) *Noſtri*.

11. *Quarto*.) Sic librarius. Legendum *Tertio*. Cum enim *Caliſtus III* electus & coronatus fuerit Menſe Aprili *MCCCCLV*, Annus *MCCCCLVII* Menſe Novembri fuit Pontificatus Annus Tertius.

Locationes quaſdam damno Fratrum Catharen. (1) factas reſcindit.

Anno 1458 Die 24 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Archidiſcono Eccleſię Raguſin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XXXI.

Exordium.

HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Bartholomęi Prioris, & Fratrum Domus Sancti Nicolai Catharen., Ordinis Prędicatorum, petitio continebat, quod olim, dum in dicta domo non vigeret juxta primitiva ipſius Ordinis inſtituta obſervantia regularis, Prior & Fratres ejuſdem Domus, qui tunc erant, quandam Domum novam Sancti Pauli nuncupatam in Civitate Catharen. conſiſtentem, & olim uſui & habitationi Fratrum dicti Ordinis, qui tunc in ea degebant applicatam, cum ipſi tunc prętatam Domum S. Nicolai ſuſcepiſſent, dilecto filio Johanni de Pantaſitis, Archidiacono Eccleſię Catharen. uſque ad viginti novem annos, ſub annuo cenſu duorum florenorum auri de camera ipſis Prioribus, & Fratribus, interim annis ſingulis ſolvendo locarunt, quodque dilectus filius Marinus Triphonis de Brighia civis Catharen. quandam aliam domum ſitam in platea dictę Civitatis & ad dictam domum ipſorum Fratrum ex pia largitione ipſis Fratribus in eleemoſynam, & ad licitos uſus facta, legitime pertinentem, prętendens illam ſibi per Priorem, & Fratres dictę Domus S. Nicolai, etiam tunc exiſtentes, pro canone, ſeu cenſu annuo trium florenorum ſimilium, ipſis Priori, & Fratribus anois ſingulis ſolvendo, fuiſſe locatam, hujuſmodi locationis prętextu, ſibi uſurpavit, & illam detinet, nec tameo a pluribus annis proxime elapſis cenſum, ſeu canonem dictis Priori, & Fratribus ſolvere curavit, dictęque locationes in grave detrimentum domus & Fratrum prędictorum factę fuerunt. Quare Bartholomęus Prior, & Fratres moderni prędicti, aſſerentes, qund locata dicto Archidiacono pro octo, & per prętatum civem uſurpata Domus prędictę pro quindecim florenorum ſimilium canone ſeu cenſu annuo, vel circa, veriſimiliter locari poſſint, quodque etiam dictus Archidiaconus, qui ſe gerit pro acolyto noſtro, plurias ipſis occaſione ſibi factę locationis hujuſmodi retulit diſplicentias, & jacturas, Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut hujuſmodi locationes in irritum revocare, & dictę Domus Sancti Nicolai indemnitatibus ſuper pręmiſſis providere in hac parte paterna diligentia dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis Archidiacono, & Triphone prędictis prętatas locationes, etiamſi ſuper illis confirmatorię literę in forma communi a Sede Apoſtolica impetratę forſan fuerint, caſſare, & ad priſtinum jus dictę domus revocare procures, prout de jure fuerit faciendum, ſuper aliis vero auditis hinc inde propoſitis, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens quod decreveris per Cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas, veritati teſtimonium perhibere. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, illis prętertim, quibus cavetur, ne quis extra ſuam civitatem, vel Dięceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſuę Dięceſis ad judicium evocetur, ſeu, ne judices a Sede Apoſtolica deputati extra Civitatem, & Dięceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, aut alii, ſeu aliis vices ſuas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine Dięceſis eorundem trahere prętumant, dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate prętentium non trahatur, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus contrariis quibuſcunque, aut ſi Archidiacono, & civi prędictis, vel quibusvis aliis communiter, vel diviſim, a dicta ſit Sede indultum, quod ipſi ad judicium trahi, ſeu interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictę Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam prętentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam tuę juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, quę quoad hoc ipſis nolumus aliquatenus ſuffragari. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Septimo (3), Nono Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

1. *Catharen.*) Vulgo *Cattaro*, in *Dalmatia*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXXI fol. 125*.
3. *Quinquageſimo Septimo*.) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLVIII*.

Anno 1458 Die 3 Junii.

Ut Miſſæ Sacrificium ex Johannis de Viromercato teſtamento in Sacrario Cremen. (1) Cœnobii celebrandum conſici poſſit in ejuſdem Cœnobii templo.

XXXII.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Vicario venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Placentin. in ſpiritualibus generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrę Religionis, ſub qua dilecti filii Prior & Fratres domus S. Petri Martyris de Terra Cremen. Ordinis Fratrum Prędicatorum, Placentin. Dięceſis, in humilitatis ſpiritu, devotum & ſedulum exhibent Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut votis eorum ſupplicibus favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte Prioris & Fratrum Prędicatorum petitio continebat, quod quondam Johannes Thomaſius Johannis de Viromercato laicus dictę Dięceſis, condens de bonis ſuis in ejus voluntate ultima teſtamentum, inter cetera Priorem, & Fratres, ac domum Ordinis Fratrum Heremitarum S. Auguſtini de dicta terra ſibi hęredes univerſales instituit, ac voluit, & mandavit, quod ipſi annis ſingulis Priori, & Fratribus domus S. Petri hujuſmodi vigintiquinque Florenos monetę in partibus illis currentis, quos eis in eleemoſynam pie legavit, efficaciter perſolverent, & aſſignarent, necnon quod ipſi Prior, & Fratres domus S. Petri ſingulis diebus unam Miſſam in Altari S. Antonii, ſito in ſacriſtia Eccleſię dictę domus S. Petri celebrari facere tenerentur, prout in quodam Inſtrumento publico deſuper confecto, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, pręfata ſacriſtia adeo parva, & anguſta ſit, ut in ea ad audiendum hujuſmodi Miſſam populus, & pręſertim mulieres honeſte nequeant convenire, pro parte Prioris & Fratrum, aſſerentium, quod ipſa domus ab illo tempore citra ad regularem obſervantiam eſt reducta, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſis dictam Miſſam in aliquo alio Altari dictę Eccleſię celebrari faciendi, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, Priori, & Fratribus S. Petri hujuſmodi, quod dictam Miſſam in aliquo alio Altari dictę Eccleſię diebus ſingulis celebrari facere libere & licite valeant auctoritate noſtra licentiam largiaris. Non obſtantibus voluntate teſtatoris hujuſmodi, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Octavo, Tertio Nonas Junii, Pontificatus noſtri Anno Quarto (3).

Supplex petitio.

Facultas.

X
X

Conſtantinus.

H. de Vinea.

P. Ja. Barbarin.

A. de Lanigaliis.

1. *Cremen.*) In Lombardia. Nunc Epiſcopalis eſt Civitas *Cremenſis*.

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur. Ibidem aſſervatur Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXXIX fol.* 158.

3. *Anno Quarto.*) Emendandus ergo *Labbeus Concillor. Tomo XIII pag.* 1390 *Edit. Pariſien.*, ubi *Caliſtum III* obiiſſe anno *MCCCCLVII*, & Annos duos duntaxat ac menſes quatuor ſediſſe, docet. Vivebat hoc anno *MCCCCLVIII* Die *III* Junii. E vivis abiit eodem anno *VI* Augusti. Sedit Annos *III* Menſes *IV*.

Anno 1458 Die 9 Julii.

Inſerit, & firmat Innocentii IV Conſtitutionem (1) adverſus hæreticos.

XXXIII.

Ex Peña ad calcem Directorii Inquiſitorum pag. 98.

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis univerſis Fratribus Ordinis Prędicatorum Inquiſitoribus hęreticę pravitatis, in Provincia Lombardię conſtitutis, pręſentibus, & futuris, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

INjunctum Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officium, digne tunc peragere non ambigimus, ſi Romanorum geſta Pontificum, prędeceſſorum noſtrorum quę pro expugnatione lethiferę peſtis hęreticę pravitatis provide emanaſſe comperimus, recenſentes, innovanteſque, illa, pro ipſius hęreſis extirpatione, & Fidei Apoſtolicę augmento, etiam noſtro juvamine roboramus. Dudum ſiquidem a felicis recordationis Innocentio Papa Quarto, prędeceſſore noſtro, emanarunt literę tenoris ſubſequentis. Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Inquiſitoribus hęreticę pravitatis, pręſentibus, & futuris in Provincia Lombardię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Malitia hujus temporis in diverſis mundi partibus, & maxime in Provincia Lombardię perverſorum morum peperit corruptelam: ex quibus lethifera peſtis hęreticę pravitatis abundantius ſoli-

ſolito noſcitur pullulaſſe. Ad expurgationem (2) peſtis ejuſdem juxta officii noſtri debitum ex animo intendentes, volumus adverſus hujuſmodi operarios iniquitatis, qui nullam catholicę puritatis fermento proprię contagionis inficiunt, fideles, ut conſurgant, ſientque nobiſcum pro evangelicis, quas profeſſi ſunt, legibus defendendis, ſalubribus adhortationibus incitari. Quo circa diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta, diſtricte pręcipiendo mandamus, in remiſſionem vobis peccaminum injungentes, quatenus in locis, ubi contra hęreticos, vobis Inquiſitionis officium eſt commiſſum, curetis ſinguli opportuna inſtantia contra hęreticos eoſdem, eorumque fautores proponere populis publice verbum Crucis: & eos, qui tacti zelo Fidei ad extirpandam pravitatem eandem votum aſſumpſerint, crucis charactere conſignare. Ut autem vobis de prędicatione hujuſmodi, & fidelibus, qui ejuſdem Crucis ad hoc votum aſſumpſerint copioſę mercedis pręmium aſſeratur, vobis, & eiſdem Fidelibus, illam Indulgentiam, illudque privilegium elargimur, quę tranſeuntibus in Terrę Sanctę ſubſidium in generali Concilio conceduntur. Cum autem hujuſmodi verbum Crucis per vos proponi contigerit, relaxandi omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui ad audiendum verbum ipſum devote affuerint, quadraginta, vel viginti dies de injunctis pęnitentiis, libera ſit vobis, & ſingulis veſtrum de noſtra conceſſione facultas. Et ſi forte, quod non credimus, aliqua civitas, vel communitas, vel perſona cujuſcunque conditionis, vel gradus huic tam ſalubri negotio ſe opponere, ſeu illud pręſumpſerit aliquatenus impedire, ut per vos, vel per alios auctoritate noſtra ad hoc deputatos, vel in poſterum deputandos, libere procedi non valeat in eodem; immo ſi quicunque requiſiti, illud fovere neglexerint, & juxta officium, & poſſe ſuum ſtudioſe juvare: contra eos tanquam contra defenſores, & fautores hęreticorum, ſublato appellationis obſtaculo, vos, vel veſtrum ſinguli auctoritate noſtra intrepide procedatis. Contra quos, prout audacia exegerit, Reges & Principes chriſtianos, necnon Cruceſignatos pro Terrę Sanctę ſuccurſu curabimus invocare: cum non minus expediat, immo magis, fidem in locis prope poſitis, quam procul diſtantibus defenſare. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Anagnię Idibus Julii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, de viribus literarum earundem ab aliquibus hęſitetur. Nos ad extirpationem hujuſmodi virus inſanabilis totis viribus intendentes, literas pręinſertas auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium innovamus, approbamus, & confirmamus, ac pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę innovationis, approbationis, confirmationis, & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Octavo, Septimo Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Conſtitutionem.*) Ejuſdem fere tenoris quaſdam conſtitutiones habes *Tomo I pag.* 147 *&c.*

2. *Expurgationem.*) *Extirpationem.*

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Epiſcopi, & Legati Dignitates, Caliſto III Summo Pontifice, Promotos exhibens.

EPISCOPI.

F. Nicolaus Langen, Epiſcopus Milenenſis, ſeu Milenſis, vulgo *Milo*, in ejuſdem nominis Inſula Maris Ægæi, ſub Archiepiſcopo Rhodienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit. CCCLXXXIII pag.*235, *ex lib. Proviſion. Prælatorum. Cavalerius Tomo I pag.*257 *num.CLIX.* Anno 1455.

F. Albertus Kaeſchen, Epiſcopus Sidonienſis, in Phœnicia, ſub Archiepiſcopo Tyrio. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.DXLVIII pag.*295, *ex Lib.Proviſion. Prælatorum. Cavalerius Tomo I pag.*257 *num.CLX.* Anno 1455.

F. Dominicus de Pera, Epiſcopus Famaguſtanus, ſeu Fama-Auguſtanus, vulgo *Famagoſta*, in Cypro ſub Archiepiſcopo Nicoſienſi. *Auguſtino* ſucceſſit. Hinc autem evincitur quod *Dominicus* iſte, *de Pera* cognominatus ex ejuſdem nominis patria, quę ſuburbium eſt *Conſtantinopolitanum*. ſit ille *Michael de Perei*, *Germanus*, Epiſcopus *Famaguſtanus*, de quo *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap V Tit.CCXL pag.*191, *ex Regeſtis Caliſti III*, *&* *Cavalerius Tomo I pag.*257 *num CLXI.* Scriptores ſiquidem mox laudati fatentur, *Michaelem* iſtum *de Perei* Anno *MCCCCLV* die *XXIII* Julii Epiſcopum *Famaguſtanum* conſtitutum fuiſſe. Addit *Fontana*, quod *Michael* ſucceſſit *Auguſtino*. Ex ſequenti vero Diplomate conſtat, quod *Auguſtini* Succeſſor, Epiſcopus renunciatus die *XXIII* Julii *MCCCCLV*, vocatur *Dominicus de Pera*, non vero *Michael de Perei*. Hujus enim tenoris eſt Diploma Pontificium. Anno 1455 Die 23 Julii.

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Dominico de Pera electo Famaguſtan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſponente clementia &c. Dudum ſiquidem felicis recordationis Nicolaus

PP. V Prædeceſſor noſter proviſiones Eccleſiarum Cathedralium omnium tunc apud Sedem Apoſtolicam vacantium, & in antea vacaturarum ordinationi & diſpoſitioni ſuæ reſervavit, decernens ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Poſtmodum vero Eccleſia Famaguſtan., cui bonæ memoriæ Auguſtinus Epiſcopus Famaguſtan. dum viveret præſidebat, per obitum ipſius Auguſtini Epiſcopi, qui apud Sedem prædictam debitum naturæ perſolvit, apud Sedem ipſam vacante, dictoque Prædeceſſore, per eum præfatæ Eccleſiæ alias non proviſo, ſicut Domino placuit, ab hac luce ſubtracto, Nos divina favente clementia ad apicem Summi Apoſtolatus aſſumpti, cum a nonnullis revocaretur in dubium, an aliquis poſt dicti Prædeceſſoris obitum de Cathedralibus Eccleſiis per ipſum Prædeceſſorem ordinationi, & diſpoſitioni ſuæ reſervatis, & tempore obitus dicti Prædeceſſoris vacantibus diſponere potuiſſet, ſive poſſit, ad hujuſmodi ambiguitatis tollendum dubium declaramus, Cathedralium Eccleſiarum prædictarum, quæ tempore obitus dicti Prædeceſſoris vacabant, proviſiones remanſiſſe, & remanere per hujuſmodi reſervationem, & Decretum affectas, nullumque de illis præter Romanum Pontificem, ea vice ſe intromittere, aut diſponere potuiſſe, ſive poſſe quoquomodo, ac decernimus irritum, & inane, ſi ſecus de illis attentatum forſan erat tunc, vel in poſterum contingeret attentari. Cum itaque propterea dicta Famaguſtan. Eccleſia adhuc, ut præfertur, vacare noſcatur, nullusque de illa præter Romanum Pontificem hac vice diſponere potuerit, ſive poſſit, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, Nos ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem & felicem, ne Eccleſia ipſa ulterioris vacationis detrimenta ſubiret, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo Eccleſiæ præfatæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, religionis zelo conſpicuum, literarum ſcientia præditum, vitæ, ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus circumſpectum, & aliis multiplicium virtutum meritis, prout ex fide dignorum teſtimoniis percipimus, inſignitum direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, præfatæ Eccleſiæ de dictorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Quinto, Decimo Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo. Ex Acchivo Apoſtolico *Lib. X fol.* 215.

Anno 1455. F. Johannes de Turrecremata, S. R. E. Cardinalis, ut in *Appendice ad Pontificatum Eugenii IV* videre eſt, Epiſcopus Pcæneſtinus, *Paleſtrina*, in Campania Romana. *Ughellus in Epiſcopis Præneſtinis Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 218, *Cavalerius*, aliique ſupra laudati.

Anno 1455. Die 12 Septembris. F. Petrus de Nuceria, Epiſcopus Luceriæ Chriſtianorum, ſeu Nuceriæ, vulgo *Nocera*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Salecnitano. *Ughellus in Epiſcop. Nuceriæ Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 527 *Edit. II*, *ex Regeſtis Pontificiis*. Noſter vero *Cavalerius Tomo I pag* 257 *num. CLXII*, *pag.* 267 *num. CLXXXVIII*, & *pag.* 286 *num. CCXXXIX* de eodem *Petro* multum laborat, & varios auctores laudat, a quibus hic unus *Petrus* in duos treſve dividitur. Alius enim præficitur *Luceriæ Saracenorum* ſub Archiepiſcopo *Beneventano* (id docent *Fernandez*, *Plodius*, *Leander*, *Altamura*, *Souegius*) alius *Luceriæ Chriſtianorum in partibus infidelium* (ſic cenſet *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXLIX pag.* 220) alius tandem *Nuceriæ Paganorum* ſub Archiepiſcopo *Salernitano*. Ita *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXXXI pag.* 250, & *Ughellus* ſupra laudatus. Ut omnes iſti concilientur Sceiptores, notandum, quod *Luceria Chriſtianorum* Urbs illa eſt, quæ vulgo *Nocera de Pagani*, ſeu *Nuceria Paganorum* vocatur, ut videre eſt ex *Conſtitutione V Nicolai IV Tomo II* hujuſce Bullarii *pag.* 21. Ibi ſiquidem *Nuceria Paganorum* juxta quam ſitum eſt celebre Monaſterium noſtrum *S. Annæ*, dicitur *Nuceria Chriſtianorum*, ut diſtinguatur a *Luceria Saracenorum*, ſicut in *Annotatione I ad eandem Conſtitutionem* dictum fuit. Hæc autem, *Luceria*, ſive *Nuceria*, *Chriſtianorum* non eſt in *Partibus Infidelium*, ut arbitratur *Fontana*, ſed ſita eſt in Regno *Neapolitano* ſub *Salernitana* Metropoli. Ibique ſedit *Petrus*, qui ſucceſſit *Bartholomæo*, ut ex hoc Diplomate liquet. *Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro electo Luceriæ Chriſtianorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſponente clementia &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Bartholomæo Epiſcopo Luceriæ Chriſtianorum regimini Eccleſiæ Luceriæ Chriſtianorum præſidente, Nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret, per Apoſtolicæ Sedis providentiam utilem, & idoneam præſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus, ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero dicta Eccleſia per obitum ipſius Bartholomæi Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum vacante, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relationibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem, in ſacra pagina Magiſtrum, & in Sacerdotio conſtitutum, cui de religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque probitatis, & virtutum meritis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, ipſi Luceriæ Chriſtianorum Eccleſiæ de dictorum Fratrum conſilio, Auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem Luceriæ Chriſtianorum Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus*

plena-

Digitized by Google

plenariò committendo &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Quinto Pridie Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib.X. fol.*183.

Anno 1455 Die 17 Novembris.

F. Jacobus Fluctre, Epiſcopus Aſcalonenſis, vulgo *Scalona*, in Palæſtina, ſub Patriarcha Jeroſolymitano. Omittitur a *Fontana*, *Cavaleriu*, ceteriſque. Succeſſit *Antonio*, ut ex hoc Diplomate conſtat. *Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Jacobo Fluctre electo Aſcalonen. alias Bethleemitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Antonio Epiſcopo Aſcolonen., alias Bethleemitan., regimini Eccleſiæ Aſcalonen. alias Bethleemitan. præſidente, cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret, per Apoſtolicæ Sedis providentiam utilem & idoneam præſidere perſonam proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero Eccleſia prædicta per obitum ejuſdem Epiſcopi qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, vacante, nos vacatione hujuſmodi fide dignis relationibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & Decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem, in Theologia Magiſtrum, cui apud nos de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus attenta meditatione penſatis de perſona tua, nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta præfatæ Eccleſiæ de eorundem Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Quinto, Quinto decimo Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib.X fol.*236.

Anno 1456.

F. Dominicus Mercarius, Neapolitanus, Epiſcopus Ravellenſis, *Ravello*, in Regno Neapolitano, ſub S. Sede. *Ughellus in Epiſcopis Ravellen. Tomo I Italiæ Sacræ pag.*1191. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V. Tit.CCCCLXXXVI pag.*277. *Cavalerius Tomo I pag.*299 *num.CCXCI.*

Anno 1456.

F. Franciſcus Portius, Ariminenſis, Epiſcopus Cervienſis, in Romandiola, ſub Archiepiſcopo Ravennatenſi. *Ughellus in Epiſcopis Cervien. Tomo II. Italiæ Sacræ pag.*476 *Edit.II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.CLXI pag* 165. *Cavalerius Tomo I pag.*281 *num.CCXXI. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCLXXV pag.*350.

Anno 1457 Die 4 Maii.

F. Antonius de Regio, Lombardus, Epiſcopus Botontin., ſeu Bituntinus, vulgo, *Bitonto* in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Barenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.XCIV pag.*143, *ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag.* 262 *num. CLXXIII.* Ejuſdem *Antonii* meminit *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap V Tit.CI pag.*145, ubi *Botudinenſis* Epiſcopus vocatur ex Actis Capituli Generalis *Noviomagenſis*; ſed ex hoc amanuenſis errore *Antonius* Epiſcopus *Botudinenſis* diſtingui non debet ab *Antonio* Epiſcopo *Bituntino*. Errat etiam *Plodii* librarius a quo *Bondinenſis* Epiſcopus dicitur *Antonius* noſter. Succeſſit cuidam *Paulo*, ut ex hoc Diplomate liquet. *Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Antonio Electo Botontin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Paulo Epiſcopo Botontin. regimini Eccleſiæ Botontin. &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, in Sacra Theologia peritiſſimum &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Septimo, Quarto Nonas Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro XXVIII fol.*273.

Anno 1457 Die 13 Junii.

F. Petrus Adoleti, Epiſcopus Siccarren., legerem Siccanen., in Africa, ſub Archiepiſcopo Carthaginenſi. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio*, aliiſque. Quod autem Epiſcopus fuerit, conſtat ex ſequentibus Conſtitutionibus. *Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Adoleti electo Siccarren. &c., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Romani Pontificis quem Paſtor ille cæleſtis, Epiſcopus animarum &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Andrea Epiſcopo Siccarren. regimini Eccleſiæ Siccarren. præſidente nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum ipſam vacare contingeret, per Apoſtolicæ Sedis providentiam utilem, & idoneam præſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes irritum & inane, ſi ſecus ſuper iis a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero præfata Eccleſia per ipſius Andreæ obitum qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, Paſtoris regimine deſtituta, ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter nos hac vice diſponere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, Magiſtrum in Theologia, in ſacerdotio & ætate legitima conſtitutum, cui de vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis.*

Digitized by Google

Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ, de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Septimo, Idibus Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio. Ex Archivo Apoſtolico *Lib XXVIII fol* 270. Ejuſdem mentio io ſequenti Diplomate: *Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro electo Siccarren., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis &c. Cum itaque hodie Eccleſiæ Siccarren. tunc Paſtore carenti, de perſona tua, nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, duxerimus auctoritate Apoſtolica providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur, nos attendentes, quod dicta eccleſia in partibus infidelium conſiſtit, tuque nullos ex ea percipere poteris fructus & proventus, ac volentes, at pro tui ſtatus decentia congruæ facultates tibi ſubminiſtrentur, de alicujus ſubventionis ſubſidio providere, tibi qui Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſor exiſtis, & Parochialem Eccleſiam Sancti Martini de D.... Abbatiam nuncupatam ac Prioratum de Moriiio, Ordinis S. Benedicti, Pampilonen. Diæceſis, tempore proviſionis & præfectionis prædictarum ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolicæ Sedis in titulum obtinebas, prout obtines, at poſtquam munus conſecrationis tibi impenſum aut tempus de conſecrandis epiſcopis a Canonibus definitum lapſum fuerit, eccleſiam parochialem, &, qui Conventualis aut dignitas non eſt, Prioratum hujuſmodi, etiam ſi idem Prioratus a quocunque regulari loco dependeat, eique cura immineat animarum, una cum Eccleſia prædicta, quandiu illi præfueris, in commendam retinere libere, & licite valeas, de eorundem Fratrum conſilio concedimus per præſentes, ita quod debitis & conſuetis ipſorum Eccleſiæ Parochialis & Prioratus oneribus ſupportatis, de reſiduis illorum fructibus, redditibus, & proventibus, quorum valorem annuum pro expreſſo haberi volumus, diſponere & ordinare libere, & licite valeas, ſicut veri Rectores Parochialis Eccleſiæ & Priores Prioratus eorundem qui pro tempore fuerunt, de illis potuerunt, ſeu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcunque bonorum immobilium & pretioſorum mobilium ipſorum Parochialis Eccleſiæ & Prioratus tibi penitus interdicta, non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon prædicti & alterius, a quo ipſe Prioratus dependeat, Monaſteriorum & Ordinum prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem quod in Parochiali Eccleſia & Prioratu hujuſmodi cultus divinus nullatenus minuatur. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Septimo, Idib. Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXVIII fol* 272 In alia vero Conſtitutione in rem ejuſdem *Petri* data, ſic legitur. *Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Adoleti Ordinis Fratrum Prædicatorum electo Siccarren., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus &c. Nuper ſiquidem Eccleſiæ Siccarren. Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona tua nobis & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio duximus providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum & Paſtorem, prout in noſtris, in quibus voluimus quod quam primum illas haberes expeditas ad præfatam Eccleſiam accederes, & perſonaliter reſideres apud illam, quodque extra tuas Civitatem, & Diæceſim Pontificalia officia exercere nequires, inde confectis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad eccleſiam præfatam quæ in partibus infidelium conſiſtit nequeas commode accedere & apud eam perſonaliter reſidere, Nos volentes te præmiſſorum intuitu favoribus proſequi gratioſis, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi quod ad Eccleſiam prædictam accedere, ſeu apud eam reſidere minime tenearis, quodque poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis extra eaſdem Civitatem & Diæceſim in quibusvis aliis Civitatibus. & Diæceſibus, ſi ſuper hoc per locorum Diæceſanos requiſitus fueris, & de ſpeciali eorum licentia hujuſmodi Pontificalia officia exercere libere, & licite valeas, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus, voluntate prædicta, ac conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtra conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Septimo, Decimo Octavo Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXVIII fol.* 271.

Anno circiter 1457.

F. Marcus de Capitaneis, Epiſcopus Alexandrinus, *Aleſſandria*, in Ducatu Mediolanenſi, ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi. *Ughellus in Epiſcopis Alexandrinis Tomo IV Italiæ Sacræ pag.* 322 *Edit. II.* Ibi tamen ſilet *Ughelius* quod *Marcus* Ordinis Prædicatorum fuerit. Hinc a Noſtratibus omittitur. Verum quod noſter ſit *Marcus* ille, conſtat ex hoc Diplomate. *Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Archidiacono Eccleſiæ Alexandrin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. In ſupremæ dignitatis &c. Dudum ſiquidem Prioratu Beatæ Mariæ de Campis Alexandrin. Ordinis S. Benedicti a Monaſterio Sanctorum Victoris & Vione de Grazano, Vercellen. Diæceſis, dependente per obitum quondam Chriſtophori de Merlanis illius Prioris extra Romanam Curiam defuncti vacante, felicis recordationis Eugenius IV illum ſic, vel alias, quovis modo vacante, dilecto filio Marco de Capitaneis tunc Ordinis Fratrum Prædicatorum expreſſe profeſſo, nunc electo Alexandrin., per quaſdam primo, & deinde piæ memoriæ Nicolaus V Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri eundem Prioratum, tunc ob non ſolutionem certæ penſionis certi Penſionarii ejuſdem vacantem, per ſuas literas per eum quoad viveret tenendum, regendum, & gubernandum commendarunt, prout in eiſdem plenius continetur. Et deinde, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dicti electi petitio continebat, commendam hujuſmodi per promotionem dicti Marci Electi de perſona ſua ad Eccleſiam Alexandrin. tunc per translationem venerabilis Fratris noſtri Marci Epiſcopi ad Eccleſiam Urbevetan. tunc Paſtore carentem de conſilio Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium per nos factam, & munus conſecrationis eidem Marco Electo impendendum, ceſſare ſperetur, &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, illi qui hactenus fueriat, & pro tempore exiſtentes Epiſcopi Alexandrini propter fructuum, reddituum, & proventuum dictæ Eccleſiæ Alexandrin. tenuitatem, & exiguitatem juxta pontificalis dignitatis decentiam ſtatum ſuum tenere, & onera illis incumbentia perferre commode nequeunt, niſi eis*

eis per Sedem Apoſtolicam pro ſuſtentatione ſua ſubveniatur, nos eidem Electo, & pro tempore exiſtenti Epiſcopo Alexandrin., ut ſtatum ſuum decentius tenere & onera prædicta commodius perferre valeant, de alicujus ſubventionis auxilia providere volentes, diſcretioni tuæ &c. mandamus quatenus vocatis Abbate, & Conventu dicti Monaſterii, & aliis qui fuerint evocandi, de præmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi præmiſſa repereris fore vera, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Prioratum hujuſmodi quamprimum commenda hujuſmodi ceſſabit, ac Prioratum ipſum per munus conſecrationis hujuſmodi, aut lapſum temporis de conſecrandis Epiſcopis a Canonibus definiti, ſeu alias quovis modo, præterquam per ipſius Electi obitum, vacare contigerit, ſive ut præmittitur, ſive alias quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per liberam reſignationem alicujus de illo extra Romanam Curiam etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, vel ex conſtitutione bonæ memoriæ Johannis PP. XXII ſimiliter Prædeceſſoris noſtri quæ incipit Execrabilis vacet, dicti Prioratus dignitate ſuppreſſa, & Ordine hujuſmodi penitus extincto, præfatum Prioratum, cui cura imminet animarum, & cujus fructus, redditus, & proventus ſexaginta florenorum auri de Camera ſecundum communem æſtimationem valorem annuum, ut dictus Electus aſſerit, non excedunt, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis menſæ Epiſcopali Alexandrin. quæ nullius valoris exiſtit, eadem auctoritate in perpetuum unias, incorpores, & annectas ita quod liceat ex tunc Electo, & pro tempore exiſtenti Epiſcopo Alexandrin. hujuſmodi per ſe, vel alium, ſeu alios, Prioratus, juriumque, & pertinentiarum prædictorum corporalem poſſeſſionem auctoritate propria libere apprehendere, ac illius fructus, redditus, & proventus in ipſius, & menſæ prædictæ uſus, utilitatemque, convertere, & perpetuo retinere, cujuſcunque alterius ſuper hoc licentia minime requiſita Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii, Prioratus, & Ordinis &c. quibuſcunque &c. Proviſo quod Prioratus ipſe ad prophanos uſus veluti hæreditas minime redigatur, ſed in eo per idoneum Sacerdotem deſerviatur laudabiliter in divinis, ſuper quo Electi, & Epiſcopi Alexandrin. hujuſmodi pro tempore exiſtentis conſcientias etiam diſtrictius oneramus. Nos enim ex tunc irritum, decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quocunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Septimo, Duodecimo Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Tertio. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XIX fol. 128.*

Hinc etiam liquet, emendandum *Ughellum* loco ſupra laudato, ubi de *Marco Marinono* Prædeceſſore *Marci de Capitaneis* hæc habet. *Marcus Marinonus, Mediolanenſis, eandem Sedem obtinuit anno MCCCCXLIII. Quem ex vitæ licentia, ſe ipſo factum deteriorem Caliſtus III honore Epiſcopatus ſpoliatum deturbavit de Sede anno MCCCCLIII.* His adverſatur Diploma, quo *Marcus Marinonus* ab *Alexandrina* ad *Urbevetanam* Sedem tranſlatus dicitur. Cælos petiit *Marcus de Capitaneis* anno *MCCCCLXXVIII*, ut ex ejus Epitaphio, quod legitur in *Alexandrina* Cathedrali probat *Ughellus*. Hujus tenoris eſt.

Marmoris hoc tumulo ſunt Marci Præſulis oſſa
Clauſa: decuſque, ſalus, & Pater Urbis erat.
Hæc viduata diu, ſedeſque vacaverat olim,
Cum tenuis menſæ deciderentur opes
Mittitur hic Paſtor, qui miro incenſus amore,
Quærit opes ſparſas, inveterata novat.
Munera dat templis, divinæ laudis honores.
Edocuit Clerum, quæ benefacta manent.
Heu tandem ſenio confectus morte quievit
Venturis ſpeculum, Religionis honos.
Nunc anima in Cælis patria meliore triumphans
Utitur Angelicis facta beata choris.
Die I Martii in Dominica MCCCCLXXVIII.

F. Michael de Epilla, alumnus Cæſarauguſtani Cœnobii, Epiſcopus Urgelitanus, *Urgel*, in Catalonia, ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXLVIII pag. 327, ex Lopez, & Fernandez. Diago Hiſtor. Provinciæ Aragoniæ Lib. II Cap. XXXIV pag. 244. Cavalerius Tomo I pag. 259 num. CLXVII.* Anno circiter 1457.

F. Stephanus Chaan, Epiſcopus Folianen., ſeu Foliarum, in Æolide, ſub Archiepiſcopo Smirnenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXLVII pag. 193, ex Lib. Proviſion. Prælatorum. Cavalerius Tomo I pag. 259 num. CLXIX.* Anno 1457.

F. Johannes de Turrecremata, S. R. E. Cardinalis, ex Epiſcopo *Præneſtino*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Albanus, vulgo *Albano*, in Latio, ſub S. Sede, *Cavalerius*, aliique ſupra laudati. Anno 1458.

F. Antonius de Johanneto, Patricius Andrienſis, Epiſcopus Andrienſis, *Andria*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Tranenſi, & Montis Peluſii, vulgo *Monte Peloſo*, in eodem Regno, ſub S. Sede. *Ughellus in Epiſcopis Montis Peluſii Tomo I Italia Sacra pag. 999 Edit. II, & in Epiſcopis Andrien. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XXXIII pag. 124, & Tit. CCCCI pag. 240. Cavalerius Tomo I pag. 265 num. CLXXXIV.* Jacet in *Andrienſi* Cathedrali, ubi ſequens Epitaphium legitur. *Hic jacet F. An-* Anno circiter 1458.

F. Antonius de Johanneto Nobilis civis Adrienſis, ejuſdemque Epiſcopus, ac Montis Piloſi, cujus induſtria hæc Eccleſia refecta eſt MCCCCLXIII.

Anno 1458. F. Antonius Macreſius, Epiſcopus Alliſanus, in Samnio, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XXV pag. 122. Cavalerius Tomo I pag. 292. num. CCLXVI.* Is ipſe eſt *Antonius Morettus*, cujus meminit *Ughellus in Epiſcopis Alliſanis Tomo VIII Italiæ Sacræ pag. 294 Edit. I*, ubi ſilet quod *Antonius* alumnus Ordinis Prædicatorum fuerit. Fuit certe, ut ex Regeſtis *Leonardi de Manſuetis* ejuſdem Ordinis Generalis Magiſtri probat *Fontana*. Sic enim legitur in illis Regeſtis fol. 77. *Reverendiſſimus D. Epiſcopus Aliphi, qui eſt de Ordine noſtro, poteſt aſſumere, & commutare duos Fratres in ſocios, qui maneant ad obſequium ſuum ad audiendas Confeſſiones ejus, & aliorum, & officiandum, necnon & faciendum ea, quæ ſuæ profeſſioni conveniunt, ſine moleſtia alicujus. Datum Romæ XXVIII Aprilis MCCCCLXXV. Hic vocatur Antonius Marreſius.* Obiit anno *MCCCCLXXXIII*, ut ex hoc Epitaphio liquet. *Anno MCCCCLXXXIII Antonius Marreſius Epiſcopus Alliſanus, qui hanc Baſilicam deſtructam erexit, cujus anima requieſcat in pace. Magiſter Mauritius de Cerreto Fieri fecit.* Legitur in *Alliſana* Cathedrali.

Anno 1458 Die 5 Maii. F. Jacobus Richei, Epiſcopus Argen., vulgo *Argo*, in Peloponneſo, ſub Archiepiſcopo Corinthio. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio*, cæteriſque. Succeſſit *Paulo*, ut habetur ex hoc Diplomate. *Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Jacobo Richei electo Argen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Paulo Epiſcopo Argen. regimini Eccleſiæ Argen. præſidente, Nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. Poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum dicti Pauli, qui extra Romanam Curiam &c. Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relationibus intellecta ad proviſionem &c. de qua nullus præter Nos &c. ne longæ vacationis exponatur &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem in Sacerdotio conſtitutum, literarum ſcientia peritiſſimum, religionis zelo conſpicuum, vitæ, ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum donis, prout fide dignis teſtimoniis accepimus inſignitum, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta præfatæ Eccleſiæ Argen. de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo, qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. Tuque præter æternæ &c. noſtram & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno &c. Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Octavo, Tertio Nonas Maii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XL fol. 120.*

Anno 1458 Die 7 Junii. F. Nicolaus Oflanagen, Epiſcopus Elfinenſis, ſeu Olfinenſis, vel Helfenienſis, vulgo *Elphen*, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Tuamenſi. Omittitur a *Fontana, Cavalerio*, aliiſque. Epiſcopus renunciatus fuit hocce Diplomate. *Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nicolao Oflanagen. electo Elfinen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Romani Pontificis &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Johanne Epiſcopo Elfinen. regimini Eccleſiæ Elfinen. præſidente, Nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret &c. Proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes, ex tunc irritum & inane &c. Poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum dicti Johannis, qui extra Romanam Curiam &c. Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relationibus intellecta ad proviſionem &c. De qua nullus præter Nos &c. Ne longæ vacationis exponatur &c. Poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ, perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem in Sacerdotio conſtitutum, ac in Sacra Theologia peritiſſimum, religionis zelo conſpicuum, vitæ ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum donis, prout fide dignis teſtimoniis accepimus, inſignitum direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus attenta meditatione penſatis de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, præfatæ Eccleſiæ Elfinen. de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. Tuque præter æternæ &c. Noſtram & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno &c. Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Octavo, Septimo Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XL. fol. 129.*

Anno 1458 Die 19 Junii. F. Johannes Kunden, Epiſcopus Landaven., *Landaff*, in Anglia, ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi. Is ipſe videtur *Johannes Under*, quem *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXVI pag. 211*, & *Cavalerius Tomo I pag. 262 num. CLXXVI* Epiſcopum *Landavenſem* anno *MCCCCLVIII* a *Pio II* conſtitutum docent. Ejuſdem mentio apud *Bernardum de Jonghe in Belgio Dominicano pag. 414.* Verumquod Epiſcopus creatus fuerit a *Caliſto III*, & cognomento ſit *Kunden*, conſtat ex hoc Diplomate. *Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Kunden electo Landaven. Salutem, & Apoſ-*

Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſponente clementia &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Nicolao Epiſcopo Landaven. regimini Eccleſiæ Landaven. præſidente, Nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret &c. Proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. Poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum dicti Nicolai, qui extra Romanam Curiam &c. Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relationibus intellecta ad proviſionem &c. de quo, nullus præter Nos &c. ne longæ vacationis exponatur &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ, perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem, in ſacra pagina peritiſſimum, religionis zelo conſpicuum, vitæ ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum donis, prout fide dignis teſtimoniis accepimus, inſignitum, direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus attenta meditatione penſatis de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta præfatæ Eccleſiæ Landaven. de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ, in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum, igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c noſtram, & dictæ Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno &c. Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Octavo, Tertio decimo Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XL fol.* 134.

F. Hieronymus de Montenigro, Epiſcopus Maranen., ſeu Marianen., vulgo *Mariana*, in Corſica, ſub Archiepiſcopo Januenſi. Hunc non norunt Noſtrates. Is ipſe eſt quem *Ughellus in Epiſcopis Marianen. Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 1001 *Edit. II* vocat *Michaelem de Monte Regio*, & ſilet quod Ordinis Prædicatorum fuerit. Fuit certe, ut ex hoc Diplomate conſtat. *Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Hieronymo de Montenigro electo Maranen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Michaele Epiſcopo Maranen. regimini eccleſiæ Maranen. præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. Poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum dicti Michaelis qui extra Romanam Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi, fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis exponatur &c. Poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, in S. T. peritiſſimum, religionis zelo conſpicuum, vitæ ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum donis, prout fide dignis teſtimoniis accepimus, inſignitum direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus attenta meditatione penſatis de perſona tua nobis & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta præfatæ Eccleſiæ Maranen. de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c noſtram, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Octavo Pridie Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Quarto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XL fol.* 150. Ceterum *Michael* iſte, cui *Hieronymus* noſter ſucceſſit, cognomento fuit *de Germania*, patria *Januenſis*, ut ex *Ughello* ſupra laudato videre eſt. Emendandus vero librarius *Ughelli* qui die *XXI* duntaxat Julii *MCCCCLVIII* Epiſcopum renunciat *Hieronymum* noſtrum. Anno 1458 Die 14 Julii.

F. Johannes de Cocedorio, Epiſcopus Calipolenſis, ſeu Callipolenſis, vulgo *Gallipoli*, Turcis *Gelliboli*, in Thracia, ſub Archiepiſcopo Heracleenſi. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio*, ceteriſque. Succeſſit *Hieronymo*, ut ex hoc Diplomate liquet. *Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Cocedorio electo Calipolen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Hieronymo Epiſcopo Calipolen., regimini Eccleſiæ Calipolen. præſidente, Nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. Poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum dicti Hieronymi qui extra Romanam Curiam &c. Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis exponatur &c. Poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem, in S. T. peritiſſimum, religionis zelo conſpicuum, vitæ, ac morum honeſtate, decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum donis, prout fide dignis teſtimoniis accepimus, inſignitum direximus, oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta præfatæ Eccleſiæ Calipolen. de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Octavo, Pridie Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Quarto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XL fol.* 154 Anno 1458 Die 14 Julii.

LEGATUS.

Anno 1455. F. Bartholomæus de Michaelibus, Epiſcopus Lucerinus, ut in *Appendice ad Pontificatum Eugenii IV* videre eſt, *Senas* mittitur a Caliſto III. *Ughellus in Epiſcopis Nucerinis Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 743 *Edit. I.*

PIUS

Digitized by Google

P I U S II,

(a) *Ciaconius in Pio II.*

Æneas Silvius ex Gente Picolominea, patria Senenſis, Electus (*a*) eſt Die XIX Auguſti MCCCCLVIII. Coronatus (*b*) fuit III Septembris eodem Anno. Obiit (*c*) Anconæ XV Auguſti MCCCCLXIV. Sedit Annos V, Menſes XI, Dies XXVIII.

(b) Idem.

(c) *Paulus II* in Epiſtola quæ legitur apud *Oldoinum* in *Additionib. ad Ciaconium*.

Firmat fundationem nonnullorum Cœnobiorum Regni Siciliæ citra Pharum.

Anno 1458 Die 26 Septembris.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Bitontin. (2), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

I.

Diplomatis cauſa

ADmonet Nos &c (3). Sane pro parte dilecti filii Provincialis Ordinis Fratrum Prędicatorum Regni Siciliç citra Pharum ſecundum morem dicti Ordinis Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim videlicet a viginti annis citra, & etiam ante, nonnullę domus dicti Ordinis in Regno pręfato erectę, & per ipſos Fratres inhabitatę reperiuntur, quę an dictę Sedis Apoſtolicę ſpeciali licentia receptę, ipſique illas canonicę aſſecuti fuerint, certitudo aliqua non habetur, licet earum quatuor videlicet Arianen. (4), necnon Caſtri Sangri (5), Atellę (6), & Urſarię (7) Triventin. (8), Rapollancen. (6), & Trojan. (10) Dięceſum domus ante viginti annos, & reliquę ex poſt per eos pacifice tentę, & gubernatę extiterint, prout etiam reguntur, & gubernantur ad prędens. Quare pro parte Provincialis, ac univerſorum Fratrum in eiſdem domibus commorantium Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pro ſerenitate conſcientiarum ſuarum, eis ſuper his paterna caritate conſulere, & opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica Scripta mandamus, & committimus, quatenus omnes, & ſingulos Fratres dicti Ordinis qui domos prędictas ab eodem tempore, citra & ultra, ut pręmittitur, receperunt, ſi hoc humiliter petierint, ab excommunicationis ſententia, ſi quam propterea incurrerint, quatenus opus fuerit, per te, vel alium auctoritate noſtra abſolvas in forma Eccleſię conſueta, injunctis inde eorum cuilibet pro modo culpę pęnitentia ſalutari, & aliis, quę de jure fuerint injungenda, ac etiam cum eis ſuper irregularitate, ſi qua hujuſmodi ſententia ligati Miſſas, & alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando, aut illis ſe immiſcendo, contraxerint, eadem auctoritate diſpenſes, omnemque ab eis inhabilitatis, & infamię maculam, ſive notam, dicta occaſione contractam, aboleas, & nihilominus, quod ipſi domos prędictas ab eodem tempore, ut pręfertur, receptas, quęcunque, quotcunque, & qualeſcunque ſint, perpetuo retinere, ac in eiſdem pro tempore commorantes Fratres, & perſonę dicti Ordinis omnibus, & ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, indultis, & gratiis aliis ipſius Ordinis domibus, & in eis degentibus Fratribus a Sede prędicta generaliter conceſſis, & in poſterum concedendis uti, & gaudere, eadem auctoritate concedas, pariter, & decernas, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius alias in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus pręmiſſis, ac felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, illis pręſertim, quibus inter alia cavetur expreſſe, quod Fratres dicti Ordinis domos, vel loca quęcunque ad habitandum de novo recipere, ſeu hactenus recepta mutare, ſub excommunicationis pęna, quam ſecus facientes ipſo facto incurrant, abſque Sedis pręfatę ſpeciali licentia non prędumant, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon dicti Ordinis, juramento &c. quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Octavo, Sexto Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Confirmatio.

Clauſula derogans.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro III fol.* 109.
2. *Bitontin.*) Seu *Butuntin.*, vel *Bituntin.*, vulgo *Bitonto*, in *Apulia*.
3. *Admonet nos &c.*) Exordium deeſt.
4. *Arianen.*) Vulgo *Ariano*, in *Principatu ulteriori*, in Regno *Neapolitano*.
5. *Caſtri Sangri.*) *Sarenſis* ſcilicet, Vulgo *Caſtel di Sangro*, in *Aprutio*. Juris eſt Provinciæ *Aprutinæ*;
6. *Atella.*) In Regno *Neapolitano*.
7. *Urſaria.*) *Urſarienſe* Cœnobium *S. Johannis Baptiſtæ* juris eſt Provincialis *Apuliæ*.
8. *Triventin.*) Vulgo *Trivento*, in Regno *Neapolitano*;
9. *Rapollancen.*) *Rapollanen.*, vel *Rapollacen.*, vulgo *Rapolla*, in *Baſilicata* Provincia Regni *Neapolitani*.
10. *Trojan.*) Vulgo *Troja*, in eodem Regno.

Anno 1458 Die 26 Septembris.

De Sacello fundando in ædibus Sacris Monaſterii Lucerini (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

II.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Lucerin. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

INter cetera cordis noſtri deſideria &c.(4). Sane pro parte dilectorum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Sanctę Annę Lucerin., Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim quondam Florella
Supplex petitio. Urſi (5) de Neapoli, tunc relicta quondam Dominici Cichi Capici de Suremo (6) Laici Vidua rationabilibus ſuadentibus cauſis tunc expreſſis, ac etiam pro remiſſione peccatorum quondam claręmemorię Imperatoris (7) Conſtantinopolitan., & aliorum ſuorum conſanguineorum (8), quondam, Jacobo Lorican., tunc Vicario dicti Ordinis Provincię Terrę Laboris ſecundum morem dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac Petro de Calvanico Priori dicti Monaſterii per Priorem ſoliti gubernari, & pro eo, atque Prioriſſa, Monialibus (9) ſive Sororibus in illa degentibus, omnia ſua immobilia in Civitate Sarnen. (10) tam in montibus, quam in planis conſiſtentia, tunc per eorum confines, ſituationes, & loca deſignata, necnon cum omnibus juribus, & pertinentiis, eorundem, illorum tamen uſufructu, ejus vita durante, ſibi reſervato, necnon jura, & actiones ſibi in illis contra quaſcunque perſonas competentia, donavit irrevocabiliter, ea donatione, quę dicitur inter vivos, ita tamen quod poſt ipſius donatricis mortem in quodam hoſpitali tunc expreſſo, & per ipſam Florellam Vicario, Priori, Prioriſſę, ac Monialibus prędictis donato, de bonis prędictis quoddam Monaſterium Fratrum & Monialium (11) dicti Ordinis ſub vocabulo S. Ludovici Confeſſoris conſtrui, & ędificari deberet, prout in quodam Inſtrumento publico, deſuper confecto, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, propter diverſas res, & temporis, & loci, in quo novum Monaſterium juxta voluntatem, & ordinationem ipſius Florellę fundari debebat, indiſpoſitionem, & etiam pro eo, quod dicta bona per dominos temporales locorum, in quibus ſita ſunt, & alias perſonas occupata fuere, quę ſi per Moniales prędictas recuperarentur ad pręſens pro ipſius novi Monaſterii ędificatione, & perſonarum, quę in illo degerent, ſuſtentatione non ſufficerent, juxta voluntatem, & ordinationem pręfatas, Monaſterium ipſum fundatum non fuerit, pro parte Prioriſſę & Monialium prędictarum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pręmiſſis omnibus, & etiam, quod pro ipſorum recuperatione bonorum, varia occurrent onera expenſarum, & an omnia bona prędicta recuperari valeant, incertum ſit, difficultate quoque, & anguſtia loci in quo novum Monaſterium ędificari debeat, & in quo Fratres, & Sorores, ſi ędificaretur, commode manere non poſſent, debita meditatione attentis, voluntatem & ordinationem dictę Florellę, quoad hoc ut loco dicti ędificandi Monaſterii, quod pręmiſſis repugnantibus ędificari non poteſt, in Eccleſia Monaſterii S. Annę prędictę unum Oratorium, ſive Capellam, in quo, ſeu qua, pro Imperatoris, Florellę, & aliorum prędictorum ſalute Miſſę, & alia divina celebrentur officia, fundari, conſtrui, & ędificari debeat, commutare, necnon bona prędicta Oratorio, ſive Capellę hujuſmodi ad divinorum, & Monialium uſus, & utilitatem perpetuo applicare, ac alias ſuper his eorum ſtatui, & indigentiis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, de pręmiſſis cer-
Facultas. tam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus & ſingulis, & eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem ipſam tibi conſtiterit de pręmiſſis, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Prioriſſę, & Monialibus pręfatis Oratorium, ſive Capellam de bonis hujuſmodi in Eccleſia pręfata fundandi, & erigendi, licentiam tribuas, ac, poſtquam erecta fuerit, pro illius dote omnia bona prędicta perpetuo applices, & concedas, dictaſque Prioriſſam, & Moniales ab ulteriori fundatione Monaſterii pręfati eadem auctoritate abſolvas. Volumus autem, quod ſi erectionem, applicationem per ipſius Prioriſſam, & Moniales, necnon conceſſionem, & abſolutionem prędictas per te vigore pręſentium fieri contigerit, ut pręfertur, in Oratorio, ſive Capella erigendo, vel erigenda hujuſmodi, Miſſę, & alia divina officia continuo celebrentur, & illi deſerviatur laudabiliter in divinis, quodque de reſiduis bonorum eorundem fructibus, redditibus, & proventibus Moniales prędictę diſponere, & ordinare, ac illos in ſuos, necnon Monaſterii pręfati uſus & utilitatem convertere, libere & licite valeant, alicujus ſuper hoc licentia minime requiſita. Non obſtantibus &c. quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Octavo, Sexto Kalend. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Lucerini.*) *Nucerini* ſcilicet vulgo *Nocera*, in Regno *Neapolitano*. Vide *Notas* ad *Conſtitutionem V Nicolai IV*. Legitur *Tomo II pag.* 21.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro III fol.* 271.
3. *Lucerino.*) *Nucerino.*
4. *Inter cetera cordis noſtri deſideria &c.*) Exordium deeſt.
5. *Florella Urſi.*) E gente ſcilicet *Urſina*, quam heroum feraciſſimam, & antiquiſſimam eſſe, ſæpius dictum fuit.
6. *Suronio.*) *Surrento*, vulgo *Sorrento*, in Regno *Neapolitano*. De hujus *Dominici* familia conſulendus *Carolus de Lelis de Familiis nobilibus Regni Neapolitani*.
7. *Imperatoris.*) *Jacobi* ſcilicet *de Bantio*, vulgo *de Baux*, Principis *Tarentini* & *Achaia*, *Conſtantinopolitani* Imperatoris nuncupati, Deſpoti *Romania*.
8. *Conſanguineorum.*) Hinc cognatione cum hoc Imperatore gentem *Urſinam* conjunctam fuiſſe, liquet. Et ſane, mortuo *Iacobo de Bantio*, Principatum *Tarentinum* obtinuit *Raymundus de Bantio de Urſinis*.
9. *Et pro eo, atque Prioriſſa, Monialibus.*) Id eſt: *Pro Priore, pro Prioriſſa, & pro Monialibus.*
10. *Sarnen.*) vulgo *Sarno*, in Regni *Neapolitani* Provincia *Principatus Citerioris*.
11. *Monaſterium Fratrum & Monialium.*) Ut enim Monaſteriis *Pruliano* in *Occitania*, & *S. Sixti* de Urbe S. P. *Dominicus* Fratres præpoſuerat, Priorem ſcilicet, alioſque qui Monialibus jus dicerent, earumque bona adminiſtrarent, ſic aliis Monaſteriis olim paſſim præficiebantur Fratres.

De Conventu Crotonien. (1) intra Civitatem tranſferendo.

Anno 1458 Die 26 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

III.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Sancti Severin. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PRovida Romani Pontificis &c. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Cleri, & populi civitatis Cotronien. (4), ac Provincialis Ordinis Fratrum Prędicatorum in Regno Sicilię citra pharum, petitio continebat, Domus quędam dicti Ordinis extra muros Civitatis ejuſdem juxta fornicem, ſive lupanar ſita ſit, ac propter piratarum, & Maurorum incurſus tam Fratres prędicti, quam ipſius Domus libri, calices, & alia ornamenta incurſibus hujuſmodi, atque periculis ſubjacere noſcantur, ſi pro honeſtate Fratrum in ipſa Domo commorantium, & hujuſmodi pericula evitandis Eccleſię Sanctę Clarę intra muros prędictos, quę alias Monaſterium Monialium Ordinis ejuſdem Sanctę fuerat, & in qua nulla Monialis jam remanſit, & quę de jure patronatus laicorum exiſtit, ad effectum ut ſuppreſſis in eo dignitate Abbatiali, & Ordine Sanctę Clarę prefato, in Domum Conventualem dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum de ipſorum patronorum conſenſu erigeretur, & Conventus in eadem Domo extra muros conſiſtens ad eandem Eccleſiam infra muros prędictos conſiſtentem, & in Domum Fratrum eorundem ſub vocabulo Sancti Vincentii Confeſſoris erigendum, transferretur, ac dicta Eccleſia, cujus fructus, redditus, & proventus decem florenorum auri de camera ſecundum communem ęſtimationem, valorem annuum, ut aſſeritur, non excedunt, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Ordini Fratrum Prędicatorum perpetuo concederetur, ex hoc Fratrum in ipſa domo extra muros commorantium, ac etiam ornamentorum eorundem ſecuritas ſequeretur, & ad Cleri, ac populi prędictorum complacentiam cederet ſingularem. Quare pro parte Cleri, populi, & Provincialis prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, de premiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, & ad id patronorum eorundem accedat aſſenſus, Abbatialem dignitatem, & Ordinem Sanctę Clarę hujuſmodi in eodem Monaſterio, auctoritate Noſtra, ſupprimere, & extinguere, illudque cum omnibus juribus, & pertinentiis ſupradictis per Provincialem & Fratres prefatos juxta ritus, mores, & inſtituta dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum perpetuo tenendum, regendum & gubernandum concedere, & donare, necnon Fratres, & Conventus ipſius domus extra muros ad eandem Eccleſiam transferre, ſive eis ad illam tranſeundi licentiam largiri, eadem auctoritate procures, jure tamen Parochialis Eccleſię &c. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nos enim Fratribus dicti Ordinis Prędicatorum, qui in eadem Domo pro tempore morabuntur, quod omnibus privilegiis, indultis, exemptionibus, & immunitatibus dicto Ordini per Sedem Apoſtolicam generaliter conceſſis, & concedendis uti, & gaudere &c. Datum Romę Apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo octavo, Sexto Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Diplomatis cauſa.

Facultas.

Clauſula derogans.

1. *Cortonien.*) Vulgo *Crotone*, & *Cotrone*, in magna *Gracia*, ſeu *Calabria*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* *Lib. III fol.* 107.
3. *S. Severini*.) Sic Amanuenſis. Legendum *Sanctæ Severinæ*, ſeu *Siberenen.*, vulgo *S. Severina*, in *Calabria*.
4. *Cotronien.*) *Crotonien.*, vulgo *Cotrone*, ut dictum fuit.

Bulla Canonizationis S. Vincentii Ferrerii (1).

Anno 1458 Die 1 Octobris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

IV.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

RAtioni congruit, & convenit honeſtati, ut ea, quę Romani Pontificis deliberatione provida, ac venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, omniumque Prelatorum tunc in Romana Curia reſidentium conſilio, & aſſenſu unanimi, decreta, ſtatuta, & ordinata fuerunt, licet, ipſius Prędeceſſoris ſuperveniente obitu, litterę Apoſtolicę confectę non fuerint ſuper illis, ſuum plenarium ſortiantur effectum. Dudum ſiquidem felicis recordationis Caliſtus Papa III, Prędeceſſor noſter, Jeſu Chriſti in terris ſuperna diſpoſitione Vicarius, & Beati Petri, cęleſtis clavigeri, ſucceſſor, cum militantis Eccleſię gubernacula ſuperna regeret voluntate, & immenſam Dei noſtri clementiam in eo maxime interna meditatione cognoſceret, quod hominem, quem ad ſuam Imaginem, ſimilitudinemque formaverat, a ſe ipſo incommutabili bono, dolo ſerpentis averſum, ad ſe brachio ſuę virtutis reducere, & culpę ipſius lapſum volens in perſona propria reparare, humanę naturę miniſterio uſus eſt, ut ſua mirabili potentia, inde medelam ferret hominibus, unde vulnus cernebatur illatum, ac pro ſua bonitate, debitor ipſe homo, & obnoxius remaneret. Nam licet omnipotens ſermo dilapſus foret antea in prophetas, ut divini ſecretum conſilii cognoſcentes, ac ſpem humanę reparationis habentes, ſolum creatori ſuo ſervirent, ipſum Dominum adorarent, ac poſteros venerari, & adorare docerent, in fine tamen ſeculorum, cum venit temporis plenitudo, miſericordiarum Pater ingenitus, Verbum ſuum, per quod fecit & ſecula, de cęlis miſit in orbem, ut humanam carnem aſſumens, ęternę vitę viam

Exordium.

S. Vincentius in album Sanctorum a Caliſto III relatus.

viam lapſis perditiſque oſtenderet, culpam protoplaſti in ara Crucis, proprio cruore dilueret, nobiſque cęli januam aperiret. Utque tanti myſterii, Incarnationis videlicet, & redemptionis hujuſmodi veritas cunctis mortalibus innoteſceret, Apoſtolos ſuos, quos in vitę, doctrinę, & operum ſuorum teſtimonium elegerat, alioſque Diſcipulos in univerſum mundum ad prędicandum Evangelium deſtinavit, qui ſuis eloquiis, ſignis, & virtutibus, veluti ſolis radiis, orbem terrarum illuminarent. Sed cum ſucceſſu temporis, callidi hoſtis iniquitas, antiquę, & uſitatę fraudis commentis, humanum genus, tam grandis, & ſacratiſſimę redemptionis fructu privare, & in ęternam prędam adducere moliretur, divina clementia ſemper generi miſerata humano, ſuę Eccleſię orthodoxę opportune ſubveniens, viros miſit plurimos ſanctitate, & ſcientia prędiros, virtutibus redimitos, tempori convenientes, qui velut divini gregis arietes, rectum iter gregi ſuo, ducatumque prębereut, & bonis adhortationibus, operibus, & exemplis hominum titubantes animos roborarent, aut martyrii gloria, aut vitę integritate, ſeu errorum gentilium, & hęreticorum confutatione, vel divinę virtutis, & promiſſę felicitatis ęternę prędicatione eidem ſacroſanctę Eccleſię pręſidia maxima, & adjumenta tribuerent.

S. Vincentius Evangelii Præco a Deo miſſus.

Atqui ejuſdem Prędeceſſoris temporibus, cum in occiduis partibus, Judęorum (3) maxime & infidelium (4) multitudo creviſſet, ac literis, & divitiis affluerent propemodum, tremenda quoque illa dies noviſſima oblivioni pene tradita eſſet, divinę providentię altitudo, quę pręclaris viris eandem Eccleſiam inſtaurare, & decorare diſpoſuerat, pro ipſorum ſalute fidelium Vincentium Valentinum (5), Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Sacrę Theologię eximium profeſſorem (6) ęterni Evangelii in ſe documenta habentem, veluti athletam ſtrenuum, ad Judęorum eorundem, Sarracenorumque (7), & aliorum infidelium, confutandos errores, ac extremi, tremendique judicii diem, quaſi alterum Angelum volantem (8) per cęli medium pronuntiandum (9), evangelizandumque ſedentibus ſuper terram, tempore opportuno tranſmiſit, ut in omnes gentes, tribus, & linguas, populos, & nationes, verba ſalutis diffunderet (10), Regnum Dei, diemque judicii appropinquare oſtenderet, & ęternę vitę ſemitam demonſtraret. Cum vero tunc tanti viri excellentiam, qui id gratis conſecutus eſt, quod Angeli naturaliter ſortiuntur (11), ipſius quoque vitę & converſationis actus, idem Caliſtus Prędeceſſor ad ędificationem fidelium, & poſterorum memoriam, ex parte aliqua recenſere decreviſſet prout compertum, & notiſſimum habuit, eundem pręclarum virum Vincentium in ampliſſima Hiſpaniarum Urbium, Valentia ſcilicet Civitate, ex Chriſtianis, & honeſtis parentibus ortum (12),

Valentiæ naſcitur.

alitumque fuiſſe, & ab ineunte ętate cor ſenile geſſiſſe teſtatur, qui dum caliginoſi hujus ſeculi labilem curſum pro ingenii ſui modulo conſideraret, & jam ſuę ętatis annum decimum octavum (13) attingeret, Religionis habitum Ordinis memorati, ſumma cum devotione recepit, ac demum regulari profeſſione ſolito more emiſſa, ſacris literis tam efficacem operam dedit (14), ut Magiſterio (15) in eadem Theologica facultate dignus ab omnibus cenſeretur, & ob hoc ipſius Magiſterii inſignia conſecutus eſt, ac deinde ſolita in talibus obtenta licentia Verbum Dei prędicare, & ęternę beatitudinis ſemina cordibus fidelium infundere, errores denique, & perfidiam judęorum, & infidelium eorundem confutare cępit, mirum in modum, ratione oſtendens, quam terribilis Judex in ipſo extremo judicio reprobis, & iniquis Redemptor ipſe futurus ſit. In quibus quidem ſalutiferis prędicationibus, & laudabilibus actibus uſque adeo perſeverans, ac multas Hiſpaniarum, Galliarumque (16), ac Italię provincias quaſi novum ſydus peragrando illuſtrans, tandem in Britannię civitate Venetén. (17) ſeptuageſimum (18) ejuſdem ętatis annum tranſcendens, prędicationis, & vitę curſum, devotiſſime conſummavit, ac poſtquam Deus qui non permittit, quę Eccleſię ſuę Sanctę profutura conſpicit conculcari, aut abſcondita latere ſub modio, eos, qui prędicatione ipſius divini viri, ſpiritualium, & corporalium ſanitatum beneficia receperant inſpiravit, quod ſanctitatis inſignia quę in ipſo divino viro cognoverant Sedi Apoſtolicę nunciarent, ipſamque de ejuſdem Sancti viri operibus informarent. Itaque colendę memorię Johannes (19), & Petrus (20) quondam Britannię Duces, ac Pręlati, & alię ipſius Ducatus devotę perſonę, multique aliarum Provinciarum devoti viri, apud quos vivens pręfatus Vincentius Dei Verbum ſeminaverat, Fratres quoque Ordinis memorati, Sedem prędictam iteratis vicibus, interpolatiſque temporibus adiere, tenente locum ejuſdem clavigeri felicis recordationis Martino V, ac poſtmodum Eugenio IV, & deinde Nicolao V, Romanis Pontificibus, Prędeceſſoribus noſtris. Sed clarę memorię Johannes (21) Caſtellę, & Legionis, ac Alfonſus (22) Aragonum Reges illuſtres, multique alii Eccleſiarum Pręlati, ac viri nobiles Seculares, Univerſitates quoque ſtudiorum, ac Civitatum: necnon dilectus filius Martialis Auribelli (23), dicti Ordinis Generalis Magiſter, nomine ipſius Ordinis eandem Sedem cum inſtantia pulſaverunt, affirmantes, quod inſignis vir ipſe, dum in humanis egit, vocibus prophetarum, verbiſque evangelicis. ita inhęſit, ut pręcepta firmiter ſervaret divina, & conſilia minime prętermitteret. Divinę quoque laudis pręco maximus, ac iniquitatis humanę reprehenſor fuit, delegatoque ſibi prędicationis officio ita functus eſt, ut neceſſariis ad vitę tutelam contemptis, nedum in futurum, ſed nec in diem laboravit, illa veſte, illo habitaculo, illo cibo contentus, quę Deus ſibi in tempore pręparabat, nullum munus, etiam oblatum, recipiebat, ſed apud offerentes dimittebat, aut pauperibus erogari conſulebat, tantus in eo gratię fulgor apparuit, tanta ſpiritus Sancti habundantia in eo fuit, tot de ore prędicantis ſpecioſiſſimę veritatis pondera procedebant, ut ingentis multitudinis Judęos (24), in lege etiam peritiſſimos, qui Chriſtum pertinaciter veniſſe negabant, ad fidem catholicam converteret, & efficaciſſimos multos ex eis prędicatores, Adventus Chriſti Paſſionis, ac Reſurrectionis, & pro Chriſti nomine mori paratos fecit. Tanta in ipſo viro divino fuit auctoritas dicendi, tantaque gravitas, ut terrenis rebus, luxuique deditos homines, adeo judicii futuri timore concuteret, ut terrena deſpicerent, & amarent cęleſtia, ac levitates & luxus omnium, in Dei provocaret affectum. Omni die Miſſam cantavit (25), omni die prędicavit (26), omni die, niſi urgens adeſſet neceſſitas, jejunavit (27). Conſilia ſancta, & recta, nulli denegavit, immo ultro obtulit, carnes non comedit, veſtem lineam non induit, manus ſuper ęgros frequentiſſime miraculoſe ſanitate ſecuta impoſuit (28), mores caſtiſſimos ſervavit, multos ſtrenuos actus fecit, ubi ma-

Ordini nomen dat.

Magiſterii gradu donatur.

Europa ſacris ipſius concionibus illuſtratur.

Moritur.

De eodem in album Sanctorum referendo tractatur.

Virtutes ejuſdem Sancti.

maxime ſuper magnis rebus populos contendentes, & Regna, pace compoſuit (29), & ubi veſtis inconſutilis Eccleſię Dei ſciſſa conſpiciebatur, ut uniretur, & unita ſervaretur, non fruſtra plurimum laboravit (30), ac in ſimplicitate, & humilitate ambulans, detractores perſecutoreſque ſuos cum manſuetudine recipiebat, & informabat. Per ipſum quoque divina virtus ad confirmationem ſuę prędicationis, & vitę tam per manus ipſius impoſitionem, quam reliquiarum ſuarum, veſtiumque tactum, ac votorum emiſſionem (31), multa miracula oſtendit. Spiritus namque immundos ejecit, ſurdis auditum, mutis loquelam reſtituit, cęcos illuminavit, leproſos mundavit, mortuos ſuſcitavit, alioſque variis detentos langoribus miraculoſiſſime liberavit. Quorum omnium tam efficax aſſertio fuit, quod idem Nicolaus prędeceſſor plene de fama fidei, & excellentia vitę, atque miraculorum ipſius informatus, volens ad ulteriora procedere juxta S. R. E. morem, venerabilibus Fratribus noſtris, tunc ſuis, Georgio Epiſcopo Oſtien., & eidem Caliſto Prędeceſſori tunc in minoribus conſtituto, ac Johanni S. Angeli Diacono Cardinali commiſit (32), quod de veritate fidei, & excellentia vitę, ac miraculorum gratia ſe, aut per eorum aliquem in Curia, extra vero per judices ab eis deputandos diligenter informarent. Qui mandatis pręfati Nicolai obtemperantes, & in Curia nonnullis teſtibus examinatis, extra vero Romanam Curiam juxta poteſtatem eis datam in Civitate Neapolitan. (33) venerabiles Fratres noſtros Patriarcham Alexandrinum, Archiepiſcopum Neapolitanum, & Epiſcopum Majoricen. ibidem commorantes (34), in partibus Delfinatus (35), Vaſionen. (36), & Uticen. (37) Epiſcopos, ac dilectos filios officialem Avinionen., & Decanum Eccleſię Sancti Petri Avinionen. (38): in Regno Francię Archiepiſcopum Tholoſanum, Epiſcopum Mirapicen., ac eorum officiales: in Britannia (39) vero Dolen. (40) & Maclovien. (41) Epiſcopos, necnon Sancti Jacuti (42), & Debuſan. (43) Dolen. & Nanneten. (44) Dioceſum Abbates, ac Nanneten., & Veneten., officiales ſubdelegarunt. Qui juxta tenorem poteſtatis eis per Commiſſarios traditę, teſtes examinarunt, & dicta ipſorum, ſcriptis redacta, clauſa cum ſubſcriptione notariorum, & ſigillis eorum ad Curiam tranſmiſerunt. Et tandem per eoſdem Cardinales Commiſſarios inſpectis, recognitis, ac viſis diligenter proceſſibus, inventum eſt, quod in Civitate Neapolitana viginti octo, in Avinionen & circumvicinis partibus decem & octo, in Regno Francię videlicet Tholoſan. quadraginta octo, in Britannia vero trecenti & decem teſtes examinati, inter quos nonnulli S. R. E. Cardinales, multi Epiſcopi, & Eccleſiarum Prělati, Rex Aragonum pręfatus, plurimique alii ex ſtatu ſeculari viri nobiles, pluresque alii, Legum, Artium, ac Sacrę Theologię Bacallarii, licentiati, Doctores, ac Magiſtri extiterunt, ac poſtquam dictus Nicolaus, Prędeceſſor, rebus fuit humanis exemptus, pię memorię Caliſtus PP. III Prędeceſſor noſter, dudum ante in minoribus conſtitutus unus ex commiſſariis ante dictis, ad apicem Summi Apoſtolatus aſſumptus, dilectum filium noſtrum Alanum (45) tit. S. Praxedis S. R. E. presbyterum Cardinalem loco ſui, in hujuſmodi negotium deputavit delegatum; Et facta eidem Caliſto Prędeceſſori per pręfatos Commiſſarios relatione fideli, in duobus ſecretis Conſiſtoriis de dictis teſtium examinatorum, reperit omnia, quę de fide, de excellentia vitę de laboribus, moribus caſtis, de actibus ſtrenuis, de humilitate, & ſimplicitate, ac miraculis ipſius Vincentii dicta fuere, legitime probata, ideoque de conſilio venerabilium Fratrum noſtrorum, tunc ejuſdem S. R. E. Cardinalium, ad ulteriora in Canonizatione ejuſdem Vincentii procedendum eſſe decrevit, & deinde ex more (46), dicta ipſorum teſtium fecit in duobus Conſiſtoriis generalibus publice recitari, ac poſtea vocatis eiſdem Cardinalibus, & Pręlatis, qui in Curia aderant, omnes nemine diſcrepante conſuluerunt (47), ad Canonizationem dicti Vincentii eſſe merito procedendum; idem quoque Caliſtus Prędeceſſor, dicta die, videlicet tertia Junii, Pontificatus ſui Anno primo, in ipſorum Cardinalium, & Pręlatorum pręſentia, de ipſorum omnium conſenſu unanimi, pronunciavit, atque decrevit, Vincentium pręfatum eſſe Canonizandum, quod publice, & ſolemniter faciendum, & in feſto (48) Apoſtolorum Petri, & Pauli proxime ſequenti videlicet tertio Kalen. Julii, Pontificatus ejuſdem anno prędicto (49), ſtatuit, & etiam ordinavit. Poſtmodum vero dictus Caliſtus Prędeceſſor, die ſolemnitatis Apoſtolorum hujuſmodi, ut prefertur, adveniente, tam ex vitę excellentia, quam miraculorum coruſcatione, necnon vera notitia, quam de ipſo Vincentio tunc vivente habuerat (50), eum virum comperit aſſecutum fuiſſe gratiam, quam Deus omnipotens Sanctis & electis ſuis conceſſit, & conſimilia ſigna ex eo conſecuta fuiſſe, quę ad cognoſcendum fideles, ac Dei miniſtros, veritas in ſuo Evangelio demonſtravit pro ſuę informatione Eccleſię, ne poſſet errare, ſic inquiens (51); ſigna autem eos qui crediderint hęc ſequentur; In nomine meo dęmonia ejicient (52), linguis loquentur novis, ſuper ęgros manus imponent, & bene habebunt. Ea propter eum auctoritate Apoſtolica canonizavit, & literarum ſuarum, ſi deſuper confectę fuiſſent, tenore, in Sanctorum Cathalogo, adſcribendum eſſe decrevit, Univerſos & ſingulos, Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, ceteroſque Eccleſiarum Pręlatos monuit, & attente hortatus eſt, eis nichilominus injungendo, quod octavo Idus Aprilis (53) feſtum ejuſdem Sancti Vincentii, ſicuti de uno Confeſſore non Pontifice annis ſingulis devote, & ſolemniter celebrarent (54), ac facerent a ſuis ſubditis, devotione congrua, celebrari, & etiam venerari, ut pia ejus interceſſione a noxiis protegi, & ſempiterna gaudia valerent adipiſci. Miracula vero, quę Deus per eundem Sanctum fecerat, propter eorum multitudinem (55), ne modum literarum, ſi, ut prefertur, confectę fuiſſent egrederentur, duxit ſilentio prętereunda, mandans proceſſus omnes ſuper illis habitos in Eccleſia Domus Sanctę Marię ſuper Minervam de Urbe dicti Ordinis ad perpetuam Rei Memoriam cuſtodiri, & illorum copiam volentibus exhiberi, ac etiam in officio (56) ipſius Sancti viri, quoad fieri poſſet, latius declarari. Ceterum Caliſtus Prędeceſſor pręfatus, ut ad tanti Confeſſoris venerabile ſepulcrum (57), & Eccleſias, in quibus de eo feſtivitas celebraretur, eo libentius, & devotius fidelium confluerer multitudo, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui reverenter, ac devote ad prędictum ſepulcrum, & Eccleſias in eodem feſto annuatim accederent, ipſius ſuffragia petituri, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate con-

Miracula.

Judices delegati.

Teſtes Sanctitatis, & Miraculorum S. Vincentii.

Sanctorum numero aſcribitur a Caliſto III.

Ejus feſtum die VI Aprilis celebrandum juſſit Caliſtus.

Indulgentię.

conſius, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxavit. Ne autem pro eo quod ſuper canonizatione, & aliis pręmiſſis ejuſdem Prędeceſſoris literę, ejus ſuperveniente obitu, minime confectę (58) fuerunt, impoſterum valeat de hujuſmodi canonizatione, & aliis pręmiſſis quomodolibet hęſitari, licet ea in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe, eiſdem Cardinalibus, Prędatis, & multitudine populi circumſtantibus fuerit publicata, volumus, & auctoritate Apoſtolica decernimus, quod Canonizatio, & alia pręmiſſa dicta die videlicet III Kal. Julii, plenarium ſortiantur effectum, ac ſi ſub ipſius diei dat. ejuſdem Prędeceſſoris literę confectę fuiſſent, prout ſuperius enarratur; Quodque pręſentes literę ad probandum plene Canonizationem ipſam, & omnia alia prędicta ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri decreti, & voluntatis infringere &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Octavo, Kalen. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Regiſtrata in Camera Apoſtolica.

G. de Vulterris.

1. *S. Vincentii Ferrerii.*) Vide *Notas ad Conſtitutionem Nicolai V datam 18 Octobris MCCCCLI*. Conſulendi quoque Scriptores ibidem laudati. Adeas etiam *Odericum Raynaldum Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCCLVIII*.

2. *Archivo.*) In quo Autographum. In *Bullario Romano* eſt I. Legitur apud *Uſuſmarem pag.* 129, apud *Bzoviam Annal. Eccleſiaſt. ad An. MCCCCLVIII num. XXXVIII*.

3. *Judæorum.*) Hic *occiduæ partes* vocantur *Hiſpania*, *Gallia*, *Britannia Magna*, & *Italiæ* Provinciæ ſitæ *Romam* inter, & *Galliam*. Ibi in clariſſima luce multos annos verſatus eſt Angelus noſter *Vincentius*. Cum autem *Romæ* ſcriberet Summus Pontifex, omnes illæ partes Occidentales dicuntur. Ceterum tunc, in *Hiſpania* potiſſime, Judæos opibus valuiſſe, prodit hiſtoria.

4. *Infidelium.*) *Saracenorum* ſcilicet. Per id enim tempus in *Hiſpania* graſſabantur. *Machoma* (Abenbalva Mahoma, filius Regis Joſeph) *Rex Granatæ, quamvis infidelis eſſet, tamen audita fama mirabilium operum, quæ de B. Vincentio ferebantur, præſertim quod multa Saracenorum, Judæorumque millia ad Religionem converteſſet Chriſtianam, miſſis literis & Legatis eum ad ſuum Regnum venire obſecravit, ut videlicet eum videre, & prædicantem audire poſſet .... Et Vincentius quidem, impetrata a Summo Pontifice eundi ad ipſum Regem facultate, lætus ſe eo contulit, ac coram illo ter prædicavit, cum incredibili tum Regis, tum aliorum Saracenorum attentione &c.* Verba ſunt *Ranzani* in *ejuſdem Sancti Vita Libro II Cap. III*.

5. *Valentinianum.*) Ortu nempe *Valentinum*: *Valentiæ* ſiquidem *Aragonum* natus eſt *S. Vincentius*.

6. *Eximium profeſſorem.*) *Totos ... Viginti annos .... Sanctum in gymnaſiis, qua diſcendo, qua docendo diſciplinas humanas & divinas Valentiæ, Barcinone, Ilerdæ, Toloſæ, ſi vis etiam Pariſiis, iterum Ilerdæ Sententias legendo, inſumpſiſſe*, probat *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCCXIX pag.* 765. Variis editis operibus clarus eſt *S. Vincentius*. Ea recenſet *Echard* mox laudatus.

7. *Sarracenorumque.*) *Saracenorum*, de quibus ſæpius dictum eſt. Nota quod *S. Vincentius* auctor fuit, ut Judæi & Saraceni ſeparati a Chriſtianis in *Hiſpania* viverent, & aliquo externo ſigno dignoſcerentur.

8. *Quaſi alterum Angelum volantem.*) De quo *Apocalip. XIV*. 6. Adeas *Godefridum Henſchenium in Actis Sanctorum ad diem V Aprilis pag.* 481, & 482.

9. *Pronuntiandum.*) Hac de re conſulendus *Ranzanus Vitæ S. Vincentii Libro II Cap. I*, in *Actis Sanctorum Menſis Aprilis ad diem V pag.* 491, & 492.

10. *Diffunderet.*) Refert *Ranzanus* mox laudatus, quod *Avenione Vincentio* ægrotanti Chriſtus apparuit mirabili claritate coruſcans, & his verbis ipſum eſt allocutus: *Conſtans eſto, mi ſerve Vincenti, ... Elegi enim te in ſingularem Evangelii mei præconem.*

11. *Sortiuntur.*) Virginitatem ſcilicet.

12. *Ortum.*) Patre *Guillelmo Ferrer*, matre *Conſtantia Miguel*. De anno quo natus fuit *S. Vincentius* lis eſt inter Auctores. Hac de re conſulendus *Echard pag.* 763, & 765. Eruditi ſiquidem Editores Actorum Sanctorum cenſent *Vincentium* natum die *XXIII* Januarii anno *MCCCLVII*. Ex *Franciſco Diago* natus eſt anno *MCCCL* die *XXIII* Januarii. Ipſum natum anno circiter *MCCCXL*, auctor eſt *Johannes Marieta*. *Echard* vero probat *S. Vincentium* lucis uſuram accepiſſe anno *MCCCXLVI* die *XXIII Januarii*.

13. *Decimum Octavum.*) Decimo Octavo ætatis anno *Valentiæ* die feſto *S. Agathæ*, V Februarii, *S. Vincentium* Ordini FF. Prædicatorum nomen dediſſe, nullus inficiatur. Sed de anno Chriſti inter Auctores non convenit. Conſulendi Scriptores mox laudati. *Echard* id contigiſſe putat anno *MCCCLXIII*.

14. *Operam dedit.*) *Franciſcus Diago Hiſtor. Aragoniæ Provinciæ Libro I Cap. XXIX*, & *Libro II Cap. LI* probat ex Actis Capituli Provincialis *Tarraconen.* anno *MCCCLXVIII Barcbinonam* ad audiendam Logicam: Ex Actis Capituli *Valentini* anno *MCCCLXX Ilerdam* ad Logicam docendam: Ex Actis Capitulorum *Cæſarauguſtani MCCCLXXII*, & *Cervarienſis*, vulgo *Cervera*, *MCCCLXXIII*, *Barcbinonam* ad audiendam lectionem ſacrorum Bibliorum: Ex Actis Capituli *Athanagien.*, vulgo *Manreſa*, *MCCCLXXV Barcbinonam* ad docendam Phyſicam: Ex Actis Capituli *Bilbilitani*, vulgo *Calatayub*, *Toloſam* anno *MCCCLXXVI* ad audiendam Theologiam, *S. Vincentium* miſſum fuiſſe. Mirum quod *Seraphinus Thomas Miguel* diligens alioquin Scriptor in his omnibus, quæ plene decretoria dixerim, *Franciſco Diago* non conſentiat in *Vita S. Vincentii*, ab eodem *Miguel* perſcripta. Ceterum tantæ venerationi eſt *Barchinonenſis* aula, in qua *S. Vincentius* olim docuit, ut ibidem Sacellum poſitum ſit in ejuſdem rei memoriam.

15. *Magiſterio.*) Ætatis anno *XXXIX*, æræ communis *MCCCLXXXIV*, laurea Magiſterii donatus fuit *S. Vincentius*. Cum enim nomen Ordini dederit ætatis anno *XVIII*, æræ communis *MCCCLXIII*, & expleto tirocinio, *XX* annos ſcientias vel didicerit, vel docuerit, ut mox dictum fuit; hinc liquet, anno *MCCCLXXXIV* Sanctum *Vincentium*, annos *XXXIX* natum, Magiſterio inſignitum fuiſſe. Sed nota, de anno, quo *S. Vincentius* inter Fratres aſcriptus eſt, tot eſſe ſenſus quot capita.

16. *Provincias.*) *Doctrinæ ſuæ, & Verbi Divini annuntiati, necnon miraculorum patratorum theatrum habuit* (S. Vincentius) *fere univerſas Hiſpanias & Gallias, necnon magnam Italicarum ditionum & Britannicarum Inſularum partem*. Verba ſunt *Henſchenii* in *Actis Sanctorum ad diem V Aprilis pag.* 477. Legendus etiam eruditus ſcriptor *pag.* 480, 481, & 482, ubi recenſet loca illuſtrata evangelica prædicatione *S. Vincentii*. De iiſdem accuratius egiſſe videtur *Seraphinus Thomas Miguel* ſupra laudatus. Addam ex antiquis *Mſs. Maſſilienſis* Cœnobii, *S. Vincentium* Anno *MCCCC* tempore *Adventus* ſacras conciones ibidem habuiſſe. Advenit *Maſſiliam* die *I* Decembris, inde receſſit die *XXIX* ejuſdem Menſis. Sic enim legitur in *Mſs* citatis. *Die I Decembris pro Magiſtro Vincentio, qui venit eadem die pro ferculo, & piſcibus aſſes tres, denarii quatuor ..... Die XXIX Decembris receſſit Magiſter Vincentius.* Anno *MCCCCI Maſſiliam* rediiſſe *S. Vincentium* conſtat ex iiſdem *Mſs*, in quibus ſic legere eſt. *Die XVII Martii* (MCCCCI) *rediit Magiſter Vincentius & die ..... quæ fuit prima dies Indulgentiarum prædicavit, & hinc quotidie. Die XXIX dederunt Domini Syndici Villæ* (Urbis ſcilicet, Gallice Ville) *contemplatione Reverendi Magiſtri Vincentii decem Eminas frumenti .... Die XXX procuraverunt Conventui domini Syndici contemplatione Magiſtri Vincentii, & comederunt cum conventu. Die XXXI in Cœna Domini Conventus habuit pictantiam de procuratione prædicti Magiſtri Vincentii. Die II Aprilis Sabbato Sancto dedit pictantiam Magiſter Vincentius. Die III in die ſancto Paſcha, & in craſtino pro ovis Magiſtri Vincentii denarii ſexdecim. Die Sexta Aprilis receſſit Magiſter Vincentius. Pro collatione denarii undecim.*

17. *Veneten.*) Vulgo *Vannes* in *Britannia Minori*.

18. *Septuageſimum .... tranſcendens.*) Annos ſcilicet natus *LXXIII* (de hoc inter Auctores non convenit) Menſes duos

Digitized by Google

duos, dies *XIV*. Natales ſiquidem habuit *S. Vincentius* diem *XXIII* Januarii annum *MCCCXLVI*. Obiit autem *MCCCCXIX* die *V* Menſis Aprilis, Feria nempe *VI* in Paraſceve: hoc enim Anno fuit Paſcha die *VII* Menſis Aprilis. Ceterum ex hac diei Paſchatis annotatione conciliandi Scriptores, quorum nonnulli cenſent, *S. Vincentium* diem ſupremum obiiſſe anno *MCCCCXVIII*, ceteris docentibus Sanctum cælos petiiſſe anno *MCCCCXIX*. Illis favent antiqua cum manuſcripta, tum typis edita Breviaria, in quibus *S. Vincentius* mortuus dicitur *Nonis Aprilis hora Veſperarum MCCCCXVIII*. Aliorum ſententia firmatur ex ſcriptoribus antiquis & ex novis Breviariis, quorum una vox eſt, *S. Vincentium* mortuum eſſe anno *MCCCCXIX*. Utrumque bene. Cum enim *S. Vincentius* obierit in *Galliis*, ubi per id tempus *Galli* die Paſchatis auſpicabantur annum, ex hoc ſtylo veteri dici debet, Sanctum *Vincentium* mortuum fuiſſe anno *MCCCCXVIII*, ſed ex ſtylo novo dicendum id contigiſſe anno *MCCCCXIX*.

19. *Johannes*.) Hujuſce nominis *VI*.

20. *Petrus*.) *Simplex* nuncupatus.

21. *Johannes*.) Hujus nominis *II*.

22. *Alfonſus*.) *V*.

23. *Martialis Auribelli*.) Adeas *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLIII pag.81c*.

24. *Judæos*.) De Judæis, Saracenis, aliiſque ad meliorem frugem adductis a *S. Vicentio* loquitur *Ranzanus Libro II Cap.III Vitæ ejuſdem Sancti* apud Editores *Actorum Sanctorum pag.494. &c.* ubi hæc habet. *Ex Chriſtianis hominibus, qui perditi atque obſtinati in manifeſtis flagitiis ab omnibus habebantur, ſupra centum millia ad ſalutiferam pœnitentiam reduxit .... In diverſis utriuſque Hiſpaniæ urbibus ſupra viginti quinque millia ex eis* (Judæis) *ad ſuſcipiendam Chriſtianam .... Religionem adduxit, & eorum Templa in Chriſti Eccleſias dedicari fecit. Nec minus multi Saraceni, quorum in Hiſpania magna copia eſt, ejus ignitis eloquiis incitati, ſacrilegam Mahometis ſectam deteſtantes, ſacrum Baptiſma perceperunt &c.*

25. *Miſſam cantavit*.) *Methodum vivendi a S Vincentio* ſervatam exhibet *Ranzanus Vita S. Vincentii Libro II Cap.II*.

26. *Prædicavit*.) *Magna etiam admiratione dignum* illud eſt, inquit *Ranzanus* loco laudato Cap.III, *quod donum linguarum, ſicut & veteribus Apoſtolis, ei conceſſum eſt. Cum enim per illas ſingulas regiones quas ſupra memoravimus, ſuas prædicationes diffunderet, & ſua Valentina ac materna lingua fuerit ſemper locutus, tamen ſinguli tam pueri, quam ætate provecti utriuſque ſexus, ejus ſermonem per ſingula verba percipiebant perinde ac ſi in ſingulorum patria fuiſſet natus, & eorum idiomate fuiſſet locutus*. Idem refert de *Græcis, Theutonis, Sardis, Hungaris &c.*

27. Jejunavit.) Vide *Ranzanum Libro III Cap.II Vitæ Sancti Vincentii*.

28. *Impoſuit*.) Verba quibus in hujuſmodi ſanationibus utebatur hæc ſunt, auctore *Ranzano* mox laudato: *Super ægens manus imponent, & bene habebunt. Jeſus Mariæ Filius, mundi ſalus & Dominus, qui te traxit ad fidem catholicam, te conſervet in ea, & beatum faciat, & ab hac infirmitate te liberare dignetur. Amen*. Eaſdem preces adhibebat S. Pontifex *Benedictus XIII*, cum ad ipſum, dum viveret, accedebant ægroti, ſanitatis recipiendæ gratia. Hæc autem addebat. *Et meritis* B. *Virginis Mariæ, & B. Dominici Patris noſtri, & B. Vincentii, & omnium Sanctorum, te ab hac infirmitate liberare dignetur*. Ceterum quod ægrotantium fidem, S. Pontificis beneficam pietatem, & Dei Optimi Maximi potentiam non ſemel hac de re fuerim demiratus, alias dicatur.

29. *Compoſuit*.) Jus ſiquidem ſucceſſionis ad Regnum *Aragoniæ* definiiſſe *S. Vincentium*, narrant Auctores. Conſulendi *Ranzanus Libro II Cap.IV*, *Franciſcus Diago Hiſtor. Provinciæ Aragoniæ Libro II Cap.LX, & LXI &c. Seraphinus Thomas Miguel in vita S. Vincentii*, aliique paſſim.

30. *Laboravit*.) Tempore præſertim *Conſtantienſis* Concilii. Adeas *Ranzanum* mox laudatum, & *Franciſcum Diago Cap.LXVII*, ubi varia Diplomata tranſcribit. Eadem refert *Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap.XII ad an. MCCCCXVI pag.300*. Conſulendus idem *Fontana ad annum MCCCCXVII pag.301*.

31. *Votorum emiſſionem*.) Hinc ingens ille numerus anathematum, ſeu donorum, quibus ubique terrarum ornantur Altaria, ſtatuæ, ac imagines *S. Vincentii*.

32. *Commiſit*.) Anno *MCCCCLI*, die *XVIII* Octobris, ut videre eſt ex *Conſtitutione LXXXIII Nicolai V*. Nota quod in *Nicolai V* Conſtitutione *Georgius* Epiſcopus *Præneſtinus* dicitur in hac autem *Pii II* Epiſcopus *Oſtienſis* vocatur. Utrumque verum. *Georgius* enim anno *MCCCCXLIX* Epiſcopus *Præneſtinus* creatus, *Oſtienſis* evaſit anno *MCCCCLIII*, & ſedente *Pio II* vixit ad annum uſque *MCCCCLXI*, quo vivere deſiit *VIII* Idus Octobris.

33. *Neapolitan*.) In ejuſdem nominis Regni Metropoli.

34. *Commorantes*.) Hanc Conſtitutionis partem ab illis verbis: *Nicolaus Prædeceſſor &c.* ad finem uſque tranſcripſit *Henſchenius* ſæpius laudatus *pag.524* &c.

35. *Delfinatus*.) Seu *Delphinatus*, vulgo *le Dauphiné*. Provincia eſt Regni *Franciæ*.

36. *Vaſionen*.) Vulgo *Vaiſon*, in Comitatu *Vindaxino*. Ibi jus dicebat *Pontius de Sadone*, cujus mentio apud *Sammarthanos in Epiſcop. Vaſionen*.

37. Uticen.) Seu *Ucetien.*, vulgo *Uſetz*, rectius Uzès in *Gallia*, ſub Archiepiſcopo *Narbonen*. Ibi tunc ſedebat *Oliverius du Caſtel*, de quo *Sammarthani in Epiſcop.* Ucetien.

38. *Avinionen*.) *Avenionen.*, vulgo *Avignon*. Metropolis eſt ejuſdem nominis Comitatus.

39. *Britannia*.) Minori. Provincia eſt *Galliarum* Regni.

40. *Dolen*.) *Radulfum* ſcilicet *de la Mouſſaye*. De quo *Sammarthani* in *Epiſcopis Dolen*.

41. *Maclovien*.) Vulgo *S. Malo*, in *Gallia Celtica*. Huic Epiſcopo nomen erat Johannes *Leſpervier*. Adeas *Sammarthanos* in *Maclovien. Epiſcopis*.

42. Jacuti.) Vulgo *S. Jagu*. Hæc Abbatia Ordinis eſt *S. Benedicti*.

43. *Debuſan*.) *Debuzay*, *Buzerenſem* ſcilicet. Ordinis *Ciſtercienſis* eſt Abbatia illa, filia *Claravallis*, ut videre eſt apud *Sammarthanos de Abbatiis Galliarum*.

44. *Nannetan*.) Vulgo *Nantes*, in *Britannia minori*.

45. *Alanum*.) *De Cœtivo* nuncupatum. Ipſe eſt *Alanus* qui a *Caliſto III Romano Pontifice in Britanniam Armoricam Legatus a Latere miſſus* eſt *ad ſacrum S. Vincentii Ferrerii Ordinis Prædicatorum Corpus exhumandum*. Verba ſunt *Oldoini* apud *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo I ad Annum MCCCCXLVII pag.971*.

46. *Ex more*.) Nota morem antiquum.

47. *Conſueverunt*.) Id etiam nunc ita fieri ſolet, ut Cardinales omnes, & Epiſcopi *Romæ* degentes, quid hac de re ſentiant, ſcripto tradant.

48. *Feſto*.) Audiendus *Fontana* Monumen. Dominican. Parte III Cap.IV ad an. MCCCCLV pag.349. *Eodem anno*, inquit, *in feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ipſum Vincentium in Sanctorum Confeſſorum album retulit* (Caliſtus III), *eademque die ſolemnem proceſſionem ex Templo S. Mariæ ſuper Minervam ad S. Petrum in Vaticano cum Clero, Cardinalibus, Prælatis, Curia, ac Romano Populo habuit, in qua ingenti cum devotione omnium qui incedebant, divinam opem contra Turcas imploravit, & creditum eſt, eas preces plurimum Chriſtianis profuiſſe, ad hoſtes fugandos, ſternendoſque*.

49. *Anno prædicto*.) *MCCCCLV*, non vero *MCCCCLIV*, ut excidit librario *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad an. MCCCCLIII pag.811 col.1*.

50. *Habuerat*.) Sanctus enim *Vincentius Alfonſum Borgiam*, poſtea *Caliſtum III*, Summum Pontificem futurum vaticinatus erat, ut ipſe *Caliſtus* narrabat. Hac de re conſulendus *Ciaconius* in *Caliſto III*. Refert *Fontana* ſupra laudatus, quod cum mater *Caliſti III*, ipſum *adhuc infantulum* .... *ad S. Vincentium Valentiæ in Eccleſia poſt peractam de more concionem adduxiſſet, ut ei benedictionem daret, ponens Sanctus dexteram ſuper infantis Caput dixit: Creſce puer, & maximum mihi præbebis honorem in Eccleſia ſancta Dei*.

51. *Inquiens*.) *Marci XVI*. 17.

52. *Eicient*.) *Eiicient*. Ex *Italorum* autem pronunciatione amanuenſis ſcripſit, *Eicient*.

53. *Octavo Idus Aprilis*.) Nonis tamen Aprilis, die ſcilicet *V*, qua mortuus eſt *S. Vincentius*, ipſius feſtum celebratur. Hac de re multum laborat *Henſchenius* in *Actis Sanctorum ad Diem V Aprilis pag.479 col.1*. Ipſum conſulas velim, nonnulla ſiquidem refert ſcitu digniſſima. Notandum tamen, quod mendum non irrepſit in hoc Diploma, ut *Henſchenius* ſuſpicatur, nec antiqua monumenta, quibus utitur, probant feſtum *S. Vincentii* Nonis Aprilis ſemper celebratum fuiſſe. Ab anno ſiquidem *MCCCCLV* ad annum *MCCCCLXVIII* ex hujus Conſtitutionis præſcripto *S. Vincentii* dies feſtus agebatur *VIII* Idus Aprilis. Ab anno autem *MCCCCLXVIII* ad hæc uſque tempora celebratum fuit Nonis ejuſdem Menſis, ut ſancitum legitur in Actis Capituli General. an. *MCCCCLXVIII* Romæ coacti. In illius enim Capituli *inchoationibus*, ut vocantu

cant, ſic habetur: *Imprimis inchoamus, & volumus, quod in ſingulis noſtri Ordinis Conventibus, & Martyrologiis noſtris Nonis Aprilis Natalis Beati Vincentii Confeſſoris conſcribatur hoc modo: Natalis B. Vincentii Confeſſoris, qui de Civitate Valentiæ ortus, in adoleſcentiæ annis mundi illecebras prudenter declinans, Ordinem Fratrum Prædicatorum ingreſſus eſt, in quo plurimum in ſtudio, & moribus proficiens, Verbum Dei, ut vir Apoſtolicus, ſignis, & prodigiis coruſcans, multis annuntiavit terrarum populis. Tandem Britannias ingreſſus in Civitate Venetenſi, plenus dierum, & ſpiritu prophetico præclarus, animam Chriſto reddidit. Cujus ſanctitatem ad tumulum ejus crebra miracula proteſtantur. Totum duplex.*

54. *Solemniter celebrarent.*) Huc ſpectat Decretum, de quo loquitur *Fontana Monum. Dominican. Parte V Cap. III ad annum MDCLXVII pag.* 680, ubi hæc habet. *Eodem Anno, ſupplicante ſereniſſima Hiſpaniarum Regina per Decretum Sacræ Congregationis S. Rituum, approbatum a Sanctiſſimo D. Noſtro Clemente Papa IX, ſtatutum eſt apponi Breviario Romano Officium S. Vincentii Ferrerii Ordinis noſtri, ad libitum recitandum ſub ritu ſemiduplici ab omnibus, qui ad horas Canonicas tenentur, tum ſecularibus, tum Regularibus utriuſque ſexus, dato Decreto XXIX Novembris hujus anni.* Anno tandem *MDCCXXVI* ſanctæ memoriæ *Benedictus XIII* juſſit feſtum *S. Vincentii* ab omnibus celebrandum ritu Duplici, ut liquet ex Decreto, cujus hæc verba:

Decretum Urbis, & Orbis.

Sanctiſſimus Dominus Noſter Benedictus PP. XIII benigne indulſit, ut Officium Sancti Vincentii Ferrerii Confeſſoris Ordinis Prædicatorum, alias ſub ritu ſemiduplici pro Eccleſia univerſali celebrari conceſſum, in poſterum ab omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus tam Secularibus, quam Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, ſub ritu duplici recitari debeat. Et ita decrevit, ac ſervari mandavit. Die 5. Aprilis 1726. F. Cardinalis Paulutius Præf. Loco ✠ ſigilli. N. M. Tedeſchi Archiep. Apamenus S. Rit. Cong. Secr.

55. *Multitudinem.*) Stupendis certe Miraculis Sanctum ſuum Deus Optimus Maximus illuſtravit. Horum numerus ipſi ſoli qui numerat multitudinem ſtellarum cognitus eſt. Nonnulla referuntur apud eruditos *Editores Actorum Sanctorum ad diem V Aprilis a pag. 502. ad 523.*

56. *Officio.*) Cujus auctor fuit *Martialis Auribelli* totius Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſter. Id liquet ex initialibus literis Hymni Veſperarum, & Antiphonarum matutinarum, ac laudum. His enim literis ſimul junctis efficiuntur hæc verba: *Martialis Auribelli fecit.*

57. *Sepulcrum.*) Eſt in Cathedralis *Venetenſis* ædibus ſacris, in *Britannia minori*.

58. *Confectæ fuerunt.*) Ex his tamen quæ hoc in Diplomate narrat *Pius II* conſtat hac de re dandæ Conſtitutionis formam ab ipſo *Caliſto III* delineatam fuiſſe.

Anno 1458 Die 18 Octobris.

Ne Fratres Mendicantes, privilegiorum Univerſitatibus conceſſorum prætextu, ſuorum Ordinum juriſdictionem (1) effugiant.

Ex Archivo (2) Ordinis.

V.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Prędicatorum, Heremitarum S. Auguſtini, Carmelitarum, atque Minorum, & aliorum Ordinum Mendicantium Generalibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Religioſorum exceſſus, quos antiquus hoſtis eo ſolicitius ſuſcitat, quo eorum vitę meritorię ardentius ęmulatur, tanto amplius deteſtantes, quanto ex illis majora ſcandala in mentibus Fidelium oriuntur, ad illos reprimendum, & caſtigatione debita coercendum, congruum Nos decet remedium adhibere. Cum itaque, ſicut accepimus, dilecti filii Provinciales veſtrorum Ordinum, laudabilem conſuetudinem diutius obſervatam imitantes, nonnullos ex Fratribus Ordinum Prędicatorum ad hoc idoneos, ad literarum ſtudia in locis, ubi illa vigere noſcuntur, cauſa adipiſcendi ſcientię margaritam, deſtinare conſueverint, quorum nonnulli, juvenili, & humana fragilitate cauſantibus, interdum a ſemita rationis deviantes, diſcoli, & vagabundi effici ſolent, & proprię ſalutis immemores, quo fit, ut ſuave jugum Domini contemnentes, Pręlatis ſuis obtemperare, eorumque ſalutares correctiones, & diſciplinam effugere, quinimo deſpicere, & multimode eludere contendant, & ut id impune efficiant, Rectorum, Gubernatorum, & Conſervatorum ſtudiorum, ſive privilegiorum eorundem pręſidia, & patrocinia, quibus ſe protegi, & tueri valeant, ſatagunt, exquiſitis modis implorant (3), ſe etiam ab ipſorum Ordinum ſuperiorum juriſdictione, poteſtate, & correctione exemptos eſſe prętendentes. Et ſimiliter Bacalarii, Lectores, Biblyſtę, ſive alii Officiales pro tempore in domibus, Conventibus Civitatum, & locorum, in quibus ſtudia hujuſmodi vigere noſcuntur, deputari, cum exceſſus aliquos commiſerint, ſive aliter deliquerint, vel eorum inſcitia, aut imperitia exigente, ab eorum officiis depoſiti fuerint, id ipſum pręſumere moliantur, in grave Ordinum prędictorum pręjudicium, animarum ſuarum periculum, regularis diſciplinę vilipendium, & contemptum, ac ſcandalum plurimorum. Nos itaque, attendentes, quod ſi ad reprimendos exceſſus hujuſmodi, & talium pręſumptiones temerarias cohibendum, nervus publicę diſciplinę lenteſcat, eorum voluntas fit proclivior ad peccandum, & impunitatis exemplum periculoſius in alios derivatur, ac volentes ſuper hiis de opportuno remedio providere, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus omnes, & ſingulos veſtrorum Ordinum profeſſores, qui ſpiritu rebellionis aſſumpto, talia perpetrare pręſumpſerint, cujuſcunque gradus, vel conditionis exiſtant, niſi canonica monitione pręmiſſa a cęptis reſipuerint, & debitam a vobis pro commiſſis pęnitentiam humiliter ſuſceperint, ac mandatis veſtris efficaciter obtemperare ſtuduerint, cum effectu, tandiu excommunicatos, ac omnibus Magiſterii, Bacalariatus, Lectorię, Biblyſtatus Officiis, aliiſque dignitatibus, & honoribus dictorum Ordinum exutos, privatoſque auctoritate Apoſtolica nuncietis, & ab aliis, ubi, quando, & quoties expedierit nunciari, & ſi eorum contumacia, protervitas, vel rebellio id exigerit, carceribus ad pęnitentiam peragendam retrudi, & mancipari faciatis, donec ſpiritu conſilii ſanioris reſumpto, veſtris monitionibus, & mandatis ſtuduerint cum emendatione prioris vitę humiliter obedire, & ab hujuſmodi excommunicationis ſententia meruerint a Sede Apoſtolica, vel a vobis abſolutionis beneficium obtinere. Non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, indultis, & gratiis, ſtudiis Generalibus quarumcunque Civitatum, & locorum, Apoſtolica, vel alia quavis auctoritate conceſſis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus in pręſentibus de verbo ad verbum habenda eſſet mentio ſpecialis, eiſque ſpecialiter, aut alias ſub certa forma, vel ſpecifica derogandum, quę eiſdem Fratribus, & pro-

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

& profeſſoribus quoad hoc nolumus in aliquo ſuffragari, etiamſi hoc in eiſdem caveretur expreſſe, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi profeſſoribus Ordinum prędictorum, vel quibuſvis aliis, communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Octavo, Quinto Decimo Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri, Anno Primo.

L. de Harnia.

De Curia.

Ste. de Sala.

Regiſtrata in Camera Apoſtolica

G. de Vulterria.

1. *Juriſdictionem.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV, & VI.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur. In *Bullario Romano* eſt *II.* Legitur apud *Confettium pag.*41, *Uſuſmarem pag.*128, *Caſtellanum Parte II pag.*99 *num. CXL*, *Rodericum in Nova Collectione Privilegior. Apoſtolicorum pag.*114, *Waddingum Annal. Minor. Tomo VI in Regeſto Pii II.* In *Bullario Carmelitano* eſt I inter Bullas *Pii II pag.*252.

3. *Implorant.*) Sic in Autographo, & apud Auctores: Nonne melius. *Implorare.*

4. *Novembris.*) Librarius *Cherubini* in Bullario *Romano* ſcribit *Octobris.*

Petrenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1458 Die 21 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

VI.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Sueſſan. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex petitio.

Piis fidelium votis &c. (4), Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum univerſitatis, & hominum Caſtri Petrę Theanen. (5) Diœceſis petitio continebat, quod ipſi ob ſingularem, quem erga Ordinem Fratrum Prędicatorum S. Dominici, necnon perſonas ejuſdem Ordinis ſub regulari obſervantia degentes, gerunt devotionis affectum quandam domum cum Eccleſia, & aliis officinis, in territorio dicti Caſtri pro uſu, & habitatione Fratrum de Obſervantia nuncupatorum, dicti Ordinis ad hoc bonę memorię Nicolai (6) olim Epiſcopi Theanen. accedente conſenſu, qui voluit, ut ratione Eccleſię hujuſmodi illi, qui in ea pro tempore reſiderent, unam libram cerę pro cenſu annuo ſingulis Epiſcopis Theanen. (7) pro tempore exiſtentibus ſolvere deberent, de novo conſtruere & ędificare, necnon certi Fratres dicti Ordinis abſque Sedis Apoſtolicę licentia, tanquam ſimplices, & juris ignari, domum ipſam habitare cęperunt, &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, pręfati Fratres dubitant, ſe excommunicationis ſententiam propterea incurriſſe, ac licet dicta Eccleſia de conſenſu Epiſcopi pręfati fundata fuerit, & idem Epiſcopus cenſum prędictum Eccleſię prędictę impoſuerit, domus tamen prędicta abſque alio conſenſu incepta extitit. Quare pro parte univerſitatis, & hominum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eorum pium propoſitum confovere, ac cenſum pręfatum commutare & ipſum ſuper una ex dictę Eccleſię poſſeſſionibus pręfato Epiſcopo reſervare, ac alias ſuper pręmiſſis ſalubriter & opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionem & cultum hujuſmodi noſtris potiſſime temporibus vigere, & adaugeri, intenſis exoptamus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, & committimus, quatenus univerſitati, & hominibus prędictis domum prędictam cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtris, refectorio, dormitoriis, cęmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione dictorum Fratrum ſub regulari ejuſdem Ordinis obſervantia viventium, perficiendi, & conſtruendi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, ac eiſdem Fratribus ſub eadem tamen obſervantia degentibus duntaxat, domum ipſam, ut pręfertur, cum Eccleſia, & Capellis, ac omnibus juribus, & pertinentiis ſuis recipiendi, & perpetuo retinendi, ac inhabitandi, Auctoritate Apoſtolica licentiam largiaris, necnon omnes, & ſingulos ex eiſdem Fratribus, & aliis a quibuſcunque excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdicti ſententiis, cenſuris, & pęnis, quas pręmiſſorum occaſione quomodolibet incurriſſent, eadem auctoritate penitus abſolvas, ac etiam cum ipſis ſuper irregularitate, ſi quam hujuſmodi ſententiis, cenſuris, & pęnis, vel earum aliqua ligati, Miſſas, & alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando, aut ſe illis immiſcendo, contraxerint, pręfata auctoritate diſpenſes: & nihilominus cenſum prędictum cum conſenſu venerabilis Fratris noſtri Nicolai (8) Epiſcopi Theanen. ſuper una ex pręfatę Eccleſię poſſeſſionibus eidem, & pro tempore exiſtenti Epiſcopo Theanen., reſervare, ac Eccleſiam, & Fratres prędictos a quolibet alio cenſu eximere, & penitus liberare procures, & inſuper eiſdem Fratribus in hujuſmodi domo pro tempore moraturis, ut ipſi omnibus privilegiis, exemptionibus &c. uti, & gaudere poſſint, & valeant, eadem auctoritate concedas. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris prohibentis, ne Fratres Ordinum

Facultas.

Clauſula derogans.

Mendicantium in aliqua Civitate, Caſtro, vel villa, loca ad inhabitandum &c. & aliis conſtitutionibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque, jure Parochialis tamen Eccleſię &c. ſemper ſalvo. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Octavo, undecimo Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Petrenſis.*) In *Campania*, Provincia eſt Regni *Neapolitani*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro VI fol.* 193.
3. *Sueſſan.*) Vulgo *Seſſa*, in *Campania*, ſub Archiepiſcopo *Capuano*.
4. *Votis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris diplomatibus.
5. *Theanen.*) Vulgo *Tiano*, ad *Maſſici* Montis radices, inter *Cales* & *Sueſſam*, in *Campania*.
6. *Nicolai.*) Cognomento *de Diano*, Epiſcopus *Theanenſis* renunciatus erat anno *MCCCXCIII*, uti videre eſt apud *Ughell. in Epiſcop. Theanen. Tomo VI Italia Sacra pag.* 571. *Edit. Veneta Coleti*.
7. *Theaten.*) *Theanen.*, ut inferius.
8. *Nicolai.*) Hic ille fuit celeberrimus *Nicolaus Fortiguerra Piſtorien.*, Cardinalis tituli *S. Cæcilia* poſtea creatus. Adeas *Ughellum* mox laudatum.

Anno 1458 Die 12 Decembris.

Sodales Fraternitatis S. Catharinæ interdicti tempore ſacris intereſſe poſſint in Eccleſia Fratrum Prædicatorum Barchinonen. (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

VII. Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. PAſtoris Æterni, qui pro dominici ſalvatione gregis in pretium ſe contulit, vices licet immeriti gerentes in terris, fidelium vota quorumlibet, prętertim quę ad ſuarum ſalutem cedere valeant animarum, libenter Apoſtolico favore proſequimur, & ut illorum ſuccedant effectus noſtri partes miniſterii pręſidialiter impertimur. Cum itaque, ſicut accepimus, in Domo Barchinonen. Ordinis Fratrum Prędicatorum quędam Chriſti fidelium utriuſque ſexus perſonarum Congregatio, Fraternitas Sanctę Catharinę nuncupata, pręcipue cauſa devotionis convenire, necnon in Eccleſia dictę Domus diebus ſingulis in aurora ſolemnem cum cereis magnis Miſſam celebrari facere conſueverit, Nos, ipſarum perſonarum in hac parte ſupplicationibus inclinati, fidelibus de Congregatione hujuſmodi pręſentibus, & futuris auctoritate pręſentium indulgemus, ut ſi, & quoties Civitatem Barchinonen. Indultum. eccleſiaſtico ſupponi contigerit interdicto, liceat eis in dicta Eccleſia januis clauſis, interdictis, & excommunicatis excluſis, ſummiſſa voce, & non pulſatis campanis, Miſſas, & alia Divina officia in eorum pręſentia duntaxat facere celebrari, dummodo ipſi, vel eorum aliquis, cauſam non dederint interdicto, nec id ipſis contigerit ſpecialiter interdici. Per hoc autem Fraternitatem prędictam non intendimus aliquatenus approbare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Octavo, Pridie Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Barchinonen.*) In *Catalonia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum *Lib. B. fol.* 616, ex Autographo *Barchinonen.*

Anno 1458 Die 19 Decembris.

Contra detentores bonorum Monaſterii Beatæ Mariæ Magdalenæ Alben. (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

VIII. Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Aſten. (3), & Saonen. (4) Epiſcopis, ac dilecto filio Prępoſito Eccleſię S. Evaſii de Caſali, Vercellen. (5) Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

MIlitanti &c (6). Sane dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſę, & Conventus Monaſterii Beatę Marię Magdalenę Alben. Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, necnon dilecti filii Vicarii in ſpiritualibus, & temporalibus prefati Monaſterii auctoritate Apoſtolica deputati, conqueſtione percepimus, quod nonnulli Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliique Eccleſiarum Prelati, & clerici, ac eccleſiaſticę perſonę tam religioſę, quam ſeculares, necnon Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Milites, & laici, communia Civitatum, Univerſitates oppidorum, caſtrorum, villarum, & aliorum locorum, & alię ſingulares perſonę Civitatum & Dięceſum, ac aliarum partium diverſarum, occuparunt, & occupari fecerunt Caſtra, Villas, & alia loca, terras, domos, poſſeſſiones, jura, & juriſdictiones, necnon fructus, redditus, cenſus, & proventus dicti Monaſterii, & nonnulla alia bona mobilia, & immobilia ſpiritualia, & temporalia ad Abbatiſſam, & Conventum Monaſterii, ac Vicarium prędictos ſpectantia, & ea detinent indebite occupata, ſeu ea detinentibus pręſtant auxilium, conſilium, vel favorem &c. (7). Ceterum &c. pręſentibus poſt viginti annos minime valituris. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Octavo, Quarto decimo Kal. Junii (8), Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Alben.*) In *Monteferrato*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XIX fol.* 211.
3. *Aſten.*) Vulgo *Aſti*, in ejuſdem nominis Comitatu *Italiæ*.
4. *Saonen.*) *Savonen.*, vulgo *Savona*, in *Liguria*.
5. *Vercellen.*) Vulgo *Vercelli*, in *Pedemontio*. Nota quod *Caſalenſis* Eccleſia Epiſcopali Sede poſtea donata fuit a *Sixto IV.* Ce-

Digitized by Google

Ceterum *Caſale S. Evaſii*, vulgo *Caſale di S. Vaſo*, ab ejuſdem Eccleſiæ Patrono, ad differentiam aliorum *Caſalium* cognominatur.

6. *Militanti &c.*) Exordium deeſt.

7. *Favorem &c.*) Hic nonnulla deſiderantur quæ ex aliis ejuſdem tenoris Diplomatibus peti poſſunt.

8. *Junii.*) Legendum *Januarii*. Quarto Decimo ſiquidem Kalendas Junii, Pontificatus anno Primo *Romæ* non erat *Pius II*, ut ex ſequentibus Conſtitutionibus videre eſt. Annus etiam *Quinquageſimus Octavus* hic inſcriptus probat, ſcribendum *Quarto Decimo Kalendas Januarii*, non vero *Junii*. Enim vero Quarto Decimo Kalendas Junii, die nempe *XIX* Maii, anno *MCCCCLVIII* vivebat adhuc *Caliſtus III*, & *Pius II* electus eſt die duntaxat *XIX* Menſis Auguſti.

Confirmat omnia privilegia conceſſa Conventui de Victoria (1).

Anno 1458 De 31 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

IX.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Beatę Marię de Victoria, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Conimbricen. (3) Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrę Religionis, ſub qua devotum, & ſedulum exhibetis Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut vos, & pro tempore exiſtentes Priores, & Fratres ſpecialibus favoribus & gratiis proſequamur, illiſque vobis, & eis gratioſe concedamus, per quę a perturbationibus ſecuri poſſitis cum animi quiete Domino deſervire. Hinc eſt, quod Nos cariſſimi in Chriſto Filii noſtri Alfonſi (4) Portugallię & Algarbi (5) Regis Illuſtris, in hac parte ſupplicationibus inclinati, omnes & ſingulas exemptiones, gratias, immunitates & privilegia vobis, & domui veſtrę, necnon pręfato Ordini Prędicatorum ſub quacunque verborum forma per Prędeceſſores noſtros Romanos Pontifices conceſſa, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium de ſpeciali gratia in favorem Regum in dicto Monaſterio ſepultorum, quorum omnium & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent, pręſentibus haberi volumus pro expreſſis, ex certa ſcientia confirmamus, & approbamus; ac vobis, & pro tempore exiſtentibus dicti Conventus Priori, & Fratribus, quod illis & etiam aliis per Sedem Apoſtolicam concedendis, gaudere, & uti libere, necnon tertiam, quartam, ſeu quintam, aut aliam partem, ſeu portionem fructuum, occaſione bonorum mobilium, & immobilium, & ſe moventium, a colonis, ſeu aliis quibuſvis perſonis vobis perſolvendam, integraliter, abſque diminutione, & ſubtractione alicuius decimę, tam in majori acervo, quam alias, qualitercunque, & quomodocunque vobis, & ipſi Monaſterio concedimus (6), percipere & recipere, retinereque libere ac licite valeatis, eadem auctoritate indulgemus: pręfatumque Monaſterium veſtrum a ſolutione cujuſcunque quartę portionis ratione funeris, aut alias de quibuſvis obventionibus quomodocunque & qualitercunque ipſi Monaſterio datis, oblatis, conceſſis, ſive relictis, dandis, offerendis, & relinquendis de novo, de ſpeciali gratia perpetuo eximimus, & totaliter liberamus, quodque etiam Monaſterium ipſum, ſeu Priorem, & Fratres ejuſdem, ac ipſius Gubernatores, ratione domorum, aut locorum, vel quorumcunque pręfatorum bonorum mobilium & immobilium, & ſe moventium, ſeu quarumcunque poſſeſſionum, quę, & quas impręſentiarum ubilibet habent, & juſtis modis, pręſtante Domino, habebunt in futurum, ſeu quavis alia occaſione, decimas prędiales, prętexu fructuum prędictorum bonorum, vel aliam partem, portionem, ſeu annuos redditus, aut cenſum, ubicunque poſſeſſiones ipſę conſiſtant, Ordinariiſque, vel aliam ſubventionem Legatis, ſeu Delegatis, vel Nunciis Sedis Apoſtolicę, & ordinariis locorum, aut Eccleſiarum Rectoribus, vel aliis quibuſcunque perſonis, etiam ſecularibus dare, & ſolvere minime teneantur, nec ad id pręfatum Monaſterium poſſis compelli, vel ſuper hoc, aut alias a quoquam quomodolibet conveniri per literas Apoſtolicas, aut Legatorum, ſeu Delegatorum, aut Nunciorum ipſius, vel Dięceſanorum locorum, & Rectorum terrarum Eccleſię Romanę, ſive quorumcunque aliorum, etiam ſi in eiſdem literis Apoſtolicis contineatur expreſſe, quod ad quęvis exempta, vel non exempta ſe extendant, niſi expreſſam ac de verbo ad verbum mentionem de pręſentibus fecerint ſpecialem: Prior quoque pręfati Monaſterii, vel Pręſidens duos Fratres eligere, ipſoſque pro tempore mutare ad confeſſiones ſecularium, exceptis diebus Paſchalibus, audiendas, qui quidem Fratres ſic electi perſonas utriuſque ſexus, ac Religionis cujuſcunque Dięceſis audire, eaſque ab omnibus caſibus Ordinariorum abſolvere, eiſque pęnitentias ſalutares injungere, aliaque Sacramenta conferre, quę ad ſalutem animarum conferunt libere valeant, atque poſſint, eadem auctoritate decernimus, & declaramus, ac pariter concedimus vobis per pręſentes. Non obſtantibus quoad omnia, & ſingula prǽmiſſa conſtitutionibus, declarationibus, revocationibus, ſeu ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, ſeu conſuetudinibus Provinciarum, nec non privilegiis, gratiis, literis, conceſſionibus Apoſtolicis, in genere, vel in ſpecie, quibuſvis perſonis, ſeu Eccleſiis, ac Monaſteriis, ſeu locis conceſſis, aut in poſterum concedendis, ſub quavis forma, vel expreſſione verborum, ac ſi de eis & earum toto tenore de verbo ad verbum habenda eſſet in pręſentibus mentio ſpecialis, & pręſertim per felicis recordationis Clementem Quintum editam in Concilio Viennen. quę incipit: Dudum (7): necnon pię memorię Martinum (8), & Eugenium Quartum, & Nicolaum Quintum, ac etiam, Caliſtum Tertium, Prędeceſſores noſtros, & quoſcunque alios Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros qualitercunque factis & aliis communis juris diſpoſitionibus, ſub quibus has noſtras nolumus comprehendi, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Octavo, Pridię Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Confirmatio.

Nota.

1. *De Victoria.*) Juris eſt Provinciæ *Portugalliæ*.
2. *Archivo.*) In quo duplex exemplar authenticum, ex Autographo aſſervato in Cœnobio *de Victoria*.
3. *Conimbricen.*) Vulgo *Coimbra*, in *Luſitania* Regno.
4. *Alfonſi.*) Hujus nominis *V. Africanus* cognominatur.
5. *Algarbi.*) *Algarbia*, vulgo *Algarve*. *Portugalliam* inter & *Andaluziam* ſitum eſt *Algarbiæ* Regnum.
6. *Concedimus.*) *Conceſſam*.
7. *Dudum.*) Legitur *Lib. III Clementinarum Tit. VII de Sepulturis Cap. II*
8. *Martinum.*) Adderem *Quintum*.

Anno 1458 Die 31 Decembris.

Cœnobium de Victoria (1) quibuſdam Beneficiis Eccleſiaſticis donat.

Ex Archivo (2) Ordinis Lib. B. fol. 376.

X. Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus, Egitanen. (3), & Ceptenſi (4) Epiſcopis, ac dilecto filio Abbati Monaſterii de Ceuca, Colimbrien. (5) Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Pia conſideratione Romanum decet Pontificem, catholicorum Regum humilibus libenter votis annuere, & ut ea, quę pro Sacrę Religionis propagatione, ac divini cultus augmento per eos incepta ſunt, ad optatum perducantur effectum, favorem Apoſtolicum liberaliter impertiri. Sane pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Alfonſi (6) Portugallię, & Algarbii Regis illuſtris, fuit nobis expoſitum, quod dudum claręmemorię Johannes prędictorum Regnorum Rex, ipſius Alfonſi Regis Progenitor, dum viveret in humanis propter certam victoriam &c. (7). Quare pro parte prędicti Regis Alfonſi, quod plures Reges, & Reginę Portugallię ſuam in dicto Monaſterio habent ſepulturam, quodque felicis recordationis Bonifatius Papa Octavus, prędeceſſor noſter, Priori, & Fratribus dicti Monaſterii gratioſe conceſſit, ut quęcunque bona mobilia, & immobilia eis conceſſa, vel concedenda recipere, & retinere poſſent, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut duas, ſeu tres Parochiales Eccleſias de jure patronatus ejuſdem Regis exiſtentes, pro ipſius Regis complacentia ſingulari, de benignitate Apoſtolica unire dignaremur. Nos igitur Eccleſias, locaque Eccleſiaſtica, in quibus pręſertim regularis viget obſervantia, perfici, & conſervari, cultumque hujuſmodi, noſtris potiſſime temporibus ubique adaugeri ſummis zelantes affectibus, de pręmiſſis tamen certam notitiam non habentes, ipſius Regis devotis in hac parte ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi ad id ſpecialiter requiſitus, ſeu requiſiti fuerint, vel fueritis, per vos, vel alium, ſeu alios, vocatis quorum intererit, de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, eorumque circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra vos informetis, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereritis, unam, vel duas, ſeu tres Parochiales Eccleſias de jure patronatus ipſius Alfonſi Regis exiſtentes, cujuſcunque taxę annui valoris, fructus, redditus, & proventus illarum exiſtant, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis pro utilitate fabricę dictę Domus, ſeu dicti Monaſterii, ſeu Conventus fructuum, reddituum, & proventuum quorum annuos valores pręſentibus haberi volumus pro expreſſis, reſervata tamen primitus per vos ſuper fructibus, redditibus, & proventibus ſingularum uniendarum Eccleſiarum hujuſmodi pro ſingulis inibi inſtituendis, ac in Divinis laudabiliter deſervituris quindecennariis Vicariis, portione triginta florenorum auri de camera, necnon jure patronatus, ſeu pręſentandi perſonam, ſeu perſonas idoneam, vel idoneas, ad Vicarias Eccleſiarum uniendarum hujuſmodi, quoties illam, vel illas, interim vacare contigerit, pręfato Alfonſo Regi, ſuiſque Succeſſoribus Portugallię Regibus ſemper ſalvo, pręfata auctoritate uſque ad quindecim duntaxat a tempore, quo ſingulę uniones, & incorporationes hujuſmodi ſortitę fuerint effectum, computandos annos, annectatis, & incorporetis; ita quod cedente, vel decedente, aut cedentibus, vel decedentibus Rectore, ſeu Rectoribus Eccleſię, vel Eccleſiarum uniendę, vel uniendarum hujuſmodi, ſeu Eccleſiam dimittente, vel Eccleſias hujuſmodi ſimul, vel ſucceſſive dimittentibus, liceat uni, vel duobus, ſeu tribus probo, vel probis viro, ſeu viris, per vos ad nominationem pręfati Regis Alfonſi, & Succeſſorum ſuorum Regum Portugallię pro tempore exiſtentium ad hoc deputando, ſeu deputandis, corporalem Eccleſię, ſeu Eccleſiarum, juriumque, & pertinentiarum prędictorum, per ſe, vel alium, ſeu alios poſſeſſionem propria auctoritate apprehendere, illiuſque, vel illarum fructus, redditus, & proventus in fabricę domus, ſeu Monaſterii hujuſmodi complementum, & conſervationem, dictis durantibus quindecim annis convertere, Diœceſani, ſeu Diœceſanorum, loci, vel locorum, aut aliorum quorumcunque licentia ſuper hoc minime requiſita, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, etiam per Nos editis, illa pręſertim, per quam voluimus, quod impetrans beneficium alteri uniri, teneatur exprimere verum annuum valorem fructuum tam uniendi beneficii, quam illius, cui uniri petitur; alioquin unio non valeat, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſterii, ſeu Domus, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales Apoſtolicę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum. Quas quidem literas, ac proceſſus habitos, & habendos per eaſdem, ac inde ſecuta ad Eccleſias uniendas hujuſmodi volumus non extendi; ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem Beneficiorum aliorum prędjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, ac literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Proviſo, quod Eccleſię uniendę prędictę debitis propterea non fraudentur obſequiis, & animarum cura in eis nul-

nullatenus negligatur, ſed illarum debite ſupportentur onera conſueta. Volumus autem, quod prędictis elapſis quindecim annis ſingulę uniones, annexiones, & incorporationes, ac vicarię inſtituendę hujuſmodi ex tunc extinctę ſint, & eſſe cenſeantur, ſingulęque ſic uniendę Eccleſię in ſtatum priſtinum revertantur, & inſuper ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Octavo, Pridie Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Ja: Lucen.

1. *De Victoria.*) De quo in præcedenti Diplomate.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Autographum eſt in Cœnobio *de Victoria*.
3. *Egitanen.*) Vulgo *Guimaranes*, auctore *Baudrand.* Addit idem, quod olim Urbs, nunc oppidum eſt *Portugalliæ* Regni, ſitum *Bracaram* inter, & *Lamacum*. *Egitam*, & *Igaditam*, vulgo *Idanha à Velha*, eandem fuiſſe Urbem *Portugalliæ*, cui ſucceſſit *Igadita nova*, vulgo *Idanha à nova*, cenſent alii. Non deſunt etiam qui *Egitanenſem* Epiſcopatum illum eſſe volunt, qui *Lerienſis* vocatur, vulgo *Leria*. Ex *Labbeo in Breviario Geographia Epiſcopalis* in *Apparatu ad Concilia pag.* 13 Edit. Pariſien. *Lerienſis*, *ſive Egitanienſis*, *aut Igaditanus* unus & idem eſt Epiſcopatus. *Miræus* autem apud *Labbeum* mox laudatum vult *Igaditanum* Epiſcopatum nunc dici *Guardienſem*, vulgo *Guardia*, *vel Gardia*. *Miræo* ſuffragatur *Johannes Carolus a Stadel in Compendio Geographia Cap. XIV pag.* 175, ubi Librarius *Guardienſem Quardienſem* vocat, & *Igaditanum Igditatenſem* nominat.
4. *Ceptenſi.*) *Septenſi*, vulgo *Ceuta*, alias in *Mauritania Tingitana*, nunc in *Habata* Provincia Regni *Fezzæ*, in *Africa* ad fretum *Herculeum*.
5. *Colimbrien.*) *Conimbricen.*, vulgo *Coimbra*, in *Portugallia*.
6. *Alfonſi.*) Conſulenda *Conſtitutio XCV Nicolai V data anno MCCCCLII*. Legitur *pag.* 312 hujus *III Tomi*.
7. *Victoriam &c.*) Ut in *Conſtitutione* mox laudata ad hæc uſque verba: *Augmentari valerent*.

Ordo ſupplicationis ſolemnis Florentiæ (1) die Feſto Corporis Chriſti quotannis habendæ (2).

Anno 1459 Die 13 Januarii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. XI.

Exordium.

IMmenſa Dei Omnipotentis miſeratio ſuper filios hominum, qui ex peccato primi parentis captivi tenebantur ſub lege mortis, & damnatione, inſcrutabilis ſui conſilii providentia diſpoſuit, ut Filius Patris Unigenitus ex eadem ſubſtantia ſibi coęqualis, & coęternus formam ſervi acciperet, & pro Nobis factus obediens uſque ad mortem languores, & dolores noſtros perferret in corpore ſuo. Tanta namque fuit ipſius erga nos dilectio, tantaque magnitudo amoris, ut juſtus pro injuſtis pati, & ligno Crucis affigi dignatus ſit. De mundo quoque tranſiturus ad Patrem Salvator ipſe, Deus verus de Deo vero, ſalutari legatione completa, per quam illuminavit orbem, ineffabilibus Sacramentis, miraculorum prodigiis, Angelicę tuba veritatis, veterum ſignorum impleturum (4) inſtituit, ex ſimilitudine repręſentans, ex inſtitutione ſanctificans, ex fide ſignificans, univerſalem gratiam ſpiritualem, hoc ſuum eſſe Corpus poſt ſanctę conſecrationis oraculum aſſertione veritatis atteſtans, ac mandans id in ſui memoriam fieri. Aſcenſuruſque in cęlum dixit Apoſtolis: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi. In hoc enim Sacramento gratam Redemptoris noſtri recenſemus memoriam, a malo retrahimur, & confortamur in bono, ac ad virtutum, & gratiarum proficimus incrementum. Unde Nos ſupernę diſpoſitionis arbitrio ad apicem Summi Apoſtolatus, meritis licet inſufficientibus, evocati, continua meditatione pulſamur, ut hoc Cęleſte Miniſterium (5) ſemotis quibuſcunque perturbationibus, & diſpendiis ex devotione veneretur (6). Dudum ſiquidem felicis recordationis Caliſto Papę Tertio Prędeceſſori Noſtro, pro parte dilectorum filiorum Prępoſiti, & Capituli Eccleſię Florentinę expoſito, quod, licet olim in Civitate Florentina quędam conſuetudo, quod Feſtivitas ejuſdem Sanctiſſimi Corporis, quę quinta feria poſt Octavas Pentecoſtes celebratur, in Eccleſia Domus Sanctę Marię Novellę Florentinę Ordinis Fratrum Prędicatorum annuatim ſolemnizaretur, diutius inolevisset, tamen pię memorię Nicolaus Papa Quintus, etiam Prędeceſſor noſter, voluerat, ac venerabili Fratri noſtro Antonio (7) Archiepiſcopo Florentino per ejus literas mandaverat, ut ad ſuam majorem Eccleſiam omni Clero, ac quorumcunque Ordinum Civitatis prędictę Religioſis congregatis, faceret ibidem proceſſionem aſtante populo ſolemniter ordinari, quodque dilecti filii Prior, & Conventus dictę domus in contemptum quodammodo voluntatis, & mandati Nicolai Prędeceſſoris hujuſmodi feſtivitatem prędictam, quam pręfati Capitulum in ipſa Majori Eccleſia ſolemniter celebrant annuatim, in Eccleſia dictę Domus in magnam populi, qui ad tantam celebritatem unitus

Diplomatis causa.

fore deberet, ſectionem, & devotionis diminutionem, ſingulis annis ſolemniter celebrare, & eorum proceſſionem diverſam, ab ea, quam pręfati Capitulum faciunt, ordinare, & per Civitatem ducere pręſumebant: idem Caliſtus Prędeceſſor per quaſdam ſtatuit, & ordinavit, ut in die ejuſdem Feſtivitatis Archiepiſcopus Florentinus pro tempore exiſtens, ſi pręſens foret, alias Prępoſitus, & Capitulum majoris Eccleſię hujuſmodi proceſſionem ſolemnem, ad quam tam dictę domus Sanctę Marię Novellę, quam alii quorumcunque Ordinum dictę Civitatis Religioſi, necnon Clerus, etiam non vocati, convenire ex debito tenerentur, in ipſa majori Eccleſia ordinate & cum ea per Civitatem pręfatam Sacratiſſimum Corpus humiliter & devote comitati, per eandem Majorem Eccleſiam revertentes, ac alias inibi feſtum ipſum ſolemnizare deberent, prout alias erat fieri conſuetum, & nihilominus Priori, & Fratribus dictę domus Sanctę Marię Novellę in virtute Sanctę Obedientię, ac interminatione divini judicii earundem literarum tenore diſtrictius inhibuit, ne quando de cetero in die Feſtivitatis ejuſdem proceſſionem, alias quam per ipſum Caliſtum Prędeceſſorem foret ſtatutum,

fa-

facere, aut illam per Civitatem ducere, ſeu ipſum feſtum in eorum Eccleſia pro principali ſolemni-zare quoquomodo prępſumerent. Et deinde nulla de ſtatuto, & ordinatione hujuſmodi habita mentione, ipſis Fratribus reclamantibus, de conſenſu, & voluntate Procuratorum Capituli, & dictorum Fratrum per alias ſuas literas voluit, ac etiam ſtatuit, & ordinavit, necnon ſub virtute Sanctę obedientię, ac excommunicationis pęna diſtricte pręcipiendo mandavit, ut perpetuis futuris temporibus in die feſtivitatis pręfatę univerſus Clerus, videlicet, tam ſeculares, quam Religioſi Mendicantes dictę Civitatis, exempti, & non exempti, & pręcipue dicti Fratres Sanctę Marię Novellę parati, & ornati proceſſionaliter cum crucibus eo modo, quem in feſto Sancti Johannis Baptiſtę obſervare conſueverant, in pręfata Majori Eccleſia convenirent, in qua ſtatuta hora per eoſdem Prępoſitum, & Capitulum Proceſſio ſolemniter ordinaretur, & perferente Sacratiſſimum Corpus Domini pręfato Archiepiſcopo Florentino, vel altero, cui id ex ordinatione dictorum Prępoſiti, & Capituli demandatum foret, Clerus, videlicet, tam ſeculares, quam Religioſi per vias publicas Civitatis proceſſionaliter incederent, benedicentes Domino cum hymnis, & canticis, ut in talibus fieri conſuevit: redeunte vero Proceſſione iter facerent univerſi per dictam Eccleſiam Sanctę Marię Novellę, in qua depoſito ſuper Altari majori Dominico Corpore, & oblatione cerę conſueta per Magiſtratus Civitatis hujuſmodi, & alios, ut moris erat, inibi facta, idem Archiepiſcopus, vel alter loco ſui, prout ipſi Prępoſitus, & Capitulum ducerent ordinandum, Miſſam Majorem, ſeu Conventualem ſolemniter celebraret, qua finita, univerſus Clerus & Fratres dictę Domus, qui ad eandem Proceſſionem conveniſſent, ipſam continuando ad majorem Eccleſiam, comitantes Corpus Dominicum, reverterentur, in quo ſi qui ſeculares, vel Religioſi defeciſſent, noſcerent ſe de tranſgreſſione hujuſmodi obedientię apud diſtrictum Judicem rationem fore procul dubio reddituros, ac voluit, quod ipſi Prior, & Fratres domus Sanctę Marię Novellę in recompenſam dictę oblationis, quę pro eleemoſyna dimitteretur eiſdem, quatuor Cereos, ponderantes viginti libras in ipſo Proceſſionis initio cum ad dictam Majorem Eccleſiam conveniſſent, ut prę-fertur, deferrent, ac eidem Prępoſito, & Capitulo, vel Camerario pro tempore exiſtenti palam deſignarent, prout in ſingulis prędictis literis plenius continetur. Poſtmodum vero cum Nobis, qui, dicto Caliſto Prędeceſſore, ſicut Domino placuit, rebus humanis exempto, ſumus divina diſponente clementia ad apicem ſummi Apoſtolatus aſſumpti, innotuiſſet, quod occaſione literarum prędictarum magna diviſio, & ſchiſma inter Cives Florentinos, ac inter Prępoſitum, & Capitulum, necnon Priorem & Fratres prędictos controverſia, ex qua forte ſcandala ſubſequi potuiſſent, exorta fuerant, volentes ſuper his ſalubre remedium adhibere, dilectis filiis noſtris Guillermo (8) Tituli Sancti Martini in Montibus, & Alano (9) Tituli Sanctę Praxedis, necnon Petro (10) tituli S. Marci, ac Johanni (11) Tituli Sanctę Priſcę Presbyteris Cardinalibus, oraculo vivę vocis commiſimus, ut auditis hinc inde partibus ſupradictis Nobis referrent quid pro pace, & quiete partium, ac conſolatione civium eorundem poſſet ſalubriter provideri. Unde facta Nobis per eoſdem Cardinales relatione fideli ad ſedandas controverſias, & contentiones hujuſmodi, & ut omnibus remotis ſciſſuris, & partialitatibus tanti feſti ſolemnia in Canticis laudis, & lętitię hymnis celebrentur, de utriuſque

Ordo præſcriptus.

partium prędictarum conſenſu auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium perpetuo ſtatuimus, decernimus, & ordinamus, videlicet, quod die, qua feſtum hujuſmodi celebratur Dominicum, & Magiſtratus dictę Civitatis, & alii, prout antequam literę iſtę emanarent, pluribus annis conſuetum fuerat, ſi eis placuerit, hora ſolita de mane in prędicta Eccleſia Sanctę Marię Novellę congregentur, & una cum Fratribus prędictis, ac aliis quibuſcunque Religioſis ipſius Civitatis abſque tamen Euchariſtia ad pręfatam Majorem Eccleſiam accedant, & quam primum ibidem applicuerint, pręfati Prępoſitus, & Capitulum, ac Clerus Florentinus una cum Archiepiſcopo, qui, vel unus ex Canonicis dictę Eccleſię a Prępoſito, & Capitulo hujuſmodi deputandus, Euchariſtiam deferat, per Civitatem Florentinam in locis conſuetis proceſſionaliter, accedere debeant, ac teneantur, & tandem cum ad ipſam Eccleſiam Sanctę Marię Novellę pervenerint ibi ſolemnis Miſſa, & officium per Archiepiſcopum, ſeu Canonicum geſtantem Euchariſtiam hujuſmodi, vel alium in dignitate conſtitutum per pręfatum Capitulum eligendum, celebretur, & in ipſa Eccleſia Sanctę Marię Novellę oblationes fiant, ut moris eſt, de quibus tamen Archiepiſcopus, Prępoſitus, Capitulum, & Clerus hujuſmodi nihil percipiant, nullusque ab inde diſcedat niſi expleto officio ante dicto: Fratres tamen prędicti finito officio prędicto in eorum Eccleſia, ſeu Conventu, ſi voluerint, remaneant, demum Archiepiſcopus, Prępoſitus, & Capitulum cum Euchariſtia, & toto clero abſque Fratribus prędictis ad pręfatam Majorem Eccleſiam revertantur, quadam Hoſtia conſecrata in pręfata Eccleſia Sanctę Marię Novellę nihilominus remanente, & ſic perpetuis futuris temporibus, ſub excommunicationis pęna latę ſententię, quam contrafacientes incurrant ipſo facto, per Prępoſitum, Capitulum, Priorem, & Fratres prędictos obſervari pręcipimus atque mandamus. Non obſtantibus omnibus, & ſingulis dictorum Prędeceſſorum literis, quas, in quantum

Clauſula derogans.

per illas ſtatuti, decreti, & ordinationis noſtrorum &c. hujuſmodi, ac pręſentium literarum effectus impediri poſſet, pro nullis, & infectis haberi volumus, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Et inſuper ut totus populus cum majori frequentia, & devotione dictum Sacramentum Corporis Domini ſtudeat venerari, quo ex hoc majora retributionis pręmia ſe conſpexerit adipiſci, de Omnipotentis Dei Miſericordia ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis, tam Eccleſiaſticis, & Religioſis, quam Secularibus utriuſque ſexus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui ab initio uſque ad finem dictę proceſſionis Sacramentum ipſum devote comitati fuerint, & in ipſa Proceſſione, ac hujuſmodi officio uſque ad finem interfuerint, ac utramque Eccleſiarum prędictarum eadem die juxta formam noſtrę ordinationis, ſtatuti, & decreti hujuſmodi viſitaverint, ultra omnes Indulgentias a felicis recordationis Urbano Quarto, & aliis Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus noſtris Sacramentum ipſum comitantibus auctoritate Apoſtolica conceſſas, & emanatas, decem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, decreti, ordinationis, pręcepti, & mandati infringere, vel ei auſu te-

temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Octavo (12), Idibus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Florentia.*) In *Hetruria*.
2. *Habenda.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo *Florentia* aſſervato.
4. *Impleturum.*) Legerem: *Implementum*.
5. *Miniſterium.*) *Myſterium*.
6. *Veneretur.*) Verbum *Venerari* paſſive hic ſumitur ut apud Virgilium: *Curſuſque dabit venerata ſecundos*. Eodem verbo *Plautus* active utebatur. *Ut venerem Lucinam*.
7. *Antonio.*) Sancto ſcilicet *Antonino*, de quo in *Appendice ad Pontificatum Eugenii IV*.
8. *Guillermo.*) *De Eſtouteville*. Cardinalis *Rotomagenſis* vulgo vocatur. Conſulendus *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCCXXXI pag. 913.*
9. *Alano.*) *De Cœtivo*. De quo *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCCXLVII pag. 971.*
10. *Petro.*) *Barbo*, *Veneto*, cujus meminit *Ciaconius ad annum MCCCCXXXI pag. 913.*
11. *Johanni.*) *De Mella* nuncupato, natione *Hiſpano*. Adeas *Ciaconium ad an. MCCCCLV pag. 993.*
12. *Quinquageſimo Octavo.*) Stylo Bullarum, æræ vero communis *MCCCCLIX*. Conſtitutionem hac de re a *Caliſto III* datam, mutilam tamen, refert *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCCLVIII num. XXXIX*. Hujus tenoris eſt.

Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei.
Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Sub virtute ſanctæ obedientiæ, ac excommunicationis pœna, diſtricte præcipiendo, mandamus, quatenus perpetuis futuris temporibus in die Feſtivitatis præfatæ (*nempe Corporis Chriſti*) univerſus Clerus, videlicet tam ſeculares, quam Religioſi, etiam mendicantes, dictæ civitatis (*nimirum Florentinæ*) exempti, & non exempti, præcipue dicti Fratres Sanctæ Mariæ Novellæ parati, & ordinati proceſſionaliter cum Crucibus eo modo, quem in Feſto Sancti Johannis Baptiſtæ obſervare conſueverunt, in præfata majori Eccleſia conveniant, in qua ſtatuta hora per eoſdem Præpoſitum, & Capitulum proceſſio ſolemniter ordinetur, & præferente Sacratiſſimum Corpus Domini Venerabili Fratre noſtro Archiepiſcopo Florentino, vel altero, cui id ex ordinatione dictorum Præpoſiti, & Capituli demandatum fuerit, Clerus per vias publicas Civitatis proceſſionaliter incedant, benedicentes Domino cum hymnis, & canticis, ut in talibus fieri conſuevit, redeunte vero Proceſſione iter faciant univerſi per Eccleſiam Sanctæ Mariæ Novellæ, in qua depoſito ſuper Altare majori Dominico Corpore, & oblatione ceræ conſueta per magiſtratus Civitatis, & alios, ut moris eſt, inibi facta, idem Archiepiſcopus, vel alter loco ſui, prout ipſi Præpoſitus, & Capitulum duxerint ordinandum, Miſſam majorem, ſeu Conventualem ſolemniter celebrabit: qua finita univerſus Clerus, & Fratres dictæ Domus, qui ad eandem Proceſſionem convenerint, ut præfertur, ſimili modo ſub excommunicationis pœna proceſſionem ipſam continuando ad Majorem Eccleſiam, comitantes Corpus Dominicum, revertantur, in quo, ſi qui ſeculares Clerici, vel Religioſi defecerint, noverint ſe de tranſgreſſione ejuſdem obedientiæ apud diſtrictum Judicem rationem fore proculdubio reddituros &c. (*Ad alliciendos Chriſti fideles, ut in ea religioſa celebritate Sanctiſſimam Euchariſtiam venerentur ſacrum agmen cohoneſtaturis, præter indulgentiarum præmia ab Urbano IV, & ab aliis Romanis Pontificibus conceſſa, decem annos totidemque quadragenas impertitur.*) Datum Romæ apud S. Petrum anno MCCCCLVII (*ſtylo Bullarum, æræ vero communis MCCCCLVIII*) X Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Ædes Sacras Januen. S. Silveſtri confert Monaſterio (1) Corporis Chriſti. Anno 1459 Die 4 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Maranen. (3) Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XII.

Prudentes virgines, quę mundania abjectis illecebris virginitatem ſuam Virginis filio devoventes, parant accenſis lampadibus obviam ire ſponſo, tanto propenſius proſequimur ſtudio caritatis; Exordium.
quanto majori pro fragilitate ſexus ſuffragio indigere noſcuntur. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Monialium Monaſterii Corporis Chriſti, Januen., Ordinis Sancti Dominici, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, petitio continebat, quod Parochialis Eccleſia Sancti Silveſtri Januen. eidem Monaſterio contigua exiſtit, in qua quidem Eccleſia Supplex petitio.
Prioriſſa, & Moniales prędictę divina officia audire, & celebrare conſueverunt, & quia dicta Eccleſia eſt prędicto Monaſterio plurimum neceſſaria, dilectus filius Benedictus de Levi tunc ipſius Eccleſię rector Eccleſiam prędictam in favorem Prioriſſę, & Monialium, ac Monaſterii hujuſmodi coram Notario publico, & teſtibus ſponte, & libere reſignavit, ad finem, & effectum ut illa prędicto Monaſterio uniretur pariter, & incorporaretur. Quare pro parte prędictarum Prioriſſę & Monialium Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Eccleſiam prędictam dicto Monaſterio perpetuo unire, annectere, & incorporare, necnon Prioriſſę, & Monialibus prędictis, ut Eccleſię pręfatę per idoneum Capellanum deſervire facere poſſint, idemque Capellanus illius curam exercere valeant, concedere, & alias ſuper his Collatio.
opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de pręmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus, vocatis quorum intereſt, de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hu-

hujuſmodi pręmiſſa vera eſſe, & reſignationem hujuſmodi, in fraudem, aut dolum, ſeu labem ſimoniç minime factam fuiſſe, repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Eccleſiam prędictam cujus triginta, quovis modo vacet, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis pręfato Monaſterio, cujus mille florenorum auri de Camera fructus, redditus, & proventus ſecundum communem ęſtimationem valorem annuum, ut Prioriſſa, & Moniales prędictę aſſerunt, non excedunt, auctoritate prędicta in perpetuum unias, incorpores, & annectas, ita quod ex nunc liceat Prioriſſę & Monialibus prędictis Corporalem poſſeſſionem dictę Eccleſię per ſe, vel alium, ſeu alios auctoritate propria libere apprehendere, & illius fructus, redditus, & proventus, in ſuos, & Monaſterii, ac Eccleſię hujuſmodi uſus, & utilitatem convertere, & perpetuo retinere, Diœceſani loci, & cujuſcunque alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi Prędeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon Monaſterii, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione apoſtolica, aut quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcunque: Aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus, ſpeciales, vel generales Apoſtolicę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos per eoſdem ad Eccleſiam prędictam volumus non extendi. Sed nullum per hoc eis, quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum pręjudicium generari, & quibuslibet privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Volumus autem, quod venerabilis Frater noſter Archiepiſcopus Januen. curę animarum ſub dicta Parochiali Eccleſia conſiſtentium debeat, ut ſibi videbitur, ſalubriter providere. Proviſo tamen, quod ipſa Eccleſia debitis propterea non fraudetur obſequiis, & animarum hujuſmodi cura in ea nullatenus negligatur. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Florentię (4) Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Nono, Quarto Nonas Maii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Cr. Johannes de Cartexinis.

1. *Monaſterio.*) De quo in ſequenti Diplomate.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Januenſi*.
3. *Maranen.*) *Marianen.*, vulgo *Mariana*, in *Corſica*.
4. *Florentia.*) Die ſiquidem circiter *XXII* Januarii *Roma* diſceſſerat *Pius II*, ut *Mantuam* peteret. *Florentiam eunti*, verba ſunt *Andreæ Victorelli*, in Notis ad Ciaconium, *Sacerdotes ſacra ferentes occurrerunt. Sigiſmundus Malateſta, aliique Romanæ Eccleſiæ Vicarii Pontificem, & Dominum Cella inſedentem aureæ humeris detulerunt. Ad S. Mariam Novellam is divertit* (Cœnobium eſt Fratrum Prędicatorum.)

Anno 1459. Die 15 Maii.

Poteſtatem facit Monialibus Januenſis (1) Monaſterii Corporis Chriſti (2) eligendi Fratrem, qui curam Monaſterii gerat.

Ex Archivo (3) Ordinis.

XIII.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Sororibus Domus Corporis Chriſti de Piſſis (4) Januen., Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

SAcrę religionis &c (5) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, quod licet vos cum domo veſtra dilecto filio Magiſtro Generali pro tempore exiſtenti Ordinis Prędicatorum ſubjectę ſitis, ac per ipſum Vicarius qui curam de vobis habere, voſque, prout expedire viderit, punire & corrigere habeat, ad nutum dicti Magiſtri deputetur, & per eundem magiſtrum amoveri conſueverit, nihilominus tamen vos, prout in aliis dicti Ordinis domibus contingit, propter diverſitatem Rectorum diverſimode regi, & gubernari, & ſubortis forſitan inter vos, & Vicarium hujuſmodi pro tempore exiſtentem diſſenſionibus, & diſcordiis, divinis officiis, & religioni, quibus dicatę eſtis, libera mente vacare non poſſe, dubitatis. Et, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi in dicta domo presbyter idoneus dictum Ordinem expreſſe profeſſus, qui curam de vobis haberet, & quem duxeritis eligendum, conſtitueretur, & deputaretur, profecto timor diſſenſionis ceſſaret, & cultus divinus devotius inibi celebraretur, voſque cum majori quiete vitam ducere poſſetis religioſam. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis unum presbyterum, dictum Ordinem profeſſum, ad nutum veſtrum amovibilem, qui curam de vobis, & vos, dum expedierit, punire & corrigere habeat, & debeat, eligendi, &, dum vobis videbitur, illum amovendi, ac ipſo amoto alium etiam dictum Ordinem ſimiliter profeſſum aſſumendi, licentiam concedere, ac alias in pręmiſſis vobis & dictę domui opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui cunctarum Chriſti fidelium, & pręſertim fęminei ſexus ſub regulari habitu Domino famulantium perſonarum pacem ſummis optamus affectibus veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, ut presbyterum idoneum dictum Ordinem profeſſum, bonis moribus, & vita ornatum, qui curam de vobis gerat, voſque, dum id, quod abſit, demerita veſtra exegerint, prout ſecundum Deum, & animarum veſtrarum ſaluti expedire viderit, puniat, & corrigat, eligere, ipſumque, quoties vobis videbitur, amovere, & loco illius alium presbyterum etiam Ordinem ipſum profeſſum, aſſumere poſſitis, & valeatis, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium indulgemus, volentes quod vos infra annum a dat. pręſentium computandum presbyterum ipſum eligatis, & eligere debeatis: Alioquin veſter Prior Provincialis (6)

pro

pro tempore exiſtens illum eligere poſſit, & valeat, ac decernentes omnes, & ſingulos excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti proceſſus, atque ſententias, quos, & quas contra vos, & veſtram Domum hujuſmodi occaſione premiſſorum per dictum Magiſtrum, ſeu quoſcunque alios promulgari contigerit, irritos, & irrita, nulliuſque roboris, vel momenti exiſtere. Non obſtantibus premiſſis, ac conſtitutionibus Apoſtolicis &c.quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis,voluntatis,& conſtitutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Bononię (7) Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Nono, Idibus Maii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Januenſis.*) In ejuſdem nominis Metropoli *Liguriæ*.
2. *Corporis Chriſti.*) Illud eſt quod *S. Silveſtri* Monaſterium vulgo vocant ex Eccleſia *S. Silveſtri* eidem Monaſterio collata, ut ex præcedenti Diplomate videre eſt.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro IX. fol.* 220.
4. *De Piſis.*) *De Piſis*. Sic ex alibi notatis nuncupatum crediderim Monaſterium *Genuenſe*, quia *Piſanæ* Moniales ipſum inſtituerunt; non ſecus ac *Aquenſe* Monaſterium *Prulianum* vocatur, quia *Prulianæ* Sorores *Aquenſe* Monaſterium fundaverunt.
5. *Sacræ Religionis &c*) Ut in eiuſdem tenoris exordiis.
6. *Provincialis.*) Utriuſque *Lombardiæ*.
7. *Bononiæ.*) Ubi ſex dies moratus eſt *Pius II*, auctore *Victorello* in *Notis ad Ciaconium*. Addit *Oldoinus* in *Notis* ad eundem *Ciaconium*, die Pentecoſtes *Pium II* ſacra celebraſſe in Templo *S. Petronii*. Quod apprime conſentaneum eſt Diplomati: fuit enim Pentecoſtes hoc anno Die *XIII* Maii.

Ratum habet, Monaſterium Vallislilium (1) reædificatum fuiſſe.

Anno 1459 Die 5 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XIV.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Dilecto filio Decano Eccleſię S. Livini de Zierczee Trajecten. (3) Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex petitio.

UT ea, per quę perſonę &c. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Sororum Domus Vallislilium, ſive Liliendael, ſub Ordine Fratrum Pṛdicatorum Altiſſimo famulantium, Trajecten. Diœceſis, petitio continebat, quod poſtquam alias dicta Domus tunc etiam Divino cultui deputata, certis infortuniis cauſantibus annihilata, & devaſtata, ejuſque ędificia diruta fuerant, tandem ipſa domus cum ſuis pertinentiis pro uſu, & habitatione Sororum dicti Ordinis, quę domum eandem una cum Eccleſia, dormitorio, & refectorio, & officinis neceſſariis ędificare, & collapſa ędificia reędificare fecerunt, per loci ordinarium, & auctoritate ordinaria conſignata, & deputata extitit. Quare pro parte earundem Sororum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conſignationi, & deputationi prędictis pro illarum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi, & poſtquam de conſignatione, & deputatione prędictis tibi legitime conſtiterit, eas de novo concedas, illaſque, & inde ſecuta auctoritate noſtra approbes, & confirmes, ſupplendo omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Nos enim ſi approbationem, & confirmationem huiuſmodi per te vigore pręſentium fieri contigerit, ut pręfertur, pręfatis Sororibus in ipſa Domo pro tempore commorantibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, indulgentiis, exemptionibus, immunitatibus, & indultis, quibus Domus, & loca dicti Ordinis, eorumque perſonę pro tempore quomolibet in genere potiuntur, & gaudent, etiam uti debeant pariter, & gaudere, tenore pręſentium indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Mantuę (4) Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Nono, Nonis Junii, Pontificatus noſtri Anno Primo. Confirmatio.

1. *Vallislilium.*) Vulgo *Liliendael*, ut in ipſo Diplomate legitur, rectius *Leliendael*, in *Belgio*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Arch. Apoſtolico Libro IX fol.* 10.
3. *Trajecten.*) Vulgo Utrecht, in *Belgio*.
4. *Mantuæ.*) Quo pervenerat *VI* Kalendas Junii. Adeat *Oldoinum* apud *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCCLVIII pag.* 1019, & *Victorellum* in *Notis* ad eundem *Ciaconium*.

Ne Monaſteria conſtruantur prope Venetiarum Monaſterium (1) Corporis Chriſti.

Anno 1459 Die 28 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XV.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Patriarchę Venetiarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex petitio.

HUmilibus ſupplicum votis &c.(3). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Corporis Chriſti Venetiarum, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, quod licet in privilegiis dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum caveri dicatur expreſſe, quod nullum Monaſterium penes Monaſteria dicti Ordinis ad centum, & triginta ſex cannas ędificari poſſit (4), ſeu debeat, ac dilectę in Chriſto filię Moniales Monaſterii de Angelis de Mirano Ordinis S. Benedicti prope dictum Monaſterium Corporis Chriſti ſitum in Parochia Sanctę Lucię ſolitum per pręfatos Fratres viſitari, ędificare fuerunt prohibitę, necnon felicis recordationis Eugenius PP. Quartus Prędeceſſor noſter inviolatiſſimę ob-

obſervantię fama ductus, materiam ędificandi prope ipſum Monaſteriom pręcludere cupiens, prędictam Eccleſiam Sanctę Lucię Monaſterio prędicto per ſuas literas perpetuo uniri, & incorporari mandavit, ac illam per ſacerdotes ſeculares ad nutum Prioriſſę, & Monialium dicti Monaſterii Corporis Chriſti ponendos, regendam decrevit, prout in eiſdem literis plenius continetur, tamen a paucis diebus citra quędam Mulieres Tertii Ordinis Servorum B. Marię, proponentes communem vitam, & continentiam ducere, nonnullas domos muro dicti Monaſterii Corporis Chriſti contiguas pro ędificando ibidem uno Oratorio, ſeu Monaſterio, vel alia habitatione emerunt in grave pręjudicium, & ſcandalum ipſarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Corporis Chriſti. Quare pro parte ipſarum Prioriſſę, & Conventus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut prędictas Mulieres Tertii Ordinis quod ab ędificiis dicti Oratorii, Monaſterii, ſeu habitationis, omnino deſiſtant, pręcipere, & mandare, & ne in poſterum ſub pęnis eccleſiaſticis, & cenſuris in Parochia Sanctę Lucię prędicta Monaſteria, Oratoria, ac domus quovis modo fiant, decernere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Mandatum. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis dictis mulieribus, & aliis, qui fuerint evocandi, ſuper pręmiſſis per te ipſum provideas, prout tibi videbitur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Mantuę Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Nono, Quarto Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Monaſterium.*) De quo in Conſtitutionibus *Bonifatii IX.* Leguntur *Tomo II pag.* 334. *&c.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XIV fol.* 32.

3. *Votis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

4. *Poſſit.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

Anno 1459 Die 28 Julii.

Moniales Lucan. (1) Monaſterii S. Juſtinæ, Ordinis S. Benedicti, ad Ordinem Prædicatorum tranſire poſſint.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XVI. Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Pręposito Monaſterii Sancti Georgii Lucan. per Prępoſitum ſoliti gubernari, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa. Licet vigilis Paſtoris more &c. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum modernę Abbatiſſę, & Monialium Monaſterii Sanctę Juſtinę Lucan., Ord. S. Benedicti, quod Roman. Eccleſię immediate ſubjectum exiſtit, petitio continebat, quod ipſę animadvertentes Prioriſſam, & Moniales Monaſterii Sanctę Catharinę Piſan. Ordinis Sancti Auguſtini, in quo obſervantia viget regularis ſub cura, & viſitatione dilectorum filiorum Vicarii, & Fratrum Ordinis Prędicatorum de obſervantia, grata Deo obſequia dietim impendere, & exinde propterea illarum opera in Domino multipliciter commendari, licet ipſę in dicto earum Monaſterio hactenus laudabiliter, & honeſte vixerint, deſiderent tamen ob melioris vitę frugem ad Ordinem Sancti Auguſtini reduci, & in eo ad illarum inſtar ſub regulari obſervantia hujuſmodi divinis obſequiis intendere. Quare pro parte Abbatiſſę, & Monialium Monaſterii Sanctę Juſtinę hujuſmodi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in dicto Monaſterio S. Juſtinę Ordine Sancti Benedicti hujuſmodi ſuppreſſo penitus, & extincto, in eo Ordinem Sancti Auguſtini inſtituere, ipſaſque, Monaſterium, Abbatiſſam, & Moniales, ad Ordinem Sancti Auguſtini de obſervantia hujuſmodi reducere, necnon illas viſitationi, correctioni, & gubernationi pręfatorum Vicarii, & Fratrum Ordinis Prędicatorum de obſervantia ſubiicere, ac alias ipſis, & earum ſtatui, in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionis augmentum intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi ad id venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Lucan. conFacultas. ſenſus acceſſerit, in dicto Monaſterio Sanctę Juſtinę Ordine Sancti Benedicti hujuſmodi per te ſuppreſſo penitus, & extincto, illudque, & Moniales pręfatas ad Ordinem Sancti Auguſtini reducere, & in eo dictum Ordinem Sancti Auguſtini de obſervantia inſtituere, necnon profeſſionem regularem per Moniales dicti Ordinis Sancti Auguſtini emitti ſolitam, ſi illam in tuis manibus emittere voluerint, recipere, & admittere, ipſaſque viſitationi, correctioni, & gubernationi Vicarii, & Fratrum prędictorum ſubiicere, & alias ſuper his, prout tibi ſecundum Deum expedire videbitur, exequi, & providere, necnon ſi dicta in Chriſto Filia moderna Abbatiſſa dicti Monaſterii Sanctę Juſtinę regimini, & adminiſtrationi cedere, & illa, aut aliqua, ſeu aliquę ex Monialibus eiſdem in priſtinis habitu, & Ordine Sancti Benedicti remanere maluerint, ab Abbatiſſa ceſſionem prędictam admittere, ac illis, dum tamen quęlibet earum quinquageſimum ſuę ętatis annum peregerit, quod in eiſdem Ordine, & habitu, ac Monaſterii ipſius parte aliqua condecenti perpetuo remanere, ipſiſque ſuper fructibus, redditibus, & proventibus Monaſterii Sanctę Juſtinę pro earum victu, & veſtitu certas portiones congruas, per eas, aut earum procuratores percipiendas, etiamſi illę ad alia Monaſteria, ſive loca dicti Ordinis Sancti Benedicti, in quibus benevolas invenerint receptrices, tranſire, ſeu in domibus ſuorum parentum habitare voluerint, percipiendas reſervare, & aſſignare, ipſiſque Abbatiſſę, & Monialibus tranſire volentibus, quod ad alia Monaſteria, ſive loca dicti Ordinis Sancti Benedicti, in quibus benevolas invenerint receptrices tranſire, necnon eis quę quinquageſimum dictę ętatis annum peregerint, ut pręfertur, quod in Domibus parentum ſuorum ſub habitu Sancti Benedicti perpetuo habitare, & commorari, ac earum ſuppellectilia, & bona mobilia, quę hactenus pro ipſarum uſu in dicto Monaſterio

Sanc-

Sanctę Juſtinę tenuerunt, & poſſederunt, quoad vixerint, tenere, & poſſidere, necnon de illis pro ipſarum cujuslibet earum libito voluntatis diſponere, & ordinare libere, & licite poſſint, & valeant, licentiam concedere auctoritate noſtra procures. Non obſtan. Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii, & Ordinum prędictorum, juramento, Confirmatione Apoſtolica &c. quibuſcunque. Datum Mantuę Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Nono, Quinto Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Lucas.*) In ejuſdem nominis Reipublicæ Metropoli, in *Italia*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XIV. fol.* 129.

Ne Fratres ad normam Conſtitutionum & legum ſuorum Ordinum viventes moleſtiis afficiantur.

Anno 1459. Die 29 Auguſti. XVII.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad futuram Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

AD ea libenter intendimus, quę ad recte vivendi rationem, & verę Religionis augmentum fore conſpicimus opportuna. Nuper ſiquidem fide dignorum relatione, non ſine animi diſplicentia, percepimus, quod nonnulli aliquorum Ordinum Superiores, ſeu Pręlati ad tantam mentis alienationem devenerunt, ut qui Religionis augmento, & ſubditorum ſuorum quiete, gaudere, more bonorum Paſtorum, deberent, omni ſtudio malignitatis, eos, qui regulariter vivere cupiunt, perturbare, & infeſtare multipliciter pręſumunt, ac Fratribus ſuis pręcipiunt, ut ſuper injuriis, diſpendiis, perturbationibus, & impedimentis regularis vitę ſub excommunicationis, & aliis gravioribus pęnis ad nullum extra ſuorum Ordinum obedientiam pro remedio, & defenſione recurrere poſſint, aut valeant: quodque Literę atque Brevia ab Apoſtolica Sede prędicta emanantia minime executioni demandentur, niſi prius Generalibus eorum oſtendantur, & eorum habeatur aſſenſus. Nos igitur, pręſumptorum hujuſmodi temeritati providere volentes, omnia pręmiſſa, cum execrabilia ſint, ac bono Religionis, obedientię, & reverentię pręfatę Sedi Apoſtolicę debitę inimica, tenore pręſentium annullamus, ac decernimus nullius exiſtere roboris vel momenti: caſſantes, revocantes, annullantes omnia ſtatuta ſuper pręmiſſis emanata, & ſententias a quibuſcunque in contrarium latas: mandantes, prędictorum Ordinum, ſeu Religionum Superioribus hujuſmodi ſub pęna excommunicationis latę ſententię, & privationis ab officiis eorum, ne amplius talia temeraria pręcepta, & ſtatuta facere, ſeu procurare audeant, abſolventes ad majorem cautelam quoſcunque Religioſos, qui ante pręſentes noſtras Literas pręfatis ſtatutis pro bono Religionis, & manutentione vitę regularis contravenerunt, aut pręceptis hujuſmodi temerariis non paruerunt. Et inſuper Nos omnibus, & ſingulis Prioribus, Guardianis, Miniſtris, & Conventibus regularem vitam ſui Ordinis obſervantibus, ut, ſi qui eorum ſuperiores, ſeu Pręlati, aut alii quicunque, ipſorum vitam regularem hujuſmodi perturbaverint, aut impediverint, ad Apoſtolicam Sedem prędictam pro pręſidio, & ſubſidio habendo, & ad ſuorum Ordinum Protectores, ac quaſcunque alias perſonas, quę ſecundum juris ordinem eis ad manutentionem regularis vitę eorumque defenſionem contra impedientes, ac perturbantes prędictos prodeſſe poterunt, libere, ac licite recurrere poſſint, & valeant, plenam ac liberam auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus facultatem, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinum prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus pręſentibus habenda foret mentio ſpecialis. Nulli ergo &c. noſtrę annullationis, revocationis, abſolutionis, facultatis, & voluntatis infringere &c. Si quis autem hoc attentare &c. Datum Mantuę Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Nono, Quarto Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mandatum.

1. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar. Aliud aſſervatur in Archivo *Veronenſis* Cœnobii *S. Anaſtaſiæ*. Habetur etiam apud *Caſtellanum Parte I pag.* 12. Ad calcem antiquioris Exemplaris, quod eſt in Archivo Ordinis, & ſcriptum videtur *XV* ſeculo, ſequens ſupplex libellus legitur.

BEatiſſime Pater. Nuper ad conſervationem Religioſorum regulariter viventium conceſſum eſt eis, ut Bullæ, & Brevia de cetero ab Apoſtolica Sede emanantia ſuum conſequantur effectum, etiam ſuper hoc non habito conſenſu Generalium Ordinum, & quod ſuper injuriis, ſeu diſpendiis, quæ inferuntur vitæ regulari poſſint Priores, Guardiani, Miniſtri, & Conventus ad Sedem Apoſtolicam, & ad Protectores eorum, habere refugium, & cetera quæ in dicto Indulto plenius continentur. Nunc vero quidam ex dictis Religioſis timentes in proceſſu temporis poſſe vexari a majoribus ſuis, ſi eis de dicto indulto conſtiterit, cupienteſque propterea ſibi per Sedem Apoſtolicam de opportuno remedio provideri. Quapropter Sanctitati veſtræ humiliter ſupplicant, quatenus harum conceſſione dignetur declarare, ac decernere eos, aut ſingulos eorum virtute cujuſcunque præcepti, & ſententiæ a ſuis Superioribus emanatæ non teneri ad revelationem prædicti induIti, ſi directe, vel indirecte de talibus inquiratur. Si quam etiam pœnam, aut ſententiam etiam præſentis petitionis occaſione incurrerent, aut incurriſſent, miſericorditer abſolvere dignemini. Et de gratia ſpeciali, juribus, necnon conſuetudinibus, ordinationibus, aut etiam gratiis, Apoſtolicis ſtatutis, & conſuetudinibus hujuſmodi Ordinum, etiam juramento, &c. roboratis, vel aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque, etiam ſi talia forent, quod de eis ſpecialis mentio fieri oporteret.

Fiat ut petitur.

Et quod præſentis ſupplicationis ſola ſignatura ſufficiat, abſque aliarum literarum Apoſtolicarum deſuper confectione.

Fiat.

Datum Mantuæ XVII Kal. Novemb. an. Secundo.

Anno 1459 Die 1 Septembris.

De componenda lite inter Monaſteria Bergomenſe (1) Matris Domini, & de Turre.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XVIII.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiſcopo Mediolanen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

APoſtolicę Sedis providentia circunſpecta &c. Dudum ſiquidem poſtquam felicis recordationis Nicolao PP. V Prędeceſſori noſtro pro parte venerabilis Fratris noſtri Johannis Epiſcopi Pergamen., ac dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii B. Marię Matris Domini Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſub cura, & ſecundum inſtituta ejuſdem Ordinis viventium in Burgo Pergamen., expoſitum fuerat, quod prefatus Epiſcopus dudum provide attendens, quod in Monaſterio B. Marię de Turreboldon., Pergamen. Diœceſis, pluribus annis Moniales ejuſdem ſub Prioriſſa ad nutum Epiſcopi Pergamen., qui pro tempore fuerat, de tempore in tempus in eo eligenda, inſtituenda, & removenda, religioſe vixerant, ac guerrarum turbinibus, hoſtiumque incurſibus id cauſantibus, ſex Moniales ejuſdem ſub Prioriſſa, & duę converſę duntaxat exiſtebant minus honeſte, nec tute, neque ſine infamia in eodem Monaſterio in loco campeſtri, & a Civitate Pergamen. per tria milliaria, vel circa, diſtante, vivere poterant, & quod omnibus etiam tranſeuntibus, etiam gentibus armigeris aditus patebat, ruſtici quoque & coloni ſeculares una cum ipſis Monialibus habitabant, propter quam habitationem nonnunquam infamia & gravia ſcandala orta fuerant, & graviora in futurum oriri timebant, dictus Epiſcopus, volens boni paſtoris more, ſcandalis, & infamiæ hujuſmodi propter religionis honeſtatem, & ſexus fragilitatem obviare, pręfatum Monaſterium de Turreboldon. quod ſibi ordinario jure ſubjectum exiſtebat, cum omnibus bonis mobilibus, & immobilibus, ac juribus, & pertinentiis ſuis dicto Monaſterio Matris Domini in loco tuto, & clauſo, ac honeſto ſito, & Epiſcopo Pergamen. pro tempore exiſtenti etiam ſubjecto, perpetuo auctoritate ordinaria univerat, annexuerat, & incorporaverat, ac Moniales, & converſas dicti Monaſterii de Turre pro evitando ſcandalo in dicto Matris Domini Monaſterio tranſtulerat, & collocaverat, dignitatemque ſive officium Prioriſſę in dicto Monaſterio de Turre penitus extinxerat, ac dicta Monaſteria de cetero unum exiſtere, & per Prioriſſam gubernari debere, decreverat, aliaque fecerat, prout pręmiſſa omnia in literis authenticis, ſive inſtrumentis publicis, deſuper confectis, dicebatur plenius contineri; Idem Nicolaus prędeceſſor dictorum Epiſcopi. Prioriſſę, & Conventus, aſſerentium, quod de Turre ſexaginta, & Matris Domini Monaſteriorum hujuſmodi centum florenorum auri de Camera fructus, redditus, & proventus ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedebant, ac in ipſo Monaſterio Matris Domini quadraginta Moniales, vel circa, profeſſę exiſtebant, in ea parte ſupplicationibus inclinatus, unionem, incorporationem, & annexionem prędictas, ac quęcunque inde ſecuta, rata, & grata habens, omnia ea auctoritate Apoſtolica per ſuas literas confirmaverat, omneſque, & ſingulos defectus, ſi qui intervenilſent in eiſdem, eadem auctoritate ſuppleverat, necnon Monaſterium de Turre prefatum eidem Monaſterio Matris Domini cum bonis, juribus, & pertinentiis ſupradictis, denuo univerat, annexuerat, & incorporaverat; dignitatem quoque, ſive officium Prioriſſę in dicto Monaſterio de Turre penitus, & omnino extinxerat, ac voluerat, & eadem auctoritate decreverat, ipſa Monaſteria de cetero unum Monaſterium exiſtere, & cenſeri, atque per unam Prioriſſam dicti Monaſterii Matris Domini perpetuis futuris temporibus in ſpiritualibus, & temporalibus regi, & gubernari debere: deinde pię memorię Caliſto PP. III etiam prędeceſſori noſtro, pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Monialium dicti Monaſterii B. Marię de Turre expoſito, quod ipſę occaſione literarum dicti Nicolai, prędeceſſoris, diſperſę in domibus parentum ſuorum degentes, ac prefatę literę ex falſis cauſis obtentę fuerant, & in eis expreſſa a veritate erant penitus aliena, ac in eis, quod ille, qui fundaverat, ac dotaverat dictum Monaſterium jam centum annis elapſis. Nobilis laicus extiterat, nulla mentio facta fuerat, idem Caliſtus, prędeceſſor, earundem Prioriſſę, & Monialium Monaſterii de Turre in ea parte ſupplicationibus inclinatus, tibi per literas dedit in mandatis, ut per te ipſum de ſibi expoſitis auctoritate ſua te diligenter informares, &, ſi vocatis Prioriſſa, & Conventu Monaſterii Matris Domini hujuſmodi, & aliis qui forent evocandi, ita eſſe, & quod unio, annexio, & incorporatio prędictę, ex falſis cauſis obtentę, ipſęque literę ſubreptitię exiſterent, tibi legitime conſtaret, pręfatas unionem, annexionem, & incorporationem, & confirmationem revocare, caſſare, & annullare, ac dictas Prioriſſam, & Moniales Monaſterii de Turre hujuſmodi ad illius poſſeſſionem, in qua ante unionem, & confirmationem hujuſmodi exiſtebant reſtituere, & reponere auctoritate ſua procurares, prout de jure foret faciendum, prout in literis dicti Caliſti, prędeceſſoris, plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Prioriſſę, & Conventus dicti Monaſterii Matris Domini, petitio continebat, tu ad executionem literarum hujuſmodi procedens contra ipſas ad inſtantiam Prioriſſę, & Monialium de Turre citatorias literas, quę executioni demandatę fuerunt, decreveris, ipſęque Prioriſſa, & Conventus Monaſterii Matris Domini pro eo duntaxat, quod in literis Nicolai, prędeceſſoris, hujuſmodi fructuum, reddituum, & proventuum utriuſque Monaſteriorum prędictorum verus valor minime forſan expreſſus extitit, & in illis, quod Monaſterium prędictum de Turre per quemdam Nobilem fundatum, & dotatum fuerat forte etiam ſubticuerint, dubitant literas ipſas de ſubreptionis vitio impugnari, ipſaſque in dicta lite ſuccumbere poſſe, ſuper quo tamen unio, annexio, & incorporatio prędictę minime fundatę reperiuntur. Quare pro parte Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Matris Domini hujuſmodi Nobis fuit

humi-

humiliter ſupplicatum, ut ipſis, & earum ſtatui in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, attendentes, quod ſi eidem Nicolao prędeceſſori quod fructus, redditus, & proventus utriuſque Monaſteriorum prędictorum aliquanto plus valeant, nec non dictum Monaſterium de Turre per quendam Nobilem fuiſſe fundatum, & dotatum expreſſum extitiſſet, literas prędictas nihilominus conceſſiſſet, cum in eis alię cauſę quam plures ad id urgentes fuerint expreſſę, ac cupientes, litem hujuſmodi, quę inter perſonas Religioſas, ſexus debilitate ad ipſarum jura tuenda minus idoneas, vertitur, quantocius ſedari, ipſarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Matris Domini in hac parte ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę &c. mandamus, quatenus vocatis vocandis, in cauſa coram te indeciſa pendente hujuſmodi alias rite procedens, objectione in literis Caliſti prędeceſſoris hujuſmodi ſuper vero valore, ac fundatione dicti Monaſterii de Turre pro parte Prioriſſę, & Monialium de Turre pręfatarum, penitus rejecta, & excluſa, ſi alia in ipſis literis Nicolai prędeceſſoris expreſſa veritate ſubniti tibi legitime conſtiterit, illas, ac unionem, annexionem, & incorporationem, ac confirmationem prędictas, ac proceſſus deſuper habitos, & quęcunque inde ſecuta perpetuo ſubſiſtere debere robore firmitatis, & alias, juxta formam literarum Caliſti, prędeceſſoris hujuſmodi auctoritate noſtra decernas, faciens quod decreveris per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & quod dictum Monaſterium de Turre per quondam Nobilem fundatum fuerit, ut pręfertur, ac omnibus illis, quę idem Nicolaus, & Caliſtus, Prędeceſſores, in ſuis literis non obſtare voluerunt, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Mantuę Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Nono, Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo. Mandatum.

1. *Bergomen.*) In *Longobardia* ditionis *Venetę*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XIV fol.* 94.

F. Johannes Comes (1) confirmatur Inquiſitor Barchinonenſis.

Anno 1459 Die 1 Octobris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XIX.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Comes, Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Theologię profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exigit ſacrę Religionis obſervantia &c. (3). Sane exhibita Nobis Nuper pro parte tua petitio continebat, quod olim (4) dilectus filius Martialis Auribelli Magiſter Generalis totius Ordinis Fratrum Prędicatorum, de ſcientię, & virtutum tuarum meritis, ut aſſerebat, plurimum confiſus ad requiſitionem cariſſimi in Chriſto filii noſtri Johannis (5) Regis Aragonum Illuſtris, te in Civitate, & Diœceſi Barchinonen., vigore certę facultatis ab Apoſtolica Sede ſibi conceſſę, tenore ſuarum literarum, Inquiſitorem hęreticę pravitatis inſtituit, & etiam ordinavit, cum omnibus juriſdictionibus, privilegiis, gratiis, & aliis, quibuſcunque Inquiſitoribus ejuſdem hęreticę pravitatis dari conſuetis, necnon civitatem, & Diœceſim prędictas a juriſdictione, & poteſtate Inquiſitoris Majoris Catalonię ſeparavit (6), ac ſeparatas eſſe voluit, in quibus quidem civitate, & Diœceſi ſi aliquis in Vicarium pręfati Inquiſitoris Catalonię fuiſſet inſtitutus, illum earundem literarum ſuarum tenore ab onere hujuſmodi abſolvit, & abſolutum fore denuntiavit, prout in ipſius Generalis literis prędictis dicitur plenius contineri. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut deputationi, & ordinationi hujuſmodi robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, & alias tibi ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui earundem hęreſum extirpationem intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati inſtitutionem, ordinationem, & deputationem hujuſmodi, literaſque dicti Generalis, ac omnia, & ſingula in illis contenta, rata, & grata habentes, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus: ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę confirmationis, communitionis, & ſuppletionis infringere &c. ſi quis &c.. Datum Mantuę Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Nono, Kalendis Octobris (7), Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Diplomatis cauſa. — Confirmatio. — Clauſula derogans.

1. *Johannes Comes.*) Cujus meminit *Franciſcus Diago Hiſtor. Provincię Aragonię Lib. I Cap. XXXVIII pag.* 67. Vide infra *Conſtit. XXXIX*.
2. *Archivo.*) In quo exemplar ex *Archivo Apoſtol. Libro XXI fol.* 16.
3. *Obſervantia &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Exordiis.
4. *Olim.*) Die ſcilicet *IX* Aprilis *MCCCCLIX*, ut docet *Diago* mox laudatus.
5. *Johannis.*) Hujus nominis *II*.
6. *Separavit.*) Conſulendus *Diago* loco laudato.
7. *Kalendis Octobris.*) Emendandus ergo *Diago* ſcribens, hanc Conſtitutionem datam fuiſſe *XVIII Septembris*.

Anno 1459 Die 6 Octobris.

Lemagenſe (1) Monaſterium quibuſdam Beneficiis eccleſiaſticis donat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XX.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii SS. Petri & Pauli, Padeburnen. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

Digna reddimur attentione ſoliciti &c. (4). Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii S. Marię in Lemago Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum, Padeburnen. Dięceſis, petitio continebat, quod olim quondam Urbanus ſextus in ſua obedientia, de qua partes illę tunc erant, nuncupatus, ex certis tunc exprefſis ſuadentibus cauſis prefato Monaſterio Parochialem Eccleſiam oppidi Lemagen. dictę Dięceſis cum duabus Capellis ei annexis, & certis Altaribus inibi canonice fundatis, quam Parochialem Eccleſiam cum Capellis hujuſmodi bonę mem. Maria Otto Epiſcopus Padeburnen. de conſenſu ſui Capituli ob ſalutem animę ſuę eidem Monaſterio prius donaverat, per ſuas literas uniri, annecti, & incorporari mandavit, reſervatis ſuper fructibus Eccleſię, Capellarum, & Altarium hujuſmodi congrua portione pro perpetuo Vicario inibi inſtituendo, & deinde poſtquam unio, annexio, & incorporatio prędictę vigore dictarum literarum facta, & effectum conſecutę fuerant, quondam Boniſaſius Nonus, etiam in ſua obedientia, de qua partes illę ſimiliter exiſtebant, nuncupatus, eiſdem Prioriſſę, & Conventui per alias ſuas literas (5) conceſſit, quod ipſę Eccleſiam cum Capella, & Altaribus hujuſmodi per idoneum ſecularem Presbyterum ad eorum nutum pro tempore ponendum, & amovendum, & ad id tamen accedente conſenſu Ordinarii, earum ſumptibus regi facere, ac omnes fructus, redditus, & proventus portionis Vicariorum, & Altarium hujuſmodi in earum ſuſtentationem convertere poſſent, ac per antea bon. mem. Clemens PP. Quartus, Prędeceſſor noſter, eidem Conventui per alias ſuas literas declaravit, & prohibuit, ut infra fines Parochię ſuę nullus oratorium de novo conſtruere auderet, ſalvis privilegiis Pontificum Romanorum, prout in ſingulis literis, quarum tenores haberi volumus pro expreſſis, plenius contineri dicitur. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, licet unio, annexio, & incorporatio prędictę, ut pręfertur, effectum ſortitę fuerint, ipſęque Prioriſſa, & Conventus in poſſeſſione Eccleſię, & Capellarum hujuſmodi aliquando extiterint, nihilominus, quod, eis conſentientibus, vel non contradicentibus, de Eccleſia, & Capellis, ac Altaribus prędictis vigore literarum Apoſtolicarum, & primariarum precum, ac diverſarum aliarum gratiarum, Clericis ſecularibus proviſum fuit, quorum aliqui nonnullas ex dictis Vicariis poſſident, de literarum annexionis, & conceſſionis hujuſmodi viribus plurimum hęſitatur. Quare pro parte dictarum Prioriſſę, & Conventus, aſſerentium, quod ipſę, quę quaſi quinquaginta numero ſub perpetua clauſura degentes, exiſtunt, ex fructibus, redditibus, & proventibus Monaſterii hujuſmodi ſuſtentari, ac alias eis incumbentia onera perferre non poſſunt, quodque Monaſterii Viginti, necnon Eccleſię, & Capellarum quinquaginta marcarum argenti fructus, redditus, & proventus ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut unioni, annexioni, incorporationi, donationi, & conceſſioni, ac inhibitioni, ac ſingulis literis prędictis, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, necnon Eccleſiam cum Capellis, & Altaribus hujuſmodi eidem Monaſterio incorporare, unire, & annectere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, de

Collatio.

pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis quorum intereſt de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, & , ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe, tibique de eiſdem literis legitime conſtiterit, unionem, annexionem, & incorporationem, ac conceſſionem, donationem, & inhibitionem, necnon ſingulas literas prędictas, & inde ſecuta quęcunque eadem auctoritate noſtra approbes, & confirmes, ſuppleaſque omnes, & ſingulos defectus &c. Et nihilominus Eccleſiam, & Capellas, ac ſingula Altaria hujuſmodi, quę ſine cura ſunt, cum agris, paſcuis, ac omnibus juribus, & pertinentiis ſuis pręfato Monaſterio prędicta auctoritate unias, incorpores, & annectas, ita quod ſimul, vel ſucceſſive cedentibus, vel decedentibus moderno Rectore dictę Eccleſię, & illis, qui Capellas, & Altaria hujuſmodi obtinent, ſeu illas alias quomodolibet dimittentibus, liceat Prioriſſę, & Conventui prędictis illarum corporalem poſſeſſionem auctoritate propria libere apprehendere, & perpetuo retinere, ac de eorum fructibus, redditibus, & proventibus diſponere, & inſuper Prioriſſę, & Conventus pręfati, quod Eccleſiam, Capellas, ac Altaria hujuſmodi per Presbyterum ſecularem, ad earum nutum amovibilem, regi facere poſſint, de conſenſu Ordinarii, eadem auctoritate concedas. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii, & Ordinis &c. quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales Apoſtolicę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint &c. nolumus non extendi, ſed nullum per hoc eis &c. pręjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis &c. effectum earum impediri valeat quomodolibet, vel differri &c. proviſo quod Eccleſia, Capellę, & Altaria hujuſmodi debitis propterea non fraudentur obſequiis &c. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane &c. contigerit attentari. Datum Mantuę Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Nono, Pridie Nonas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Lemagen.*) Vide *Notam I ad Conſtitutionem XVII Bonifatii IX Tomo II pag.* 320.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXI fol.* 205.

3. *Padeburnen.*) Seu *Paderbornen.*, & *Padebornen.*, vulgo *Paderborn.*, in *Weſtphalia*.
4. *Soliciti &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Exordiis.
5. *Literas.*) Mox laudatas.

Duo Cœnobia in terris Ducis Burgundiæ & Brabantiæ fundandi facultas.

Anno 1459 Die 6 Novembris.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio nobili viro Philippo (2) Burgundię, & Brabantię Duci, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XXI.

Supplex petitio,

PIis fidelium votis &c. (3). Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte tua, petitio continebat, paucę domus, ſive Conventus, Fratrum Ordinis Prędicatorum in obſervantia regulari viventium in locis tuo temporali dominio ſubjectis hactenus erectę ſint, tuque ſingulari devotione, quam ad Ordinem ipſum, ac illius Fratres geris ferventer, inductus, cupias, quod duę domus, ſive Conventus Fratrum dicti Ordinis in obſervantia hujuſmodi Altiſſimo famulari debentium in honorem S. Vincentii Confeſſoris, cum Eccleſiis, campanilibus, campanis, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis in aliquibus locis ad hoc aptis, & idoneis in dominiis tuis conſiſtentibus, & per te deſignandis, & deputandis de novo erigantur, conſtruantur, & ędificentur, ſi Sedis Apoſtolicę miniſterium, & auctoritas ſuffragentur in pręmiſſis, pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut hujuſmodi tuo deſiderio, grato concurrentes aſſenſu, fundandi, aut erigendi, ſeu fundari, & erigi faciendi pro eiſdem Fratribus domos, ſeu Conventus prędictas cum Eccleſiis, campanilibus, & aliis officinis hujuſmodi in pręfatis locis licentiam concedere, aliaſque ſuper hoc opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionem, & cultum eoſdem noſtris potiſſime temporibus ubique vigere, & augeri ſupremis affectibus deſideramus, hoc ipſum tuę intentionis propoſitum paternis non immerito proſequentes affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, duas domos, ſeu Conventus, pro uſu, & habitatione Fratrum Ordinis Prędicatorum in obſervantia regulari vivere debentium cum ſingulis Eccleſiis, campanilibus, campanis, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis in locis congruis per te, ut pręmittitur, nominandis, & eligendis, de novo fundandi & erigendi, ſeu fundari, & erigi faciendi, dummodo ad id Ordinariorum conſenſus interveniat, ac ipſis Fratribus domus, ſeu Conventus hujuſmodi recipiendi, ac inibi perpetuo inhabitandi, ac in eiſdem ſub regulari obſervantia Deo famulandi, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium licentiam concedimus, & etiam facultatem. Et inſuper Fratribus pro tempore in dictis domibus, ſive Conventibus, commorantibus, quod omnibus, & ſingulis libertatibus &c. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, prohibentis, ne Fratres Ordinis Mendicantium in aliqua Civitate &c. ac aliis Apoſtolicis conſtitutionibus &c. quibuſcunque. Jure tamen Parochialis Eccleſię &c. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Mantuę Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Nono, Octavo Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Facultas.

Clauſula derogans.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXIV fol.* 135.
2. *Philippo.*) Hujus nominis *III.*
3. *Votis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Exordiis.

De reformando Harlemenſi (1) Cœnobio.

Anno 1459 Die 12 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Trajecten. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XXII.

Supplex petitio.

AD Eccleſiarum & locorum Religioſorum &c. (4). Cum itaque, ſicut pro parte dilectę in Chriſto filię Eliſabeth (5) Duciſſę Burgundię Nobis nuper exhibita petitio continebat, ipſa ad Fratres de vita regulari nuncupatos Ordinis Prędicatorum ſingularem gerens devotionis affectum, plurimum deſideret, quod domus, & Conventus oppidi Harlemen. in Holandia (6) tuę Dięceſis, ejuſdem Ordinis, ſub dominio dilecti filii Nobilis viri Philippi (7) Ducis Burgundię, mariti ſui, in Provincia Saxonię (8) conſiſtens ſecundum inſtituta prędicti Ordinis, in quo Conventu non viget obſervantia vitę regularis, etiam reformetur, & ad obſervantiam reducatur, quemadmodum alia Monaſteria dicti oppidi, & pręcipue Ordinum Mendicantium, quę in vita regulari exiſtunt. Quare pro parte ejuſdem Duciſſę Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut domum, & Conventum hujuſmodi ad prędictam obſervantiam reduci mandare, aliaſque ſuper hoc opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur pręfatę Duciſſę pium, & laudabile propoſitum in hac parte plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę, vocatis quorum intereſt, & aſſociatis tecum Vicario Generali pro tempore Conventuum Reformatorum in Holandia (9), & his, quos ipſe Vicarius de ſuis Fratribus ſecum duxerit aſſumendos, tam in capite quam in membris, appellatione remota, Domum, & Conventum oppidi Harlemen. hujuſmodi reformandi, & ad obſervantiam regularem reducendi, ac ipſum Conventum, necnon Fratres ibidem pro tempore degentes, tam in ſpiritualibus quam temporalibus eidem Vicario cum omni auctoritate, & juriſdictione, quas habet ſuper alios conventus reformatos, & ſibi ſubjectos, ſubiiciendi, necnon illos ex Fratribus dicti Conventus, qui obſervantiam facere, & ſub illa vivere forſitan noluerint, ad alia loca ejuſdem Ordinis transferendi, & aſſignandi, omniaque alia, & ſingula quę in pręmiſſis, & circa ea neceſſaria fuerint, & quomodolibet oppor-

Manditum.

opportuna, faciendi, diſponendi, & exequendi, contradictores quoque per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſecularis, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus facultatem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, privilegiis, & conſuetudinibus domus, & Ordinis prędictorum hujuſmodi, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, & expreſſa mentio habenda foret, ceteriſque &c. quibuſcunque, aut ſi Priori, & Fratribus dictę Domus, vel quibusvis aliis communiter, vel diviſim, ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici &c. Datum Mantuę Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Nono, pridie Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Clauſula derogans.

1. *Harlemenſi.*) Nunc ab hæreticis deſtructo. Conſulendus *Bernardus* noſter *de Jonghe* in *Batavia deſolata*, & in *Serie Conventuum FF. Prædicatorum in Belgio*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXI fol.* 74.
3. *Trajecten.*) Vulgo *Utrecht*, in *Hollandia*.
4. *Religioſorum &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Exordiis.
5. *Eliſabeth.*) *Luſitanæ* vulgo nuncupatæ, Patrem enim habuerat *Johannem* Regem *Portugalliæ*.
6. *Holandia.*) *Hollandia*, una ex Provinciis unitis in *Belgio*.
7. *Philippi.*) Cognomento *Boni*.
8. *Saxoniæ.*) Anno *MCCCI* Provinciæ *Saxoniæ* datum fuiſſe *Harlemenſe* Cœnobium auctor eſt *Bernardus* noſter *de Jonghe*.
9. *In Holandia.*) Congregationis nempe *Hollandiæ*, cui hoc anno unitum fuit *Harlemenſe* Cœnobium, teſte *Bernardo* mox laudato.

Anno 1460 Die 1 Februarii.

Ne quis Florentinum (1) Monaſterium S. Jacobi de Ripolis ingrediatur, & ut velum prætendatur cratibus cellæ colloquii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXIII.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Circumſpecta Sedis Apoſtolicę providentia &c. (3). Hinc eſt quod Nos paci, & tranquillitati Monaſterii Monialium S. Jacobi de Ripolis Florentin., ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum degentium, conſulere cupientes, ac ipſius Monaſterii directioni, & conſervationi providere volentes, motu proprio, non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, ſalubrem, & neceſſariam inſtitutionem ipſius Monaſterii nuper per venerabilem Fratrem noſtrum Orlandum (4) Archiepiſcopum Florentin. ex noſtra commiſſione factam, & inde ſecuta quęcunque, ex certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica, approbamus, & confirmamus, ac pręſentis ſcripti patrocinio communimus, necnon pręſenti perpetua Conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, quod de cetero nullus maſculus, ſive laicus, ſive eccleſiaſtica perſona ſecularis, vel regularis exiſtat, ſepta, & clauſuras dicti Monaſterii, ſub excommunicationis pęna, quam contrafaciens eo ipſo incurrat, videlicet niſi Magiſter Generalis dicti Ordinis Prędicatorum, aut Vicarius Provincialis locorum reformatorum Provincię Romanę ejuſdem Ordinis, de qua quidem Provincia Monaſterium ipſum exiſtit, cum uno ſocio duntaxat, ętatis provectę, & probatę famę, ſemel tantum in anno cauſa viſitationis, & non alias, & etiam quando aliquam ex Monialibus dicti Monaſterii infirmari gravi infirmitate contigerit, unus Frater dicti Ordinis, ſeu de Provincia Lombardię antiquus, & approbatus, cum uno ſocio tantum, ſimilis conditionis, quem Fratrem Prioriſſa dicti Monaſterii pro tempore exiſtens de conſenſu duarum partium Monialium diſcretarum, & antiquarum dicti Monaſterii pro miniſtrandis Eccleſiaſticis Sacramentis, aut pro gravioribus exceſſibus corrigendis, poſtulaverit, necnon Medici tempore infirmitatis Monialium hujuſmodi, ac etiam operarii pro victualibus deferendis, ſeu ędificiis reparandis, cum expedierit, qui omnes honeſtę converſationis exiſtant, clauſuras & ſepta Monaſterii hujuſmodi quomodolibet intrare valeant, vel pręſumant. Volentes etiam, quod ante cratem, ſive feneſtram, ubi Moniales cum forenſibus loqui ſolent, ſemper pannus extenſus, & undequaque affixus maneat, ita quod colloquentes ſe invicem videre non poſſint, & quando caſu, aut vetuſtate laniatus fuerit, novus pannus ſimilis, & ſimiliter ante cratem ipſam apponi debeat, mandantes ſub ſimilis excommunicationis ſententię incurſu, quod nulla perſona cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, aut conditionis exiſtat, pannum hujuſmodi inde amovere audeat, & nihilominus, ut quicunque hujuſmodi excommunicationis ſententiam incurrerit, nonniſi per Romanum Pontificem, pręterquam in mortis articulo, abſolvi poſſit, niſi forſan in caſu incendii, vel ruinę, aut inquiſitionum latronum, aliquis Monaſterium, ad ſuccurrendum Prioriſſę, & Monialibus antedictis intraret, harum ſerie decernimus per pręſentes. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrorum approbationis, confirmationis, communitionis, ſtatuti, ordinationis, mandati, voluntatis, & conſtitutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Senis (5) Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Nono (6), Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Florentinum.*) Adeas *Fontanam de Romana Provincia Cap. III Tit. VII pag.* 245 *&c.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXII fol.* 52.
3. *Providentia &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Exordiis.
4. *Orlandum.*) *S. Antonini* ſucceſſorem. Conſulendus *Ughellus* in *Archiep. Florentin. Tomo III Italia Sacra pag.* 178 *&c.*
5. *Senis.*) Die enim ultimâ Januarii *Senas* pervenerat. Conſulendus *Oldoinus* apud *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCCLVIII pag.* 1020.
6. *Quinquageſimo Nono.*) Stylo Bullarum, æra communis *MCCCCLX*.

De

De reformando Forolivienſi (1) Cœnobio.

Anno 1460 Die 7 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXIV.

Dilecto filio Thomę de Lecho Vicario Generali Ordinis Fratrum Prędicatorum de obſervantia, vel ejus Succeſſoribus.

PIUS PP. II.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SCripſerunt Nobis dilecti filii nobiles viri Pinus, & Cichus de Ordelaffis, Vicarii noſtri, & communitas Forlivien., quod in Civitate illa eſt dignus, & notabilis locus pro Conventu Fratrum Prędicatorum, in quo, pręter, & contra fundatorum deſideria, Religio, & cultus divinus negligitur; devotioque Chriſti fidelium refrigeſcit, & qui, niſi ſuccurratur, ad ruinam, & deſolationem, quod minime vellemus, trahitur. Et licet Generalis illius Ordinis a pręfatis Cicho, & Communitate ſępe requiſitus fuerit, ut Conventum ipſum reformare, & ſecundum Deum, ac primęva illius Ordinis inſtituta reſtaurare vellet, ipſe tamen uſque in hanc diem id facere negligenter poſtergavit (3). Quamobrem cum religioſa loca potius augeri, quam minui cupiamus: devotioni tuę committimus, & mandamus per pręſentes: ut reformationi dicti Conventus diligenter intendas, ipſumque ſecundum Ordinis inſtituta reſtaures, contrariis non obſtantibusquibuſcunque. Datum apud Balnea Macereti (4) ſub annulo Piſcatoris Die VII Maii MCCCCLX, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Forolivienſi.*) Vulgo *Forli*, in *Romandiola*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar in Bullario *Bononienſi pag.* 41. Autographum *Bononiæ* aſſervatur.
3. *Poſtergavit.*) *Procraſtinavit*. Nota quod ab ignotis quibuſdam ſuſurronibus & æmulis præventus Summus Pontifex *Pius*, ita infenſus fuit Ordinis Generali Magiſtro de quo nunc loquitur, *Martiali ſcilicet Auribelli*, ut dum diſciplinæ regulari, ſtudiiſque promovendis ſedulus incumberet *Martialis* noſter, animi fortitudine, prudentia, & eruditione clarus, ab officio remotus fuerit. *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLIII pag.* 811.
4. *Macereti.*) In *Hetruria*.

Quædam, rogatu Regis Portugalliæ conceſſa, reſcindit quia legibus noſtris contraria.

Anno 1460 Die 24 Maii.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

XXV.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Stephano Epiſcopo Folianen. (2) in Civitate, vel Dięceſi Colimbrien. (3) reſidenti, & dilectis filiis Theſaurario Eccleſię Colimbrien., ac officiali Ulixbonen, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

APoſtolicę Sedis providentia &c. (4). Dudum ſiquidem ad humilem ſupplicationis inſtantiam cariſſimi in Chriſto filii Alfonſi (5) Portugallię Regis Illuſtris dilecto filio Johanni Martini Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Magiſtro in Theologia gratioſe induiſimus, ut omnia, & ſingula bona ad uſum ſuum ſibi conceſſa, exceptis duntaxat libris, ante obitum ſuum perſonis honeſtis legare, ac in piis operibus expendere libere, & licite valeret, mandantes, & pręcipientes Priori Provinciali, vel Vicario, ac Conventui, Prioribus, ſeu Pręſidentibus, necnon Fratribus Ordinis prędicti Provincię Portugallię in virtute ſanctę obedientię, & ſub excommunicationis pęna latę ſententię, quam contrafaciendo incurrerent ipſo facto, quatenus omnia, & ſingula privilegia, exemptiones, gratias, auctoritates, & libertates, quas dilectus filius Martialis Auribelli Generalis dicti Ordinis eidem Johanni conceſſerat, ad unguem ſine contradictione juxta formam literarum dicti Generalis, quarum tenores haberi volumus pro expreſſis, obſervarent, & obſervare deberent, & tenerentur, ac decernentes privilegia, exemptiones, gratias, auctoritates, & libertates hujuſmodi, etiam ſi ipſum Generalem ab officio generalatus amoveri, aut ad aliquod beneficium, ſeu aliquam dignitatem aſſumi, vel ab hac luce migrare contingeret, in ſuo pleno robore, ſuaque firmitate remanſiſſe, & remanere, ac per Provincialem, vel Vicarium, ſeu Priores, vel Pręſidentes, necnon Fratres hujuſmodi ſub eadem excommunicationis pęna latę ſententię debere firmiter obſervari, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dicti Generalis, ac dilectorum filiorum Provincialis ejuſdem Provincię, necnon Patrum Deſinitorum, & Fratrum congregatorum in Capitulo ultimo in dicta Provincia celebrato, petitio continebat, gratię, privilegia, exemptiones, & libertates ipſi Johanni conceſſa hujuſmodi magnum ſcandalum, ac diſſenſiones, & diviſiones, ut veriſimiliter creditur, afferre poſſint, pręſertim cum in eis inter alia contineri dicatur, dictum Johannem officium Vicariatus in duobus Conventibus, qui ex notabilioribus Regni Portugallię exiſtunt, ad vitam ſuam exercere debere, ac eodem officio libere uti, ſeu frui poſſe, quod contra Conſtitutiones dicti Ordinis fore dignoſcitur, quia occurrente vacatione Provincialatus hujuſmodi Priores, & Fratres ad hoc Vocales per viam Spiritus Sancti Miſſam celebrantes Provincialem dictę Provincię eligere, ac illum ſecundum merita, & demerita deponere (6), ac ipſum poſtmodum confirmare conſueverunt, pro parte Generalis, & Provincialis, necnon Patrum, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut prędicta privilegia, exemptiones, libertates, gra-

Diplomatis cauſa.

Nota;

gratias ipſi Johanni conceſſas hujuſmodi, & inde ſecuta quęcunque revocare, & annullare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque de pręmiſſis nobis expoſitis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę &c.
Mandatum. mandamus quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam, vocatis Johanne prędicto, & aliis, qui fuerint evocandi, vobis de pręmiſſis omnibus, & ſingulis legitime conſtiterit, gratias, conceſſiones, privilegia, exemptiones, libertates, & indulta, tam quoad officium Vicariatus hujuſmodi, quam ad omnia alia, & ſingula, quę in dedecus, & ſcandalum, & vilipendium Ordinis, & Fratrum Provincię hujuſmodi cedunt, ac ſtatutis dicti Ordinis contradicunt, revocare, & annullare, illiſque in judicio, & extra nullatenus obediri debere, ac propterea contradicentes excommunicationis ſententiam incurrere, declarare auctoritate noſtra curetis. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Macereti Senen. (7) Diœceſis Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo, Nono Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXIX fol.* 214.
2. *Stephano Epiſcopo Folianen.*) De quo in praecedenti *Appendice* dictum fuit.
I. *Colimbrien.*) In *Luſitania* Regno, ubi *Ulyſſiponenſis* Civitas.
4. *Providentia &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
5. *Alfonſi.*) Hujus nominis *V.*
6. *Deponere.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
7. *Senen.*) In *Hetruria.*

Anno 1460 Die 30 Maii.

Moniales Ordinis Prædicatorum a tributis ſolvendis immunes (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXVI. Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

PRoviſionis noſtrę &c. Hinc eſt, quod Nos tenorem quarundam literarum felicis recordationis Nicolai PP. Quinti, Prędeceſſoris noſtri, in regiſtro ipſius repertum, & in quo tenor quarundam literarum pię memorię Benedicti Undecimi, etiam Prędeceſſoris noſtri, inſertus eſt, pro eo quod, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum filiarum Prioriſſarum, & Sororum, Monaſteriorum S. Auguſtini ſecundum Inſtituta, & ſub cura Fratrum Prędicatorum viventium, petitio continebat, originales literę Nicolai Prędeceſſoris hujuſmodi caſualiter deperditę fuerint, de regiſtro prędicto de verbo ad verbum tranſcribi, & ad ipſarum ſupplicationis inſtantiam pręſentibus annotari fecimus, qui talis eſt. Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Ex Clementi proviſione &c. (3). Ceterum, ut ipſe tenor ſic annotatus omnimodam rei, ſeu facti, certitudinem faciat, Apoſtolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur, eoſdemque vim, & vigorem pręfatus tenor annotatus per omnia habeat, quę haberent originales literę ſupradictę, & eadem prorſus ipſi tenori annotato fides adhibeatur quomodocunque, & ubicunque in judicio, vel alibi, ubi fuerit exhibitus, vel oſtenſus, ac eidem ſtetur firmiter in omnibus, ſicut dictis originalibus literis ſtaretur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Per hoc autem nullum jus de novo cuiquam acquiri volumus, ſed antiquum tantummodo conſervari. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis, & voluntatis infringere &c. ſi quis &c. Datum Senis Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo, Tertio Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Immunes.*) Conſulendus *Tractatus de conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXXIII fol.* 151.
3. *Proviſione &c.*) Ut in *Conſtitutione LXX. Nicolai V* ad finem uſque. Data eſt *XV Maii MCCCCLI*. Legitur *pag.* 291 hujus *III* Tomi.

Anno 1460 Die 21 Julii.

Ne Vicarius Generalis Lombardiæ Conventus reformare teneatur inſcio Summo Pontifice.

Ex Bullario (1) *Caſtellani Parte I pag.* 13.

XXVII. Dilecto filio Vicario Generali Conventuum reformatorum Ordinis Prędicatorum in Provinciis Lombardię Superioris, & Inferioris pręſenti, & futuris.

PIUS PP. II.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm per relationem nonnullorum Fratrum Ordinis tui intellexerimus, quod ſocietas veſtra propter plurimas diverſorum Conventuum receptiones ad regularem obſervantiam plurimum ipſa, & evacuata extitit, propterea quod ad ipſos Conventus receptos oporteat tranſmittere doctos, & probatos ipſius Ordinis viros, & eo pacto Conventus alias reformati neceſſariis evacuentur ſuppoſitis; Nos, huic rei paterna diligentia providere volentes, quoniam non eſt noſtrę intentionis quod pro erectione, aut reformatione novorum, evacuentur, aut diminuantur alii Conventus jam reformati, mandamus tibi, quod per quaſcunque Apoſtolicas, aut ſuperiorum literas, & pręcepta, tibi, aut inferioribus tuis directas, vel in poſterum dirigendas, ad reformationem, aut receptionem quorumvis Conventuum, quovis modo non pro-

proeedas, ſed ſuperſedeas, donec Nos conſulas, & aliud a Nobis habueris in mandatis. Bonis etiam reſpectibus tenore pręſentium decernentes, quod receptiones, ſive reformationes Conventuum de Fratribus Congregationis executioni mandari non poſſint, niſi per te, aut Fratres, quibus tu duxeris committendum, contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Datum Senis ſub annulo Piſcatoris, die XXI Julii MCCCCLX Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Bullario.*) Autographum aſſervatur *Bononiæ*.

Anno 1460 Die 1 Auguſti.

Ut F. Paulus Plegati veniat in poſſeſſionem Prioratus S. Pauli de Campo Barchinonen. (1) Ordinis S. Benedicti.

Ex Arch. (2) Ord. Lib. B. fol. 706.

XXVIII.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Terraconen., & Epiſcopo Geruuden., ac dilecto filio Franciſco Ferrarii electo Segobricen. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Mandatum.

HOdie dilecto filio Paulo Plegati Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori Prioratum Sancti Pauli de Campo Barchinonen., Ordinis Sancti Benedicti, qui Conventualis exiſtit, tunc certo modo vacantem, & antea diſpoſitioni Apoſtolicę reſervatum, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis per eum quoad viveret tenendum, regendum, & gubernandum, auctoritate Apoſtolica commendavimus, prout in noſtris deſuper confectis literis plenius continetur. Quocirca diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam dictę literę vobis pręſentatę fuerint, per vos, vel alium, ſeu alios pręfatum Paulum, vel Procuratorem ſuum, ejus nomine, in corporalem poſſeſſionem Prioratus, juriumque, & pertinentiarum prędictorum inducatis auctoritate noſtra, & defendatis inductum, amoto exinde quolibet detentore, ac facientes ipſum Paulum, vel dictum procuratorem pro eo ad Prioratum ipſum, ut eſt moris, admitti, ſibique de illius fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus univerſis integre reſponderi. Non obſtantibus omnibus, quę in dictis literis voluimus non obſtare: ſeu ſi Venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Barchinonen., & dilectis filiis Conventui dicti Prioratus, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim, ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ad de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, contradictores, auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Datum Senis Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo, Kalendis Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Clauſula derogans,

2. *Barchinonen.*) In *Catalonia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo *Barchinonen.*
3. *Segobricen.*) Seu *Segobrigen.*, vulgo *Segorre*, in Regno *Valentiæ*.

Anno 1460 Die 23 Auguſti.

In detinentes Urbevetani (1) Cœnobii bona.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXIX.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo Urbevetano, ac dilecto filio noſtro in ſpiritualibus Vicario Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

SIgnificarunt nobis dilecti filii Prior, & Fratres domus S Dominici Urbevetan. Ordinis Prędicatorum, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorſus ignorant, fructus, cenſus, redditus, proventus, obventus, emolumenta, poſſeſſiones, domos, grangias, hortos, terras, campos, vineas, prata, paſcua, ſilvas, molendina, lacus, ſtagna, vaſa ęrea, cuprea, ferrea, ſtamnea, lignea, pannos lineos, laneos, ſericos, lectos, culcitras, linteamina, mappas, manutergia, diſcos, ſcutellas, & alia domorum utenſilia, equos, aſinos, oves, boves, capras, porcos, libros, literas authenticas, inſtrumenta publica, regiſtra, protocolla, cedulas, quitantias, teſtamenta, codicillos, notas, cartas, ſcripturas, & alia documenta, Cruces, Calices, ornamenta eccleſiaſtica, Sanctorum Reliquias, auri, & argenti monetati, & non monetati, frumenti, vini, olei, lini, lanę, cerę quantitates, debita credita, legata, & nonnulla alia mobilia, & immobilia bona, dictis Priori, & Fratribus per quondam Catherinam, relictam quondam Angeli Antonii de Bulſeno Viduam, & Landonium ejus filium, ac alios Chriſti fideles pro conſervatione, & reparatione dictę domus, illiuſque etiam ornamentorum eccleſiaſticorum, & aliis hujuſmodi pro Divino cultu neceſſariis pie erogata, temere, & malitioſe occultare, & occulte detinere pręſumant, non curantes ea pręfatis Priori, & Fratribus exhibere in manu ſuorum Pręſulum, in ipſorum Prioris, & Fratrum, ac domus non modicum detrimentum, ſuper quo idem Prior, & Fratres Apoſtolicę Sedis remedium imperrarunt. Quocirca diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quod omnes hujuſmodi occultos detentores fructuum, cenſuum, reddituum, proventuum, & aliorum bonorum prędictorum ex parte noſtra publice in eccleſiis coram populo per vos, vel alium, ſeu alios moneatis, ut intra competentem terminum, quem vos prefixeritis, ea pręfatis Priori, & Fratribus a ſe debita reſtituant, & revelent, ac de ipſis plenam, & debitam ſatisfactionem impendant, & ſi id non adimpleverint, in alium competentem ter-

terminum, quem vos ad hoc peremptorie duxeritis præfigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis ſententiam proferatis, & eam faciatis ubi, & quando expedire videritis, uſque ad ſatisfactionem condignam, ſolemniter publicari. Quod ſi non ambo his exequendis potueritis intereſſe, alter veſtrum ea nihilominus exequatur. Datum Senis Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo, Decimo Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Urbevetani.*) Vulgo *Orvieto*, in *Hetruria* ditionis Pontificiæ.
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Legitur etiam *Libro B. fol.* 129. In eodem Archivo aſſervatur aliud ejuſdem feræ tenoris Diploma pro Cœnobio *Cremonenſi* Datum Senis Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLX, Quinto Idus Septembris, Pontificatus *Pii II* Anno Tertio. Autographum eſt in Cœnobio *Cremonenſi*. Agitur de bonis pro reparatione, & conſervatione domus *Cremonenſis* erogatis, & per quondam *Johannem de Carvago* Fratrem dictæ domus relictus.

Anno 1460

De quodam legato Conventui Lucano (1) S. Romani perſolvendo.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXX.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo (3) Lucan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

INter cetera cordis noſtri &c. (4) Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus S. Romani Lucan Ordinis Prędicatorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim quondam Baptiſta Nicolai de Aneipbinis Civis Lucan., condens de bonis a Deo ſibi collatis in ejus voluntate ultima teſtamentum, inter cetera de propria ſalute recogitans, voluit, & ordinavit, per executores ejuſdem teſtamenti in eo deputatos quoddam Altare, ſive quandam Capellam in Eccleſia dictę domus, in quo, ſeu qua Fratres, qui in dicta domo pro tempore reſiderent, qualibet hebdomada certas Miſſas tunc expreſſas, celebrare tenerentur, conſtrui, & ędificari, nec non eidem Altari, ſive Capellę tot de ipſius Teſtatoris immobilibus bonis, aut aliis per ipſos executores emendis, aſſignari, quod ex eis quinquaginta ſtaria (5) grani, ſive frumenti, & ſex ſalmę (6) vini ſingulis annis perpetuis futuris temporibus provenirent, ita tamen, quod ſi eiſdem executoribus videretur potius loco dictarum ſex ſalmarum vini quoddam prędium, ſive podere (7) ipſius Teſtatoris, in Comitatu (8) Lucan. conſiſtens, aſſignare, eis illud aſſignandi poteſtatem conceſſit, prout in quodam publico Inſtrumento, deſuper confecto, dicitur plenius contineri, quodque licet Prior, & Fratres prędicti poſt ipſius Teſtatoris obitum ſtaria grani, & ſalmas vini prędicta, ratione ſervitii ad dictum Altare, ſive Capellam per eos facti, per quadriennium, vel circa perceperint, & levaverint, ac in poſſeſſione, vel quaſi, illa levandi, & percipiendi prędicto tempore fuerint, tamen felicis recordationis Caliſtus PP. Tertius Prędeceſſor noſter, ad hęredum ipſius teſtatoris importunam inſtantiam, ſolutionem dicti annui redditus per ſuas literas in forma Brevis ad viginti annos ſuſpendit, in ipſorum Prioris, & Fratrum pręjudicium, ac ejuſdem teſtatoris, & aliorum, pro quorum ſalute preces funduntur ad Dominum, non modicum detrimentum. Quare pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, de premiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi vocatis executoribus, & hęredibus prędictis, ac aliis qui fuerint evocandi, repereris ita eſſe, tam hęredes, quam executores prędictos, ut de immobilibus bonis ejuſdem Teſtatoris tot eidem Altari, ſive Capellę aſſignent, quod ex eis quinquaginta ſtaria grani, & ſex ſalmę vini proveniant annuatim, & celebrantibus in dicto Altari miniſtrari poſſint juxta Teſtatoris piam voluntatem hujuſmodi auctoritate noſtra compellas. Contradictores auctoritate noſtra &c. Non obſtantibus dilatione, vel ſuſpenſione prędicta, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi hęredibus, & executoribus pręfatis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo, (9).

Mandatum.

1. *Lucano.*) In ejuſdem nominis Reipublicæ Metropoli.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXXIX fol.* 214.
3. *Epiſcopo.*) Nunc Archiepiſcopalis eſt Sedes *Lucenſis*.
4. *Cordis noſtri &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Exordiis.
5. *Staria.*) Seu *ſextarii*.
6. *Salma.*) Sic vocant ſarcinam proportionatam jumento.
7. *Podere.*) *Italica* vox, quæ prædium ſignificat.
8. *Comitatu.*) Nota ditionem *Lucenſis* Reipublicæ *Comitatum* dici.
9. *Sexageſimo.*) Dies, & Annus Pontificatus deſunt.

Bona

Bona Lucenſis (1) Monaſterii de Angelis nuncupati confert Conventui S. Romani. Anno 1460 . . . .

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Lucan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXXI.

SAcrę Religionis, ſub qua dilecti filii Prior, & Fratres Domus Sancti Romani Lucan., Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſedulum & devotum &c. (3). Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte Prioris, & Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, quod Monaſterium Monialium, de Angelis nuncupatum, extra muros Lucan. Ordinis S. Auguſtini ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Prędicatorum degentium, propter guerrarum turbines, diſſenſiones, & partialitates, quę proh dolor! in partibus illis hactenus multis temporibus viguerunt, in ſuis ſtructuris & ędificiis, etiam pro eo quod Sorores tunc in eo degentes, pręmiſſis cauſantibus, ad certam domum Lucan. ſe tranſtulerunt (4), & ex eis ſuperſtites quatuor numero adhuc in illa commorantur, adeo conquaſſatum eſt, miſerabili que ruinę ſubactum, quod vix muri Eccleſię cum tecto dicti Monaſterii remanſerunt, & de ejus reſtitutione, & ad priſtinum ſtatum reductione nulla ſpes ſupereſſe videtur, &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi decedentibus ipſis Sororibus nonnulla immobilia in Civitate, & Dięceſi Lucan. exiſtentia, mobiliaque bona ad dictum Monaſterium, ſive domum legitime ſpectantia, quę Sorores ipſę tenere, & poſſidere noſcuntur, Domui S. Romani pręfatę pro illius reparatione, & Fratrum Prędicatorum ſuſtentatione, necnon libri, calices, & ornamenta dicti Monaſterii pro Eccleſiis uſibus Eccleſię domus S. Romani concederentur, ex hoc non modicum ſuſciperent ſublevamen. Quare pro parte Prioris, & Fratrum Prędicatorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eorum & Domus S. Romani pręfatę, quibus bona, & ornamenta hujuſmodi, magis convenire videntur, quam ad extraneos deferri, commodis, & utilitati opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, de pręmiſſis certam notitiam non habentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę, de qua in his, & aliis fiduciam in Domino obtinemus, per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus ſuper pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi repereris ita eſſe, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, libros, calices, & ornamenta pro eccleſiaſticis uſibus, immobilia, & alia quęcunque bona prędicta eidem domui S. Romani auctoritate noſtra perpetuo applices, & concedas, ita quod decedentibus ſimul, vel ſucceſſive, Sororibus pręfatis, liceat Priori, & Fratribus antedictis omnium, & ſingulorum mobilium, & immobilium bonorum ejuſdem Monaſterii, ubilibet exiſtentium, corporalem poſſeſſionem auctoritate propria apprehendere, ac bonorum fructus, redditus, & proventus in utilitatem, & reparationem dictę domus S. Romani, ac ipſorum ſuſtentationem convertere: libros vero, & calices, ac ornamenta hujuſmodi pro uſu, & neceſſitate Eccleſię dictę domus S. Romani reſervare, & perpetuo retinere, alicujus ſuper hoc licentia minime requiſita. Non obſtantibus conſtitutionibus &c. quibuſcunque &c. Nos enim ſi applicationem, & conceſſionem prędictas per te vigore pręſentium fieri contigerit, ut pręfertur, ex nunc irritum decernimus, & inane &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo (5).

Exordium.

Supplex petitio.

Donatio.

1. *Lucenſis* .) Conſulendum præcedens Diploma.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXIX fol.*235.
3. *Devotum &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Exordiis.
4. *Se tranſtulerunt*.) Nunc in Urbe *Lucenſi* tria Monaſteria habet Ordo noſter, de quibus conſulendus *Fontana de Romana Provincia Cap. III Tit. X pag.*265 *&c.*
5. *Sexageſimo*.) Dies, & Pontificatus Annus deſiderantur.

De componenda lite inter Florentina (1) Monaſteria S. Jacobi de Ripolis, & S. Petri Martyris. Anno 1460 Die 20 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Florentin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXXII.

HUmilibus ſupplicum votis &c. exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectarum filiarum in Chriſto Jacobę de Gianibonellis Prioriſſę & Conventus Monaſterii S. Jacobi de Ripolis Florentin., per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini ſub Regula Fratrum Prędicatorum degentium, petitio continebat, quod olim, poſtquam Nos tibi commiſeramus, ut prędictum Monaſterium S. Jacobi viſitares, & referres, ac poſtmodum facta hujuſmodi viſitatione, & Nobis relato, dilecto filio Martiali Auribelli Magiſtro Generali ejuſdem Ordinis Prędicatorum, ut etiam pręfatum Monaſterium S. Jacobi reformaret, commiſeramus, idem Generalis pro hujuſmodi reformatione pręfatam Jacobam & ſex alias Moniales Monaſterii Sancti Petri Martyris, Ordinis, & regulę hujuſmodi ad pręfatum Monaſterium S. Jacobi tranſtulit, ipſaſque Jacobam in Prioriſſam ejuſdem Monaſterii S. Jacobi deputavit, & deinde orta inter utriuſque Monaſteriorum hujuſmodi Moniales ſuper bonis eidem Monaſterio S. Petri pro dote, & ſuſtentatione cujuslibet earundem ſeptem Monialium deputatis coram dicto Generali materia quęſtionis, & aliquibus interlocutoriis ſententiis pro qualibet earundem par-

Diplomatis cauſa.

patrium per eundem Generalem latis, Nos cauſam ipſam Vicario tuo in ſpiritualibus Generali per noſtras literas ſub certa forma audiendam commiſimus, & fine debito terminandam. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ipę Jacoba Prioriſſa, & ſex Moniales, non propter earum delictum, nec ex voluntate ſe transferendi de Monaſterio ad Monaſterium, ſed auctoritate, & de mandato ſuperiorum earum; ut obedientes, & pro utilitate dicti Ordinis ad ipſum Monaſterium S. Petri translatę fuerunt, pro parte Prioriſſę, & Conventus Monaſterii S. Jacobi hujuſmodi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſtatum dictę cauſę, etiamſi in ea quęvis appellatio, concluſio, aut repoſitio pendeat, aut tempus appellandi duret, ac tenores omnium & ſingulorum pręmiſſorum, & in pręmiſſis geſtorum ipſorum bonorum deſignationes, loca, quantitates, & qualitates, necnon illorum fructuum veros valores pro ſufficienter, ac de verbo ad verbum expreſſis, & individue enarratis, habere, necnon cauſam ipſam ad Nos advocare, ac litem prędictam penitus & omnino extinguere, tibique, ut ne bona eorundem Monaſteriorum in litibus conſumerentur committere, & mandare, quod ſi informatione pręvia invenires, eaſdem ſeptem Moniales de mandato prędicti Generalis, ac pro utilitate Ordinis fuiſſe translatas, Prioriſſam, & Conventum ejuſdem Monaſterii S. Petri ad reſtituendum & conſignandum eiſdem ſeptem Monialibus Monaſterii S. Jacobi realiter, & cum effectu omnia, & ſingula mobilia, & immobilia bona quę occaſione cujuslibet earundem ſeptem Monialium ad ipſum Monaſterium S. Petri quandocunque tam ratione dotis earum, quam ex quavis alia cauſa, & qualitercunque evenerint, ſub omni cenſura eccleſiaſtica, auctoritate apoſtolica, monitione pręvia, cogas & compellas, ac in his omnibus procedas ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, ſola facti veritate inſpecta, velut in cauſa ſuper executione, aut nominatione, ſeu confeſſato, omiſſis omni libelli datione, litis conteſtatione, terminorum etiam ſubſtantialium obſervatione, & quibuſcunque juris rigoroſitatibus, ac ſingulis diebus feriatis, & non feriatis, tam in domibus habitationis tuę, quam alias ubi tibi videbitur, dictamque cauſam unica ſententia termines, a qua neutri partium liceat appellare, necnon ad executionem etiam ſub cenſuris quarumvis ſententiarum per te ferendarum procedas in omnibus & per omnia, ac ſi dicta ſententia nulla provocatione ſuſpenſa in rem tranſiviſſet judicatam; cum poteſtate contumaces declarandi incidiſſe in ſententias, cenſuras, & pęnas prędictas, eaſque contra illos aggravandi, & reaggravandi, etiam uſque ad invocationem brachii ſecularis incluſive, citandique & monendi eaſdem Prioriſſam, & Conventum Monaſterii S. Petri, omneſque alios, & ſingulos ſua communiter, vel diviſim intereſſe putantes, & in executionem citationis, & nominationis hujuſmodi nominandos in civitate, & Dięceſi Florentin. (1), & alias ubicunque, ac toties quoties opus erit, quodque ex nunc quaſvis appellationes tam ab interlocutoriis, quam diffinitiva interjectas, ſeu interponendas, fuiſſe, & eſſe nullas, irritas, & inanes, ac infectas decernere, de benignitate apoſtolica dignaremur.

Mandatum. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, Fraternitati tuę, de qua plurimum in Domino confidimus &c. mandamus quatenus vocatis Prioriſſa, & Conventu Monaſterii S. Petri hujuſmodi, & aliis, qui fuerint evocandi, ſuper pręmiſſis ſupplicatis per te ipſum provideas, ut tibi videbitur: non obſtantibus pręmiſſis ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque, & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, necnon exemptionibus, & privilegiis cum quibusvis clauſulis & decretis irritantibus pręfato Monaſterio Sancti Petri, illiuſque Prioriſſę, & Monialibus conceſſis, etiamſi de illis plenior eſſet ſpecificatio facienda, contrariis quibuſcunque, aut ſi Prioriſſę, & Conventui Monaſterii Sancti Petri hujuſmodi, vel quibusvis aliis communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo, Tertio Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Florentin.*) In *Hetruria*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*.

Anno 1461 Die 1 Martii.

Ut decretalis (1), quæ incipit - *Super Cathedram* - ſervetur in Dalmatia.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXIII.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Spalaten., & Jaeren (3) Archiepiſcopis, ac Tragurien. Epiſcopo, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

OLim pro removendis quęſtionibus, & diſcordiis, quę inter ſecularem clerum, & mendicantium Ordinum profeſſores, pro eo quod per ipſos hinc inde Decretalis per felicis recordationis Bonifatium PP. VIII, Prędeceſſorem noſtrum, edita, & a pię mem Clemente Papa V., etiam Prędeceſſore noſtro, in Concilio Viennen. innovata, non ſervabatur, ut plurimum ſuſcitabantur (4). Cum autem, ſicut pro parte dilectorum filiorum Capituli Eccleſię Sibenicen., & aliorum Parochialium Eccleſiarum Rectorum, & cleri civitatis, & Dięceſis Sibenicen. Nobis extitit intimatum, prędicti eorundem Prędicatorum, Minorum, Eremitarum, & Carmelitarum Ordinum Fratres contra tenorem Decretalis, & Caliſti Prędeceſſoris literarum prędictarum, multa eiſdem, & eorum ſingulis gravamina inferunt, & jacturas, quia igitur parum eſſet jura condere niſi, qui ea tueatur, exiſtat, Fraternitati veſtrę, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, Mandatum. per vos, vel alium, ſeu alios, etiamſi ſint extra loca in quibus eſtis deputati conſervatores, ſeu judices tam eiſdem Capitulo, & Rectoribus, ac clero civitatis, & Dięceſis prędictarum, & eorum cuilibet adverſus Fratres prędictos, quam e converſo eiſdem Fratribus adverſus Capitulum, & Rectores,

ac Clerum prę́fatos, & ſingulis eorundem, efficacis defenſionis prę́ſidio aſſiſtentes, ac dictas prę́fati Caliſti Prędeceſſoris literas ubi, & quando expedierit, ſolemniter publicantes, ac facientes Decretalem, & literas prędictas quoad omnia in eis contenta firmiter obſervari, non permittatis contra illarum tenorem per memoratos Fratres dictorum Ordinum eiſdem Capitulo, & Rectoribus, ac Clero, ſeu alicui, vel aliquibus eorundem, nec etiam per dictos Capitulum, & Rectores, ac Clerum, ſeu aliquem, vel aliquos eiſdem Fratribus gravamina, aut injurias irrogari, ſeu alia quęcunque adverſus Decretalem, & literas prędictas attentari, facturi ipſis hinc inde de quibuſcunque injuriis, moleſtationibus, gravaminibus, & damnis illatis hactenus, & etiam in poſterum inferendis eiſdem contra tenorem Decretalis, & literarum earundem, in illis videlicet, quę judicialem requirunt indaginem, ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, in aliis vero, prout qualitas ipſorum exegerit, juſtitię complementum, moleſtatores &c. ac contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam &c. Non obſtan. omnibus, quę in dictis literis idem Caliſtus Prędeceſſor voluit non obſtare, necnon prędicti Bonifatii PP., qua cavetur, ne aliquis extra ſuam Civitatem, vel Diœceſim &c. ſeu ne Judices &c. quam aliis quibuſcunque Conſtitutionibus a Prędeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus &c. ſeu ſi tam eiſdem Fratribus aut eorum Ordinibus &c. quam Capitulo, & Rectoribus, ac Clero prędictis a prę́fata ſit Sede indultum, quod excommunicari, ſuſpendi &c., & quibuslibet aliis indulgentiis &c. Ceterum judicibus, ſeu conſervatoribus quibuſcunque per literas Apoſtolicas ſub quacunque alia quam prę́ſenti verborum forma, vel expreſſione confectas, aut tam eiſdem dictorum Prędicatorum, Minorum, Eremitarum, & Carmelitarum Ordinum Fratribus, ſeu ipſis Ordinibus, quam Capitulo, & Rectoribus, ac Clero, vel alicui, ſeu aliquibus eorum contra, vel ſuper damnis, & injuriis, & aliis quibuſcunque rebus, ſeu negotiis alias deputatis, vel ſubdelegatis eorum prę́ſentibus, & futuris auctoritate prę́ſentium diſtrictius inhibemus, ne aliquem, ſeu aliquos auctoritate literarum ipſarum prętextu, ſeu occaſione quorumcunque damnorum, ſeu injuriarum, ſive gravaminum contra tenorem dictę Decretalis: Super Cathedram: & literas prę́fatas Caliſti Prędeceſſoris antedictas, tam ipſis Fratribus, ſeu eorum Ordinibus, quam Capitulo, & Rectoribus, ac Clero, vel aliquibus communiter, vel diviſim a quibuſcunque perſonis illatorum hactenus, ac etiam inferendorum in poſterum coram ſe alicubi deinceps ad judicium, vel alias quomodocunque evocare, ſeu in cauſa aliquatenus trahere prę́ſumant; inhibitionem hujuſmodi non ſolum ad futura, ſed etiam quovis modo adhuc pendentia, & jam cępta negotia, volentes extendi, ac decernentes prę́fatas literas, & proceſſus earum auctoritate quomodocunque habitos, & habendos ad damna, gravamina, & injurias hujuſmodi contra tenorem dictę Decretalis, & dictarum literarum dicti Caliſti Prędeceſſoris illata, & inferenda, ut dictum eſt, deinceps aliqualiter non extendi, ac etiam irritum, & inane &c. attentari. Vobis nihilominus injungentes, ut inhibitionem hujuſmodi ad dictorum Judicum, ſeu conſervatorum, & ſubdelegatorum notitiam, de quibus vobis expedire videbitur, deducere procuretis. Inſuper volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat articulum etiam per alium inchoatum &c. ac pro prędictis procedere, ac ſi prędicta omnia &c. & juriſdictio veſtra &c. perpetuata fuiſſet, conſtitutione prędicta ſuper conſervatoribus, & alia quaelibet in contrarium edita non obſtante. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo (5), Kalendis Martii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Decretalis.*) Conſulendus *Tractatus de conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLIV fol.* 1.
3. *Iaeren.*) *Jaderen.*, in *Dalmatia*, ubi cetera Civitates, de quibus hoc in Diplomate.
4. *Suſcitabantur.*) Quædam hic deſunt.
5. *Sexageſimo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLXI.*

Aveyrenſis (1) Monaſterii fundandi facultas.

Anno 1461 Die 16 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXIV.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii S. Petri de Pedroſo, Portugalen. (3) Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Pia Deo, & Eccleſię deſideria &c. (4). Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Marię Pereyra (5), & Beatricis Leytoa, mulierum Colimbrien. Diœceſis, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſę cupientes terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna, felici commercio, commutare, ſingulari ductę devotionis affectu, quem ad Ordinem Fratrum Prędicatorum de obſervantia nuncupatorum gerunt, de bonis ſibi a Deo collatis in Caſtro de Aveyro dictę Diœceſis unum ejuſdem Ordinis Monaſterium, in quo Abbatiſſa, & Moniales ejuſdem Ordinis ſub regulari obſervantia ad inſtar Monaſterii S. Salvatoris (6) Ulixbonen. (7) ejuſdem Ordinis, quod ſolum in Regno Portugallię ejuſdem obſervantię exiſtit, devotum, & ſedulum exhibeant Altiſſimo famulatum, ad prędicti Sancti honorem, necnon Divini Nominis laudem, & gloriam, cum Eccleſia, Altaribus, campanili, campanis, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, aliiſque officinis neceſſariis, fundare, conſtruere, & ędificare, ſeu fundari, conſtrui, & ędificari facere, illudque ſufficienter dotare, & poſtquam conſtructum fuerit, habitum per Sorores dicti Ordinis geſtari ſolitum recipere, profeſſionem emittere, & in illo Altiſſimo famulari plurimum deſiderant, & affectant, ſi ſibi ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam licentia concedatur. Quare pro parte dictarum Marię, & Beatricis, Nobis aſſerentium, quod earum facultas pro manutenendis, & ſuſtentandis ſex duntaxat Sororibus in dicto erigendo Monaſterio ſufficiunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis prędictam licentiam concedere, aliaſque Supplex petitio.

in

Facultas;

in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Sacrę Religionis propagationem, & Divinum cultum noſtris potiſſime temporibus augeri cupientes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, eiſdem Marię, & Beatrici, unum Monaſterium cum Eccleſia, Altaribus, campanili, campanis, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, aliiſque officinis neceſſariis pro uſu, & habitatione Abbatiſſę & Sororum prędicti Ordinis in pręfato Caſtro, in certo loco per eas jam empto, ſi ad id aptus, & conveniens ſit, abſque tamen alicujus pręjudicio, de novo fundandi, erigendi, conſtruendi, & ędificandi, ſeu fundari, erigi, conſtrui, & ędificari faciendi, illudque de bonis eis, ut pręfertur, a Deo collatis dotandi, & ſi idoneę ſint, & impedimentum Canonicum non obſiſtat, habitum hujuſmodi recipiendi, & profeſſionem emittendi, & in illo ſub habitu & obſervantia hujuſmodi Altiſſimo famulandi, plenam, & liberam licentiam auctoritate noſtra concedas; & nihilominus eidem Monaſterio, poſtquam conſtructum fuerit, illiuſque Abbatiſſę, & Sororibus pro tempore exiſtentibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, &c. quibus pręfatum Monaſterium S. Salvatoris uti, & gaudere, ac per Vicarium dicti Ordinis viſitari debeant, quodque ad receptionem, & admiſſionem aliquarum Sororum in dicto erigendo Monaſterio ultra prędictum numerum ſex, quoad vixerint, compelli non poſſint, eadem auctoritate noſtra concedas. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne domus, vel loca cujuſvis Ordinis Mendicantium de novo erigi poſſint &c., & aliis conſtitutionibus &c. quibuſcunque, jure tamen Parochialis Eccleſię &c. ſemper ſalvo. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo primo, Decimo Septimo Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Clauſula derogans.

1. *Aveyrenſis.*) Juris eſt Provinciæ *Luſitaniæ*. Monaſterium *Jeſu* nuncupatur.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LII fol.* 146.
3. *Portugalen.*) Seu *Portucalen.*, vulgo *Portugallo*, *Porto*, ac *Ciudad de Puerto*, in *Luſitaniæ* Regno.
4. *Deſideria &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Exordiis.
5. *Pereyra.*) Gens eſt *Luſitaniæ* nobilitate clara.
6. *S. Salvatoris.*) Primum eſt ex quatuor Monaſteriis, quæ habet Ordo *Ulyſſippone*.
7. *Ulixbonen.*) *Ulyſſipponen.*, vulgo *Lisboa*.

Anno 1461 Die 9 Junii.

Firmat quorundam Beneficiorum collationem factam Monaſterio Lemagen. (1)

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXV.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii Sanctorum Petri, & Pauli Padeburnen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

Apoſtolicę ſervitutis officio &c. (3) Dudum ſiquidem pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Sanctę Marię in Lemago Ordinis S. Auguſtini ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, Padeburnen. Diœceſis. Nobis expoſito, quod alias quondam Urbanus Sextus in ſua obedientia de qua partes illę tunc erant, nuncupatus, ex certis tunc expreſſis ſuadentibus cauſis &c. (4). Quodque per antea bon. mem. Clemens PP. Quartus Prędeceſſor noſter eidem Conventui per alias ſuas literas prohibuerat, quod infra fines Parochię ſuę nullus ſine aſſenſu Diœceſani Epiſcopi, & ejuſdem Conventus, Capellam, ſive Oratorium de novo conſtruere auderet, ſalvis privilegiis Pontificum Romanorum, ac in eadem expoſitione ſubjuncto, quod licet unio, annexio, & incorporatio prędictę, ut pręfertur, factę fuiſſent, ipſęque Prioriſſa, & Conventus in poſſeſſione Eccleſię, & Capellarum hujuſmodi aliquando extitiſſent, nihilominus, quia eis conſentientibus, vel non contradicentibus de Eccleſia, & Capellis, ac Altaribus prędictis vigore literarum Apoſtolicarum, & primariarum precum, ac diverſarum aliarum gratiarum Clericis ſecularibus proviſum fuerat, quorum aliqui nonnullas ex dictis Vicariis poſſidebant, de literarum annexionis, & conceſſionis hujuſmodi viribus plurimum hęſitabatur, Nos per alias noſtras literas, tibi etiam, tuo proprio nomine non expreſſo, dedimus in mandatis, ut vocatis, quorum intererat, de pręmiſſis omnibus, & ſingulis &c. (5) expreſſum fuit plenius continetur. Dum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dictarum Prioriſſę, & Conventus petitio continebat, Eccleſia ipſa S. Johannis, ac Altaris Capellarum S. Nicolai, & reliqua B. Marię, Altaria vero S. Catharinę, B. Andreę Apoſtoli, Beatorum Marię Magdalenę, Jacobi Apoſtoli, & Marthę, ac trium Regum, necnon ejuſdem B. Catharinę, in Eccleſia S Johannis prędicta, ac S. Jacobi Apoſtoli, & S. Nicolai, necnon B. Marię Virginis, & S. Annę, Beatorumque Petri, & Pauli Apoſtolorum, & B. Thomę Confeſſoris, ac earundem Beatarum Marię Magdalenę, & Catharinę in ejuſdem S. Marię Virginis, atque omnium Sanctorum, necnon aliud ejuſdem S. Catharinę in prędicta S. Marię Capellis ab eadem Eccleſia dependentibus, nominentur, fructus quoque dicti Monaſterii, pręmiſſum excedant valorem, pro parte Prioriſſę, & Conventus prędictarum, aſſerentium, quod ad executionem dictarum literarum non dum proceſſum extitit, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ne literę ipſę poſſint de ſubreptione notari, ſuper pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, vocatis quorum intereſt, ad executionem ipſarum literarum, quas, & inde ſecuta quęcunque a dat. pręſentium, quoad hoc valere, pleneque roboris firmitatem obtinere, decernimus, in omnibus, & per omnia procedas perinde, ac ſi in ipſis literis nomina Eccleſię, Capellarum, & Altarium hujuſmodi expreſſa fuiſſent, prout ſuperius enarratur, & quod fructus, redditus, & proventus dicti Monaſterii quadraginta marcarum ſimilium ſecundum extimationem prędictam valorem annuum non excederent, prout re vera, ſicuti dictę Priorisſa, & Conventus, etiam aſſerunt, non excedunt, expreſſum extitiſſet. Non obſtantibus

Confirmatio.

prę-

præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quę in dictis noſtris literis voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Primo, Quinto Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Lemagen.*) De quo in *Nota I ad Conſtitutionem XVII Bonifatii IX Tomo II pag.* 320., & in *Conſtitutione Pii II* mox laudanda.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Arch. Apoſtol. Lib. XXI fol.* 105.

3. *Officio &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Exordiis.

4. *Cauſis &c.*) Ut in *Conſtitutione XX data VI Octobris MCCCCLIX* ad hæc uſque verba: *Convertere poſſent.*

5. *Singulis &c.*) Ut in eadem ad finem uſque.

Bulla Canonizationis S. Catharinæ (1) Senenſis.

Anno 1461 Die 29 Junii.

Ex Bullario (2) Uſuſmaris pag. 133.

XXXVI.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

MIſericordias Domini, quas in dies largius experimur, non ſatis explicare poteſt lingua mortalis. Vincunt humana eloquia divina beneficia, nec homini datum eſt Creatorem ſuum abunde collaudare, nec ſi omnes artus converterentur in linguas, quando ex nihilo creati, de non eſſe producti ſumus in eſſe, nec, vel lapides, vel plantę, vel animalia bruta, ſed rationis participes, divinorumque capaces effecti ſumus, ac non ſolum Angelis, ſed ipſi quodammodo inviſibili, & excelſo Deo ſimiles, gloria & honore coronati, ſuper omnia opera ejus imperio potiti. Verum ſi nos ipſos rebus ceteris comparemus, nulla creatura magis ingrata reperta eſt, quam homo. Si Luciferi, & ſociorum ejus ſuperbiam prętermittimus, ſolus inter cetera rebellis Deo, & ingratiſſimus homo eſt. Reliqua omnia divinam pietatem in ſuo eſſe collaudant, nec ejus unquam pręceptis adverſantur, naturę legibus parent, & ea peragunt, ad quę producta ſunt. Terra aratrum patitur, & ſuſcipiens ſemina tanquam ſub uſuris multiplicata reddit, & imperio Dei obediens culta atque inculta humano generi conſulit. Saxa in ędificiorum uſu recepta, pręſto adſunt, nec ſciſſa vel excocta reſiſtunt. Fructificant arbores in agro virentes, & poſtea quam aruerunt, aut ignem nutriunt, aut ędes, tectaque ſuſtinent. Quanta herbarum, ſive in floribus, ſive in ſeminibus, ſive in ſuccis, ineſt utilitas? Quanta in fluminibus commoditas? Quanta in lacubus, ac maribus, quę dum navigia ſubeunt inter remotiſſimas gentes commercia pręſtant? Quid animalia cetera ſive aquatilia, ſive terreſtria? In omnibus laudatur Deus, dum naturę juſſa capeſſunt. Elementa, & Sidera faciunt imperata. Sol peragit curſum ſuum, nec pręceptas Zodiaci metas excedit, nec, alieno lucens lumine, ſuo muneri luna deeſt, nec errantes errant ſtellę certum ſemper, & ſtatutum iter agentes. Omnia in cęlo, & in terra laudant Deum, & in officio manentia benedicunt ei, nec legi reſiſtunt impoſitę. Gravia deorſum cadunt, levia ſurſum feruntur, cuncta gratitudinem oſtendunt divinitati, Deo parent atque naturę. Solus homo ingratus, inobediens, ac rebellis, inter tot creata repertus eſt, perverſi Angeli ruinam imitatus, ille in Cęlo ſuperbiens, Creatorique ſimilis eſſe cupiens, in abyſſum pręcipitatus, meditati ſceleris pęnas dedit, homo de limo factus, & in terra poſitus, ſuę imbecillitatis immemor, & ipſe quoque alta cupere cępit, qui de ligno veſcens prohibito, per boni & mali cognitionem ęqualitatem cum diis optavit. Propter quod de Paradiſo deliciarum ejectus, in multas ęrumnas datus eſt, & porta regni Cęlorum clauſa, mors introivit in orbem terrarum, quę nulli hominum parceret. Quantum filii Adam ante diluvium aberraverint, & quam procul a divina voluntate receſſerint, ſecuta ultio patefecit, quę omnem carnem aquarum inundatione delevit, ea excepta, quę cum pio Noe in arca ſalvata eſt. Ceterum neque in filiis ejus nequitia ac perfidia defuit. Maligni & ipſi ſunt, & in omne prolapſi nefas. Turris Babel in contumeliam Domini cępta eſt, & ibi labium univerſę terrę diviſum. Ab his bella introducta ſunt, rapinę, tumultus, incendia, cędes, adulteria, ſtupra, perjuria, & idolorum cultus, & quicquid malorum libido aut ſuperbia gignit. Pauciſſimi uſque ad Abraham reperti ſunt Divinę legis amatores. Ille vero unicum, certumque pietatis exemplum, adeo voluntati Dei ſe ſubmiſit, ut proprium filium ſuum immolare non dubitaret. Propter quod in ſemine ejus benedictę ſunt omnes gentes. Ex cujus liberis non ſolum Prophetę orti ſunt, divinę legis prędicatores, ſed ipſe quoque Salvator Chriſtus ſecundum carnem naſci dignatus eſt, qui pro ſalute humani generis, cum in forma Dei eſſet ęqualis Patri, exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens, & homo factus eſt, tędia carnis ſubiit, tormenta, & cruciatus pertulit, & ad extremum mortem, non ſecundum naturam, ſed ignominioſam, ſed violentam, ſed acerbiſſimam, & vix homini tolerabilem in Ligno Crucis ſuſtinuit, in quo moriens mortem noſtram deſtruxit, & vitam reparavit. Diſpoliavit inferos, abduxit Sanctos Patres, & victor mortis, ac diaboli triumphator, cęlum jam longo tempore clauſum aperiens, aſcendit ad Patrem, nobiſque viam oſtendit, per quam eum ſequi poſſemus, Evangelica lege tradita, & Baptiſmo, ceteriſque Sacramentis apertis, per quę lapſi repararentur, & ſalvarentur. Nec tamen tot tantiſque allecta beneficiis noſtra protervitas, ac malignitas conquievit, nec gratum exhibuit animum, nec vitia deſeruit homo, ſed quo majori pręventi ſumus munere gratiarum, eo magis ingrati reperimur, & ad illicita prociviores. Nam quomodo ſublimem diligimus, aut honoramus Deum? quomodo ejus mandata ſervamus? Quis Sacroſancto Evangelio paret? Quę ſubiectio erga Superiores? Quę caritas erga inferiores? Quis ęquitatis? quis juſtitię cultus? Quę Religio? Qui mores hominum? Sunt qui dicunt in cordibus ſuis: non eſt Deus; alii impia efferunt dogmata, blaſphemias in Deum eudunt. Alii voluptatum ſervi, nihil aliud cogitant, niſi quomodo libidines ſuas expleant. Illi opibus inhiant alienis, illi humanum ſanguinem ſitiunt. Rara innocentia eſt, eaque parum tuta. Neque propinquitatis jura proſunt, nec ſcriptę, aut ſancitę moribus leges. Viribus ac fraudibus cuncta obediunt. Itaut neque abs re princeps mundi

hujus appelletur diabolus, quando pars orbis major ejus arbitrio ducitur. Nam quantum eſt quod pſeudoprophetę Mahumetis inſania poſſidetur? Orientis pręcipua portio, & Africę maxima Regna, & in Hiſpania Granaten. (3), & in Gręcia multę Provincię ſub Mahumete Chriſtum blaſphemant. Nec parva eſt Judęorum natio, per orbem terrarum late diſperſa, Sancti Evangelii, & Chriſtianę legis inimica. Nec deſunt in ſeptentrione, atque Oriente cultores idolorum. In Europa (4) Chriſtianitas redacta eſt. Nam quamvis per Aſiam, ac Lybiam (5) Chriſtiani non pauci diſperſi eſſe ferantur, non tamen illorum ſincera eſt fides, qui procul ab Apoſtolica Sede, inter Infideles habitantes, & cum hęreticis communicantes, improbaque ſapiunt, & multis erroribus ſcatent (6). Nec Chriſtiani, qui ſunt in Europa tam re, quam nomine chriſtiani exiſtunt. Adumbrata, & ficta eſt multorum Religio, ſicut opera ipſa manifeſtant; Nam quotus eſt, qui digna chriſtiano faciat opera? A fructibus eorum cognoſcetis eos, inquit (7) in Evangelio Dominus. Si vivimus, ut Chriſtus jubet, Chriſtiani ſumus. Johannes Apoſtolus ejus filios eſſe homines aſſerit (8), cujus opera faciunt. Si Dei mandata ſervamus, Dei procul dubio filii ſumus; Sin Diaboli, ad eum pertinemus, dicente (9) Domino. Vos ex patre diabolo eſtis. Dura ſententia, & tamen vera. Illius quippe filius eſt, & ad eum pertinet, cujus mandata ſectatur. Quantum autem ingrati Chriſtiani, a divinis pręceptionibus procul abierint, & quantum diabolicis ſuggeſtionibus adhęſerint, per ſe quivis intelligit. Interroget quiſque conſcientiam ſuam, & retroactam ante oculos mentis vitam collocet, & quantum ab officio veri Chriſtiani receſſerit palam cognoſcet. Quę cum ita ſint, maxima eſt ſummi Dei benignitas, & incredibilis miſericordia, qua nos tolerat, & vivere ſinit, expectans, ut aliquando converſi redeamus in viam. Sed inventi ſunt in omni ętate nonnulli Deo placentes, viri Sancti, qui viventes in carne, deſideria carnis vicerunt, & cœleſtem in terra vitam egerunt, quorum meritis, & interceſſione ſuſtentata eſt mundi machina, & comminatus, eſt ignis retentus, & ira Dei ultioque ſuſpenſa. Nec dubitamus, quin hodie quoque aliqui ſint accepti Deo, quorum preces cęleſtem nobis Regem placatum, benignumque reddant. Inter alios autem, qui Deo placuerunt, & divinam nobis clementiam placaverunt, Urbs Senę (10), inter Hetruſcos nobilis, ętate noſtra Bernardinum (11) aluit, qui nobili loco natus in adoleſcentię flore mundo renunciavit. Et ingreſſus Beati Franciſci Religionem, cum Fratres ſui Ordinis procul abiiſſe ab inſtitutis, & Regula Patrum reperiſſet, eos acriter correxit. Et cum eos omnes in viam reducere non poſſet, ſequeſtratis pluribus, quibus Regulam ſervare placuit, cum his cęnobia frequentavit, quę multa de novo erexit, & ſanctiſſimis inſtitutis reformavit. Circuivit Italiam pr'dicando, vitia fulminavit, virtutes erexit. Mira ejus abſtinentia fuit, mira integritas, moderatio, gravitas, eloquii multa ſuavitas, multa doctrina. Et quoniam verus erat paupertatis cultor, hoſtis pecunię, & omnium deliciarum inimicus, ſemper in ejus vultu ingens alacritas enituit, & in mente ſumma quies, ut qui ſola innocentia gaudebat, nullius ſibi conſcius criminis, ſcandalis compluribus in Italia obviavit, & multa miracula perpetravit. Propter quę adhoc vivens Sanctus habebatur, & miro plebium colebatur honore, nuſquam ſine populi frequentia, & ſingulari reverentia receptus. Qui cum apud Aquilam Marſorum (12) Urbem hujus vitę curſum peregiſſet (13) a Nicolao Quinto Prędeceſſore noſtro ipſo Jubilei Anno (14), cum Chriſtianus orbis ad expurgandas vitiorum ſordes frequens urbem inviſeret, inter Sanctos Chriſti Confeſſores relatus eſt. Fuerat & in ętate ſuperiori parentum noſtrorum memoria, in eadem Urbe, & in ſexu fęmineo Virgo Catharina non minoris meriti, nec minus accepta Deo, cujus preces in conſpectu pręceiſę divinitatis, humano generi admodum ſalutares, & olim fuiſſe, & nunc eſſe, & in poſterum fore, non dubitamus. Nam ſicut peccatum malorum hominum, ac blaſphemię, iram Dei ſuper nos provocant, ita Sanctorum opera, rogaminaque avertunt. Verum Catharina quamvis angelicam in terris vitam egerit, & ante annos octuginta (15) decedens ad cęlum migraverit, multiſque ſignis, & miraculis (16) claruerit, non tamen adhuc inter Sanctas Chriſti virgines a militanti Eccleſia recepta erat. Neque enim Romani Pontifices, qui ante nos fuerunt, id decreverant. Voluerat Urbanus Sextus (17) hunc ei honorem impertire, & poſt eum Innocentius Septimus (18), ac deinde Gregorius Duodecimus (19), qui hujus Virginis, & Sanctę converſationis ejus pręcipuam habuere notitiam (20): Sed vexati perturbatione ſchiſmatis, quod eorum tempore viguit (21), ac multis bellorum turbinibus, ac moleſtiis agitati, divino, ut credimus, conſilio id omiſerunt, ne ſęviente diviſionis procella, quod ſacrum una obedientia decreviſſet, profanum altera cenſuiſſet. Delata eſt res uſque ad tempora noſtra, Nobiſque hujus ſacerrimę Virginis Canonizatio reſervata tanquam conterranęę noſtrę, atque concivis, ut Senenſis Virginis ſanctitas, decreto Senenſis hominis in Romana Sede ſedentis prodiret in lucem. In qua re non imus inficias, affectum nos aliquem ſanctum & pium traxiſſe. Quis enim eſt, qui ſuę Urbis pręconia, ſuę patrię laudes, ſui generis virtutes non libenter vulgari provocet, cum id poſſit, & rite, & honeſte facere? Excellentia facta, & illuſtres virtute homines, in omni genere, & in omni parte orbis nemo eſt, qui non cupide videat, libenter tamen, & majori cum jucunditate, ſua in patria, & in ſua gente. Et ſi Nos quidem Beatę Catharinę ſublimes dotes, nobile ingenium, divinam mentem, ſacratiſſimam voluntatem in omni natione quam lętiſſimi vidiſſemus, lętiores tamen in urbe Senenſi, quę Nos genuit. Siquidem meritorum ejus longe magis, & magis peculiariter participes eſſe confidimus, quam ſi Virgo hęc aut in Africa, aut in Scythia, ſive in India nata fuiſſet. Neque enim fieri poteſt quin Sanctorum propinquitas aliquid habeat prerogativę, nihil tamen ob hanc cauſam, plus, minuſve dicere licet, quam verum eſt, nec propter cognationem, aut patrię caritatem, inter Sanctos quiſquam ſine meritis, ſine ſolito examine, ſine conſuetis ſolemnibus, referendus eſt. Quapropter etſi jucunde audivimus, Beatam Catharinam Senenſem eſſe, cujus Canonizatio petebatur, non tamen in ejus Canonizatione quidquam omiſimus ex his, quę in tanta ſolemnitate requiruntur. Aderant multę preces non modo Senenſis populi, verum etiam aliorum, necnon & cariſſimus in Chriſto filius Fridericus (22) Romanorum Imperator Auguſtus, ſimulque dilectus filius Nobilis vir Paſchalis (23) Venetianorum Dux, Nobis ſupplicavit, ne hanc Virginem ſuo in terris honore privatam ulterius eſſe ſineremus, in quam multorum populorum de-

S. Bernardini Senenſis laudes celebrat.

Laus S. Catharinæ.

Tres alii Summi Pontifices eam albo Sanctorum aſcribere meditantur.

Urgent Principes, ut aſcribatur Sanctorum numero.

devotio eſſet incenſa, & multa de ipſa miracula vulgarentur. Mantuam (24) vero petentes eum inter eundum apud Senenſes aliquandiu ſuperſediſſemus, & in Conſiſtorio publico ingentia ejus merita, & miraculoſa ſigna Nobis eſſent expoſita, cumulatiſſimęque preces porrectę, ut Sanctorum Chriſti honores illi decerneremus, haud quaquam ſtatim annuimus; ſed pro veteri conſuetudine tribus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus (25) uni Epiſcopo, alteri Presbytero, reliquo Diacono vivę vocis oraculo commiſimus, ut debitis habitis proceſſibus de vita, & moribus ipſius Catharinę, deque miraculis ejus, ſive in vita, ſive poſt mortem patratis, & de reliquis ad canonizationem neceſſariis, diligenter inquirerent, Nobiſque in ſecreto Conſiſtorio, ut moris eſt, fidelem relationem facerent. Commiſſarii per annum, & ultra donec Mantua Romam rediiſſemus (26), rem diſcutientes, inventis proceſſibus antiquis apud Venetos, & alibi habitis (27), examinatiſque de novo teſtibus, & ſumma cum diligentia cunctis ponderatis, cum ſeorſum inter Cardinales tantum, omnium quę invenerant veracem Nobis relationem feciſſent, ac deinde per Advocatum, ea, quę Nobis expoſuerant, in publico Conſiſtorio denuo recitari curaſſent, poſtremo convocatis in aula noſtra Romę univerſis, qui tunc erant in Curia Eccleſiarum Pręſulibus, aſſiſtentibus Nobis Cardinalibus, iterum commiſſarii pręfati per organum Venerabilis Fratris noſtri Vilhelmi (28) Epiſcopi Portuenſis natione Gallici, qui primus eorum erat, rurſus cuncta quę invenerant, & rite probata videbantur, coram explicaverunt. Ex quorum relatione, quę ampliſſima fuit, hęc ſummatim accepimus, quę vera, comperta, cognita, & explorata ſunt. Virgo Catharina ex Civitate Senenſi oriunda, mediocribus orta Parentibus (29), prius Deo ſe dedicavit, quam eum poſſet per ętatem cognoſcere (30). Sex annos nata, ut Domino ſerviret Eremum concupivit. Et urbe egreſſa in caverna quadam, loco ſolitario delituit, quamvis jubente ſpiritu paululum demorata domum redierit. Angelicam ſalutationem edocta quoties paternę domus ſcalam aſcendit, toties per ſingulos gradus, flexo geniculo, Beatiſſimam Virginem Matrem Domini ſalutavit. Et anno major (31) Virginitatem ſuam conſecravit Chriſto, quem ſua majeſtate ſedentem mirabili viſione contemplata eſt, & arcana cęleſtis aulę vidit, quę non poteſt effari lingua mortalis. Mundanas delicias a ſe omnes abdicavit. Orationi totam ſe dedit. Corpuſculum ſuum jejuniis, ac verberibus afflixit. Coęquales puellas, ut idem facerent & docuit, & perſuaſit. Pubes effecta ſciſſis crinibus mortale conjugium recuſavit. Convitia, & maledicta hominum ſprevit. Beati Dominici habitum, quem fęminę geſtant de Pęnitentia nuncupatę, extorſit potius quam impetravit (32). Ancillare officium in paterna domo exercuit, nihil magis cupiens, quam vilis apud homines, & abjecta videri. Pauperibus Chriſti, nam id pater ſibi indulſerat, larga manu ſubvenit. Ægrotantibus ſumma diligentia miniſtravit. Diabolicas tentationes, & aſſiduas malignantium ſpirituum pugnas, patientię clypeo, & fidei galea ſuperavit. Incarceratos, & oppreſſos, quibus valuit modis, conſolata eſt. Nullum ab ea verbum non religioſum, non ſanctum, excidit. Omnis ſermo ejus de moribus fuit, & de Religione, de pietate, de contemptu mundi, & amore Dei, & proximi, de cęleſti patria. Nemo ad eandem acceſſit, qui non doctior, meliorque abierit. Doctrina ejus infuſa (33) non acquiſita fuit. Prius Magiſtra viſa eſt, quam diſcipula, quippe quę ſacrarum literarum profeſſoribus, ipſiſque magnarum Eccleſiarum Epiſcopis difficillimas de divinitate quęſtiones proponentibus, prudentiſſime reſpondit (34), & adeo ſatisfecit, ut tanquam agnos manſuefactos remiſerit, quos tanquam lupos, & leones ferocientes acceperat. Quorum nonnulli divinam in Virgine ſapientiam admirati, diſtributis mox inter Chriſti pauperes, quas poſſidebant, ſubſtantiis, accepta Domini cruce, vitam deinde angelicam egerunt. Summa hujus Virginis abſtinentia (35) fuit, & mirabilis vitę auſteritas. Nam cum vini, & carnium uſum prorſus abjeciſſet, neque pulmentariis ullis uteretur, ad extremum eó deducta eſt, ut nec legumina ederet, nec pane veſceretur, niſi cęleſti, quem verus Chriſtianus in Sacramento ſumit altaris. Inventa eſt aliquando a die cinerum uſque ad Aſcenſionem Domini jejunium perduxiſſe, ſola Euchariſtię communione contenta. Per annos circiter octo minimo herbarum ſucco, eoque parum retento, & communione ſacra, ſuſtentata eſt. Ad cibum quaſi ad ſupplicium pergebat. Ad communionem Altaris, quę illi fere quotidiana fuit, quaſi ad cęleſtes nuptias invitata eſſet, ſumma cum alacritate proficiſcebatur. Cilicio ſub veſte utebatur, quo carnem macerabat. Nullę illi plumę, nulla pulvinaria erant. Lectum ſibi ex aſſeribus confecerat, atque in ea jacens, breviſſimum ſomnum accipiebat. Raro enim ultra duas horas inter diu, noctuque dormiebat. Reliquum omne tempus vigilando, orando, prędicando, opera miſericordię agendo, contrivit. Spinoſis cordulis carnem ſuam maceravit, dolore capitis pene aſſiduo torquebatur, ęſtuabat febribus, nec yliorum (36) cruciatu carebat. Luctabatur quam frequentiſſime cum dęmonibus, multiſque illorum moleſtiis vexabatur. Sed aiebat cum Paulo, cum infirmor tunc fortior ſum. Nec enim in tantis laboribus deficiebat; nec caritatis opera negligebat. Aſſiliebat miſeria indigna ferentibus. Arguebat peccatores, & blandiſſimis verbis ad pęnitentiam revocabat. Pręcepta ſalutis omnibus lęta dabat (37). Quid ſectandum, quid fugiendum eſſet, alacri vultu oſtendebat. Diſſidentes ſummo ſtudio componebat. Multa extinxit odia, & mortales ſedavit inimicitias. Pro pace Florentinorum, qui cum Eccleſia diſſidebant, & interdicto ſuppoſiti erant Eccleſiaſtico Apenninum (38), & Alpes (39) tranſire, atque uſque in Avinionem ad Gregorium Undecimum Pontificem Maximum, Anteceſſorem noſtrum, proficiſci (40) non dubitavit; cui votum ſuum de petenda Urbe Roma in occulto factum, & ſoli ſibi, ac Deo notum, ſe ſe divinitus cognoviſſe, monſtravit. Fuit enim in ea ſpiritus prophetię, & multa prędixit antequam fierent, & occultiſſima revelavit. Rapiebatur ſępe a ſpiritu, & in aere ſuſpenſa divinis contemplationibus paſcebatur, adeo ex ara ſe acta, ut expuncta, percuſſaque nihil omnino ſentiret (41). Idque frequenter ſibi contingebat, cum diviniſſima reficeretur Euchariſtia. Magnum, & ſanctum erat in plebibus Catharinę nomen. Undique ad eam ęgroti, & malignis vexati ſpiritibus deducebantur, & multi curabantur. Languoribus in Chriſti nomine imperabat, & dęmones cogebat ab obſeſſis abire corporibus. Propter quas res, duobus Romanis Pontificibus Gregorio (42) cujus paulo ante meminimus, & Urbano Sexto acceptiſſima fuit,

De ipſius vita, & miraculis inquiſitionem decernit ſummus Pontifex.

Nota morem.

S. Catharinæ vitam, virtutes, & miracula ſummatim deſcribit.

Romæ moritur.

fuit, adeo ut Legationibus eorum fungeretur, multiſque, & magnis ſpiritualibus gratiis ab eis donaretur. Eadem cum vitę agonem jam peregiſſet anno ętatis ſuę tertio circiter ac trigeſimo, in Urbe Romana diem ſuum clauſit (43). De cujus animę in Cęlum aſſumptione, & glorioſa receptione ſtupendę, & admirabiles revelationes factę reperiuntur apud eas perſonas, quę Virginem dilexere. Maxime vero apud ejus confeſſorem Raymundum (44) Capuanum, Sacrę Theologię Magiſtrum, qui poſtea (45) Generalis totius Ordinis Prędicatorum pater, Magiſter, & Rector effectus eſt. Is namque cum Genuę (46) ageret, ea nocte, qua Virgo migravit, hora matutina intra dormitorium apud imaginem Matris Domini eam contemplatus eſt miro ſplendore fulgentem, & verba conſolatoris dicentem. Corpus aliquandiu (47) ſervatum, denique in Eccleſia Fratrum Prędicatorum, quę de Minervę dicitur, Romę conditum eſt (48), non ſine maxima populi devotione, ac reverentia. Cujus tactu plerique ęgroti ſalutem conſecuti ſunt, adeo ut nonnullis ſaluti fuerit ea tetigiſſe, quę ſacrata Virginis membra tetigere. Poſtea quoque Virgo ipſa jam cęlo recepta, vota ſupplicantium benigne audivit, & ut a ſponſo, & Domino ſuo, Chriſto Salvatore exaudirentur, curavit. Multi enim ex diverſis ęgritudinibus curati ſunt, qui audita beatę Catharinę glorioſiſſima fama, ejus patrocinium ſupplices petivere. Propterea Venetiis, ubi nunquam Virgo ipſa fuerat, & multis in locis, nomen ejus cum veneratione receptum eſt, & vota ei plurima fiunt. Hęc, & alia quamplurima cum Venerabilis Frater noſter Epiſcopus Portuenſis, in conventu Cardinalium, & Pręſulum expoſuiſſet, & liquido probata eſſe affirmaſſet, rogati ſingillatim omnes tum Cardinales, tum Pręſules, qui plurimi affuerunt, ſententiam dicere, cunctorum ſuffragiis Beata Virgo digna Cęlo, & aſtris, declaranda viſa eſt. Nec quiſquam fuit, qui non magnopere Canonizationem ejus faciendam probaverit.

In album ſanctorum refertur.

Quibus ad longum auditis juſſimus in Baſilica Beati Petri Apoſtolorum Principis ſuggeſtum magnum, & ornatum apparari, ſuper quo hodie (49) aſtante Populo, & Clero ſermone de vita, & miraculis hujus Virginis per Nos habito, Miſſarum ſolemnibus celebratis, & conſuetis cęremoniis rite peractis ad Canonizationem hujus Virginis ſub his verbis duximus procedendum: Ad honorem omnipotentis, & ęterni Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ad exaltationem fidei Catholicę, & Chriſtianę Religionis augmentum, auctoritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ac noſtra, Catharinam Senenſem, illuſtris, & indelebilis memorię Virginem, cujus Corpus in Eccleſia Prędicatorum, quę de Minerva nuncupatur, hic Romę jacet, & in cęleſti Jeruſalem inter Beatarum Virginum choros, quando id ſua virtus, divina ſuffragante gratia, meruit, jam pridem fuiſſe receptam, & ęternę glorię corona donatam, de Fratrum noſtrorum conſilio, declaramus, eamque tanquam Sanctam publice, privatimque colendam eſſe decernimus, & definimus, atque in Sanctarum Catalogo Virginum, quas Romana veneratur Eccleſia, redigi, & aſcribi mandamus.

Feſtum ipſius celebrandum decernit.

Statuentes feſtum ejus ſingulis annis prima menſis Maii dominica die (50), ab Univerſali Eccleſia celebrandum (51) eſſe, & omnes illi honores pręſtandos, qui ceteris Sanctis Virginibus convenire noſcuntur.

Indulgentie conceditur viſitantibus ejus ſepulcrum.

Et inſuper ſepulcrum ejus, in ipſo feſto viſitantibus ſeptem Annos, & totidem quadragenas de injunctis pęnitentiis, in forma Eccleſię, miſericorditer in perpetuum relaxamus. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Primo, Tertio Kalen. Julii (52), Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Catharinæ.*) Virginis Seraphicæ, cujus vitam plane cæleſtem, & opus Divinæ potentiæ portentiſſimum merito dixeris. Ipſius geſte perſcripſerunt Auctores varii, quos recenſet *Echard Tomo II ſcriptorum Ordinis ad an. MCCCLXXX pag.* 831 *&c.*, & 890. Adeas etiam *Odoricum Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCCLXI num. CXXIII*, *Bzovium ad eundem Annum num. XI*, & eruditos Editores *Actorum Sanctorum ad diem XXX Aprilis a pag.* 851 *ad pag.* 906.

2. *Bullario.*) In *Bullario Romano* eſt *VI*. Legitur etiam apud *Rodericum in Nova Collectione Privilegior. Apoſtolicorum pag.* 115, *Caſtellanum Parte II pag.* 94 *numero CXXXIX*, *Bzovium Annal. Eccleſiaſt. ad An. MCCCCLXI num. XI*, *Editores Actorum Sanctorum Antuerpien. ad diem XXX Aprilis*, in *Conſtitutionibus Ord. Prædicator.* typis editis an. *MDVII pag.* 57 *num. C*. Idem Diploma partim tranſcribit *Odoricus Raynaldus* loco laudato *numero CXXIV &c.*

3. *Granaten.*) Ad annum ſiquidem uſque *MCCCCXCII*, quo *Mauri* dejecti ſunt ex Regno *Granatenſi*, ibi ſummum imperium habuerunt impii *Mahomet* ſectatores. De anno quo ibidem dominari cœperunt, inter Auctores non convenit.

4. *Europa.*) Nondum enim Chriſti lex in *America* promulgata fuerat ab *Hiſpanis*, & *Gallis*. Ibi nunc fides catholica propagata. Anno *MCCCCXCII* quo *Ferdinandus* e *Granatenſi* Regno *Mauros* fugavit, *Chriſtophorus Colomb* ab eodem *Ferdinando* miſſus invenit *Americam*.

5. *Lybiam.*) Rectius *Libyam*, *Africam* ſcilicet. Nec nova denominatio, ſic enim *Africa* e *Græcis* dicta fuit, ut in confeſſo eſt apud omnes. Ab *Hebræis* etiam *Afri* vocantur *Libyci*. E *Latinis* autem laudantur *Plinius*, *Claudianus*, aliique paſſim, e quibus *Africa Libya* nominatur. Unus inſtar omnium ſit *Marcus Tullius Cicero Lib. I de Natura Deorum*, ubi hæc habet: *Avertunt peſtem ab Ægypto, cum volucres angues ex vaſtitate Libyæ, vento Africo invectas interficiunt, atque conſumunt.* Nota, quod e *Cicerone* Africa *Libya* appellatur; ventus autem *Libs*, qui *Libyæ* nomen dedit, *Africus* ab ipſo dicitur. Et Libro III *Quid*, inquit, *Oceani fervore illis in locis, Europam, Libyamque rapax ubi dividit unda &c.*

6. *Scatent.*) Nunc proh dolor Infideles, hæretici, & Schiſmatici ibidem graſſantur.

7. *Inquit.*) *Matth. VII.* 16.

8. *Aſſerit.*) *I. Johannis III.* 10.

9. *Dicente.*) *Joban. VIII.* 44.

10. *Senæ.*) Vulgo *Siena*, ejuſdem nominis agri præcipua. Biennio ante, anno ſcilicet *MCCCCLIX* Metropolis creata fuerat a *Pio II.* Bulla legitur apud *Ughellum* in *Archiep. Senen. Tomo III Italia Sacra pag.* 575 *Edit. II*.

11. *Bernardinum.*) Cujus feſtum celebratur die *XX* Maii, quo mortuus eſt. Ipſius vitam perſcripſit *S. Johannes Capiſtranus*. Conſulendi *Waddingus Annal. Minor. ad an. MCCCCL &c.*, eruditi Editores *Actorum Sanctorum ad diem XX Maii*, aliique qui Vitas Sanctorum conſcripſere, vel de Scriptoribus Eccleſiaſticis locuti ſunt. *Maſſæ* natum fuiſſe *S. Bernardinum*, produnt Auctores. *Senenſis* tamen vulgo dicitur, tum ex *Albizeſca* nobili *Senenſi* familia, e qua ortus eſt, tum quia *Senis* fuit educatus. Hinc verbum *aluit*, quod in Diplomate legitur.

12. *Aquilam Marſorum.*) In *Aprutio* ſita eſt. *Aquila Marſorum* cognominatur, ut ab aliis ejuſdem nominis diſtinguatur, ab *Aquila* ſcilicet *Ætoliæ*, & ab *Aquila Normanniæ*.

13. *Peregiſſet.*) Anno *MCCCCXLIV*, immenſis exantlatis laboribus, *S. Bernardinus* Ordinis Seraphici decus cælos petiit.

14. *Jubilei anno.*) *MCCCCL*, a morte *S. Bernardini* anno Sexto.

15. *Ante Annos Octoginta.*) Annos ſcilicet *LXXX*, & duos Menſes.

16. *Miraculis.*) Quædam refert *B. Raymundus* in *Vita S. Catharinæ* ſæpius laudata *Parte II Cap. II, III, IV, VII, VIII, IX*, ac *XI*, & *Parte III Cap. VI*. Conſulendi quoque *Bar-*

Barduccius in *Epiſtola de Morte S. Catharinæ*, *Domnus Stephanus* in *Epiſtola de Geſtis*, *ac Virtutibus* ejuſdem Sanctæ, *Nicolaus Burgenſis* apud Editores *Actorum Sanctorum pag. 971 &c.*, alii tandem qui Vitam ejuſdem *S. Catharinæ* conſcripſere.

17. *Urbanus Sextus.*) Anno *MCCCLXXVIII* Summus Pontifex renunciatus, biennio ante mortem *S. Catharinæ Senenſis*.

18. *Innocentius Septimus.*) Hac de re legendus *Bartholomæus Senenſis* in *Vita B. Stephani Macconi* apud *Editores Actorum Sanctorum pag. 970*.

19. *Gregorius Duodecimus.*) *Senis* hac de cauſa fuit interpellatus *Gregorius*, ut videre eſt apud *Bartholomæum Senenſem* loco mox laudato *pag. 970*, & *971*, ubi refert ejuſdem *Gregorii* Conſtitutionem, cujus hic tenor eſt.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Stephano de Senis, Priori Generali Carthuſienſis Ordinis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ATtendentes Civitatis Senarum, in qua nunc commoramur, & devotionis affectum, & conſtantiam, quam erga Sanctam Romanam Sedem exhibet, libenter preces admiſimus, quas honeſti aliquot Cives, & nobiles viri nobis porrexerunt; humiliter poſtulantes, totius Civitatis nomine, ut de benignitate Apoſtolica concederemus facultatem tractandi, & in Conſiſtorio Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium promovendi Canonizationem Beatæ quondam Virginis Catharinæ, ex hac Civitate oriundæ, in cujus te diſciplina novimus in Domino olim educatum: & libentiori animo cupimus, quantum cum Domino poterimus, huic populo in tam laudabili petitione gratificari, tum ad Divinam gloriam in Sanctis ejus amplificandam, tum etiam quia in minoribus conſtituti, ejuſdem Virginis Sanctam converſationem a Summis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, Gregorio XI, & Urbano VI probari percepimus, noſque pariter ejus notitiam habemus. Sed tali opere inchoando, & proſequendo ſolito Eccleſiæ ritu, te duximus inter alios nobis adeſſe, qui inſtar multorum huic tam Sancto negotio prodeſſe poteris. Nos ergo motu proprio, & nonnullorum etiam civium permoti precibus, tibi mandamus, ut quamprimum ad nos te conferas, noſque convenias ubicunque fuerimus. Te enim, fili, videre, & alloqui cupimus, quem plurimum in Domino amamus, cum tota familia Carthuſiana tuo regimini commiſſa, tanquam tutrice, & non oppugnatrice hujus Apoſtolicæ Sedis. Vale, & Veni. Datum Senis VII Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

20. *Notitiam.*) *Urbano* ſiquidem *VI* Seraphicam Virginem *S. Catharinam* acceptiſſimam fuiſſe, conſtat. Illius enim Summi Pontificis legationibus fungebatur, ut dictum fuit in *Appendicibus ad Pontificatus Gregorii Undecimi, & Urbani VI*. Cum autem, ſedente *Urbano VI*, *Innocentius VII*, & *Gregorius XII*, tunc in minoribus conſtituti floruerint, liquet profecto, quod ejuſdem Virginis converſatio plane cæleſtis ipſis eſſe nota potuerit.

21. *Viguit.*) Ad annum uſque *MCCCCXVII*, quo electus fuit *Martinus V* die *XI* Novembris.

22. *Fridericus.*) Cognomento *Pacificus*.

23. *Paſchalis.*) Vide *Notam XXVII*.

24. *Mantuam.*) Anno *MCCCCLIX*, die circiter *XXII Januarii Roma* diſceſſit *Pius II*, ut *Mantuam* peteret.

25. *Cardinalibus.*) *Vilhelmo* ſcilicet, de quo mox dicetur, aliiſque duobus. Hic autem mos antiquus notandus eſt.

26. *Rediiſſemus.*) Anno *MCCCCLX* Nonis Octobris. Hinc autem liquet Cardinales delegatos *per annum*, *& ultra rem diſcutere potuiſſe*.

27. *Habitis.*) In Bibliotheca *Caſanatenſi* habetur Exemplar Authenticum *Proceſſus Originalis*, exiſtentis in Cœnobio S. Dominici Senarum, quemadmodum ad calcem dicitur pag. 529, *quorundam dictorum, & atteſtationum ſuper celebritate memoriæ, ac Virtutibus, Vita, & Doctrina B. Catharinæ de Senis, publice productorum in Curia Epiſcopali Caſtellana in Venetiis in diverſis temporibus a 24 Maii 1411*, ad an. 1416. Eſt inter Codices Mſſ. in fol. Num. 202.

Num. 203, Ms. Codex in fol. – *Ragguaglio della ſpedizione del Signor Lorenzo Petrucci Gentiluomo Saneſe fatta da Siena a Roma nel 1629, per ottenere da Papa Urbano VIII la dichiarazione intorno alle Stimmate di S. Cattarina da Siena, dove ſi trovano molte ſcritture di ragione, e di fatto in tal propoſito &c. Scrittura tratta fedelmente dall' Originale a penna, ſcritto dallo ſteſſo Signor Lorenzo, che ſi conſerva in Siena nell' Archivio della Confraternità di S. Cattarina da Siena in Fontebranda*. Hoc quoque eſt Exemplar authenticum.

Num. 201 Mſ. in fol. Exemplar authenticum libelli *de ſupplemento legendæ prolixæ Virginis B. Catharinæ de Senis diſtincti in tres partes &c.* Auctore B. Thoma Caffarino, cui adeſt inſcriptio.

Supplemento alla leggenda di S. Cattarina da Siena ſcritta dal B. Raimondo da Capua Confeſſore di lei, compilato dal B. Tomaſo Caffarini, altro ſuo Confeſſore, ed uno de diſcepoli della medeſima, in cui ſi contano varii fatti, e detti della Beata, che dal *Beato Raimondo* non furono ſcritti. Copia dall'antico teſto a mano, che trovaſi nell' Archivio di S. Domenico di Siena.

Codex 200 in fol. continet Epiſtolas omnes originales, quæ circa Opera S. Catharinæ Senen. ab eruditis quibuſcunque, necnon a præcipuis *Italiæ* Academiis recepit clariſs. Hieronymus Gigli Senen., qui eorum operum editionem curavit, Præfationibus adornavit &c.

28. *Vilhelmi.*) Seu *Guillelmi de Eſtouteville*, natione *Galli*, vulgo *Rotomagenſis* nuncupati. Ipſius meminit *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCCXXXI pag. 913*.

29. *Parentibus.*) *Jacobo* ſcilicet *Benencaſa*, & *Lapa*, quam *Piagentis* cognomento fuiſſe, docent *Frigerius*, aliique recentiores. Anno *MCCCXLVII* natam eſſe *S. Catharinam* ſcribit *F. Thomas Antonii* in ipſius *Vita*.

30. *Cognoſcere.*) Conſulendus *B. Raymundus* in *Vita S. Catharinæ Parte I Cap. II* apud *Editores Actorum Sanctorum ad diem XXX Aprilis pag. 860*.

31. *Major.*) Anno ſcilicet ætatis *VII*, ut refert *B. Raymundus* loco mox laudato *pag. 862*.

32. *Impetravit.*) Adeas *B. Raymundum* mox laudatum a *pagina 866 ad 873*, ubi, quam gravate, ut Ordini Sororum de *Pœnitentia* nomen daret, *S. Catharinæ* mater ipſi conceſſerit, deſcribit.

33. *Infuſa.*) Audiendus hic *Domnus Stephanus* in *Epiſtola de Geſtis, & Virtutibus S. Catharinæ Cap. IV* apud Editores Actorum SS. pag. 966. *Habebat*, inquit, *iſta ſacratiſſima Virgo tantam ſapientiam animæ ſuæ divinitus infuſam, quod omnes audientes eam in ſtuporem vertebantur. Omnem Sacram paginam ita lucidiſſime declarabat, & interpretabatur, ut omnes quantumcunque docti, ſive Magiſtri, velut attoniti mirarentur: & quod etiam apparebat valde mirabile, humana ſcientia in ejus conſpectu ita deficiebat, quemadmodum nix, vel glacies in aſpectu Solis ardentiſſimi liqueſieri ſolet. Plures fecit efficaciſſimos, & admirando ſtylo ſermones in præſentia D. Gregorii Papæ XI, & poſtea D. Urbani Papæ VI, atque Dominorum Cardinalium, dicentium unanimiter admiratione multa ſuſpenſi: Nunquam ſic locutus eſt homo, & abſque dubio iſta non eſt mulier, quæ loquitur, immo Spiritus Sanctus, ut apertiſſime comprobatur*. Hæc ille teſtis oculatus.

34. *Reſpondit.*) Conſulendus *Stephanus* loco mox laudato.

35. *Abſtinentia.*) De qua loquitur *B. Raymundus Cap. VI*, ubi refert, quod ab infantia *S. Catharina* raro carnes edebat, ipſaſque ſibi poſtea interdixit. Quindennis omni vino, vicennis etiam pane ſe ſe abſtinuit, & tandem ſine cibo, ac potu victitabat.

36. *Iliorum.*) Rectius *Ileorum*, ex Græco Εἰλεός. Editores tamen *Actorum Sanctorum* legunt: *Nec aliorum diverſorum morborum cruciatu carebat*. Sic etiam ſcripſere plures alii, quibus fortaſſis ignota paſſio *iliaca*. Hoc nomine vocant Medici dolorem acerbiſſimum gracilioris inteſtini, quod *Ileum* nuncupant. Accedunt dolori graviſſima ſymptomata, a quibus inteſtinorum motus periſtalticus invertitur. Hujus ſolutionis cauſa fertur motus ſanguinis impeditus.

37. *Dabat.*) Hinc *Gregorius XI* conceſſerat *S. Catharinæ*, ut

Digitized by Google

ut Fratres, qui peccatorum ad ipſam confugientium confeſſiones exciperent, delegare poſſet. Vide *Conſtitutionem XLIII* ejuſdem *Gregorii XI Tomo II pag.* 292.

38. *Apenninum.*) Vulgo *l' Apennino*. Mons eſt *Italiæ*, qui illam mediam in longum dividit. Incipit a *Genua*, & uſque ad extremos *Salentinos*, & *Brutios* extenditur.

39. *Alpes.*) Montes *Italiam* ſeparantes a *Gallia*, & a *Germania*.

40. *Proficiſci.*) Anno *MCCCLXXVI*. Hoc enim anno menſe Junio *S. Catharina* erat *Avenione*, ut ex ejuſdem Sanctæ Epiſtolis conſtat.

41. *Sentiret*,) Legendus *Domnus Stephanus* in *Epiſtola* ſupra laudata *Cap. II pag.* 963 *&c.*

42. *Gregorio.*) *XI*.

43. *Clauſit.*) *XXIX* Aprilis *MCCCLXXX*.

44. *Raymundum.*) Beatum, ex patria *Capuanum*, ex familia *de Vineis* noncupatum. Ipſius meminerunt ſcriptores, quos laudat, & excipit *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCLXXX pag.* 679 *&c.* De *B. Raymundo* ſæpe diximus *Tomo II*.

45. *Poſtea.*) In Comitiis nempe Generalibus *Bononiæ* coactis anno *MCCCLXXX*, eodem ſcilicet anno, quo Virgo Seraphica vita ceſſit. *Poſtea* tamen dicitur, quia *S. Catharina* cælos petiit exeunte Aprili, Beatus vero *Raymundus* Generalis renunciatus eſt die *XII* Maii, vigilia Pentecoſtes. Hoc anno ſiquidem Paſcha fuit *XXV* Martii.

46. *Genua.*) Quo retroceſſerat monitus de inſidiis ſibi ſtructis in itinere dum *Gallias* peteret, Legatus a Summo Pontifice miſſus.

47. *Aliquandiu.*) A die ſcilicet Dominica, qua obiit hora circiter ſexta, ad diem Martis, & horam Completorii, uti refert *Barduccius* teſtis oculatus in *Epiſtola* ſupra laudata. Suffragatur *Bartholomæus Senenſis* in Vita B. *Stephani Macconi* apud Editores *Actorum Sanctorum pag.* 962.

48. *Conditum eſt.*) Aſſervatur in ejuſdem Sanctæ ſepulcro, quod extat *Romæ* in Templi *Minervitani* Sacello Sanctiſſimi Roſarii, aræ præcipuæ proximo ad Cornu Epiſtolæ. De variis hujus Sacri Corporis tranſlationibus conſulendi ſæpius laudati Editores *Actorum Sanctorum pag.* 974.

49. *Hodie.*) Die ſcilicet *XXIX* Junii. Sermonis autem, cujus hic loquitur Summus Pontifex, meminerunt *Editores Actorum Sanctorum pag.* 977. Extant illius Sacræ Concionis exempla varia, de quibus *Echard pag.* 815 *col. II*.

50. *Dominica die.*) Juſſu *Urbani VIII* Feſtum *S. Catharinæ* nunc celebratur die *XXX* Aprilis. Quod autem ageretur olim Prima Dominica Maii conſtat ex Actis Generalis Capituli an. *MCCCCLXVIII*, ubi ſic legitur. *Volumus quod in Martyrologiis noſtri Ordinis Pridie Kalendas Maii Natalis Beatæ Catharinæ de Senis inſeratur hoc modo. Romæ Sanctæ Catharinæ Virginis. Hæc de Civitate Senarum Provinciæ Hetruriæ oriunda, ſeptimo ætatis ſuæ anno virginitatem Deo dicavit. Poſtea in adoleſcentia ſanctæ converſationis habitum de Pœnitentia Beati Dominici aſſumpſit. Quæ crebris revelationibus, & apparitionibus a Domino Jeſu Chriſto ſibi factis, & ab ipſo viſibiliter annulo deſponſata, doloreumque Chriſti, & vulnerum particeps effecta, vitam ab omni mortali crimine duxit immunem. Tandem multis clarens miraculis, multarum etiam Epiſtolarum, & librorum doctrina præfulgens, Diaboliquæ plurima tentamenta, ac verbera ſuperans, anno ætatis ſuæ XXXIII, tertio Kalendas Maii obiit, & in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſuper Minervam eſt ſepulta. Dominus autem Pius Papa II, qui eam Sanctorum catalogo aſcripſit, mandavit, feſtum ejus prima Dominica Maii perpetuis temporibus celebrari. Totum Duplex.*

51. *Celebrandum.*) Sub ritu Officii *Duplicis* juſſu *Clementis X* ab omnibus extraneis nunc celebratur, antea vero ſub ritu officii *ſemiduplicis* abſolvebatur. In Ordine Prædicatorum ſub ritu *Totius Duplicis* ſemper fuit. Sic enim legitur in Actis Capituli Generalis *Senis* in *Hetruria* coacti anno *MCCCCLXII* die *XV* Menſis Auguſti. *De Feſto S. Catharinæ Virginis de Senis fiat Feſtum Totum Duplex, quod in prima Dominica Menſis Maii celebrari oportere inſtitutum eſt.* Officii vero, quod in Ordine noſtro decantatur, auctor eſt ipſe *Pius II*.

52. *Julii.*) Nonnulli ſcribunt *Maii*, mendoſe tamen, ita Regeſto ſiquidem *Pii II Lib. XVI pag.* 80, uti monet *Odoricus Raynaldus* legitur *Julii*.

Anno 1461
Die 31 Julii.

De reformando Regienſi (1) Cœnobio.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXVII.

Dilecto filio Vicario Generali Fratrum Obſervantiæ Regularis S. Dominici.

PIUS PP. II

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Mittimus tibi ſupplicationem, qua Mutinenſis Dux, & Regienſis Communitas petierunt reformari Conventum S. Dominici, preſentibus introcluſam, manu venerabilis Fratris noſtri C.... Agapiti (3) Epiſcopi Anconitan. in preſentia noſtra ſignatam, volumuſque, & tibi committimus, & mandamus, ut ad executionem contentorum in ea procedas juxta ejus ſeriem & tenorem, ac juxta ſignaturam predictam. Datum (4) Tibure, ſub Annulo Piſcatoria die ultima Julii, Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Primo, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Regienſi.*) Vulgo *Reggio*, in *Italia*, inter *Parmam*, & *Mutinam*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Regienſi*.

3. *C.... Agapiti.*) *Agapiti Cencii*, e nobili gente *Ruſtica* oriundi. De quo conſulendus *Ughellus* in *Epiſcop. Anconitan. Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 338 *Edit. II*.

4. *Datum.*) Huc etiam referenda ſequens Epiſtola, hac de re ſcripta eidem Vicario generali

Venerande Pater Amice noſter cariſſime Salutem. Vidimus Breve Sanctiſſimi D. N. directum P. V. per quod illi mandatur, ut omnino reformet Conventum Ordinis veſtri in Civitate Regii, & id precibus, & Inſtantia Illuſtriſſimi Ducis Mutinæ, cui rem hanc cordi eſſe intelligimus. Quare eandem P. V. his noſtris literis exhortamur, & illi quantum Nobis licet injungimus, atque mandamus, ut Sanctiſſimi D. N. voluntatem hac in re diligenter exequatur, & Conventum ipſum in melius reformet juxta prefati Brevis tenorem, advertatque ſuper omnia, & curet, quo poſſit diligentius, ut res hæc ſine ſcandalo peragatur, quod tamen futurum confidimus freti prudentia P. V. accedente preſertim favore R. P. D. Epiſcopi, ac magnificorum Regiminum prædictæ Civitatis Regii, ad quos ſcripſimus, ut vobis circa rem hanc ſtudioſe faveant, ac auxilium preſtent; Et ita fore rem non dubitamus. Vos modo ita facite ut pro vobis non reſtet, quo minus mandata Sanctiſſimi D N. expleantur, facietiſque quod vos decet, & rem nobis apprime gratam. Ex Bononia die 26 Octobris.

S. Crucis in Jeruſalem A. Cardinalis Reatinus Bononiæ legatus.

Vica-

Digitized by Google

Vicarius Generalis Congregationis Lombardiæ curam habeat Cœnobii Aquilanen. (1).

Anno 1461 Die 13 Octobris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

XXXVIII.

Exordium. Diplomatis cauſa. Mandatum.

DIſpoſitione Divina gregi dominico, licet immeriti, pręſidentes, honeſtis petentium votis, illis pręſertim, per quę ſacrę Religionis cultus votivis exuberare poteſt incrementis, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Sane pro parte dilectorum filiorum Camerarii, & quinque Artium populi civitatis Aquilan. Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ipſi ob ſingularem, quem ad Congregationem Ordinis Fratrum Pręd icatorum de Obſervantia Provincię Lombardię, gerunt devotionis affectum, & ex certis aliis rationabilibus ſuadentibus cauſis, ad id animos eorum inducentibus, Domum S. Dominici Aquilanen. dicti Ordinis, quę nuper juxta morem, & obſervantiam domorum, ſeu Conventuum ejuſdem Ordinis Provincię Tuſcię reformata extitit, curę & regimini Vicarii Provincię Lombardię pręfatę ſubiici deſiderant. Quare pro parte Camerarii, & populi prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut domum S. Dominici Aquilanen hujuſmodi curę, & regimini Vicarii pręfati ſubiicere, ac alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, qui Sacrę Religionis propagationem intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, domum Sancti Dominici Aquilan. pręfatam, necnon Fratres in ea pro tempore degentes, curę, & regimini moderni, & pro tempore exiſtentis Vicarii Congregationis Provincię Lombardię hujuſmodi auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, harum ſerie, ſubiicimus, ac ſubjectos deinceps fore ſtatuimus, decernimus, atque declaramus; mandantes nihilominus eidem Vicario in virtute Sanctę Obedientię, & ſub excommunicationis pęna; quam ſi contrafeceris ipſo facto incurrat, prout antea ſibi per alias noſtras in forma Brevis literas, quas pręſentibus haberi volumus pro expreſſis, dedimus in mandatis, quatenus domum Aquilanen prędictam ſub cura, & regimine ſuis hujuſmodi acceptans, & apprehendens, illam ejuſque Fratres prędictos, more aliarum domorum, ſeu aliorum Conventuum Ordinis, & Provincię Lombardię prędictorum de cetero regat, & gubernet, necnon juxta & ſecundum morem, & obſervantiam dictę Congregationis, quoties opus fuerit, reformet, ſeu regi, gubernari, & reformari faciat, & procuret. Volumus autem, quod domus Aquilanen., illiuſque Fratres hujuſmodi omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, indulgentiis, & gratiis, per nos & Sedem Apoſtolicam locis, domibus, ſive Conventibus, & Fratribus dictę Congregationis quomodolibet conceſſis, & in poſterum forſitan concedendis, in omnibus, & per omnia uti valeant, pariter, & gaudere. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Congregationis domorum, ſive Conventuum & Ordinis prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſubjectionis, ſtatuti, conſtitutionis, declarationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Primo, Tertio Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Clauſula derogans.

1. *Aquilanen.*) Vulgo l'*Aquila*, in *Veſtinis*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononienſi* *pag.* 14, ex authentico *Bononiæ* aſſervato.

F. Johannes Comes (1) confirmatur Inquiſitor Barchinonen.

Anno 1461 Die 13 Octobris.

Ex Archivo (2) *Ordinis Lib.B. fol.*707.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Barchinonen. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XXXIX.

Exordium. Diplomatis cauſa.

REligionis zelus, literarum ſcientia, vitę, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos dilectus filius Johannes Comes, Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac Theologię profeſſor, fide digno commendatur teſtimonio, Nos inducunt, ut ipſum Apoſtolicis favoribus, & gratiis proſequamur. Dudum ſiquidem pro parte dicti Johannis Nobis expoſito, quod olim dilectus filius Martialis Auribelli, tunc Magiſter Generalis dicti Ordinis, ad requiſitionem cariſſimi in Chriſto filii noſtri Johannis Regis Aragonum Illuſtris, ipſum Johannem Comes in Civitate, & Dięceſi Barchinonen. vigore certę facultatis ſibi ab Apoſtolica Sede conceſſę, Inquiſitorem *hęreticę* pravitatis cum omnibus juriſdictionibus, privilegiis, facultatibus, & gratiis, aliis Inquiſitoribus concedi ſolitis, conſtituerat, ac etiam ordinaverat, necnon Civitatem, & Dięceſim prędictas a juriſdictione, & poteſtate Inquiſitoris Majoris Catalonię ſeparaverat, & ſeparatas eſſe voluerat, ac, ſi in civitate & dięceſi pręfatis aliquis in Vicarium ejuſdem Inquiſitoris Catalonię fuiſſet inſtitutus, illum ab onere prędicto abſolverat, & abſolutum fore denuntiaverat, Nos conſtitutionem, ordinationem, & deputationem hujuſmodi, necnon literas ejuſdem Generalis ſuper pręmiſſis confectas, ac omnia, & ſingula in illis contenta, rata habentes, & grata, illa auctoritate Apoſtolica confirmavimus (3), ac noſtri ſcripti patrocinio communivimus, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui for-

forſan interveniſſent in eiſdem, per quaſdam primo, & deinde dilectis filiis Decano, & Majoris, ac Beatę Marię de Mari Eccleſiarum Barchinonen. Archidiaconis, per alias noſtras literas dedimus in mandatis, ut ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios literas noſtras prędictas, ac omnia, & ſingula in illis contenta, ubi, & quando expedire viderint, auctoritate noſtra ſolemniter publicantes, eundem Johannem Comes ad officium Inquiſitionis in civitate, & dięceſi hujuſmodi, auctoritate noſtra, admitterent, & admitti facerent, ut moris erat, non permittentes, eum per aliquem, ſeu aliquos, contra earundem literarum noſtrarum tenorem, atque formam, moleſtari, inquietari, ſeu quomodolibet perturbari, prout in dictis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dicti Johannis Comes, petitio continebat, Nos per alias noſtras literas in forma Brevis ad nonnullorum ipſius Johannis Comes ęmulorum, qui eum capitali odio perſequuntur, inſtantiam, eidem Generali Magiſtro dederimus in mandatis, ut eundem Johannem Comes ab officio Inquiſitionis hujuſmodi, ac illius exercitio revocaret, & amoveret, aſſerentes Inquiſitionem Regni Aragonum, & totius Principatus Catalonię per unum tantum Inquiſitorem regi, & exerceri conſueviſſe, &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, eędem literę in forma Brevis per falſi ſuggeſtionem a Nobis extortę fuerunt, pro eo quod in Catalonia unus, & in Aragonia alius, Inquiſitores heretice pravitatis fuerint temporibus retroactis, & etiam quia jam quindecim anni, vel circa effluxi ſunt, quod felicis recordationis Nicolaus Papa Quintus Prędeceſſor noſter, Inquiſitionem Civitatis, & Dięceſis earundem a Generali Inquiſitore Catalonię ſeeregavit, atque diviſit, necnon eam quondam Jacobo de Sancto Johanne (4) ejuſdem Ordinis profeſſori Apoſtolica auctoritate commiſit. Quare pro parte dicti Johannis Comes Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut literas noſtras in forma Brevis eidem Magiſtro directas caſſare, revocare, & annullare, necnon conſtitutionem, ordinationem, & deputationem de ipſo Johanne Comes, ut pręmittitur, factas, approbare & confirmare, ac pro potioris cautelę ſuffragio ipſum Johannem Comes ad hujuſmodi Inquiſitionis officium, ejuſque liberum exercitium in civitate, & dięceſi prędictis cum honoribus, oneribus, privilegiis, libertatibus, exemptionibus, prerogativis, gratiis & emolumentis conſuetis de novo quoad vixerit deputare, conſtituere, & ordinare, atque alias ſuper his ſibi opportune providere, de benignitate Apoſtolica, dignaremur. Nos itaque, volentes eundem Johannem Comes pro quo, dilecto Conſiliario, & Confeſſore ſuo, dilectus filius Nobilis Dominus Carolus (5) prefati Regis primogenitus Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicavit, pręmiſſorum intuitu, gratioſo favore proſequi, atque ipſum Johannem Comes a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine quavis occaſione prolatis, ſi quibus forſitan innodatus exiſtit, ad hoc, ut pręſentium duntaxat conſequatur effectum,

Confirmatio. auctoritate Apoſtolica harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę, de qua in his, & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam tibi conſtiterit de pręmiſſis, literas noſtras in forma Brevis hujuſmodi, auctoritate noſtra revoces, caſſes, & annulles, ac Conſtitutionem, ordinationem, & deputationem hujuſmodi dicta auctoritate viribus ſubſiſtere, decernas, & nihilominus de novo, quatenus opus fuerit, eundem Johannem Comes ad hujuſmodi Inquiſitionis officium in civitate, & dięceſi prefatis cum honoribus, oneribus, privilegiis, libertatibus, exemptionibus, prerogativis, gratiis, & emolumentis conſuetis, uſque ad Sedis Apoſtolicę beneplacitum de novo conſtituere, deputare, & ordinare, ipſumque ad hujuſmodi officium, ejuſque liberum exercitium, honores quoque, onera, & emolumenta prędicta admittere, & admitti facere, auctoritate noſtra procures, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus eiſdem literis noſtris Magiſtro prefato directis, ac aliis pręmiſſis, ceteriſque contrariis quibuſcunque: aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Secundo (6), Tertio Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Comes.*) Vide *Notas ad Conſtitutionem XIX datam* *3 Octobris MCCCCLIX.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum. Autographum aſſervatur in *Barchinonenſi* Cœnobio *S. Catharinę.*

3. *Confirmavimus.*) Diplomate mox laudato.

4. *Jacobo de Sancto Johanne.*) Conventus *Barchinonenſis* alumno, cujus meminit *Diago Hiſtor. Provin. Aragonia Libro I Cap. XXXVIII pag. 67.*

5. *Carolus.*) Princeps *Vianenſis* vulgo dictus. Ex hoc autem Diplomate emendandi Scriptores, qui *Carolum* hoc anno *MCCCCLXI* die *XXIII* Septembris obiiſſe docent.

6. *Sexageſimo Secundo.*) Legendum *Sexageſimo Primo.* Cum enim *Pius II* electus fuerit *XIX* Auguſti & Coronatus *III* Septembris *MCCCCLVIII*, liquet profecto quod Pontificatus ipſius Annus *Quartus* die *XIII* Octobris fuit Annus Chriſti *MCCCCLXI*, non vero *MCCCCLXII.*

Pi

Pitillianenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1462 Die 31 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo Groſſetan. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XL.

Supplex petitio.

SIncerę devotionis affectus, quem dilectus filius nobilis vir Ildobrandinus Comes Pitilliani ad Nos & Roman. gerit &c. (4). Sane pro parte dicti Ildobrandini Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod cum in loco Pitilliani, Suanen.(5)Diœceſis, ſuo Dominio temporali ſubjecto nulla domus Ord. Fratrum Prędicatorum exiſtat, ipſe Comes pro devotione, quam ad ipſum Ordinem gerit, valde cupit prope dictum locum unam domum ſub vocabulo S. Vincentii pro uſu, & habitatione aliquorum Fratrum dicti Ordinis ſuis ſumptibus conſtruere, & ędificare, & libris, ac aliis ornamentis eccleſiaſticis, necnon bonis mobilibus ornare, ac ei certa immobilia bona pro fabrica, & Fratrum prędictorum ſuſtentatione, in eleemoſynam pie relinquere, & donare, & cum Capella ruralis Sanctę Marię Magdalenę extra dictum locum, quę ſine cura eſt, & redditibus, ac Rectore caret, locus ad id valde aptus, & accommodus exiſt, pro parte dicti Comitis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi Capellam cum campanili, amplificandi, & reędificandi, ac juxta illam domum unam cum clauſtro, horto, hortalitiis, aliiſque neceſſariis officinis conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, necnon dilecto filio Franciſco de Lequilis de Litio (6), dicti Ordinis profeſſori domum ipſam, poſtquam conſtructa, & ędificata fuerit, vice, & nomine dilecti filii Generalis Magiſtri, ac Fratrum dicti Ordinis recipiendi, licentiam concedere, aliaſque ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, pręfati Comitis pium propoſitum plurimum in Domino commendantes, de pręmiſſis tamen certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, & ad id venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Suanen. expreſſus conſenſus acceſſerit, pręfato Comiti Capellam ampliandi, & domum hujuſmodi cum humili campanili, campana, clauſtro, horto, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtruendi, & ędificandi, aut conſtrui, & ędificari faciendi, necnon eidem Franciſco domum ipſam cum hujuſmodi libris, ornamentis, & aliis bonis, ut pręfertur, pro eodem Ordine recipiendi, ac in eam donec per ipſum Magiſtrum Generalem deſuper opportune proviſum fuerit, aliquos dicti Ord. Fratres de licentia Superiorum ſuorum introducendi, ipſis Fratribus illam perpetuo retinendi, & inhabitandi, auctoritate noſtra licentiam largiaris. Nos enim eiſdem Fratribus, qui in dicta domo pro tempore moram trahent, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, indultis &c. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. Octavi, Prędeceſſoris noſtri prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium &c., aliiſque conſtitutionibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque &c. jure Parochialis Eccleſię &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadrigeneſimo Sexageſimo Primo (7), Pridie Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Facultas.

1. *Pitillianenſis.*) Vulgo *Pitigliano*, in *Hetruria*. Hocce Cœnobium fundatum fuiſſe, *Fontana de Romana Provincia Cap. II Tit. XXXV pag.* 220 probat ex Regeſtis *Vincentii Bandelli* Magiſtri Generalis Ordinis. Quo tempore, quave occaſione deſtructum fuerit, poſtea dicetur.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXV fol.* 25.
3. *Groſſetan.*) Aliis *Roſetan.*, vulgo *Groſſeto*, in *Hetruria*.
4. *Gerit &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Exordiis.
5. *Suanen.*) Vulgo *Soana*, in *Hetruria*.
6. *Franciſco de Lequilis de Litio.*) Seu *Lycio*, patria ſcilicet *Lycienſis*, familia *de Lequilis*.
7. *Sexageſimo Primo.*) Stylo Bullarum, ęra communi MCCCCLXII.

Ne Fratres Congregationis Lombardiæ Parochialium Eccleſiarum, vel Monaſteriorum curam gerant ſine Vicarii Generalis conſenſu (1).

Anno 1462 Die 11 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Vicario Generali Conventuum reformatorum utriuſque Lombardię.

XLI.

P I U S PP. II.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PLacet nobis, & volumus, ac tuę devotioni per pręſentes facultatem concedimus, ut omnes, & ſingulos Fratres tui Ordinis in terminis viſitationis tibi commiſſę exiſtentes, etiamſi in ſervitio Eccleſiarum fuerint, dummodo in eis inſtituti non ſint, Parochialium, aut Dominorum Eccleſiaſticorum, vel temporalium poſiti ſint, auctoritate noſtra per cenſuram eccleſiaſticam, & alia juris remedia, invocato, ſi ad hoc opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, compellere valeas, ut a pręfatis locis exeant, & ad Conventus Ordinis revertantur. Cognoſcentes etiam in ruinam cedere, & diſſipationem (3) ſtatua Eccleſiaſtici, quod nonnulli Fratres tui Vicariatus prętextu audientię Confeſſionum Monialium, ut alias factum fuiſſe cognovimus, aut quacunque occaſione, non ſine gravi confratrum ſuorum ſcandalo, & ex-

& exterminio diſciplinę regularis, contra voluntatem, & ordinationem tuam in certis locis, vel Monaſteriis, ſtant, ſeu habitant, ſeu ſtare, & habitare diſponunt. Nos, qui Religioſorum ſanctimoniam diebus noſtris augeri cupimus, volumus, & tibi mandamus, quatenus omnes hujuſmodi Fratres, qui ſic, ut pręfertur, ſtant, vel habitant, vel ſteterint, & habitaverint, quomodolibet in futurum, ab hujuſmodi Officiis, & locis, ſeu Monaſteriis omnino amoveas, & ad ſemitam ſalutaris obedientię reducas, quibuſcunque literis per Prędeceſſores noſtros, vel Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales, aut a Superiore Ordinis eorundem, ſub quacunque forma verborum factis, non obſtantibus, quarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum hic inſerti forent, haberi volumus pro expreſſis, & quibus quoad hoc ſpecialiter, & expreſſe derogamus, eaſque pro infectis declaramus. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XI Aprilis MCCCCLXII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Conſenſu.*) Conſulendus *Tractatus de conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononien.* pag. 42. Legitur apud *Caſtellanum Parte I pag.* 23. Autographum *Bononia* aſſervatur.
3. *Diſſipationem.*) *Caſtellanus* ſcribit *deſtitutionem.*

Anno 1462 Die 1 Maii.

Indulgentia Plenaria conceſſa pro Generali Capitulo Senis (1) congregando.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLII.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. A Superno Patre familias, meritis licet inſufficientibus, in domo Domini diſpenſatores effecti, theſaurum dominicum divinitus Nobis commiſſum ſic diſpenſare Nos convenit, ut per illius erogationem populum Chriſtianum Domino acceptabilem, & bonorum operum, ac Religionis pręſertim Fratrum Prędicatorum ſectatorem, reddere valeamus, ut Fratres prędictos pro rebus fidei orthodoxę in unum convenientes, & alios Chriſti fideles ad complacendum Deo, quaſi quibuſdam allectivis muneribus, Indulgentiis videlicet, & remiſſionibus invitemus, ut exinde reddantur divinę gratię aptiores, & fides ipſa felicia exinde ſuſcipiat incrementa. Nuper ſiquidem per Nos accepto, quod dilectus filius Martialis Auribelii, Fratrum Prędicatorum Ordinis Generalis Magiſter, nonnullis eum ad id rationabilibus impellentibus cauſis, Capitulum Generale, quod dilecti filii Provinciales, Diffinitores, & Capitulum (3) Ordinis prędicti, apud Mediolanum (4) juxta ipſius approbatam inſtitutionem celebrandum ſtatuerant, & deputaverant, propter paupertatem, & inopiam Conventus Mediolanen., ac loci indiſpoſitionem, Fratribus dicti Conventus petentibus, ac ſupplicantibus de Mediolanen. ad Civitatem Aſtenſem (5) tranſtulerat, & commutaverat; Nos, qui ad Ordinem ipſum, ex quo fructum uberrimum in Dei Eccleſia provenire conſpicimus, ſingularem gerimus affectum, quia in pręfato Capitulo nonnulla pro Chriſtianę Religionis, & fidei Catholicę, ac ipſius Ordinis augmento, tractanda erunt, quę melius, & commodius explicabuntur, ſi illud prope Nos, & Sedem Apoſtolicam celebretur, motu proprio, & ex noſtra certa ſcientia, Capitulum prędictum de Aſtenſe hujuſmodi ad Civitatem Senarum tranſtulimus, & commutavimus, ac apud illam in Conventu S. Dominici de Campo Regio, Ordinis prędicti, in feſto Aſſumptionis B. Marię Virginis proxime futuro celebrandum ſtatuimus, deputavimus, ordinavimus, & denuntiavimus, prout in noſtris, inde confectis, literis (6) plenius continetur. Ut igitur Fratres dicti Ordinis Capitulum hujuſmodi celebraturi, & alii Chriſti fideles devotionis cauſa ad Eccleſiam dicti Conventus, in qua divinum officium celebrabitur, ea die eo libentius confluant, & pro celebratione dicti Capituli, ac Fratrum, & Conventus ſuſtentatione manus porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei Miſericordia ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui in die Aſſumptionis ejuſdem Virginis Dei Genitricis Marię a primis Veſperis uſque ad ſecundas ipſius diei incluſive pręfatam Eccleſiam devote viſitaverint, Plenam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, & Indulgentiam elargimur: Necnon eis qui ex nunc, vel dicto Capitulo durante, pro Fratrum convenientium, ac Conventus, & Capituli, prędictorum ſuſtentatione, & ipſorum refectione manus porrexerint adjutrices, eandem Indulgentiam, & remiſſionem peccatorum miſericorditer damus. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Secundo, Kal. Maii Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Nota. Tranſlatio Capituli Generalis. Laus Ordinis. Indulgentia.

G. de Picolominibus gratis de mandato Domini noſtri Papę.

1. *Senis.*) In *Hetruria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Senis* aſſervato.
3. *Capitulum.*) *Noviomagi* celebratum anno *MCCCCLIX.*
4. *Mediolanum.*) Metropolis eſt ejuſdem nominis Ducatus *Italiae*.
5. *Aſtenſem.*) Vulgo *Aſti*, in ejuſdem nominis Comitatu *Italiae*.
6. *Literis.*) Quae deſiderantur.

F. Dominicus de Ponte, ſtipi erogandæ præfectus a Rege Galliarum, fit Abbas Monaſterii S. Sentri de Roſtagno (1). Anno 1462 Die 14 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Dominico de Ponte, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XLIII.

CUm ſedula eccleſiarum &c. Dudum ſiquidem ultimo Abbate Sancti Sentri de Roſtagno, Ordinis S. Benedicti, Tervien. (3) Dięceſis, regimini ipſius Monaſterii pręſidente, Nos, cupientes eidem Monaſterio dum vacaret per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam pręſidere perſonam proviſionem ipſius Monaſterii ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his contingeret attentari. Poſtmodum vero dicto Monaſterio per obitum illius ultimi Abbatis hujuſmodi, qui extra Romanam Curiam &c. Abbatis regimine deſtituto, nos dicti Abbatis nomen & cognomen pręſentibus pro expreſſis habentes, ac tam dicto Monaſterio, de cujus proviſione nullus pręter Nos &c. ne longę vacationis exponatur incommodis &c. quod tibi qui, ut aſſeritur, Ordinem Fratrum Pręedicatorum expreſſe profeſſus, & cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ludovici (4) Francorum Regis Illuſtris eleemoſynarius exiſtis, ut ſtatum tuum decentius tenere valeas, de alicujus ſubventionis auxilio providere volentes, ac ſperantes, quod tu eidem Monaſterio eſſe poteris multipliciter fructuoſus, poſt deliberationem, quam ſuper his cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, Monaſterium ipſum cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, tibi, per te quoad vixeris tenendum, regendum, & gubernandum, de eorundem Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, commendamus, curam, regimen, & adminiſtrationem dicti Monaſterii tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Volumus autem, quod propter commendam hujuſmodi cultus divinus, & ſolitus Monachorum & Miniſtrorum numerus in dicto Monaſterio nullatenus minuatur, quodque debitis & conſuetis dicti Monaſterii, & dilectorum filiorum Conventus ejuſdem ſupportatis oneribus, de reſiduis illius fructibus, redditibus, & proventibus diſponere, & ordinare libere liciteque poſſis, & valeas, ſicuti illius Abbates, qui fuerunt pro tempore de illis diſponere, & ordinare potuerunt, ſeu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcunque bonorum &c. tibi penitus interdicta. Quocirca diſcretioni tuę &c. mandamus, quatenus curam, regimen, & adminiſtrationem prędicta per te, vel alium, ſeu alios, ſic geras, & exerceas ſolicite, fideliter, & prudenter, quod Monaſterium ipſum gubernatori provido & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſum, tuque pręter ęternę &c. noſtram, & dictę Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Viterbii Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Secundo, Pridie Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Roſtagno.*) In *Gallia Belgica*.
2. *Archivo.*) In quo exemplar ex *Archivo Apoſtol. Libro LX fol* 189.
3. *Tervien.*) Vulgo *Terovenne*, in *Gallia Belgica*.
4. *Ludovici.*) Hujus nominis *XI*.

Ceterum variis aliis Eccleſiaſticis Beneficiis Fratres Prædicatores *Pius II* donavit. Quædam Conſtitutiones hac de re datæ aſſervantur in Archivo Ordinis. Quæ quidem brevitatis gratia miſſæ fiunt, ſed quo tempore ſcriptæ, & quibus conceſſæ fuerint, paucis hic annotabitur.

F. Alfonſus de Medina, rogatu Henrici Caſtellę, & Legionis Regis, pręficitur Preſtimonio loci de Alumna, Segobienſis Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit: *Religionis zelus &c. Datum Mantuæ Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Nono* (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCLX) *Quarto Idus Januari, Pontificatus noſtri, Anno Secundo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXXIII fol.* 15. Anno 1460 Die 10 Januarii. XLIV.

F. Nicolaus de Barulo fit Prior Eccleſiæ Beatæ Mariæ de Sterpetis, Tranen. Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit: *Ex ſuſceptæ &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo, Decimo Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXXIX fol.* 172. Anno 1460 Die 23 Octobris. XLV.

F. Philippus de Ranzano conſtituitur Abbas Monaſterii S. Nicolai de Farneto, Ordinis S. Benedicti, Anglonen. Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit: *Apoſtolicæ ſolicitudinis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo* (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCLXI) *Septimo Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XLVII fol.* 181. Anno 1461 Die 7 Februarii. XLVI.

F. Alfonſo de Lorneo poteſtatem facit quamcunque Dignitatem Eccleſiaſticam retinendi. Conſtitutio ſic incipit: *Religionis zelus &c. Hinc eſt quod nos volentes te, qui, ut aſſeritur, in Theologia Lector exiſtis, & juxta conſuetudinem patriæ Doctor nuncuparis, præmiſſorum meritorum tuorum, necnon conſideratione cariſſimi in Chriſto filii Alfonſi Portugalliæ, & Algarbii Regis illuſtris, Nobis pro te dilecto Procuratore ſuo &c.* Anno 1462 Die 6 Aprilis. XLVII.

ſuo &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Secundo, Octavo Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Ex Archivo Apoſtolico *Lib.LIX fol.*270.

Anno 1462 Die 15 Julii. XLVIII.

F. Martinus de Jadra fit Abbas Monaſterii S. Jacobi de Preluca, Ordinis S. Benedicti, Polenſis Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit: *Solicitæ conſiderationis &c. Datum in Abbatia S. Salvatoris Cluſin. Diœceſis Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Secundo, Idibus Julii, Pontificatus noſtri Anno Quarto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib.LX fol.*35.

Anno 1462 Die 21 Auguſti. XLIX.

F. Franciſcus Marolis renunciatur Prior S. Agathæ loci Pontis Sturiæ, Ordinis S. Auguſtini, Vercellen. Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit: *Religionis zelus &c Datum Pientiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Secundo, Duodecimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib.LXVII fol* 203.

Anno 1463 Die 27 Februarii. L.

F. Corradino de Brixia poteſtatem facit obtinendi quodcunque Beneficium Eccleſiaſticum. Conſtitutio ſic incipit: *Religionis zelus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Secundo* (ſtylo Bullarum, æræ communis MCCCCLXIII) *Tertio Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Quinto*. Ex Bullario *Brixlenſi pag.*22.

Anno 1463 Die 17 Maii. LI.

F. Albertus de Luca, Frederici Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti Cspellanus, continuus commenſalis, quodcunque Beneficium Eccleſiaſticum conſequi poſſit. Conſtitutio ſic incipit: *Religionis zelus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Tertio, Sexto Decimo Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Quinto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib.XVIII fol.*237.

Anno 1463 Die 16 Junii. LII.

F. Stephanus de Boicamch, Jadrenſis Diœceſis, rogatu Nobilis viri Stephani de Frangipanibus Comitis Segnen., creatur Abbas Monaſterii S. Georgii in Liſaa, Ordinis S. Benedicti, Segnen. Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit: *Inter multiplices &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Tertio, Sexto Decimo Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Quinto*. Ex Archivo Apoſtolico *Libro LXXIX fol.*11.

Anno 1463 Die 5 Novembris. LIII.

F. Gratianus de Gratianis, Magiſter in Theologia, conſtituitur Abbas Monaſterii S. Blaſii, Ordinis ejuſdem Sancti, Squillacen. Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit: *Romani Pontificis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Tertio, Nonis Novembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto*. Ex Archivo Apoſtolico *Libro XCVI fol.*12.

Anno 1464 Die 28 Aprilis. LIV.

F. Dominicus de Mediolano, e oobili genere de Arenzano procreatus, poſſit aſſequi Eccleſiaſticum Beneficium. Conſtitutio ſic incipit: *Religionis zelus &c. Datum Petreoli, Senen. Diœceſis, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Quarto, Quarto Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Sexto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib.XCIV fol.*253.

Anno 1462 Die 18 Maii. LV.

Thienſe (1) Cœnobium juris ſit Vicarii Generalis Congregationis Lombardiæ.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

INter ceteros Ordines in agro Domini plantatos Sacrum Ordinem Fratrum Prędicatorum gerentes in viſceribus caritatis &c. (3). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus ejuſdem Ordinis, de obſervantia nuncupatorum Inſulę Thien. petitio continebat, quod in dicta Inſula, Turcis finitima (4), ſola domus prędicta Fratrum Prędicatorum juxta Inſtituta dicti Ordinis exiſtit, in qua quamplures Fratres ſub regulari obſervantia Altiſſimo famulantes morantur, vitam exemplarem, ac Chriſti fidelibus valde fructuoſam ducentes, quodque in partibus illis nulla domus ejuſdem Ordinis de obſervantia exiſtit, nec ullus Vicarius, ſaltem de quo conſtet,

Diplomatis cauſa.

ſub cujus cura, vel viſitatione domus prędicta ſit, aut qui ad manutenendum ibidem debitum numerum Fratrum intendat, modo apparuit, & propterea valde hęſitatur, ne eadem domus in futurum deformetur, niſi alicui Vicario dicti Ordinis de obſervantia ſubiiciatur, in maximum detrimentum divini cultus, & prędjudicium animarum Chriſti fidelium in dicta Inſula commorantium, & ad illam confluentium. Verum ſi Conventus dictę domus, illiuſque Fratres Vicario Lombsrdię ejuſdem Ordinis de obſervantia nuncupati ſubiicerentur, & ſub illius cura, & gubernatione forent, profecto idem Conventus ad laudem Dei, & conſervationem fidei Orthodoxę cum ſperata ipſorum fidelium animarum ſalute conſervaretur. Quare pro parte tam dilectorum filiorum incolarum, & habitatorum ejuſdem Inſulę, qusm prędictorum Prioris, & Fratrum, aſſerentium quod naves Januen., & Venetorum ſin-

Digitized by Google

ſingulis annis ad Inſulam prędictam, & orientales partes deducuntur, in quibus Vicarius ipſe Fratres ejuſdem Ordinis poterit tranſmittere, pro reformatione, & conſervatione Conventus antedicti, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Conventum ipſum, illiuſque Fratres pręſentes, & futuros Vicario Lombardię ejuſdem Ordinis ſubiicere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ne idem Conventus in dicta Inſula deficiat, ſed in eo competens numerus Fratrum, qui ad prędicationes, & divina officia, pro Chriſtifidelium devotione, & Turcorum confuſione, intendant, continuo inibi nutriantur, providere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Conventum ipſum, illiuſque Fratres, pręſentes, & futuros Vicario Lombardię Ordinis de obſervantia hujuſmodi, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ſubiicimus, ac illi ſubjectos eſſe decernimus, & declaramus, diſtrictius pręcipientes ſub excommunicationis pęna Vicario Lombardię nunc, & pro tempore exiſtenti, ut Conventum ipſum ſub ejus protectione, & gubernatione ad inſtar aliorum Conventuum ſibi ſubjectorum recipiat, & illi de Fratribus opportune provideat, ac Fratribus dicti Conventus, ut ipſi Vicario Lombardię juxta eorum ritus, conſuetudines, ac privilegia procurent, & intendant. Non obſtantibus Conſtitutionibus &c. quibuſcunque. Per hoc autem non intendimus Conventum ipſum, illiuſque Fratres a ſubjectione Vicarii Generalis dicti Ordinis in partibus illis forſan deputati, vel deputandi, ſi illi ſubjecti exiſtant, quoquomodo liberare. Nulli ergo &c. noſtrę declarationis, decreti, ſubjectionis, & pręcepti infringere &c. Si quis &c. Datum Viterbii (5) Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Secundo, Quinto decimo Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Mandatum.

1. *Thienſe.*) Licet ejuſdem nominis Inſula ſit in *Ægeo* mari, ſcribendum tamen videtur *Chienſe*, Italis *Scio*. Inſula eſt Maris *Ægæi*, & *Icarii*. Hujus opinionis ratio eſt, quia jus ad *Chienſe* Cœnobium nunc etiam ita ſibi vindicat Provincialis *Lombardiæ*, ut ipſius ſocius titulo Prioris *Chienſis* donetur.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* *Libro XXXIII fol.* 149.

3. *Caritatis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Exordiis?

4. *Turcis finitima.*) Turcæ nunc ibi ſedes habent, & imperium.

5. *Viterbii.*) Quo *Pius II* tranſiit *Corſinianum* ſuam patriam petens hoc anno.

Anno 1462 Die 31 Maii.

Ne Fratres Prædicatores, & Minores habeant quæſtionem (1) de Sanguine Chriſti Paſſionis tempore effuſo, & de ejus Corpore in Sepulchro jacente, & ut Vicarius Generalis Lombardiæ deleget Fratres hac de re coram Summo Pontifice tractaturos.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LVI.

Dilecto Filio Vicario Generali Conventuum Reformatorum in Lombardia Ordinis Prędicatorum.

PIUS PP. II.

Dilecte Fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

INtelleximus non ſine diſplicentia ſingulari, quod propter ea, quę a Religioſis quibuſdam Ordinis tui, & Minorum de obſervantia de Sanguine Salvatoris noſtri in Paſſione effuſo, & ejus Corpore in ſepulcro jacente, contrariis aſſertionibus prędicantur, ea diſputantur gravia ſcandala in populis oriuntur: cum illi (3), ab utroque ſeparatam fuiſſe Divinitatem: hi (4) vero non fuiſſe ſeparatam affirment. Gravis admodum res Nobis eſt viſa, tum propter veritatem, quę unica eſt, tum propter ſimplicium Animas, qui prędicantium exemplum ſecuti, devotionem ſuam, in perverſum zelum convertunt. Ut ergo naſcenti huic malo, ne incrementum accipiat, celeriter occurratur, mandamus tibi in vim obedientię ſalutaris, & ſub excommunicationis pęna latę ſententię, quam, non parens, ipſo facto incurras; Quatenus ſtatim acceptis pręſentibus, ſub eiſdem pęnis, omnibus, & ſingulis obedientię tuę ſubjectis diſtricte inhibeatur, quibus, & Nos pręſentium tenore, ſub iiſdemmet pęnis inhibemus, ne de cetero, quouſque aliud a Romana Sede in mandatis habuerint, de pręfatis articulis quoquomodo directe, vel indirecte, publice, vel privatim, palam, ſeu occulte diſputare, vel prędicare pręſumant. Mandantes quoque devotioni tuę ſub cenſuris eiſdem, ut aliquot ex tua obedientia principales homines (5) doctos, & verum Dei zelum habentes ad Nos, & Apoſtolicam Sedem per totum Menſem Septembris perſonaliter mittas, reportaturos a Nobis, quod fieri, & obſervari ſtatuemus (6) in poſterum. Hoc idem quoque ſub ſimili forma Fratribus Minorum prędictis per alterum Breve noſtrum mandamus. Det operam tua devotio, ut omnia celeriter, & cum diligentia fiant: ſicut certe de tua bonitate confidimus. Datum Viterbii ſub annulo Piſcatoris die ultima Maii MCCCCLXII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Diplomatis cauſa.

Inhibitio.

Mandatum.

1. *Quæſtionem.*) Celebris eſt hæc controverſia, de qua conſulendi *Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCCLXIII a num. I ad VI, Echard Tomo I ſcriptor. Ord. ad annum MCCCCLXIII pag.* 822, *Waddingus Annal. Minor. Tomo VI ad an. MCCCCLXII*, & *ad an. MCCCCLXIII*, aliique quamplures. Hac enim de re paſſim loquuntur Hiſtoriæ. Audiendus præ ceteris *Gobelinus* teſtis oculatus, qui *Pio II* ab epiſtolis erat. Vide *Lib. XI Commentarior.* Vide quoque infra *Conſtit. LXIX.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononien. pag.* 43, ex Autographo *Bononiæ* aſſervato.

3. *Illi.*) Minores ſcilicet Fratres.

4. *Hi.*) Prædicatores nempe.

5. *Homines.*) *Convenere ex utroque Ordine viri ſapientiſſimi*, verbis utor *Echard* ſupra laudati, & *cum in majori numero eſſent, juſſit Pontifex, ut ex utraque parte tres*

ſeli-

ſeligerentur una congreſſuri. Ex parte Prædicatorum duo . . . Gabriel (Cognomento *Caſſafages* , patria Barchinonenſis) *& Jacobus* (Brixienſis) *dati fuerunt , iiſque additus tertius Vercellians de Vercellis a patria ille , & profeſſione ſic agnominatus , Theologus magnæ tum famæ , hæreticorum , & ipſe itidem , ut & duo ſodales Cenſor . Ex parte Minorum comparuerunt Franciſcus de Savona , poſtea Cardinalis de la Rouere a familia ſic dictus , & tandem ſub nomine Sixti IV ad ſummum Pontificatum evectus . Secundi nomen tacetur. Tertius Guillelmus Vaurilongus , ab Waddingo cognominatus Gallus Armoricus Dianenſis , Sacræ Facultatis Pariſienſis Magiſter .*

6. *Statuemus ,*) Exitum diſputationis ſic refert *Gobelinus* mox laudatus . *Pontifex auditorium diſſolvit* (Habita triduo diſputatione) *deinde cum Cardinalibus pleriſque diebus rem tractavit . Major pars ſententiam Prædicatorum approbavit : pauci cum Minoribus ſenſere . Pius quoque cum majori parte fuit , ſed non eſt viſum eo tempore decretum fieri declarationis , ne multitudo Minorum , cujus erat contra Turcas prædicatio neceſſaria , offenderetur .* Hæc ille .

Anno 1462 Die 22 Septembris.

Bergomenſi (1) Conventui S. Stephani unit Eccleſiam S. Mariæ de la Baſella , & Cœnobium ibidem conſtructum .

Ex Archivo (2) Ordinis .

LVII.

Pius Epiſcopus , Servus Servorum Dei , dilecto filio Lanfranco de Licinis Canonico Pergamenſi , Salutem , & Apoſtolicam Benedictionem .

Exordium. EX injuncto Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio ad ea libenter intendimus per quę eccleſiaſticorum , pręſertim Regularium , locorum commoditatibus , & fabricis eorundem conſulitur , & ut illa optatum ſortiantur effectum , cum a Nobis petitur , partes noſtrę ſolicitudinis impertimur . Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte....filiorum nobilium virorum Dominii Venetiarum Capitanei Generalis , petitio continebat , quod nuper ipſe zelo devotionis accenſus , cupiens terreſtria in cęleſtia , & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare , in ejus territorio , & dominio apud Supplex fundatoris petitio. Eccleſiam B. Marię de la Baſella , Pergamenſis Dięceſis, de bonis ſibi a Deo collatis , nonnullas domos per modum Monaſterii , ſeu Conventus conſtrui , & ędificari fecit , quas Eccleſię , ſive domui Sancti Stephani Pergami Ordinis Fratrum Prędicatorum de obſervantia , ad quam ſingularem gerit devotionis affectum , uniri , annecti , & incorporari deſiderat . Quare pro parte ejuſdem Bartholomęi Nobis fuit humiliter ſupplicatum , ut Eccleſiam , ac domos hujuſmodi , cum omnibus juribus , & pertinentiis ſuis pręfatę domui S. Stephani perpetuo unire , annectere , & incorporare , aliaſque in prę-miſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur . Nos igitur , de pręmiſſis certam notitiam non habentes , ac votis ipſius Bartholomęi , in hac parte favorabiliter annuentes , necnon tam Eccleſię B. Marię , & domorum conſtructarum prędictarum , quam ipſius Domus S. Stephani fructuum , reddituum , & proventuum veros valores annuos pręſentibus pro expreſſis habentes , hujuſmodi ſupplicationibus inclinati , diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus , quatenus vocatis Mandatum. quorum intereſt de pręmiſſis omnibus , & ſingulis , ac eorum circumſtantiis univerſis , auctoritate noſtra , te diligenter informes , et ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris , Eccleſiam B. Marię cum domibus conſtructis , ac omnibus juribus , ut pręfertur , & pertinentiis ſupradictis prędictę domui S. Stephani eadem auctoritate in perpetuum unias , annectas , & incorpores ; ita quod liceat Fratribus dictę Domus S. Stephani nunc , & pro tempore exiſtentibus , per ſe , vel per alium , ſeu alios corporalem Eccleſiam B. Marię , & domorum conſtructarum , juriumque , & pertinentiarum prędictarum , ex nunc , ſi vacet , alioquin cedente , vel decedente moderno ejuſdem Eccleſię B. Marię Rectore , ſeu alias illam quomodolibet dimittente , poſſeſſionem auctoritate propria libere apprehendere , & perpetuo retinere , ac Eccleſię , & domorum hujuſmodi , necnon dotis , quam per dictum Bartholomęum eidem Eccleſię B. Marię aſſignari contigerit , fructus , redditus , & proventus in domus S. Stephani , necnon B. Marię Eccleſiarum prędictarum , fabricam , & ornamenta convertere , Dięceſani loci , & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita . Non obſtantibus Conſtitutionibus , & Ordinationibus Apoſtolicis , atque noſtris , illa pręſertim qua voluimus , quod petentes Beneficia Eccleſiaſtica uniri , teneatur exprimere valorem ſecundum communem ęſtimationem , tam beneficii uniendi , quam illius cui uniri petitur , alioquin unio non valeat , necnon domus S. Stephani , & Ordinis prędictorum juramento , confirmatione Apoſtolica , vel quacunque firmitate alia roboratis , ſtatutis , & conſuetudinibus contrariis quibuſcunque , aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi , vel aliis Beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales , vel generales Apoſtolicę Sedis , vel legatorum ejus literas impetrarint , etſi per eas ad inhibitionem , reſervationem , & decretum , vel alias quomodolibet ſit proceſſum , quas quidem literas , & proceſſus habitos per eaſdem , & quęcunque inde ſecuta ad prędictam Eccleſiam B. Marię nolumus omnino extendi , ſed nullum per hoc , eis quoad aſſecutionem Beneficiorum aliorum , pręjudicium generari , & quibuslibet privilegiis , indulgentiis , & literis Apoſtolicis generalibus , vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant per quę pręſentibus non expreſſa , vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet , vel differri , & de quibus quarumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis . Proviſo quod propter unionem , annexionem , & incorporationem hujuſmodi , vigore pręſentium fiendas , ut pręfertur , dicta Eccleſia S. Marię debitis non fraudetur obſequiis , & animarum cura , ſi qua illi immineat inibi , nullatenus negligatur , ſed illius congrue ſupportentur onera conſueta . Nos enim omnibus , & ſingulis privilegiis , immunitatibus , libertatibus , exemptionibus , indulgentiis , & indultis , quibus ceteri Fratres dicti Ordinis , & domus eorundem utuntur , & gaudent , ſeu uti , & gaudere poterunt quomodolibet in futurum , ipſi pariter poſt unionem , annexionem , & incorporationem pręmiſſas , ſi illas feceris , ut pręmittitur , uti , & gaudere poſſint , & debeant , indulgemus . Non obſtantibus omnibus ſupradictis , ceteriſque contrariis quibuſcunque . Et inſuper ex

nunc

nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quocunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Pientię (3) Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Secundo, Decimo Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Bergomen.*) Alias *Pergamen.*, ut ſæpius dictum fuit, & ex præſenti Diplomate liquet. *Bergomum* ditionis eſt *Veneta*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Authographo Bergomenſi.
3. *Pientiæ.*) Vulgo *Pienza*, ſic dicta, & Epiſcopalis facta a *Pio II*, quod illic natus eſſet. *Corſinianum* antea vocabatur. Urbs eſt *Hetruriæ*. Hinc *Campanus* canit apud *Giaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCCLVIII pag.* 1023.

Qua nova ſublimi profurgo Pientia colle.
Cauſa mei quæ ſit nominis, ipſa loquor:
Me Pius ornatam templo, muriſque refectam;
Eſſe urbem voluit, quæ fueram oppidulum.

F. Rolandus Lecorie (1) ſit Inquiſitor Franciæ.

Anno 1462 Die ….

Ex Archivo (2) Ordinis.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Rolando Lecorie, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, in Theologia Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. LVIII.

Conſiderantes tuę circumſpectionis induſtriam, in multis arduis ſępius approbatam, & alia grandia virtutum inſignia, quibus perſonam tuam bonorum dator Altiſſimus decoravit, ea, quę gravis ſunt ponderis, tuę fiducialiter curę committimus, ſperantes firmiter, quin potius pro certo tenentes, quod ad illa efficaciter exequenda ferventer intendas, intentum animi dirigas, & operoſę ſolicitudinis ſtudio perſequaris. Hinc eſt, quod Nos, qui deſideramus, & in votis gerimus, ut fides catholica noſtris proſperetur temporibus, & pravitas perverſorum hominum in Regno Francię viventium, de finibus fidelium extirpetur, circa extirpationem eandem ſalubriter, & utiliter providere intendentes, te, qui, ut aſſeritur, Inquiſitor hęreticę pravitatis auctoritate Sedis Apoſtolicę deputatus exiſtis, in Regno prędicto, cum omnibus, & ſingulis immunitatibus, privilegiis, gratiis, & libertatibus, Inquiſitoribus dictę pravitatis a jure, vel conſuetudine hactenus conceſſis in cauſis hęreſum, Inquiſitorem facimus, conſtituimus, & etiam deputamus, dantes, & concedentes contra prędictos hęreticę pravitatis credentes, receptores, fautores, & defenſores eorum, tam eccleſiaſticas, quam ſeculares utriuſque ſexus perſonas, exemptas, & non exemptas, cujuſcunque etiam dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant, necnon infamatas, vel ſuſpectas de hęreſi, aut erroribus prędictis, procedendi, ac officium Inquiſitoris tibi commiſſum exequendi juxta canonicas ſanctiones, necnon alia faciendi, quę de jure, vel conſuetudine Inquiſitores pravitatis prędictę quomodolibet facere conſueverunt, ſeu etiam potuerunt, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, concedimus facultatem. Per conceſſionem autem hujuſmodi non intendimus poteſtati, aut juriſdictioni aliorum Inquiſitorum a Nobis, vel aliis, ad hoc auctoritatem habentibus, deputatorum, in aliquo derogare. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Secundo (3).

Exordium.

Inquiſitor creatur.

1. *Lecorie.*) Hunc non novit *Fontana*, S. Inquiſitionis Miniſtros recenſens in *Theatro Dominicano*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XI fol.* 34.
3. *Sexageſimo Secundo.*) Dies, & Pontificatus annus deſunt. *Romam* hoc anno *XV* Kalendas Januarii rediiſſe *Pium*, narrat hiſtoria.

Facultas fundandi Cœnobii Mediolanen. (1) in ſuburbio Portæ Vercellinæ.

Anno 1463 Die 27 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Mediolan.. & dilecto filio Abbati Monaſterii S. Victoris extra Muros Mediolan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. LIX.

Piis Chriſti fidelium &c (3). Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Franciſci de Mediolano (4) Prioris Domus Papien. Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac Johannis de Sancto Geminiato (5), & Thomę firmi de Pergamo, necnon Jacobi de Mediolano, Fratrum dicti Ordinis, Congregationis domorum reformatarum de obſervantia S. Dominici vulgariter nuncupatarum, Commiſſariorum per Generalem Vicarium Provincię Lombardię ad preeligendum locum unum in Civitate Mediolanen. pro domo de novo conſtruenda pro Congregatione Fratrum dicti Ordinis reformatorum, deputatorum, petitio continebat, quod eum jam dudum diligenter inveſtigaverint pro uno loco apto, & ſalubri ad dictam domum in eadem Civitate, in qua nullam habent (6) habitationem, conſtruendam, tandem Deo propitio repererunt dilectum filium Gaſparem de Vico mercato, Comitem Valentię, Gentium armorum (7) dilecti filii nobilis Viri Franciſci (8) Sfortię Ducis Mediolanen., ductorem, qui pia devotione, quam habet ad pręfatum Ordinem accenſus, obtulit ſe pro domo conſtruenda hujuſmodi velle dare, & concedere dominium, & civilem poſſeſſionem quam habet in certis domibus, & immobilibus bonis, in ſuburbio Portę Vercellinę dictę Civitatis loco utique congruo, & apto, pro domo conſtruenda hujuſmodi conſiſtentibus, & quę dictus Gaſpar Comes jam dudum tenuit, & tenet in emphyteuſim perpetuam a dilectis filiis Abbate, & Conventu Monaſterii S. Ambroſii Me-

Supplex petitio.

Digitized by Google

Mediolanen. Ordinis S. Benedicti, ſub certo annuo cenſu, ſive canone, eiſdem Abbati, & Conventui ſingulis annis per dictum Gaſparem, & ſuos ſucceſſores perſolvendo, & ſi præfato Gaſpari utile dominium, quod habet ſuper dictis domibus, & aliis pertinentiis donandi, & concedendi eiſdem Fratribus ſubeſſet facultas, ſub annuo canone ſive cenſu viginti quinque florenorum monetę Mediolanen. Abbati dicti Monaſterii pro tempore exiſtenti, & Conventui pręfatis annuatim perſolvendo, hoc etiam adjecto pacto, quod quotieſcunque Prior, & Fratres pro tempore in conſtruenda domo hujuſmodi habitantes aliquod excambium ęquivalentis valoris dicto Monaſterio aſſignarent a pręſtatione cenſus, ſive canone viginti quinque florenorum monetę hujuſmodi liberati, & abſoluti cenſerentur, Fratres ipſi domum eandem, quam de novo erigere intendunt, commode ędificare, & conſtrui facere poſſent, idque plurimum ad propagationem Ordinis, ac cultus augmentum, necnon Civitatis decorem cederet earundem. Quare pro parte Gaſparis Comitis, ac Prioris, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Gaſpari conceſſionem, & donationem utilis dominii faciendi, ac Fratribus pręfatis illud ſub canone prędicto viginti quinque florenorum hujuſmodi nomine dictę Congregationis, eorundem Abbatis, & Conventus interveniente conſenſu, recipiendi, necnon domum conſtruendi, ſeu conſtrui faciendi pro habitatione Fratrum, & ſervitorum Ordinis, & Congregationis prędictorum, ut pręfertur, cum Eccleſia, Altaribus, campanili, campanis, dormitorio, clauſtro, refectorio, oratorio, hortis, hortalitiis, viridariis, & aliis neceſſariis officinis, ſub invocatione, & vocabulo omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei, quibus melius placuerit, dictis Priori, & Fratribus, licentiam concedere, ac alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Facultas. Nos igitur, ipſius Gaſparis Comitis pium, & laudabile propoſitum in Domino plurimum commendantes, quique Religionem, & cultum hujuſmodi noſtris potiſſime temporibus vigere, & augeri intenſis deſideriis affectamus, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, ac hujuſmodi bonorum qualitates, confines, & veros valores pręſentibus pro expreſſis haberi volentes, hujuſmodi quoque ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis Abbate, & Conventu prędictis, & aliis, qui fuerint evocandi, de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra vos conjunctim diligenter informetis, &, ſi per eandem informationem ita eſſe, necnon, ſuper quo cujuslibet veſtrum conſcientiam oneramus, conceſſionem, & donationem hujuſmodi, ſi fiant, in evidentem ipſius Monaſterii utilitatem cedere repereritis, Gaſpari dominium ipſum modo, & forma pręmiſſis, concedendi, & donandi, necnon Priori, & Fratribus prędictis illud pro uſu, & habitatione pręmiſſis recipiendi, & acceptandi, inibique in aliquo loco ad hoc congruo, & apto domum cum Eccleſia, campanili, clauſtro, dormitorio, horto, & aliis officinis prędictis in honorem, & ſub vocabulo omnium Sanctorum, & Sanctarum, prout eis videbitur, pro perpetuis uſu, & habitatione hujuſmodi fundandi, conſtruendi, & ędificandi, ſeu fundari, conſtrui, & ędificari faciendi, Diœceſani loci, & cujuſcunque alterius ſuper hoc licentia, vel aſſenſu minime requiſitis, plenam, & liberam, auctoritate noſtra licentiam largiamini.

Clauſula derogans. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii PP. Octavi Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua Civitate, Caſtro &c. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica &c. quibuſcunque, jure tamen Parochialis Eccleſię &c in omnibus ſemper ſalvo. Nos enim Fratribus in conſtruenda Domo hujuſmodi pro tempore commoraturis, quod omnibus, & ſingulis immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, privilegiis, gratiis, & indultis, ipſi Ordini, & illius perſonis per Sedem eandem, vel alias in genere conceſſis, & in poſterum concedendis uti, & gaudere, libere, & licite in perpetuum valeant, Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium indulgemus. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Secundo (9), Sexto Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Mediolanen.*) In ejuſdem nominis Ducatus Metropoli. Ibi duo Cœnobia habet Ordo FF. Prædicatorum, unum nomine *S. Euſtorgii* priori Ordinis ſeculo fundatum, aliud *S. Mariæ Gratiarum*, cujus hic mentio.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXIX fol. 267.*

3. *Fidelium &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

4. *De Mediolano.*) Sic a patria cognominatur *Franciſcus*. Idem notandum de ceteris, *Johanne* ſcilicet, *Thoma*, & *Jacobo*.

5. *Johannis de S. Geminiato.*) *Geminiano*, in *Hetruria*.

6. *Nullam habent.*) Reformati nempe. Cœnobium ſiquidem *S. Euſtorgii* antiquius eſt, ut dictum fuit *Nota I*.

7. *Gentium armorum.*) Equitum ſcilicet gravis armaturæ.

8. *Franciſci.*) Hujus nominis *I*.

9. *Sexageſimo Secundo.*) Stylo Bullarum, Æræ communis *MCCCCLXIII*.

Re-

Rezonicenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1463 Die 17 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LX.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Piis fidelium votis gratum prę́ſtamus aſſenſum, & ut ea, quę Religionis propagationem, divinique cultus augmentum reſpiciunt, optatum ſortiantur effectum, libenter interponimus ſolicitudinis noſtrę partes. Sane pro parte dilectorum filiorum Nobilium della turre, Univerſitatis, & hominum Terrę Rezonici, Cumanę (3) Dięceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod a nonnullis annis citra in eadem Terra, & Parochia Eccleſię Beatę Marię vicinantię ipſi terrę contigua, quę copioſa populi multitudine refertę reperiuntur, quędam hereſis, & ſortilegorum adeo ſecta inoleſcit, quod quam plures utriuſque ſexus terrę, & Parochię earundem homines in hęreſim prolapſi, & ſortilegiorum morbo vexati reperiuntur, contra quos propter populi multitudinem hujuſmodi, & alia incumbentia onera, modernus ipſius Eccleſię Rector inquirere, & eos corrigere ac punire commode nequit, quod ſi quędam domus prope muros ejuſdem terrę ſita, & ad ipſam Eccleſiam pertinens cum ſuis hortis, ędificiis, & pertinentiis univerſis pro uſu, & habitatione aliquorum Fratrum domus S. Johannis extra muros Cumarum Ordinis Prędicatorum de obſervantia, ibidem perpetuo famulaturorum connecteretur, deputaretur, & donaretur, in illa univerſitas, & homines pręlibati congruam domum cum Eccleſia, campana, campanili, dormitorio, ceteriſque neceſſariis locis, & officinis, pro uſu, & habitatione Fratrum eorundem conſtruere ędificare, & perficere, ac in ea Fratres prędictos, quorum prędicationibus, ſcientia, virtutibus, & laudabili vita, ac fructuoſis operibus, hęreſis, & ſortilegorum ſecta prętacta, ceterique errores, qui veriſimiliter (4) pullulare, & invaleſcere dicuntur, extirpari, & eradicari, ac Nobilibus, univerſitate, hominibus pręlibatis, aliiſque circumvicinis locis non modicę animarum ſuarum conſolationes, & gaudia ſuccreſcere poterunt, cultuſque inibi non mediocriter augmentabitur divinus, recipere, & collocare deſiderant, ſi ad id ſibi & eiſdem Fratribus Sedis Apoſtolicę ſuffragetur auctoritas. Quare pro parte Nobilium, Univerſitatis, & hominum eorundem, aſſerentium, quod in premiſſis loci Ordinarius, & modernus Rector pręlibatus conſentire, ſunt parati, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionem ipſam ubique propagari, & cultum eundem noſtris potiſſime temporibus augeri ſupremis affectibus deſideramus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eandem Domum prope muros dictę terrę ſitam cum hortis, ędificiis, & pertinentiis ſuis univerſis, pro uſu, & habitatione Fratrum hujuſmodi de Ordinarii, & Rectoris eorundem conſenſu (5), perpetuo connectimus, deputamus, & donamus, necnon nobilibus, univerſitati, & hominibus ſupradictis domum pręfatam cum Eccleſia, campana, campanili, dormitorio, ceteriſque locis, officinis neceſſariis pro uſu, & habitatione perpetuis eorundem Fratrum, ſub eadem regulari obſervantia degentium, & qui Priori, & Fratribus ejuſdem Domus S. Johannis perpetuo ſubiiciantur, & ſubjecti remaneant. ędificandi, & perficiendi, & in ea Fratres prędictos ad id benevolos recipiendi, & collocandi, ſeu recipi, & collocari faciendi, necnon Fratribus prędictis domum ipſam recipiendi, & in ea ſub regulari obſervantia permanendi, plenam, & liberam licentiam auctoritate Apoſtolica tenore prę́ſentium concedimus, & inſuper eiſdem Fratribus in dicta Domo pro tempore degentibus, & in obedientia Ordinis, & regulari obſervantia exiſtentibus, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indultis, & gratiis aliis ejuſdem Ordinis, aut eorum Prioribus, & Fratribus per Sedem prędictam, vel alias in genere, vel in ſpecie quomodolibet conceſſis, uti valeant, potiri, & gaudere, Apoſtolica auctoritate tenore prę́ſentium indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii PP. Octavi, Prędeceſſoris noſtri, illa prę́ſertim, qua prohibetur, ne Fratres quorumcunque Mendicantium Ordinum Domus in aliqua civitate, villa, terra, ſeu alio quocunque loco domum de novo recipere, ſeu hactenus recepta mutare poſſint abſque prę́fatę Sedis licentia ſpeciali faciente plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus contrariis quibuſcunque: jure tamen Parochialis Eccleſię prędictę, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum, conceſſionis, deputationis, deſignationis, conceſſionis, & indulti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prę́ſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Secundo (6), Sextodecimo Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Exordium.

Supplex petitio.

Facultas.

Sanctio pœnalis.

1. *Rezonicen.*) Ad ripam lacus *Larii*, vulgo *di Como*. Fratres ibi Parochum agunt.
2. *Archivo*.) In quo duplex Exemplar authenticum ex Autographo *Comi* aſſervato.
3. *Cumana*.) Seu *Novocomenſis* in *Inſubria*.
4. *Veriſimiliter*.) *Ibi ſimiliter*.
5. *Conſenſu*.) Huc refer ſequens Diploma.

In nomine Domini amen. Anno a Nativitate ejuſdem Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Quarto Indictione duodecima ſecundum curſum, & conſuetudinem Civitatis, & Diœceſis Cumarum, die vero Mercurii vigeſimo ſecundo Menſis Februarii.

Ad præſentiam Reverendiſſimi in Chriſto Patris ac D.D. Lazari Scaramſiæ, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopi Cumarum & Comitis, perſonaliter accedens prudens vir Antonius filius Nobilis viri Domini Petri della Turre de Rezonico habitans terræ de Rezonico, ac Syndicus, & Pro-

& Procurator, & nomine tam dicti Domini Petri quam nonnullorum aliorum Nobilium dictæ parentelæ della Turre de Rezonico, habitantium in dicta terra de Rezonico, atque etiam Univerſitatis & hominum Communis dictæ terræ, & Villarum de Rezonico, Diœceſis Cumarum, & tam Nobilium quam vicinorum terræ, & villarum ut ſupra Parochianorum, & ſub jure Parochialis Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Rezonico, Diœceſis Cumarum, habitantium, conſtitutus, quorum mandatum exhibuit traditum, & ſcriptum per Joannem Petrum de Stupanis publicum Notarium Comi filium quondam Bartholomæi anno & indictione prædicta die Dominico decimo nono menſis Februarii, nominibus prædictis, Reverendiſſimo Domino Epiſcopo ibi præſenti, item & nomine aliorum omnium, & ſingulorum ſub cura, & jure Parochialis præfatæ Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Rezonico habitantium & morantium hiſque adhærentium, & adhærere, & ratificare volentium, non recedendo & aliis, ac coram præfato Domino Epiſcopo infraſcriptarum literarum Apoſtolicarum facta pro parte Nobilium, Vicinorum, ac Univerſitatis præfato Domino Epiſcopo exhibitione, & præſentatione, iterum eas Bullas Apoſtolicas Sanctiſſimi D. Domini Pii divina Dei providentia PP. Secundi cum Bulla plumbea Apoſtolica, præfato D. Domino Lazaro Epiſcopo Cumarum, & Comiti præſentavit, & exhibuit, atque præſentat, & exhibet in forma ſolemni, hujuſmodi tenoris, ſcilicet: Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Piis fidelium votis &c. Petens ac petens, petiit ac reverenter petit, & requirit idem Antonius Syndicus, ac Procurator, & nomine prædictorum tam nobilium, quam vicinorum univerſitatis terræ vicinantiæ, & Communis & hominum, & villarum dicti Communis de Rezonico Curæ, & de jure Parochialis ſupraſcriptæ Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Rezonico coram præfato Reverendiſſimo D. Epiſcopo Cumarum, & Comite, quatenus dictas literas Apoſtolicas, earumque præſentationem recipere, & admittere dignetur & velit, necnon donationem conceſſionis & aliis omnibus contentis in præfatis literis Apoſtolicis conſentire, & conſenſum præſtare, & quod conſenſit, & alia, de quibus præfatæ Apoſtolicæ literæ mentionem faciunt, debitum, & plenum effectum ſortiantur & executioni mittantur; & inſuper dictus Antonius Syndicus, & Procurator, & nominibus, ut ſupra, domum facere apud ſupraſcriptam Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Rezonico juxta tenorem præfatarum literarum Apoſtolicarum, & etiam pro uſu, & habitatione Presbyteri, Rectoris Curati pro tempore exiſtentis Eccleſiæ præfatæ Beatæ Mariæ de Rezonico Parochialis, & Curatæ, qui etiam Rector Curatus pro tempore exiſtens in Eccleſia ipſa Sanctæ Mariæ Divina celebrare habeat, & poſſit, ac curam animarum gerere ibidem & aſtricta hominibus curæ, & Parochiæ dictæ Eccleſiæ miniſtrare, conſtrui, & ædificari facere infra terminum, ut infra, aut in alio loco, ipſi Rectori Curato accommodo, & infra terminum, ut infra, obtulit, & offert, tanquam donum expenſis dictorum Nobilium, & Communis, & hominum, & vicinorum Terræ de Rezonico, & Villarum circunſtantium, conſtruere, & conſtrui competenter facere infra trium annorum proxime futurorum terminum apud ſupradictam Eccleſiam Sanctæ Mariæ, aut in alio loco accommodo pro habitatione dicti Rectoris Curati, & etiam grato ipſis hominibus. dictus Antonius Syndicus, & Procurator, & nominibus ut ſupra, promiſit ſolemniter per ſtipulationem obligando ſe dictis nominibus & ipſos Nobiles, & vicinos & Univerſitatem, & homines terræ de Rezonico, & Villarum ut ſupra, & quemlibet eorum, & omnia eorum, & cujuslibet eorum bona pignori præſentia & futura mihi Notario infraſcripto perſonæ publicæ ſtipulanti, & recipienti nomine, & ſine cujuslibet perſonæ Communis, Collegii, Capituli, & Univerſitatis, cujus intereſt, vel intererit, interimque proviſionem faciant præfati Nobiles ac vicini, & homines ſupraſcripti de conſtruendo domum idoneam pro habitatione Sacerdotis Curati prædictæ Eccleſiæ Sanctæ Mariæ, & hominibus illius Parochiæ per tempora in Divinis, & Cura animarum ſervituri, infra dictum videlicet terminum trium annorum proxime futurorum conſtruendo, ut ſupra, & in loco, ut ſupra, dictus Antonius Syndicus, & Procurator, & nominibus, ut ſupra promiſit, obligando, ut ſupra, dare, & aſſignare, & ex nunc ipſe Antonius Syndicus, & Procurator, ut ſupra aſſignavit, & aſſignat pro uſu & habitatione dicti Rectoris Curati ſupraſcriptæ Eccleſiæ de Rezonico domum unam terraneam, & ſolariatam, cum curte, & juribus, & pertinentiis ſuis jacentem in terra de Rezonico, cui cohæret a mane ſtrata, a meridie ... Petri filii quondam Zanini d lla Turre de Rezonico, a ſero ſtrata, & a nulla hora Eccleſia Sanctæ Mariæ de Rezonico, ſalvoque, ſi aliter reperirentur cohærentiæ, quod ſiletur veritati. & in hoc Inſtrutnento vete, & juxta appoſita intelligantur, quæ quidem Domus ut ſupra cohærentiata fuit, & eſt, Capellæ Sanctorum trium Magorum, ſitæ in terra de Rezonico, & omnia promiſit idem Antonius Syndicus, & Procurator, ut ſupra obligando ſe, & omnia ſua bona, & Dominia ut ſupra, quod vicini, & Parochiani dictæ Parochiæ præſens Inſtrumentum, & omnia, & ſingula in eo contenta approbabunt, & ſolemniter ratificabunt hinc ad ſrea menſes proxime futuros. Quibus ſic actis, ut ſupra præfatus Reverendiſſimus Pater Dominus D. Lazarus Epiſcopus Cumarum, & Comes, præfatas literas Apoſtolicas, & earum præſentationem reverenter, ut decuit, recepit, & admiſit, ibique requiſitus pro parte ſupraſcripti Antonii della Turre de Rezonico Syndici & Procuratoris, ut ſupra, conceſſioni, deputationique, & donationi ſupraſcriptæ Domus ſitæ, & extra muros ſupraſcriptæ terræ de Rezonico, & ad ſupraſcriptam Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Rezonico pertinen., cum hortis, ædificiis, & pertinentiis ſuis univerſis, pro uſu, & habitatione perpetuis aliquorum Fratrum Domus Sancti Johannis extra muros Cumarum Ordinis Prædicatorum de obſervantia ibidem perpetuo famulatorum, per præfatum Sanctiſſimum D. Papam factis, ut ſupra necnon conceſſioni per eundem Summum Pontificem Romanum factæ præfatis Nobilibus, & Univerſitati, & hominibus ſupradictis, Domum præfatam cum Eccleſia, campana, campanili, dormitorio, ceteriſque locis, & officinis neceſſariis pro uſu, & habitatione perpetuis

eorun-

eorundem Fratrum ſub eadem regulari obſervantia degentium, & qui Priori, & Fratribus ejuſdem Domus Sancti Johannis Cumarum perpetuo ſubiiciantur, & ſubjecti remaneant, ædificandi, & perficiendi, & in ea Fratres prędictos, ad id benevolos, recipiendi, collocandi, ſeu recipi, & collocari faciendi, & omnibus, & ſingulis in dictis Apoſtolicis literis contentis, & deſcriptis. Idem Dominus Epiſcopus prænominatus diligenti præhabita in præmiſſis deliberatione, ipſiuſque Domini Epiſcopi, & ſucceſſorum ſuorum in præfato Epiſcopatu Cumarum nomine, Inſtrumenti præſentis tenore, omnibus, modo, jure, cauſa ſua, & forma, prout melius potuit, & poteſt, conſenſit, & conſentit, conſenſumque & aſſenſum animo deliberato præſtitit, atque ſolemniter præſtat, & interponit, & quæ Domus ſupraſcripta pro uſu, & habitatione dictorum Fratrum conceſſa, & donata ut ſupra, ſic deſcribitur, & eſt videlicet, Domus una cum caſis & caſamentis, & ædificiis, & ſolariis, & juribus ſuis, jacens extra terram de Rezonico cum fontibus duobus, & curte, & hortis duobus, & cum plantis fructuum in eis, & cum prato, & campo ſimul contiguis, & ſimul ſe tenentibus ſita, & jacens in vicina de Rezonico, Diœceſis Cumarum, uti dicitur ad Eccleſiam & prope Eccleſiam, quæ bona ſunt dictæ Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Rezonico, & cui quidem Domui cum dictis hortis, & juribus ſuis cohæret a mane lacus ſeu ripa lacus Cumarum, a meridie .... della Turre de Rezonico, & in parte hæredum quondam Trinchani & Pagani della Turre de Rezonico, a ſero ſtrata, & a nulla hora .... Guidoli, & Fratrum, ac prædictorum aliorum della Turre de Rezonico. Et inſuper præfatus Dominus Epiſcopus eiſdem Fratribus uſum ſupraſcriptæ Eccleſiæ Sanctæ Mariæ concedit pro Divinis in ea celebrandis, cum his tamen lege, & pacto, videlicet quod etiam Rector Presbyter Curatus pro tempore exiſteos ejuſdem Parochialis Eccleſiæ Sanctæ Mariæ perpetuum uſum habeat nunc, & futuris temporibus in perpetuum ejuſdem Eccleſiæ Sanctæ Mariæ tam pro Divinis in ea celebrandis quam etiam pro omnibus Eccleſiaſticis in Eccleſia ipſa miniſtrandis & exhibendis, & aliis aliunde neceſſariis expedientibus tanquam Rector, & Curatus ejuſdem Eccleſiæ Parochialis, & ea omnia officia in ea Eccleſia, quæ Rector Curatus quilibet in Eccleſiis Parochialibus facere ..... licet, & prout hactenus vel ipſius Eccleſiæ Rector Curatus uſum habuit ſupraſcriptæ Eccleſiæ, & hæc omnia ſub his tenore, & lege, videlicet, quod vicini, & homines Univerſitatis vicinantiæ Rezonici infra terminum duorum menſium proxime futurorum, domum idoneam, & ſufficientem, a communi jam ut ſupra, pro uſu, & habitatione perpetuis Presbyteri Rectoris, & Curati dictæ Parochialis Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Rezonico de hujuſmodi domo pro habitatione temporibus perpetuis dicti Rectoris cum Clerico ſufficiente provideatur, attenta conceſſione per præfatum ſummum Pontificem de ſupra dicta domo Eccleſiæ cum hortis & juribus ut ſupra, & ut etiam Rector ipſe domum, & habitationem ſufficientem perpetuo habeat ad habitandum in ea, ipſi Nobiles, ac vicini, & Univerſitas aliam domum pro uſu & habitatione perpetuis dicti Rectoris cum Clerico ædificari facient, aut alias deſuper pro uſu, & habitatione, perpetuis diebus ſtabunt ut ſupra, quod interim idem Rector uſum, & habitationem habeat ſupraſcriptæ Domus ſitæ in territorio in terra de Rezonico, quæ eſt ſupraſcriptæ Capellæ Sanctorum trium Magorum ſuper cohærentiis, & aliter, & alio modo, & caſu quo dicti Nobiles & vicini, & univerſitas illa non adimpleverint cum effectu, ipſe Dominus Epiſcopus non conſentit, neque aſſentire vult, nec intendit, donationi, & conceſſioni Apoſtolicis, ſupraſcriptis Fratribus factis, ut ſupra, ſed vult, & intendit præſentem contractum, & gratiam in eo caſu pro infectis haberi. De quibus omnibus, & ſingulis rogatum fuit per me Franciſcum de Rips Notarium, & Scribam præſens confici debere publicum Inſtrumentum. Datum Cumis in Domo Epiſcopali præſentibus ibi pro teſtibus ſpectabili, & eximio Domino Ravazino Ruſca milite, & Doctore, filio quondam generoſi Domini Mengaſii, & honorabilibus viris Dominis Rettino Ruſca filio quondam ſpectabilis Domini Lenterii. & Georgio de Pretigno Cauſidico Cumano filio quondam Domini Johannis, omnibus habitantibus Civitatis Cumarum, notis omnibus idoneis ad præmiſſa rogatis, & adhibitis &c.

Ego Franciſcus de Rips filius quondam Domini Baldaſſaris, publicus Imperiali auctoritate Notarius Cumarum ſcribaque curiæ, præmiſſæ literarum Apoſtolicarum præſentationi conſenſui ut ſupra, protellationi, & aliis ut ſupra factis, dum fierent, præſens fui, eaque ſic ut ſupra perlegitur fieri vidi, & mandavi, & inde de prædictis omnibus hoc publicum Inſtrumentum rogatus tradidi, ſcripſique, & me cum ſigno meo in teſtimonium ſubſcripſi.

6. *Sexageſimo Secundo.*) Stylo Bullarum, *Æræ communis MCCCCLXIII.*

F. Bartholomæus (1) Epiſcopus duos Ordinis Fratres ſibi ſocios adſciſſere poſſit. — Anno 1463 Die 30 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Bartholomęo de Lapariis (3) in univerſali Eccleſia Epiſcopo (4), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. — LXI.

Exigit ſummę devotionis integritas &c. (5). Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim dilectus filius Martialis Auribelli de Avinione, tunc Magiſter Generalis Ord. Fratrum Prędicatorum, attendens, quod tu eidem Ordini, cujus profeſſor exiſtis, prędicationibus, & doctrina plurimum honoris, & utilitatis acquiſiveras, tibi, ut duos Fratres ex ipſo Ordine voluntarios, qui tibi in ſpiritualibus, & aliis honeſtis ſervitiis aſſiſterent, recipere. & tecum retinere, illoſque mutare poſſes, conceſſit, ac voluit, quod nullus inferior eo ipſis pręcipere, aut de eis in quacunque cauſa civili, vel criminali, judicare valeret, ſed quicunque haberet cauſam contra eos, (Diplomatis cauſa.) vel

vel eorum alterum, & non eſſet contentus tuo judicio, ad eum recurreret, mandans etiam Pręſidentibus Conventuum, ad quos te declinare contingeret, ut te cum eiſdem duobus Fratribus tanquam Patrem Ordinis honorifice reciperent, & devote pertractarent. Et deinde cum dilectus filius Dominicus Bartholomęi Frater dicti Ordinis, ejus exceſſibus, & demeritis exigentibus, per quoſdam a Nobis quoad hoc deputatos Commiſſarios cella, ſeu camera, quam in Conventu S. Marię novellę Florentin. dicti Ord. tenebat, & quam per antea quondam Thomas de Corcitanis Frater dicti Ord. Magiſter in Theologia obtinuerat, auctoritate noſtra, ſententialiter privatus fuiſſet, idem Martialis tunc Magiſter dictam cellam ſeu cameram per hujuſmodi privationem vacantem cum quodam parvo cellario, aliiſque juribus, & pertinentiis ſuis tibi conceſſit, & aſſignavit. Poſtmodum vero dilectus filius Conradus Aſten. modernus dicti Ord. Generalis Magiſter primodictam conceſſionem, & alia in ea contenta ratificavit, & approbavit, prout in quibuſdam authenticis ipſius Martialis, tunc Magiſtri, deſuper confectis, ejuſque, ac dicti Conradi Magiſtri, ſigillis munitis, literis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſionibus, literiſque prędictis, pro illarum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adjicere, aliaſque ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, cupientes perſonam tuam, ob ſingularia illius merita ſpecialis gratię favore proſequi, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, conceſſiones, voluntatem, & aſſignationem prędictas, ratas habentes, & gratas, illas, necnon alia omnia, & ſingula in dictis literis contenta, & quęlibet inde ſecuta, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, confirmamus, & approbamus, ac plenum robur obtinere decernimus; ſupplentes omnes, & ſingulos defectus &c. & nihilominus pro potiori cautela tibi, qui unus ex Magiſtris Regeſti literarum Apoſtolicarum exiſtis, ut duos Fratres hujuſmodi voluntarios dicti Ord. penes te habere, & eos, quoties tibi placuerit, mutare libere, ac licite valeas, ita etiam, ut nullus Prępoſitus dicti Ordinis, inferior Generali, eis pręcipere, vel de ipſis civiliter, vel criminaliter judicare poſſit, ſed ſi quis contra eos cauſam habuerit, illius cognitio ad te pertineat, ſi vero te ſuſpectum habuerint, ad eum dictum Magiſtrum recurrere debeant, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium indulgemus, pręterea prędictam cellam, ſive cameram tibi per te quoad vixeris tenendam, & inhabitandam, cum cellario, aliiſque juribus, & pertinentiis ſupradictis, etiamſi dictum Dominicum adverſus eandem privationem in ſtatum priſtinum reſtitui contigerit, auctoritate prędicta, tenore pręſentium concedimus, & aſſignamus. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli &c. noſtrę ratihabitionis, confirmationis, approbationis, conſtitutionis, conceſſionis, & aſſignationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Tertio, Tertio Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Mandatum.

Nota.

1. *Bartholomęus.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Eugenii IV* dictum fuit.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXIV fol.* 199.

3. *De Lapariis.*) En novum cognomen, ab aliis enim dicitur *de Lapaciis*.

4. *Epiſcopo.*) Sedi ſiquidem *Coronenſi* nuncium remiſerat.

5. *Integritas &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Exordiis.

Anno 1463 Die 5 Julii.

Reſcindit literas ad Monaſterium in Lauffen (1) abolendum datas.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXII.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Vicario venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Herbipolen. (3) in ſpiritualibus Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem,

HUmilibus, & juſtis &c. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Priorillę, & Monialium Monaſterii in Lauffen. Ordinis Prędicatorum viventium, Herbipolen. Diœceſis, ac dilectorum filiorum Petri Weil (4) Magiſtri in Theologia, & dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſi, Prioris Provincialis Provincię Theutonię, more dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, in qua dictum Monaſterium ſituatum exiſtit, necnon nobilium virorum Johannis, & Conradi de Lienbeſtein., ac Bernardi de Vibach, Domicellorum dictę Diœceſis ipſius Monaſterii Procuratorum, petitio continebat, quod olim Nobis pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum Comitum in Wirtemberg.... Villę Lauffen. ejuſdem Diœceſis inter cetera ſuggeſto, quod extra ſepes dictę Villę in eorum dominio erat dictum Monaſterium, cujus ſtructurę, & ędificia, guerrarum cauſantibus turbinibus, & aliis ſiniſtris eventibus, partim collapſa exiſtebant, & partim ruinam minabantur, in eoque, ſeu prope illud in quadam parva domuncula duę duntaxat Moniales dicti Monaſterii commorabantur, nec, ut veriſimiliter concipiebatur, ulla ſpes exiſtebat, quod, ſtructurę, & ędificia illius reficerentur, vel debite repararentur, ſeu quod in eodem Monaſterio regularis obſervantia de cetero vigeret, Nos, tunc ſuggeſtionibus hujuſmodi circumventi, aliis noſtris literis dilecto filio Abbati Monaſterii in Murhart ejuſdem Diœceſis, ſuo proprio nomine non expreſſo, dedimus in mandatis, quatenus vocatis dictis duabus Monialibus, & aliis, qui forent evocandi, de ſuggeſtis ipſis ſe informaret, & ſi ita eſſe reperiret, ſuppreſſis in eodem Monaſterio Ordine, & Priorillali dignitate, illud Parochiali Eccleſię Sanctę Regiſmundis ejuſdem villę per eum dictarum literarum vigore in Collegiatam Eccleſiam erigendę, ſeu menſę illius Capitulari unire, annectere, & incorporare curaret; & deinde dilectus filius Johannes ipſius Monaſterii in Murhart Abbas ad earundem literarum talem qualem

qualem executionem ad inſtantiam dictorum Comitum procedens, non vocatis vocandis, neque earundem literarum forma, & juris ordine, ſervatis, ipſam Eccleſiam Parochialem in Collegiatam erexit, necnon Monaſterium Monialium prędictum, ſuppreſſis per eum inibi Ordine, Prioritali dignitate, & dependentia, ſi qua eſſet, menſę pręfatę perpetuo univit, annexuit, & incorporavit, licet de facto, unde Moniales, Prior, & Patroni prędicti, quam primum pręmiſſa ad eorum devenerunt notitiam, ſentientes ſe exinde indebite gravari, ad Nos, & Sedem Apoſtolicam appellarunt. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ipſi appellantes legitimis impedimentis detenti, eorum appellationem non extiterint infra tempus legitimum proſecuti, & in impetratione literarum earundem ipſi Comites ſubricuerint veritatem, & expreſſerint falſitatem (5), dat. earundem literarum dictę Moniales in eodem ſuo Monaſterio non domuncula religioſe vivebant, prout vivunt de pręſenti, ipſumque illarum Monaſterium in ſtructuris ſuis ex illius redditibus quamplurimum reparetur, & regularis obſervantia vigeat in eodem, nec Moniales Monaſterio ipſo ſpoliari, & privari debeant, nec nobiles Patroni pręfati, per quorum progenitores dictum Monaſterium Monialium fundatum, & dotatum comperitur, patronatus Monaſterii Monialium hujuſmodi carere meruerint, pro parte earundem Monialium, Prioris, & Patronorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut lapſu temporis hujuſmodi non obſtante, eos ad proſequendum appellationes ſuas hujuſmodi reſtituere, necnon illarum cauſas, una cum toto negotio principali aliquibus in partibus illis committere, & alias eis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę &c. Mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi, ipſis appellantibus ad proſecutionem hujuſmodi, ſi, & poſtquam tibi de ipſis impedimentis legitime conſtiterit, reſtitutis, & auditis hinc inde propoſitis etiam de principali negotio cognoſcens legitime, quod juſtum fuerit auctoritate noſtra decernas, faciens quod decreveris firmiter obſervari. Teſtes autem &c. Et nihilominus ſi etiam tibi conſtiterit, quod literę prędictę ex falſis cauſis a Nobis emanarint, illas, ac illarum vigore per ipſum Abbatem factas unionem, annexionem, & incorporationem prędictas, ac habitos proceſſus, & inde quęcunque ſecuta, eadem auctoritate caſſes, revoces, & annulles, necnon Moniales, & patronos prędictos in priſtinum ſtatum, in quo ante dictas unionem, annexionem, & incorporationem exiſtebant, reducas, & reponas; contradictores &c. Non obſtantibus &c. quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim a dicta ſit Sede indultum quod interdici &c. Datum Tibure Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Tertio, Tertio Non. Julii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Lauffen.*) *In Germania.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXVIII fol.* 196.
3. *Herbipolen.*) Incolis *Wurtzburg*, Italis *Herbipoli*, in *Franconia.*
4. *Petri Well.*) Cujus meminit *Echard Tomo I ſcriptorum Ordinis ad annum MCCCCLXIX pag.* 843.
5. *Falſitatem.*) Quædam deſunt. Adderem: *cum tempore*

Ut Vicarius Generalis Congregationis Lombardiæ recurrere poſſit ad Magiſtrum Ordinis, quo temperet (1), & mutet ejuſdem Congregationis leges.

Anno 1463
Die....

Ex Bullario Caſtellani Parte I pag. 14.

LXIII.

Dilecto filio Vicario Generali Conventuum reformatorum utriuſque Lombardiæ.

P I U S PP. II.

Dilecte Fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUia occurrit interdum pro conditione temporis, ac neceſſitate Conventuum, & Religioſorum tibi ſubjectorum, variare, & moderari nonnulla Capitula, & ordinationes inter Magiſtrum Generalem, & Congregationem obſervantię Lombardię Ordinis tui Mantuę factam, nec poſſit facile pro unaquaque minima re hujuſmodi Capitula, & ordinationes concernente ad Nos recurri; idcirco pro majori quiete, & commoditate ipſius Congregationis, & Religioſorum tuorum, devotioni tuę, ut in ſingulis pręmiſſis ad eundem Magiſtrum Generalem, quando, & quoties fuerit opus, recurrere, ac ipſi Magiſtro Generali ad inſtantiam tuam, & majoris partis Priorum, & Patrum Ordinis, qui ad Congregationem, quam ſingulis annis celebrare conſueviſtis, convenient, quatenus ordinationes, & Capitula hujuſmodi modificare, & variare valeat, prout ſecundum Deum expedire judicaverit, licentiam, & facultatem concedimus per pręſentes. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Pontificatus noſtri Anno (a) Quinto.

1. *Temperet.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullar, Tomo ultimo Tit. IV.*
a. *Anno.*) Dies deſideratur.

Ma-

Anno .....
Die ....

Magiſtro Generali poteſtatem facit (1) mutandi leges Congregationis Lombardiæ.

Ex Bullario Caſtellani Parte I pag.14.

LXIV.

Dilecto filio Magiſtro Generali Ordinis FF. Prędicatorum.

PIUS PP. II.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LIcet alias eum apud Mantuam eſſemus, quędam Capitula, & Ordinationes inter Magiſtrum Generalem, & Congregationem obſervantię Lombardię Ordinis tui, pro majori pace, & quiete ipſius Congregationis fecerimus, prout negotiis, & rebus, quę tunc occurrebant, judicavimus expedire; quia tamen contingit interdum pro conditione temporum, ac neceſſitate Conventuum, dicta Capitula, & Ordinationes variare, & moderari oportere, idcirco devotioni tuę, ut ad inſtantiam, & requiſitionem Vicarii Generalis dictę obſervantię, & ſex, vel octo Fratrum diſcretorum per ipſum Vicarium Generalem de eadem obſervantia eligendorum, quando, & quoties opus fuerit, dicta Capitula, & Ordinationes modificare, mutare, & variare, prout ſecundum Deum expedire judicaveris, auctoritate noſtra poſſis, & valeas, licentiam, & facultatem concedimus per pręſentes. Non obſtantibus &c. (2).

1. *Facit.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.IV.*

2. *Non obſtantibus &c.*) Dies & Annus deſunt.

Anno 1463 Die 22 Septembris.

Monialibus Monaſterii in Varler, Conſtantien. (1) Diœceſis, ut diebus vetitis veſci poſſint lacticiniis, & butyro.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXV.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Monialibus Monaſterii in Varler per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, Conſtantien. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. AD hoc Omnipotens Deus in Apoſtolica Sede poteſtatis plenitudine conſtituit Romanum Pontificem, qui a Beato Petro cęleſti clavigero claves acceptavit, ut nunc rigorem exerceat, nunc manſuetudinem interponat, prout perſonarum, & locorum qualitas exigit, & id in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte veſtra, petitio continebat, quod Monaſterium veſtrum in Varler Ordinis S. Auguſtini, Conſtantien. Dięceſis, in ſterili patria, ubi copia

Diplomatis cauſa. olei boni non habetur, conſtitutum exiſtit, voſque, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentes ſępe numero indigentiam ejuſdem olei ſuſtinetis. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut cum incolę, & habitatores partium circumvicinarum ex indulto Apoſtolico lacticiniis, & butyro diebus prohibitis veſcantur, vobis etiam, necnon ſubditis, & familiaribus veſtris, quod quadrageſimalibus, & aliis diebus jejunii ab Eccleſia inſtitutis, butyro veſci poſſitis, concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, ac ſubditis, & familiaribus prędictis, quod quadrageſimalibus, & aliis diebus jejunii inſtituti ab Ec-

Facultas. cleſia, exceptis duntaxat feriis ſextis quadrageſimę, & quatuor temporum, necnon vigiliis Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Paſchę, & Aſſumptionis B. Marię Virginis, butyro impune veſci poſſitis, ac ipſi ſubditi, & familiares poſſint, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium de ſpecialis dono gratię indulgemus. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Tertio, decimo Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Conſtantien.*) In Helvetiis.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Arch. Apoſtolico Libro XCV fol.* 225.

Bo-

Bononienſes Fratres rerum ſuarum procuratores (1) creare poſſint.

Anno 1464 Die 5 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXVI.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio noſtro Angelo (3) Tituli Sanctę Crucis in Jeruſalem Presbytero Cardinali in Civitate noſtra Bononien. Apoſtolicę Sedis Legato, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

HUmilibus petentium, pręſertim religioſarum perſonarum votis &c. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum moderni Prioris, & Fratrum Domus Sancti Dominici Bononien. Ordinis Prędicatorum, petitio continebat, quod licet alias pro ſuſtentatione ſtudii, atque ſtudentium in facultate Theologię in pręfata domo, ac etiam ex certis rationabilibus aliis cauſis Priori pro tempore, & Fratribus domus ejuſdem pro hujuſmodi, & aliis oneribus ſupportandis, ut bona immobilia retinere, proot etiam antequam domus hujoſmodi ad obſervantiam reduceretur regularem, Prior, & Fratres ejuſdem per multa tempora, atque etiam poſt reductionem hujuſmodi tenuerant & poſſederant, libere, & licite poſſit, canonice permiſſum fuerit, quia tamen Prior, & Fratres prędicti, provide conſiderantes bona prędicta ex eo diminuta fore, quod ipſi minus ſufficientes erant ad illa pręſertim ab occupatione potentium defendenda, & conſervanda, maturo ſuper hoc inter eos habito conſilio, nonnullos Cives Bononien. alioquin viros probos, & ſufficientes in eorum Syndicos, procuratores, geſtores, ac bonorum eorundem defenſores, quoad illa manutenenda, & conſervanda capitulariter elegerunt, conſtituerunt, & deputarunt, ipſique cives taliter electi onus ſyndicatus, & procurationis, ac defenſionis hujuſmodi in ſe ſponte ſuſceperunt. Quare pro parte Prioris, & Fratrum, aſſerentium, quod in eorum Eccleſia Corpus Beati Dominici Confeſſoris requieſcit, ac Civium electorum hujuſmodi, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut electioni, conſtitutioni, & deputationi per eos factis hujuſmodi pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis, etiam cum ſuppletione omnium, & ſingulorum defectuum adiicere, quodque aliquo ex dictis Syndicis decedente, Prior, & Fratres prędicti alium in ejus locum eligere, ſubſtituere, & ſubrogare poſſint, & valeant, ita quod pręmiſſa omnia, & ſingula per alium, quam per Romanum Pontificem quoquomodo immutari nequirent, ſtatuere & decernere, ac alias ipſis, & eorum ſtatui ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, circumſpectioni tuę, de qua in his, & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus ſuper his per te diligenti informatione pręhabita auctoritate noſtra provideas, ac facias prout tibi, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, ſecundum Deum videbitur ſalubriter expedire, reſervata tamen Priori pro tempore, & Fratribus antedictis pręmiſſa quandocunque eis placuerit revocandi facultate. Non obſtantibus pręmiſſis &c. quibuſcunque. Datum Senis (4) Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Quarto, Tertio Non. Maii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Diplomatis cauſa.

Facultas.

1. *Procuratores*.) Conſulendus *Tractatus de conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Arch. Apoſtolico Libro XCIV fol.* 172.

3. *Angelo*.) *Capranica*, nobili Romano, *Dominici Capranica* fratri. Adeas *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. ad an. MCCCCLVIII pag.* 1035.

4. *Senis*.) Hinc *Senas* hoc anno petiiſſe *Pium II*, diſcimus. Suffragatur *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCCLVIII pag.* 1004, ubi hæc habet: *Anno MCCCCLXIV* .... *dum adventarent, & claſſis, & copiæ confœderatorum, ipſe* (Pius) *Senas proficiſcitur, iturus ad balnea Petriolana, quæ potiſſimum ejus ægritudinem lenire videbantur*. Hæc ille cui adverſatur *Victorellus* in *Notis* ad eundem locum. In hoc uno tamen emendandus videtur *Ciaconius*: quod iter *Senenſe* reiiciat ad menſem Junium (*Menſe Junio*, inquit, *id accidit*.) & relictis balneis, per *Sabinos, Umbros, Picentes, Anconam* iviſſe *Pium* doceat. Aderat certo *Romæ* die *XIII* Junii, ut ex ſequenti Diplomate liquet.

Societatem Peregrinantium (1), Fidei nempe Præcones, ſeu Miſſionarios, Ordinis Prædicatorum, privilegiis ampliſſimis ornat.

Anno 1464 Die 12 Junii.

Ex Bullario (2) *Uſuſmaris pag.* 141.

LXVII.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

DUm levamus in circuitu oculos noſtros, & gregem Dominicum ſolicitudini noſtrę, diſponente Domino, commiſſum, undique mentis acie contemplamur, ex debito paſtoralis officii vigilem curam impendimus, ut cultores vineę Sabaoth ſic cultui ſalutis intendant, ut ejus virtuoſi palmites, extirpatis ſpinis, & tribulis, latius extendantur, ſic ille cęleſtis Agricola, & pius pater familias ad excolendam vineam ſuam diverſis horis, & tempore, ſervos miſit, ne fructus propter cultorum inopiam deperiret, ſed potius virtutum, & bonorum operum (3) germinaret. Cum vero in terris infidelium meſſis quidem ſit multa, operarii vero pauci, ac ager Dominicus ſpinis, & vepribus repleretur, nonnulli Prędeceſſores noſtri de florido Prędicatorum Ordine ad irrigandum imbre Sanctę prędicationis corda Aquilonarium, & Orientalium nationum aliquos direxerunt filios & alumnos, qui, flante ſpiritu, plenos manipulos in horrea Sanctę matris Eccleſię portaverunt. Sed proh dolor! temporibus noſtris

Laus Ordinis Prædicatorum.

noſtris venit inimicus homo, & ſuperſeminavit zizania in medio tritici, cum pre Turcarum potentia Chriſtianorum aliquas nationes ſuo impiiſſimo dominatui ſubegerit (4). Inde fit, ut nos eo efficacius

Diplomatis cauſa.

operam impendamus, quo magis gregem Dominicum a diro ſerpente conſpicimus crudelius laniari, utque opportunis remediis commodius provideatur, Nos dilecto filio Chriſtophoro de Viterbio (5) Ordinis Predicatorum Sacre Theologie profeſſori, totius Societatis (6) Peregrinantium propter Chriſtum inter gentes Vicario generali, & heretice pravitatis Inquiſitori per nos deputato, & conſtituto,

Privilegia conceſſa.

& aliis ſuis Succeſſoribus pro tempore deputandis in partibus Orientalibus tam fidelium quam infidelium conſtitutis, & quam maxime in Civitatibus Caffe, & Pere, Chii, & in terris Saracenorum, Paganorum, Grecorum, Bulgarorum, Cumanorum, Æthiopum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Zirorum, Rutenorum Syrorum, Jacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Agoieſticorum (7), Tartarorum, Careiorum, Hungarorum majoris Hungarie, & aliorum qui nondum Sacramenta fidei perceperunt, ut ipſe Vicarius, & ejus ſucceſſores, & deputandi ab ipſis pro tempore dicti Ordinis Fratres poſſint ſingulorum Chriſti fidelium quorumcunque dioceſis, & locorum ad ipſos pro tempore confluentium, confeſſionem audire, & pro commiſſis, etiam ſi talia fuerint propter que Sedes Apoſtolica foret merito conſulenda, penitentiam ſalutarem injungere, necnon a quibuſvis ſententiis excommunicationis tam ab homine quam a jure latis, ac aliis cenſuris, & penis, quomodocunque, vel qualitercunque illas incurrerint, ſeu ligati fuerint, abſolvere, necnon, dummodo tales bigamie labe reſperſi non ſint, ſuper irregularitate, ſi quam quovis modo & cauſa incurrerint, diſpenſare, ac hujuſmodi confeſſione audita Euchariſtie, & Extreme Unctionis, aliaque Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare. Inſuper ut ſinguli Confeſſores idonei quos Vicarius & Fratres partium predictarum dicti Ordinis duxerint eligendos, omnium peccatorum ſuorum de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, plenariam remiſſionem in mortis articulo impendere, vel, ſi alias copiam confeſſorum habere non valuerint, dummodo contriti exiſtant, eandem indulgentiam conſequantur. Quodque confeſſores ipſi ſingulorum confeſſiones audire, & pro commiſſis, quoties ipſis videbitur, etiam ſi talia ſint propter que Sedes Apoſtolica merito ſit conſulenda, debitam abſolutionem impendere, ac penitentiam ſalutarem injungere, necnon ipſorum Fratrum ſingulos, a quibuſcunque ſententiis, cenſuris, & penis in ipſos quavis auctoritate promulgatis abſolvere, & ſuper irregularitate per ipſos quoquo modo contracta diſpenſare, omnemque inhabilitatis, & infamie maculam, dummodo a bigamia non proceſſerint, abſolvere libere, & licite valeant. Inſuper, ut ipſorum Fratrum bonorum operum fructus amplius valeant propagari, ut Vicarius, & Fratres pro tempore exiſtentes, prefata ſingula loca alias pro habitatione, & uſu Fratrum dicti Ordinis idonea, & in illis domos, monaſteria cum Eccleſiis, Campanilibus, campana, dormitoriis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis erigere, que quidem loca, domus, & monaſteria recepta, & erecta, & eorum perſone, omnibus, & ſingulis privilegiis, indulgentiis, immunitatibus, & indultis, aliis locis, domibus, monaſteriis, & perſonis Ordinis Predicatorum a Sede Apoſtolica quoquomodo conceſſis utuntur, & gaudent, uti pariter debeant, & gaudere. Inſuper ut Vicarius, & Fratres predicti omnibus, & ſingulis gratiis, libertatibus, exemptionibus, privilegiis, indulgentiis, & indultis quibus Provincialis, & Fratres Provincie Terre Sancte utuntur, & gaudent, & que Romani Pontifices Fratribus Predicatoribus dicte Societatis hactenus conceſſerunt, etiam uti, & gaudere valeant. Quod Fratres ipſi Schiſmaticos & excommunicatos, ſeu interdictos quoſcunque, etiam quantumcunque notorios, niſi quos Vicarius, ſeu deputati per eum evitare mandaverint, evitare minime teneantur. Inſuper omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus, qui de bonis ſibi a Deo collatis pro centenario videlicet unum pro liberatione fidelium Captivorum de manibus infidelium, ſeu pro erectione, & fundatione, ſeu manutentione domorum, & Monaſteriorum, pro uſu & habitatione dictorum Fratrum erogaverint, liceat eligere confeſſores idoneos, qui confeſſione eorum diligenter audita, ab omnibus peccatis, criminibus, & exceſſibus, etiam in caſibus Sedi Apoſtolice ſpecialiter, vel generaliter reſervatis, ſemel duntaxat, deinde quoties fuerit opportunum, dummodo talia ſint propter que Sedes Apoſtolica ſpecialiter conſulenda non fuerit, abſolvere, & penitentiam ſalutarem injungere, necnon omnium peccatorum in mortis articulo, remiſſionem impendere licite valeant, auctoritate Apoſtolica ſingulis predictis, prout eos contingit, tenore preſentium indulgemus. Inſuper predicto, & aliis qui pro tempore fuerint dictarum partium Vicariis, ſuper natalium, & etatis infra vigeſimum tertium annum defectibus cum perſonis, & Fratribus Ordinem predictum profiteri volentibus, & profeſſis, ut ad omnes ſacros Ordines, uſque ad Preſbyteratus Ordinem incluſive, & ſingulas ordinis prelaturas, & officia in dictis partibus promoveri, & in illis miniſtrare valeant diſpenſandi; Necnon Notarios ad actus publicos in favorem fidei Chriſtiane conſcribendos, creandi, & inſtituendi, dicta Auctoritate, tenore preſentium concedimus facultatem. Inſuper, ut fidelium ferventius devotio in fide creſcat, ut omnes, & ſingule utriuſque ſexus perſone, que predicationibus dictorum Fratrum interfuerint, & illas cum propoſito ſe emendandi audierint, ſingule ſingulis vicibus unius anni, & quadraginta dierum Indulgentiam conſequantur. Quodque Fratres & Sorores de Penitentia S. Dominici, quos Vicarius, ſeu ab eo deputati Fratres pro tempore recipient, & alie utriuſque ſexus perſone, que in Societate Beate Vir-

Nota.

ginis ſub capitulis, & ceremoniis per ipſos Vicarium, ſeu Fratres ordinandis Altiſſimo devote famulabuntur, confeſſores eligere, qui confeſſionibus eorum diligenter auditis, ipſis confeſſis, & contritis, plenariam in mortis articulo omnium ſuorum peccaminum remiſſionem impendere valeant: Poſtremo ut idem Vicarius, & Inquiſitor alios Inquiſitores heretice pravitatis in Provinciis, de quibus ſibi videbitur, ſupradictis, ſubſtituere, & ordinare valeat. Et ut liberius iidem Vicarius, & Fratres vivere valeant & Deo confidentius deſervire, in omnes & ſingulos cujuſcunque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtant qui bona mobilia ſive immobilia, videlicet poſſeſſiones, domos, apothecas, libros, Calices, paramenta, inſtrumenta, & omnia alia ad Divinum cultum pertinentia ad uſum, & commodum Fratrum ne-

neceſſaria contra ipſorum Vicarii, & Fratrum voluntatem occupantes, & detinentes excommunicationis ſententiam promulgamus, a qua nolumus a quoquam abſolvi poſſe, niſi prius reſtitutione, vel cum eorum Vicario, ſive Fratribus conventione facta, de ipſius, ſive de ipſorum beneplacito, & libera voluntate. Et, ut ipſe Vicarius talentum ſibi creditum, ſine impedimento, & obſtaculo valeat exercere, ex certa noſtra ſcientia ipſam Societatem quę per nonnulla capitula Generalia dicitur eſſe diviſa, redintegramus, & reponimus, ac in idem corpus, ut prius erat, reponi volumus, & mandamus, pręſertim omnes Conventus Lithuanię, Ruſſię, Ypodolię (8), Valacchię majoris, & minoris, non obſtantibus quibuſcunque literis, & ordinationibus Capitulorum generalium in oppoſitum conceſſis, & concedendis, declarantes, & mandantes, tales Conventus, & nationes a modo eſſe ſub Vicario dictę Societatis Peregrinantium. Quia vero conditio temporis hoc requirit, volumus, & mandamus, ut Fratres, qui dicuntur Uniti (9), vel Armeni, quod non obſtantibus privilegiis aliquorum Summorum Pontificum, etiam ſi de ipſis privilegiis de verbo ad verbum deberet fieri mentio ſpecialis, ut ſecundum quod prius fuerat, ipſi Vicario in omnibus, & per omnia ſubdantur, & de eis diſponere poſſit, ſicut de ceteris ſui Ordinis Fratribus. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in generalibus, vel ſpecialibus Conciliis editis conſtitutionibus, & ordinationibus, quibus, quantum pręſentibus adverſantur, derogari volumus, etiamſi talia ſint, de quibus ſpecialis, & expreſſa, ac de verbo ad verbum mentio pręſentibus eſſet habenda, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtrę conceſſionis, excommunicationis, voluntatis, mandati, & declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Quarto, Pridie Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Peregrinantium*.) Conſulendus *Tractatus de conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VIII*.
2. *Bullario*.) Legitur etiam apud *Confettium pag.63*.
3. *Operum*.) Adderem: *Segetem*.
4. *Subegerit*.) Apud Confettium: *Subjecerit*.
5. *Chriſtophoro de Viterbio*) Meminit *Ferrarius de Rebus Hungar. Provincia Parte IV Libro unico Cap. VIII pag.480*.
6. *Societatis*.) Adeas *Ferrarium* Capite mox laudato:
7. *Agoleſticorum*.) De ceteris nationibus, quarum Diploma meminit, ſæpius dictum fuit, quinam vero ſint *Agoleſtici*, hic annotandum. Sic *Abiſſini* vocati videntur ex *Agola* civitate.
8. *Ypodoliæ*.) *Podoliæ*. Provincia eſt *Poloniæ*.
9. *Uniti*.) De quibus ſæpius dictum fuit.

Unit Parochialem Eccleſiam in Oberſununaw, Conſtantien. Diœceſis, Monaſterio Monialium in Sirunuaw (1) ejuſdem Diœceſis.

Anno 1464 Die 13 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXVIII.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Prępoſito Eccleſię Stoegarden., Conſtantien. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD Eccleſiarum, & Monaſteriorum omnium &c. (3). Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Monialium in Sirunuaw, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, & ſecundum inſtituta Fratrum Prędicatorum viventium, Conſtantien. Dięceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim bonę memorię Henricus Epiſcopus Conſtantien. pro ſuſtentatione Monialium, quę in dicto Monaſterio in copioſo numero ſedulum, & devotum cum puritate mentis exhibent Altiſſimo famulatum, & aliis Monaſterii, & Conventus, hujuſmodi ſupportandis oneribus, Parochialem Eccleſiam in Oberſununaw dictę Dięceſis, cujus pręſentatio perſonę idoneę in Rectorem ipſius Eccleſię, cum pro tempore vacat, ad Prioriſſam, & Conventum prędictas de antiqua approbata conſuetudine pertinet, de conſenſu dilectorum filiorum Prępoſiti, Decani, & Capituli Eccleſię Conſtantien., necnon Ulrici Latz moderni dictę Parochialis Eccleſię Rectoris, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis prędicto Monaſterio auctoritate ordinaria incorporavit, annexuit, & univit, prout in literis ejuſdem Epiſcopi deſuper confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte Prioriſſę, & Conventus prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut incorporationi, & unioni prędictis pro eorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac alias eis ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi vocatis quorum intereſt, ita eſſe repereris, unionem, & incorporationem prędictas auctoritate noſtra approbes, & confirmes, ſuppleaſque omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem; & nihilominus Prioriſſę, & Conventui prędictis, aſſerentibus, quod in ipſius Eccleſię Parochia una ſola domus cum paucis hominibus in ea degentibus exiſtunt, quod eidem unitę Eccleſię per idoneum presbyterum ſecularem, vel regularem deſerviri facere libere, & licite valeant, eadem auctoritate concedas. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſterii, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę (4) apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Quarto, Idibus Junii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Diplomatis cauſa.

Confirmatio.

1. *Sirunuavo*.) In *Suevia*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XCVII fol.218*.
3. *Omnium &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Exordiis.
4. *Roma*.) Qua diſceſſit *Anconam* iturus *XIV* Kalendas Julii. Adeas *Oldoinum* apud *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCCLVIII pag.1085*.

Anno 1464 Die 1 Auguſti.

LXIX.

Ne nota hæreſeos inuratur iis, qui ſanguinem Chriſti in Paſſione effuſum a Deitate ſeparatum fuiſſe, dixerint (1).

Ex Bullario (2) Romano in Pio II, Conſtitutione XI.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

INeffabilis ſummi providentia Patris ad hoc Nobis, quamvis immeritis, univerſalis Eccleſię regimen pia dignatione commiſit, ut tanquam de ſummo vertice ad infims refluentes intuitum, quid pro ſacrę Religionis expediat propagatione felici, & qualiter illius multiplicatis plantationibus Religio ipſa floride dilatetur, ſolertius intendamus, omneſque inquietudinis, & moleſtię ſomites ſubtrahamus, ſicque ſtatui omnium Religioſorum in humilitate Altiſſimo famulantium opportune provideamus, quod omnibus ab ipſo ſublatis moleſtiis in Religionis obſervantia jugique perſeveratione quietius intendere valeant. Sane cum dudum inter dilectos filios Prędicatorum, & Minorum Ordinum Fratres, ſatore zizanię operante, ſuper eo, quod eorum aliqui in ipſorum prędicationibus pretioſum Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti in triduo Paſſionis ejuſdem ſeparatum fuiſſe ab ipſius ſanctiſſima Divinitate aſſeverabant, alii vero fore contrarium tenebant, diſſenſionis materia exorta foret, ex qua ad tantam inter eos altercationem, ut accepimus, deventum extitit, ut facile mentibus fidelium poſſet ſcandalum generari. Et licet alias Nos ad obviandum prędictis, auditis iis, quę circa pręmiſſa utraque pars dicebat, & allegabat, ſilentium impoſuerimus, ac materiam ipſam indiſcuſſam pro tunc reliquerimus, ac mandavimus, de hujuſmodi dubietate amplius diſceptationem aliquam fieri non debere, quia tamen verendum foret, ne ex contrarietate prędicta in mentibus eorundem Chriſti fidelium aliquid ſcandali ad eorum animas illaqueandas evenire poſſit, matura pręmeditatione curavimus omnibus ſiniſtris eventibus in pręmiſſis, prout ex debito paſtoralis officii aſtringimur, obviare. Ut igitur in Eccleſia Dei orthodoxę Fidei unitas pręſervetur, & de cetero tollatur occaſio in hujuſmodi controverſias incidendi, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium ſtatuimus, & ordinamus, quod nulli Fratrum prędictorum deinceps liceat de ſupradicta dubietate diſputare, prędicare, vel publice, aut private verbum facere, ſeu aliis ſuadere, quod videlicet hęreticum, vel peccatum ſit tenere, vel credere, Sanguinem ipſum Sacratiſſimum, ut pręmittitur, triduo paſſionis ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ab ipſa Divinitate quomodolibet fuiſſe, vel non fuiſſe diviſum, vel ſeparatum, donec ſuper dubietatis hujuſmodi deciſione quod tenendum ſit, fuerit per Nos, & Sedem Apoſtolicam, definitum.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

Mandantes propterea univerſis, & ſingulis eorundem, & aliorum quorumcunque Ordinum per totum Orbem conſtitutis Fratribus, cujuſcunque ſtatus, gradus, vel conditionis exiſtant, pręſentibus, & futuris ſub excommunicationis latę ſententię pęna, quam ipſo facto incurrant, & a qua niſi in mortis articulo conſtituti, niſi per Nos, aut Succeſſores noſtros prędictos abſolvi poſſint, ne contra ſtatutum, & ordinationem noſtram prędictam venire, aut facere, vel tentare quoquomodo pręſumant, necnon omnibus, & ſingulis prędictorum, & aliorum Ordinum Pręlatis, ut in virtute ſanctę obedientię tranſgreſſores omnes, quos in pęnam hujuſmodi incidiſſe, aut contra prędicta dixiſſe, vel feciſſe pręſumpſerint, dignis pęnis, diriſque carceribus punire, & mancipare procurent: ac Fratribus ipſis utriuſque, ſeu alterius Ordinis, ne de cetero ſub eiſdem pęnis aliquem Fratrem, ſeu alium, hęreticum propterea proclamare, aut hęreſis ex hoc labem incurriſſe dicere, vel aſſerere pręſumat: Sed ſi eos aliquem, vel aliquos hęreſim aliquam incurriſſe conſtiterit, illum, vel illos apud Sedem Apoſtolicam denunciare teneantur, & debeant, quodque inter alias quaſcunque eccleſiaſticas, ſecularesve perſonas nullus Fratrum Ordinum prędictorum, ſeu aliorum aliquem infamare de prędictis, aut de illo quomodolibet proclamare pręſumat, quinimmo ut Fratres ipſi Prędicatorum, & Minorum Ordinum hujuſmodi mutuo ſe diligant, & cum caritate pertractent ſecundum Ordinum ipſorum inſtituta, & regularis obſervantię regulam, ſub pęna pręmiſſa, auctoritate pręfata tenore pręſentium injungimus: decernentes ex nunc, omnes, & ſingulos Fratres Ordinum prędictorum, qui prędicta non obſervare, vel illis contrafacere, vel venire ſtuduerint cum effectu ad omnes actus legitimos religioſorum, & ordinum ipſorum penitus inhabiles, & incapaces, necnon irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum mandati, injunctionis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Anconę Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Quarto, Kalendis Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Nota.

1. *Dixerint.*) Vide notas ad *Conſtitutionem XXII Clementis VI, Tomo II pag.* 235 *&c.*, & ad *Conſtitutionem LVI Pii II.*

2. *Bullario.*) Legitur etiam apud *Confettium pag.* 41, & in *Bullario Bononienſi pag.* 41.

AP-

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Archiepiſcopi, & Epiſcopi, Dignitates, Pio II Summo Pontifice, Promotos exhibens.

ARCHIEPISCOPI.

F. Petrus Venetus, Archiepiſcopus Corphienſis, ſeu Corcyrenſis, vulgo *Corfu*, in ejuſdem nominis Inſula ditionis Venetæ. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XXXII pag. 70, ex Actis Capituli Generalis Noviomagenſis*, quæ refert *pag.* 145, & 318, ubi de eodem *Petro* mentio fit. *Cavalerius Tomo I pag. 262 num. CLXXV.* Anno 1458.

F. Johannes Armenus, Archiepiſcopus Naſcivanenſis, ſeu Naxuanenſis, vel Nacxſiovanenſis, vulgo *Naſſivan*, in Armenia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. IX pag 56, ex Galano. Cavalerius Tomo I pag. 284 num. CCXXXII.* Anno 1462.

F. Humbertus de Roto, Gallus, Archiepiſcopus Armachanus, in Hibernia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I. Cap. IV Tit. VIII pag. 55, ex Fernandez, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 268 num. CLXXXIX.* Anno circiter 1464.

EPISCOPI.

F. Henrichus de Rubenach, Epiſcopus Venecomponenſis. *Echard Tomo I ſcriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag. 25 col. 1*, ubi hæc habet. *Henricus de Rubenach Epiſcopus Venecomponenſis, S. Theologiæ Magiſter, Roberti Bavari Archiepiſcopi Colonienſis ſuffraganeus* (id eſt Vicarius) *ab anno MCCCCLVIII, qui Roberto abdicante, & ipſe abdicavit, deinde Coloniæ legit publice Theologiam, & Decanus fuit Gymnaſii Theologici, & obiit anno MCCCCLXXXIV ſepultus ad Prædicatores. Sic Heiſter in ſuffraganeis Colonien. pag. 98. A noſtris de Ravennato, vel Rivenio corrupte dictus.* Sic cognominatur a *Cavaleria Tomo I pag. 262 num. CLXXIV*, & a *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap V Tit. DCXXII pag.* 318. Ubinam vero ſit hæc *Venecomponenſis* Sedes ſcriptores illi non dicunt. Urbs eſt in *Tranſylvania*, quæ vulgo *Venecz* vocatur. Legendum fortaſſis *Vencomponen*. Hujus nominis Civitas Epiſcopalis eſt in *Armenia*, ſub Archiepiſcopo *Sergiopolitano*, uti docet *Waddingus Annal. Minor. Tomo V pag.* 263. Anno 1458.

F. Henricus Pragenſis, Epiſcopus Sebaſtenſis, vel in Palæſtina, ſub Archiepiſcopo Nazaræno, vel in ora Ciliciæ, ſub Tarſenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXXIX pag.* 293, *ex Actis Capituli Generalis Noviomagen. Cavalerius Tomo I pag. 262 num. CLXXVII.* Anno 1458.

F. Simon Epiſcopus Conneren., *Conner*, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Armachano. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio*, ceteriſque. Epiſcopus conſtitutus fuit hocce Diplomate. *Pius Epiſcopus, Servus* Anno 1459 Die 12 Februarii.
Servorum Dei, dilecto filio Simoni electo Conneren. &c. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ mem. Johanne Epiſcopo Conneren. regimini Eccleſiæ Conneren. &c. cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum dicti Johannis, qui extra Roman. Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis exponatur &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ord. Fratrum Prædicatorum in ſacerdotio conſtitutum, & in Theologia Baccalaureum formatum, religionis zelo conſpicuum, vitæ, ac morum honeſtate decorum in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum donis, prout fide dignis teſtimoniis accepimus, inſignitum direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta præfata Eccleſiæ Conneren. de dictorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Peruſii Anno &c. Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Octavo (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCLIX), *Pridie Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro XI fol.* 50.

Anno 1459 Die 31 Auguſti.

F. Leonardus de Neapoli Epiſcopus Ballacenſis. Is ipſe videtur Leonardus de Neapoli, quem Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XIII pag. 117, ex Fernandez, & Taegio, ac Cavalerius Tomo I pag. 271 num. CC Epiſcopum Alacenſem vocant. Alatenſis Epiſcopus dicitur a Plodio. Addunt Auctores illi, quod a Paulo II circa annum MCCCCLXVI Epiſcopus iſte creatus eſt. Nec diſtinguendus mea quidem ſententia a Leonardo de Neapoli Epiſcopo Vallerenſi, alumno Neapolitani Conventus S. Petri Martyris, quem anno MCCCCLXXV Epiſcopum a Sixto IV eenunciatum, Cavalerius docet Tomo I pag. 283 num. CCXXIX. Enim vero Cavalerio prævivit quidem Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXII pag. 316, ſed Regeſtum, quod citat id unum probat, quod ſcilicet Leonardus florebat anno MCCCCLXXV. Ceterum quænam ſint Sedes iſtæ Vallerenſis, Alacenſis, vel Alatenſis ſcriptores illi non dicunt. Vallius noſter apud Cavalerium pag. 271, cenſet Epiſcopatum Alacenſem unitum fuiſſe Civitaten. Epiſcopatui. Crediderim voces iſtas Valleren., Alacen., Alaeen., corruptas fuiſſe, uti de Vallerenſi ſuſpicatur Cavalerius pag. 283. Idem dicendum de Ballacen., non enim reperitur Epiſcopatus iſte in Tabulis Geographicis. Legendum fortaſſis Balanen., vulgo Valania. Urbs eſt Epiſcopalis Syriæ, ſub Archiepiſcopo Apameno. Succeſſit Bernardo, ut ex hoc Diplomate liquet. Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Leonardo de Neapoli electo Ballaeen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. dudum ſiquidem bonæ mem. Bernardo Epiſcopo Ballacen., regimini Eccleſiæ Ballacen. præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum dicti Bernardi, qui extra Roman. Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis exponatur &c. poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem, in S. T. peritiſſimum, religionis zelo conſpicuum, vitæ, ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum donis, prout fide dignis relationibus accepimus inſignitum direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, præfatæ Eccleſiæ Ballacen. de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Mantuæ Anno &c. Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Nono, Pridie Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo. Ex Archivo Apoſtolico Libro XIX fol. 201.

Anno 1459 Die 5 Octobris.

F. Ægidius de Elbora, Epiſcopus Ticopolitanus, ſeu Thegaticenſis, vulgo Tire, & Tyre, in Lydia, ſub Archiepiſcopo Sardiano. Vel legendum Tripolitanus, vulgo Tripoli di Soria, Turcis Tarapolo, in Syria, ſub Archiepiſcopo Tyrio. Omittitur a Fontana, Cavalerio, aliiſque. Epiſcopus renunciatus fuit hocce Diplomate. Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Ægidio de Elbora electo Tiropolitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Perſonam tuam nobis, & Apoſtolicæ Sedis devotam &c.. Cum itaque nos hodie Eccleſiæ Tiropolitan., tum paſtore carenti de perſona tua &c., præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, tuque ex fructibus menſæ Epiſcopalis ejuſdem Eccleſiæ, quæ in partibus infidelium exiſtit nil percipiens, aliunde non habeas unde poſſis juxta ſtatus Epiſcopalis decentiam ſuſtentari, ac Venerabilis Frater noſter Fernandus Archiepiſcopus Bracharen., ſicut aſſerit, te in ſuum ſuffraganeum habere deſideret, nos volentes tibi, ut juxta Epiſcopalis dignitatis decentiam, ſtatum tuum commodius ducere valeas, de alicujus ſubventionis auxilio providere, penſionem annuam ducentarum Turonen. parvorum ſuper fructibus, redditibus, & proventibus menſæ Archiepiſcopalis Bracharen. tibi, quoad vixeris, vel procuratori tuo legitimo per ipſum Fernandum Archiepiſcopum, cujus ad id expreſſus accedit aſſenſus, & ſuos ſucceſſores Archiepiſcopos Bracharen. pro tempore exiſtentes pro una in S. Johannis Baptiſtæ, & alia medietatibus penſionis ejuſdem in Domini noſtri Jeſu Chriſti nativitatis feſtivitatibus in Civitate Bracharen. annis ſingulis integraliter perſolvendam auctoritate Apoſtolica de Fratrum noſtrorum conſilio tenore præſentium reſervamus, conſtituimus, & aſſignamus, decernentes Fernandum Archiepiſcopum, & ſucceſſores prædictos ad ſolutionem penſionis hujuſmodi juxta reſervationis, conſtitutionis, & aſſignationis prædictarum tenorem fore efficaciter obligatos, ac volentes, & eadem auctoritate ſtatuentes, quod quilibet ex Fernando Archiepiſcopo, & Succeſſoribus præfatis quoties in terminis præfatis, vel ſaltem infra triginta dies, ex tunc immediate ſequentes penſionem per eum tunc debitam hujuſmodi, non perſolverit, lapſis diebus eiſdem ſibi ingreſſum Eccleſiæ noverit interdictum. Si vero per ſex menſes præfatos triginta dies immediate ſequentes interdictum hujuſmodi animo, quod abſit, ſuſtinuerit indurato, lapſis menſibus eiſdem eo ipſo excommunicationis ſententiam incurrat, a qua donec tibi de penſione tunc debita vel procuratori tuo legitimo integre ſatisfactum, aut tecum, vel cum dicto procuratore deſuper amicabiliter concordatum fuerit, præterquam in mortis articulo conſtitutus abſolutionis beneficium nequeat obtinere. Non obſtantibus quod tu Ordinis Fratrum Prædicatorum exiſtis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Eccleſiæ Bracharen., Juramento, confirmatione Apoſtolica &c. quibuſcunque. Aut ſi Archiepiſcopo, & Succeſſoribus præfatis, vel quibusvis aliis communiter, vel diviſim, a Sede prædicta indultum exiſtat quod ad ſolutionem ſeu præſtationem penſionis alicujus minime teneantur, & ad id compelli non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia, generali, vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, effectus hujuſmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua cujuſque toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Nulli ergo &c. noſtræ reſervationis, aſſignationis, & conſtitutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Mantuæ Anno Incarnationis Dominicæ Mil-

Digitized by Google

Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Nono, *Tertio Non. Octobris*, *Pontificatus noſtri Anno Secundo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XX fol.* 286. Ejuſdem mentio in ſequenti Diplomate. *Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Ægidio de Elbora electo Tiropolitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum itaque, ſicut accepimus, Eccleſia Tiropolitan. Paſtoris exiſtat ad præſens regimine deſtituta, & tanto tempore vacaverit, quod de ejus ultimæ vacationis modo certa notitia non habetur, Nos vacatione hujuſmodi intellecta ad proviſionem dictæ Eccleſiæ celerem, & felicem, ne longæ vacationis ſubjaceat incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te tunc Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem, & in Theologia magiſtrum, ac Ordinem ipſum expreſſe profeſſum, & in Sacerdotio conſtitutum, cui de religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum exigentiam meritorum accepta præfatæ Eccleſiæ Tiropolitan. de eorundem Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo. In eo qui dat gratias, &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. Volumus autem quod quam primum &c. quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim pontificalia nequeas exercere. Datum Mantuæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Nono, Tertio Non. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Secundo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XX fol.* 284.

F. Johannes de Turrecremata, S. R. E. Cardinalis, de quo in *Appendicibus ad Pontif. Eugenii IV*, Anno 1460.
& Caliſti III a Summo Pontifice *Pio II* renunciatus eſt Epiſcopus Legionenſis, in Hiſpania, ibi tamen non ſedit. *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCCXXXI pag.* 918. *Cavalerius*, *Echard*, aliique ſupra laudati.

F. *Michael Rutelem Græcus, vir ſingulari pietate, doctrina, & prudentia ditatus, Cunabulenſis Eccle-* Anno circiter 1460.
ſiæ in Græcia Paſtor creatus eſt circa annum Milleſimum Quadringenteſimum Sexageſimum, quam cum optime pluribus annis rexiſſet, mortis in brachia corruit circa annum MCCCCLXV. Hæc totidem verbis *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXIII pag.* 184, *ex Plodio, & Fernandez*. Suffragatur *Cavalerius Tomo I pag.* 270 *num. CXCII*. Verum *Michael* iſte non diſtinguendus ab Epiſcopo *Simbalienſi*, de quo mox dicetur.

F. *Radulphus de Pamone, Chiticnenſis Epiſcopus creatus eſt circa annum Domini Milleſimum Quadrin-* Anno circiter 1460.
genteſimum Sexageſimum, de quo nil memoria dignum ſcripſere Ordinis ſcriptores. Hæc *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXX pag.* 169, *ex Fernandez, & Plodio*. Ipſos excipit *Cavalerius Tomo I pag.* 267 *num. CLXXXVII*.

F. Blaſius Raguſinus, Epiſcopus Ottorenſis, ſeu Ottorienſis, & Modruſienſis, in Croatia, ſub Ar- Anno 1461 Die 24 Februarii.
chiepiſcopo Spalatenſi. His Eccleſiis præfuiſſe *Blaſium* conſtat ex Monumentis aſſervatis in Archivo *Raguſini* Cœnobii. Hinc emendandi *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap V Tit. CCCCIV pag.* 241, *Cavalerius Tomo I pag.* 289 *num. CCLIII*, & *Rovetta in Bibliotheca Provinciæ Lombardiæ*, qui docent *Blaſium* a *Sixto IV* Epiſcopum *Motonenſem* conſtitutum fuiſſe, vel dicendum, quod ex una ad aliam Sedem translatus eſt. Diſtinguendus iſte a *Blaſio Conſtantino*, de quo mox dicetur.

F. Donatus Otoncubayr Anglus, Epiſcopus Alachdenſis, vulgo *Kill-alla*, in Hibernia, ſub Ar- Anno 1461.
chiepiſcopo Tuamenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XIV pag.* 117, *ex lib. Proviſion. Prælatorum*. *Cavalerius Tomo I pag.* 263 *num. CLXXX*.

F. Julianus Matovi, Epiſcopus Sulcitanenſis, *Solo*, in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Calaritano. Anno 1461.
Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXVI pag. 301, *ex Lib. Proviſion. Prælatorum*. *Cavalerius Tomo I pag.* 264 *num. CLXXXI*.

F. Raymundus de Roto, Epiſcopus Aconenſis, in Phœnicia, ſub Archiepiſcopo Tyrio. *Fontana* Anno 1461.
Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. VIII pag. 114, *ex Actis Conſiſtorialibus Pii II*, *& ex Actis Capituli Generalis Novarien. Cavalerius Tomo I pag.* 270 *num. CXCIII*. Epiſcopi *Lauſannenſis* in *Helvetiis* ſuffraganeus, ſeu Vicarius, fuit *Raymundus*.

F. Stephanus, Epiſcopus Lucerinus, *Lucera*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. Hujus Epiſcopi meminerunt *Leander*, *Luſitanus*, *Johannes Marieta*, *Plodius*, *Razzius*, & *Altamura*, quos excipit *Cavalerius Tomo I pag.* 265 *num. CLXXXIII*. De Anno quo floruit *Stephanus* iſte, inter ſcriptores non convenit, Auctores mox laudati, de illo loquuntur ad annos *MCCCCLXII*, *MCCCCLXXXVI*,

Digitized by Google

MCCCCLXXXVI, & *MCCCCXCI*. Sed erraſſe videntur. Iſte ſiquidem *Stephanus* Eccleſiæ *Lucerinæ* jus dixit ineunte Seculo *XIV*. Id liquet ex *Bernardo Guidonis*, qui *Stephani* meminit in Libro, quem vulgavit ante annum *MCCCXXXI*, quo mortuus eſt *Bernardus Guidonis*. Sic enim legitur in *Indice Epiſcoporum* Provinciæ Romanæ. *Frater Maſſeus Urbevetanus, Epiſcopus Cluſinus. Frater Stephanus Epiſcopus Lucherinus. Frater Leonhardus Romanus, Epiſcopus Aquilanus*. Hæc ille. *Maſſeus* Epiſcopus fuit anno *MCCCXXIII*, ut videre eſt in *Appendice ad Pontificatum Johannis dicti XXII* Tomo II pag. 210. *Leonardus* vero ſedebat anno *MCCC*, ut dictum fuit in *Appendice ad Pontificatum Bonifatii VIII Tomo II pag.* 74. Hic ergo *Stephanus* per hæc circiter tempora creatus fuit Epiſcopus. Hinc illum crediderim *Stephanum* eſſe, quem Ughellus *Lucerinæ* Sedi præficit anno *MCCCIV*. Quod Ordinis Prædicatorum fuerit alumnus, ſilet *Ughellus in Epiſcopis Lucerinis Tomo VIII Italiæ Sacræ pag.* 458 *Edit. II*.

Anno 1462. F. Gregorius Melchiorus, Epiſcopus Baruten., ſeu Beryten., vulgo *Baruti*, in Phœnicia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXXVI, ex Lib. Proviſion. Prælatorum. Cavalerius Tomo I pag.* 274 *num. CCV*. Notandum, quod licet olim *Berytenſis* Eccleſia fuerit Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo *Tyrio*, Seculo tamen *IV* Metropolis evaſit, uti docet Abbas *Blaſius Terzi* in *Syria Sacra Lib. I cap. CLXXI pag.* 151. Hinc inter Metropoles autocephalas, ſeu per ſe ſubſiſtentes recenſetur a *Johanne Carolo a Stadel* in *Compendio Geographiæ Eccleſiaſticæ Lib. II pag.* 242. Quia tamen *Gregorius* noſter ex *Libro Proviſionum Prælatorum* Epiſcopus dicitur a *Fontana*, & eadem *Berytenſis* Sedes Epiſcopalis vocatur in Conſtitutione, qua *Nicolaus V* Epiſcopum *Berytenſem* creavit *Johannem de Palentia*, ut in *Appendice ad Pontificatum Nicolai V* videre eſt, hinc *Gregorius* iſte dicendus Epiſcopus, non Archiepiſcopus.

Anno 1462 Die 9 Aprilis. F. Michael de Rentelem, Epiſcopus Simbalien., fortaſſis Symbolien.; vulgo *Sibula*, in *Taurica*. Is ipſe videtur *Michael Rutelem*, quem *Cavalerius*, & *Fontana* vocant Epiſcopum *Cunabulenſem*, uti mox dictum fuit. Succeſſit *Johanni*, ut ex hoc Diplomate conſtat. *Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Michaeli de Rentelem electo Simbalien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem, bonæ mem. Johanne Epiſcopo Simbalien. regimini Eccleſiæ Simbalien., præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret &c., proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c., poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ejuſdem Johannis Epiſcopi, qui extra Roman. Curiam &c., Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c., de qua nullus præter nos &c., ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum expreſſe profeſſum, & in Sacerdotio conſtitutum, cui de religionis zelo, vitæ munditia. honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c.. Volumus autem, quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini &c., tuque præter æternæ &c., noſtram, & Apoſtolicæ Sedis Benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Secundo, Quinto Idus Aprilis Pontificatus noſtri Anno Quarto.*

Anno 1463. F. Bartholomæus Sulmonenſis, Epiſcopus Valvenſis, & Sulmonenſis, in Regno Neapolitano, ſub Sancta Sede. *Ughellus in Epiſcopis Valven., & Sulmonen. Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 1382. *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXVII pag.* 301, *ex Lib. Proviſion. Prælatorum, Tit. DCXIII pag* 316. *Cavalerius Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCXCI pag.* 874. Quod iſte *Barbolomæus* cognomento *de Scalis* fuerit, docent *Ughellus*, *Fontana*, *Cavalerius*, *Echard*, ceterique paſſim, qui *Bartholomæum de Scalis*, ſeu *Scalam*, ut cognominatur in *Conſtitutione XXXVI Martini V Tomo II pag.* 563, non diſtinguunt a *F. Bartholomæo Sulmonenſi*. Verum quod ejuſdem nominis alumni duo Ordinis FF. Prædicatorum *Sulmonenſes* Epiſcopi Seculo *XV* fuerint, auctor eſt *Theodorus Vallius* in *Compendio de Viris illuſtribus Provinciæ Regni*. Frater ſiquidem *Bartholomæus de Scalis*, ut fert opinio *Theodori*, ab anno *MCCCCXLIII* ad annum circiter *MCCCCXLVI*, Frater vero *Bartholomæus Sulmonenſis* ab anno *MCCCCLXIII* ad annum *MCCCCXCI* Epiſcopi *Sulmonenſes* fuere. Hæc ſententia *Theodori* firmari poteſt ex Diplomate mox laudato, & ex Epitaphio *Bartholomæi* qui ſedit ab anno *MCCCCLXIII* ad *MCCCCXCI*. Enim vero *Bartholomæus Scala*, de quo Diploma loquitur, florebat anno *MCCCCXIX*, quo datum fuit Diploma; annis multis literas jam docuerat: & ut verbis Diplomatis utar, *Dudum per Capitulum Generale dicti Ordinis in Villa Montis Peſſulan., Magalonen. Diœceſis, celebratum juxta ipſius Ordinis morem ad legendum Bibliam, & libros Sententiarum, ac recipiendum Magiſterii Gradum in eadem Theologia in ſtudio Pariſienſi* fuerat *deputatus*. Anno *MCCCCI* celebratum fuiſſe Capitulum *Montis Peſſulani*, docet *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis in Serie Capitulorum Generalium pag.* 18. Ineunte igitur Seculo *XV* annis ſaltem triginta natus erat *Bartholomæus Scala*, vix ergo credi poteſt, quod eodem ſeculo exeunte, anno ſcilicet *MCCCCXC* ſuperſtes adhuc fuerit idem *Bartholomæus*. Et ſane in Epiſcopi *Sulmonenſis* Epitaphio, quod legitur apud *Ughellum* & *Fontanam* ſupra laudatos, *Bartholomæus* Ordinis Prædicatorum, qui ſedit ab anno *MCCCCLXIII* ad *MCCCCXCI*, *Sulmonenſis* cognominatur non vero *de Scalis*. Eodem cognomine vocatur

in

in Diplomate, quo renunciatur Epiſcopus. Hujus tenoris eſt. *Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Bartholomæo de Sulmone, Electo Valven., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Donato Epiſcopo Valven. &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, & Theologiæ Magiſtrum &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Tertio, Quinto Nonas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Sexto*. Ex Archivo Apoſtolico *Libro CI fol.* 273.

F. Joannes de Turrecremata, S.R.E. Cardinalis, de quo dictum fuit in hac, & præcedentibus *Appendicibus*, Epiſcopus Sabinus. *Ughellus in Epiſcopis Sabinis Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 180. *Cavalerius*, *Echard*, aliique ſupra laudati. Anno 1464.

F. Johannes Obim, Tullenſis, S. Theologiæ Magiſter, Epiſcopus Chriſtopolitanus, ſeu Chriſtianopolitanus, vulgo *Leondari*, olim Magalopolitanus, in Peloponneſo, ſub Archiepiſcopo Corinthio. *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.* 26 *col.* 1, *ex Monumentis Cœnobii Tulleoſis*, ubi ſepultus eſt *Johannes*. Addit *Echard*, quod *Suffraganeus*, ſeu Vicarius, fuit Epiſcopi *Tullenſis*. Ejuſdem meminit *Cavalerius Tomo I pag.* 270 *num. CXCV*. Nec diſtinguendus videtur a *Johanne Annodio*, vel *Sirodio*, de quo *Cavalerius* loquitur *Tomo I pag.* 270 *num. CXCIV*. Iſte ſiquidem *Sirodius* eodem circiter anno *MCCCCLXIV* florebat ut ex *Taegio*, & *Plodio* docet *Cavalerius*. Anno circiter 1464.

F. Inguerandus Seignart, vel Signard, Cadomenſis, Epiſcopus Salubrien., ſeu Solubrien., *Salabrien.* &c. vulgo *Selombria*, in Thracia ſub Heracleenſi Archiepiſcopo. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DVIII pag.* 283, *ex Lib. Proviſion. Prælatorum*, & *ex Actis Capituli Generalis Novarienſis*. *Cavalerius Tomo I pag.* 294 *num. CCLXX*. *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.* 22. Epiſcopus *Antiſſiodorenſis* fuit *Inguerandus*, ut in *Appendice ad Pontificatum Sixti IV* videre eſt. Quod etiam a confeſſionibus fuerit Duci *Burgundiæ*, certum. Anno 1464.

F. Blaſius Conſtantinus, Raguſinus, ex Priore Raguſini Cœnobii, Epiſcopus Mercanenſis, & Tribunenſis, in Dalmatia, ſub Archiepiſcopo Raguſino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXXX pag.* 234, *ex Regeſtis Magiſtri Generalis Leonardi de Manſuetis*, & *Ferrario de Rebus Hungariæ Provinciæ*, & *Titulo DXCVIII pag.* 312. *Cavalerius Tomo I pag.* 284 *num. CCXXXIV*. Notandum quod Scriptores iſti *Blaſium Conſtantinum* rejiciunt ad annum *MCCCCLXXV*, & a *Sixto IV* Epiſcopum creatum fuiſſe, cenſent. Sed ex variis Inſtrumentis in Archivo Cœnobii *Raguſini* aſſervatis conſtat, quod anno *MCCCCLXIV* Eccleſiis *Mercanen.* & *Tribunen.* jus dicebat *Blaſius* iſte. Anno circiter 1464.

RObertus Berges, Epiſcopus Sinopolenſis, ſub Archiepiſcopo Seleucienſi, in Cilicia. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio*, ceteriſque. Succeſſit *Rolando*, ut ex hoc Diplomate videre eſt. *Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Roberto Berges Electo Sinopolen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. per ceſſionem Rolandi de Coyſir nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem quam de præficiendo ipſi Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, & theologiæ Magiſtrum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Volumus autem, quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æterna &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum* ...... Deeſt Annus, quo datum fuit Diploma. Hinc, quo anno Sederit *Robertus*, incertum.

PAU-

PAULUS II.

(a) *Ciaconius in Paulo II.*
(b) *Odericus Annal. Eccleſiaſt. ad ann. MCCCCLXIV num. LIII.*
(c) *Ciaconius in Paulo II.*

Petrus Barbo antea vocatus, Patria Venetus, Electus (*a*) fuit XXXI Auguſti MCCCCLXIV. Coronatus (*b*) eſt Die XVI Septembris eodem Anno, Diem clauſit (*c*) extremum XXVIII Julii MCCCCLXXI. Sedit Annos VI, Menſes X, Dies XXVIII.

Anno 1464 Die 16 Septembris.

Leges a Pio II pro Barchinonen. (1) Monaſterio Montis Sion ſancitas confirmat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

I.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Conventui Monaſterii Monialium Montis Sion, Barchinonen., ſub cura, & ſecundum inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Diplomatis cauſa.

RAtioni congruit, & convenit honeſtati, ut ea, quę de Romani Pontificis gratia proceſſerunt, licet, ejus ſuperveniente obitu, literę Apoſtolicę ſuper illis confectę non fuerint, ſuum conſequantur effectum. Dudum ſiquidem felicis recordationis Pio Papę Secundo Prędeceſſori noſtro pro parte veſtra expoſito, quod cum a tanto tempore citra, cujus initii memoria hominum in contrarium non exiſtebat, Prioriſſa, & Moniales, quę pro tempore fuerant, Monaſterii veſtri Montis Sion Barchinonen., ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventes, regularem diſciplinam dicti Ordinis obſervaſſent, ac honeſtum, devotum, & humilem domino famulatum impendere ſtuduiſſent, vos etiam ſummopere optabatis, Monaſterium ipſum veſtro tempore pręſervari, & in eo regularem diſciplinam hujuſmodi nedum minui, ſed augeri, necnon quamcunque viam, per quam ad exeundum dictum Monaſterium Monialibus ejuſdem tradi poſſet, provideri, per Apoſtolicę Sedis providentiam auferri; pręſertim ex eo, quod retroactis temporibus nonnullę ex Monialibus dicti Monaſterii, quę, habita ab eadem Sede ſub falſis, & ſuggeſtis ſuaſionibus licentia, ad alia Monaſteria tranſeundi, & poſtea conſiderata ipſius Monaſterii, in quo profeſſionem emiſerant, ac aliorum Monaſteriorum, ad quę ſe tranſtulerant diſciplina, ſeu regulari obſervantia, ad ipſum Monaſterium, unde exierant, redierant, & in eo libenter remanere voluerant; & deinde eidem Prędeceſſori pro parte veſtra in eadem expoſitione ſubjuncto, quod licet tunc in dicto Monaſterio in pace, & tranquillitate viveretur, illudque ſub dicta obſervantia cum unione omnium, & concordia regeretur, & gubernaretur, vos tamen dubitabatis, ne licentię hujuſmodi, ut pręmittebatur, conceſſę, illas impetrantibus levitatem inducere, & aliis pernicioſum exemplum, ac vagandi voluntatem generare facile poſſent, ac prędicto Prędeceſſori pro parte veſtra humiliter ſupplicato, ut omnes, & ſingulas conceſſiones, & gratias per quaſvis ipſius Monaſterii Moniales dictum Monaſterium egrediendi, & alia (3) tranſeundi a Sede dicta, vel aliis impetratas, ſeu quomodolibet eis conceſſas, revocare, & annullare, ac quod de cetero tales licentię impetrari non poſſent, ſub cenſuris inhibere, & quod Monaſterium ipſum, prout tunc regebatur, & gubernabatur, in futurum regi, & gubernari debere, mandare, ac eis, earumque ſtatui ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaretur; Idem Prędeceſſor

Leges a Pio II ſancitæ.

qui Religioſarum perſonarum pręſertim fęminei ſexus, perſeverantiam in bonum, & jugem profectum intentiſſime optabat, hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, ſub dat. videlicet Quinto Nonas Maii Pontificatus ſui Anno Sexto, omnes, & ſingulas conceſſiones, gratias, licentias, ac literas Apoſtolicas, pro quibuſvis Monialibus dicti Monaſterii, ut de illo ad alia Monaſteria tranſire poſſent, vel ab eodem Prędeceſſore, ſeu a Sede prędicta, aut alias quomodolibet impetratas, auctoritate Apoſtolica revocavit, caſſavit, & annullavit, ac nullius roboris, vel momenti eſſe decrevit necnon eiſdem, & aliis ejuſdem Monaſterii Monialibus, quę ibidem pro tempore forent, ne ſuper hujuſmodi licentiis de cetero literas Apoſtolicas, niſi ad id Prioriſſę pro tempore exiſtentis, ac trium ex quatuor partibus Monialium ipſius Monaſterii, prout juxta pręfati Monaſterii ſtatuta, & ordinationes fieri debere (4) expreſſus conſenſus accederet, a Sede pręfata impetrare pręſumerent, ſub excommunicationis pęna diſtrictius inhibuit, necnon ſtatuta, & ordinationes prędicta, quoad hoc dicta auctoritate confirmavit, & approbavit. Et nihilominus ipſe Prędeceſſor, ut Monaſterium ipſum in obſervantia regularis diſciplinę hujuſmodi de cetero pręſervaretur, voluit, & conceſſit, quod dilectus filius Martinus Dagrida (5) dicti Ordinis, & Theologię profeſſor, & ejuſdem Monaſterii Prior, & Pręſidens, qui, ut idem Prędeceſſor acceperat, ętate antiquus, ac morum honeſtate decorus exiſtit, necnon dilectę in Chriſto filię Elionora de Palais (6) Prioriſſa, & Iſabel Gometia dicti Monaſterii ſupprioriſſa, in hujuſmodi earum officiis, quoad vixerint ſtare, & confirmari deberent, nec ab illis a quoquam invitę, niſi juſta cauſa ſuadente, quomodolibet amoveri poſſent: Ipſis quoque Martino, Elionorę, & Iſabelli, ne officia prędicta dimitterent, injunxit, & mandavit, ac pręfatę, & pro tempore exiſtenti dicti Monaſterii Prioriſſę unum ſecularem, vel cujuſcunque Ordinis regularem Prędicatorem, qui diebus feſtivis in Eccleſia dicti Monaſterii, ad quam devotionis cauſa, ut aſſerebatur, magna populi multitudo concurrere conſueverat, verbum Dei prędicaret, quoties ſibi placeret, eli-

eligere, & deputare (7) libere, & licite valerent, alterius ſuper hoc licentia minime requiſita, auctoritate indulſit. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Ne autem vos revocationis, caſſationis, annullationis, decreti, inhibitionis, confirmationis, approbationis, voluntatis, conceſſionis, mandati, & indulti prędictorum, pro eo quod ſuper illis literę Apoſtolicę, ipſius Prędeceſſoris ſuperveniente obitu, confectę non fuerunt, fruſtremini effectu, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod revocatio, caſſatio, annullatio, decretum, inhibitio, confirmatio, approbatio, voluntas, conceſſio, mandatum, & indultum prędicta perinde a dicta die Quinto Nonas Maii ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis ipſius Prędeceſſoris literę ſub ipſius diei dat. confectę fuiſſent, prout ſuperius enarratur. Quodque pręſentes literę ad probandum plene revocationem, caſſationem, annullationem, decretum, inhibitionem, confirmationem, approbationem, voluntatem, conceſſionem, mandatum, & indultum prędicta, ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius amminiculum requiratur. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtrę voluntatis, & Conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Quarto, Sexto decimo Kalendas Octobris (8), Pontificatus noſtri Anno Primo.

Nota.

Confirmatio.

Sanctio pœnalis.

1. *Barchinonen.*) In *Catalonia*.

2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar; authenticum unum *Libro B. fol.* 586 ex Autographo *Barchinonenſi*. Aliud ex *Archivo Apoſtolico Lib. XIII fol.* 099.

3. *Alia.*) *Ad alia*, vel *alio*.

4. *Debere.*) Sic in utroque Exemplari. Nonne melius: *Deberet*?

5. *Dugrida.*) In Exemplari *Archivi Apoſtolici* legitur *Daguda*.

6. *Elionara de Palais.*) Ex eodem: *Eleonara de Palais*.

7. *Deputare.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum* Tomo *ultimo* Tit. *VII*.

8. *Sexto Decimo Kalendas Octobris.*) Hac ergo die *XVI* Septembris *MCCCCLXIV* corona Pontificia redimitus erat *Paulus II*. Emendandus igitur *Oldoinus*, vel potius *Oldoini* librarius in *Additione* ad *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCCLXIV pag.* 1083, ubi docet *Paulum II* die 19 Septembris coronatum fuiſſe. Emendandus, inquam, nec enim dici debet, *Paulum II* præſentem Conſtitutionem tuliſſe antequam corona Pontificia donaretur: contrarium ſiquidem demonſtrat ipſemet *Oldoinus* ex Diplomate quod refert loco mox laudato. Nec remitti poteſt præſens Conſtitutio ad annum *MCCCCLXV*, cum annos *MCCCCLXIV* inſcribatur. Verum nobis obiiciuntur *Libri Diviſionum Sacri Collegii* in *Vaticano* ſervati, ex quibus evincit *Oldoinus*, quod *Paulus II die Dominica* 19 *Septembris in gradibus Baſilicæ Vaticanæ coronam accepit*. Reſpondendum videtur, *Oldoini* librarium (ut eſt fere, niſi diligenter caveas, corruptrix librorum typographia) numerum 6 invertiſſe ſcribendo 9. Et ſane vix crediderim, *Oldoinum* putaſſe, *XIX* Septembris *MCCCCLXIV* diem Dominicam fuiſſe, cum fuerit feria *IV*, Dies nempe Mercurii. Hic enim Annus Biſſextilis fuit, & menſe Februarii, dimiſſa litera *A*, menſe Septembri litera Dominicalis erat *G*. Fuit Cyclus ſolaris *XVII*, Ciclus lunæ *II*, Paſcha *I* Aprilis. Sit ergo certum, quod *Paulus II* die *XVI* Septembris *MCCCCLXIV* corona Pontificia redimitus erat. Num autem ante diem illam *XVI* coronam ſuſceperit, operæ pretium ſit inveſtigare, maximi ſiquidem momenti nobis eſt illud ſcire, cum hinc pendeat chronologia noſtra. *Panvinius* in *Elogiis*, & in *Chronicis*, *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad ann. MCCCCLXIV*, & alii, quorum ſententiæ ſubſcripſimus, cenſent, *Paulum II* die *XVI* Septembris coronatum fuiſſe. *Ciaconius* vero *Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCCLXIV pag.* 1075, *Godefridus Henſchenius*, & *Daniel Papebrochius* in *Propyleo ad Acta Sanctorum Maii pag.* 133 *Conatus Chronico-Hiſtorici ad Catalogum Pontificum*, aliique, nonnulli docent, id contigiſſe Dominica Die *V* Idus, ſeu *IX* Septembris. Fuit quidem hæc Dies Dominica, verum *III* Idus, die nempe *XI* Septembris *MCCCCLXIV* coronationis inſignia *Paulum II* nondum ſuſcepiſſe, liquet ex Diplomate quod eadem die *Paulus II* dedit ad *Federicum* Comitem *Montisferetri*: ad cujus Diplomatis calcem legitur: *Ceterum Bullam plumbeam ſine noſtri nominis impreſſione eſſe præſentibus appenſam tua nobilitas non miretur. Nam ante accepta Coronationis inſignia perfecta Bulla uſus cum impreſſione nominis Pontificis de conſuetudine non habetur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo quarto, Tertio Idus Septembris, Aſſumptionis noſtræ Anno Primo*. Legitur apud *Oldoinum* ſupra laudatum. Vide *Notam* ad Conſtitutionem XVII datam *XII* Septembris *MCCCCLXV*.

F. Barnabas de Neapoli (1) Inquiſitor Provinciæ Siciliæ citra farum renunciatur.

Anno 1464 Die 25 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

II.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Barnabę de Neapoli, Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac Theologię profeſſori, Provincię Sicilię citra farum, ſecundum morem dicti Ordinis, Inquiſitori hereticę pravitatis. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Juxta paſtoralis officii debitum, noſtrę vigilantię ſuperna diſpoſitione commiſſum, ſuper gregem Dominicum operoſi paſtoris ſtudium exercentes, ad ea per quę fides catholica, cunctis hereſibus, & pravis extirpatis dogmatibus, votiva incrementa ſuſcipiat, noſtrę ſollicitudinis partes favorabiliter adhibemus. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte tua, petitio continebat, olim Inquiſitionis hereticę pravitatis officio, quod quondam Petrus de Maſtretto (3) Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, ac in Provincia Sicilię citra farum ſecundum morem dicti Ordinis Inquiſitor pravitatis hujuſmodi exercebat, per obitum ejuſdem Petri, qui extra Roman. curiam diem clauſit extremum, vacante, dilectus filius Corradus de Aſtia (4) Magiſter Generalis (5) dicti Ordinis te Inquiſitorem in eadem Provincia ſui Generalatus officii auctoritate duxit deputandum, prout in authenticis literis ejuſdem Generalis deſuper confectis dicitur contineri. Nos, ut eo magis commiſſo tibi officio hujuſmodi intendere, ac illius exercitio efficacius operam dare, valeas, quo ſuper hoc potiori fueris auctoritate ſuffultus, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, deputationem per eundem Generalem Magiſtrum de perſona tua, ut pręmittitur, factam hujuſmodi, ratam habentes, & gratam, illam auc-

F. Barnabas ſuccedit Petro de Maſtretto.

auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, confirmamus, ac prædicti ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. noſtræ approbationis, confirmationis, communitionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Quarto, Septimo Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Barnabas de Neapoli.*) Hunc non novit *Fontana* recenſens *Miniſtros S. Inquiſitionis Parte III Theatri Dominicani*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro IV fol.* 267.

3. *Petrus de Maſtretto.*) *De Maſtrettis* nuncupatur a *Gravina De Sacro Depoſito Cap. II*, a *Theodoro Vallio* in *Brevi Compendio Virorum illuſtrium Provinciæ Regni &c. pag.* 177, *Fontana Theatro Dominicano Parte III Cap. II Tit. LXIV pag.* 604, *Echard Tomo I Scriptor Ord. ad annum MCCCCLVIII pag.* 817. Fuit *Petrus* a conſiliis, & confeſſionibus *Iſabella Claromontana* conjugis *Ferdinandi I*, Aragonii, *Siciliæ* Regis. Adeas *Cæſarem Engenium in Neapoli Sacra pag.* 458, *&* 523.

4. *Corradus de Aſtis.*) *Conradus* nempe *Aſtenſis*, ut a Scriptoribus vulgo vocatur. Hujus laudes celebrat *Leander Alberti de Viris illuſtribus Ord. Prædicator. Lib. I fol.* 45, & in *Deſcriptione Italiæ*.

5. *Magiſter Generalis.*) *Martiali Auribelli* ſuffectus fuerat *Corradus* juſſu *Pii II*. Adeas *Echard Tomo I Scriptor Ord. ad an. MCCCCLXII pag.* 821.

Anno 1464 Die 8 Octobris.

Indulgentia conceſſa viſitantibus Ædes Sacras Placentini (1) Cœnobii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

III.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentia.

QUamvis &c. (3). Cum itaque, ſicut accepimus, ad Eccleſiam Domus Sancti Vincentii Ordinis Fratrum Prædicatorum, quam, ut accepimus, dilecta in Chriſto filia nobilis mulier Leonora Pimantel, Comitiſſa Placentin., noviter ſuis ſumptibus ædificavit (4), & ad quam plures perſonæ illarum partium devotionis cauſa confluere dignoſcuntur &c. Nos, cupientes, ut eo magis Eccleſia prædicta congruis honoribus frequentetur, ipſæque Eccleſia, & domus debite conſerventur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, & ad conſervationem ipſarum Eccleſiæ & domus manus promptius porrigant adjutrices quo ex hoc ibidem dono cæleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentia Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui in ejuſdem Sancti Vincentii feſtivitate prædictam Eccleſiam a primis veſperis uſque ad ſecundas veſperas devote viſitaverint annuatim, & ad conſervationem ipſam Monaſterii manus porrexerint adjutrices, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus dictam Eccleſiam, vel ad eandem conſervationem manus porrigentibus adjutrices, aut alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, ſeu alias aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum &c. duratura per Nos conceſſa fuerit, præſentes literæ nullius exiſtant roboris vel momenti. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Quarto, Octavo Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Placentini.*) vulgo *Placentia* in *Extremadura* Provincia *Hiſpaniæ*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. II fol.* 181.

3. *Quamvis &c.*) Exordium deeſt.

4. *Ædificavit.*) Hinc emendandus *Plodius* in Libro, cui titulus *Della Progenie di S. Domenico Lib. I Cap. XXXVIII pag.* 160, ubi Cœnobium *Placentinum* fundatum dicit anno duntaxat *MDLXXVII*.

Alia Indulgentiarum Diplomata ſervantur in Archivo Ordinis, quæ brevitatis ergo miſſa ſunt.

Anno 1466 Die 5 Septembris. IV.

PRo Cœnobio S. Mariæ ſuper Minervam de Urbe. Conſtitutio ſic incipit: *Ineffabilia &c. Datum Romæ apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Sexto, Nonis Septembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXXIX fol.* 172.

Anno 1466 Die 29 Decembris. V.

PRo Cœnobio Pilznen., Pragen. Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit: *Eccleſiarum fabricis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Sexto, Quarto Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. L fol.* 124.

Anno 1469 Die 21 Januarii. VI.

PRo Cœnobio S. Dominici in Gretz, Patavien. Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit: *Licet is &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Octavo* (ſtylo Bullarum, æra communis MCCCCLXIX) *Duodecimo Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXXXV fol.* 23.

Ur-

Digitized by Google

Urbevetani (1) Fratres ſint in poſſeſſione cujuſdam prædii, & Sacelli Sanctæ Catharinæ.

Anno 1464 Die 19 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

VII.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Eugubio. in Civitate Urbevetan. reſidenti, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

DE injuncto nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio &c. (3) Sane exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Conventus, Domus Ordinis Fratrum Prędicatorum Urbevetan. petitio continebat, quod licet olim quondam Maria de Rochiſcianis, nobilis mulier Urbevetan. cupiens terrena in cęleſtia, & temporalia, in ęterna felici commercio commutare, ob magnam devotionem, quam ad Ordinem, Fratres, Conventum, & domum hujuſmodi gerebat, pro animę ſuę remedio, ac luminaribus, ornamentis, & aliis ad cultum divinum inibi pertinentibus, quoddam prędium poſitum, ſeu ſituatum in contrata Ripiſem una cum quodam Oratorio ſub vocabulo Sanctę Catharinę, ad eam tunc legitime ſpectantia, & pertinentia, & quę pacifice, & quiete poſſidebat, eiſdem Conventui, & domui donaſſet, & ceſſiſſet, & eis conſignaſſet, prout in Inſtrumento deſuper confecto plenius dicitur contineri, illaque per quadraginta annos pacifice, & quiete poſſediſſent; nihilominus dilectus filius Antonius, qui ſe gerit pro nepote venerabilis Fratris noſtri Marci Epiſcopi Urbevetan., quo ſpiritu motus neſcitur, & Oratorium, ac prędium hujuſmodi occupare, & violenter detinere, ipſoſque domum, & Conventum illis de facto ſpoliare, necnon illorum proventus ſibi appropriare, lignaque dictorum prędiorum volentibus emere, vendere, illorumque pretium in ſuos uſus convertere, hactenus pręſumpſerit, atque de facto pręſumit. Quare pro parte dictorum Prioris, & Conventus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut donationem, conceſſionem, ceſſionem, & conſignationem hujuſmodi ratificare, & approbare, ſibique in pręmiſſis pio, & paterno affectu providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, cupientes Prioris, & Fratrum, ac domus hujuſmodi indemnitatibus occurrere, ac de pręmiſſis certam notitiam non habentes fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocato dicto Antonio, & aliis, qui fuerint evocandi, de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi pręmiſſa reperreris veritate fulciri, ceſſionem, conceſſionem, donationem, & conſignationem hujuſmodi, & quęcunque inde ſecuta prout rite facta ſunt, & rationabiliter proceſſerunt, eadem auctoritate ratifices, approbes, & etiam confirmes, ſuppleaſque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui intervenerint in eiſdem, & nihilominus eidem Epiſcopo, ac illius in ſpiritualibus Vicario, & prędicto Antonio, ac quibuſvis aliis, ne Priorem, & Conventum prędictos ſuper dictis Oratorio, & prędio, ac eorum pertinentiis, de cetero inquietare, aut quovis alio quęſito colore, ſuper illorum poſſeſſione perturbare pręſumant, diſtrictius inhibeas. Contradictores auctoritate noſtra &c. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon domus, & Ordinis prędictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi Epiſcopo, Vicario, & Antonio pręfatis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Quarto, Quartodecimo Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mandatum.

1. *Urbevetani.*) *Orvieto*, in *Hetruria* ditionis Pontificiæ.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XIII fol.* 150.
3. *Officio &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Leges ſancit pro Congregatione (1) Lombardiæ.

Anno 1464 Die 13 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

VIII.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

AD fructuoſa opera, quę dilecti filii Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſores ſub regulari obſervantia degentes, per exempla virtutum in agro militantis Eccleſię continue faciunt, noſtrę dirigentes conſiderationis intuitum, in his, per quę regularis inter eos obſervantia perpetuo vigere, ipſique Deo quietum famulatum reddere valeant, operarias manus libenter apponimus, ac eorum vota favorabiliter exaudimus. Hinc eſt, quod Nos paci, & quieti dilectorum filiorum Fratrum, tam Inferioris, quam Superioris Lombardiæ Provinciarum dicti Ordinis ſub regulari obſervantia degentium conſulere, & ut eo magis in eadem obſervantia perſeverare valeant, quo per Nos potioribus gratiis communiti fuerint, providere volentes, ipſorum Fratrum in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium ſtatuimus, & ordinamus, quod Congregatio eorundem Fratrum ſub hujuſmodi obſervantia in dictis Provinciis nunc, & pro tempore degentium, ſubiiciatur immediate juriſdictioni, & regimini Generalis Magiſtri dicti Ordinis, qui pro tempore fuerit, ita quod nullus alius Pręlatus ejuſdem Ordinis, pręterquam Vicarius per Fratres dictę Congregationis, vel majorem

Vicarius Congregationis ſoli Generali Magiſtro ſubiicitur.

ipſorum partem, pro tempore poſtulatos, & per eundem Generalem confirmatus, aliique dictę Congregationis Pręlati juxta ipſorum morem deputari ſoliti, in eos juriſdictionem aliquam valeant exercere. Ipſius autem Vicarii poſtulatio fiat per Priores Conventuum dictę Congregationis cum Sociis

A quibus eligendus ſit Vicarius Generalis.

electis a vocalibus eorundem Conventuum, necnon per Magiſtros in Theologia, & alios Fratres, qui aliquando fuerint Vicarii Generales Congregationis prędictę, regimini ejuſdem Congregationis ſubjectos. Poſtquam vero dictus Vicarius taliter poſtulatus fuerit, ſtatuimus, quod Magiſter, aut, eo mortuo, vel amoto, Vicarius Generalis Ordinis, infra octo dies a pręſentatione poſtulationis hujuſ-

Confirmandus a Generali Magiſtro.

modi ſibi faciendę computandos, teneatur poſtulationem hujuſmodi confirmare, alioquin ſi confirmare neglexerit, ſeu renuerit, cenſeatur ipſa poſtulatio eo ipſo auctoritate Apoſtolica confirmata. Habeat quoque Vicarius taliter poſtulatus, & confirmatus, auctoritatem talibus Vicariis Generalibus ejuſdem Congregationis per Magiſtros Ordinis conſerri, & exhiberi ſolitam, & prius ſecundum quod utilitati dictę Congregationis ipſi Generali videbitur expedire: necnon omnem illam, ac prorſus ſimilem juriſdictionem, & auctoritatem in omnibus, & per omnia, ſuper Fratres, & Conventus ſibi

Quęnam ſit Vicarii Generalis auctoritas.

commiſſos, & alias in omnibus, & per omnia habeat, quam ſecundum Inſtituta Ordinis prędicti, & indulta Apoſtolica eidem Ordini, & Provincialibus conceſſa, Priores Provinciales habeant in Conventibus, & Provinciis eis commiſſis. Ejuſdem autem Vicarii Congregationis poſtulatio de biennio in

De biennio in biennium eligendus.

biennium celebretur, neque poſſit ſuperioris biennii Vicarius, pro alio biennio immediate ſequenti quomodolibet poſtulari, vel confirmari, ſed finito biennio alius omnino mutetur Vicarius. Duret tamen antiqui Vicarii auctoritas donec noviter poſtulatus in ejus officio confirmatus fuerit, & pręſens in terminis ejuſdem Congregationis. Vicarius inſuper infra ſuum biennium ab ejus officio abſolvi non poſſit etiam per Generalem Magiſtrum, neque a ſui officii executione, ſuſpendi, vel impediri, niſi

Quomodo dimittendus ab officio.

de conſilio & aſſenſu decem Priorum antiquorum Conventuum dictę Congregationis, de quorum conſilio, & aſſenſu id ubi ſibi expedire videatur libere, & licite facere poſſit. Cum vero dictus Magiſter vita functus, aut etiam ſi a Magiſtratus Officio amotus fuerit, idem Vicarius in ejus officio cum omni conſueta juriſdictione, auctoritateque perſeveret, donec alter Vicarius per Congregationem ipſam

Quiſnam poſſit ipſius vices gerere.

poſtulatus, & per Vicarium Ordinis, cui id eo caſu licere volumus, vel per ſubſequentem Magiſtrum, confirmatus extiterit. Si vero Vicarium dictę Congregationis, durante ejus officio, ab humanis decedere, ſeu ab illo juxta modum ſuperius expreſſum amoveri contigerit, Prior antiquioris Conventus reformatorum Conventuum dictę Congregationis in omnibus, & per omnia ejuſdem Vicarii vices gerat, donec alter Vicarius poſtulatus, &, ut ſupra, confirmatus extiterit, cum omni ſolita poteſtate, excepta duntaxat auctoritate abſolvendi Conventuum Priores: & in ipſum eventum, mortis videlicet, vel amotionis, Vicarii ſupradicti, idem Prior ejus vices gerens infra duos menſes congregare teneatur Capitulum ad poſtulationem Vicarii faciendam, ut ſupra dictum eſt, niſi ex cauſa legitima eandem poſtulationem ad aliud tempus prolixius de aliquorum Patrum conſilio duceret differendam:

Romam petendi poteſtas facta Vicario, & Fratri ab eodem miſſo.

quo caſu una cum Diffinitoribus dictę Congregationis Priores abſolvere poſſit. Liceat quoque pręfato dictę Congregationis Generali Vicario pro Conventuum negotiis, aut cauſis Congregationis, ad Romanam Curiam perſonaliter proficiſci, vel alios deſtinare, quoties ſibi viſum fuerit: teneantur tamen vel ipſe, vel ab eo pro tempore miſſus, cum in Romana Curia fuerit, Protectori, vel Procuratori Ordinis in eadem Curia exiſtenti ſe pręſentare, necnon ipſe miſſus literas teſtimoniales dicto Protectori, vel Procuratori exhibere. Ceterum, ut regularis obſervantia ſolidius vigere valeat, & ab ea Fratres

Irrita facit privilegia damno regularis obſervantię a Generali Magiſtro concedenda.

nullatenus diſtrahantur, volumus, quod literę vel gratię quęcunque per Magiſtrum, aut alios Pręlatos dicti Ordinis Fratribus ejuſdem Congregationis, aut etiam Monialibus, ſive Monaſteriis Monialium, dicto Vicario ſubjectis, conceſſę & in poſterum concedendę. necnon pręcepta, & ordinationes quęcunque, per quę, vel per quas ſecundum judicium Generalis Vicarii cum conſilio diſcretorum, ipſi Fratres, aut Moniales regulari obſervantia quoquomodo diſtraherentur, ac Vicario, vel Prioribus dictę Congregationis in eorum regimine ſcandalum generaretur, nullius exiſtant roboris, vel momenti. Statuimus etiam, ut Conventus tam reformati, quam qui in eiſdem Provinciis de Fratribus

Quomodo Conventus reformandi.

Congregationis prędictę reformabuntur, in poſterum ſint, & cenſeantur eſſe de Congregatione prędicta, ac illius Vicario in omnibus, & per omnia, ut alii, ſint ſubjecti. Quodque receptiones, ſive reformationes Conventuum de Fratribus dictę Congregationis executioni mandari non poſſint, niſi per eundem Vicarium, aut Fratres quibus ipſe duxerit committendum. Volumus inſuper, quod Vicarius ipſe auctoritate quarumcunque literarum Apoſtolicarum, aut Superiorum ejus, ſeu per quęvis pręcepta ſibi, aut ſuis inferioribus directa, vel in poſterum dirigenda ad reformationem, aut receptionem quorumvis Conventuum, aut Monaſteriorum Monialium quovis modo non procedat, ſed ſuperſedeat, donec eandem Apoſtolicam Sedem conſulat, & aliud ab ea habuerit in mandatis. Si autem

Fratres extra Congregationem delegati poteſtatis ſint Vicarii.

contingeret, aliquos Fratres dictę Congregationis extra eam deputari, vel deſtinari, relinquatur arbitrio Vicarii Generalis, & deputatorum in Congregatione, eos pro ſuę voluntatis arbitrio mittere, vel etiam retinere, prout eis pro neceſſitatibus eorundem Conventuum videbitur expedire. Ceterum volumus, quod idem Vicarius omnes, & ſingulos Fratres prędicti Ordinis intra limites ſibi commiſſę viſitationis conſiſtentes, etiamſi ad ſervitium Parochialium, aut aliarum Eccleſiarum, vel Beneficiorum Eccleſiaſticorum deputati fuerint, dummodo illorum veri Rectores, vel perpetui beneficiati non ſint; ac etiam illos, qui Pręlatorum, vel Dominorum temporalium obſequiis inſiſterint, ut ad clauſtrum, & ejus obedientiam reverti debeant, monitione pręvia, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione ceſſante, compellere: ac omnes & ſingulos Fratres Congregationis hujuſmodi, qui etiam prętextu quarumcunque literarum Apoſtolicarum, vel Sedis Apoſtolicę Legatorum, aut alia quavis auctoritate ad audiendum Confeſſiones quarumcunque Monialium cum ſcandalo ipſius Vicarii, aut Pręlatorum ſuorum, vel Fratrum dictę Congregationis deputati ſint hactenus, vel deputabuntur in poſterum, ab hujuſmodi confeſſionum audientia removere valeat. Ceterum diſtrictius inhibemus, ne quis dictę Con-

Congregationis Frater, Magiſterii, vel alium quemcunque Gradum in Sacra Theologia; niſi ad illum per Capitulum dictę Congregationis expoſitus fuerit, aſſumere quoquomodo preſumat; & ſi qui aliter promoti fuerint, decernimus eos pro non promotis haberi, & ad hujuſmodi gradus perpetuo inhabiles cenſeri, & eſſe debere. Demum volumus, & eadem auctoritate ſtatuimus, quod in Studio Conventus dicti Ordinis Bononien. ille ſemper debeat preſici in Regentem quem Vicarius cum Diffinitoribus Capituli dictę Congregationis Magiſtro, vel Generali Capitulo dicti Ordinis inſtitui, poſtularint. Inhibemus inſuper ſub excommunicationis pęna, in quam contrafacientes eo ipſo incidant, & a qua niſi per Magiſtrum, aut Vicarium dictę Congregationis, pręterquam in mortis articulo conſtituti, abſolvi nequeant, ne quis dictę Congregationis Frater, abſque ejuſdem ſui Vicarii licentia, ad alios Conventus, ipſi Vicario non ſubjectos tranſire pręſumat: quos taliter fugitivos ipſe Vicarius undecunque poſſit, etiam invitos, & ab invitis ad clauſtrum Conventuum dictę Congregationis revocare, eoſque juxta regularia dicti Ordinis inſtituta corrigere, & punire, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Quia vero rationi non congruit, ut Fratres, qui ab eodem Ordine exempti ſunt, ipſi Ordini gravamen inducant; idcirco volumus, quod tales exempti quacunque, etiam ſi Epiſcopali, aut Archiepiſcopali, pręfulgeant dignitate, in Conventibus dictę Congregationis ad manendum, vel habitandum recipi non poſſint, vel jam recepti in eiſdem Conventibus retineri, niſi aliquando Vicario dictę Congregationis, accedente conſenſu majoris partis Seniorum illius Conventus, in quo merito aliquis recipiendus eſſet, aliter viſum fuerit. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon quibusvis privilegiis, indultis, ac literis Apoſtolicis, Magiſtro, & Ordini pręfatis, ac aliis illius profeſſoribus, in genere, vel in ſpecie ſub quacunque verborum ſerie, vel expreſſione conceptis; quibus omnibus & ſingulis, etiamſi quoad eorum derogationem de illis, eorumque totis tenoribus non per generales, vel alias expreſſam mentionem importantes clauſulas, ſed de verbo ad verbum, aut de illorum dat. ſpecialis, & expreſſa, aut alia quęvis, etiam de individuis mentio foret habenda, hac vice duntaxat quoad hoc, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter derogamus: Necnon dicti Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, aut etiam literis, & ordinationibus Magiſtri Ordinis, necnon conceſſionibus per felicis recordationis Pium PP. Secundum Prędeceſſorem noſtrum, ſuper pręmiſſis & certis aliis per ſolam ſignaturam in Conventu Mantuan. Vicario & Congregationi prędictis factis, quas, in quantum pręmiſſis obviant, vel pręſentibus de novo conceſſę non ſint, harum ſerie revocamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatutorum, ordinationis, inhibitionis, derogationis, revocationis, conceſſionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem &c. Datum Romę apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Quarto, Idibus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

De Fratribus ad Magiſterii gradum promovendis.

De Regente ſtudii Generalis Bononien.

De Fratribus a Congregatione diſcedentibus.

Clauſula derogans.

Sanctio penalis.

G. Pele.

L. Dathus.

Gratis de mandato D. N. Papę.

P. de Spinoſis.

1. *Congregationo.*) Celeberrima fuit hæc Congregatio Lombardiæ, utpote viris pietate, doctrina, & præclare geſtis feraciſſima.

2. *Archivo.*) Ubi Exemplar authenticum membraneum, in quo ſic legere eſt. *In Chriſti nomine Amen. Hoc eſt exemplum quarundam literarum Apoſtolicarum Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri D. Pauli Divina providentia Papæ Secundi, ſcriptarum in membrana, & ejus vera Bulla plumbea Papali ad cordulam ſerici, rubei, croceique coloris, more Romanæ Curiæ pendente munitarum. In qua Bulla* (Plumbo nempe) *ab uno latere ſculptæ erant duæ Imagines, videlicet Sanctorum Petri, & Pauli Apoſtolorum cum infraſcriptis literis, videlicet S. Pa. S. Pe. Et ab altero latere ſculpta erat imago præfati Domini Papæ ſedens in Pontificali Cathedra, necnon imagines duorum Reverendiſſimorum Cardinalium cum infraſcriptis literis, videlicet Paulus PP. II, non abolitarum, non cancellatarum, non in aliqua ſui parte ſuſpectarum, a ſuis veris, & originalibus literis ſumptum. Quarum quidem literarum tenor eſt iſte videlicet. Paulus &c.* (inſcribitur Conſtitutio, deinde ſic legitur) *Nota quod die 4. Aprilis dicta copia ſupraſcriptæ Bullæ Apoſtolicæ fuit inſinuata, & auſcultata ad tribunal, & in præſentia D. Vicarii Curiæ Epiſcopalis Bon.* (Bononienſis) *per me Nicolaum de Mamelinis Notarium Bon.* (Bononienſem) *& per Ser* (Dominum ſcilicet) *Albericum de Dugliolo, & Majonium de Saviis, ambos Notarios Curiæ Epiſcopalis Bon. Cujus copiam etiam cum ejus Originali ſe concordantem habemus in carta papirea de verbo ad verbum, quoniam de dicta inſinuatione, & ejus auſcultatione fuimus nos tres Notarii rogati ad inſtantiam venerabilis Patris Fratris Martini de Lignano de Bon. Sindici, & Procuratoris D. Prioris, & Fratrum Prædicatorum S. Dominici de Bon., & in præſentia teſtium.*

Ego Nicolaus quondam Ser (Domini nempe) *Tadei de Mamelinis Civis Bon. publicus Apoſtolica, & communis Bon. auctoritate Notarius prædictus auſcultationi, & inſinuationi Apoſtolicæ Bullæ ante dictæ præſens fui, eamque rogatus ſcribere una & in ſolidum cum præmiſſis Ser Alberico de Dugliolo, & Ser Majono de Saviis Notariis Bon., prædictis omnibus præſens extiti, eamque rogatus ſcribere ſcripſi, & in eorum fidem hic me ſubſcripſi, & ſignum mei Notariatus conſuetum appoſui.*

Ego Tadeus filius ſupraſcripti Ser Nicolai de Mamelinis, & una cum ſupraſcriptis Notariis dicta die quarta Aprilis 1475 (Nota, quod numeris illis Arabicis tunc utebantur.) *De hujuſmodi inſinuatione, cujus Bullæ copia eſt, in ... mei Tadei fui rogatus.* Alia Exemplaria authentica aſſervantur in Cœnobiis *Veronenſi* Sanctæ Anaſtaſiæ, & *S. Sabinæ* de Urbe. Autographum eſt in Cœnobio *Ferrarienſi*, cujus Exemplum authenticum habes in Archivo Ordinis, ubi etiam reperitur aliud ex authentico, quod tenet *Mediolanenſis* Conventus *S. Mariæ Gratiarum*. Legitur apud *Caſtellanum Parte I pag.* 14.

Ta-

Anno 1465 Die 4 Januarii.

Tabernenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

IX.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Cuſentin. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium a laude Fratrum.

Supplex petitio.

Facultas.

UT ſacer Ordo Fratrum Prędicatorum, in agro dominico divina diſpoſitione plantatus, in orbę terrarum, latius diſtendatur, tanto propenſius volumus, quanto uberiores ex illis fructus proveniunt, & ipſi ſedulius inſiſtunt pro fructibus animarum. Sane pro parte dilectorum filiorum Nobilis viri Alfonſi (4) Ducis Calabrię, ac habitatorum, & incolarum terrę, villę, ſive oppidi Tabernę, Cathacen. (5) Dięceſis, Nobis nuper exhibita, petitio, continebat, quod ipſi incolę, & habitatores, ad eundem Ordinem gerentes ſpecialis devotionis affectum, unam Domum ejuſdem Ordinis pro uſu, & habitatione illorum Fratrum, ſub vocabulo Beati Dominici, Confeſſoris ejuſdem Ordinis, Patroni in terra, villa, ſive oppido hujuſmodi, conſtrui, & ędificari facere inceperunt, & ſanctę mentis affectu perficere exoptant. Quare pro parte Ducis, ac habitatorum, & incolarum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut habitatoribus, & incolis Domum ipſam conſtruendi, ędificandi, & perficiendi, necnon Fratribus prędictis illam recipiendi, & inhabitandi, licentiam concedere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dictum Ordinem, in viſceribus habemus caritatis, & illius propagationem intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, habitatoribus, & incolis, inceptam Domum hujuſmodi, etiamſi ab aliis Domibus Ordinum Mendicantium, per diſtantiam legalem non diſtet, cum Eccleſia, campanili, campanis, cęmeterio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione hujuſmodi, conſtruendi, ędificandi, & perficiendi, ſeu conſtrui, ędificari, & perfici faciendi, ipſiſque Fratribus illam recipiendi, & inhabitandi, felicis recordationis Bonifatii PP. Octavi Prędeceſſoris noſtri, prohibente ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua civitate, caſtro, vel villa, aut alio loco quocunque, ad habitandum domos, vel loca quęcunque de novo recipere pręſumant, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de prohibitione hujuſmodi mentionem, & qualibet alia ejuſdem Sedis conſtitutione contraria non obſtante, Dięceſani loci, & quorumcunque aliorum licentia ſuper hoc minime requiſita, jure tamen Parochialium Eccleſiarum, & quolibet alieno in omnibus ſemper ſalvo, plenam, & liberam, auctoritate noſtra, licentiam largiaris. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per te largiri contigerit, ut omnibus, & ſingulis prerogativis, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, & aliis indultis, quibus alii Fratres, in aliis ejuſdem Ordinis Fratrum Prędicatorum Domibus, gaudent, & utuntur, uti valeant, & gaudere, concedimus per pręſentes. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Quarto (6), Pridie Nonas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Tabernen.*) Juris eſt Provincialis utriuſque *Calabriæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Arch. Apoſtolico Libro XIII fol.* 26.
3. *Cuſentin.*) *Coſentin.*, & *Conſentin.*, vulgo *Coſenza*, in *Calabria*.
4. *Alfonſi.*) *Ferdinandi I Aragoni*, *Siciliæ* Regis filii.
5. *Cathacen.*) *Catacen.*, & *Catanzaren.*, vulgo *Catanzaro*, in *Calabria*.
6. *Sexageſimo Quarto.*) Stylo Bullarum, Æræ communis *MCCCCLXV*. Ceterum *ſub hoc Pontifice mutatum ſtylum, civiliſque anni initium revocari cœpiſſe ad Kalendas Januarii probari poteſt*, inquit *Papebrochius* in conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum Parte II Propylæi ad Acta Sanctorum Maii pag 134, *ex duabus in Bullario* (Romano) *Bullis, quarum tertia data legitur Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Sexto, Quintodecimo Kalendas Aprilis, Pontificatus Anno Secundo; ſexta vero, Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Nono, Octavo Idus Januarii, Pontificatus Anno Quinto, ubi fuiſſent numerandi Pontificatus Anni Tertius, & Sextus, ſi annos Chriſti oporteret extendere uſque ad XXV Martii. Idem patet*, inquit idem Papebrochius, *ex Bulla ejuſdem Pontificis apud Waddingum, data anno Dominicæ Incarnationis MCCCCLXVI, VI Idus Januarii, Anno Pontificatus II*. Hinc infert vir eruditus, *per errorem factum, quod prima Bulla apud eundem Waddingum, data V Nonas Martii Anno Pontificatus Primo aſcribatur Anno 1464, & ſcribendum 1465*. Hæc ille. Verum *Papebrochii* pace dictum ſit, quod *Cherubinus* in duabus a *Papebrochio* laudatis Conſtitutionibus, & *Waddingus* ipſe in Conſtitutione data Pontificatus Anno Secundo erraverint, Amanuenſium culpa fuit. Nec ex his tribus Diplomatibus dici poteſt, *Paulo II* Summo Pontifice, *mutatum ſtylum, civiliſque anni initium revocari cœpiſſe ad Kalendas Januarii*. Non igitur emendandus eſt *Waddingus* annum *MCCCCLXIV* aſcribens Conſtitutioni datæ *V* Nonas Martii Pontificatus Anno Primo: ſed hæc Conſtitutio probat, *Paulum II* non ſecus, ac Prædeceſſores, ac Succeſſores ſuos Annum in Bullis inchoaſſe die *XXV* Martii, non vero Kalendis Januariis. Id demonſtrant *Auguſtiniani* Bullarii Conſtitutio *I*, quam laudat ipſe *Papebrochius*, præſens Conſtitutio noſtra data Pridie Nonas Januarii *MCCCCLXIV* Pontificatus Anno Primo, ubi notandus fuiſſet Annus *MCCCCLXV*: Conſtitutio *XXII* inferius tranſcribenda, data Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ *MCCCCLXVI*, Quarto Nonas Januarii, Pontificatus Anno Tertio: Conſtitutio *XXIII* data Romæ apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicæ *MCCCCLXVI*, Decimo Septimo Kalendas Februarii, Pontificatus Anno Tertio: Conſtitutio *XXIV* data Romæ apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicæ *MCCCCLXVI*, Nonis Martii, Pontificatus Anno Tertio, in quibus aſcribendus fuiſſet Annus *MCCCCLXVII*: Conſtitutio *VI* data Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ *MCCCCLXVIII*, Duodecimo Kalendas Februarii, Pontificatus Anno Quinto: Tres aliæ, *XXXII* ſcilicet, *XXXIII*, & *XXXIV* datæ *IV* Februarii, *VI* Martii, & *X* Martii *MCCCCLXVIII*, Pontificatus Anno Quinto, quibus aſcribendus eſſet Annus *MCCCCLXIX*, ſi vera eſſet *Papebrochii* ſententia. Ceteras mitto, ne longum ſit. Hoc in opere legi poſſunt. Addenda tamen Conſtitutio *V* Bullarii Romani, quæ incipit -- *Ambitioſæ cupiditati* - data Romæ apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicæ *MCCCCLXVII*, Kalendis Martii, Pontificatus *Pauli II* Anno Quarto, ubi aſcribendus fuiſſet Annus *MCCCCLXVIII*, ſi *Paulus II* Annos a Kalendis Januariis auſpicatus fuiſſet in Bullis. Hinc autem liquet, quod *Cherubinus* editor Romani Bullarii ſibi non conſtat. Et ſane ſæpius in Annis aſcribendis errat, uti pluties hoc in Bullario noſtro notatum fuit.

Con-

Anno 1465 Die 10 Maii.

Contra moleſtias exhibentes Viterbien. Hoſpitio Pauperum (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

X.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Nicolao (3) Archiepiſcopo Sipontin. pro Nobis, & Romana Eccleſia Provincię noſtrę Patrimonii Beati Petri in Tuſcia Gubernatori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

JUſtis petentium votis, illis prę̨ſertim, per quę Hoſpitalia, & alia pia loca, in quibus pauperes, & egeni recipiuntur, & caritative tractantur, in hujuſmodi pietatis officiis conſervari valeant, & augeri, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus Sanctę Marię Gradus Viterbien., Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, quod nonnulli Barones, Nobiles, & alię Eccleſiaſticę, ſecularesque perſonę a quorum oculis Dei timor abſceſſit, quamplures poſſeſſiones, ſeu prędia, & alia immobilia bona ad Hoſpitale Pauperum Domus Dei ſitum juxta Eccleſiam dictę domus, ad ipſorum Prioris, & Fratrum curam, & gubernationem legitime ſpectantia, partim per moleſtias, partim vero ſub quorundam minus juſtorum titulorum prętextu, retroactis temporibus uſurparunt, & occuparunt, ac illa in animarum ſuarum periculum occupata detinuerunt, prout detinent de prę̨ſenti, ac quidam ex eiſdem perſonis Priori, & Fratribus prędictis varias ſuper eiſdem poſſeſſionibus, ſeu prędiis & bonis, & prę̨ſertim in Caſtrorum Orobię & Riſpampani territoriis, & in campo majori, ac in contracta Rochaltię, & ſuper teſtamento Caſalis, Viterbien. (4), & Sutrin. (5) Diœceſum, conſiſtentibus, ad dictum Hoſpitale legitime pertinentibus, moleſtias inferunt, & jacturas, quodque, licet quamplures alię perſonę prę̨ſertim fœminei ſexus, zelo devotionis accenſę, terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna, felici commercio, commutare, & animarum ſuarum ſaluti proſpicere, ac ſua bona, vel eorum partem eidem Hoſpitali, in quo ſemper numeroſa ſocietas pauperum, & Infirmorum recreatur, & juxta ipſius Hoſpitalis facultates omni tempore ſuſtentatur, in piam eleemoſynam legare, aut donare, deſiderent, id tamen facere prohibentur quodam ſtatuto municipali in Civitate noſtra Viterbien. vigente, quo inter cetera caveri dicitur expreſſe, quod mulieres bona ſua legare, donare, dimittere, vel alienare non poſſint ſine conſanguineorum ſuorum aſſenſu, ex quo Hoſpitali, vel pauperibus prędictis damna non modica inferuntur. Quare pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Hoſpitali, & pauperum eorundem indemnitatibus ſuper his conſulere, & omnes, & ſingulos Barones, Nobiles, & alias quaſcunque perſonas, qui poſſeſſiones, & bona prędicta detinent indebite occupata, aut ſuper illis, & eorum fructibus Priorem, & Fratres, atque Hoſpitale prędictos indebite vexare prę̨ſumunt, ut prę̨fertur, quod infra certum eis prę̨figendum terminum peremptorium, illa omnia, & ſingula eiſdem hoſpitali reſtituere debeant, moneri facere, alioquin ſi infra dictum terminum monitioni, & inſtrumento hujuſmodi non paruerint cum effectu contra eos, eorumque ſubditos, & vaſallos, ipſorumque bona, & reprehenſalias (6), & atteſtationes concedi, necnon ſtatuta prędicta tanquam libertati eccleſiaſticę repugnantia, mulieres ipſas, quo minus de bonis a Deo ſibi collatis hoſpitali, & Pauperibus antedictis pro ſuarum libitu voluntatum legare, relinquere, & donare libere, & licite valeant, non ligare, nec arctare debere, declarare, mandare, & alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque de prę̨miſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, vocatis qui fuerint evocandi, auditis hinc inde propoſitis, Priori, & Fratribus, necnon hoſpitali, atque pauperibus antedictis ſuper prę̨miſſis, & circa ea ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, complementum juſtitię auctoritate noſtra miniſtrare procures, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam &c. Non obſtante ſi detentoribus prędictis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem. Prę̨ſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis... (7) Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Quinto, Sexto Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

1. *Hoſpitio Pauperum.*) Conſulendæ Conſtitutiones *V*, & *VI B. Benedicti XI*, aliæque ibidem laudatæ *Tomo II pag.* 81.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Arch. Apoſtolico Libro XVI fol.* 43.
3. *Nicolao.*) De quo *Ughellus* in *Archiepiſcopis Sipontin.*
4. *Viterbien.*) Vulgo *Viterbo*, in *Hetruria* ditionis Pontificiæ.
5. *Sutrin.*) Vulgo *Sutri*, in *Hetruria* ditionis Pontificiæ.
6. *Reprehenſalias.*) Ab *Italica* voce *Repreſſaglia*, Gallis *Repreſailles*, latine *Clarigatio*.
7. *Duraturis....*) Deeſt locus, ubi datum fuit Diploma: Legendum videtur: *Datum Romæ apud S. Petrum*.

In-

Anno 1465 Die 17 Maii.

Inſerit, & firmat Innocentii VII Conſtitutionem, qua Tertii Ordinis Regula confirmatur.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XI.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

EX proviſione Sedis Apoſtolicę provenire dignoſcitur, ut Romanus Pontifex unicuique jus ſuum conſervet illęſum. Hinc eſt, quod Nos dilectorum filiorum Fratrum, & dilectarum in Chriſto filiarum Sororum Ordinis Fratrum Prędicatorum de Pęnitentia S. Dominici nuncupatorum in *Civitate Aquilan.* degentium in hac parte ſupplicationibus inclinati tenorem quarundam literarum felicis recordationis Eugenii Papę IV, Prędeceſſoris noſtri, in ſuo regeſtro repertum de verbo, ad verbum tranſcribi, & pręſentibus annotari fecimus, qui talis eſt: Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. Proviſionis noſtrę debet provenire ſubſidio &c (2) Nos enim, ut idem tenor ſic inſertus, omnimodam rei, ſeu facti certitudinem faciat, Apoſtolica auctoritate decernimus, quod illud idem robur, ac eam vim, eundemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quę haberent originales literę ſupradictę, & eadem prorſus eidem tenori fides adhibeatur, quandocunque, & ubicunque, ſive in judicio, ſive alibi, ubi fuerit oſtenſus, & eidem ſtetur firmiter in omnibus, ſicut eiſdem originalibus literis ſtaretur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Per hoc autem nullum jus cuiquam acquiri volumus de novo, ſed antiquum tantummodo conſervari. Nulli ergo &c noſtrę conſtitutionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c Dat. Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Quinto, Sexto Decimo Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXIV fol.* 158.

2. *Subſidio &c.*) Ut in *Conſtitutione CXCI Eugenii IV*, Legitur *pag.* 104 hujuſce *III Tomi*.

Anno 1465 Die 7 Junii.

De Cœnobio (1) fundando in Trajectenſi (2) Diœceſi.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

XII.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Vicario Generali, & Fratribus Congregationis Hollandię (4) Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Facultas.

SAcrę religionis, ſub qua in humilitatis ſpiritu ſub arcta obſervantia, devotum, & ſedulum exhibetis Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut in iis, per quę divinus cultus augeri, & regularis obſervantia peramplius dilatari valeat, votis veſtris favorabiliter annuamus. Hinc eſt, quod Nos, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, ut unam Domum pro uſu, & habitatione aliquorum Fratrum Ordinis Prędicatorum Congregationis veſtrę Hollandię juxta morem dicti Ordinis, cum Eccleſia, humili campanili, campana, cęmeterio, clauſtro, hortis, hortalitiis, aliiſque neceſſariis officinis, in honorem S. Thomę de Aquino ejuſdem, dum vixit, Ordinis profeſſoris, in aliquo loco in Dięceſi Trajecten. ad hoc congruenti, & honeſto, de quo vobis videbitur, conſtrui, & ędificari facere, illamque, aut unam aliam, ab aliis conſtructam, & ędificatam, ſi alias vobis concedatur, pro uſu, & habitatione in ſimilibus recipere, & perpetuo retinere, & inhabitare, libere, & licite valeatis, ſine tamen pręjudicio Parochialis Eccleſię, ejuſque, & cujuslibet alterius jure, in omnibus ſemper ſalvo, felicis recordationis Bonifatii PP. VIII prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium, in aliqua Civitate, Villa, Caſtro, ſeu alio loco quocunque ad inhabitandum domos, vel loca quęcunque, de novo recipere, aut hactenus recepta mutare pręſumant, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, aliiſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cęteriſque contrariis, nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium, licentiam elargimur. Pręterea Fratribus Ordinis, & Congregationis prędictorum, qui in dicta Domo pro tempore moram trahent, ut omnibus, & ſingulis, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indultis, & gratiis, Ordini, & Congregationi prędictis conceſſis, potiri, & gaudere valeant, auctoritate prędicta, earundem tenore pręſentium, indulgemus. Nulli &c. noſtrę conceſſionis, & Indulti infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Quinto, Septimo Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Cœnobio.*) *Zovellenſi*, vulgo *Zwol*, in ejuſdem nominis Urbe *Belgii*. Ab Anno *MDLXXX* ab hæreticis occupatur, uti docet vir clariſſimus *Bernardus* noſter *de Jonghe* in *Serie Conventuum FF. Prædicatorum*, *in Belgio*, *&* *vicinis locis*.

2. *Trajectenſi.*) Vulgo *Utrecht*, in *Belgio*.

3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Arch. Apoſtolico Libro XVI fol.* 3.

4. *Hollandia.*) De hac celebri Congregatione conſulendus Auctor mox laudatus in *Belgio Dominicano*.

Quæ

Quæ pro Conventu, ac Studio Colonienſis (1) Cœnobii reformandis acta ſunt, confirmantur.

Anno 1465 Die 7 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XIII.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Colonien.; Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

EX debito Paſtoralis officii, cui, diſponente Domino, præſidemus, reformationem locorum, & perſonarum Religioſarum quarumlibet vehementer appetimus, ac iis, quæ circa hæc rite geſta eſſe percepimus, ut diutius illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolici volumus adjici muniminis firmitatem. Sane pro parte dilectorum filiorum conſulum, & proconſulum Civitatis Colonien. petitio, Nobis nuper exhibita continebat, quod olim, te procurante, dilectus filius Conradus de Aſt (3), tunc (4) Magiſter Generalis Fratrum Prædicatorum, ex certis tunc expreſſis rationabilibus cauſis Domum Colonien. dicti Ordinis, in qua prius hujuſmodi obſervantia non vigebat, necnon Fratres tunc in illa degentes, qui videlicet ſub hujuſmodi obſervantia vivere decreverunt, ad regularem obſervantiam prædictam juxta morem dicti Ordinis reduxit (5), & tam domum ipſam, etiam alios Fratres Ordinis, & obſervantiæ hujuſmodi in illam introducendo, quam ſtudium dictæ domus ad inſtar ſtudii Conventus, ſeu Domus dicti Ordinis Civitatis noſtræ Bolonien. ita tamen quod per ſtudentes pro tempore in ipſa domo Colonien. aliqua eidem domui retributio ad arbitrium, & diſcretionem Generalis, & Vicarii, ac Prioris dictæ Domus Colonien. pro tempore exiſtentium fieri debeſt, auctoritate ſui Generalatus officii reformavit, prout in quibuſdam autenticis literis dicti Conradi tunc Generalis, ejus ſigillo munitis, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ab illo tempore citra in eadem domo Colonien. Regularis obſervantia, & Sacræ Theologiæ ſtudium digne viguerint, ipſique Conſules, & Proconſules reformationem prædictam admodum gratam habuerint, pro parte Conſulum, & Proconſulum prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut reformationi prædictæ pro illius ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac alias ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, de præmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis, per te ipſum auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, reformationem prædictam auctoritate noſtra approbes, & confirmes, ac plenum robur obtinere decernas, ſuppleaſque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eadem, ac ſtatuas, & ordines auctoritate noſtra prædicta, ut in eadem domo Colonien. de cetero perpetuis futuris temporibus vigere debeat hujuſmodi obſervantia regularis, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Quinto, Septimo Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Diplomatis cauſa.

Confirmatio.

1. *Colonien.*) In *Germania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XVI fol.* 3.
3. *Conradus de Aſt.*) Seu *Aſtenſis*, a patria ſic vocatus. Urbs eſt *Inſubriæ*. Adeas Auctores, quos laudat *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad an. MCCCCLXII pag.* 841.
4. *Tunc.*) Generalis renunciatus fuit *Conradus* in Comitiis anno MCCCCLXII *Senis in Hetruria* habitis. Ordinem rexit Annis circiter tribus.
5. *Reduxit.*) Anno *MCCCCLXIV*, XIII Kalendas Junii, ut ex Actis *Colonienſis* Conventus notat *Echard* ſupra laudatus.

Cœnobii S. Mariæ de Falconada (1) fundandi facultas.

Anno 1465 Die 2 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XIV.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis de Spina, & de Matallana Palentin. (3) Diœceſis Monaſteriorum Abbatibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SEdis Apoſtolicæ gratioſa benignitas piis fidelium, præſertim ſub Religionis habitu Domino militantium, ac aliorum ipſi Sedi devotorum, votis libenter annuit, & honeſtis ſupplicum precibus favorem benevolum impertitur. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis pro parte dilectorum filiorum Provincialis, & Fratrum Ordinis Fratrum Prædicatorum Provinciæ Caſtellæ juxta morem dicti Ordinis, ac nobilis viri Garziæ de Ayalla Mareſtalli (4) Regni Caſtellæ, petitio continebat, idem Garzias, qui verus, & unicus patronus Eremitorii S. Mariæ de Falconada infra terminos oppidi de Fontepudra, Palentin. Diœceſis, exiſtit, pro divini cultus, & religionis augmento Eremitorium ipſum Provinciali, & Fratribus prædictis pro eorum uſu, & habitatione perpetuis concedi deſiderat, Sede Apoſtolica hoc annuente, pro parte Provincialis, & Fratrum, ac Garziæ prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſis Provinciali, & Fratribus, dictum Eremitorium pro eorum uſu, & habitatione, recipiendi, & perpetuo inhabitandi, illudque cum Eccleſia, humili campanili, campana, cœmeterio, hortis, hortalitiis, aliiſque neceſſariis officinis ampliandi, & perpetuo retinendi, licen-

Supplex petitio.

licentiam concedere, ac alias ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati,
Facultas. diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, ſi eſt ita, Provinciali, & Fratribus prędictis, Eremitorium pręfatum, cum omnibus & ſingulis officinis, abſque alieni juris pręjudicio, recipiendi, & pro eorum uſu, & habitatione perpetuo retinendi, necnon illud cum Eccleſia, humili campanili, campana, cęmeterio, hortis, hortalitiis, aliiſque neceſſariis officinis ampliandi, & perpetuo retinendi, auctoritate noſtra, licentiam concedatis. Nos enim ſi licentiam hujuſmodi per vos vigore pręſentium concedi contigerit, ut pręfertur, Fratribus dicti Ordinis, qui in ipſo Eremitorio pro tempore moram trahent, ut omnibus, & ſingulis Privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, & gratiis dicto Ordini, & illius profeſſoribus in genere conceſſis, uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium indulgemus, Jure Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri prohibente, ne Fratres Ordinis Mendicantium, in aliqua Civitate, Villa, vel Caſtro, aut alio loco quocunque ad habitandum Domus, vel loca quęcunque, de novo recipere, aut hactenus recepta mutare pręſumant abſque dictę Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Quinto, Sexto Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *S. Marię de Falconada.*) In *Hiſpania Tarraconenſi*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Arch. Apoſtolico Libro XVI fol.* 234.
3. *Palentin.*) Seu *Palantin.*, vulgo *Palencia*, in *Legionenſi* Regno *Hiſpanię*.
4. *Mareſialli.*) Seu *Mareſcalli*. Dignitas maxima de qua conſulendus *Du cange* in *Gloſſario* verbo: *Marſchalcus &c.* Addi poteſt, quod *Mareſiallus* idem eſt, ac *Magiſter Equitum*, a Romanis *Tribunus*, & *Prafectus Militum* alias nuncupatus.

Anno 1465 Die 2 Julii.

Villalonenſi (1) Cœnobio quoddam Beneficium Eccleſiaſticum confert.

Ex Archivo (2) *Ordinis Lib.B. fol.*34.

XV.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii S Facundi de Sancto Facundo, Legionen. (3) Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Digna exauditione vota perſonarum humilium, maxime divinis laudibus ſub Religionis habitu deditarum, Apoſtolico nos convenit favore proſequi, & ſuorum locorum neceſſitatibus occurrere proviſionis gratia congruentis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum
Diplomatis cauſa. Prioris, & Fratrum Domus Ordinis Prędicatorum Villę de Villalon, Legionen. Dięceſis, petitio continebat, quod cum olim quondam Eleonora Regina Aragonum Jus patronatus Capellę Domini nuncupatę de dicta Villa, quam ipſius Reginę progenitores fundaverant, & dotaverant, ac pręſentandi perſonam idoneam ad illam, cum pro tempore vacat, quod quidem jus ad eandem Reginam unicam illius Patronam legitime pertinebat, tunc Priori, & Fratribus ejuſdem Domus, ad hoc ut in ipſa Capella divinum melius peragetur Officium, libere donaſſet, & conceſſiſſet, ac in eos tranſtuliſſet, ita quod Prior, & Fratres prędicti fructus, redditus, & proventus ejuſdem Capellę ex tunc in antea perpetuis futuris temporibus percipere, & habere, ac in communes dictæ Domus, ſuoſque uſus convertere poſſent, felicis recordationis Eugenius Papa IV, Prędeceſſor noſter, pręmiſſis ſibi pro parte tunc Prioris, & Fratrum prędictorum expoſitis, donationem, conceſſionem, & translationem prędictas, ratas habens, & gratas, illas auctoritate Apoſtolica confirmavit (4), & approbavit per quaſdam primo, & ſucceſſive, per quaſdam alias ſuas literas, omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan interveniſſent in eiſdem, ſupplevit, prout in ipſis literis plenius continetur. Cum itaque dicta Capella per liberam reſignationem dilecti filii Alfonſi Roderici de la Torre nuper ipſius Capellę Rectoris, Bacallarii in Decretis, de illa, quam tunc obtinebat, per dilectum filium Johannem de Porres Clericum Palentinę Dięceſis Procuratorem ſuum ad hoc ab eo ſpecialiter inſtitutum in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam, apud Sedem Apoſtolicam, vacaverit, & vacet ad pręſens, nulluſque de illa pręter Nos hac vice diſponere potuerit, ſive poſſit, pro eo quod Nos dudum omnia Beneficia Eccleſiaſtica apud Sedem ipſam tunc vacantia, & in antea vacatura, collationi, & diſpoſitioni noſtrę reſervavimus; decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Et, ſicut eadem petitio ſubjungebat, dicta Domus pro ejus fabrica, ſacriſtia, Luminaribus, Ornamentis eccleſiaſticis, ac pro victu, & veſtitu Prioris, & Fratrum prę-
Supplex petitio. dictorum ſuffragio non modico indigere noſcatur; pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dictam Capellam, extincto in ea nomine, & titulo beneficii eccleſiaſtici, pręfatę Sacriſtię pro prędictis uſibus perpetuo donare, concedere, & appropriare, ac alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur de pręmiſſis certam notitiam
Collatio. non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, vocatis quorum intereſt, de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, Capellam prędictam, quę ſine cura eſt, & cujus fructus, redditus, & proventus viginti librarum Turonen. parvorum ſecundum communem ęſtimationem valorem annuum, ut ipſi Prior, & Fratres aſſerunt, non excedunt, ſive pręmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſive

pet

per ſimilem reſignationem dicti Alfonſi, vel alterius de illa in Romana Curia, vel extra etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranenſis ſtatuta Concilii ad Sedem prędictam legitime devoluta, ipſaque Capella diſpoſitioni Apoſtolicę, vel alias generaliter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo ejus diſpoſitio hac vice pertineat, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis pręſatę Sacriſtię pro fabrica, luminaribus, ornamentis, victu, & veſtitu Fratrum hujuſmodi eadem auctoritate perpetuo dones, applices, appropries, & concedas, ac nomen, & titulum beneficii eccleſiaſtici in eadem Capella ſupprimas, & extinguas; ita quod ex tunc liceat Priori pro tempore, & Fratribus ſupradictis Capellę, juriumque, & pertinentiarum prędictorum corporalem poſſeſſionem per ſe, vel alium, ſeu alios auctoritate propria libere, & licite apprehendere, & perpetuo retinere, ac illius fructus, redditus, & proventus pręſatos in hujuſmodi uſus convertere, Diœceſani loci, aut alterius licentia minime requiſita. Contradictores per cenſuras eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus ſpecialies, vel generales dictę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetraverint, etiam ſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem, ac quęcunque inde ſecuta ad pręſatam capellam volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem Beneficiorum aliorum pręjudicium generari, & quibuslibet privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis; proviſo quod in ipſa Capella divina devote peragantur officia, ac ſolitis propterea non fraudetur obſequiis, ſed illius congrue ſupportentur onera conſueta, & inſuper, prout eſt, irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Quinto, Sexto Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Villalonenſi.*) Juris eſt Provincialis *Hiſpaniæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum ex Autographo aſſervato in Cœnobio *S. Dominici de Villalon.*
3. *Legionen.*) Vulgo *Leon*, in *Hiſpania Tarraconenſi*.
4. *Confirmavit.*) *Conſtitutione XXVII.* Legitur in hoc Tomo *pag.* 20.

Fratres in Provincia Theutoniæ, ſemel in die, ter in hebdomada carnibus veſci poſſint (1).

Anno 1465 Die 6 Septembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XVI.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis univerſis Prioribus, & Fratribus Domorum Prędicatorum Ordinis Provincię Theutonię ſecundum morem dicti Ordinis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUper gregem dominicum, noſtrę vigilantię divinitus traditum, intenti ſpeculatoris, prout Nobis deſuper conceditur, exercentes officium, Chriſti fideles ſingulos pręſatę Religioni deditos, eo providentię ſtudio gubernari annuimus, ut eorum Religionis ſtatu ſuſcepto, proſpere, & perſonarum ſemotis periculis, votivis congratulentur eventibus, & laudabiliter in Domino proficere valeant incremento. *Exordium.* Sane pro parte veſtra Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod in Capitulo Generali Fratrum veſtri Ordinis in Civitate Novarien. (3), nuper celebrato (4) communi diſpoſitione extitit definitum, quod ſi aliquid reperiretur diſſormatum, omnes Domorum ejuſdem Ordinis Fratres, quoad tria vota principalia per eos emiſſa, ſe ipſos reformarent, voſque definitionem ipſam amplecti, & ipſa vota, ut tenemini, obſervare intenſis deſideriis cupientes, ac etiam in communi vivere diſponentes, pro eo quod, ut plurimum, in pleriſque locis ejuſdem Provincię more veſtri Ordinis in quo multi probatę vitę in Theologia Magiſtri, & Fratres ejuſdem Ordinis ſenio confecti conſiſtunt, vinum non naſcitur, & frigida patria habetur, ſine carnium eſu vitam commode ducere poſſe dubitatur; *Diplomatis cauſa* Pro parte dilecti filii Generalis Magiſtri Ordinis ejuſdem, atque veſtra, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper premiſſis, ac alias ſtatui veſtro, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de ipſius Ordinis ſtatu clariſſimo, ſpecialis letitię multitudinem conſequentes, ac votis veſtris in his pręſertim, quę veſtrarum perſonarum ſtatum, & quietem, reſpiciunt, gratioſum Apoſtolici favoris pręſidium liberaliter impendere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut in Domibus Ordinis, & Provincię hujuſmodi, in quibus ipſa reformatio accepta fuerit, & , illa durante, temporibus, quibus ipſe eſus carnium, non extiterit a jure prohibitus, ſingulis Dominicis, & tertię, ac quintę Feriarum diebus, pro communi uſu, ſemel in die, aſtantibus, illis veſci volentibus, carnes miniſtrare, voſque, & illi, illis veſci licite valeatis, atque valeant, ita quod id vobis, vel eis ad culpam impingi nequeat, neque vos, vel illi ſuper eſu hujuſmodi, ab aliquo turbari, aut ab ipſis Domibus, amoveri, ſive Fratres ita vivere volentes, expelli poſſitis, ſive poſſint, Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & domorum prędictarum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica concedimus per pręſentes. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis, & vo-

Laus Ordinis.

Facultas.

voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Quinto, Octavo Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Poſſint*.) Conſulendus *Fontana De Conſtitutionibus, Declarationibus, & Ordinationibus Capitulorum Generalium &c. pag. 93 &c.*

2. *Archivo*.) In quo exemplar ex *Archivo Apoſtol. Libro XVI fol.* 213.

3. *Novarien.*) Tunc juris erat Provinciæ *Lombardiæ*, nunc Provinciæ *S. Petri Martyris*.

4. *Nuper celebrato*.) Hoc ſcilicet Anno *MCCCCLXV*.

Anno 1465 Die 12 Septembris.

Conſervatores creat, qui præcedentes literas ſervandas curent.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

XVII.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Auguſtano Provincię Maguntin. (2), & dilectis filiis Theſaurario Argentinen., & Pręposito Sancti Caſtoris Treviren. Diœc. Eccleſiarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper noſtras conceſſimus literas tenorem, qui ſequitur, continentes. Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis univerſis Prioribus, & Fratribus Domorum Ordinis Prędicatorum Provincię Theutonię ſecundum morem dicti Ordinis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Super Gregem Dominicum noſtrę vigilantię &c. (3). Volentes itaque quod Priores, & Fratres prędicti earundem literarum debitum conſequantur effectum, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios dictas literas, ubi, quando, & quoties expediens videritis, auctoritate noſtra ſolemniter publicantes, faciatis Priores, & Fratres eoſdem effectu prędicto pacifice frui, & gaudere, non permittentes, eos contra earundem literarum tenorem ab aliquibus deſuper inquietari, ſeu etiam moleſtari; contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. Non obſtantibus ſi aliquibus communiter vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Quinto, pridie Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo (4).

1. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolicę Libro XVI fol.* 213.

2. *Provincia Maguntina*.) Hujus Provinciæ dicitur *Auguſtanus* Epiſcopus, quia plures ſunt ejuſdem nominis Epiſcopatus. *Auguſta* nempe *Prætoria*, vulgo *Aoſta*, in *Pedemontio*; *Auguſta Sueſſionum*, vulgo *Soiſſons*, in *Gallia*; *Auguſta Tiberii*, vulgo *Ratiſbona*, in *Bavaria*; *Auguſta Tricaſtinorum*, vulgo *S. Paul des trois Chateaux*, in *Delphinatu*; *Auguſta Vindelicorum*, vulgo *Augſburg*, in *Germania &c.* de qua hic ſermo eſt.

3. *Vigilantię &c.*) Ut in præcedenti Diplomate ad finem uſque.

4. *Pridie Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.*) Vides hocce Diploma datum anno *MCCCCLXV* die *XII* Menſis Septembris, Pontificatus Anno Primo. Non ergo *Paulus II* corona Pontificia redimitus fuerat die *IX* menſis Septembris *MCCCCLXIV*. Enim vero ſi die *IX* Septembris coronam Pontificiam ſuſcepiſſet *Paulus II*, hoc in Diplomate, dato Pontificatus Anno Primo, Annus *MCCCCLXIV* debuiſſet inſcribi, uti nemo non videt. Emendandi ergo Scriptores, de quibus in *Notis* ad *Conſtitutionem I* dictum fuit. Nec objici poteſt, quod Annus *MCCCCLXV* aſcriptus eſt Amanuenſis errore, ex ipſa ſiquidem Conſtitutione conſtat, quod lata fuit poſt Comitia Generalia *Novariæ* coacta hoc Anno duntaxat *MCCCCLXV*, ut ex ejuſdem Capituli Generalis Actis videre eſt.

Anno 1466 Die 17 Junii.

Cretenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XVIII.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii B. Marię in Runa Saltzburgen. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

PIis fidelium votis, illis pręſertim, quę divini cultus augmentum, ac Religionis propagationem, concernunt, libenter annuimus, & quantum cum Deo poſſumus, favorem benevolum impertimur. Exhibita ſiquidem Nobis pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Friderici (3) Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, petitio continebat, quod ipſe nuper quandam Capellam ſub invocatione Corporis Chriſti in Oppido ſuo Cretę, Saltzburgen. (4) Diœceſis, conſtrui fecit, & ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Prędicatorum regularis obſervantię gerit devotionis affectum, cupit juxta illam, unam Domum cum dormitorio, clauſtro, refectorio, hortis, hortaliliis, & aliis neceſſariis officinis pro perpetua habitatione dictorum Fratrum ędificari, ac Capellam prędictam cum humili campanili, & campana, pro illius Eccleſia deputari, ipſamque poſtmodum perpetuis uſibus eorundem Fratrum applicari deſiderat.

Imperatoris ſupplex petitio.

Quare pro parte ipſius Friderici Imperatoris Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Fratribus prędictis, qui in dicto Oppido, aut extra illud, aliquam Domum non habent, Domum prędictam conſtrui, & ędificari faciendi, ac illam, cum Capella prędicta pro eorum uſu, & habitatione recipiendi, licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Facultas.

Nos igitur, qui divinum cultum augeri, & religionis hujuſmodi propagationem intenſis deſideramus affectibus, pium propoſitum Imperatoris pręfati plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus quatenus, ſi eſt ita, & per diligentem examinationem, per te ſuper hoc, Auctoritate noſtra, recipiendam, tibi conſtiterit, quod locus, in quo dicta Domus, conſtrui debet, honeſtus, & ad id aptus, ac

accom-

Digitized by Google

incommodus exiſtat, Fratribus prędictis, Domum hujuſmodi, conſtrui, & ędificari faciendi, ac illam cum Capella prędicta pro eorum perpetuis uſu, & habitatione recipiendi, & inhabitandi, auctoritate noſtra licentiam largiaris, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius, in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne prędicti, aut aliorum Ordinum Mendicantium Fratres, in quibusvis Civitatibus, terris, vel locis, domus, ſeu loca ad habitandum de novo recipere, vel recepta mutare pręſumant, abſque dictę Sedis licentia ſpeciali faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, necnon dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Sexto, Quintodecimo Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Cretenſis.*) In *Germania.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XL fol.* 239.
3. *Friderici.*) *Pacifici* nuncupati.
4. *Saltzburgen.*) *Saliſburgen.*, vulgo *Saltzburg*, in *Germania.*

Confirmat concordiam initam inter Fratres noſtros Conventus Panormitan. ex una, & Archiepiſcopum Panormitan., ex altera partibus ſuper Quartam Legatorum (1)

Anno 1466 Die 4 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XIX.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Montis Regalis (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

IIs, quę pro Eccleſiarum, pręſertim Metropolitan., utilitate rite geſta ſunt, ut illibata permaneant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolici volumus adiici muniminis firmitatem. Dudum ſiquidem a Nobis emanarunt literę tenoris ſubſequentis. Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Cum in omnibus Judiciis ſit rectitudo juſtitię, & conſcientię puritas obſervanda &c. (4). Quapropter &c. Si quis, &c. Poſtmodum vero, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte venerabilis Fratris noſtri Nicolai Archiepiſcopi Panormitan., ac dilectorum filiorum Provincialis Provincię Sicilię, & Domus Sancti Dominici Panormitan. Ordinis Fratrum Prędicatorum Prioris, & Fratrum ejuſdem Domus, petitio continebat, ipſi pro ſedandis controverſiis, quę inter Archiepiſcopum ex una, ac Priorem, & Fratres prędictos ex altera, partibus, ſuper quarta relictorum, & piorum legatorum eidem Domui retro actis temporibus factorum pro tempore exiſtenti Archiepiſcopo Panormitan. ex conſuetudine debita pluries viguerant, ac pro bono pacis, & concordię invicem convenerunt, & concordarunt, quod Prior, & Fratres, qui pro tempore forent dictę Domus eidem Archiepiſcopo novem uncias (5) monetę illius patrię pro hujuſmodi Quartis annis ſingulis traderent, & aſſignarent, ac univerſa relicta, & legata prędicta ſine ulla alia defalcatione (6) Priori Domus, & Fratribus prędictis integre cedere deberent, prout in quodam publico inſtrumento deſuper confecto, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, conventio, & concordia prędictę in evidentem menſę Archiepiſcopalis Panormitan. utilitatem ceſſerunt, ac cedant, pro parte tam Archiepiſcopi, quam Priorum, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conventioni, & concordię prędictis, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis dilectis filiis Capitulo dictę Eccleſię, & aliis, qui fuerint evocandi, de pręmiſſis, ſervata prędictarum literarum forma, auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi conventionem, & concordiam prędictas in evidentem ejuſdem menſę utilitatem ceſſiſſe, & cedere repereris, ut pręfertur, illas, & prout eas concernunt, omnia, & ſingula in eodem inſtrumento contenta, dicta auctoritate approbes, & confirmes, ſuppleaſque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Sexto, Quarto Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Diplomatis cauſa.

Confirmatio.

1. *Legatorum.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Arch. Apoſtolico Libro XXXV fol.* 142.
3. *Montis Regalis.*) In *Sicilia.*
4. *Obſervanda &c.*) Hæc Conſtitutio deſideratur.
5. *Uncias.*) Nihil hic deeſt, non enim ſemper *Uncia* ſignificat unciam auri, ut in *Gloſſario Du Cange*, verbo *Uncia*, illa vox explicatur, ſed apud *Siculos* triginta *Tareni* vocantur *Uncia*. *Tarenus* autem, non quidem *Neapolitanus*, qui majoris eſt pretii, ſed *Trinacriæ* Tarenus, vulgo *Tari*, reſpondet octo *Bajochis* Romanis, aſſibus nempe *VIII*. Bajochus Romanus, vulgo *Bajocco*, e quinque *quatrinis* eſt. *Quatrinus*, vulgo *Quattrino*, ſeu obolus, appellatur illa parva moneta, quam Galli Denariolum vocant, vulgo *Denier*.
6. *Defalcatione.*) Seu detractione, vel deductione.

Anno 1466 Die 9 Julii.

Cœnobii Sancti Severini (1) fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XX.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Nucerin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. PIis fidelium votis, quę Religionis propagationem, & divini cultus augmentum, eum animarum ſalute, concernunt, benevolo favore proſequimur, & ut optatum conſequantur effectum, libenter interponimus ſolicitudinis noſtrę partes. Sane pro parte dilecti filii Nobilis viri de Sancto Severino Principis Salernitan. Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ipſe, ob ſingularem, quem ad Fratres Ordinis Prędicatorum, gerit devotionis affectum, & ut Chriſti fideles eorundem Supplex petitio Principis Salernitani. Fratrum exemplari, ac laudabili vita, continuiſque admonitionibus, & prędicationibus verbi Dei, animarum ſuarum ſalutem quęrere inniteter poſſint, & inſtrui, unam Domum cum Eccleſia ſub invocatione S. Johannis Baptiſtę, & neceſſariis officinis, pro aliquibus Fratribus ſub regulari obſervantia dicti Ordinis viventibus, & inibi aliquam Domum pro eorum habitatione non habentibus, in quibuſdam Oratoriis, ſive Domibus, *lo Parco* S. Severini nuncupatis, Salernitan. Diœceſis, ad ipſum Principem legitime pertinentibus, loco ad id idoneo, & valde accommodo, ac honeſto de bonis, ſibi a Deo collatis, erigi, & conſtrui facere deſiderat, ſi ei ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam, licentia concedatur. Quare pro parte dicti Principis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ibi Domum hujuſmodi conſtrui, & ędificari faciendi, ac Fratribus prędictis illam pro eorum perpetuis uſu, & habitatione recipiendi, licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur prefati Principis, pium, & laudabile deſiderium hu- Facultas. juſmodi, condignis laudibus attollentes, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eidem Principi Domum hujuſmodi cum Eccleſia, campanili, campana, cęmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetua habitatione Fratrum Prędicatorum fundari, & conſtrui faciendi, ac eiſdem Fratribus illam pro eorum uſu, & habitatione hujuſmodi recipiendi, & perpetuo inhabitandi, licentiam auctoritate noſtra concedas, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuſlibet alterius, in omnibus ſemper ſalvo. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per te vigore pręſentium concedi contigerit, eidem Domui, & Priori, ac Fratribus, qui pro tempore illam inhabitabunt, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, exemptionibus, indulgentiis, gratiis, & favoribus, per Nos, vel Sedem prędictam dicti Ordinis Fratribus, & Domibus in genere conceſſis, & pro tempore concedendis, & quibus illi potiuntur, & gaudent, aut potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere poſſint, & debeant, Apoſtolica auctoritate concedimus per prępſentes. Datum Romę apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Sexto, Septimo Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *S. Severini.*) In Regno *Neapolitano*. Hocce Cœnobium ſatis eſt Provincialis *Regni*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLI fol.* 178.

Anno 1466 Die 8 Decembris.

Firmat ea, quæ Pius II de legibus, inſtitutiſque noſtris adamuſſim in Elborenſi (1) Cœnobio ſervandis ſtatuerat, & ſubreptitiam Conſtitutionem, a ſe datam reſcindit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXI.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Elboren., & dilectis filiis Archidiacono, ac Alvaro Gundiſalvi Juniori Canonico Eccleſię Elboren., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. JUſtis, & humilibus ſupplicum votis, per quę pręſertim regularis obſervantia ſtabiliri, & perſonę ſub ea degentes quietius famulari valeant, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Vicarii, & Fratrum Provincię Portugallię ſub eadem obſervantia degentium, Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio conti- Diplomatis cauſa. nebat, quod licet olim Domus Elboren. dicti Ordinis ad inſtantiam cariſſimi in Chriſto filii noſtri Alfonſi Regis Portugallię illuſtris, volentibuſque, & conſentientibus, quinimmo, & de hoc inſtantiam facientibus quibuſdam Fratribus tunc in dicta domo commorantibus, & conventualiter viventibus, venerabilis Frater noſter Alvarus Epiſcopus Silven. (3) tunc in partibus illis Apoſtolicę Sedis Nuncius, habenſque viſitandi quęcunque Religioſa loca, illorum reformandi ſtatus, & alia tunc expreſſa faciendi ab eadem Sede ſpecialem per ejus literas facultatem, dictam domum ad regularem obſervantiam reduxiſſet, & reformaſſet, & quod in ea hujuſmodi obſervantia vigere deberet, ordinaſſet, ita ut illi ex Fratribus in ea tunc habitantibus, qui ſub eadem obſervantia vivere vellent inibi remanere poſſent, alii vero ſe ad alias dicti Ordinis Domos transferre deberent, ac dilectus filius Auribelli (4) Magiſter Generalis dicti Ordinis per quaſdam ſuas literas reductionem, reformationem prędictas, & per tunc Vicarium Fratrem de obſervantia ejuſdem Provincię de illa taliter reformata factam receptionem approbaſſet, ac voluiſſet, quod illa ſic reformata remaneret,

ſta-

ſtatuiſſetque, & ordinaſſet, quod Fratres Conventuum reformatorum dictę Provincię eſſent exempti ab omni juriſdictione Prioris Provincialis ejuſdem Provincię, & de triennio in triennium eligerent ſibi Vicarium, qui Domibus reformatis dictę Provincię przeeſſet, & ſucceſſive felicis recordationis Pius Papa Secundus Prędeceſſor noſter ſtatutum, & ordinationem Martialis Generalis hujuſmodi, ac omnia, & ſingula per eum deſuper geſta, & ordinata, & in quibuſdam authenticis ipſius Generalis literis contenta per ſuas literas (5) confirmaſſet, & approbaſſet, tamen poſtmodum ubi dicta Domus per quinque, vel ſex annos, & ultra, taliter reformata, ſub cura, & gubernatione ejuſdem Vicarii permanſerat, pro parte quorundam Fratrum conventualium dicti Ordinis, triginta numero ſe eſſe aſſerentium, & Fratres dictę Domus ſe nuncupantium, Nobis mendaciter expoſito, ſeu verius ſuggeſto, quod quamvis ipſi in eadem domo voto Religionis aſtricti, ſtudio pię vitę perpetuo diſpoſuiſſent Altiſſimo famulari, & reſiduum dierum ſuorum terminare, nihilominus dilectus filius nobilis vir Fernandus (6) Dux Bragantię, aſſerens ſe ſuper hoc ab eodem Epiſcopo poteſtatem habere, eos, qui ad hoc non vocati, nec auditi extiterant, vi, & violentia ſubitu, & repente a dicta Domo amoverat, & expulerat, & in illam pręfatos Fratres de obſervantia introduxerat, qui dictam Domum inhabitantes prędictos triginta Fratres exules, & expoliatos, per alienos Conventus diſpergi, & per mundum vagari cogebant, necnon quod ipſi deſiderabant in eadem Domo ſub obſervantia regulari, & obedientia Prioris Provincialis ejuſdem Provincię juxta morem dicti Ordinis vota ſua Altiſſimo exhibere, ac pro parte ipſorum Fratrum Conventualium Nobis humiliter ſupplicato, ut eos ad prędictam Domum reſtitui, & redintegrari mandare dignaremur, Nos tunc hujuſmodi ſuggeſtione circumventi certis judicibus noſtris dedimus literis in mandatis, ut illos ex Fratribus Conventualibus prędictis, qui ſub obſervantia, & obedientia Prioris hujuſmodi in eadem domo degere vellent, ad domum ipſam reſtituerent, eoſque inibi admitti, & recipi, ac ſincera in Domino caritate tractari, & alia tunc expreſſa facerent, prout in eiſdem noſtris literis plenius continetur. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, pręfatus Rex reformationem dictę domus de voluntate Fratrum in ea tunc reſidentium prędictorum ſub eadem obſervantia ſe vivere velle annuentium, quorum, etiam nonnulli chirographa de manu ſua ſcripta ſuper hoc ipſi Regi porrexerunt, & pro conſolatione ſua, & populi Civitatis Elboren. quęſiverit, neque dubium ſit, quin, ſi aliqui eorundem Fratrum Conventualium ad obſervantiam venire, & ſub ea vivere velint, prędictus, aut pro tempore exiſtens ipſius Provincię Vicarius eos libenter admittat, & in domibus, in quibus, ſi voluerint, ſub eadem obſervantia vivere, ut etiam facere poterunt, collocare debeat, ſed non ſit mos in obſervantia dicti Ordinis, & pręſertim in dicta Provincia, ut Fratres de obſervantia ſubſint Priori Provinciali, ſed Vicario pro tempore ſupradicto, nec quod ſint in una domo perpetui ſed pro nutu ſuperioris mutabiles, & juxta regularia dicti Ordinis Inſtituta, ac iidem Fratres Conventuales, ut perſpici poteſt, malitioſe tendunt, ut ſub colore obſervantię dictam Domum occupare, & demum illam ad priſtinum ſtatum reducere poſſint, prout etiam vi, & violentia aliqui tentarunt, ac prędictę literę per ſubreptionem, & obreptionem a Nobis obtentę fuerint, pro parte tam Regis, quam Vicarii, & Fratrum de obſervantia prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de premiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam vocatis Fratribus Conventualibus prędictis, & aliis, qui fuerint evocandi, vobis de earundem noſtrarum, literarum ſubreptione legitime conſtiterit, illas nullius roboris, vel momenti fuiſſe, & eſſe auctoritate noſtra decernatis pariter, & declaretis, judicibuſque prędictis, ne ad illarum executionem procedant, eadem auctoritate diſtrictius inhibeatis; & nihilominus, ſi decretum, & declarationem hujuſmodi per vos vigore pręſentium fieri contigerit, ut pręfertur, Vicario, & Priori pro tempore, ac Fratribus Domus hujuſmodi in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, non permittatis eos ſuper prędicta domo indebite moleſtari, ſed eam ſub obedientia dicti Vicarii, & in regulari obſervantia juxta literas Pii Prędeceſſoris, & Generalis prędictorum, eadem auctoritate conſervare curetis. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Sexto, Sexto Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio. Mandatum.

1. *Elborenſi.*) *Eboren.*, vulgo *Ebora*, vel *Evora*, in *Portugalliæ* Regno.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XLIX fol.* 163.

3. *Silven.*) Vulgo *Silves*, in *Luſitania*.

4. *Auribelli.*) De quo ſæpius dictum fuit.

5. *Literas.*) Quæ deſiderantur.

6. *Fernandus.*) Seu *Ferdinandus*, ut ab aliis nuncupatur. Patrem habuit *Eduardum* Regem *Luſitaniæ*, Matrem vero *Eleonoram* Aragoniæ. Germanus Frater erat *Alfonſi V* Regis *Luſitaniæ*, cujus mentio fit hoc in Diplomate.

Ex

Anno 1467 Die 2 Januarii.

Ex Conſtitutione Urbani VI, hic inſcripta, Monaſterium Valleoleti (1) conſtruendum diſtet (2) CXL *cannis* a Cœnobio noſtro S. Pauli.

Ex Archivo (3) Ordinis.

XXII.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Monaſterii S. Benedicti per Priorem ſoliti gubernari, & Secularis, ac Collegiatę Eccleſię Beatę Marię de Valleoleti, Palentin. Diœceſis, Prioribus, ac Theſaurario ejuſdem Eccleſię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DUdum ſiquidem felicis recordationis Urbano PP. VI Literę emanarunt tenoris ſequentis. Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, ac univerſis Prioribus, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Quia plerumque in futurorum eventibus, ſic humani &c. (4). Datum Viterbii IV Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus S. Pauli de Valleoleti Ordinis Fratrum Prędicatorum, Palentin. Diœceſis, petitio continebat, dilecta in Chriſto filia Nobilis mulier Thereſia Comitiſſa de Sancta Martha dictę Diœceſis, nulla ſuper hoc a Sede Apoſtolica obtenta licentia, quoddam Monaſterium Monialium Ordinis S. Clarę intra limitatum, & deinde reſtrictum cannarum ſpatium hujuſmodi contra tenorem literarum prędictarum, ędificari, & conſtrui facere cęperit, in ipſorum Prioris, & Fratrum, non modicum detrimentum, Nos indemnitati Prioris, & Fratrum prędictorum, providere volentes, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, vos, vel duo, aut unus veſtrum, eiſdem Priori, & Fratribus ſuper his efficacis defenſionis prędidio aſſiſtentes, non permittatis eos, contra Literarum earundem tenorem, per Comitiſſam prędictam, ſeu quoslibet alios, quomodolibet moleſtari. Contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam &c., aut ſi dictę Comitiſſę, vel quibusvis aliis, communiter, vel diviſim, a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo, ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Sexto (5), Quarto Nonas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Valleoleti.*) Seu *Valliſoleti*, vulgo *Valladolid*, in *Hiſpania Tarraconenſi*.
2. *Diſtet.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLIX fol.* 41.
4. *Humani &c.*) Ut in *Conſtitutione IX Urbani VI* ad finem uſque, *Tomo II pag.* 301.
5. *Sexageſimo Sexto.*) Stylo Bullarum, ærę communis MCCCCLXVII.

Anno 1467 Die 16 Januarii.

Ferrarienſe Cœnobium S. Mariæ ab Angelis immobilia (1) bona quæcunque, & annuos redditus habere poſſit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXIII.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus Sanctę Marię ab Angelis extra Muros Ferrarien., Ordinis Fratrum Prędicatorum, de obſervantia nuncupatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium a laude vitæ Religioſæ.

BEnigna clementia Sedis Apoſtolicę, quę digna dignis conſuevit impendere, ſic pia loca religione conſpicua, in quibus inviolata viget obſervantia regularis, fervet caritas, refloret honeſtas, virtutum plantaria per bonorum operum ſtudia, & pręclara Sanctitatis merita reviviſcunt, patet hoſpitalitas gratioſa, & devotę laudis frequentia, celebriſque venerationis inſtantia divina attollitur gloria Majeſtatis, ſpeciali gratia, & favore proſequitur, quod religioſę perſonę in illis Altiſſimo famulantes per ſanctę converſationis, & laudabilis vitę ſtudium in conſpectu Dei, & hominum fulgeant, & temporalium rerum, ſine quibus ſpiritualia diu ſubſiſtere non poſſunt, ubertate fruuntur. Sane pro parte

Supplex petitio.

veſtra Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod cum aliquis fidelium, pręterquam Marchionum Eſten., in Domo veſtra Sanctę Marię ab Angelis extra muros Ferrarien. Ordinis Fratrum Prędicatorum de Obſervantia nuncupatorum, quam Marchiones ipſi fundaverunt, juxta hujuſmodi fundationem ſepeliri non poſſit, vos, qui aſſiduis Orationibus, ac divinis officiis, ac Sacrarum literarum ſtudiis intenti eſtis, piis fidelium eleemoſynis privati ſuſtentari non poteſtis. Verum ſi vobis recipiendi, & retinendi bona immobilia per fideles Chriſti vobis eroganda, prout Neapolitan., Bononien., & Florentin. Domibus ejuſdem Ordinis, ac illorum Prioribus, & Fratribus Apoſtolica auctoritate conceſſum eſſe, aſſeritis, licentia concederetur, profecto Regularis obſervantia in prędicta veſtra Domo manuteneri, & conſervari poſſet, voſque exinde in veſtris neceſſitatibus magnum ſuſciperetis relevamen.

Nota.

Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis, & prędictę Domui veſtrę, ac pro tempore exiſtentibus, & obſervantiam hujuſmodi tenentibus, & ſecundum illam viventibus, Fratribus ſucceſſoribus veſtris, quod omnia, & quęcunque bona immobilia, cenſuſque, & annuales redditus

Nota.

quoſcunque, vobis, & dictę Domui per quaſcunque perſonas pia largitione, donatione, teſtamento, ſeu alias qualitercunque eroganda, donanda vel relinquenda, recipere, & retinere, ac in veſtros, & dictę Domus uſus abſque alicujus culpę, vel pęnę incurſu, convertere, & alias, prout neceſſitas, vel uti-

utilitas exegerit, ſeu requiret, diſponere valeatis, concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur cupientes, ut dicta obſervantia in eadem Domo veſtra ſemper vigeat, & manuteneatur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, & pręfatę Domui veſtrę, ac pro tempore exiſtentibus, & obſervantiam prędictam tenentibus, & ſecundum illam viventibus, Fratribus ſucceſſoribus veſtris, quod omnia, & quęcunque bona immobilia, cenſuſque, & annuales redditus quoſcunque vobis, & dictę veſtrę Domui per quaſcunque perſonas pia largitione, donatione, teſtamento, ſeu alias qualitercunque eroganda, donanda, vel relinquenda, recipere, & retinere, ac in veſtros, & dictę Domus veſtrę uſus abſque alicujus culpę, vel pęnę incurſu, convertere, & alias, prout neceſſitas, vel utilitas exegerit, ſeu requiret, diſponere adinſtar aliarum conceſſionum prędictarum libere, & licite valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, de ſpeciali gratia, indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod ſtabilia bona, ſi vobis dentur, erogentur, relinquantur, vel donentur, nullatenus ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicę alienentur; decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicę Millesimo Quadringenteſimo Sexageſimo Sexto (3), Decimo ſeptimo Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

M. de Mannuciis.

1. *Immobilia.*) Legendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar, authenticum unum ex Autographo *Ferrarienſi*, aliud ex *Archivo Apoſtolico Lib.LVI fol.266.*

3. *Sexageſimo Sexto.*) Stylo Bullarum æræ communis *MCCCCLXVII.*

Kilchbergenſe (1) Monaſterium ſua, ſanctæque Sedis clientela tutatur.

Anno 1467 Die 7 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis Lib.B. fol.222.

XXIV.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Sororibus Domus in Kilchberg, Ordinis Sancti Auguſtini, Conſtantienſis Dięceſis, ſub cura & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum degentibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DUm a nobis petitur quod juſtum eſt, & honeſtum, tam vigor ęquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilectę in Chriſto filię, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, perſonas veſtras, & locum, in quo divino eſtis obſequio mancipatę, cum omnibus bonis, quę impręſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum juſtis modis, pręſtante Domino, poteritis adipiſci, ſub Beati Petri protectione ſuſcipimus, atque noſtra, necnon omnes libertates, & immunitates a Prędeceſſoribus noſtris, Romanis Pontificibus, ſive per privilegia, vel alia indulta vobis, & Domui veſtrę conceſſas, libertates quoque, & exemptiones ſecularium exactionum a Regibus, & Principibus, ac aliis Chriſti fidelibus, vobis, & eidem Domui, rationabiliter indultas, ſpecialiter autem decimas, terras, domos, vineas, hortos, & alia bona ad dictam domum legitime ſpectantia, ſicut ea omnia juſte, & pacifice poſſidetis, vobis, & per vos eidem domui auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus, ſalva in prędictis decimis moderatione Concilii Generalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę ſuſceptionis, & confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Sexto (3), Nonis Martii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Kilchbergenſe.*) Rectius *Kirchbergen.*, in *Suevia*, juris eſt Provincialis *Saxoniæ*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo *Kilchbergenſi*.

3. *Sexageſimo Sexto.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLXVII.*

Anno 1468 Die 1 Martii.

De bonis Eccleſiaſticis non alienandis (1).

Ex Bullario (2) *Romano in Paulo II Conſtitutione V.*

XXV.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

AMbitioſę cupiditati, illorum pręcipue, qui divinis, & humanis affectatis, damnatione poſtpoſita, immobilia, & pretioſa mobilia Deo dicata, ex quibus Eccleſię, Monaſteria, & pia loca reguntur, illuſtranturque, & eorum Miniſtri ſibi alimoniam vendicant, profanis uſibus applicare, aut cum maximo illorum, ac Divini cultus detrimento exquiſitis mediis uſurpare pręſumunt, occurrere cupientes, omnium rerum, & bonorum eccleſiaſticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipſorum dominium, conceſſionem, hypothecam, locationem, & conductionem ultra triennium, necnon infeudationem, vel contractum emphyteoticum, pręterquam in caſibus a jure permiſſis, ac de rebus, & bonis in emphyteuſim ab antiquo concedi ſolitis, & tunc cum Eccleſiarum evidenti utilitate, ac de fructibus, & bonis, quę ſervando ſervari non poſſunt, pro inſtantis temporis exigentia, hac perpetuo valitura Conſtitutione fieri prohibemus. Pręceſſorum noſtrorum conſtitutionibus, prohibitionibus, & Decretis aliis ſuper hoc editis, quę tenore pręſentium innovamus, in ſuo nihilominus robore permanſuris. Si quis contra hujus noſtrę prohibitionis ſeriem de bonis, & rebus eiſdem quidquam alienare pręſumpſerit, alienatio, hypotheca, conceſſio, locatio, conductio, & infeudatio hujuſmodi, nullius omnino ſit roboris, vel momenti: & tam qui alienat, quam is, qui alienatas res, & bona pędicta receperit, ſententiam excommunicationis incurrat; alienanti vero bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, locorumque piorum quorumlibet inconſulto Romano Pontifice, aut contra pręfeotis Conſtitutionis tenorem, ſi Pontificali, vel Abbatiali pręfulgeat dignitate, ingreſſus Eccleſię ſit penitus interdictus; & ſi per ſex menſes immediate ſequentes ſub interdicto hujuſmodi, animo, quod abſit, perſeveraverit indurato, lapſis menſibus eiſdem, a regimine, & adminiſtratione ſuę Eccleſię, vel Monaſterii, cui pręſidet, in ſpiritualibus, & temporalibus ſit eo ipſo ſuſpenſus, inferiores vero Pręlati, Commendatarii, & alii Eccleſiarum Rectores, Beneficiati, vel adminiſtrationem quomodolibet obtinentes, Prioratibus, Prępoſituris, Prępoſitaribus, dignitatibus, perſonaribus, adminiſtrationibus, Officiis, Canonicatibus, pręhendis, aliiſque Eccleſiaſticis, cum cura, & ſine, ſecularibus, & regularibus beneficiis, quorum res, & bona alienarunt duntaxat, ipſo facto privati exiſtant, illaque abſque declaratione aliqua vacare cenſeantur, poſſintque per locorum ordinarios, vel alios, ad quos eorum collatio pertinet, perſonis idoneis, illis exceptis quę propterea privatę fuerint, libere de jure conferri, niſi alias diſpoſitioni Apoſtolicę Sedis ſint ſpecialiter, aut generaliter reſervata: & nihilominus alienatę res, & bona hujuſmodi ad Eccleſias, Monaſteria, & loca pia, ad quę ante alienationem hujuſmodi pertinebant, libere revertantur. Nulli ergo &c. Datum Romę apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Septimo (3), Kalendis Martii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Prohibitio alienandi.

Innovatio conſtitutionum ſuorum Prędeceſſorum.

Pœnæ contra inobedientes.

1. *Alienandis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Bullario.*) Legitur etiam in *Bullario Carmelitano Parte I pag. 285*, & alibi paſſim.
3. *Sexageſimo Septimo.*) Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCLXVIII.

Anno 1468 Die 27 Martii.

Ut Decretalis: *Super Cathedram*: in Hungaria ſervetur (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXVI.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Alben. (3), & Quinque Eccleſien. (4) Epiſcopis, ac dilecto filio Prępoſito Eccleſię de Veteri-Buda (5), Veſprimen. (6) Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte Prioris Provincialis, ac Priorum Fratrum Domorum Sancti Dominici Regni, ſeu Provincię Hungarię juxta ſtatuta dicti Ordinis, petitio continebat, quod licet ipſi juxta Decretalem quę incipit: Super Cathedram: per felicis recordationis Bonifatium Papam Octavum ſuper hoc editam, & per pię memorię Clementem Papam Quintum Prędeceſſores noſtros; in Viennen. Concilio innovatam in eorum Eccleſiis, & locis liberam habeant ſepulturam, videlicet, quod omnes recipere valeant, qui ſepeliri elegerint in locis, & Eccleſiis memoratis, tamen dilecti filii Rectores, Plebani nuncupati, Parochialium Eccleſiarum ipſius Regni, ſeu Provincię dictos Priores, & Fratres, quo minus corpora Parochianorum ſuorum defunctorum, apud Eccleſias, & loca ipſorum Fratrum ſuas ſepulturas eligentium, libere ad Eccleſias, & loca hujuſmodi portare, ſeu portari facere poſſint, contra juſtitiam impedire pręſumpſerunt hactenus, & pręſumunt, ſed corpora ipſa, prius ad ſuas Eccleſias & invitis amicis, & hęredibus Parochianorum eorundem deferri faciunt, in animarum ſuarum periculum, ipſorumque Priorum, & Fratrum pręjudicium non modicum, & gravamen. Quare pro parte Magiſtri, ac Priorum, & Fratrum eorundem Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut cauſas, quas ipſi contra dictos Rectores, pręmiſſorum occaſione, movere intendunt, aliquibus probis viris in partibus illis audiendas, & fine debito terminandas committere, ac alias eis in his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati,

Diplomatis cauſa.

dif-

diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, vocatis Rectoribus prędictis, & aliis qui fuerint evocandi, auditiſque hinc inde propoſitis, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes, quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari: teſtes autem qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellatis veritati teſtimonium perhibere. Non obſtantibus Bonifatii prędicti, quibus cavetur, ne quis extra ſuam civitatem, vel Dięceſim, niſi in certis expreſſis caſibus, & in illis, ultra unam dietam a fine ſuę Dięceſis ad judicium evocetur, ſeu ne Judices a Sede Apoſtolica deputati extra civitatem, & Dięceſim, in quibus deputati fuerint contra quoſcunque procedere, aut alii, vel aliis, vices ſuas committere pręſumant, dummodo aliquis auctoritate pręſentium ultra duas dietas a fine ſuę Dięceſis non trahatur, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis quibuſcunque, aut ſi Rectoribus pręfatis, vel quibusvis aliis communiter, vel diviſim ab eadem Sede indultum exiſtat quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Octavo, Sexto Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Mandatum.

Clauſula derogans.

1. *Servetur.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXIX fol. 3.*
3. *Alben.*) Seu *Alba Julia*, in *Tranſilvania*.
4. *Quinque Eccleſien.*) In *Hungaria*.
5. *Veteri-Buda.*) In *Hungaria*.
6. *Veſprimen.*) *Veſprinien.*, vulgo *Veſprin.*, in *Hungaria*.

Firmat donationes Segethuſenſi (1) Conventui factas.

Anno 1468 Die 1 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Alben. (3) Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XXVII.

Ad ea per quę ultimę fidelium voluntates, pręſertim pios uſus reſpicientes, effectum debitum conſequantur, libenter intendimus, ac illis, cum a Nobis petitur, Apoſtolici libenter adjici volumus muniminis firmitatem. Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus Beatę Marię de Segeſvvar Ordinis Fratrum Prędicatorum, Alben. Dięceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod quondam Nicolaus Senior de Varzackna Vicenaynada dictę Dięceſis de propria ſalute recogitans, condenſque de bonis ſuis in ejus voluntate ultima, teſtamentum, inter cetera medietatem cujuſdam poſſeſſionis Feyreghsz nuncupatę, & medietatem Molendini citra flumen Kikelbro, & tertiam partem cujuſdam prati illi propinqui, in eadem Dięceſi conſiſtentium, ad ipſum Nicolaum, dum viveret, tunc pertinentium, pręfatę Domui pro victu, & ſuſtentatione Prioris, & Fratrum prędictorum, ac aliis dictę Domus neceſſitatibus in eleemoſynam legavit, certis ejuſdem voluntatis ſuę executoribus deputatis, prout in quodam publico Inſtrumento, deſuper confecto, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio continebat, Prior, & Fratres prędicti propter vicinitatem Turcarum, & crebras illorum invaſiones, ac guerras fere continuas, aliunde non habeant, nec per quęſtum eleemoſynam ſufficienter reperiant, unde commode ali, & ſuſtentari valeant, pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut legato prędicto pro illius ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adjicere, ac alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi, & poſtquam vocatis qui fuerint evocandi, tibi de pręmiſſis legitime conſtiterit, legatum prędictum, &, prout illud concernit, omnia, & ſingula in eodem Inſtrumento contenta, auctoritate noſtra, approbes, & confirmes, ſuppleaſque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & nihilominus, ſi approbationem, & confirmationem hujuſmodi vigore pręſentium fieri contigerit, ut pręfertur, eiſdem Priori, & Fratribus ſuper pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtens, non permittas eos ſuper rebus, & bonis, ac legatis prędictis, & aliis quibuſcunque ab aliquibus indebite moleſtari, aut eis gravamina, ſeu damna, vel injurias aliquas irrogari, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam &c. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Octavo, Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Exordium.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

1. *Segethuſenſi.*) Vulgo *Segeſvvar*, in *Tranſilvania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Arch. Apoſtolico Libro LXXVIII fol. 238.*
3. *Alben.*) Seu *Alba Julia*, in *Tranſilvania*.

Anno 1468 Die 5 Julii.

Ut Vratiſlavienſis (1) Epiſcopus Erumnenſi (2) Monaſterio quædam reſtituenda curet.

Ex Archivo (3) Ordinis.

XXVIII.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Vratiſlavien. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Sororum Domus Beatę Marię Oppidi Erumnen., Olomucen. Diœceſis, Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum, degentium, petitio continebat, quod olim dilectus filius Marquardus de Lomuiz, & quidam alii Clerici, & Laici ejuſdem Diœceſis Prioriſſam, & Sorores, Domus Sanctę Annę extra muros dicti oppidi ejuſdem Ordinis tunc exiſtentes quibuſdam immobilibus in eadem Diœceſi conſiſtentibus, mobilibuſque bonis ad dictam Domum Beatę Marię, ratione cujuſdam Domus Sanctę Annę, quę eidem Domui Beatę Marię poſtmodum canonice unita fuit, legitime ſpectantibus, de facto ſpoliarunt. Quare pro parte Prioriſſę, & Sororum dictę Domus B. Marię Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut cauſam, quam ipſę contra Marquardum, & alios Clericos, & Laicos prędictos ſuper prę miſſis, ac occaſione eorum movere intendunt, aliquibus probis viris in partibus illis committere, & alias eis in prę miſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Mandatum.

Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis Marquardo, & aliis Clericis, ac Laicis prędictis, & aliis, qui fuerint evocandi, auditiſque hinc inde propoſitis, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens quod decreveris per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint vocati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione poſtpoſita, compellas veritati teſtimonium perhibere. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi Prędeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne quis extra ſuam civitatem, vel Diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſuę Diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne judices a Sede prędicta deputati, extra civitatem, vel Diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, aut alii, vel aliis vices ſuas committere pręſumant, dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate pręſentium non trahatur, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis quibuſcunque, aut ſi Marquardo, & aliis Clericis, & Laicis prędictis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a Sede prędicta indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint, per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Octavo, Tertio Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Vratiſlavienſis.*) Vulgo *Breslavv*, in *Sileſia*.
2. *Erumnenſi.*) In *Moravia*.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXII fol. 197.*

Anno 1468 Die 10 Septembris.

Eſtenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXIX.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Andreę Bembo, & Thadeo Quirino (3) Canonicis Eccleſię Paduan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ducis Venetiarum ſupplex petitio.

SAcroſanctę Eccleſię &c. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Chriſtophori Mauro, *Ducis Venetiarum*, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod quondam Thadęus Marchio Eſten.(4), dum in ultimis vitę ſuę diebus conſtitutus eſſet, condens de bonis ad eum ſpectantibus, in voluntate ultima teſtamentum, ac de propria ſalute recogitans, inter cetera voluit, & ordinavit, quod prędicti teſtamenti executores, ſeu fideicommiſſarii, ſeu quos tunc nominatim expreſſit, de bonis ipſius Marchionis, unam Domum cum Eccleſia, campanili, campana, horto, hortaliciis, aliiſque neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione Fratrum Ordinis Prędicatorum extra Caſtrum Eſtenſe, Paduan. Diœceſis, de novo fundari, conſtrui, & ędificari faceret, prout in quodam publico Inſtrumento, deſuper confecto, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, locus in quo Domus ipſa, juxta dicti Marchionis ordinationem conſtrui deberet, adeo declivis, & aquarum inundationibus ſubditus ſit, ut interdum in eo aquę non in modica altitudine ſuper excreſcunt, ex quo ſi Domus ipſa, ibidem conſtrueretur, metus eſt, quod ultra cetera Fratrum in illa pro tempore habitantium incommoda brevi tempore ejus ędificia dirui poſſent, pro parte dicti Ducis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut executoribus, ſeu fideicommiſſariis prędictis, quod eandem Domum, intra dictum caſtrum, in quo etiam ipſius Marchionis Domus conſiſtunt, aliquo in loco ad id congruenti, & apto, fundari, erigi, & conſtrui facere libere & licite valeant, licentiam impertiri, ac alias ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Facultas.

Nos igitur, de prę miſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę, per

Apoſ-

Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra, vos diligenter informetis, &, ſi per informationem hujuſmodi, ita eſſe repereritis, prętatis executoribus, ſeu fideicommiſſariis, ut Domum prędictam cum Eccleſia, humili campanili, campana, cęmeterio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, intra dictum Caſtrum, in loco tamen ad hoc apto, & congruenti, fundari, erigi, & conſtrui facere, libere, & licite valeant, abſque tamen alicujus prędjudicio, necnon jure Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius, in omnibus ſemper ſalvo, auctoritate noſtra licentiam concedatis. Non obſtantibus voluntate, & ordinatione teſtatoris hujuſmodi, ac felicis recordationis Bonifacii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium, in aliqua Civitate, villa, vel caſtro, aut alio loco quocunque, ad Inhabitandum Domos, vel loca quęcunque, de novo recipere, vel recepta mutare pręſumant, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo, ad verbum, de prohibitione hujuſmodi mentionem, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Nos enim, ſi Domum prędictam, fundari, & conſtrui contigerit, Fratribus dicti Ordinis, in illa pro tempore moram trahentibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis, & gratiis prętato Ordini, ejuſque Profeſſoribus, a Sede prędicta, vel alias in genere conceſſis potiri, & gaudere, libere, ac licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium indulgemus. Datum Romę apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Octavo, Quarto Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Eſtenſis.*) Juris eſt Provincię *S. Dominici Venetiarum.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Arch. Apoſtolico Libro XC fol.* 261.
3. *Andreæ Bembo, & Thadeo Quirino.*) Utraque familia nunc etiam floret.
4. *Eſten.*) Gens eſt nobiliſſima, de qua ſæpius dictum fuit.

Fraternitatem Capellæ B. Mariæ de Gratia ſitæ in ædibus Sacris Cœnobii S. Dominici Cuſentin. (1) privilegiis ornat.

Anno 1468 Die 6 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXX.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Confratribus, & dilectis in Chriſto filiabus Sororibus univerſis Fraternitatis Capellę B. Marię de Gratia, ſitę in Eccleſia Domus S. Dominici Cuſentini, Ordinis Prędicatorum. pręſentibus tantum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

DE credito noſtrę ſolicitudini grege illi, qui eum Nobis, licet immeritis, divina diſpoſitione, commiſit, in extremo, cum judicare venerit univerſos, judicio rationem reddituri, ſummis, ut tenemur, affectibus gregem ipſum, quem plerumque a juſtitię limitibus coluber ille tortuoſus humani generis inimicus, perverſis ſuggeſtionibus ſępe ſuis eduxit, Omnipotenti Deo Redemptori noſtro, qui non vult mortem, ſed pęnitentiam deſiderat peccatorum, acceptabilem reddere, & bonorum operum ſectatorem toto nixu exquirimus, ut in ipſa illa ratione reddenda rigorem divinę juſtitię mitigare, & ipſos fideles ſuę Majeſtatis conſpectibus immaculatos offerre, atque ęternę Beatitudinis poſſeſſores efficere valeamus. Hinc eſt, quod Nos, veſtris devotis ſupplicationibus inclinati, ut Sacerdotem idoneum ſecularem, vel regularem in veſtrum poſſitis eligere Confeſſorem, qui confeſſione veſtra, & cujuslibet veſtrum diligenter audita, pro commiſſis per vos criminibus, exceſſibus, & peccatis, etiam in ſingulis Sedi Apoſtolicę reſervatis caſibus, pręterquam offenſę eccleſiaſticę libertatis, violationis interdicti ab eadem Sede impoſiti, criminum hęreſis, cujuſvis offenſę inobedientię, ſeu rebellionis, aut conſpirationis, in perſonam, vel ſtatum, Romani Pontificis, ſeu Sedem Apoſtolicam, parricidii, offenſę perſonalis in Epiſcopum, vel alium Pręlatum, invaſionis, deprędationis, vel ereptionis, aut devaſtationis terrarum Romanę Eccleſię mediate, vel immediate ſubjectarum, ac etiam invaſionis Romipetarum, ſeu quorumcunque aliorum ad Romanam Curiam venientium, prohibitionis devolutionis cauſarum ad dictam Curiam, delationis armorum, & aliorum prohibitorum ad partes infidelium, impoſitionis novorum onerum realium, & perſonalium, Eccleſiis, vel eccleſiaſticis perſonis, ſimonię ſuper Ordinibus. vel Beneficiis aſſequendis in eadem Curia, vel extra contractę, & generaliter in caſibus contentis in Bulla, quę conſuevit in die Cęnę Domini per Prędeceſſores noſtros Romanos Pontifices publicari, ſemel duntaxat, debitam vobis abſolutionem in forma Eccleſię conſueta impendere, & pęnitentiam ſalutarem injungere valeat. Et inſuper, quod Confeſſor prędictus, vel alius, quem duxeritis eligendum, omnium peccatorum veſtrorum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fueritis, etiam ſemel duntaxat in mortis articulo, plenam remiſſionem vobis in ſinceritate Fidei, unitate S. R. E., ac obedientia, & devotione noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, canonice intrantium, perſiſtentibus, auctoritate Apoſtolica concedere valeat, devotioni veſtrę tenore pręſentium indulgemus. Sic tamen, quod idem Confeſſor de his, de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, eam vobis, per vos, ſi ſupervixeritis, aut per alios, ſi forte tunc tranſieritis, faciendam injungat, quam vos, vel illi facere teneamini, ut pręfertur, & ne, quod abſit, propter hujuſmodi gratiam ſitis, aut reddamini procliviores ad illicita in poſterum committenda, decernimus, quod ſi hactenus in Nos, vel Prędeceſſores noſtros Romanos Pontifices, aut in ipſorum mandatorum contemptum, ſeu dictę Sedis, vel Eccleſiaſticę libertatis offenſam, aliqua commiſeritis, aut ex confidentia remiſſionis hujuſmodi alia forte commiteretis, quoad illa prędicta remiſſio vobis nullatenus ſuffragetur. Quodque per unum annum a tempore, quo pręſens noſtra conceſſio ad veſtram pervenerit notitiam computandum, ſingulis ſextis feriis,

Privilegia.

teriis, impedimento legitimo ceſſante jejunetis, & ſi prędictis feriis ex precepto Eccleſię, regulari obſervantia, injuncta pęnitentia, vel voto jejunare teneamini, una alia die ſingularum ſeptimanarum ejuſdem anni, qua ad jejunandum, ut pręmittitur, non ſitis aſtricti, jejunetis, & ſi in dicto anno, vel aliqua ejus parte eſſetis legitime impediti, anno ſequenti, vel alias, quam primum poteritis, modo ſimili ſupplere hujuſmodi jejunium teneamini. Porro ſi forſan alias prelibatum jejunium in toto, vel parte, quomodocunque adimplere commode nequiveritis, eo ipſo Confeſſor predictus jejunium ipſum in alia pietatis opera commutare valeat, prout animarum veſtrarum ſaluti viderit expedire, quę vos pari modo debeatis adimplere; alioquin pręſens noſtra conceſſio, quoad plenam remiſſionem hujuſmodi duntaxat, nullius ſit roboris, vel momenti. Volumus inſuper, quod ſi alias vobis, a Nobis, vel Prędeceſſoribus noſtris, Romanis Pontificibus, conſimiles litterę forſan conceſſę ſint, nec illę, nec etiam pręſentes, quoad prędictos exceptos caſus, vel quoad abſolutionem de reſervatis, ultra quam ſemel obtinendam, vobis aliquatenus ſuffragetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis, conſtitutionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Octavo, Octavo Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Cuſentin.*) *Conſentin.*, & *Coſentin.*, vulgo *Coſenza*, in Calabria.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum *Lib. B. fol.* 66 ex Autographo *Cuſentino*.

Anno 1468 Die 17 Decembris.

Ut Erfordenſes (1) Fratres, quibus poteſtatem fecerit Prior, ter in hebdomada, ad quinquennium, carnibus veſci poſſint.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXI.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus Oppidi Erforden., Ordinis Fratrum Prędicatorum Maguntin. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Sacrę Religionis honeſtas, in qua devotum, & ſedulum, exhibetis Altiſſimo famulatum, ac devotionis, quam ad Nos, & Romanam Eccleſiam gerere comprobamini, promeretur ſinceritas, ut Supplex petitio. votis veſtris, pręſertim per quę literarum, & ſacrę lectionis ſtudio vacantibus, opportune providere poſſitis, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Sane pro parte veſtra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum in Domo veſtra Oppidi Erforden., Ordinis Fratrum Prędicatorum, Maguntin. Dięceſis, vigeat ſtudium Generale ſacrarum literarum, & artium, ad illam ex diverſis mundi partibus, multi dicti Ordinis profeſſores, cauſa ſtudii concurrunt, ita ut in ea communiter octuaginta Fratres, vel circa, commorentur, & quia a novem annis citra ſub regimine Provincialis illius Provincię in ipſa Domo, vita regularis introducta fuit, & de pręſenti tenetur, ac illius Fratribus eſus carnium prohibitus eſt, propter multiplices expenſas, vini, & piſcium, ac aliarum eſcarum, quibus non veſcentes carnibus, veſci conſueverunt, & quarum major, quam carnium in partibus illis penuria exiſtit, dicta Domus, adeo debitis gravata eſt, ut tantam Fratrum ſtudentium multitudinem ſuſtentare non poſſit, prout ad ſtudium principaliter a Patribus inſtituta fuit, metuſque ſit, ne in ea Fratrum, & Studentium numerum diminuere oporteat; quod ſi fieret pro diminutione ſtudii Sacrarum literarum, in maximum tam univerſitatis dicti Oppidi, quam incolarum adjacentium Regionum cederet ſcandalum, & detrimentum. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubiungebat, ſuper eſu carnium, Nota. in quibus longe minor expenſa ſit, Prelati, vel Capitulum Generale dicti Ordinis in genere juxta ipſius Conſtitutiones diſpenſare non poſſint, pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Fratribus dicti Ordinis, in eadem Domo actu ſtudentium, quod tribus diebus in hebdomada carnibus veſci Facultas. licite poſſint, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſacrarum literarum ſtudio deditos, opportuni pręſidii favore libenter proſequimur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnibus, & ſingulis dicti Ordinis in eadem Domo actu pro tempore ſtudentibus, quouſque ad quinquennium a dat. pręſentium computandum, de Superiorum ſuorum licentia, tribus diebus qualibet hebdomada, in quibus tamen eſus carnium, alias per Eccleſiam generaliter interdictus non ſit, carnibus veſci, libere, & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Pręſentibus poſt idem quinquennium minime valituris. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Octavo, Sexto decimo Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Erforden.*) Vulgo *Erfordt*, *Erfurdt*, & *Erfurt*, in *Germania*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XCVI fol. 91.*

Sa-

Sacellum Sancti Lucæ de Albario Conventui noſtro Sanctæ Mariæ de Caſtello Januen. (1) uniendum decernit.

Anno 1469 Die 4 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXXII.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Vicario venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi Januen. in Spiritualibus Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

EX debito Miniſterii paſtoris, quo Eccleſiis omnium Regnorum pręſidemus, ad ea libenter intendimus, per quę tam Eccleſiaſticarum in humilitate ſpiritus ſub Regulari habitu Altiſſimo famulantium, quam Nobis, & Apoſtolicę Sedi devotarum perſonarum, commoditatibus acceptius valeat provideri. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Conventus domus Beatę Marię de Caſtello Januen., Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, dilectus filius Antonius Mainettus Rector Capellę Sancti Lucę de Albario, extra muros Januen., Capellam ipſam, quę de jure Patronatus Laicorum, & ſine Cura exiſtit, quam obtinet, ad effectum, quod illa uniatur, & incorporetur, & annectatur dictę Domui, reſignare proponat. Quare pro parte Prioris, & Conventus prędictorum, aſſerentium quod fructus, redditus, & proventus dictę Capellę, ac annexorum duorum florenorum auri de Camera ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut capellam ipſam eidem Domui uniri mandare, aliaſque eis ſuper hoc opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, ac votis dicti Antonii in hac parte favorabiliter annuentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus tu ab eodem Antonio, vel Procuratore ſuo, ad hoc ab eo ſpeciale mandatum habente, reſignationem hujuſmodi, ſi illam in tuis manibus ſponte, & libere facere voluerit, ut pręfertur, auctoritate noſtra hac vice duntaxat recipias, & admittas, eaque per te recepta, & admiſſa, vocatis quorum intereſt, Capellam prędictam cum omnibus annexis, ac omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Domui, ſi ad id ipſorum Patronorum expreſſus accedat aſſenſus, eadem auctoritate unias, incorpores, & annectas, ita quod liceat ex tunc Priori, & Conventui pręfatis, per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem dictę Capellę & annexorum, juriumque, & pertinentiarum prędictorum poſſeſſionem auctoritate propria libere apprehendere, ac illius fructus, redditus, & proventus hujuſmodi in dictę Domus Sacriſtię uſus, utilitatemque convertere, & perpetuo retinere, Dięceſani loci, & cujuſlibet alterius licentia minime requiſita, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. Non obſtantibus conſtitutionibus, ordinationibus Apoſtolicis, necnon domus, & Ordinis prędictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis Beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales dictę Sedis, vel legatorum ejus literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem, & inde ſecuta quęcunque ad pręfatam capellam volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem Beneficiorum aliorum pręjudicium generari, & quibuſlibet aliis privilegiis, & literis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę, pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Attente quoque provideas, ne in reſignatione hujuſmodi, ſi fiat, ex parte Prioris, & Conventus, ac Antonii prędictorum aliqua pravitas interveniat, ſeu etiam corruptela, proviſo quod dicta Capella debitis propterea non fraudetur obſequiis, ſed illius congrue ſupportentur onera conſueta. Nos enim ex nunc irritum, & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Octavo (3), Pridie Nonas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Supplex petitio.

Mandatum.

1. *Januen.*) In *Liguria*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplat ex *Archivo Apoſtolico Libro XCII fol.* 23.
3. *Sexageſimo Octavo*.) Stylo Bullarum æra communis *MCCCCLXIX.*

Caſalenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1469 Die 6 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXXIII.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Prępoſito Eccleſię S. Evaſii de Caſali, Vercellen. (3) Dięceſis (4), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PIis fidelium votis &c. Sane ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Nobilis viri Guillermi Marchionis Montisferrati, petitio continebat, ipſe ad Ordinem Pędicatorum, ac ipſius Fratres, ſingularem gerens devotionis affectum in oppido ſuo Caſali, Vercellen. Dięceſis, in aliquo loco ad hoc apto, & convenienti, per eum eligendo, quandam Domum cum Eccleſia, dormitorio, hortis, hortalitiis, campana, campanili, & aliis neceſſariis officinis, pro nonnullis Fratribus dicti Ordinis, inibi virtutum Domino in obſervantia regulari perpetuo ſervituris, erigere, & fundare, ſeu erigi, & fundari face-

Supplex Marchionis Montis-Ferrati petitio.

Digitized by Google

facere deſiderat, ſi Sedia Apoſtolicę miniſterium, & auctoritas ſibi ſuffragarentur in premiſſis. Quare pro parte dicti Guillermi Marchionis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut hujuſmodi deſiderio, grato concurrentes aſſenſu, ſibi domum ipſam fundandi, & erigendi, ſeu fundari, & erigi faciendi, pro eiſdem Fratribus cum Eccleſia, campana, campanili, dormitorio, & aliis officinis prędictis, in

Facultas.

prefato oppido, licentiam concedere, & alias in pręmiſſis, de benignitate Apoſtolica opportune providere dignaremur. Nos igitur, qui Religionem, & cultum, eoſdem, noſtris potiſſime temporibus, vigere, & adaugeri intenſis deſideriis, affectamus, & ipſius Guillermi Marchionis pię intentionis propoſitum paternis non immerito proſequentes affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, eidem Guillermo Marchioni, eandem Domum pro prędictis Fratribus, cum Eccleſia, campanili, campana, dormitorio, horto, hortalitiis, aliiſque officinis hujuſmodi in loco ſupraſcripto, abſque tamen alicujus pręjudicio, fundandi, & erigendi, ſeu fundari, & erigi faciendi, dictiſque Fratribus Domum ipſam, poſtquam fundata, & erecta fuerit, pro uſu, & habitatione eorundem recipiendi, & perpetuo inibi habitandi, Auctoritate Apoſtolica, licentiam largiaris. Nos enim, ſi erectionem, & conceſſionem hujuſmodi fieri contigerit, Fratribus dicti Ordinis, quos in eadem domo pro tempore morari, ſive reſidere, contigerit, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, gratiis, & indultis, prefato Ordini, & ipſius domibus, necnon perſonis earundem, per Sedem Apoſtolicam, & alias quomodolibet generaliter conceſſis, uti, & gaudere, libere, & licite valeant, Auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, de ſpeciali gratia indulgemus, non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinis Mendicantium, in aliqua Civitate, Caſtro, Villa, ſeu loco alio quocunque ad habitandum loca quęcunque, de novo recipere, aut hactenus recepta, mutare pręſumant, abſque dictę Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de hujuſmodi prohibitione mentionem, & quibusvis aliis Apoſtolicis, illis pręſertim, quibus cavetur, domos hujuſmodi, niſi in diſtantia centum, & quadraginta cannarum ad invicem de novo erigi, minime debere, necnon in Provincialibus, & Synodalibus contrariis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ſtatutis quoque, & conſuetudinibus, ejuſdem Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius ſemper ſalvo. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Octavo (5), Pridie Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Caſalenſis.*) Vulgo *Caſale*, & *Caſal di S. Vaſo*, ſeu *S. Evaſii*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XC fol.*181.
3. *Vercellen.*) Vulgo *Verceil*, in *Pedemontio*.
4. *Diœceſis.*) Nunc Epiſcopalis eſt Urbs *Caſalenſis*.
5. *Sexageſimo Octavo.*) Stylo Bullarum, ętę communi *MCCCCLXIX*.

Anno 1469 Die 10 Martii.

Cœnobii S. Marię de Saxo (1) fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXIV.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii de Agriono, Aretin. (3) Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

INter curas multiplices, quę Nobis ex Apoſtolatus officio incumbere cenſentur, illas libenter amplectimur, per quas in Eccleſiis, & locis quibuslibet, devotę ſollicitudinis ſtudio, honoretur Altiſſimus, & animarum propagata ſalute, ſacra religio ſuſcipiat incrementum. Sane pro parte dilectorum filiorum Univerſitatis, & incolarum Caſtri Bibienę (4) Aretin. Dięceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod cum in eodem Caſtro, quod divina gratia, juxta reliqua illius patrię oppida

Supplex petitio.

ſatis populoſum, nulla Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſub regulari obſervantia degentium, Domus exiſtat, Univerſitas, & incolę prefati, ob exemplarem vitam, quam Fratres dicti Ordinis, ſub eadem obſervantia degentes, de ſe populis pręſtare conſueverunt, & ut ſint in eo Caſtro aliqui Religioſi, quorum doctrina, & expoſitione Verbi Evangelici, fideles ipſius Caſtri, inſtrui, & ad bene vivendum informari, valeant, ſumme deſiderant, in eo, vel juxta illud unam Domum Fratribus Ordinis, & obſervantię prędictorum pro eorum uſu, & habitatione concedi, cumque extra dictum Caſtrum, ſit quoddam Oratorium, ſive Eccleſia Sanctę Marię del Saxo nuncupata, quę Parochiali Eccleſię Plebis nuncupatę dicti Caſtri canonice annexa, ſeu de illius menſa eſt, ſi certa Domus juxta illam ſita, repararetur, vel de novo conſtrueretur, ipſe locus pro uſu, & habitatione Fratrum prędictorum, valde idoneus, honeſtuſque foret, & ad eundem effectum dilectus filius Laurentius Silveſtri (5) modernus ipſius Parochialis Eccleſię Rector, Plebanus nuncupatus, quod ipſum Oratorium, ſive Eccleſia S. Marię ab eadem Parochiali Eccleſia ſepararetur libere conſentiret. Quare pro parte Univerſitatis, & incolarum prędictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dictum Oratorium, ſive Eccleſiam S. Marię ab eadem Parochiali Eccleſia, de ipſius Rectoris aſſenſu dividi, illamque cum duobus ędificiis, terrenis, hortis, hortalitiis, ac aliis bonis, & juribus ejuſdem, Fratribus Ordinis, & obſervantię (6) prędictorum Provincię Tuſcię pro eorum uſu, & habitatione perpetuis, concedi, & applicari mandare,

Facultas.

ac eiſdem Fratribus illa recipiendi, & ampliandi, licentiam concedere, ac alias ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, de pręmiſſis omnibus, & ſingulis ac eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra, te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi, ita eſſe repereris, &

ad

ad hoc pręfati Rectoris, expreſſus conſenſus acceſſerit, Oratorium, ſive Eccleſiam S. Marię prędictum cum Domibus, ędificiis, terrenis, hortis, hortalitiis, aliiſque bonis, & juribus ejuſdem, a dicta Parochiali Eccleſia, dicta auctoritate perpetuo ſepares, dividas, & diſſolvas, illamque cum domibus, ędificiis, terrenis, hortis, hortalitiis, aliiſque bonis, & juribus prędictis, eiſdem Fratribus Provincię Tuſcię, Ordinis, & Obſervantię prędictorum, pro eorum uſu, & habitatione perpetuis, dicta auctoritate, ſuppreſſo inibi . . . . Eccleſię nomine, & titulo, ſi quis ſit, dicta auctoritate concedas (7). ac eiſdem Fratribus Oratorium, ſive Eccleſiam S. Marię, cum Domibus, ędificiis, terrenis, hortis, hortalitiis, aliiſque bonis, ac juribus prędictis recipiendi, illſque in clauſtro, campanili, campana, aliiſque neceſſariis officinis, ampliandi, & de novo conſtruendi, dicta auctoritate, licentiam largiaris, jure Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nos enim eiſdem Fratribus, qui in dicta Domo pro tempore moram trahent, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, & gratiis, quibus Fratres Ordinis, & obſervantię prędictorum, in genere, necnon Domus S. Marci Florentini dicti Ordinis, ipſis Apoſtolica, vel alia quavis auctoritate conceſſis, potiuntur, & gaudent, ac potiri, & gaudere poſſunt, pari modo potiri, & gaudere, libere, & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium, in aliqua Civitate, Villa, vel Caſtro, vel alio loco quocunque ad inhabitandum Domos, vel loca quęcunque de novo recipere, aut hactenus recepta mutare pręſumant abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo, ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, aliiſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Octavo (8), Sexto Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

2. *S. Maria de Saxo.*) In *Hetruria*. Juris eſt Provinciæ Romanæ.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXIX fol.* 15.
3. *Aretin.*) Vulgo *Arezzo*, in *Hetruria*.
4. *Bibiena.*) In *Hetruria*.
5. *Silveſtri.*) Seu *de Silveſtro*, ut a *Fontana* mox laudando cognominatur.
6. *Obſervantia.*) Fratribus nempe reformatis Provinciæ Romanæ.
7. *Concedas.*) Conſulendus *Fontana* in libro, cui titulus, *De Romana Provincia Cap. II Tit. XXVII pag.* 176 *&c.*
8. *Sexageſimo Octavo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLXIX.*

Fratres præficit qui Bullam *a Cœna Domini* vulgo dictam publicent.

Anno 1469 Die 14 Aprilis.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XXXV.

Dilectis filiis Pręſidenti, & Definitoribus Congregationis Generalis Bononię celebrandę Ordinis Fratrum Prędicatorum.

PAULUS PAPA II.

Dilecti Filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CONſueverunt Prędeceſſores noſtri, Romani Pontifices, annis ſingulis in Die Cęnę Domini, ſedentes pro tribunali, aſſiſtentibus ſibi venerabilibus Fratribus Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalibus, necnon Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Pręlatis, ſimiliter in Pontificalibus, in publico loco, audiente multitudine tam Curialium, & incolarum, quam peregrinorum ad Urbem Romanam eo tempore propter Indulgentias, & Benedictionem Apoſtolicam pręſentium, in deteſtationem gravium quorundam criminum, quoſcunque criminibus ipſis irretitos, ſolemni publicatione, cum candelis accenſis, & deinde excommunicatos denunciare: Quem Ritum, & laudabilem conſuetudinem nos quoque ſemper tempore noſtro obſervavimus, & obſervamus: excommunicationi conſuetę addidimus pręterea juſtiſſimam, & omnino neceſſariam condemnationem obſtinatę perditionis filii non modo pertinaciter tenentis, verum etiam illam totis conatibus defendentis. Et quamvis excommunicatio ipſa pręter hujuſmodi ſolita, in propatulo aliquo, ad tempus aliquod, affigatur, ita ut quicunque voluerint, illam, vel legere, vel exemplum inde tranſcribere, optime poſſint, ne quiſquam ſana mente conſtitutus ignorantiam prętendere valeat, Nos tamen pro debito noſtri paſtoralis officii, ne ignorantia hujuſmodi, ſub quavis excuſatione procedat, etiam ſalubrius vobis, & perſonis Ordinis veſtri providere cupientes, ut aperte intelligere poſſitis, hujuſmodi Sententiis irretitos a nullo abſolvi (2), ſed abſolvendi poteſtatem eſſe interdictam, & prohibitam, literas (3) excommunicationis, & publicationis originales ad devotionem fidelium, in virtute Sanctę obedientię vobis mandantes, quatenus eas in Capitulo veſtro, palam, ſolemniter, alta, ac intelligibili voce publicari faciatis in locis Ordinis veſtri unum tranſumptum ad literam Originalis noſtri (4) manu publici Notarii coram teſtibus, ac pendenti ſigillo veſtri Pręſidentis roboratum. Mandantes unicuique prędicanti, ut ter ſingulis annis, tribus feſtis diebus, intra Miſſarum ſolemnia, dum Populus ad Divina concurrit, ſimili modo in materno, & vulgari ſermone juxta morem patrię, ubi dicta loca veſtra conſiſtunt, publicet. Volentes ex nunc prout ex tunc, & e contra, ab omnibus indubitatam fidem, tanquam eidem Originali noſtro, non obſtantibus quibuſcunque contrariis, omnino adhiberi. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XIIII Aprilis MCCCCLXVIIII Pontificatus noſtri Anno Quinto.

L. Dathus. (5)

1. *Archivo.*) In quo duplex exemplar, unum ex Autographo aſſervato *Mediolani* in Cœnobio *S. Mariæ Gratiarum*, aliud ex Authentico *Mutinenſi*.

2. *Abſolvi.*) Adderem: *Poſſe*.

3. *Literae.*) Turbatus locus.

4. *Originalis noſtri.*) Hujus tenoris eſt: *Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Conſueverunt Sanctæ memoriæ Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri ad retinendam puritatem Religionis chriſtianæ, & Sanctam Fidelium Societatem ab offenſione ſervandam, arma juſtitiæ per Miniſterium Apoſtolatus Annis ſingulis in præſenti celebritate exercere. Nos itaque vetuſtum, & ſolemnem hunc morem tenentes, ex parte Omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Auctoritate quoque Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, & noſtra, excommunicamus, & anathematizamus omnes hæreticos, Gaſſaros: Patarenos: Pauperes de Lugduno: Arnaldiſtas: Speroniſtas: Paſſagenos: Vicleviſtas, ſeu Huſſitas: Fraticellos de Opinione nuncupatos, & quoſcunque alios hæreticos, quocunque nomine cenſeantur, & omnes fautores, receptatores, & Defenſores eorum. Et licet ſuperiori anno nominatim ob ſuorum criminum magnitudinem, & ut vitaretur ex contagione ipſius periculum, excommunicaverimus, maledixerimus, & anathematizaverimus perditionis alumnum Georgium, alias Jerſicum de Conſtat & Pogebrat, tunc totius, nunc vero partis Regni Bohemiæ Occupatorem. Quia tamen idem Georgius Sathanæ, ejus patris, arte ſeductus, pertinacius in ſua damnata hæreſi, in qua ſe natum, & educatum aſſerit, perſeverans, ut eam manifeſtiorem efficiat, ſuis erroribus peſtiferis non contentus, vicinarum partium, & præſertim inclitæ nationis Germanicæ Chriſti fideles in ſuum nephandum errorem trahere, eoſque propterea invadere, ac totis conatibus perſequi non ceſſat, Nos, conſiderantes quod tanto ſit majoribus pœnis mulctandus, quanto in ſua nephanda hæreſi damnabiliter indureſcit, eundem Georgium, ſuis gravioribus culpis, atque damnatis erroribus exigentibus, auctoritate prædicta, denuo excommunicamus, maledicimus, & anathematizamus; necnon omnes & ſingulas ſententias, cenſuras, & pœnas, tam a Jure, quam a Nobis juſto Dei judicio promulgatas, aggravamus, & reaggravamus, eumque ſuperna maledictione, ſicut maledicti fuerant Dathan, & Abiron, quos terra ſubſtinere non valens, vivos abſorbuit, & ſicut Judas Scharioth traditor Redemptoris noſtri, maledicimus, & ut talem ab omnibus vitari mandamus. Item excommunicamus, maledicimus, & anathematizamus Victorinum, etiam perditionis alumnum, ejuſdem Georgii filium, qui armis, quoad poteſt Chriſtianos, & præſertim cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Fredericum Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum invadere, & hoſtiliter perſequi non ceſſat. Item excommunicamus, & Anathematizamus omnes, & ſingulos ipſi Georgio hæretico adhærentes, & aſſiſtentes, obſequentes, & faventes, & nominatim iniquitatis filium Johannem Rochezanam hæreſis ejuſdem Georgii, alias Jerſici, præcipuum defenſorem, & pro Adminiſtratore Eccleſiæ Pragen., nulla ſuffultum auctoritate, ſe gerentem, ac ipſi alias auxilium, conſilium, vel favorem clam, vel palam, directe, vel indirecte, præbentes, cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel nobilitatis fuerint, etiamſi Pontificali, Regali, Reginali, Ducali, Marchionali, aut alia quavis Eccleſiaſtica, vel mundana dignitate præfulgeant; & qui ſecum commercium habent, vel habebunt quomodolibet in futurum; Necnon omnes, & ſingulos ſibi militantes, ac arma offenſibilia, vel defenſibilia, necnon victualia, cujuſcunque generis ſint, miniſtrantes. Item excommunicamus, & anathematizamus damnatæ hæreſis defenſorem Gregorium de Heymburg, qui ſicut alias juſto judicio hæreticus declarari promeruit, ita nunc quoque in ſupradicto Bohemiæ Regno petra ſcandali, & lapis offenſionis factus eſt, & dum poſt venditam animam turpi lucro prophanatori illi Georgio, alias Jerſico, adeſſe non ceſſat, cornua in Sacroſanctam Romanam Eccleſiam, & Sedem Apoſtolicam, cunctorum fidelium Matrem, atque Magiſtram, erigere, & ejus mandata contemnere, atque Canonicas Cenſuras pertinaci ſpiritu perferre non veretur. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos cujuſcunque ſtatus, gradus, conditionis, aut præeminentiæ exiſtant, etiamſi Pontificali, Regali, Reginali, aut quavis Eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeant dignitate, qui perfidis hæreticis Vicleviſtis, qui in hujuſmodi damnata Vicleviſtarum hæreſi permanent, vel permanebunt, arma, equos, ferrum, plumbum, lignamina, ſal, oleum, vinum, veſtes, victualia, & alia quæcunque ad uſum hominum pertinentia, aut quævis alia præſidia publice, vel occulte ſubminiſtrant, ac per ſe, vel ſubditos ſuos afferri faciunt, vel permittunt, cum quibus dicti Vicleviſtæ, Chriſti fideles, & Catholicos quomodolibet impugnant, ſeu offendere poſſunt. Necnon omnes & ſingulos Vicleviſtarum eorundem adhærentes, fautores, defenſores, & receptores, cujuſcunque ſtatus, nobilitatis, excellentiæ, aut conditionis exiſtant, etiamſi Pontificali, Regali, Reginali, aut quavis alia Eccleſiaſtica vel ſeculari ſint præditi dignitate, aut conſentientes, vel præſtantes eiſdem, in præmiſſis quodcunque, & qualitercunque auxilium, conſilium, vel favorem, ipſoſque omnes, & ſingulos declaramus continuatores, & fautores hæreſis, atque omni beneficio, dignitate, & honore eccleſiaſtico, ac mundano denunciamus fuiſſe, & eſſe privatos. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falſarios Bullarum &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Nono, Pridie Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quinto.* Ex Autographo in Archivo Ordinis aſſervato. Plumbum ſericis filis appenditur.

5. *Dathus.*) Fortaſſis: *Datarius*.

Anno 1469 Die 22 Aprilis.

Iſchienſis (1) Cœnobii fundationem confirmat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXVI.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Vicario venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Caſertan. In ſpiritualibus Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

DEvotis petentium deſideriis, præſertim quæ Religionis propagationem reſpiciunt, libenter annuimus, eaque, quantum cum Deo poſſumus, favoribus proſequimur opportunis. Cum itaque, ſicut accepimus, exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Pauli de Argentio, Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſoris, petitio continebat, dudum dilectus filius noſter Bartholomæus (3) tituli Sancti Clementis Presbyter Cardinalis, tunc Sedis Apoſtolicæ in Regno Siciliæ citra farum legatus, Eccleſiam Sancti Dominici extra muros Iſche (4) in Inſula Iſche hactenus quandoque per Eremitas, quandoque per Religioſos, & quandoque per clericos Eremitas ſeculares, obtineri ſolitam, tunc deſtitutam, & Rectore carentem, nonnullis Fratribus dicti Ordinis pro eorum uſu, & habitatione auctoritate ſuæ legationis conceſſerit, pro parte dicti Pauli Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Eccleſiam prædictam ipſi Paulo pro ſe, & eiſdem Fratribus in perpetuum ſimiliter concedere, necnon alias eos in hoc ampliori favore proſequi de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionis ſtatum propagari, & divinum cultum adaugeri noſtris præſertim temporibus intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Eccleſiam prædictam, quæ ſine cura eſt, & cujus fructus, redditus, & proventus, quinque florenorum auri de camera ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, cum domibus, ac omnibus juribus, & pertinentiis ſuis ipſi Paulo, & Fratribus prædictis, per eos perpetuo tenendam, & inhabitandam auctoritate noſtra concedas ita, quod ex nunc liceat eis, per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem Eccleſiæ, domorum, juriumque, & pertinentiarum prædictorum, etiam pro-

Supplex petitio.

Confirmatio.

propria auctoritate apprehendere, & domos hujuſmodi pro ipſorum uſu, & habitatione recipere, & perpetuo retinere, ac dicti Eccleſię fructus, redditus, & proventus in ſuos, & dictę Eccleſię uſus, & eleemoſynam convertere libere, & licite, Dięceſani loci, & cujuslibet alterius licentia ſuper his minime requiſita, & nihilominus ſi conceſſionem hujuſmodi per te vigore pręſentium, fieri contigerit, ut pręfertur, eidem Paulo, ut, quoulque vixerit, ab ipſa Eccleſia, domibuſque ejuſmodi invitus amoveri non poſſit, indulgeas, & inſuper ut Eccleſia, domus ejus, ac ipſi Fratres, qui in eis pro tempore reſidebunt, & quos ipſe Paulus ad inibi reſidendum elegerit, omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, exemptionibus, immunitatibus, & libertatibus a Sede Apoſtolica Fratribus, & domibus dicti Ordinis generaliter conceſſis, uti, & gaudere valeant, etiam concedas auctoritate antedicta, felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi, Prędeceſſoris noſtri, inter alia prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua Civitate, caſtro, ſeu villa, aut manſionem alio loco quocunque ad habitandum, domos, aut loca de novo recipere, aut inhabitare pręſumant abſque dictę Sedis licentia ſpeciali plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem faciente, & quibuslibet aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus quibuſcunque, jure tamen Parochialis Eccleſię, infra cujus limites Eccleſia Domus prędictę exiſtunt, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Nono, Decimo Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Iſchienſis.*) In ejuſdem nominis Inſulà màris *Tyrrheni*, in Regno *Neapolitano*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XCII fol.* 135.
3. *Bartholomæus.*) *Roverella*, de quo *Ciaconius Vit. Pontif.*, & *Cardinal. ad An. MCCCCLVIII Tomo II pag.* 1051.
4. *Iſche.*) Seu *Iſchia*.

De Cœnobio, & Bibliotheca Raguſin. (1) perficiendis.

Anno 1469 Die 11 Septembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Raguſin.; Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XXXVII.

SAcrę Religionis, ſub qua dilecti filii Prior, & Fratres Domus Raguſin. Ordinis Fratrum Prędicatorum in humilitatis ſpiritu devotum, & ſedulum exhibent Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut eorum votis, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum, petitio continebat, quod cum ipſa domus in ſuis ędificiis perfecta non ſit, ſed adhuc careat multis neceſſariis officinis, ac etiam libraria, quibus pręfati Prior, & Fratres commode carere non poſſunt, ipſi ex piis legatis, quę nonnunquam eidem Domui pro poſſeſſionibus, ſive domibus, aut aliis perpetuis pro illa emendis redditibus, per fideles fiunt, ex quibus ipſa Domus in ſuis officinis, & libraria perfici, & Fratrum in illa pro tempore Altiſſimo famulantium commoditatibus conſuli poſſet, domum ipſam libenter perfici facerent. Quare pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſi, quę de legatis eis, & dictę eorum Domui faciendis hujuſmodi, ſeu illa pro domibus, vel poſſeſſionibus, aut aliis perpetuis pro dicta domo, vel ejus ſacriſtia, emendis redditibus, aut aliis ipſius Domus, & ejus Fratrum uſibus relicta fuerint, uſque ad ſummam ſexcentorum ducatorum auri in conſtructionem, perfectionem, & Librariam Domus prędictę convertere, & exponere, aut converti, & exponi facere, libere, ac licite valeant, licentiam concedere, ac alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de premiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra, per te ipſum, te diligenter informes, & prout tibi videbitur, cujus ſuper hoc conſcientiam oneramus, ſuper pręmiſſis, ſive de tota prędicta ſumma, ſive de parte Priori, & Fratribus prędictis auctoritate noſtra licentiam largiaris, non obſtantibus teſtatorum voluntatibus, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, proviſo, quod ſi licentiam hujuſmodi per te vigore pręſentium concedi contigerit, prędicta ſumma in alios, quam prędictos uſus nullatenus convertatur. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Nono, Tertio Idus Septembris (3), Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Exordium.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

1. *Raguſin.*) In ejuſdem nominis Republica.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Arch. Apoſtolico Libro CXXXVII fol.* 335.
3. *Tertio Idus Septembris.*) Nota quod An. *MCCCCLXIX* Die *XI* Septembris aſcribitur Annus Quintus Pontificatus *Pauli II*. Hinc enim liquet, quod igitur die *IX* Septembris Coronatus non eſt. Enim vero ſi *Paulus II* hac die *IX* Coronam Pontificiam ſuſcepiſſet, die *XI* Septembris *MCCCCLXIX* Pontificatus Annus *VI* inſcribendus eſſet. Vide *Notam VIII* ad *Conſtitutionem I Pauli II*, Legitur *pag.* 441.

Anno 1469 Die 21 Septembris.

F. Martiali Auribelli (1) Generali Magiſtro totius Ordinis de reformandis Monaſteriis, & Cœnobiis ditionum Mutinenſis, & Ferrarienſis (2).

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

XXXVIII.

Dilecto filio Martiali de Avinione (4) Generali Magiſtro Ordinis Prędicatorum.

PAULUS PP. II.

Dilecte fili Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. GErentes de Eccleſiis, Monaſteriis, ac aliis piis locis juxta noſtrum paſtorale officium, ſpecialem curam, de iis prçſertim, quę per religioſas perſonas gubernantur, ut ſecundum laudabiles Conſtitutiones ſui Ordinis dirigantur, puriſque, & tranquillis mentibus ibidem deſervire, ac ſalutaribus incrementis proficere valeant. His, & aliis rationabilibus cauſis moti; ac etiam ſupplicationibus dilecti filii nobilis viri Borſii (5) Ducis Mutinę, & Ferrarię Vicarii in temporalibus noſtri inclinati, devotioni tuę per prçſentes committimus, & in virtute Sanctę obedientię prçcipiendo Mandatum. mandamus, ut omnia, & ſingula Monaſteria, ſeu Conventus Ordinis Prędicatorum de obſervantia, cujus Generalis Magiſter es, in dominio prçfati Ducis conſiſtentia, ac maxime Monaſteria S. Marię de Angelis extra muros Ferrarien., & Sanctę Catharinę ejuſdem Ordinis, auctoritate noſtra reformes, & debitam in illis reformationem tam in capite, quam in membris, prout expediens, & tibi ſecundum Deum utile eſſe videbitur, facias. Non obſtantibus privilegiis, & indultis per Nos Congregationi Lombardię conceſſis, ceteriſque contrariis; prçficiendo ſingulis hujuſmodi Monaſteriis unum Religioſum bonę, & laudabilis vitę, atque exemplaris ſub nomine Vicarii, qui eadem noſtra auctoritate poſſit, & ſibi liceat aſſumere, ac recipere tot quot voluerit Religioſos ex Congregatione tantum Lombardię, ut regularis obſervantię ſeminarium, & incrementum quodammodo eſſe poſſit, ad Dei laudem, Ordinis augmentum, animarum ſalutem, & eorundem locorum ſalutare regimen; Quique alia, & ſingula faciat, quę neceſſario, & opportune in ipſis Monaſteriis agenda fuerint, & ipſe expedire cognoverit. Nec alter quam ipſe, quovis quęſito colore, ſe in prçmiſſis immiſcere poſſit, niſi habens auctoritatem ab Apoſtolica Sede. Sed in hoc advertes diligenter, ne dilectus filius Archangelus de Vicentia dicti Monaſterii Sanctę Marię de Angelis Prior ab hujuſmodi officio Prioratus deponatur, ſeu removeatur, quem ibidem, & in eo, dicti Ducis intuitu, remanere volumus, & in eventum, quod forſan depoſitus, & amotus per alios ſit, placet Nobis, & ita facias volumus; ut intra menſem a receptione prçſentium eum reſtituas, auctoritate noſtra, neque ab alio, quam vel a te, vel ejuſmodi Vicario ullo unquam tempore amoveri poſſit. In his autem omnibus ita te diligenter, & probe habebis, ut & apud nos commendationem, & apud mortales laudem, atque apud Omnipotentem Deum prçmium conſequi merearis. Prçſentibus ad beneplacitum noſtrum duraturis. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris Die XXI Septembria MCCCCLXIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Martiali Auribelli.*) De quo ſæpius dictum fuit. Adeas *Echard Tomo I ſcriptor. Ord. ad an. MCCCCLIII pag.* 211.
2. *Mutinenſis, & Ferrarienſis.*) Uterque Ducatus eſt in *Italia*, uterque eo tempore eidem duci ſubjectus.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononienſi pag.* 44, ex Autographo *Bononiæ* aſſervato.
4. *De Avinione.*) Sic a patria nuncupatur *Martialis* noſter, a nobili familia, de qua natus eſt, dictus *Auribelli*.
5. *Borſii.*) E nobiliſſima *Eſtenſi* gente oriundi.

Anno 1469 Die 29 Septembris.

Monaſterium Mantuanum (1) curæ Vicarii Generalis Lombardiæ committit.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXXIX.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. DIgna reddimur attentione ſoliciti illarum ad exauditionis gratiam admittere vota, quę mundanis contemptis illecebris in illius, qui ſpecioſus eſt prę filiis hominum, beneplacitis, ſub regulari obſervantia ſedulo converſantur. Dudum ſiquidem felicis recordationis Nicolao PP. V, Prędeceſſori noſtro pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii S. Domi- Diplomatis cauſa. nici, alias S. Vincentii Mantuę, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini ſub inſtitutis Ordinis Fratrum Prędicatorum viventium, expoſito, quod ipſę, quę mundanis ſpretis illecebris pro animarum ſuarum ſalute, ſe, ac Monaſterium ſuum prędictum ad regularem obſervantiam dicti Ordinis reduci, & illam in ipſo Monaſterio vigere cupiebant, pro obſervantię hujuſmodi conſervatione, quam per dilectos filios Generalem Magiſtrum, ac Fratres Domorum Ordinis Fratrum Prędicatorum in Civitate, & Diœceſi Mantuana conſiſtentium, qui ſub eadem obſervantia vivebant propter ipſarum vitam laudabilem manuteneri facilius poſſe ſperabant, vitę regimini, & gubernationi Magiſtri, & Fratrum Prędicatorum ſub obſervantia degentium hujuſmodi ſubiici deſiderabant, idem Nicolaus Prędeceſſor, tunc Monaſterium, illiuſque pro tempore Prioriſſam, ac Conventum, necnon omnes, & ſingulas Moniales, & perſonas ejuſdem tunc exiſtentes, & futuras, donec in hujuſmodi regulari obſervantia permanſerint, curę, regimini, & gubernationi prędictis auctoritate Apoſtolica per ſuas literas perpetuo ſubjecit, & ſubmiſit, Magiſtrumque, ac Fratres prędictos, illam pro-

prorſus, & ſimilem juriſdictionem, dominium, & poteſtatem in Monaſterium, Prioriſſam, Conventum, Sorores, & perſonas hujuſmodi habere, & exercere poſſe, voluit, quę in alia Monaſteria dicti Ordinis, eorumque perſonas ſub Inſtitutis hujuſmodi degentes, curę, regimini, & gubernationi ipſorum ſubjecta habebant, & exercere poterant, prout in iiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro partę Prioriſſę, & Conventus prędictarum, petitio continebat, propter diſtantiam Magiſtri Generalis, & duarum ejuſdem Ordinis Domorum, quarum una intra Civitatem prędictam, & altera in eadem Dięceſi conſiſtunt, quandoque non modicum difficilis ſit eiſdem Prioriſſę, & Conventui Confeſſoris deputatio, quę per eundem Magiſtrum, & Fratres dictarum Domorum duarum fieri debet, ut pręfertur, pro parte, tam dilectę in Chriſto filię Nobilis Mulieris Barbarę Marchioniſſę Mantuanę, aſſerentis ſe Monaſterio, Monialibuſque prędictis, valde affectam eſſe, quam earundem Prioriſſę, & Conventus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Prioriſſam, & Conventum, Monaſteriumque prędictas, & ſingulas ipſius Monaſterii Moniales, & perſonas pręſentes, & futuras dicti Ordini Fratrum Prędicatorum, & Pręlatis ejuſdem in omnibus, & per omnia, prout reliqua Monaſteria, & Monialium, ſub cura, & ſecundum Inſtituta dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum degentia, ſubjecta ſunt, ſubdita exiſtere, decernere, & declarare, necnon Vicario Generali Conventuum reformatorum Provincię Lombardię, juxta morem dicti Ordinis, ut abſque alterius licentia ipſis Prioriſſę, & Monialibus Confeſſorem deputare valeat facultatem concedere, ac alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui quaslibet perſonas religioſas, pręſertim fęminei ſexus, ſub eadem obſervantia degentes, ut Divinis beneplacitis, ſe facilius conformare valeant, opportunis favoribus, libenter proſequimur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Prioriſſam, & Conventum, Monaſteriumve, ac ſingulas illius Moniales, & perſonas prędictas, pręſentes, & futuras eidem Ordini Fratrum Prędicatorum, & Pręlatis ejuſdem in omnibus, & per omnia, prout reliqua Monaſteria Monialium ſub eorum cura, & Inſtitutis hujuſmodi degentium, ſubdita ſunt, ſubjecta exiſtere, illudque, & illas ſub cura, & ſecundum Inſtituta hujuſmodi degere, & per ipſos Fratres gubernari debere, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium ſtatuimus, decernimus, & declaramus, necnon Vicario Provincię hujuſmodi moderno, & qui pro tempore fuerit, quod, abſque alterius licentia, ipſis Prioriſſę, & Monialibus, & perſonis, Confeſſorem deputare valeat, & ſuper Monaſterio, Prioriſſa, Conventus, Monialibuſque, & perſonis prędictis, illam, & eandem auctoritatem, & poteſtatem habeat, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, quam habet pręfatus Magiſter Generalis ſuper aliis Monaſteriis, ei ſubjectis, eorumque Prioriſſis, Monialibus, & perſonis, auctoritatem prędictam, tam per ipſum exercere, quam aliis delegare, viceſque ſuas, & auctoritatem hujuſmodi in totum, vel pro parte alteri committere valeat, eadem auctoritate prędicta tenore pręſentium, plenam, & liberam concedimus facultatem; Et inſuper Prioriſſę, Conventui, Monialibus, & perſonis prędictis, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indultis, & gratiis, tam ſpiritualibus, quam temporalibus pręfato Ordini Fratrum Prędicatorum, necnon Monaſteriis Monialium ei ſubjectis, illarumque Prioriſſis, Conventibus, & perſonis ſub ipſius Ordinis Fratrum Prędicatorum inſtitutis viventibus per Sedem Apoſtolicam in genere conceſſis potiri, & gaudere libere, & licite valeant, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium indulgemus. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus, quę dictus Prędeceſſor in eiſdem literis voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri ſtatuti, Conſtitutionis, declarationis, & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Nono, Tertio Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Sexto. Mandatum.

Jo: Baptiſta.

B. de Luca.

1. *Mantuanum.*) In *Longobardia*.
2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar, unum ex *Arch. Apoſtolico Lib. CX fol.* 112, aliud *Libro B. fol.* 285 ex Autographo, aſſervato in Monaſterio *Mantuano S. Vincentii*.

Louffebergenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1469 Die 20 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XL.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Monaſterii Morbacen., Baſilien. Dięceſis, ac Scholaſtico Eccleſię Baſilien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PIIs Fidelium votis, illis pręſertim quę cum animarum ſalute, religionis propagationem, & divini cultus augmentum, concernunt, libenter annuimus, &, ut optatum conſequantur effectum, favoribus proſequimur opportunis. Exordium. Sane pro parte dilectorum filiorum Magiſtri, Civium, & conſulatus oppidi Louffebergen., Baſilien. Dięceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, Supplex petitio. quod ipſi, attendentes, quod in dicto oppido, nulla Domus Ordinis Fratrum Mendicantium exiſtit, ac animo reputantes, fructus uberes, quos Sacra Religio Ordinis Fratrum Prędicatorum, pręſertim ſub regulari obſervantia degentium, in cunctis locis, in quibus Domus ſui Ordinis habentur,

Prę-

Prędicatione verbi Dei, & exemplo boni operis producere conſuevit, unam Domum pro uſu, & habitatione eorundem Fratrum in dicto eorum oppido, de novo conſtruere, & ędificare proponunt, ſi ad hoc eis per Sedem Apoſtolicam licentia concedatur. Quare pro parte Magiſtri, Civium, & Conſulatus prędictorum Nobis humiliter fuit ſupplicatum, ut ipſis unam Domum hujuſmodi, intus ipſum oppidum, cum Eccleſia, aliiſque neceſſariis officinis, uſui, & habitationi Fratrum ibidem pro tempore habitantium congruentibus, conſtruendi, & ędificandi, ipſiſque Fratribus, poſtquam conſtructa, vel conſtrui cępta fuerit, recipiendi, & perpetuo retinendi, ac viſitandi, licentiam
Facultas. concedere, ac alias ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui cunctorum Chriſti fidelium ſalutem ſtudiis affectamus aſſiduis, ac Religionis, & divini cultus augmentum, noſtris pręſertim temporibus, ſummopere augeri exoptamus, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, ſi ita eſt, Magiſtro, Civibus, & Conſulatui prędictis, ut unam Domum hujuſmodi cum Eccleſia, campana, humili campanili, clauſtro, dormitorio, cęmeterio, hortis, hortalitiis, aliiſque neceſſariis officinis, pro uſu, & habitatione prędictorum Fratrum in dicto oppido, abſque Parochialis Eccleſię, & alterius pręjudicio, fundare, conſtruere, & ędificare, necnon Fratribus ipſis, ut illa, poſtquam conſtructa, aut conſtrui cępta fuerit, cum Eccleſia, aliiſque membris, & officinis prędictis, recipere, & perpetuo retinere, libere, & licite valeant, auctoritate noſtra licentiam largiamini. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua Civitate, villa, vel caſtro, aut alio loco quocunque ad inhabitandum Domos, vel loca quęcunque de novo recipere, aut hactenus recepta mutare pręſumant, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nos enim, ſi dictam licentiam per vos concedi, & domum ipſam fundari, & conſtrui contigerit, ut pręfertur, Fratribus dicti Ordinis, qui in illa domo pro tempore reſidebunt, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indultis, gratiis, & indulgentiis pręfato Ordini, ejuſque profeſſoribus in genere per Sedem prędictam, aut alias canonice conceſſis, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium indulgemus. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Nono, Tertio Decimo Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Louffebergen.*) In *Helvetiis*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXVII fol.* 269.

Anno 1470 Die 4 Maii.

Tabienſis (1) Cœnobii fundationem confirmat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLI.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Archidiacono Eccleſię Albinganen. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. SEdis Apoſtolicę benignitas circumſpecta ſupplicum pręſertim ſub Religionis jugo pię vitę ſtudio vacantium, per quę divinus cultus cum Religionis propagatione, & animarum ſalute augetur, vota gratioſe exaudit, &, ut optatum ſortiantur effectum, ſuę vigilantię curas ſalubriter interponit.
Supplex petitio. Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus loci Tabię Ordinis Fratrum Prędicatorum Albinganen. Diœceſis, petitio continebat, quod bonę mem. Georgius (4) Epiſcopus Oſtien., dudum (5) in Civitate, & Provincia Januen. Apoſtolicę Sedis Legatus, habens ad hoc, ut aſſerebat, a Sede Apoſtolica ſpecialem per ejus literas facultatem, dilectis filiis Univerſitati dicti loci unam Domum pro uſu, & habitatione Fratrum dicti Ordinis in loco prędicto, conſtrui, & ędificari faciendi, ac Chriſtophoro de Mediolano (6) dicti Ordinis Profeſſori, ut ejuſdem Domus conſtructionem hujuſmodi ſolicitaret (7), & illam pro uſu, & habitatione Fratrum eorundem reciperet, licentiam conceſſit, prout in quibuſdam literis, ipſius Legati ſigillo munitis, plenius dicitur contineri. Cujus licentię vigore, univerſitas prędicta poſtmodum Domum hujuſmodi, in loco ad hoc idoneo cum Eccleſia, campanili humili, campana, cęmeterio, dormitorio, clauſtro, refectorio, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtrui facere, pro magna parte curavit, pręfatuſque Chriſtophorus, ac nonnulli alii Fratres dicti Ordinis, illam pro eorundem Fratrum perpetuis uſu, & habitatione receperunt, fuitque Domus ipſa ex tunc per Fratres dicti Ordinis inhabitata, prout inhabitatur etiam de pręſenti. Quare pro parte Prioris, & Fratrum eorundem Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſionem licentię hujuſmodi, & prout illam concernunt, omnia, & ſingula in dictis literis Legati contenta, ac inde ſecuta quęcunque, pro eorum ſubſiſtentia firmiori, noſtrę confirmationis munimine ſolidare, ac pro potiori cautela, eis, Domum prędictam, pro eorum uſu, & habitatione retinendi, licentiam concedere, ac alias in pręmiſſis eis opportune providere, de benignitate Apoſtoli-
Confirmatio. ca dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus licentię conceſſionem prędictam, &, prout eam concernunt, omnia, & ſingula in dictis literis Legati contenta, & inde ſecuta quęcunque, ſi, & poſtquam vocatis, qui fuerint evocandi, de pręmiſſis tibi legitime conſtiterit, auctoritate noſtra approbes, & confirmes, ſuppleaſque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & nihilominus pro potiori cautela Priori prędicto, & Fratribus dicti Ordinis, Domum prędictam pro eorum perpetuis uſu,

&

& habitatione retinendi, & perpetuo inhabitandi præfata auctoritate licentiam largiaris, non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prædeceſſoris noſtri, prohibente ne prædicti, & cujuſvis alterius Ordinis Mendicantium Fratres, in aliqua Civitate, caſtro, villa, vel loco, Domos ad inhabitandum de novo recipere, vel jam recepta mutare, præſumant, ſine dictæ Sedis licentia ſpeciali, de prohibitione hujuſmodi, ſpecialem, & expreſſam mentionem faciente, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus contrariis quibuſcunque. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per te vigore præſentium concedi contigerit, ut præfertur, dictæ Domui, & Priori, ac Fratribus, qui illam pro tempore inhabitabunt, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus libertatibus, & gratiis, præfato Ordini, ejuſque profeſſoribus, atque Domibus, per Sedem prædictam, vel alias in genere conceſſis, uti, & gaudere, libere, & licite valeant, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium indulgemus. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo, Quarto Nonas Maii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Tabienſis.*) In *Liguria* vulgo *Taggia*. Juris eſt Provincialis *Lombardiæ*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXIII fol. 79*.

3. *Albinganen.*) *Albinganen.* vulgo *Albenga*, in *Liguria*.

4. *Georgius.*) *Fliſcus*, de quo *Ciaconius Vit. Pontif., & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCCXXXI pag. 905*.

5. *Dudum.*) Anno *MCCCCLXI* diem ſupremum obiiſſe *Georgium*, ex ejuſdem Epitaphio probat *Ciaconius* mox laudatus. Ex hoc certe Diplomate dato *MCCCCLXX*, ubi *Bonæ Memoriæ* dicitur *Georgius*, eorum ſententia deſtruitur, qui *Georgium* anno duntaxat *MCCCCLXXXI* mortuum cenſent.

6. *Chriſtophoro de Mediolano.*) Alumno *Mediolanenſis* Domus *S. Euſtorgii*; Conſulendi ſcriptores, quos laudat, & excipit *Echard Tomo I ſcriptor. Ord. ad an. MCCCCLXIV pag. 825*, ubi de *Chriſtophoro* noſtro ſic loquitur. *Inſignis fuit dicendi facundia Eccleſiaſtes, ſed & pietate, vitaque ſanctitate, ac abſtinentia ſeveriori, vel etiam miraculorum gloria non minus claruit.*

7. *Sollicitaret.*) Legendus *Echard* loco mox laudato.

De Feſto Corporis Chriſti Feria Quinta poſt Octavas Pentecoſtes in Ædibus Sacris Cœnobii Tudertini (1) celebrando.

Anno 1470 Die 19 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLII.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Seſſionen. (3) in Civitate noſtra Tudertin. pro Nobis, & Romana Eccleſia Gubernatori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

QUamvis petentium immoderata cupiditas, legem ſibi neſciens imponere, rationes a Sede Apoſtolica, plerumque obtinere præſumat, quæ honeſtati repugnant, &, ſi effectum ſortirentur, in aliorum redundarent injuriam, ac detrimentum: Romanus tamen Pontifex, honeſtatis, & juſtitiæ præcipuus conſervator, & auctor, quæ veritate ſuppreſſa, calliditate poſcentium, in honoris, & juris alterius depreſſionem, minus provide comperit proceſſiſſe, modificat, & immutat, prout locorum, temporum, & perſonarum conditionibus penſatis, ac magis rationabilibus ſuadentibus cauſis, id in Domino conſpicitur ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem pro parte dilectorum filiorum Abbatis, & Conventus Monaſterii S. Mariæ de Campis extra muros Fulginaten. Corporis Chriſti nuncupati, Ordinis S. Benedicti, Nobis expoſito, quod cum a tanto tempore, cujus non exiſtebat memoria hominum in contrarium, quinta Feria poſt Octavam Pentecoſtes Feſtum Corporis Chriſti in Eccleſia Corporis Chriſti noſtræ Civitatis Tudertin., quæ ſine cura eſt, & per Monachos dicti Monaſterii gubernatur, celebrari, ac ibidem totus Clerus, & populus Civitatis prædictæ, eadem Feria concurrentes, & Sacramentum Euchariſtiæ per eandem Civitatem deferentes, illud in eadem Eccleſia reponere conſueviſſent, nihilominus, quia dicta Eccleſia erat quaſi deſtituta, nec poterat commode per ipſos Abbatem, & Conventum reparari, ſolemnitas hujuſmodi in eadem Eccleſia Corporis Chriſti decenter celebrari nequibat, quodque ſi Feſtum in Eccleſia S. Silveſtri, etiam Tudertin., quæ curata, & ad hoc magis ornata, & accommodata exiſtebat, & per eoſdem Monachos, etiam erat ſolita gubernari, & tunc gubernabatur, & in qua divinus cultus cum majori ſolemnitate peragebatur, de cetero celebraretur, id profecto cederet ad majorem venuſtatem dicti Feſti, & commoditatem perſonarum ad illud confluentium; Nos tunc Priori Secularis, & Collegiatæ Eccleſiæ S. Nicolai Tudertin., ejus proprio nomine non expreſſo, per alias noſtras literas dedimus in mandatis, ut, ſi, & poſtquam, vocatis quorum intereſſet, de præmiſſis, ſibi legitime conſtaret, ſine alterius præjudicio, ſtatueret, & ordinaret, quod eadem Feſtivitas, non in dicta Eccleſia Corporis Chriſti, ſed in præfata Eccleſia S. Silveſtri de cetero celebraretur, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum Prioris, & Communitatis Tudertin., ac Prioris, & Fratrum Domus S. Mariæ Tudertin. Ordinis Fratrum Prædicatorum, petitio continebat, Civitas prædicta ſit in plures regiones diviſa, & Eccleſia prædicta Corporis Chriſti ſit ſita in regione Camon. quæ aliis major, & magis populoſa eſt, & cujus incolæ pro decenti celebratione dicti Feſti plurimum laborare conſueverunt, & dictum feſtum, ex eo reſpective Feſtum principale Civium, & Incolarum illius regionis appelletur, Eccleſia autem prædicta S. Silveſtri, non in prædicta, ſed in alia regione ejuſdem Civitatis conſiſtat, & ea propter tranſlatio dictæ Feſtivitatis, de ipſa Eccleſia Corporis Chriſti, in qua fieri conſuevit, ad dictam Eccleſiam S. Silveſtri dictarum literarum vigore, ad quarum executionem, dicunt eſſe proceſſum, fieri non potuit ſine injuria incolarum dictæ regionis Camon., quibus Feſtum ipſum, & onus illud, cum decore, & ſolemnitate opportunis celebrari faciendi, a tam longo tempore citra, cujus contrarii memoria hominum non exiſtit, attributum extitit, veriſimiliterque dubitetur, quod ſi Feſtum ipſum in dicta Eccleſia S. Silveſtri, celebrari tentaretur, exinde forſan

Diplomatis cauſa.

gra.

Digitized by Google

gravia ſcandala inter incolas prędictos, & aliarum regionum dictę Civitatis ſuſcitarentur, &, ut eadem petitio ſubjungebat, prope dictam Eccleſiam Corporis Chriſti, ad quatuor Domos, vel circa, ſit dicta Domus Fratrum Ordinis Prędicatorum, cujus Eccleſia Parochialis exiſtit, & infra cujus Parochię limites, omnes de dicta regione Camon. conſiſtunt, & cujus Fratres etiam retroactis temporibus, cum paramentis, & aliis eccleſiaſticis ornamentis eorum, dictum Feſtum ſolemnizare, & pro illius venuſtate, plurimum laborare ſunt ſoliti, in qua Eccleſia, Solemnitas prędicta, abſque ſcandalo hujuſmodi poſſet de cetero ſolemniter celebrari, & longe decentius, quam in aliqua Eccleſiarum prędictarum, cum Domus prędicta ſit paramentis, calicibus, & ſanctis Reliquiis, ac aliis eccleſiaſticis ornamentis copioſiſſime decorata, & facultatibus abundet, & in ea pro tempore reſideant Fratres in Monaſterio copioſiſſimo, & poſſint alii eo tempore ibidem confluere, & convocari, ad honorem, & ſolemnizationem dicti Feſti de Domibus dicti Ordinis, quas Fratres ipſi habent in circumvicinis locis, fueritque pro parte Prioris, & Communitatis, ac Prioris, & Fratrum Prędicatorum, Nobis humiliter ſupplicatum, ut perturbationibus, & ſcandalis hujuſmodi obviaretur, & prędictam Eccleſiam B. Marię, loco dictę Eccleſię Corporis Chriſti, quoad pręmiſſa ſurrogare, & quod de cetero Feſtivitas prędicta, apud Eccleſiam ipſam S. Marię celebretur, & in ea Euchariſtię Sacramentum prędictum, conſervetur, prout hactenus in dicta Eccleſia Corporis Chriſti fieri conſuevit, concedere, ac ſtatuere, & ordinare, aliaſque ſuper hoc opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſcandalis, inter quoſcunque Chriſti fideles, & pręſertim noſtros, & Romanę Eccleſię particulares filios, quantum poſſumus, obviamus, & de pręmiſſis Nobis nuper expoſitis, & ſubjunctis, certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus, inclinati, Fraternitati tuę

Mandatum. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis dictis Abbate, & Conventu, ac earundem Corporis Chriſti, & S. Silveſtri Eccleſiarum dilectis filiis Prioribus, & aliis, qui fuerint evocandi, per te ipſum de pręmiſſis, Nobis nuper expoſitis, & ſubjunctis, auctoritate noſtra, te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi, ita eſſe repereris, prędictam Eccleſiam B. Marię Domus Fratrum Prędicatorum, loco dictę Eccleſię Corporis Chriſti, quoad pręmiſſa, auctoritate noſtra ſurrogea, & quod de cetero Feſtum prędictum Corporis Chriſti, apud Eccleſiam ipſam Sanctę Marię celebretur, & in ea Sacramentum prędictum Corporis Chriſti conſervetur, prout hactenus in dicta Eccleſia Corporis Chriſti, fieri conſuevit, eadem auctoritate ſtatuas, ordines, & concedas. Non obſtantibus literis prędictis, etiamſi ad illarum executionem dilectus filius modernus Prior dictę Eccleſię S. Nicolai, ut dicitur, proceſſiſſet, ac aliis pręmiſſis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, Monaſteriique, & ordinum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo, Quarto decimo Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Tudertia.*) Vulgo *Todi*, in *Umbria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* CXIII *fol.* 113.
3. *Seſſinaten.*) Forraſſis *Caſenaten.*, ſeu *Ceſenaten.*, ut ab aliis ſcribitur. Urbs eſt *Romandiolæ*. Vel potius legendum *Aſſiſinaten.*, vulgo *Aſſiſi*, in *Umbria*.

Anno 1470 Die 23 Julii.

Regin. (1) Monaſterium curæ Vicarii Generalis Congregationis Lombardiæ committit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLIII. Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii S. Proſperi extra Muros Regin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. APoſtolicę Sedis benignitas circumſpecta, prudentes Virgines, quę ſe parant accenſis lampadibus obviam ire Sponſo, tanto propenſiori debet ſtudio proſequi caritatis, quanto majori propter fragilitatem ſexus indigere ſuffragio dignoſcuntur. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Monialium SS. Coſmę, & Damiani (3) Regin., per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ipſę, quę in dicto Monaſterio ejectis exinde quibuſdam Monialibus laxiorem, quam de-

Supplex petitio. ceret, vitam ducentibus, pro illius reformatione noviter introductę fuerunt, ut eo libentius, ac facilius divinis vacare ſtudeant beneplacitis, quo ſanioribus ad id adjutę erunt conſiliis, directione, & cura, deſiderant ſe, & Monaſterium prędictum ſubjici perpetuis futuris temporibus curę, regimini, & ſubjectioni Vicarii Fratrum Prędicatorum de obſervantia Lombardię nuncupatorum, qui eas, & pro tempore exiſtentes dicti Monaſterii Prioriſſam, ac Moniales per ſe, vel per alium ſub regulari obſervantia dicti Ordinis S. Auguſtini regat, dirigat, & gubernet. Quare pro parte earundem Prioriſſę, & Conventus, ac dilectorum filiorum Antianorum Civitatis Regin. Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Monaſterium prędictum, & illius Prioriſſam, ac Moniales pręfatas dicti Vicarii curę, regimini, &

Mandatum. directioni ſubjicere, aliaſque eis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de conſenſu quorum intereſt dictum Monaſterium, ac pręfatas pro tempore exiſtentes, illius Prioriſſam, & Moniales regimini, curę, & directioni dicti Vicarii auctoritate noſtra ſubjicias & ſubmittas, & illi duntaxat, & non aliis Fratribus, aut ſuperioribus quibuſcunque quoad regimen, & curam hujuſmodi de cetero ſubeſſe dicta auctoritate ſtatuas, & decernas, eidem Vicario, ut dicti Monaſterii nunc, ac pro tempore illius Prioriſſę, & Conventus prędictarum curam, & regimen hujuſmodi ſuſcipiat, & per ſe, vel alium moribus, ętate, & vitę ſanctimonia idoneum, quem pro tem-

tempore duxerit deputandum ſub regulari obſervantia hujuſmodi dirigat, regat, & gubernet perpetuis futuris temporibus eadem auctoritate injungas, ac reliquis Prioribus, ac Fratribus dicti Ordinis, & aliis quibuſcunque perſonis, ne de dicti Monaſterii, ac illius Prioriſſę, & Conventus prędictarum regimine, & cura prędictis, ſe quoquo modo intromittat, aut dictum Vicarium, & deputandum ab eo, quo minus curę pręfatę prϩeſſe, & illam exercere poſſit, impediant, ſub cenſuris eccleſiaſticis, prędicta auctoritate inhibeas. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, & dictorum Ordinum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo, Decimo Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Regin.*) Seu *Regien.*, vulgo *Reggio*. Juris eſt Provincialis *Lombardiæ* in ditione ducis Mutinæ.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXIII fol.61.*
3. *SS. Coſmæ & Damiani.*) Nunc *Corporis Chriſti*.

Anno 1470 Die 9 Septembris.

Monaſterium Corporis Chriſti Januen. (1) ſit ſub cura Fratrum Domus Sanctæ Mariæ de Caſtello.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLIV.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Vicario venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi Januen. in ſpiritualibus Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

APoſtolicę Sedis benignitas prudentes Virgines, quę ſe parant accenſis lampadibus obviam ire Sponſo, tanto propenſiori debet ſtudio proſequi caritatis, quanto majori propter fragilitatem ſexus indigere ſuffragio dignoſcuntur. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum univerſorum civium Civitatis Januen., ac dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſę, & Sororum Monaſterii Corporis Chriſti, ſub cura Fratrum Conventualium Ordinis Prędicatorum degentium, petitio continebat, tam cives ipſi, quorum aliqui in dicto Monaſterio filias, & conſanguineas, tam profeſſas quam profiteri volentes, habere noſcuntur, quam Abbatiſſa, & Sorores prętatę, quod pro ipſorum animorum quiete, & ut Monaſterium ipſum, in quo ſeptuaginta Sorores, fere omnes ex nobili genere procreatę, ſub regulari obſervantia degentes fore noſcuntur, votivis proſperetur ſucceſſibus, & Sorores in illo pro tempore exiſtentes tanto magis in divinis beneplacitis exequendis ſint intentę quanto melioribus conſiliis, cura, regimine, & adminiſtratione fuerint adjutę, Monaſterium ipſum ſub cura dilecti filii Prioris Domus Sanctę Marię de Caſtello Januen. dicti Ordinis de obſervantia, & pro tempore exiſtentis, de cetero gubernari magnopere deſiderant, pro parte civium, & Abbatiſſę, & Sororum prędictarum, aſſerentium quod ſint quam plures alię puellę, quę in dicto Monaſterio, & ſub obſervantia hujuſmodi profiteri deſiderant, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſas, eorumque Monaſterium a cura, gubernatione, ſuperioritate, & obedientia Fratrum conventualium hujuſmodi eximentes, illas, ac Monaſterium prędictum Priori de obſervantia pro tempore prędicto ſubiicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, Abbatiſſam, & Sorores, ac Monaſterium prędictum ab omni ſuperioritate, & obedientia Fratrum Conventualium hujuſmodi auctoritate noſtra eximas, eaſque, & dictum Monaſterium Priori pręſenti, & qui fuerit pro tempore, dictę Domus ſubiicias; & nihilominus Priori prętato, quod illas ſub ejus cura, regimine, & gubernatione, Generalis dicti Ordinis, & cujusvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, recipiat, & juxta regularia inſtituta Ordinis, & obſervantię prędictorum gubernet, viſitet, corrigat, & emendet, prout ſuę, & animarum ſaluti earundem ſibi videbitur expedire, eadem auctoritate noſtra mandare procures. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii, Ordinis, & obſervantię prędictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcunque, aut ſi Vicario, necnon tam Conventualibus, quam de obſervantia Fratribus prędictis, vel quibusvis aliis communiter, vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo, Quinto Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Supplex petitio.

Mandatum.

1. *Januen.*) In *Liguria*. Ipſi nomen a *S. Silveſtro*, uti ſæpius dictum fuit.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXIII fol.11.*

Anno 1470 Die 27 Octobris.

Firmat compoſitionem initam Archiepiſcopum Piſanum inter & Moniales Monaſterii S. Auguſtini de Via Romea prope Piſas (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLV.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Domus Cartuſię Piſarum, Cartuſien. Ordinis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. UT ea, quę a Sede Apoſtolica emanarunt pro confirmatione eorum, quę pro ſedandis litigiis inter perſonas quaslibet, pręſertim Eccleſiaſticas provide facta dicuntur, debitum ſortiantur effectum, libenter, cum a Nobis petitur, opem, & operam impendimus efficaces. Dudum ſiquidem Diplomatis cauſa. pro parte venerabilis Fratris noſtri Philippi (3) Archiepiſcopi Piſan., & dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Sancti Auguſtini de Via Romea prope Piſas, & Sancti Felicis loci de Vada (4), Piſan. Diœceſis, invicem canonice unitorum Monaſteriorum Monialium Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum Ordinis degentium, Nobis expoſito, quod exortis alias nonnullis litibus, & controverſiis inter Archiepiſcopum, ac Prioriſſam, & Conventum prędictos de, & ſuper quarta parte paſcui, ſive paſturę loci de Vada, & terraticorum (5) ejuſdem, ſuper dominio, proprietate, & poſſeſſione eorundem, ac fructibus, redditibus, & proventibus ipſorum paſcui, terraticorum, necnoo dependentium, & emergen. ab eiſdem, illiſque tam in Romana Curia, quam extra diutius agitatis, tandem Archiepiſcopus, ac Prioriſſa, & Conventus prędicti volentes ſumptus, & diſpendia litium evitare, ac damna, incommoda, & facturas, quę ex hujuſmodi litibus promanabant, & ipſarum litium anfractus auferre, & invicem pacifice vivere, ipſorumque Eccleſię, & Monaſteriorum commodo, & utilitati conſulere, ad quandam tranſactionem, conventionem, nonnullaque pacta, inter ſe convenerant, per quę Prioriſſa, & Conventus pręfati iuribus, & cauſis prędictis, ac omni juri, in, vel ad dicta paſcua, & paſturas, ac terratica competenti, ac in territorio, curia, diſtrictu, & bonis dicti loci de Vada, omnique eorum dominio, proprietate, & poſſeſſioni renunciaverunt, & illa pleno jure dederunt, ceſſeruntque dicto Archiepiſcopo pro Eccleſia, & Archiepiſcopali menſa Piſan. recipienti, cum his conditionibus videlicet, quia voluerunt, quod Philippus pręfatus, & Succeſſores ejus Archiepiſcopi Piſan. pro tempore exiſtentes in perpetuum tenerentur, & obligati eſſent dare, & ſolvere prędictę, & pro tempore exiſtenti, Prioriſſę dictorum Monaſteriorum, & Conventui pręfatis ſingulis annis ſummam florenorum quinquaginta, ad rationem librarum quatuor pro quolibet floreno, monetę dicti loci uſualis, in duobus terminis tunc expreſſis ex cauſa hujuſmodi tranſactionis, &, ſi dictos quinquaginta florenos primo anno requiſitos non ſolverent in pęnam florenorum decem ſimilium inciderent, & ad illa, & dictos quinquaginta florenos obligati cenſerentur, & eſſent, &, ſi ſecundo anno non ſolverent, inciderent in pęnam viginti ſimilium florenorum et, ſi in tertio anno triennii conventi dicti Philippus Archiepiſcopus, & Succeſſores dictos ſexaginta pro primo, & ſeptuaginta pro ſecundo, & quinquaginta ſimiles florenos pro tertio annis eiſdem Prioriſſę, & Conventui ſolvere ceſſarent, tunc inciderent, & incidiſſe intelligerentur in pęnam florenorum viginti ſimilium, & ad dictas quantitates perſolvendas eſſent expreſſe obligati, & ipſo triennio elapſo ſine ſolutione dominium, & proprietas tenimenti & (6) de Malandrone, & omnium paſcuorum, terraticorumque ipſius tenimenti ad Eccleſiam, & menſam prędictas ſpectans, & pertinens, poſitum in maritima Piſan., cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis fore intelligerentur, & eſſe deberent, ac eſſent Monaſteriorum, & illius Prioriſſę, ac Conventus prędictorum, & ad ipſa ex tunc in antea ſpectarent, & pertinerent, & cum nonnullis aliis pactis ex tunc expreſſis, prout in quodam publico Inſtrumento, deſuper confecto, dicebatur plenius contineri; ac pro parte Philippi Archiepiſcopi, & modernę Prioriſſę, ac Conventus prędictorum, aſſerentium, tranſactionem, conventionem, & prędicta, ac alia tunc expreſſa pacta hujuſmodi in evidentem Eccleſię, menſę, & Monaſteriorum prędictorum utilitatem ceſſiſſe, & eorundem nomine Nobis humiliter ſupplicato, ut tranſactionem, conventiones, & pacta hujuſmodi, & prout illa concernebant, omnia, & ſingula in dicto Inſtrumento contenta, & inde ſecuta quęcunque pro illorum ſubſiſtentia firmiori Apoſtolico munimine roborare, aliaſque eis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur, Nos tunc per alias noſtras literas tibi dedimus in mandatis, quatenus tenimenti paſcuis, & bonis prędictis coram te prius ſpecificatis, de pręmiſſis omnibus, & ſingulis Nobis expoſitis, ac eorum circumſtantiis univerſis per te ipſum juxta quarundam aliarum noſtrarum literarum in eiſdem poſterioribus literis inſertarum continentiam, atque formam auctoritate noſtra te diligenter informares, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe, ac tranſactionem, conventionem, & pacta prędicta in evidentem menſę, & Monaſteriorum prędictorum utilitatem ceſſiſſe, & cedere reperires, tranſactionem, conventionem, & pacta prędicta, ac, prout illa concernebant, omnia, & ſingula in dicto Inſtrumento deſuper confecto contenta, & inde ſecuta quęcunque de conſenſu partium dicta auctoritate approbares, & confirmares, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Archiepiſcopi, Prioriſſę, & Conventus prędictorum petitio continebat, in tranſactione conventum fuerat, quod ſi Philippus, & Succeſſores ejus pręfati ſexaginta pro primo, & ſeptuaginta pro ſecundo, ac quinquaginta ſimiles florenos pro tertio annis eiſdem Prioriſſę, & Conventui ſolvere ceſſarent, tunc inciderent, & incidiſſe intelligentur in pęnam non viginti, ut in dictis literis expreſſum extitit, ſed triginta florenorum ſimilium, ac propterea, & etiam quia in eadem tranſactione ibi immediate ſubjungitur, quod dicto triennio elapſo, & ſolutione non facta proprietas, & dominium tenimenti de Malandrone prędicti eſſet Monaſterio prędictorum, abſque quod

inter

inter verbum tenimenti, & verbum de Malandrone ſit copula, &, prout in dictis poſterioribus lite-
ria appoſita fuit, a nonnullis revocetur in dubium, an literę prędictę poſſint de ſubreptione notari,
tuque ad illarum executionem procedere valeas, nos eiſdem Archiepiſcopo, Prioriſſę, & Conventui,
ne propterea earundem noſtrarum poſteriorum literarum fruſtrentur effectu, providere volentes,
ejuſdem Archiepiſcopi, ac prędictorum Prioriſſę, & Conventus in hac parte ſupplicationibus incli-
nati diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus poſteriores literas prędictas a dat. Confirmatio
pręſentium valere auctoritate noſtra decernas, & ad illarum omnimodam executionem alias ſuper
earum continentia, atque forma procedas in omnibus, & per omnia, perinde ac, ſi in illis, quod in
tranſactione prędicta conventum fuerat, quod ſi in tertio Anno triennii conventi dicti Phi-
lippus Archiepiſcopus, & Succeſſores, dictos ſexaginta pro primo, & ſeptuaginta pro ſecundo, &
quinquaginta ſimiles florenos pro tertio Annis eiſdem Prioriſſę, & Conventui ſolvere ceſſarent, tunc
inciderent, & incidiſſe intelligerentur in pęnam florenorum triginta ſimilium, expreſſum exti-
tiſſet, copulaque prędicta, &, inter dictionem tenimenti, & dictionem de Malandrone incluſa in eiſ-
dem literis, minime interpoſita fuiſſet. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinatio-
nibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarna-
tionis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo, Sexto Kal. Novembris, Pontificatus
noſtri Anno Septimo.

1. *Piſas.*) In *Hetruria*. Hoc Monaſterium juris eſt Provinciæ *Romanæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* *Lib. CXXX fol.* 202.
3. *Philippi.*) De quo *Ughellus* in *Archiep. Piſan.*
4. *De Vada.*) Conſulendus *Fontana* in Libro *De Romana Provincia Cap. III Tit. XI pag.* 271 *&c.*
5. *Terraticorum.*) Italis *Terratico*, Gallis *Terrage*, illud eſt quod a Colonis exigitur nomine terræ, vel agri, quem colunt.
6. *Et.*) De hac particula diſſeritur in ipſo Diplomate.

Unit Beneficium Sancti Andreæ Montis Surdi Monaſterio Monialium Beatæ
Mariæ Magdalenæ Alben. (1).

Anno 1470
Die 17 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis

XLVI.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Prępoſito Eccleſię Alben.,
Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EX Apoſtolico Nobis deſuper impoſito ſervitutis officio ad ea libenter intendimus, per quę Mo-
naſteriorum, & aliorum Religioſorum locorum, necnon perſonarum pręſertim fęminei ſexus,
in eis divinis laudibus deditarum omnium, commoditatibus, & indigentiis ſalubrius valeat provide-
ri. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſę, & Conventus
Monaſterii Beatę Marię Magdalenę Alben., Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Diplomatis causa,
Fratrum Prędicatorum viventium, petitio continebat, quod cum olim inter bonę memorię Johannem
Epiſcopum Bethleemitan., & dilectum filium Bartholomęum Galianum Archidiaconum Eccleſię Alben.
occaſione Beneficii Sancti Andreę Montis Surdi Alben. Dięceſis, ſeu de jure illud conferendi, altercatio
exorta fuiſſet, tandem Epiſcopus, & Archidiaconus prętati litium anfractus terminare cupientes,
ſuper altercatione hujuſmodi ſe ſponte ordinationi dilecti filii nobilis viri Guillelmi Marchionis Montis
ferrati ipſius Monaſterii patroni ſubmiſerunt, &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Dominus Guil-
lelmus Marchio attente conſiderans, quod prętatum Monaſterium, in quo pręter Abbatiſſam eadem
triginta Moniales ſub perpetua clauſura viventes degunt, & in dies propter earum exemplarem vitam
numerus ipſarum, benedicente Domino, multiplicatur, in bonis, & redditibus, admodum tenuiter
fundatum exiſtat, & propterea Dominus Marchio ipſarum Abbatiſſę, & Monialium neceſſitatibus, &
inopię compatiens, quod fructus, redditus, & proventus beneficii prędicti, illius titulo, & nomine
penitus ſuppreſſis, & extinctis, eidem Monaſterio applicentur, & approprientur, ſummopere ex-
optet. Quare pro parte tam Marchionis, quam Abbatiſſę, & Conventus prędictorum, aſſerentium,
quod fructus, redditus, & proventus dicti beneficii, quod ſine cura eſt, quatuordecim florenorum
auri de camera ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, Nobis fuit hu-
militer ſupplicatum, ut ejuſdem beneficii titulo & nomine omnino ſuppreſſis, & extinctis, illius
fructus, redditus, & proventus hujuſmodi eidem Monaſterio in perpetuum applicare, & appropria-
re de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod peten-
tes beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum valorem ſecundum communem
extimationem beneficii, cui uniri petitur, alioquin unio non valeret, ac de pręmiſſis certam notitiam
non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta manda-
mus, quatenus, vocatis quorum intereſt, de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis Collatio.
univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per Informationem hujuſmodi ita eſſe repere-
ris, fructus, redditus, & proventus dicti beneficii, illius titulo, & nomine prętatis per te ſuppreſ-
ſis, & extinctis, ut pręfertur, Monaſterio prędicto, cujus fructuum, redditnum, & proventuum ve-
rum valorem annuum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, auctoritate noſtra prędicta in perpe-
tuum applices, & appropries, ita, quod cedente, vel decedente dicti beneficii Rectore, vel illud
alias quomodolibet dimittente, liceat Abbatiſſę, & Conventui prędictis per ſe, vel alium, ſeu alios,
fructus, redditus, & proventus, tunc applicatos, & appropriatos hujuſmodi auctoritate propria li-
bere apprehendere, ac illos in ſuos, ac dicti Monaſterii uſus perpetuo convertere pariter, & retine-
re, Dięceſani loci, & cujuſvis alterius licentia minime requiſita. Non obſtantibus voluntate hujuſmodi,

ac conſtitutionibus, ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſterii, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem quod eadem Abbatiſſa, & Conventus fructus, redditus, & proventus beneficii hujuſmodi nullatenus alienare prę ſumant, alioquin pęnas in quadam ſuper hoc edita conſtitutione contentas eo ipſo incurrant, eademque Eccleſia, ſive locus in quo beneficium ipſum conſiſtit ad profanos uſus tanquam hęreditas non redigatur. Nos enim, ſi ſuppreſſionem, & extinctionem, necnon applicationem, & appropriationem prędictas per te vigore prę ſentium fieri contigerit, ut prefertur, ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadriogeoteſimo Septuageſimo, Quinto Decimo Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Alben.*) De quo ſępius dictum fuit.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXIV fol.* 224.

Anno 1471 Die 16 Februarii.

Unit Sacellum Sancti Nicolai Monaſterio Ordinis loci de Rut. apud Wilperg (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLVII.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Prępoſito Eccleſię Sanctę Crucis in Sturgarten., Conſtantien. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Supplex petitio.

PIa conſideratione Romanum decet Pontificem votis illis gratum prę ſtare aſſenſum, per quem Religioſis perſonis, prę ſertim fęminei ſexus, ſub humilitatis ſpiritu Altiſſimo famulantibus, ne earum decentiam, & honeſtatem bonorum temporalium defectus obnubilet, de alicujus ſubventionis auxilio valeat ſalubriter provideri. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Sororum domus de Rut. apud Wilperg, Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura & ſecundum Inſtituta Fratrum Prędicatorum degentium, Conſtantien. Dięceſis, petitio continebat, quod fructus, redditus, & proventus dictę Domus propter diverſos ſiniſtros eventus, ſint adeo tenuea, & exiles, quod ipſę Prioriſſa, & Sorores ex eis ſe commode ſuſtentari, ac onera eis incumbentia perferre non poſſint, quodque ſi Capella Sancti Nicolai ſita infra ſepta dictę Domus, ejuſdemque Dięceſis, & quę ſine cura eſt, & ad prę ſentationem ipſarum Prioriſſę, & Sororum pertinet, & per Presbyterum Secularem regi conſueverat, & apud quam propter illius fructuum exilitatem illam pro tempore obtinens reſidere, illique in divinis deſervire raro conſuevit, dictę Domui uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ipſę Prioriſſa, & Sorores ex hoc aliquod ſuſciperent relevamen. Quare pro parte Prioriſſę, & Sororum prędictarum, aſſerentium quod domus ſexaginta, & Capellę hujuſmodi trium Marcarum argenti fructus, redditus, & proventus ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſam Capellam prę fatę Domui perpetuo incorporare, annectere, & unire, aliaſque in prę miſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, de prę miſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, vocatis quorum intereſt, de prę miſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, Capellam prędictam cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem domui auctoritate prę fata unias, ita quod cedente, vel decedente moderno Rectore dictę Capellę, ſeu illam alias quomodolibet dimittente, liceat Prioriſſę, & Sororibus prędictis per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem Capellę, juriumque, & pertinentiarum prędictarum poſſeſſionem propria auctoritate apprehendere, & perpetuo retinere, ac illius fructus, redditus, & proventus hujuſmodi in earum uſus, utilitatemque convertere, Dięceſani loci, & cujuſcunque alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales Apoſtolicę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem, & inde ſecuta quęcunque ad prę fatam Capellam volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem Beneficiorum aliorum prę judicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę prę ſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, proviſo quod propter unionem, annexionem, & incorporationem hujuſmodi, ſi illę vigore prę ſentium fiant, & effectum ſortiantur, Capella prędicta debitis propterea non fraudetur obſequiis, ſed illius congrue ſupportentur onera conſueta. Volumus autem, quod ipſę Prioriſſa, & Sorores bona immobilia, vel pretioſa mobilia ejuſdem Capellę nullatenus alienare prę ſumant, alioquin pęnas in quadam noſtra ſuper hoc edita Conſtitutione contentas eo ipſo incurrant, & inſuper ex nunc irritum, decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romę apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo (3), Quarto decimo Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Collatio.

1. *Wilperg.*) In *Suevia*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXL fol.* 120.

3. *Septuageſimo*,) Stylo Bullarum, ęrę communis *MCCCCLXXI.*

AP-

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Archiepiſcopi, & Epiſcopi, Dignitates, Paulo II Summo Pontifice, Promotos exhibens.

ARCHIEPISCOP.

F. Antonius Baragues, Hiſpanus, Archiepiſcopus Calaritanus, *Cagliari*, in Sardinia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XX pag.* 64, *ex Fernandez. Cavalerius Tomo I pag.* 286 *num. CCXL.* Obiit anno *MCCCCLXXVIII.* — Anno circiter 1471.

EPISCOPI.

F. Johannes de Noia, Epiſcopus Civitatenſis, *Civitate*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Cavalerius Tomo I pag.* 271 *num.CXCVII.*, *ex Plodio.* — Anno circiter 1465.

F. Gaſpar Salisburgenſis, Epiſcopus titularis Eccleſię in partibus infidelium ſitæ, Suffraganeus, ſeu Vicarius Archiepiſcopi Salisburgenſis, in Bavaria. *Fontana Theatro Dominicano in Appendice ad I Partem pag* 619, *ex Fernandez, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag.*271 *num.CXCVIII.* — Anno circiter 1465.

F. Johannes Simonis, Epiſcopus Nazovanen. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.CCCCXV pag.* 246, *ex Lib. Proviſion. Prælatorum Pauli II. Cavalerius Tomo I pag* 280 *num.CCXIV.* Quænam ſit hæc Sedes non produnt Auctores mox laudati. Scribendum fortaſſis *Nachnanen.*, in *Armenia*, ſub Archiepiſcopo *Soltanienſi*. — Anno 1465.

F. Johannes Cappella, Epiſcopus Vilatenſis. *Cavalerius Tomo I pag.*271 *num.CXCIX*, *ex Taegio, & Plodio*. Ceterum quænam ſit hæc Sedes, incertum. — Anno circiter 1465.

F. Stephanus de Finario, ex Priore Conventus Alexandrini, Epiſcopus Bobienſis, *Bobbio*, in ſtatu Mediolanenſi, ſub Archiepiſcopo Genuenſi *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap V Tit XCV pag.*142. *Cavalerius Tomo I pag.*281 *num. CCXVII.* Ipſius etiam meminit *Ughellus in Epiſcopis Bobien. Tomo IV Italiæ Sacræ pag.*943 *Edit.II*, ubi hæc habet. *Fr. Stephanus (cujus Ordinis, non exprimitur) de Ghilinis nobilis Alexandrinus ad hanc Sedem promotus anno MCCCCLXV. Exceſſit anno MCCCCLXX.* Hæc ille. Verum quod *Stephanus* ipſe Ordinis Prædicatorum alumnus fuerit, conſtat, inquit Fontana, *ex quodam fragmento Regeſti Magiſtri Ordinis Martialis Auribelli tali tenore: Magiſter Stephanus de Fenario, Prior Alex. poteſt acceptare Epiſcopatum Bobienſem in Provincia Lombardiæ. Mediolani II Julii MCCCCLXV.* — Anno 1465

F. Robertus Bonimpertus, Novarienſis, Epiſcopus Mantuanus, in ejuſdem nominis Ducatu Italiæ, ſub S. Sede. *Ughellus in Epiſcopis Mantuanis Tomo I Italiæ Sacræ pag.*870 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.CCCLXIV pag.*224, *ex Plodio. Cavalerius Tomo I pag.*274 *num CCIV.* Doctrina clariſſimus erat *Robertus*, uti notat *Ughellus*. Addit, quod *breviſſimus Pontifex fuit, ſuique inconſolabile deſiderium fecit iis, qui propius ejus exaggeratas virtutes noverant.* — Anno 1466.

F. Aloyſius Roſattus, Bergomas, Epiſcopus titularis in partibus infidelium, & Suffraganeus, ſeu Vicarius Franciſci Gonzagæ Diaconi Cardinalis, Mantuani Epiſcopi. *Ughellus, in Epiſcopis Mantuanis Tomo I Italiæ Sacræ pag.*870 *Edit.II*, ubi hæc habet: *Franciſcus Gonzaga Mantuanus Epiſcopus, Diaconus Cardinalis, Mantuæ Suffraganeis uſus eſt Aloyſio Roſatto Bergomate, ex Ordine Prædicatorum illuſtri viro, Ludovicoque Aldraghetto Mantuano, Canonico Regulari.* Notandum tamen quod *Cavalerius Tomo I pag.*278 *num.CCX* ex variis Auctoribus quos laudat, & ex antiquo Manuſcripto, cenſet non Vicarium ſed Epiſcopum *Mantuanum* fuiſſe *Aloyſium*, ſeu *Ludovicum Roſattum*. Quod etiam *Bergomenſis* Epiſcopus renunciatus fuerit, auctor eſt idem *Cavalerius*. — Anno circiter 1466.

F. Lu-

Anno 1466. F. Ludovicus Longus, Venetus, Epiſcopus Motonenſis, rectius Methonenſis, vulgo *Modon*, in Peloponneſo, ſub Archiepiſcopo Patracenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCIV pag.* 241, *ex Lib. Proviſion. Prælatorum. Cavalerius Tomo I pag.*282 *num. CCXXV. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLXXV pag.*852, *ex Leandro, Luſitano, & Rovetta.*

Anno circiter 1467. F. Vincentius Uguzbiante, Polonus, S. Theologiæ Magiſter, Epiſcopus Enoenſis, ſeu Ænenſis, vulgo *Eno*, Turcis *Ygnos*, in Thracia, ſub Archiepiſcopo Trajanopolitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXXVII pag.*190, *ex Bzovio. Cavalerius Tomo I pag.*306 *num. CCCXV. Dominicus Frydrychowicz in S. Hyacintho Poloniæ Patrono &c. pag.*220. Suffraganeum, ſeu Vicarium *Poſnanienſis* Epiſcopi fuiſſe *Vincentium*, docent Auctores mox laudati. Emendandus tamen *Fontana* qui Sedem *Enenſem* conſtituit in *Polonia*.

Anno 1468 Die 13 Maii. F. Bertaldus de Oberch, Epiſcopus Panaden., ſeu Pactyen., vulgo *Panido*, & *Pazzi*, in Thracia, ſub Archiepiſcopo Trajanopolitano. Hujus Epiſcopi meminerunt quidem *Cavalerius*, & *Fontana*, ſed nomen, & cognomen ipſius non norunt. Ab illis enim *Benedictus* vocatur. *Oberich* a *Cavalerio*; a *Fontana* vero cognominatur *de Oterth. Panadenſis Epiſcopalis Sedes in Partibus infidelium conſtituta*, inquit *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXLIX* pag. 259, *Paſtorem obtinuit a Paulo II P.F. Benedictum de Oterth anno ſalutis humanæ MCCCCLXVIII tertio Idus Maii, ut habetur ex Lib. Proviſion. Prælatorum ejuſdem Pontificis, atque eruditiſſimus D. Abbas Ughellus in ſuis manuſcriptis teſtatur.* Hæc *Fontana*, quem excipit *Cavalerius Tomo I pag.*276 *num. CCVIII*, ubi Præſul iſte *Benedictus de Oberich*, natione *Scotus* dicitur. Verum, quo nomine, quove cognomine fuerit Epiſcopus iſte, conſtat ſequenti Diplomate. *Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Bertaldo de Oberch electo Panaden., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Suſceptæ ſervitutis officio &c. Dudum ſiquidem bonæ mem. Johanne Panaden. Epiſcopo regimini Eccleſiæ Panaden. præſidente nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum ipſam vacare contingeret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam &c. poſtmodum præfata Eccleſia, per præfati Johannis Epiſcopi obitum, qui extra Roman. Curiam diem clauſit extremum &c. nos ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponeretur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Prædicatorum profeſſorem, lectorem in Theologia, in Sacerdotio, & ætate legitimo conſtitutum, ac de legitimo matrimonio procreatum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Eccleſiæ de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c., tuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis Benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Octavo, Tertio Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro LXXX fol.* 23.

Anno circiter 1468. F. Johannes Gallus, Epiſcopus Laudunenſis, *Laon*, in Gallia, ſub Archiepiſcopo Remenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXVIII pag.* 212, *ex Fernandez, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag.* 281 *num. CCXVIII.*

Anno 1468. F. Henricus Lunguardus, aliis Languardus, & Lugardus, Panormitanus, Epiſcopus Policaſtrenſis, *Policaſtro*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Salernitano. *Ughellus in Epiſcop. Policaſtren. Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 564 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXXV pag.* 268. *Cavalerius Tomo I pag.* 290 *num. CCLVI.* Ad *Acheruntinam* Sedem translatus eſt, ut in *Appendice* ſequenti dicetur.

Anno 1469. F. Johannes de Nola, Epiſcopus Guardien., vulgo *Guardia Alferia*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap. VI ad annum MCCCCLXIX pag.* 364. *Cavalerius Tomo I pag.* 279 *num. CCXI.*

Anno 1469. F. Petrus Lucas de Gerona, Epiſcopus Aſculanus, *Aſcoli*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LV pag.* 132, *ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag.* 284 *num. CCXXXIII.*

Anno 1469. F. Baptiſta de Judicibus, vulgo *de Giudici* (gens eſt apud Finarienſes inſignis) Epiſcopus Vintimilienſis, *Vintimiglia*, in Liguria, ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi. *Fontana Theatro Dominicano*

Parte

Digitized by Google

Parte I Cap. V Tit. XXI pag. 120, *ex Ughello, Leandro, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag.* 295 *num. CCLXXI, & CCLXXII. Echard Tomo I ſcriptorum Ordinis ad annum MCCCCLXXXIV pag.* 867. Ad *Amalphitanam* Sedem tranſlatum fuiſſe, dicetur in *Appendice* ſequenti.

F. Franciſcus de Stylo, Epiſcopus Liparenſis, in ejuſdem nominis Inſula Regni Siciliæ, ſub Archiepiſcopo Meſſanenſi. *Ughellus in Epiſcop. Liparen. Tomo I Italiæ Sacra pag.* 782 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXXXVII pag.* 216. *Cavalerius Tomo I pag.* 299 *num. CCXCII.* Anno circiter 1470.

F. Corradus Epiſcopus Argentinenſis, *Strasbourg*, in Alſatia, ſub Archiepiſcopo Moguntino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XLIX pag.* 129. *Cavalerius Tomo I pag.* 281 *num. CCXVI.* Hujus Epiſcopi meminit *Gallia Chriſtiana*, ſed ſilet, quod Ordinis Prædicatorum alumnus fuerit. Fuit certe, ut ex Regeſtis Magiſtri Generalis *Martialis Auribelli* probat *Fontana* mox laudatus. In ipſis autem ſic legitur. *R. D. Corradus Epiſcopus Argentinen., ex Ordine noſtro aſſumptus, poteſt accipere in ſocium Fr. Odonem Atrebatenſem. Avenione MCCCCLXX, XX Julii.* Anno circiter 1470.

F. Manſuetus Pichitus, Epiſcopus Ebronenſis, in Palæſtina, ſub Patriarcha Jeroſolymitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXXI pag.* 188, *ex Lib. Proviſion. Prælatorum. Cavalerius Tomo I pag.* 281 *num. CCXX.* Anno 1470.

F. Paulus Cracovienſis, Epiſcopus Laodicien., in Syria, ſub Archiepiſcopo Damaſceno. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXIII pag* 209, *ex Lib. Proviſion. Prælatorum, & Bzovio. Cavalerius Tomo I pag.* 280 *num. CCXIII. Dominicus Frydrichowicz in S. Hyacintho Poloniæ Patrono &c. pag.* 217. Epiſcopi *Cracovienſis* ſuffraganeus, Seu Vicarius fuit *Paulus*. Anno 1470.

Digitized by Google

S I X T U S IV.

(a) *Ciacconius in Sixto IV.* (b) *Idem.* (c) *Idem.*

Franciſcus a Ruvere antea vocatus, patria Saonenſis, Ordinis Minorum alumnus, Summus Pontifex renunciatus (*a*) fuit Die IX Auguſti MCCCCLXXI. Coronatus (*b*) eſt Die XXV ejuſdem Menſis. Diem clauſit (*c*) extremum XII Auguſti MCCCCLXXXIV. Sedit Annos XIII, dies IV.

Annò 1471 Die 25 Auguſti.

Palaſollenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

I.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii B. Marię de Rochadei, Siracuſan. (3) Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

RAtioni congruit &c. (4). Dudum ſiquidem felicis recordationis Paulo PP. Secundo, Prędeceſſori noſtro, pro parte dilectorum filiorum Communitatis Terrę Palazoli, Siracuſan. Diœceſis, expoſito, quod ipſi provide attendentes ad fructus uberes, quos Fratres Ordinis Prędicatorum eorum exemplari vita, prędicationibus Verbi Dei, conſiliis, & monitionibus, afferebant Chriſti fidelibus locorum, in quibus degebant, & domos habebant, ac propterea gerentes ad eos ſpecialem devotionis affectum, cupiebant in dicta terra, aut extra eam, in loco ad id commodo, & honeſto unam domum cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione dictorum Fratrum, quorum auxilio, & conſilio ſperabant plurimum ſe in via mandatorum Dei dirigi, & ad quęrendum ſuarum animarum ſalutem grandia auxilia habere, ſub invocatione Virginis Marię conſtruere, & ędificare. Unde pro parte Communitatis eidem Prędeceſſori humiliter ſupplicato, ut eidem Communitati, abſque alicujus pręjudicio, & cum conſenſu omnium intereſſe habentium, eandem domum, etiam prope aliquam Eccleſiam, ſine cura, vel alibi, cum Eccleſia, ſub invocatione dictę Virginis, ac campanili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis aliiſque neceſſariis officinis conſtruendi, & ędificandi, illamque dictis Fratribus pro ſuis perpetuis uſibus applicandi, ac ipſis Fratribus domum ipſam, & Eccleſiam, juxta quam forſan illam conſtrui contigerit, de conſenſu illius, ad quem ſpectaret, pro eorum uſibus, & habitatione pręfatis, recipiendi, & perpetuo inhabitandi, licentiam concedere, & alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaretur: idem Paulus Prędeceſſor, ipſorum Communitatis ſupplicationibus inclinatus, videlicet ſub dat. dici Kal. Septembris, Pontificatus ſui Anno Sexto (5), conceſſit, certo executori dari in mandatis, ut quoad Eccleſiam ſine cura, collatoris, & omnium, & ſingulorum in hoc intereſſe habentium expreſſo accedente conſenſu, Communitati hujuſmodi, ſine tamen alicujus pręjudicio ad dictam domum cum Eccleſia, vel ſine illa, ſi aliam, ut pręfertur, juxta ſe habere contingeret, ac campanili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis in dicta terra, aut extra eam, prope aliquam eccleſiam ſine cura, vel alibi, cum Eccleſia ſub invocatione ipſius Virginis Marię in loco ad id apto, & honeſto, ac congruo ędificandi, & conſtruendi, ipſiſque Fratribus locum hujuſmodi ſuſcipiendi, & in illo perpetuo manendi, Apoſtolica auctoritate licentiam largiretur, jure Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus pię memorię Bonifatii PP. VIII, etiam Prędeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne Fratres alicujus Ordinis Mendicantium in aliqua Civitate, Caſtro &c. ac aliis Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Pręterea ipſe Paulus Prędeceſſor Fratribus pro tempore inibi manentibus, & exiſtentibus, omnibus & ſingulis privilegiis &c. uti, & gaudere poſſent & valerent, dicta auctoritate indulſit. Ne autem pro eo, quod, ejuſdem Pauli Prędeceſſoris ſuperveniente obitu (6), literę Apoſtolicę ſuper hujuſmodi conceſſione & indulto confectę non fuerint. Communitas ipſa conceſſionis, & indulti hujuſmodi fruſtretur effectu, & de illis ab aliquibus valeat hęſitari, volentes, & Apoſtolica auctoritate decernentes, quod hujuſmodi conceſſio, & indultum a dicta die Kal. Septembris valeant, plenumque ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis ipſius Pauli Prędeceſſoris literę confectę fuiſſent, prout ſuperius enarratur, quodque pręſentes literę ad probandum plene conceſſionem, & indultum hujuſmodi ubique ſufficiant, nec ad id alterius probationis adminiculum requiratur, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi, quoad ſine cura Eccleſiam, Collatoris, & omnium & ſingulorum in hoc intereſſe habentium, ad id expreſſus conſenſus acceſſerit, Communitati hujuſmodi juxta conceſſionis, & indulti prędictorum tenorem ſine tamen alicujus pręjudicio domum ipſam conſtruendi, & in ea Fratres introducendi, ac eam perpetuo inhabitandi, ut pręfertur, auctoritate pręfata licentiam largiaris, jure Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius, ut pręfertur, in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus omnibus ſupradictis. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Primo, Octavo Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Facultas.

1. *Palaſollenſis.*) Vulgo *Palazzuolo.* Juris eſt Provincialis *Trinacriæ*, ſeu *Siciliæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XII fol.* 198.
3. *Siracuſan.*) *Syracuſan.*, vulgo *Siracuſa*, *Siragoſa*, & *Siracoſa*. Urbs eſt *Siciliæ*.
4. *Rationi congruit &c.*) Quæ hic deſunt, ex aliis ejuſdem tenoris Diplomatibus mutuanda.
5. *Anno Sexto.*) Chriſti *MCCCCLXX*.
6. *Obitu.*) Die XXVIII Julii *MCCCCLXXI*.

Sty-

Styrenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1471 Die 12 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

II.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Gotvvlizen., & Prępoſito in Dienſtain. per Prępoſitum ſoliti gubernari, Patavien. (3) Dięceſis, Monaſteriorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Piis ſupplicum votis &c. (4). Sane pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Frederici (5) Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, ac dilectorum filiorum univerſorum habitatorum, & incolarum, utriuſque ſexus oppidi Stire (6) Patavien. Dięceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod, licet oppidum prędictum ipſi Imperatori temporali domino ſubjectum, in hominibus, bonis, & rebus multipliciter abundet, tamen ibidem nulla domus Ordinis Fratrum Prędicatorum fundata exiſtit, unde ipſi Imperator, & habitatores, ac incolę ſingulari devotione ducti, cupientes terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, in prędicto oppido in loco ad id convenienti unam domum pro uſu, & habitatione Fratrum dicti Ordinis regularis obſervantię cum Eccleſia, campanili, campana, cęmeterio, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis de novo fundare, conſtruere, & ędificare, ſeu fundari, conſtrui, & ędificari facere, ferventer exoptant, dummodo eis ſuper hoc Apoſtolicę Sedis licentia ſuffragetur. Quare pro parte Imperatoris, habitatorum, & incolarum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis licentiam prędictam concedere, aliaſque in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui cultum divinum noſtris potiſſime temporibus ubique vigere, & augeri, & religionem Fratrum hujuſmodi ampliari intenſis deſideriis affectamus, ipſorum Imperatoris, habitatorum, & incolarum, pium, & laudabile propoſitum in hac parte plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, ſi eſt ita, pręfatis Imperatori, habitatoribus, & incolis unam domum, cum Eccleſia, campanili, campana, cęmeterio, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis hujuſmodi in eodem loco ad id congruo, intra, vel extra męnia dicti oppidi, abſque tamen alicujus pręjudicio pro uſu, & habitatione Fratrum dicti Ordinis regularis obſervantię de novo fundandi, erigendi, conſtruendi, vel ędificandi, ſeu fundari, erigi, vel ędificari faciendi, ipſiſque Fratribus regularis obſervantię domum ipſam recipiendi, & inhabitandi, plenam, & liberam licentiam auctoritate noſtra concedatis. Nos enim omnibus, & ſingulis Fratribus dicti Ordinis regularis obſervantię in eadem domo pro tempore commoraturis, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, indultis, libertatibus, exemptionibus, & immunitatibus, aliiſque gratiis dicto Ordini, & illius Fratribus in genere conceſſis, uti, & gaudere, libere, & licite valeant, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium &c., & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis quibuſcunque. Jure tamen Parochialis Eccleſię &c. ſemper ſalvo. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo, Septuageſimo Primo, Pridie Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Supplex Imperatoris, aliorumque petitio.

Facultas.

1. *Styrenſis*.) Vulgo *Steyr*, in *Auſtria*. Juris eſt Provincialis *Hungariæ*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XI fol.* 199.
3. *Patavien*.) Vulgo *Paſſavv*, in *Germania*.
4. *Votis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
5. *Frederici*.) *Pacifici* nuncupati.
6. *Stire*.) *Steir*, rectius *Steyr*.

Lewenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1471 Die 18 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

III.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Monaſterii Sancti Trudonis de Sancto Trudone (3), & Sanctę Catherinę Judonien. (4), Leodien. (5) Dięceſis, ac S. Pauli Leodien. Eccleſiarum Decanis, Salutem, Apoſtolicam Benedictionem.

Piis ſupplicum votis &c. (6). Sane pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Caroli (7) Ducis Burgundię (8), ac univerſorum habitatorum, & incolarum utriuſque ſexus oppidi Lewen Ducatus Brabantię, Leodien. Dięceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod licet oppidum prędictum ipſi Duci temporali Domino ſubjectum, in hominibus, bonis, & rebus multipliciter abundet, tamen ibi nulla Domus Ordinis Fratrum Prędicatorum fundata exiſtit. Unde ipſi Dux, habitatores, & incolę ſingulari devotione ducti, cupientes terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, in prędicto oppido in loco ad id convenienti, unam domum pro uſu, & habitatione Fratrum dicti Ordinis regularis obſervantię cum Eccleſia, campanili, campana, cęmeterio, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis de novo fundare, erigere, conſtruere, & ędificare, ſeu fundari, erigi, conſtrui, & ędificari facere ferventer affectant, dummodo eis ſuper hoc Apoſtolicę Sedis licentia ſuffragetur. Quare pro parte Ducis, habitatorum, & incolarum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis licentiam prędictam con-

Ducis Burgundiæ ſupplex petitio.

concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui cultum divinum noſtris potiſſime temporibus, ubique vigere, & augeri ſummis deſideriis affectamus, ipſorum Ducis, habitatorum, & incolarum, pium, & laudabile propoſitum in hac parte plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi eſt ita, pręfatis Duci,

Facultas. habitatoribus, & incolis unam domum cum Eccleſia, campanili, campana, cęmeterio, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis hujuſmodi in eodem oppido in loco ad id congruo, abſque tamen alicujus pręjudicio pro uſu, & habitatione Fratrum dicti Ordinis regularis obſervantię de novo fundandi, erigendi, conſtruendi, & ędificandi, ſeu fundari, erigi, conſtrui, & ędificari faciendi, ipſiſque Fratribus regularis obſervantię domum ipſam recipiendi, & ibidem habitandi, plenam, & liberam licentiam auctoritate noſtra concedatis. Nos enim omnibus, & ſingulis Fratribus dicti Ordinis regularis obſervantię in eadem domo pro tempore commoraturis, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, indultis, libertatibus, exemptionibus, & immunitatibus, aliiſque gratiis dicto Ordini, & illius Fratribus in genere conceſſis, uti, & gaudere libere, & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in quacunque Civitate, Caſtro, vel villa &c., & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque, jure tamen Parochialis Eccleſię &c. ſemper ſalvo. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Primo, Quartodecimo Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Leovenſis.*) Vulgo *Leuven*, in *Belgio*. Hujus Cœnobii non meminit eruditus noſter *Bernardus de Jonghe* in ſerie *Belgicorum* Conventuum.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XI fol.* 198.

3. *De Sancto Trudone.*) Vulgo S. *Truyen*, aliis *Truyden*, in *Belgio*.

4. *Judenien.*) Legendum crediderim *Jubonien.*, ſeu *Huionien.*, Incolis *Hoey*, Gallis *Huy*, in *Belgio*.

5. *Leodien.*) Vulgo *Liege*, Germanis *Luick*.

6. *Votis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

7. *Caroli.*) Anno circiter *MCCCLXVII* ſucceſſerat patri ſuo *Philippo*.

2. *Burgundie.*) Tunc enim Dux *Burgundiæ* Ducatui *Brabantiæ* jus dicebat.

Anno 1471 Die 26 Octobris.

Politienſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

IV. Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Monaſterii Sanctę Marię de Rochadei, & Priori Prioratus Sancti Nicolai de Teracachabi Siracuſan. (3), & Panormitan., Diœceſum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex petitio. PIis fidelium votis &c. (4) Sane, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum univerſitatis, incolarum, & habitatorum terrę Politii Cephaluden. (5) Diœceſis, petitio continebat, dudum ipſi pia devotione ducti, & provide attendentes ad fructus uberiores, quos dilecti filii Fratres Ordinis Prędicatorum, eorum exemplari vita, prędicationibus verbi Dei, conſiliis, & monitionibus afferunt Chriſti fidelibus locorum, in quibus degunt, & domos habent, & propterea gerentes ad eos ſpecialis devotionis affectum, de licentia, ſeu beneplacito venerabilis Fratris noſtri Lucę (6) Epiſcopi Cephaluden. quandam domum cum Eccleſia pro uſibus perpetuis, & habitatione dictorum Fratrum Prędicatorum in dicta terra conſtruere, & ędificare cęperunt, quam abſque auctoritate Sedis Apoſtolicę perficere, & ad effectum deducere verentur, ne dum illorum pia mens fervorem devotionis complectitur, alicujus cenſurę macula inveniatur fœdata. Quare pro parte univerſitatis, incolarum, & habitatorum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut licentię, ſeu beneplacito dicti Epiſcopi, ac alias in pręmiſſis pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, eiſque quod domum prędictam pro dictis Fratribus perficere, ac eiſdem Fratribus, quod illam recipere, & perpetuo inhabitare licite poſſint, & valeant, licentiam concedere, ac alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Reli-

Facultas. gionis propagationem noſtris pręſertim temporibus, intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, ſi eſt ita, licentiam, ſeu beneplacitum dicti Epiſcopi, & deinde ſecuta quęcunque, auctoritate noſtra approbare, & confirmare curetis; Et nihilominus, ſi approbationem, & confirmationem prędictas per vos vigore pręſentium fieri contigerit, ut pręfertur, eiſdem univerſitati, & incolis, quod domum ipſam cum Eccleſia, campanili, campana, cęmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione dictorum Fratrum ulterius perficere, & ędificare, ac eiſdem Fratribus, quod illam recipere, & perpetuo inhabitare, ita, quod illi ex eis, quos in dicta domo pro tempore reſidere contigerit, omnibus, & ſingulis privilegiis, indultis, & gratiis pręfato Ordini, ac illius domibus a Sede Apoſtolica generaliter conceſſis, uti, & gaudere libere, & licite valeant, ſine tamen cujuſcunque pręjudicio, auctoritate noſtra licentiam concedatis, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri inter alia prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua civitate domos &c. recipere &c. & aliis Apoſtolicis conſ-

conſtitutionibus &c. quibuſcunque &c.. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Primo, Sexto Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Politienſis.*) Vulgo *Polizzi*. Juris eſt Provincialis *Trinacria*, ſeu *Siciliæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XIII fol.* 118.
3. *Siracuſan.*) *Syracuſan.* in *Sicilia*, ubi *Panormus*.
4. *Votis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Diplomatibus.
5. *Cephaluden.*) Vulgo *Cefalu*, aliis *Ciſalu*, in *Sicilia*.
6. *Lucæ.*) Conſulendus *Pirrus* in *Sicilia Sacra*.

Moniales Januenſis (1) Monaſterii Corporis Chriſti Privilegiis (2) ornat.

Anno 1471 Die 28 Novembris.

Ex Archivo (3) Ordinis.

V.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

SAcrę Religionis, ſub qua dilectę in Chriſto filię Abbatiſſę, & Moniales Monaſterii Corporis Chriſti Ordinis Sancti Dominici, Januen., ſub cura Fratrum Prędicatorum devotum, & ſedulum earum Sponſo, qui Chriſtus eſt, exhibent famulatum, promeretur honeſtas, ut earum piis votis, per quę animarum ſalutem, & conſcientię pacem conſequi valeant, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Hinc eſt, quod Nos ipſarum Abbatiſſę, & Monialium, quę, ut aſſerunt, ſub regulari obſervantia, & perpetua clauſura degunt, in hac parte devotis ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium perpetuo ſtatuimus, & ordinamus, ipſiſque Abbatiſſę, & Monialibus ejuſdem Monaſterii pręſentibus, & futuris concedimus, quod ipſę Abbatiſſa, & Moniales pręſentes, & futurę quandiu ſub regulari obſervantia, & perpetua clauſura vixerint, viſitantes devote ſemel in die tempore quadrageſimę majus Altare ſitum in Eccleſia dicti Monaſterii ſimiles Indulgentias habeant, & conſequantur ac illi, qui in quadrageſima Eccleſias Urbis, in quibus ſtationes habentur, viſitant, quodque quęlibet ipſarum Abbatiſſę, & Monialium pręſentium, & futurarum aliquem Preſbyterum ſecularem, vel Religioſum in ſuum poſſint eligere Confeſſorem, qui, donec vixerint, in Caſibus Sedi Apoſtolicę reſervatis, ſemel duntaxat, in aliis vero quoties fuerit opportunum, Confeſſionibus earum diligenter auditis, pro commiſſis eis debitam abſolutionem impendat, & injungat pęnitentiam ſalutarem, necnon Confeſſor, quem duxerint eligendum, omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contritę, & ore confeſſę fuerint, etiam ſemel duntaxat in mortis articulo, plenariam remiſſionem eis in ſinceritate fidei, unitate Sanctę Romanę Eccleſię, ac obedientia, & devotione noſtra, & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, perſiſtentibus, auctoritate Apoſtolica prędicta concedere valeat, ſic tamen quod idem Confeſſor de his, de quibus fuerit alteri ſatiſfactio impendenda, eam dictis Abbatiſſę, & Monialibus per ipſas, ſi ſupervixerint, vel per alios, ſi forte tunc tranſierint, faciendam injungat, quam ipſę, vel illi facere teneantur, ut pręfertur. Et, ne, quod abſit, propter hujuſmodi gratiam, vel conceſſionem Abbatiſſa, & Moniales prędictę reddantur procliviores ad illicita in poſterum committenda, volumus, quod ſi a ſinceritate fidei, unitate Romanę Eccleſię, ac obedientia, & devotione noſtra, vel Succeſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium deſiſterent, aut ex confidentia ejuſdem conceſſionis, vel remiſſionis aliqua forſan committerent, conceſſio, remiſſio, & pręſentes literę eis nullatenus ſuffragentur. Et inſuper quod per unum annum a tempore quo noſtra pręſens conceſſio ad earum pervenerit notitiam computandum, ſingulis ſextis feriis, impedimento legitimo ceſſante, jejunent, &, ſi prędictis feriis ex pręcepto Eccleſię, regulari obſervantia, injuncta pęnitentia, voto, vel alias jejunare teneantur, una alia die ſingularum ſeptimanarum ejuſdem anni, qua ad jejunandum, ut pręmittitur, non ſint adſtrictę jejunent, & ſi in dicto anno, vel aliqua ejus parte eſſent legitime impeditę, anno ſequenti, vel alias quam primum poterunt, modo ſimili ſupplere hujuſmodi jejunium teneantur. Porro ſi forſan alias pręlibatum jejunium in toto, vel in parte, quomodocunque adimplere nequiverint commode, eo caſu Confeſſor prędictus jejunium ipſum in alia pietatis opera commutare valeat, prout animarum ipſarum ſaluti viderit expedire, quem ipſę pari modo debeant adimplere, alioquin pręſens noſtra conceſſio, quoad plenam remiſſionem hujuſmodi duntaxat, nullius ſit roboris, vel momenti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę ordinationis, ſtatuti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Primo, Quarto Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Privilegia concessa.

Nota.

L. Griſus.

1. *Januenſis.*) In *Liguria*. Iſtud celebre Monaſterium, de quo pluries dictum fuit, juris eſt Provincialis *Lombardiæ*.
2. *Privilegiis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo *Januenſi*.

Anno 1471 Die 28 Novembris.

Chienſe (1) Cœnobium curæ Vicarii Generalis Lombardiæ committit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

VI.

Dilecto filio Vicario Generali Ordinis Prędicatorum Regularium ſive Obſervantium utriuſque Lombardię.

SIXTUS PP. IV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientibus dilectis filiis civibus, atque incolis civitatis, & Inſulę Chii in loco B. Marię dictę civitatis, qui per Fratres Ordinis ſui Prędicatorum ſolitus eſt gubernari, & incoli, tales dicti Ordinis Religioſos verſari, qui doctrina Evangelica, & prędicatione, exemplari vita, ac precibus animos eorum conſortare, & metum ob Turcarum vicinitatem (3) imminentem, Domini Dei noſtri cooperante gratia, poſſent avertere, paternum in Domino prębentes aſſenſum, devotionem tuam per pręſentes hortamur, eidem nihilominus in virtute S. obedientię Apoſtolica auctoritate mandantes, quatenus ex nunc locum pręfatum ſub tua cura, regimine, & gubernatione recipias, & ad eundem Mandatum. quindecim, vel viginti dicti Ordinis Fratres, doctrina, & vitę integritate pręditos, qui juxta formam, & modum reliquorum obſervantium in Conventu eodem viventes, lucrum ibi faciant animarum, mittere non poſtponas, ut ab Omnipotenti Deo pręmium, & a nobis uberem commendationem valeas reportare. Maximum namque pietatis genus eſſe videtur pro Orthodoxa Fide in metus periculo conſtitutis ſpirituale ſuffragium, & conſolationem afferre. Volumus autem quod ſuſceptam loci hujuſmodi curam dimittere non debeas (4), ſed Succeſſores, & viſitatores ſingulo biennio mittere tenearis. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Novembris MCCCCLXXI, Pontificatus noſtri Anno Primo.

L. Griſus.

1. *Chienſe.*) In ejuſdem nominis Inſula maris *Ægai*, & *Icarii*, vulgo *Scio*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum in Bullario *Brixienſi pag.* 29, ex Autographo *Brixienſi*.
3. *Vicinitatem.*) A *Turcis* nunc occupata *Chienſis* Inſula.
4. *Dimittere non debeas.*) Hinc Provincialis *Lombardię* Socius titulo Prioris *Chienſis* donatur, ut alibi dictum fuit.

Anno 1471 Die 7 Decembris.

Conſtitutionem a Caliſto III contra Decretalem (1) quæ incipit: *Super Cathedram:* latam reſcindit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

VII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. QUia in futurorum eventibus, ſic humani fallitur incertitudo judicii, ut quod, conjectura probabili, & interdum attenta conſideratione, utile, & ad pacem, & quietem tendere videbatur, reperiri damnoſum, & jurgiis, & diſſenſionibus plenum quandoque contingat, non debet reprehenſibile judicari, ſi Pontifex, quę a Prędeceſſoribus ſuis ex cauſis veriſimiliter probabilibus ſunt ſtatuta, cognito, quod ex eis diſſenſiones, & jurgia inter perſonas quaslibet, pręſertim eccleſiaſticas oriantur, ne noxę graviores, exituſque pejores inde prodeant, revocat, & annullat, ac in ſtatum priſtinum reducit, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem, poſtquam felicis recordationis Bonifatius Papa VIII Prędeceſſor noſter nonnullis diſcordiis, quę inter Prędatos, & Parro- Diplomatis cauſa. chialium Eccleſiarum Rectores, & Ordinum Mendicantium Fratres, per diverſas mundi provincias conſtitutos, exortę erant, ſua, quę incipit: Super Cathedram: Conſtitutione, finem imponere curaverat, fueratque Conſtitutio prędicta per pię memorię Clementem PP. V, etiam Prędeceſſorem noſtrum, in Concilio Viennenſi innovata, & per pię memorię Johannem PP. XXII, ſimiliter Prędeceſſorem noſtrum, ad Heremitarum S. Auguſtini, & B. Marię de Monte Carmelo Ordinum profeſſores extenſa, nonnulli alii Romani Pontifices, & Prędeceſſores noſtri, ut omnem, inter Fratres, & Prędatos, ac rectores pręfatos contentionis occaſionem de medio ſubmoverent, dictorum Mendicantium profeſſoribus, tam in genere, quam in ſpecie, ex diverſis rationabilibus cauſis, varia Privilegia adverſus Conſtitutionis prędictę tenorem, & ſuper illius declarationem, & interpretationem conceſſerunt, & deinde pię memorię Caliſto Papę III, etiam Prędeceſſori noſtro, per nonnullos Epiſcopos, alioſque ſuperiores Prędatos, necnon Parrochialium Eccleſiarum Rectores, expoſito, quod aliqui dictorum Fratrum ſe, ſpecialiter quę ab ipſa Sede in eorum favorem adverſus Conſtitutionem emanaſſe aſſerebant, privilegiorum, conceſſionum, & indultorum, pretextu, ne ad dictę Conſtitutionis obſervationem compelli poſſent, tuebantur, in eorundem conquerentium, & Parrochialium Eccleſiarum prejudicium, & gravamen; variaque propterea inter eoſdem Prędatos, Rectores, & Sacerdotes, ac Fratres jurgia, contentiones, ac ſcandala exorta erant, & oriebantur in dies, quibus obviaretur, ſi Conſtitutio prędicta obſervaretur: Et per eundem Caliſtum Prędeceſſorem accepto, quod a nonnullis ex hujuſmodi Prędatis, Rectoribus, Curatis, & Sacerdotibus, contra tenorem pręfatę Conſtitutionis dictis Fratribus, graves injurię, & moleſtię inferebantur: idem Caliſtus Prędeceſſor, cupiens hu-

Digitized by Google

hujuſmodi jurgiis, contentionibus, & ſcandalis obviare, conſtitutionem, & illius innovationem, & extenſionem prędictas, juxta illarum ſeriem, & continentiam, in omnibus, & per omnia ſervari debere ſtatuit, & ordinavit, ac quęcunque privilegia, conceſſiones, & indulta, ſi a quibusvis Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus ſuis, adverſus conſtitutionem, & innovationem, ac declarationem, prędictas, ſub quacunque verborum forma, & cum quibusvis Irritantibus Decretis, & talibus, quod eis per quaſvis alias Literas Apoſtolicas, etiam facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo, ad verbum de illorum totali tenore mentionem, aut aliis ſimilis effectus, vel majoris cautelę derogatoriis clauſulis, qualitercunque derogari nequiret, ſive motu proprio, ſive quovis reſpectu, pro quibuſvis Ordinibus, ſeu eorum domibus, & locis in genere, vel in ſpecie emanaſſent, illorum uſus, quantumcunque continuata poſſeſſione nullatenus obſiſtente, caſſavit, revocavit, & annullavit, ac decrevit, nullius eſſe roboris, vel momenti, prout in eiſdem privilegiis, & quibuſdam literis ipſius Caliſti Prędeceſſoris ſuper ſtatuto, & revocatione hujuſmodi confectis, & libris Cancellarię Apoſtolicę, de illius mandato deſcriptis, plenius continetur. Cum autem, ſicut experientia, efficax rerum magiſtra, poſtmodum monſtravit, & Nos ipſi tunc temporis in Minoribus conſtituti, dum Generalatus Ordinis Fratrum Minorum fungebamur (3) officio, vidimus ex ipſius Caliſti Prędeceſſoris literis, & Privilegiorum revocatione, pręter ipſius Caliſti Prędeceſſoris intentum, quamplurima jurgia, lites, diſſenſiones, & ſcandala exorta, varięque appellationes pro eorundem Fratrum parte ad Sedem Apoſtolicam interpoſitę, & querelę delatę fuerint, ac propterea idem Prędeceſſor S. R. E. Vice Cancellario, & in Literarum Apoſtolicarum expeditione ſibi aſſiſtentibus Abbreviatoribus, ne dictarum literarum copiam, cuique traderent, inhibuerit, dubiteturque veriſimiliter, quod niſi literę prędictę Caliſti Prędeceſſoris pręfati revocentur, exinde majora ſint ſcandala proventura; Nos quarumcunque cauſarum, pręmiſſorum occaſione, & dependentium ab eiſdem, tam in Romana Curia, quam extra eam, pendentium, coram quibuſcunque judicibus, tam ordinariis, quam a Sede Apoſtolica, vel alias delegatis, in quarum inſtantia, etiam appellationis, ſtatus, judicum, & collitigantium nomina, & cognomina, dignitates, pręſentibus pro expreſſis habentes, illaſque ad Nos harum ſerie advocantes, & litem penitus extinguentes, ac volentes hujuſmodi contentionibus, diſcordiis, & ſcandalis, quantum poſſumus, obviare, motu proprio, non ad ipſorum Fratrum, vel alterius pro eis Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, ejuſdem Caliſti Prędeceſſoris literas prędictas, & in illis contenta Privilegiorum, conceſſionum, & indultorum hujuſmodi revocationem, & ſi quę deſuper ab aliis Prędeceſſoribus noſtris ejuſdem Caliſti Succeſſoribus, Romanis Pontificibus, approbationes emanarunt, auctoritate Apoſtolica, pręſentium tenore, ex certa noſtra ſcientia, revocamus, caſſamus, irritamus, & annullamus; & de libris, ac regiſtris quibuslibet deleri mandamus, ac Privilegia, conceſſiones, & indulta prędicta, illa omnia qualiacunque ſint, ac ſi de verbo, ad verbum pręſentibus inſererentur pro expreſſis habentes, in ſuum plenum, & priſtinum robur, necnon pręfatos Fratres Mendicantes, quibus conceſſa ſunt, in genere, & in ſpecie, quoad illorum totalem, in pręſentibus, pręteritis, & futuris negotiis, conſequendum effectum, in priſtinum, & eum ſtatum, in quo videlicet erant, antequam literę Caliſti, & revocatio hujuſmodi, quomodolibet emanarent, plenarie reſtituimus, reponimus, & reintegramus, decernentes ea omnia, & ſingula in ſuis prioribus juribus, & efficacia fore, & effectum etiam quoad pręterita, etiam per appellationem pendentia negotia, ſortiri debere in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi pręfatę literę Caliſti Prędeceſſoris, & in illis contenta revocatio prędicta, nullatenus emanaſſent. Necnon irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quocunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contra illa attemptatum forſan eſt hactenus, vel impoſterum contigerit attemptari. Et nihilominus venerabilibus Fratribus noſtris Beſſarioni (4) Sabinen. Minorum, & Guillermo (5) Oſtien. Heremitarum S. Auguſtini, & B. Marię de Monte Carmelo, ac Alano (6) Peneſtrin., Prędicatorum Epiſcopis, Ordinum prędictorum, nunc, & pro tempore exiſtentibus Protectoribus in Romana Curia S. R. E. Cardinalibus, per Apoſtolica ſcripta, mandamus, quatenus, quilibet ipſorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, pręmiſſa, ubi, & quando opus fuerit, ipſique deſuper fuerint requiſiti, ſolenniter publicans, & Ordini ſuę Protectioni commiſſo, ac illius profeſſoribus in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtens, faciat eos pacifica poſſeſſione, vel quaſi, exemptionum, vel privilegiorum prędictorum gaudere, non permittens eos contra illorum, & cujuslibet eorum tenorem per locorum Ordinarios, & Parrochialium Eccleſiarum Rectores, ac quoſcunque alios indebite moleſtari. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis proceſſibus, ſervatis, eos, quotiens opus fuerit, iteratis vicibus aggravare procuret, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus pię memorię Bonifatii Papę VIII, etiam Prędeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, quibus cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, & Dięceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam ad judicium evocetur, ſeu ne judices a Sede Apoſtolica deputati extra Civitatem, & Dięceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, aut alii, vel aliis, vices ſuas committere pręſumant, & de duabus dietis in concilio generali, ac aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus contrariis quibuſcunque, ſeu ſi locorum Ordinariis, & Parrochialium Eccleſiarum rectoribus, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a Sede pręfata indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut ultra, vel extra certa loca, ad judicium evocari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictę Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, hujuſmodi dictis Protectoribus factę commiſſionis explicatio impediri poſſit quomodolibet, vel differri, & de qua, cujuſque toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę advocationis, extinctionis, revocationis, caſſationis, irritationis, annullationis, mandati, reſtitutionis, repoſitionis, rein-

Nota.

Reſcindit ut ſupra.

reintegrationis, decreti, & voluntatis infringere, vel auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli, Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Primo, Septimo Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

H. de Albizia.

L. Griſus.

P. de Chiarri.

H. Jacobi.

A tergo legitur.

Regiſtrata apud me L. Griſum.

1. *Decretalem.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.IX.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur. Legitur etiam *Libro B. fol.*50, & 57, apud *Uſuſmarem pag.*139, *Caſtellanum Parte II pag.*120, *Rodericum in Nova Collectione Privilegior. Apoſtol. pag.*138, in *Conſtitutionibus typis editis an.MDV num. LXXXVI*, in *aliis anni MDVII num.CVII*, & alibi paſſim.
3. *Fungebamur.*) Adeas *Waddingum Annal. Minor.*
4. *Beſſarioni.*) Natione *Græco*, cujus laudes celebrant Auctores quos excipit *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an.MCCCCXXXI pag.*905.
5. *Guillermo.*) *De Eſtonteville*, Gallo, *Rothomagen.* vulgo nuncupato. Conſulendus *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an.MCCCCXXXI pag.*913.
6. *Alano.*) *De Cœtivo*; cujus meminit *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCCXLVII pag.*971. Diploma ab eodem *Alano* hac de re datum legitur *Libro B. fol.*50. Eſt Authenticum ex Autographo *Conſentino*.

Anno 1471 Die 13 Decembris.

Unit Eremitorium S. Antonii de Pranello Conventui Cæſenatenſi (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

VIII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii B. Marię de Monte extra muros Cęſenat., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex petitio.

ROmanum decet Pontificem &c. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Conventus Sancti Dominici Cęſenat. Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, quod propter continuam Epidemię peſtem, quę partes Romandiolę temporibus elapſis ſępius afflixit, multi ex Fratribus dictę domus perierunt, cum non haberent locum aliquem contrarium (3), ad quem temporibus hujuſmodi ſe transferre poſſent, quodque ſi Eremitorium Sancti Antonii de Pranello dictę Dięceſis, quod, ut ab aliquibus aſſeritur, de Jure Patronatus laicorum exiſtit, eidem Domui perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ipſi Prior, & Conventus ad illum temporibus eiſdem ſe transferre valerent, ac in ſuis neceſſitatibus, aliquod ſuſciperent relevamen. Quare pro parte dictorum Prioris, & Conventus aſſerentium, quod modernus Eremita dicti Monaſterii illud dimittere paratus eſt, quodque fructus, redditus, & proventus dicti Eremitorii nulli, exceptis illius domo, & horto, exiſtunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Eremitorium prędictum cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem domui perpetuo unire, annectere, & incorporare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, vocatis quorum intereſt, de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per eandem informationem ita eſſe repereris, Eremitorium prędictum cum omnibus juribus, & pertinentiis ſupradictis eidem domui, dummodo ipſorum patronorum, ſi qui ſint, ad hujuſmodi expreſſus accedat aſſenſus, auctoritate noſtra perpetuo unias, incorpores, & annectas, ita, quod, cedente, vel decedente moderno ipſius Eremitorii Eremita, vel illud alias quomodolibet dimittente, liceat ipſis Priori, & Conventui Eremitorii, horti, & domus hujuſmodi, ac omnium jurium, & pertinen. prędictorum corporalem poſſeſſionem per ſe, vel alios, auctoritate propria apprehendere, & perpetuo pro eorum uſu, & habitatione retinere, Dięceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac privilegiis, indulgentiis, ac literis Apoſtolicis, generalibus, & ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectua earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Proviſo, quod propter unionem, annexionem, & incorporationem prędictas, ſi illę vigore pręſentium fiant, & effectum ſortiantur, Eremitorium prędictum debitis non fraudetur obſequiis, ſed ejus congrue ſupportentur onera conſueta. Nos enim ex tunc irritum decernimus, & inane &c. contigerit attentari. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Primo, Idibus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Unit ut ſupra.

1. *Caſenaten.*) Vulgo *Ceſena*, in *Romandiola*, Provincia Status Eccleſiaſtici.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. VI fol.* 200.
3. *Contrarium.*) Fortaſſis *Conterminum*, vel potius *commodum*, *convenientem*, aut *alium*.

F. Bla-

F. Blaſius de Bonis (1) Inquiſitor creatur. Anno 1471 ....

Ex Archivo (2) Ordinis.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Blaſio de Bonis Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, in Theologia Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. IX.

Conſiderantes tuę circunſpectionis induſtriam, in multis arduis ſępius approbatam, ac alia grandia virtutum inſignia, quibus perſonam tuam bonorum dator Altiſſimus decoravit, ea, quę gravis ſunt ponderis tuę fiducialiter curę committimus, ſperantes firmiter, quin potius pro certo tenentes, quod ad illa efficaciter exequenda ferventer intendas, intentum animi dirigas, & operoſę ſolicitudinis ſtudio perſequaris. Hinc eſt, quod Nos, qui deſideramus, & in votis gerimus, ut fides catholica noſtris proſperetur temporibus, & pravitas perverſorum hominum ibidem vigentium de finibus fidelium extirpetur, circa extirpationem eandem ſalubriter, & utiliter providere intendentes, te, qui, ut aſſeritur, Inquiſitor hęreticę pravitatis, auctoritate Sedis Apoſtolice deputatus exiſtis, cum omnibus, & ſingulis immunitatibus, privilegiis, gratiis, & libertatibus, Inquiſitoribus dictę pravitatis jure, vel conſuetudine hactenus conceſſis, in cauſis hęreſum Inquiſitorem facimus, conſtituimus, & etiam deputamus, dantes, & concedentes contra dictę hęreticę pravitatis credentes, receptores, fautores, & defenſores eorum, tam eccleſiaſticos, quam ſeculares utriuſque ſexus perſonas, exemptas, & non exemptas, cujuſcunque etiam dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant, necnon infamatos, vel ſuſpectos de hęreſi, aut erroribus prędictis, procedendi, ac officium inquiſitoris tibi commiſſum exequendi juxta canonicas ſanctiones, necnon alia faciendi, quę de jure, vel conſuetudine Inquiſitores pravitatis prędictę quomodolibet facere conſueverunt, ſeu etiam potuerunt, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium concedimus facultatem. Per conceſſionem autem hujuſmodi non intendimus poteſtati, ac juriſdictioni aliorum Inquiſitorum a Nobis, vel aliis ad hoc auctoritatem habentibus deputatorum, in aliquo derogare. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Primo...... (3)

1. *De Bonis.*) Sic cognominatur *Blaſius* hoc in Diplomate, nec ex ipſo diſcimus, ubinam Fidei Quæſitor fuerit. Cujuſdam *Blaſii de Berta* Inquiſitoris *Montis Regalis*, qui per id tempus floruit, meminit *Fontana Theatro Dominicano Parte III de Miniſtris S. Inquiſit. Cap. III Tit. LX pag. 599.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico.*

3. *Septuageſimo Primo.....*) Dies, & Annus Pontificatus deſunt.

F. Victor Rufi, in Theologia Magiſter, fit Inquiſitor Gebennenſis. Conſtitutio ſic incipit. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Victori Rufi, Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, in Theologia Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Conſiderantes &c. in Diœceſi Gebennen. &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Primo* (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCLXXII) *Quarto Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. IV fol.* 239. Anno 1472 Die 29 Januarii. X.

F. Claudius Rufi, in Theologia Magiſter, Inquiſitor Lauſanenſis renunciatur. Conſtitutio ſic incipit: *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Claudio Rufi Ordinis Prædicatorum Profeſſori, in Theologia Magiſtro, in Diœceſi Lauſanen. hæreticæ pravitatis Inquiſitori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Conſiderantes &c. in Diœceſi Lauſanen &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Primo* (Stylo Bullarum, æræ vero communis MCCCCLXXII) *Quarto Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. IV fol.* 239. Anno 1472 Die 29 Januarii. XI.

F. Petrus Cordrati, Bituricenſis Inquiſitor creatur. Conſtitutio ſic incipit: *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Cordrati, Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, Magiſtro in Theologia, & dilecti filii noſtri nobilis viri Johannis Borbonii, & Alverniæ Ducis Confeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Conſiderantes &c. In Provincia Bituricen. &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Septimo* (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCLXXVIII) *Kalendis Februarii, Pontificatus noſtri Anno Septimo*. Ex Archivo Apoſtolico *Libro CXXIII fol.* 270. Anno 1478 Die 1 Februarii. XII.

Fio-

Anno 1471 Die 16 Januarii.

Florentinas Sorores de Pœnitentia nuncupatas Privilegio donat.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XIII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus univerſis mulieribus Congregationis Sanctę Catharinę de Senis (2) nuncupatę in Eccleſia Sanctę Marię Novellę Florentin. (3) Ordinis Fratrum Prędicatorum impręſentiarum exiſtentibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

EXigit veſtra ſinceritas, & pura devotio &c. (4) Dudum ſiquidem felicis recordationis Paulus PP. Secundus, Prędeceſſor noſter veſtris ſupplicationibus inclinatus, vobis tunc pręſentibus, ut idoneum ſecularem, vel regularem in veſtrum poſſetis eligere Confeſſorem, qui Confeſſionibus veſtris auditis diligenter pro commiſſis per vos criminibus, exceſſibus, & peccatis, etiam in ſingulis Sedi Apoſtolicę reſervatis caſibus, aliquibus ex eis tunc expreſſis exceptis, ſemel duntaxat debitam vobis abſolutionem in forma Eccleſię conſueta impendere, & pęnitentiam ſalutarem injungere valeret, & inſuper quod Confeſſor prędictus, vel alius, quem duxeritis eligendum, omnium peccatorum veſtrorum, de quibus corde contritę, & ore confeſſę eſſetis, etiam ſemel duntaxat, in mortis articulo plenam remiſſionem vobis in ſinceritate fidei, unitate Sanctę Romanę Eccleſię, ac obedientia, & devotione noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium perſiſtentibus, impenderet, per ſuas literas Apoſtolica auctoritate indulſit, prout in illis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, nonnullę ex vobis poſt conceſſionem prędictam zelo devotionis accenſę Congregationem hujuſmodi ingreſſę ſunt, Nos veſtris devotis ſupplicationibus inclinati, literas, & indultum Pauli Prędeceſſoris hujuſmodi cum omnibus, & ſingulis in eis contentis clauſulis, ad omnes, & ſingulas mulieres, quę poſt hujuſmodi indultum Congregationem veſtram, ut pręfertur, ingreſſę de pręſenti ſunt, Auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, extendimus, & ampliamus. Nulli ergo &c. noſtrę extenſionis, & ampliationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Primo (5), Decimo Septimo Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Privilegia.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Arch. Apoſtolico Libro V fol.* 47.
2. *Congregationis S. Catharinæ de Senis.*) Sic pluribus in locis vocantur Sorores *de Pœnitentia*, ſeu Tertii Ordinis, cui nomen dederat virgo Sanctiſſima *Catharina Senenſis*.
3. *Florentin.*) In *Hetruria*.
4. *Devotio &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
5. *Septuageſimo Primo.*) Stylo Bullarum, ęra communis MCCCCLXXII. Ex hoc autem Diplomate, aliiſque variis Conſtitutionibus hic tranſcribendis liquet *Sixtum IV*, non ſecus, ac Prædeceſſores, & Succeſſores ſuos in *Bullis* anni initium duxiſſe ab Incarnationis die *XXV* Martii.

Anno 1472 Die 23 Januarii.

Cœnobii S. Onuphrii (1) fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XIV.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Jacobo Exare, & Berengario Clavel., ac Martino Eneygo, Canonicis Eccleſię Valentin. (3). Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

MEruit Sacrę Religionis, ſub qua dilecti filii Vicarius Generalis, & Fratres Ordinis Fratrum Prędicatorum de obſervantia nuncupatorum Provincię Aragonię ſub humilitatis ſpiritu, & voluntaria paupertate exhibent Altiſſimo famulatum, profeſſio, ut votis eorum in his pręſertim, quę Ordinis pręfati propagationem, & animarum ſalutem, concernunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Sane pro parte dilectorum filiorum Vicarii prędicti, ac Conventuum etiam Reformatorum ejuſdem Ordinis pręfatę Provincię Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ipſi cupientes eorum exemplari vita incolas loci de Muſeros (4), Valentin. Diœceſis, qui ad ipſos Fratres gerunt ſpecialem devotionis affectum, ad melioris vitę frugem adducere, ac eis uberes fructus pro animarum ipſorum ſalute afferre pariter, & illorum ad ipſos Fratres devotioni hujuſmodi pro poſſe ſatisfacere, quandam Capellam, ſeu Eccleſiam, Eremitorium nuncupatam, ſub invocatione Sancti Honofrii (5), quę in termino, & infra Parochiam Parochialis Eccleſię pręfati loci fundata exiſtit, ac in titulum perpetui Beneficii Eccleſiaſtici alicui dari non conſuevit, & nullos habet fructus, redditus, & proventus, ac per dilectum filium Nobilem Virum Franciſcum Georgii Menaguerra (6), Militem Valentin. in cujus poſſeſſionibus, ſeu dominio, pręfata Capella, ſive Eccleſia conſiſtit, Vicario, Conventui, ac Reformatoribus prędictis oblatam libenter reciperent, & illam in domum dicti Ordinis erigi, ibique locum opportunum pro habitatione Fratrum dicti Ordinis pro tempore exiſtentium conſtruere, & ędificare deſiderant, ſi eis ſuper hoc licentia Sedis Apoſtolicę ſuffragetur. Quare pro parte Vicarii, ac Franciſci prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Capellam, ſive Eccleſiam Eremitorium nuncupatam, hujuſmodi in Domum Ordinis prędicti per Priorem, & aliquos ipſius obſervantię Fratres in ea Altiſſimo famulari, & habitare volentes, juxta eorum ritus, mores, & regularia inſtituta, perpetuis futuris temporibus tenendam, regendam, & gubernandam, erigendi, & conſtruendi, ac inibi perpetuo inhabitandi licentiam, & facultatem, necnon domum ipſam ſic erectam dicto Ordini perpetuo concedere, donare, & ampliare, ac alias ſuper his opportune

Supplex petitio.

pro-

providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus augmentum, & Religionis propagationem intenſis deſideriis affectamus, ac de pręmiſſis certam notitiam non habentes, eorundem Vicarii, ac Franciſci ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios, ſi eſt ita, Vicario, Conventibus, & reformatoribus prędictis, ut Capellam, ſive Eccleſiam, Eremitorium nuncupatam, hujuſmodi recipere, & illam, ſine cujuſcunque prejudicio in domum obſervantię regularis Ordinis prędicti per Priorem, & aliquos Fratres dictę obſervantię juxta ipſorum inſtituta regularia hujuſmodi regendam, gubernandam, & perpetuo inhabitandam erigere, & inibi locum, & manſionem congruentem cum humili campanili, campana, ac clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione dictorum Fratrum ędificare, & conſtruere poſſint, licentiam, & facultatem largiri, domumque ipſam Priori, & Fratribus, ac Ordini prędictis, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, concedere, donare, & applicare, ita, quod Prior, & Fratres prędicti, qui ipſam domum, poſtquam erecta fuerit, ut pręfertur, pro tempore inhabitabunt, ſint ſub cura, regimine, & protectione Magiſtri Generalis dicti Ordinis, & nullus alius de illis ſe intromittere poſſit, auctoritate noſtra procures, jure dictę Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nos enim ſi licentiam hujuſmodi per vos, vel alterum veſtrum largiri vigore pręſentium contigerit, ut pręfertur, Priori, & Fratribus prędictis, qui domum ipſam pro tempore inhabitabunt, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, exemptionibus, indultis, & gratiis, aliis Fratribus dicti Ordinis conceſſis, & quibus illi potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, gaudere libere, & licite poſſint, ac debeant, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium de ſpecialis dono gratię indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. Octavi Prędeceſſoris noſtri prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua Civitate, caſtro, vel villa, ſeu alio loco, domos, vel loca &c., ac aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, necnon dicti Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus &c. quibuſcunque. Datum Romę apud S.Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo primo (7), Decimo Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *S. Onuphrii.*) Juris eſt Provincialis *Aragonię*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar unum ex *Archivo Apoſtolico Libro XX fol.* 54, aliud Authenticum ex Archivo Cœnobii S. *Onuphrii*. Iſtud legitur *Lib. B. fol.* 483.
3. *Valentin.*) In ejuſdem nominis *Hiſpanię* Regni Metropoli.
4. *Muſeros.*) Duabus leucis diſtat ab Urbe *Valentina*.
5. *S. Honofrii.*) *Onuphrii*, & *Honophrii*.
6. *Menaguerra.*) Adeas *Franciſcum Diago Libro II De Provincia Aragonię Cap. XCVIII pag.* 282 *&c.* ubi laudibus ornat *Franciſcum Georgium Menaguerra*, & Cœnobii *S. Onuphrii* fundationem deſcribit.
7. *Septuageſimo Primo.*) Stylo Bullarum, ęrę communis *MCCCCLXXII*.

Caſalenſis (1) Monaſterii fundandi facultas.

Anno 1472 Die 31 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XV.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Pręposito Eccleſię Sancti Evaſii de Caſali, Vercellen. (3) Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

INter univerſa opera divinę beneplacita Majeſtati fundare Cœnobium &c. (4). Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Guillermi (5) Marchionis (6) Montisferrati Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ipſe & nonnullę mulieres quę mundanis illecebris, & mortalis viri toro propulſis uni viro Chriſto Jeſu pręfato voto celebri cupiunt deſponſari, & ſub regula Sancti Auguſtini, ac cura, & habitu, & ſecundum Inſtituta Ordinis Fratrum Prędicatorum divinis vacare beneplacitis, earum pium propoſitum hujuſmodi poſſint ad laudem divini Nominis adimplere, unum Monaſterium Sororum dicti Ordinis in Caſtro Caſali, Vercellen. Diœceſis, ſuo temporali Dominio ſubjecto, in quo reſidere ſolitus eſt, in loco ad hoc commodo, & decenti, ſub invocatione Sanctę Catharinę de Senis de novo fundare, & competentibus redditibus pro decenti inibi ſuſtentatione unius Prioriſſę, & aliquarum Monialium dicti Ordinis Sancti Auguſtini in numero ſufficienti inibi ponendarum, dotare proponit de bonis ſibi a Deo collatis pro ſuę, ac progenitorum ſuorum animarum ſalute, ſi eis ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam licentia concedatur. Quare pro parte dicti Marchionis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ei licentiam hujuſmodi concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ejuſdem Marchionis propoſitum hujuſmodi plurimum in Domino, cui placitum eſt, commendantes, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi eidem Marchioni conſtrui, & ędificari faciendi unum Monaſterium Monialium Ordinis Sancti Auguſtini ſub cura, habitu, & ſecundum Inſtituta Ordinis Fratrum Prędicatorum viventium in dicto Caſtro, in loco tamen commodo, decenti, & honeſto, cum Oratorio, ſive Eccleſia, campanili humili, campana, cemeterio pro tumulandis cadaveribus Monialium illius duntaxat, dormitorio, refectorio, Clauſtro, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis, licentiam concedere, illudque, poſtquam per eundem Marchionem competentibus redditibus, ad ſuſtentationem Prioriſſę & Monialium in numero condecenti dotatum fuerit, in Monaſterium Monialium dicti Ordinis Sancti Auguſtini ſub habitu, cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Prędicatorum viventium, & ſub invocatione prędicta pro una Prioriſſa, & aliquibus Monialibus, quę inibi divinis vacare debeant beneplacitis, erigere, auctoritate noſtra procures; jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per te concedi, & Monaſterium pręfatum erigi contigerit, eidem Monaſterio & illius Prioriſſę pro tempore & Conventui, ut omnibus, & ſingulis privilegiis Monaſteriis Monialium dicti Ordinis, & illarum Prioriſſis, ac Conventibus in

Facultas.

Supplex petitio Marchionis Montisferrati.

Facultas.

in genere conceſſis, & concedendis, & quibus potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictorum Ordinum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Primo (7), Pridie Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Caſalenſis.*) In *Italiæ* Ducatu *Montisferrati*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XI fol. 276.*
3. *Vercellen.*) Nunc Epiſcopalis Sedes eſt Urbs *Caſalenſis*, ut alibi notatum fuit.
4. *Cœnobium &c.*) Exordium deeſt.
5. *Guillermi.*) Hujus nominis *VII.*
6. *Marchionis.*) Ducatus nomine poſtea fuit inſignita ditio *Caſalenſis*.
7. *Septuageſimo Primo.*) Stylo Bullarum æræ communis *MCCCCLXXII.*

Anno 1472 Die 10 Martii.

Moniales Monaſterii Raguſini (1) veniant in poſſeſſionem fundationis a Nuy de Sorgo factæ.

XVI.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Blaſio Epiſcopo Marchanen. (3), in Civitate Raguſin. commoranti, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

BEnigne petitiones illas ad gratiam exauditionis admittimus &c (4). Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Monialium Sanctę Marię de Angelis Raguſin., Ordinis S. Auguſtini, ſub habitu, cura, & ſecundum inſtituta Fratrum Prędicatorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod fructus, redditus, & proventus dicti Monaſterii ſunt adeo tenues & exiles, utpote centum & ſexaginta Florenorum auri de camera ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedentes, quod Prioriſſa, & Conventus prefatę ex eis ſe ſuſtentare, & onera eis incumbentia perferre commode nequeunt, quodque ſi pia voluntas quondam Nuy de Sorgo, civis Raguſin., qui condens de bonis ſuis in ejus ultima voluntate teſtamentum inter alia voluit, quod ex fructibus, & redditibus cujuſdam poſſeſſionis ſuę tunc expreſſę, ſitę in loco qui dicitur Tualſo, extra Muros Raguſin., aſcendentibus ad valorem annuum florenorum quinquaginta, vel circa, daretur certa portio uni Sacerdoti, qui celebraret Miſſam in quadam Capella ſine Cura, ſita in dicta poſſeſſione, & fierent quatuor prandia perſonis quorundam Monaſteriorum tunc expreſſorum, & aliis pauperibus, prout in dicto teſtamento plenius dicitur contineri, in piam ſuſtentationem Prioriſſę, & Monialium prędictarum, & onerum eis incumbentium commutaretur, dictaque poſſeſſio, & illius fructus, quos in prędictas cauſas teſtator converti voluit, eidem Monaſterio in perpetuum concederetur, ita tamen quod Prioriſſa, & Conventus prefatę teneantur eaſdem Miſſas, quas teſtator in dicta Capella celebrari mandavit, in Eccleſia, ſive Capella dicti Monaſterii facere celebrari, profecto Prioriſſę & Monialium earundem neceſſitatibus opportune conſuleretur, animaque dicti teſtatoris exinde pro ejus ſalute non minora ſuffragia conſequeretur, quam ex ſua ordinatione prędicta. Quare pro parte Prioriſſę & Conventus prędictarum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut piam voluntatem teſtatoris prefati in hujuſmodi piam ſuſtentationem, & onerum dicti Monaſterii ſupportationem convertere, dictamque poſſeſſionem eidem Monaſterio dari, & concedi, ac perpetuo applicari, mandare, aliaſque eis in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de premiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi, necnon dilectorum filiorum Communitatis Raguſin. Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantium, ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam de premiſſis tibi legitime conſtiterit, de conſenſu quorum intereſt, piam voluntatem teſtatoris prefati in pium opus ſuſtentationis Prioriſſę, & Conventus prędictarum, ac ſupportationis onerum eorundem, ita tamen quod Prioriſſa & Conventus *prędictę* tot Miſſas in eccleſia Monaſterii prefati celebrari facere teneantur perpetuis futuris temporibus quot Teſtator prefatus in Capella prędicta celebrari debere ordinavit, auctoritate noſtra commutes, dictamque poſſeſſionem prefato Monaſterio eadem auctoritate applices, & appropries, non obſtantibus teſtamento prędicto, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Primo (5), Sexto Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mandatum.

1. *Raguſini.*) In ejuſdem nominis Reipublicæ Metropoli. eſt ſub Archiepiſcopo *Raguſino*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XX fol. 87.*
3. *Marchanen.*) *Mercanen.*, in *Dalmatia*. Epiſcopatus
4. *Admittimus &c.*) Exordium deeſt.
5. *Septuageſimo Primo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLXXII.*

Cu-

Curæ Vicarii Lombardiæ Conventum Civitatis Theatin. (1) committit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Vicario Ordinis Fratrum S. Dominici de Obſervantia Provincię Lombardię.

Anno 1472 Die 12 Martii.

SIXTUS PP. IV.

XVII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

FEcerunt nobis exponi dilecti filii Communitas, & homines Civitatis Theatinen., quemadmodum Fratres obſervantes Ordinis Prędicatorum de dicta civitate jam annis quatuordecim per Vicarium dicti Ordinis de Leboriis (3), quę vulgariter Terra laborum appellatur, gubernati fuerunt. Qui quidem Vicarius cum multorum aliorum locorum, ſicut intelleximus, curam ſuſceperit, in eiſque ſatis occupetur, & propterea gubernationi Conventus dictę Civitatis renunciaverit, tanquam quod illi vacare non poſſit; ideo communitas, & homines pręfati ſupplicarunt Nobis humiliter, quatenus eorum circa hoc neceſſitati, & conſolationi, animarumque ſaluti, & quieti dignaremur paternę caritatis diligentia conſulere. Epropter Nos, hujuſmodi honeſtis, ac piis ſupplicationibus annuentes, cupienteſque, ut eccleſiaſticis locis in omnibus, maxime tamen in ſpiritualibus, opportune provideatur; devotioni tuę de qua ſpecialius in Domino confidimus, per prę ſentes committimus, & mandamus, ut curam, & gubernationem Conventus, & Fratrum prędictorum auctoritate noſtra ſuſcipiens (4) ei de idoneis, & ſufficientibus Religioſis, quibus indigere aſſeritur, probatę tamen vitę, ſubvenire, & providere, aliaque ibidem, ſervatis conſuetudinibus legitimis & ſtatutis veſtrę Religionis ſecundum Deum opportuna facere, & inſtituere ſolerti vigilantia ſtudeas, ut in dies magis divinus cultus, & Ordo ipſe per te, auctore Domino, incrementa ſuſcipiant, ſuper quo tibi facultatem concedimus; Ex hoc enim bono opere, dilecte fili, gratiam a munerum largitore, benignitatem ab hac Apoſtolica Sede, ac commendationem ab hominibus promereberis. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XII Martii MCCCCLXXII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mandatum.

Jo. An. Alerienſis.

1. *Theatin.*) *Teatia.*, vulgo *Chieti*, in *Aprutio*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum in *Bullario Brixien. pag.* 30, ex Autographo *Brixienſi*.
3. *De Leboriis.*) *Laboriis*, vulgo *Terra di Lavoro*. Sic vocantur *Laboriæ*, ſeu *Laborini Campi*. Provincia eſt Regni *Neapolitani*. Olim *Campania felix*.
4. *Suſcipiens.*) Provincialis *Aprutinæ* Provinciæ nunc juris eſt *Theatinum* Cœnobium.

Ne Frater, qui Marchioniſſæ Finarii (1) a confeſſionibus erit, ex uno ad aliud Cœnobium transferatur (2).

Anno 1472 Die 14 Martii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectę in Chriſto filię nobili mulieri Veſcontinę de Careto (4) Marchioniſſę Finarii, relictę quondam nobilis viri Johannis de Careto Marchionis Finarii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XVIII.

Diplomatis cauſa.

EXigit tuę devotionis ſinceritas &c. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte tua, petitio continebat, tu, quę, ut aſſeris, ad Ordinem Fratrum Prędicatorum de obſervantia ſingularem geris devotionis affectum, aliquem Fratrem Domus Sanctę Catherinę de Finario dicti Ordinis, Savonen. Diœceſis, qui ſub Vicario Congregationis Lombardię Ordinis, & obſervantię prędictorum fore dignoſcitur, in tuum hactenus conſueveris eligere confeſſorem, &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, contingat plerumque, quod per te taliter electus a dicta Domo Sanctę Catherinę per ſuperiores ſuos pro ipſorum libito voluntatis amoveatur, & ad alia loca dicti Ordinis transferatur, tuque propterea novos Confeſſores mutare coacta ſis, non ſine magna animi tui moleſtia, & perturbatione, pro parte tua, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi, quod Frater dictę Congregationis, quem Confeſſorem tuum pro tempore duxeris eligendum, ab eadem domo abſque licentia noſtra amoveri nequeat, concedere, & ſtatuere, & decernere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, quod unum ex Fratribus dictę Congregationis, alias tamen probatę vitę, & Religionis, quem ad id voluntarium inveneris, in tuum poſſis eligere Confeſſorem, tibi auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus pariter, & indulgemus; ſtatuentes quod Frater per te taliter electus in pręfata domo reſidentiam facturus per ſuperiores prędictos abſque licentia noſtra ſpeciali ab eadem domo amoveri nequeat. Non obſtantibus &c. quibuſcunque Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Primo (5), Pridie Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mandatum.

1. *Finarii.*) Vulgo *Finale*, in ora occidentali *Genuenſi*, inter *Savonam* ad ortum, & *Albengam* ad occaſum.
2. *Transferatur.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Arch. Apoſtolico Libro XIX fol.* 142. *Bull. O.P. Tom. III.*
4. *Careto.*) Aliis *Carreto*. Gens illuſtris, de qua conſulendus *Sanſovinus de Familiis Italiæ*.
5. *Septuageſimo Primo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLXXII*.

Anno 1472
Die 10 Julii.

Conſtantienſis (1) Diœceſis Sororibus de Pœnitentia nuncupatis puellas in numerum Sororum recipiendi, libera ſit facultas.

XIX.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſis, & Sororibus, de Pęnitentia nuncupatis, omnium, & ſingularum domorum in Dięceſi Conſtantien., Maguntin. Provincię conſiſtentium, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrę Religionis, ſub qua devotum, & ſedulum exhibetis Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut veſtris juſtis, & honeſtis votis, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte veſtra, petitio continebat, a pluribus annis in Dięceſi Conſtantien. Maguntin. Provincię quędam abuſio inoleverit, videlicet, nonnulli nobiles, laicales perſonę, quantum in eis eſt, obvient, ac prohibere nitantur, ne in domibus veſtris prędictę Dięceſis puelię ibidem Altiſſimo famulari cupientes, recipiantur, ad hoc, ut veriſimiliter creditur, quod defunctis antiquis Sororibus, tandem ipſarum veſtrarum domorum dictę laicales perſonę bona recipiant, uſurpent, & in ſuos uſus convertant. Nos igitur, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, & cuilibet veſtrum, quod puellas in dictis veſtris Domibus Altiſſimo famulari cupientes, uſque ad ſufficientem numerum, juxta fructuum ipſarum Domorum quantitatem recipere, eiſque habitum per Sorores earundem domorum geſtari ſolitum exhibere, ac ab ipſis, ut moris eſt, profeſſionem regularem recipere, & admittere, abſque alicujus temporalis pęnę incurſu libere, & licite valeatis, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium indulgemus. Non obſtantibus prohibitionibus prędictis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Secundo, Sexto Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Diplomatis cauſa.

Facultas.

1. *Conſtantien.*) In *Suevia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XX fol.* 143.

Anno 1472
Die 10 Julii.

Conſervatores creat, qui præcedens Diploma, ſervandum curent.

XX.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Sancti Johannis, & Sancti Stephani Conſtantien. (2) Eccleſiarum Prępoſitis, ac officiali Conſtantien, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſis, & Sororibus, de Pęnitentia nuncupatis, omnium, & ſingularum domorum in Dięceſi Conſtantien. Provincię Maguntin. (3) conſiſtentium, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentibus, quod puellas in dictis domibus Altiſſimo famulari cupientes uſque ad ſufficientem numerum juxta fructuum ipſarum domorum quantitatem recipere, eiſque habitum, per Sorores earundem domorum geſtari ſolitum, exhibere, & ab ipſis, ut moris eſt, profeſſionem regularem recipere, libere, & licite valerent, gratioſe indulſimus, prout in noſtris inde confectis literis (4) plenius continetur, quo circa diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam dictę literę vobis pręſentatę fuerint, per vos, vel alium, ſeu alios, Prioriſſis, & Sororibus prędictis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciatis eas Indulto hujuſmodi pacifice frui, atque gaudere, non permittentes eas, per quemquam contra tenorem dicti induiti quomodolibet moleſtari. Non obſtantibus omnibus, quę in dictis literis voluimus non obſtare, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim, ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Secundo, Sexto Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mandatum.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XX fol.* 143.
2. *Conſtantien.*) In *Suevia*.
3. *Maguntin.*) In *Germania*.
4. *Literis.*) Præcedentibus.

De quibuſdam legatis Savillianenſi (1) Cœnobio.

Anno 1472 Die 24 Septembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Pręposito Eccleſię Alben. (3), & Vicario venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Montiſregalis (4) in ſpiritualibus Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXI.

Diplomatis cauſa.

SUa Nobis dilecti filii Prior, & Fratres Domus S. Dominiei de Savillano, Ordinis Pędicatorum, Taurinenſis (5) Dięceſis, petitione monſtrarunt, quod eum olim Vautherius Vaca de Salutiis, laicus ejuſdem Dięceſis, ſuper quibuſdam pecuniarum ſummis, & rebus aliis ipſis Priori, & Fratribus in eleemoſynam pręrogatis, injuriaretur eiſdem, Prior, & Fratres pędicti Apoſtolicas ſuper hoc ad Priorem Prioratus S. Andreę etiam de Savillano ejuſdem Dięceſis, ejus proprio nomine non expreſſo, & quoſdam alios ipſius in ea parte collegas, in communi forma, literas impetrarunt contra dictum Vautherium, qui tempore impetrationis dictarum literarum, & etiam tunc Priori, & Fratribus pędictis ſuper quibuſdam pecuniarum ſummis, & rebus aliis tunc expreſſis, ut pręfertur, in eleemoſynam pręrogatis injuriabatur, ſuper hoc petendo, eum condemnari, & compelli ad ſolvendum pecuniarum ſummas, ac dandum ſibi res alias hujuſmodi, coram moderno Priore dicti Prioratus, pręfatis ſuis Collegis cognitioni cauſę hujuſmodi intereſſe nequeuntibus, vel ſe ſuper hoc legitime excuſantibus, literarum earundem vigore traxerunt in cauſam, & idem Prior Prioratus in illa rite procedens diffinitivam pro Priore Domus, & Fratribus pędictis, & contra Vautherium pręfatum, ſententiam promulgavit, a qua dictus Vautherius, illam iniquam fore falſo aſſerens, ad Sedem Apoſtolicam appellavit, & ſuper appellatione hujuſmodi Apoſtolicas ad Priorem Prioratus Sancti Petri de Pagno extra muros Salutiarum dictę Dięceſis, ſimiliter proprio nomine non expreſſo, & quoſdam alios ipſius in ea parte collegas, literas impetravit, dictoſque Priorem domus, & Fratres, coram moderno Priore dicti Prioratus S. Petri, cui, ut dicebat, ejus collegę pędicti ſuper hoc commiſerunt vices ſuas, literarum, & commiſſionis earundem pretextu fecit in cauſa dictę appellationis ad judicium evocari. Et quia idem Prior S. Petri, in cauſa hujuſmodi perperam procedens poſſeſſionem, & ſententiam dicti Prioris Prioratus S. Andreę ex quibuſdam falſis cauſis tunc expreſſis, nullas fuiſſe per ſuam ſententiam declaravit, in quam pro parte Prioris domus, & Fratrum pędictorum ſentienſium ex hoc indebite ſe gravari ad Sedem Apoſtolicam extitit appellatum. Quocirca, cum Prior domus, & Fratres pędicti, ſicut aſſerunt, potentiam ipſius Vautherii merito perhorreſcentes, eum intra Civitatem Taurinenſem, ſeu ejus Dięceſim pędictam nequeant convenire ſecure, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes, quod decreveritis per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellatis veritati teſtimonium perhibere. Quod ſi non ambo his exequendis potueritis intereſſe, alter veſtrum ea nihilominus exequatur. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Secundo, Octavo Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Mandatum.

1. *Savillianenſi.*) Vulgo *Savigliano*, in *Pedemontio*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum *Lib. B. fol.* 344, ex Autographo *Savillianenſi*.
3. *Alben.*) In Ducatu *Montiſferrati*.
4. *Montis Regalis.*) Vulgo *Mondovi*, in *Pedemontio*.
5. *Taurinen.*) Metropolis eſt Principatus *Pedemontani*.

Giennenſis (1) Monaſterii fundandi facultas.

Anno 1473 Die 9 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Officiali Giennen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXII.

Supplex petitio.

PIis ſupplicum votis &c. (3) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectę in Chriſto filię Marię de Soto mulieris Giennen., petitio continebat, quod ipſa zelo devotionis accenſa, pro religionis propagatione, & divini cultus augmento in Civitate Giennen. in loco ad id congruo, & honeſto, unam domum Sororum Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Pędicatorum, de obſervantia nuncupatorum, ſub vocabulo B. Marię de Valſerinoſo, pro aliquarum Sororum dicti Ordinis, quę inibi juxta regularia pędicti Ordinis inſtituta virtutum Domino famularentur, uſu, & habitatione, ac in ea unam Capellam, in qua divina officia celebrari, & eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrari poſſint, de bonis ſibi a Deo collatis, aliorumque Chriſti fidelium opere, & ſuffragio, conſtruere, & erigere, ſeu conſtrui, & erigi facere, ſummopere deſiderat, ac eidem domui quadraginta fanecas triticia (4) ſingulis annis erogare intendit, dummodo ei Apoſtolicę Sedis ſuper hoc tribuatur auctoritas. Quare pro parte ejuſdem Marię Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi in dicta civitate, in loco ad hoc congruo, & honeſto, unam domum Sororum Ordinis, & obſervantię pędictorum, ſub vocabulo ejuſdem Beatę Marię, pro uſu, & habitatione ipſarum Sororum, cum campana, campanili humili, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, necnon in ea unam Capellam conſtruendi, & erigendi, ſeu conſtrui, & erigi faciendi, ac eiſdem Sororibus illam recipiendi, & eam inhabitandi, licen-

licentiam, & facultatem concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divinum cultum ubique vigere, & augeri noſtris potiſſime
Facultas. temporibus affectamus, ipſius Marię pium, & laudabile propoſitum in hac parte plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, pręfatę Marię abſque alicujus pręjudicio in dicta civitate in loco ad id congruo, & honeſto unam domum Sororum Ordinis, & obſervantię eorundem ſub vocabulo Beatę Marię pro uſu, & habitatione ipſarum Sororum cum campana, campanili humili, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, necnon unam Capellam, in qua divina officia celebrari, & Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrari poſſint, conſtruendi, & erigendi, ſeu conſtrui, & erigi faciendi, ac eiſdem Sororibus illam recipiendi, ac eam inhabitandi, plenam, & liberam licentiam, & facultatem, auctoritate noſtra concedas, & nihilominus eadem auctoritate perpetuo ſtatuas, & ordines, quod in ipſa domo, poſtquam, ut pręmittitur, erecta, ſeu conſtructa fuerit, nulla Neophyta, ſeu Baſtarda (5), in Sororem recipi poſſit, Nos enim Sororibus in dicta domo pro tempore moraturis, quod omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis, gratiis, & libertatibus ejuſdem Ordinis, ac illius conventibus per Sedem prędictam quomodolibet conceſſis, uti, & gaudere libere, & licite valeant, auctoritate prędicta tenore pręſentium indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. Octavi Prędeceſſoris noſtri, prohibente ne quivis Ordinis mendicantium Fratres in aliqua Civitate, caſtro, vel villa, ſeu quovis alio loco ad habitandum domos, vel loca de novo recipere, ſeu hactenus recepta mutare pręſumant, abſque Sedis ejuſdem licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Secundo (6), Quinto Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Giennen.*) Vulgo Jaen, in *Hiſpania Betica*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXII fol.* 116.
3. *Votis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Fanecas triti a.*) Corruptas voces crediderim. Fortaſſis: *Saumas* (ut tunc loquebantur, & ſæpe dictum fuit) tritici.
5. *Baſtarda.*) Seu *Notha*.
6. *Septuageſimo Secundo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLXXIII*.

Anno 1473 Die 12 Januarii.

De confirmanda ſententia, quam Provinciæ Franciæ *Prior* adverſus Prioriſſam Monaſterii de Monte Florito (1) tulit.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXIII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Jacobo Fuſerii, & Antonio de Dilliaco Canonicis Eccleſię Gebenicen. (3), ac officiali Gebenicen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus &c. (4). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Martialis Auribelli (5) Magiſtri Generalis (6), & Glaudii Bornonia Prioris Provincialis Provincię Francię (7) Ordinis Fratrum Prędicatorum juxta morem dicti Ordinis, petitio continebat, quod cum alias dictus Prior de mandato ejuſdem Generalis dilectam in Chriſto filiam Aymaram, tum Prioriſſam Monaſterii Monialium de Monteflorito, per Prioriſſam ſoliti guber-
Diplomatis cauſa. nari, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, & ſecundum inſtituta dictorum Fratrum degentium, Grationopolitan. (8) Diœceſis, quę pro tempore exiſtens ad nutum Magiſtri Generalis, & Prioris prędictorum amovibilis exiſtit, Prioratu dicti Monaſterii pro correctione rite privaſſet, & amoviſſet ab eodem, Aymara prędicta, &, ut dicebant, pro earum intereſſe dilectę in Chriſto filię Conventus *ejuſdem* Monaſterii, falſo aſſerentes ex hoc indebite ſe gravari, de facto, & contra dicta Inſtituta a correctione hujuſmodi ad Sedem Apoſtolicam appellarunt, & ſuper appellatione ſua hujuſmodi Apoſtoli-
Male datum. cas ad Epiſcopum Grationopolitan. ejus proprio nomine non expreſſo, & quoſdam alios ipſius *in* ea parte collegas, per falſi ſuggeſtionem, & veri ſuppreſſionem ſub certa forma literas impetrarunt, illarumque pretextu venerabilis Frater noſter Sibondus (9) Epiſcopus Grationopolitan. eundem Priorem, ut coram eo in Civitate Grationopolitan., ad quam eidem Priori tutus non patet acceſſus, infra certum, tunc expreſſum, terminum compareret, citari, & eidem Priori, ac Magiſtro, & reliquis Prioribus dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, ne aliquid contra Aymaram, aut Conventum pręfatas innovarent ſub excommunicationis pęna, ad Aymarę, & Conventus prędictorum inſtantiam, inhiberi fecit; unde pro parte Magiſtri, & Prioris prędictorum, ſentientium ex his ſe, & Ordinem prędictum Fratrum Prędicatorum indebite gravari, ad Sedem prędictam fuit appellatum, & deinde Nobis humiliter ſupplicatum, ut dictę ejus appellationis, & poſt illam attentatorum, & innovatorum nullitatiſque totius proceſſus dicti Epiſcopi, cauſas una cum principali negotio hujuſmodi, aliquibus probis viris in partibus illis committere, aliaſque eis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum vocatis Aymara, & Conventu prędictis, ac aliis, qui fuerint evocandi, auditiſque hinc inde propoſitis, etiam de negotio principali hujuſmodi cognoſcentes legitime, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes

quod

quod decreveritis per cenſuram Eccleſiaſticsm firmiter obſervari. Teſtes autem &c. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem &c. ſeu ne Judices &c. & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Aut ſi Aymarę, & Conventui prędictis, vel quibuſvis aliis &c. quod interdici, ſuſpendi &c. per literas Apoſtolicas non facientes &c. mentionem. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Secundo (10) Pridie Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Monte Florito.*) Seu *Monte Florido*, Vulgo *Montfleuri*, ad *Gratianopolim*, in *Delphinatu*. Celeberrimum eſt Monaſterium non ſolum generis nobilitate Sacrarum Virginum, quæ degunt in ipſo, ſed ampliſſimis potiſſime virtutibus, quibus ornantur.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXV fol.* 39.

3. *Gebenicen.*) *Gebennen.*, & *Geneven.* Urbs eſt *Allobrogum*, cujus Epiſcopus *Anneſſiaci* commoratur.

4. *Annuimus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

5. *Martialis Auribelli.*) Viri prudentia, & eruditione clari, de quo ſæpius diximus.

6. *Magiſtri Generalis.*) Una ſiquidem omnium electorum voce in *Novarien.* Comitiis generalibus, mortuo *Pio II*, cujus juſſu *Martialis* exauctoratus erat, priori loco reſtitutus fuerat anno *MCCCCLXV*.

7. *Provincia Francia.*) Cujus etiam nunc juris eſt Monaſterium *Montis Floridi*.

8. *Gratianopolitan.*) *Gratianopolitan.*, vulgo *Grenoble*, in *Delphinatu*.

9. *Sibondus.*) Seu *Sybondus Allemand.* Adeas *Sammarthanos* in *Gallia Chriſtiana*.

10. *Septuageſimo Secundo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLXXIII*.

Quid Protectoribus (1) Ordinum Mendicantium ſit agendum, & quænam eorundem auctoritas.

Anno 1473 Die 29 Januarii.

Ex Bullario (2) Uſuſinaris pag. 144.

XXIV.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

SAcra Minorum Religio, quę agrum militantis Eccleſię, ſanctis operibus, & exemplis copioſiſſime fęcundat, & ſapientię ſplendore Catholicam illuſtrat Eccleſiam, tanto uberioribus fructibus fertilior eſſe conſpicitur, quanto in ſe quietior permanet. & conſiſtit, & major, promptiorque a ſubditis ejuſdem Ordinis Fratribus ſuis Pręlatis obedientia exhibetur, nulliuſque extrinſeci impedimenti perturbationibus agitatur, & moleſtatur, quin in ea Caput unum ſit, & eſſe videatur, a quo omnia dictę Religionis negotia, & cauſę adminiſtrentur, & cui omnes, & ſinguli dicti Ordinis Fratres pareant, & illius ſubjaceant diſciplinę. Dudum ſiquidem Gregorius XI Prędeceſſor noſter, cognito, quod nonnulli dicti Ordinis Protectores, dum majorem, quam eis ex ejuſdem Ordinis Regula conceditur, auctoritatem vendicare, & uſurpare, ſibi ipſis voluerunt, vera ſubditorum pręfati Ordinis ad ſuos Pręlatos obedientia ſubmovebatur, unde perturbationes, inconvenientia multa, inutiles Fratrum diſcurſus, & gravia ſcandala fuerant exorta, in magnam ipſius Ordinis, jacturam, pręjudicium, & detrimentum, literas ſequentis edidit tenoris: Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Cunctos Chriſti fideles (3), ſuper quibus curam ex debito officii Summi Pontificis gerere obligamur, per Pręſidentes eiſdem, ſic caritative, ſicque provide, ac juſte cupimus gubernari, quod illi in viam mandatorum Domini dirigantur, & hi ex merito pręſidialis ſolicitudinis, uberius ſupernę remunerationis pręmium nanciſcantur. Sed Nos nimirum in illis deſideramus ardentius, & affectuoſiori ſtudio procuramus, quorum alii a mundanis abſtracti, & gravibus pęnitentiis dediti, cęleſtibus inhiant, & ad illa, per contemplationis pennas, ſuavius & altius elevantur, ut aquilę, & cum Maria parte optima perfruuntur. Alii vero Sanctam ſolicitudinem Marthę ſectantes, celebrationi Divinorum vacant ſolertius. Alii diſcunt, & docent Dei ſcientiam, & alii plebem inſtruunt in eadem, aliique ferventioris Spiritus ardore ſucceſſi, non timentes, ſed amantes, barbaras nationes, ad illarum converſionem pergunt intrepidi, ut valeant ad dominicam aream multos afferre manipulos, & de talentis eis creditis, bonam Domino reddere rationem. Hi profecto ſunt Fratres Minorum Ordinis, in Dei Eccleſia multiplicibus ſplendoribus radiantes, quorum ſonus Prędicationis & Sanctitatis opera prę ceteris religionum profeſſoribus, uſque ad extremum terrę noſcitur exiviſſe. Hi ſunt, quos Deus numero multiplicavit, & meritis, quibuſque, ſicut & aliis bene currentibus in ſtadio militantis Eccleſię, ęternum bravium, quod certatim apprehendere ſatagunt, elargitur. Et propterea Nos de ipſis digne curam vigilem gerimus, ut eos in his ſanctis operibus, nil impediat, nil perturbet, ſed ipſi opportuna quietis dulcedine potiantur. Sane cum in B. Franciſci Regula, cujus iidem Fratres exiſtunt, hęc verba contineantur expreſſe videlicet: Per obedientiam ad hęc injungo Miniſtris, ut petant a Domino PP. unum de S. R. E. Cardinalibus, qui ſit gubernator, Protector, & Corrector iſtius Fraternitatis, ut ſemper ſubditi, & ſubjecti pedibus ejuſdem S. R. E., ſtabiles in fide catholica, paupertatem, & humilitatem, & S. Euangelium D. N. J. C., quod firmiter promiſimus, obſervemus. Iidem Fratres exiſtentes pro tempore hujuſmodi Protectores dictę Romanę Eccleſię Cardinales ſucceſſivis temporibus petierunt a Sede Apoſtolica, & etiam habuerunt, ſed aliqui eorundem Protectorum, putantes forte bene, & licite, a certis temporibus citra, ſuam poteſtatem nimium extendiſſe dicuntur in pluribus, ex quibus in ipſo Ordine gravia, perturbationes, & ſcandala ſunt exorta. Nos igitur, ut idem Ordo, in ſua primęva quiete, remaneat, de virtute, in virtutem eat aſſidue, & quibuslibet amotis prępediis, eradicatiſque ſpinis, & tribulis, fructum non ſolum conſuetum, ſed etiam uberiorem afferat, ad radicalem ſubmotionem turbationum, & ſcandalorum hujuſmodi, jam exortorum, & ne oriantur in poſterum, providere, ac ejuſdem Ordinis Protectoribus, qui erunt pro tempore, cum nullus ſit ad pręſens Ordinis pręfati Protector, tranſgreſſionis ſuę poteſtatis occaſionem tollere, efficaci remedio cu-

Exordium a laude Fratrum Minorum.

Conſtitutio a Gregorio PP. XI hac de re data. Exordium.

Laus Fratrum Minorum.

Nota.

Diplomatis cauſa.

Protectorum poteſtatem definit.

cupientes, Auctoritate Apoſtolica eiſdem Protectoribus diſtrictius inhibemus, ne pręſumant quęcunque ordinata, ſtatuta, ſive diſpoſita, aut ordinanda, ſtatuenda, ſeu diſponenda per Generalia, vel Provincialia, aut Cuſtodialia Capitula, infringere, reprobare, corrigere, ſuſpendere, diſpenſare ſuper ipſis, ſeu contra ea, vel eorum aliquid quomodolibet immutare, niſi contra pręmiſſos articulos in pręfata Regula, ut pręfertur, vel aliquem ipſorum exiſteret manifeſte, aut quemcunque Pręlatum, ſeu officialem dicti Ordinis, ſeu alicujus loci ejuſdem, quocunque nomine nuncupetur, ponere, ſeu inſtituere, aut deponere, deſtituere, ſeu privare, aut a ſuo officio ſuſpendere, ſeu impedire ſuper ejus libero exercitio quovis modo, aut aliquem Fratrem Ordinis antedicti ad Lectoratum, aut quamcunque Lecturam, ſeu ſtudium, vel gradum promovere, aut promotos ab eis removere, ſeu etiam revocare, aut de loco, ad locum mittere, aut mutare, ſive alicui Fratrum eorundem eundi ad quodcunque Monaſterium, vel locum alium, aut dominium, vel aliquam perſonam, licentiam impertiri. Et ne inſuper, in quemvis ſingularem Fratrem memorati Ordinis, de quocunque crimine, vel delicto punire, vel a pęna, ſeu pęnitentia liberare, aut eam minuere, augere, vel immutare, aut etiam alicui Fratri, locum, cameram, cellam, libros, aut alias res dicti ordinis concedere, vel ejus uſui deputare, aut quęcunque per Pręlatos ejuſdem Ordinis, aut alios deputata, quomodolibet amovere. Nec etiam de rebus, aut correctione Fratrum dicti Ordinis, niſi in caſibus pręmiſſis, contentis in pręfata Regula, ſeu eorum aliquo, ſe aliquatenus intromittere, quovis modo, ita quod dictus Ordo, ſeu Fratres ejuſdem Ordinis in nullo ſubſint futuris Protectoribus, niſi duntaxat in caſu, quo ipſorum Fratrum Communitas, vel Generale Capitulum, quod abſit, a pędictis articulis, vel eorum aliquo, deviarent; Alioquin ſi ſecus fecerint, id decernimus irritum, & inane. Et nihilominus Fratres, qui contra hujuſmodi inhibitionem noſtram, quidquam impetrabunt, ſeu poſt inhibitionem hujuſmodi utentur

Nota. etiam per alios impetratis, puniantur illis pęnis, quibus eſſent pro gravibus culpis ſecundum ſtatuta dicti Ordinis puniendi, & ſint nihilominus actibus privati legitimis, a ſuis, ſi quę habent, ſuſpenſi officiis ipſo facto. Ceterum Nos eoſdem futuros Protectores hortamur attentius, quod per facti efficaciam, ſic nominis ſui Officii procurent effectum, quod Ordo ipſe, per eos non lędatur in aliquo ſed potius ab adverſis, ſi quando forſitan imminebunt, ſuo opportuno defenſionis clypeo protegatur, & a noxiis pręſervetur, ſic acturi proinde, & ęquitatis, ac modeſtię limites, ſervaturi, ut oon trahatur ad noxam, quod proviſum extitit ad ſalutem, ſed ex caritativis geſtis eorum, Ordo pręfatus, quietem, & conſolationem percipiat, & Protectores magnum apud Deum pręmium ſortiantur, & ſuper contrario non oporteat dictę Sedis providentiam aliud remedium adhibere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę inhibitionis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum apud Pontem Sorgię, Avinionen. Dięceſis, VI Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno III (4). Nos autem, cum in minoribus conſtituti ipſius Ordinis Generalis Nobis cura, & adminiſtratio incumberet, ſaluberrimum, ac opportunum, & neceſſarium dicto Ordini eſſe conſpeximus, ut Protectores ultra pręfixum, ac ejuſdem Ordinis regulę, auctoritatem non extenderent, nam experti ſumus, & vidimus, quanta pax, quies, utilitas, quantaque commoda pręfato Ordini, ac Fratribus ejuſdem ex firma, & inconcuſſa dictarum literarum obſervantia provenerunt, quot, & quantę perturbationes, jacturę, incommoda, damna, & gravia ſcandala, in dicto Ordine ſuſcitata ſunt, quoties dicti Ordinis Protectores, ſuę auctoritatis limites excederunt, attentantes in

Nota. particularibus dicti Ordinis, & Fratrum ejuſdem cauſis, & negotiis ſe intromittere, & uſurpata ſibi auctoritate, ea videre, cognoſcere, judicare, & decernere voluerunt; Cupientes, ut Religio, & Ordo pręfatus, quem affectuoſiſſima caritate complectimur, utpote quia in eo a teneris annis enutriti, & doctrina, ac Regularibus diſciplinis, & moribus, inſtituti ſuimus, ac uti firma fide tenemus, certiſſimiſque in Nobis experimentis didicimus, ad officia, & dignitates, ad quas in minoribus promoti fuimus (5), & ad hunc ipſius Summi Pontificatus apicem, meritis, & precibus Seraphici illius Patriarchę Franciſci ejuſdem Ordinis Patris, & Fundatoris, provecti ſumus, quieto conſiſtens ſtatu, virtutibus, & meritis, augeatur, ac multiplicetur, ac ſolidum fundamentum ex ejuſdem Ordinis Fratrum operibus, & exemplis, ſapientię ſplendore, & fructuoſis ſtudiis, & pędicationibus proveniat, promptiſſimo, & liberali animo, ut dignum cenſemus, & debitum, ea, quę pro ipſius Ordinis quiete, pace, tranquillitate, & proſperitate a Romanis Pontificibus, Prędeceſſoribus noſtris, provide ſtatuta, & ordinata ſunt, ut illibata perdurent, noſtrę approbationis munimine ſolidamus, interpretamur, & declaramus, prout ipſius Ordinis tranquillitati conſpicimus ſalubriter expedire. Ut igitur de cetero ipſius Ordinis profeſſoribus omnibus evagandi extra Religionem occaſio tollatur, & vera ſuis Pręlatis obedientia in qua ipſius Religionis verius, & ſolidum firmamentum, & robur conſiſtit, exhibeatur, pręfatique Ordinis, & Fratrum ejuſdem negotia, & cauſę non alibi, neque per alios, quam in ipſo Ordine, & ipſius Pręlatos tractentur, agitentur, judicentur, & determinentur, dilecti filii Zaneti de Utino Generalis dicti Ordinis Miniſtri, & totius Generalis Capituli in hac parte ſupplicationibus inclinati, inhibitionem, & literas pędictas Prędeceſſoris pręfati auctoritate Apoſtolica, pręſentium tenore, approbamus, & robur perpetuę firmitatis obtinere debere decernimus, & per eas Protectori pręfato, qui in tempore erit, niſi in illis caſibus, & articulis in Regula dictorum Fratrum expreſſis, & pręfati Prędeceſſoris literis declaratis, neque in illis, dum non univerſi ſed aliqui ipſius Ordinis profeſſores, in quovis numero, a Fidei unitate, & Sacroſanctę Romanę Eccleſię obedientia, deviarent, vel Regulam pręfatam non ſervarent, ſed de eorundem deviantium, & non obſervantium regulam, correctione, aut reductione, ac aliis quibuslibet cauſis, & negotiis dicti Ordinis, ſe impediat, inhibitum fore, dicta auctoritate decernimus, & declaramus. Hortamurque illum, qui ad officium Protectoris hujuſmodi, quod impręſentiarum per obitum bo. me. Beſarionis (6) Epiſcopi Sabinen. dicti Ordinis olim Protectoris, nuper vita functi, vacat, aſſumi, & deputari contigerit, & ipſius Succeſſores dicti Ordinis Protectores, ac eis in virtute S. obedientię, dif-

Digitized by Google

diſtricte pręcipiendo inhibemus, ne extra prędictos articulos, & caſus in regula prędicta contentos, & expreſſos, nec etiam in illis, cum non univerſus Ordo, ſed aliqua ipſius pars, & ſpecialis perſona erraret, ipſorum Fratrum querelas audire, ſeu de ipſorum cauſis, & negotiis, contra literas, & declarationem hujuſmodi intromittere ſe quoquomodo pręſumant, ſed curent, ut eſt eorum proprium officium, & prędicti S. Franciſci, & Apoſtolicę Sedis intentio extitit, ipſum Ordinem in quieto, tranquillo, & pacifico ſtatu conſervare, & augere, & ab impugnantibus, moleſtantibus, & perturbantibus defendere, & tueri, ne ſecus agendo, Ordinem prędictum, non ſolum non protegant, conſervent, & exaltent, ut tenentur, ſed in animarum ſuarum perniciem, & dicti Ordinis detrimentum, & ſcandalum, confundant, & deſtruant. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtrę Confirmationis, approbationis, & declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem, hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Secundo (7), Quarto (8) Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Protectoribus.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Bullario.*) Legitur etiam in *Bullario Romano*. Eſt numero *IV*.

3. *Chriſti fideles.*) Extat etiam in *Bullario Romano*. Eſt IV inter Conſtitutiones *Gregorii XI*. ubi hæc habet *Cherubinus* in Annotatione prævia. *Aliorum Ordinum Protectores, majores his facultates non habent. Has ergo ponere ſatis eſſe arbitratus ſum, ut ceteris Regularibus uſui eſſe poſſint.*

4. *Anno III.*) Chriſti *MCCCLXXIII*.

5. *Promoti fuimus.*) Procurator Generalis, Vicarius *Italiæ*, ac tandem Generalis Miniſter fuerat.

6. *Beſarionis.*) *Beſſarionis*. Hinc autem exploditur eorum ſententia, qui *Beſſarionis* obitum remittunt ad *XIV* Decembris *MCCCCLXXIII*.

7. *Septuageſimo Secundo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLXXIII*.

8. *Quarto.*) *Cherubinus* in *Bullario Romano* ſcripſit: *Quinto*.

Ædes ſacras Heidelbergen. (1) Cœnobii viſitantes Indulgentiis donat.

Anno 1473 Die 30 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXV.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SUmmi Patris familias, qui & ęternę vitę clavigero cęleſtis ſimul & orbis Imperii jura commiſit, ligandi ſcilicet, & ſolvendi, altiſſimam poteſtatem, vices, licet immeriti, tenentes in terris, pro Eccleſiarum, & religioſarum domorum omnium ſtatu proſpero, ac felicibus incrementis, & ſalute ſingulorum, noſtrę providentię commiſſorum, fidelium, tanto diligentius partes noſtrę ſollicitudinis adhibemus, quanto Eccleſię, & domus ipſę ſumptuoſo opere ędificatę, & conſervari, & celebrari valeant, ipſique fideles, tortuoſi colubri verſutiis depravati, remiſſionum, & indulgentiarum gratiis potioribus indigere noſcuntur. Cum itaque, ſicut accepimus, dilectus filius nobilis vir Fredericus (3) Comes Palatinus Rheni, Romani Imperii Elector, & Bavarię Dux, zelo devotionis accenſus, cupiens terrena in cęleſtia felici commercio commutare, quandam domum pro uſu, & habitatione Fratrum Ordinis Prędicatorum in ſuburbio oppidi Heidelbergen., Wormacien. Diœceſis cum Eccleſia, campana, campanili, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtrui, & ędificari fecerit, opere non modicum ſumptuoſo, Nos, cupientes, ut domus ipſa, poſtquam conſtructa fuerit, congruis honoribus frequentetur, & Chriſti fideles tanto libentius devotionis cauſa confluant ad eandem, quo ibidem dono cęleſtis gratię noverint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſiam dictę domus, poſtquam conſecrata fuerit, ut pręfertur, in nativitate S. Johannis Baptiſtę, & S. Andreę Apoſtoli feſtivitatibus viſitaverint annuatim, decem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus, pręſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus Eccleſiam prędictam, ſeu alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, aut aliqua alia indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus forſan, vel nondum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, pręſentes literę nullius ſint roboris vel momenti. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Tertio, Tertio Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Indulgentia.

1. *Heidelbergen.*) Juris eſt Provinciæ *Teutoniæ*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXX fol. 7*.

3. *Fredericus.*) Hujus nominis *I*.

De ceteris nonnullis Indulgentiarum Diplomatibus, quæ *Sixtus IV* conceſſit; paucis hic dicetur.

PRo Florentino Monaſterio S. Vincentii, de Pœnitentia S. Dominici nuncupato. Conſtitutio ſic incipit: *Licet is &c. Omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui in Veneris Sancti, & S. Vincentii diebus, ſive feſtivitatibus præfatam Eccleſiam devote viſitaverint &c. Septem annos, & totidem quadragenas &c. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Primo* (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCLXXII) *Kalendis Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XI fol. 226*.

Anno 1472 Die 1 Februarii.

XXVI.

Anno 1473 Die 9 Julii. XXVII.

PRo Senogallienſi Cœnobio S. Mariæ Gratiarum, alias Fanen. Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit: *Dum præcelſa &c. Cupientes igitur, ut Eccleſia Fratrum Prædicatorum, ſub vocabulo S. Mariæ Gratiarum extra muros civitatis Senegalien., Fanen. Diœceſis &c. Septem annos, & totidem quadragenas &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Tertio, Septimo Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXXII fol.* 80.

Anno 1474 Die 1 Decembris. XXVIII.

PRo Cœnobio Viennenſi. Conſtitutio ſic incipit: *Etſi cuncta &c. Cupientes igitur, ut Capella ſub vocabulo S. Trinitatis ſita in Eccleſia Domus Fratrum Prædicatorum Viennen. &c. Fidelibus ipſis vere pœnitentibus, & confeſſis, qui in Octava Feſtivitatis Pentecoſtes &c. Quinque Annos, & totidem Quadragenas &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quarto, Kalendis Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXIII fol.* 211.

Anno 1475 Die 22 Junii. XXIX.

PRo Cœnobio Bononien. Conſtitutio ſic incipit: *Licet is &c. Septem annos, & totidem Quadragenas &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quinto, Decimo Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Quarto*. Ex Archivo Apoſtolico.

Anno 1477 Die 12 Junii. XXX.

PRo Cœnobio Murianen. Conſtitutio ſic incipit: *Omnipotentis Dei ſumma, & ineffabilis clementia &c. Cum itaque, ſicut accepimus, Eccleſia S. Petri Martyris Murianen., Torcellan. Diœceſis prope Venetias, Ordinis Fratrum Prædicatorum de obſervantia nuncupatorum &c. jam tribus annis elapſis cum campanili, organis, libris chori, coroniſque, ſeu quadris, exceptis duntaxat parietibus lapideis, ignis incendio totaliter combuſta fuerit &c. Ut Eccleſia ipſa, quæ reædificari cœpta eſt, & ad quam, ut etiam accepimus, dilectus filius nobilis vir Jacobus de Medio dilecti filii nobilis viri Andreæ Vendramino Ducis Venetiarum orator ad Nos deſtinatus, ſingularem gerit devotionis affectum &c. Vere pœnitentibus, & Confeſſis, qui Eccleſiam prædictam in celebratione omnium Sanctorum, duobus proxime futuris, & ſucceſſive in feſto ejuſdem S. Petri ſingulis annis &c. duobus videlicet proxime futuris tantum, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam concedimus, & elargimur, aliis vero ſequentibus annis prædictis decem Annos, & totidem quadragenas &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Septimo, Pridie Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Sexto*. Ex Archivo Apoſtolico *Libro CVI fol.* 101.

Anno 1473 Die 1 Aprilis.

Varia privilegia (1) Fratribus Peregrinantibus, Fidei nempe præconibus conceſſa.

Ex Bullario (2) Uſuſmaris.

XXXI.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

APoſtolicę ſervitutis officium, cui, dante Domino, pręſidemus, Nos admonet, ut ſicut bonus paſtor ad oves chriſticolas paſcendas aures noſtrę contemplationis extendamus, & earum, necnon partium, & regionum, ac temporum qualitatibus penſatis, ad eorundem Chriſticolarum, ſalutem vigilemus, & iis, quę a noſtris Prędeceſſoribus circa ea circunſpecte emanaſſe comperimus, illorum veſtigia imitantes, conſimilibus facultatibus & gratiis, dum a Nobis petitur, robur Apoſtolici muniminis adiiciamus. Dudum ſiquidem felicis recordationis Pii PP. II Prędeceſſoris noſtri literę emanarunt, quas pręſentibus annotari fecimus, & quarum tenor ſequitur, qui talis eſt. Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Dum levamus in circuitu oculos noſtros &c. (3) Quare pro parte dilecti filii Baptiſtę Fatinanti (4) de Janua, dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, Vicarii Generalis in terris Peregrinantium ſupradictorum, per dilectum filium Martialem Auribelli Sacrę Theologię profeſſorem & Priorem Generalem dicti Ordinis deputati, & inſtituti, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pręmiſſa in dictis literis contenta, Apoſtolici muniminis robur adiicere, ac omnes & ſingulas facultates dicto Chriſtophoro in pręmiſſis literis conceſſas eidem Baptiſtę pari modo concedere, & alias in pręmiſſis providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, cupientes fidem catholicam vigere, augmentari, & etiam manuteneri, prefati Baptiſtę in hac parte ſupplicationibus inclinati, literas Apoſtolicas prędictas, cum omnibus & ſingulis indulgentiis; conceſſionibus, indultis, & clauſulis, in eis contentis, necnon Societatem prędictam, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium ratificamus, approbamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus, illaſque perpetuo viribus ſubſiſtere decernimus, eaſque ad Conventum Civitatis Chii hatum ſerie extendimus, necnon univerſos & ſingulos ejuſdem Ordinis Fratres, qui dicuntur Uniti, vel Armeni, aut alias, ut prefertur, dicta auctoritate eidem Societati ſubiicimus, ipſamque Societatem prefata auctoritate approbantes, & confirmantes, omnibus & ſingulis cujuſcunque dignitatis, gradus, conditionis, vel ordinis exiſtant, ſub excommunicationis pęna, quam eo ipſo incurrant, ne Societatem prędictam in pręmiſſis, ſeu alias quomodolibet impedire, ſeu inquietare, vel moleſtare, ſeu ipſam dividere, extinguere, vel ſeparare, aut alias de illa ſe intromittere quoquomodo pręſumant, diſtrictius inhibemus. Preterea, ut dictus Baptiſta in pręmiſſis utilius, & diligentius ſe gerere poſſit, & habere, ſibi omnes, & ſingulas facultates, & auctoritatem per pręfatum Pium Prędeceſſorem dicto Chriſtophoro olim conceſſas, pari modo, & abſque ulla differentia perinde in omnibus, & per omnia, ac ſi dictę inſertę literę ad inſtantiam ipſius Baptiſtę emanaſſent, concedimus per pręſentes, decernentes ex nunc irri-

Pii II Conſtitutionem inſerit, & confirmat.

irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus, & ſingulis, quę idem Prędeceſſor, in dictis ſuis literis voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtrę ratificationis, approbationis, communitionis, extenſionis, confirmationis, inhibitionis, conceſſionis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Tertio, Kalendis Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Privilegia.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.VIII.*

2. *Bullarie.*) Legitur etiam apud *Confettium pag.63.* Meminerunt *Ferrarius de Rebus Hungar. Provincia Parte IV Lib. Unico Cap.VIII pag.580, & Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap.VI ad annum MCCCCLXXIII pag.367.*

3. *Oculos noſtros &c.*) Ut in *Conſtitutione Pii II,* data *XII* Junii *MCCCCLXIV*, ad finem uſque.

4. *Baptiſta Fatinanti.*) Hinc emendandus *Fontana Monum. Dominic. Parte III Cap.VI ad annum MCCCCLXXIII pag.367*; ubi hæc habet. *Eodem anno Sixtus Papa Vicariam Generalem Congregationis Peregrinantium inter infideles P. Chriſtophorum de Viterbio, necnon & Apoſtolicum Inquiſitorem in Oriente creavit, cum facultate ſubſtituendi in diverſis partibus alios Inquiſitores, datis Apoſtolicis Literis talis tenoris.*

Dilecto filio Chriſtophoro de Viterbio Ordinis Prædicatorum, S. Theologiæ profeſſori, tertiæ Societatis Peregrinantium propter Chriſtum inter gentes Vicario Generali, & hæreticæ pravitatis Inquiſitori per nos deputato in partibus Orientalibus, & quam maxime in Civitatibus Caffa, Pera, Chii, & in terris Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Gothorum, Zirorum, Rutenorum, Cumanorum, Æthiopum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Syrorum, Jacobitarum, Nubianorum, Tartarorum, Carelorum, Hungarorum majoris Hungariæ, & aliorum qui nondum Sacramenta fidei perceperunt &c. concedimus facultatem, ut alios Inquiſitores in Provinciis, de quibus tibi videbitur, ſupradictis ſubſtituere valeas &c.

P. Chriſtophorus igitur cum multis aliis Fratribus Peregrinantibus propter Chriſtum, in Orientem profectus, magnum fructum reportaverunt Eccleſiæ Sanctæ Dei converſione multarum animarum ad Chriſtum. Hæc ille. Sed notandum, quod *Chriſtophorus de Viterbio* Vicarius Generalis conſtitutus erat a *Pio II*, ut videre eſt ex ejuſdem *Pii* Conſtitutione mox laudata *Nota III.* Hinc eidem *Pio* aſcribendum eſt Diploma, quod a *Sixto IV* datum putat *Fontana*.

Stugardenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1473
Die 1 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio nobili viro Udalrico Comiti in Wyertenberg (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XXXII.

EXimię devotionis affectus (4) &c. Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod tu zelo devotionis accenſus, ac cupiens terrena in cęleſtia felici commercio commutare, pro tua, & progenitorum tuorum animarum ſalute, & divini cultus incremento de bonis tibi a Deo collatis quandam Capellam ſub vocabulo B. Marię, & S. Udalrici in oppido tuo Stutgarten (5), Conſtantien. Diœceſis, quod plurimum populoſum, & in quo nullus locus Fratrum Mendicantium, aut aliorum Religioſorum exiſtit, pro uſu, & habitatione Fratrum Ordinis Prędicatorum, ad quos ſingularem geris devotionis affectum, partim conſtrui feciſti, aream que peramplam, & amęnam ipſi Capellę adjunxiſti. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi de tuis, & aliorum fidelium bonis, apud ipſam Capellam, domum, cum clauſtro, campanili, campana, domibus, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione Fratrum Ordinis Prędicatorum hujuſmodi fundandi, & conſtruendi, licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divinum cultum noſtris temporibus augeri ſummopere affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi, abſque tamen alicujus pręjudicio, unam domum apud ipſam Capellam cum clauſtro, campanili, campana, domibus, hortis, hortalitiis, & officinis prędictis pro uſu, & habitatione Fratrum Ordinis Prędicatorum, & Regularis obſervantię, de novo fundandi, & conſtruendi, necnon dilecto filio Martiali Auribelli de Avinione, dicti Ordinis Prędicatorum Generali, domum prędictam per Fratres dicti Ordinis Prędicatorum regularis obſervantię cum eiſdem Capella, clauſtro, campanili, campana, hortis, hortalitiis, & officinis, recipiendi, & inibi perpetuo commorandi, Diœceſani loci, & cujuſcunque alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, plenam, & liberam licentiam auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium elargimur. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium loca de novo recipere, aut recepta mutare pręſumant abſque Apoſtolicę Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, ac aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volentes igitur, & ſtatuentes quod Fratres ipſi, qui in eadem domo pro tempore morabuntur &c. omnibus privilegiis, libertatibus, immunitatibus, & indulgentiis, quibus alii Fratres ejuſdem Ordinis Prędicatorum in eorum aliis domibus pro tempore degentes gaudent, & utuntur, uti, & gaudere valeant, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuſcunque alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Tertio, Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Supplex Comitis petitio.

Facultas.

1. *Stugardenſis.*) Vulgo *Stugard*, in *Suevia*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXVIII fol.147.*

3. *Wyertenberg.*) *Wirtemberg*, & *Wurtemberg*. Nunc Ducatus eſt *Germaniæ*, in *Suevia*.

4. *Affectus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

5. *Stutgarten.*) *Stugarden.*

Anno 1473 Die 3 Aprilis.

De poſſeſſione, Caſale nuncupata, reſtituenda Viterbienſi (1) Cœnobio.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio..... (3) Provinciæ noſtræ Patrimonii.

XXXIII.

SIXTUS PP. IV.

Dilecte Fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

NUper pro parte dilectorum filiorum Fratrum, & Conventus S. Mariæ ad Gradus Viterbien., fuit nobis humiliter ſupplicatum, quod cum alias quidam Johannes Jamquitelli Guidotii de Viterbio, per ſuum ultimum teſtamentum, ipſis Fratribus, & Conventui, quoddam tenimentum, quod alias dicitur Caſale, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, poſitum in Patrimonio B. Petri, juxta territorium Sutrii (4), Civitatis Caſtellanæ (5), Caſamalæ, Roncilionis (6), & alios ſuos confinea, pro anima ſua legaverit; & ipſi, poſt mortem dicti teſtatoris, per plures annos, dictum Caſale poſſederint, & fructus perceperint, tanquam veri patroni, & poſſeſſores, & quod deinde poſt lapſum tempus Everſus de Anguillaria dictos Fratres, & Conventum, dicto tenimento expoliavit, & tyrannice per plures annos poſſedit; proinde ſupplicatum fuit, ſibi ſuper his per Sedem Apoſtolicam de opportuno remedio provideri. Nos igitur, ut decet, unicuique juſtitiam reddere volentes, de hujuſmodi re non aliter informati, eam in Camera noſtra Apoſtolica, examinandam commiſimus. Deinde fideli relatione Ven. F. noſtri Latini (7) Epiſcopi Tuſculani Cardinalis de Urſinis Camerarii noſtri, & aliorum Cameræ Præſidentium, cognovimus tenimentum hujuſmodi Fratribus, & Conventui ipſi deberi. Quapropter cum non deceat Sedem Apoſtolicam, & Romanum Pontificem, bona cujuſcunque, & præſertim locorum piorum, indebite detinere, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tenore præſentium, tibi committimus, & mandamus, quatenus ad omnem inſtantiam, & requiſitionem Fratrum, & Conventus prædictorum, in corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem ipſius tenimenti, ſive caſalis, cum omnibus, & ſingulis iuribus, actionibus, & pertinentiis ſuis, juxta dicti legatoris piam voluntatem, reſtituas, & reponas eoſdem, amoto inde quolibet illicito detentore, atque eos in dicta poſſeſſione manuteneas, & defendas, ita, ut ex dicto tenimento, & caſali, fructus, redditus, & proventus quoſcunque, percipere poſſint cum effectu; Contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III Aprilis MCCCCLXXIII, Pontificatus noſtri Anno Secundo,

Mandatum.

L. Griſus.

1. *Viterbienſi.*) Juris eſt *Romanæ* Provinciæ.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo aſſervato à *Viterbienſi* Conventu *S. Mariæ ad Gradus*.
3. *Filio....*) Ex Diplomate Cardinalis *Latini* de *Urſinis* mox tranſcribendo addendum: *Guidantonio de Piccolominibus, Theſaurario*.
4. *Sutrii.*) Vulgo *Sutri*, in *Hetruria* ditionis Pontificiæ.
5. *Civitatis Caſtellanæ.*) Vulgo *Città Caſtellana*. Ibidem in Provincia *Patrimonii*.
6. *Roncilionis.*) Vulgo *Ronciglione*.
7. *Latini.*) Ex antiquiſſima *Urſinorum* Gente oriundi. Adeas Auctores quos laudat, & excipe *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad annum MCCCCXLVII pag.* 970. Quid autem egerit *Latinus*, liquet ex ſequenti Diplomate, cujus autographum eſt in Cœnobio *Viterbienſi*.

Latinus Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis de Urſinis D. Papæ Camerarius. Spectabilis Vir, & amice noſter cariſſime Salutem.

VIdebitis, quid vobis impræſentiarum ſcribat per Breve ſuum Sanctiſſimus D. Noſter ſuper reſtitutione tenimenti caſalis facienda Fratribus, & Conventui S. Mariæ ad Gradus Viterbien. Sanctitas Sua plene informata de juribus ipſorum Fratrum in tenimento prædicto, non vult, eos diutius eſſe ſpoliatos hujuſmodi poſſeſſione, eis omni jure debita, nec illius fructibus carere. Itaque cum pro parte eorundem Fratrum, fueritis requiſiti, curabitis eos reſtituere ad præfatum tenimentum, & in illius poſſeſſionem ponere, juxta mandatum, & intentionem prædicti Domini noſtri. Et inſuper præſtabitis eis deinceps opportunum favorem, & auxilium, quo gaudere libere poſſint præfata poſſeſſione ejuſdem, ſicut juſtitiæ debito convenire videbitur. Et bene valete. Romæ 4. Aprilis 1473. &c.

A tergo: Spectabili viro Guidantonio de Piccolominibus Theſaurario Patrimonii &c. Amico noſtro cariſſimo.

F. Johan-

F. Johannes de Piſtorio (1) Forum Livii (2) petat, ut ibidem Conciones ſacras habeat.

Anno 1473 Die 2 Junii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Dilecto Filio Johanni de Piſtorio, Ordinis Prędicatorum, XXXIV.

SIXTUS PP. IV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUpplicationibus dilecti filii Nobilis viri Pini de Ordellatis Forlivii in temporalibus Vicarii Noſtri paternum in Domino prębentes aſſenſum, devotionem tuam in Domino exhortamur, & nihilominus in virtute S. obedientię tibi pręcipiendo mandamus, ut in futura Quadrageſima verbum Dei, & Evangelicam doctrinam Forlivium (4) Prędicaturus (5) accedas. In quo ipſi Pino maxime complacebis, & Nobis rem gratiſſimam facies. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die II Junii MCCCCLXXIII, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

L. Griſus.

1. *Johannes de Piſtorio.*) Vir venerabilis, *religione, ſanctitate morum, ac verbi Dei prædicatione* Seculo XV clariſſimus, ut videre eſt apud ſcriptores quos laudat, & excipit *Echard Tomo I Scriptorum Ord. ad an. MCCCCXCIII pag.* 879.
2. *Forum Livii.*) Vulgo *Forli*, in *Romandiola*.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar *Lib. B. fol.* 129 ex Autographo *Piſtorienſi*.
4. *Forlivium.*) Seu *Forum Livii*.
5. *Prædicaturus.*) Celeberrimus enim Eccleſiaſtes evaſerat, tantoque ſucceſſu, ut in pleriſque locis, cum Templa auditores non caperent, per plateas ipſum concionari oporteret. *Echard* mox laudatus.

Ratum habet, F. Marcum (1) Inquiſitorem Regni Siciliæ a Generali Magiſtro totius Ordinis renunciatum fuiſſe.

Anno 1473 Die 5 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXV.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Marco Ordinis Fratrum Prędicatorum Theologię profeſſori, & Inquiſitori hęreticę pravitatis in Regno Sicilię citra pharum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD damnandarum hęreticorum pravitatum extirpationem &c. (3). Sane exhibita Nobis pro parte tua, petitio continebat, quod alias Inquiſitoris officio hęreticę pravitatis in Regno Sicilię citra pharum, illius civitatibus, & Dięceſibus quod per Fratres Ordinis Fratrum Prędicatorum in Regno, ac Dięceſibus prędictis exerceri ſolet, certo modo inquiſitore carente, dilectus filius Martialis Auribelli ejuſdem Ordinis Prior, Generalis Magiſter nuncupatus, & ejuſdem Theologię etiam profeſſor, ad quem inter cetera in eiſdem Regno, ac illius civitatibus, & Dięceſibus Inquiſitoris ejuſdem hęreticę pravitatis pro tempore inſtitutio, & deputatio ex ſpeciali Sedis Apoſtolicę privilegio, cui hactenus derogatum non eſt, ſpectat, te in eiſdem Regno, civitatibus, & Dięceſibus prefatę hęreticę pravitatis Inquiſitorem conſtituit, atque deputavit, & ad dictę pravitatis Inquiſitoris officium privilegii hujuſmodi obtento inſtituit, prout in ipſius Prioris Generalis literis conſtitutionis, deputationis, & inſtitutionis prędictarum dicitur plenius contineri. Quare pro parte tam dicti Martialis, quam tui, & ut Inquiſitoris officium liberius, & quietius in Regno, civitatibus, & Dięceſibus prędictis exercere, & a temporalibus Dominis in pręmiſſis majores favores conſequi valeas, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ad hujuſmodi Inquiſitoris officium, & liberum illius exercitium, circa punitionem, carcerationem, & captionem hęreticorum in Regno, civitatibus, & Dięceſibus prędictis exiſtentium, & per eos geſtorum inquiſitionem, & relaxationem per eos, ad quos poteſt admitti, & dictum Inquiſitoris officium tibi concedere, & alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, volentes te apud Nos de religionis zelo, literarum ſcientia, vitę, ac morum honeſtate, aliiſque probitatis, & virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore proſequi gratioſo, ipſius Prioris, ac tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, inſtitutionem prędictam, conſtitutionem, & deputationem auctoritate Apoſtolica ratificamus, approbamus, atque confirmamus, dicta auctoritate decernentes, te ad punitionem, carcerationem, & captionem hęreticorum in Regno, civitatibus, & Dięceſibus prędictis, & quarumcunque perſonarum, hęreticam pravitatem ſectantium, correctionem, & emendationem, dicta auctoritate admittendum, ut eſt moris, ac volentes, & dicta auctoritate ſtatuentes, quod Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, aliique Eccleſiarum, & Monaſteriorum Prę1ati, ceterique Domini temporales in executione officii hujuſmodi, pręcipue circa captionem, carcerationem, & punitionem prędictas, & locorum prędictorum hęreticorum deſtructionem, tibi aſſiſtant, ac conſilium, auxilium, & favorem prębeant. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis ſpecialibus, & generalibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus ſpecialis,

Diplomatis cauſa.

Nota.

Confirmatio

&

& expreſſa mentio eſſet habenda, Nos enim tibi, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, & indultis, Inquiſitoribus ejuſdem hereticę pravitatis quomodolibet conceſſis, hujuſmodi durante officio, libere, ac licite uti valeas, dicta auctoritate, tenore preſentium indulgemus. Volentes, quod preſentes literę, & quęcunque inde ſecuta, durante beneplacito dicti Martialis Generalis duntaxat, vim, & vigorem habeant, & hujuſmodi beneplacito ceſſante nullius exiſtant roboris, vel momenti. Nulli ergo &c. noſtrę ratihabitionis, approbationis, confirmationis, decreti, ſtatuti, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Tertio, Nonis Junii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Nota.

1. F. *Marcum.*) *De Maroldis de Labella* cognominatum in Regeſtis P. Generalis *Leonardi de Manſuetis* apud *Fontanam Theat. Dominican. Parte III Cap. III Tit. LXIV pag.* 604.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* *Libro XXXI fol.* 91.

3. *Extirpationem &c.*) Exordium deeſt.

Anno 1473 Die 1 Julii.

Ratam habet, & firmat fundationem Cœnobii SS. Annunciationis in Terra S. Georgii (1), illudque Cœnobium variis privilegiis ornat.

XXXVI.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

PAſtoralis officii debitum Nobis Divina diſpoſitione commiſſum excitat, & inducit, ut votis illis gratum preſtemus aſſenſum, quę Sacrę Religionis propagationem, cultus augmentum, & animarum ſalutem concernere dignoſcuntur, & per quę Religioſarum perſonarum commoditatibus ſalubriter provideatur. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Vicarii, & Fratrum Domus Annunciationis Beatę Marię terrę S. Georgii, Ordinis Fratrum Predicatorum, Militenſis (3) Dięceſis, petitio continebat, quod quondam Bonifatius, Nonus in ſua obedientia, de qua partes illę tunc erant, nuncupatus, quondam Johanni Carazulo (4) Comiti Geracii (5), & Marię ejus Uxori de propriis bonis unam Eccleſiam ſub titulo Annunciationis Beatę Marię Virginis in predicta terra fundari, & conſtrui facere, ac illam pro uno Capellano perpetuo Rectore ſeculari, qui in ea divina officia celebrare deberet, competenter dotare poſſent, reſervato eiſdem Johanni, & Marię, ac Succeſſoribus ſuis jure Patronatus dictę Eccleſię, licentiam conceſſit, & nihilominus ipſam Eccleſiam, & illius Rectorem, qui eſſet protempore, in ius, & proprietatem Romanę Eccleſię, & Sedis Apoſtolicę, ac ſub ſua, & ejuſdem Sedis Apoſtolicę immediata protectione, poſtquam Eccleſia conſtructa, & fundata foret, ſuſcepit, decernens Eccleſiam, & Rectores eoſdem ſibi, ac ſoli Sedi Apoſtolicę fore ſubjectos, & quod loci Ordinarius, & quivis alius in Eccleſiam, aut Rectorem prefatos, utpote prorſus exemptos, non poſſent, auctoritate ordinaria, excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti ſententias promulgare, vel alias in eos juriſdictionem aliquam exercere. Idemque Bonifatius predeceſſor omnium excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdicti ſententias, etiam quoſcunque proceſſus, ſive penas, & ſententias continentes, quos, & quas contra tenorem, & formam hujuſmodi exemptionis promulgari, & haberi contigerit, irritos decernit, & inanes, ac nullius exiſtere roboris, vel momenti: & deinde poſtquam Johannes prefatus, necnon ſucceſſive nobilis viri Baptiſta Carazulo eius Frater, tunc Comes Geracii Eccleſiam ipſam ędificaverant, pia devotione ducti Eccleſiam prędictam, quondam Fratri Cathaldo de Taranto (6) Vicario Generali dicti Ordinis in illa Provincia, quantum in eis erat, ſucceſſive donaverunt, conceſſerunt, & aſſignaverunt, prefatuſque Cathaldus Vicarius nulla alia per eum ſuper hoc habita licentia Eccleſiam ipſam cum eis aderentiis (7) pro uſu, & habitatione Fratrum Prędicatorum recepit, & juxta eandem Eccleſiam ſucceſſu temporis domus cum ſacriſtia, cęmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis, officinis ex piis Chriſti fidelium eleemoſynis ędificata, & conſtructa extitit, illamque Fratres prędicti inhabitarunt, prout inhabitant de preſenti. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ex antiqua conſuetudine pro contractibus Matrimonii, ſeu Nuptiarum fideles Chriſti illarum partium ad Eccleſiam ipſam cum ibidem Miſſa, ut moris eſt, & alia ſolennia celebrantur, accedant, occurratque pluries, ut Rector Parochialis Eccleſię infra cujus limites Capella ipſa conſiſtit, qui ibidem celebrare conſuevit, ad ipſam Capellam venire deneget, propter quod fideles Chriſti gravia incommoda ſuſtinent, & ad contrahendum alibi, quam in dicta Capella penitus ſe retrahunt, & interdum ſine benedictione remanent, & etiam pericula oriri formidatur. Quare pro parte tam dilecti filii Nobilis viri Maximi Curialis, Comitis Terręnovę, quam Vicarii, & Fratrum Prędicatorum, necnon dilectorum filiorum incolarum, & habitatorum prędictę terrę Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut donationi, aſſignationi, & conceſſioni prędictis pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiiceremus, ipſiſque Vicario, & Fratribus, quod Domum cum Eccleſia, ſeu Capella, ac hortis, & officinis prędictis pro eorum uſu, & habitatione perpetuo retinere, eiſque de abſolutionis beneficio ab excommunicationis ſententia, quam propterea incurrerunt, providere, & quod Miſſam, & ſolennia hujuſmodi abſque licentia Rectoris de cetero perpetuis futuris temporibus in dicta Capella, celebrare, ſeu celebrari facere, & tam premiſſa exemptione, quam omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis, & gratiis, eidem Ordini, & aliis ejus domibus in genere conceſſis, & in poſterum concedendis uti, & gaudere poſſint, concedere, aliaſque in premiſſis ſtatui, & indemnitati Vicarii, & Fratrum Prędicatorum optime providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, donationem, conceſſionem, aſſignationem hujuſmodi, ac illas concernentia omnia, & ſingula in certo

Diplomatis cauſa.

Confirmatio, & Conceſſio.

inſ-

inſtrumento, cujus tenorem pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, contenta, & inde ſecuta quęcunque auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, ac pręſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui deſuper intervenerint in eiſdem, & nihilominus Vicarium, & Fratres prędictos ab hujuſmodi excommunicationis ſententia auctoritate pręfata hac vice dumtaxat abſolvimus, ſecumque ſuper irregularitate, ſi quam Miſſa, & alia officia divina celebrando, vel ſe illis immiſcendo, contraxerunt, eadem auctoritate diſpenſamus, omnemque abolemus inhabilitatis, & infamię maculam, ſive notam, per ipſos pręmiſſarum occaſione contractam, eiſque quod Miſſam, & ſolemnia hujuſmodi abſque licentia dicti Rectoris de cetero perpetuis futuris temporibus in dicta Eccleſia, vel Capella celebrare, ſeu celebrari facere, ac domum, cum Eccleſia, hortis, hortalitiis, & aliis officinis prędictis pro eorum uſu, & habitatione, ac exemptione prędicta, ac aliis quibus ipſa Eccleſia hactenus eſt uſa, ac etiam omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indultis, & gratiis eidem Ordini, & aliis ejus Domibus per Sedem prędictam, vel alias in genere conceſſis, & in poſterum concedendis uti, & gaudere libere, & licite poſſint, & valeant concedimus, jure Parochialis Eccleſię ſemper ſalvo. Non obſtantibus pręmiſſis, ac felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi Prędeceſſoris noſtri prohibente, ne Fratres cujuſvis Ordinis Mendicantium in quibusvis caſtro, terra, vel villa ad inhabitandum Domus, vel loca de novo recipere, vel hactenus recepta mutare pręſumant, abſque prędictę Sedis licentia ſpeciali faciente plenam & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis, approbationis, confirmationis, communicationis, ſuppletionis, abſolutionis, diſpenſationis, abolitionis, & indulti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Tertio, Kalendis Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Nota.

Clauſula derogans.

Sanctio pœnalis.

1. *In terra S. Georgii.*) Jetis eſt Provinciæ *Calabria*.
2. *Archivo.*) In quo triplex Exemplar Authenticum Autographum aſſervatur in Cœnobio Terræ *S. Georgii*.
3. *Militenſis.*) Vulgo *Mileto*, in *Calabria*.
4. *Caraxulo.*) Sic in duobus Exemplaribus, quorum unum conſcriptum fuit anno *MDXL*. In alio legitur *Caracciolo*. Sic ſcripſit Notarius Apoſtolicus anno *MDCCXV*. Nec mirum. Cum enim nunc etiam floreat antiqua gens *Caracciola*, & *Caraxula* Notario fortaſſis ignota ſit e illius, *Caracciola* ſcilicet, cogitatio ſubiit animum; mendum irrepſiſſe putavit; cognominum ſimilitudine deceptus eſt; *Caraxulam* gentem neglexit. Verum quia *XV* ſeculo fuit in Regno *Neapolitano* familia *Caroxola*, cujus meminit hiſtoria *Johannæ II.* Reginæ *Neapolitanæ*. Hinc magis arrideret antiquior lectio: *Caraxula*: niſi viris ſapientiſſimis, & eruditione claris alia probaretur; Cenſent enim, Gentem *Caraxulam*, de qua loquitur Diploma, non diſtinguendam a *Caracciola*.
5. *Geracii.*) *Hieracii*, vulgo *Gieraci*, & *Geraci*. Urbe eſt *Calabria*.
6. *De Taranto.*) *Tarento*. Sic vel a patria, vel a profeſſione dictus eſt *Gathaldus* noſter.
7. *Eis Aderentiis.*) *Ejus adhærentiis*.

Accepta provocatione Fratris Rolandi (1) Officialem Redonenſis (2) Epiſcopi, ceu judicem non legitimum reiicientis (3), judices qui de lite cognoſcant conſtituit.

Anno 1473 Die 5 Julii.

Ex Archivo (4) *Ordinis*

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Cantori, & Ivoni le Jorieot, ac Roberto Ruallo Canonicis Eccleſię Nanneten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XXXVII.

HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Rolandi le Cozic, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, & in Regno Francię hęreticę pravitatis Inquiſitoris, petitio continebat, quod, licet dictus Ordo cum omnibus locis, perſonis, & bonis ſuis fuerit, prout eſt, ab omni juriſdictione, & dominio quorumcunque Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum judicum Ordinariorum, Apoſtolicę Sedis privilegio prorſus exemptus, & eidem Sedi immediate ſubjectus, ita quod etiam ratione delicti, ſeu contractus, aut rei, de qua agitur, ubicunque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipſa conſiſtat, Archiepiſcopi, Epiſcopi, ac judices prędicti nequeant in Ordinem, loca, perſonas, & bona hujuſmodi juriſdictionem, ſeu dominium, vel aliquam poteſtatem auctoritate ordinaria exercere, dictuſque Ordo, cum locis, perſonis, & bonis prędictis fuiſſet in pacifica poſſeſſione, vel quaſi, exemptionis hujuſmodi etiam a tanto tempore, cujus contrarii memoria non exiſtit, prout eſt adeo notorium, quod nulla poteſt tergiverſatione celari, tamen dilectus filius officialis Redonen. ad inſtantiam dilecti filii Oliverii Mercatoris, Rectoris Parochialis Eccleſię de Verno, Redonen. Dięceſis, falſo aſſerentis, quod idem Rolandus ſummam trecentorum ſcutorum auri novorum ratione cujuſdam contractus mutui inter ipſos Oliverium & Rolandum in juriſdictione dicti Officialis, ut dicebat, contracti, ſibi dare, & ſolvere legitime teneretur, pręfatum Rolandum, ut infra certum tunc expreſſum terminum ſummam ſcutorum prędictorum, vel ejus verum valorem in moneta in partibus illis currente pręfato Oliverio perſolveret, ſub ſuſpenſionis, & excommunicationis pœnis per ſuas certi tenoris literas de facto moneri fecit, & mandari eidem; unde dictus Rolandus, ſentiens ex hoc indebite ſe gravari, ad Sedem prędictam appellavit, & quia dictus Officialis, appellatione hujuſmodi contempta, pręfatum Rolandum, ut infra certum tunc expreſſum terminum coram eo pręfato Oliverio ſuper contentis in dictis literis monitoriis reſponſurus compareret, citare fecit, temere attentando, idem Rolandus, ſentiens etiam ex hoc indebite ſe gravari ad Sedem eandem etiam appellavit, & deinde Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut ipſum

Supplex petitio.

ipſum Rolandum ab excommunicationis ſententia hujuſmodi, ſi qua forte pręmiſſorum occaſione innodatus exiſtat, ad cautelam abſolvi mandare, necnon appellationum prędictarum, & poſt illas attentatorum, & innovatorum, nullitatiſque dictę monitionis, & totius ſuper hoc dicti Officialis proceſſus cauſas, una cum principali negotio hujuſmodi aliquibus probis viris in partibus illis committere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę &c. Mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, vocatis dicto Oliverio & aliis qui fuerint evocandi, eidem Rolando, ſi hoc humiliter petierit, recepta tamen prius ab ipſo cautione idonea ſuper eo quod forſan excommunicatus habetur, quod ſi hujuſmodi excommunicationis ſententiam in eo forſan latam vobis conſtiterit fore juſtam, veſtris, & Eccleſię mandatis parebit, abſolutionis beneficium ab eadem excommunicationis ſententia ad cautelam, ſi, & prout juſtum fuerit, auctoritate noſtra hac vice duntaxat impendatis; ſuper aliis vero, auditis hinc inde propoſitis, etiam de principali negotio hujuſmodi, cognoſcentes legitime, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes, quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari; Teſtes autem &c. non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi Prędeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne quis extra &c. ſeu ne judices &c. quibuſcunque, aut ſi Oliverio prędicto quod interdici, ſuſpendi &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Tertio, Tertio Non. Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Judices conſtituti.

1. *Rolandi.*) *Armorici*, Conventus *Montis relaxi* alumni, cujus meminit *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad an. MCCCLIV pag.*812 *col.II.*

2. *Redonenſis.*) Vulgo *Rennes*, in *Britannia Minori*.

3. *Reiicientis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. V.*

4. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Arch. Apoſtolico Libro XXVI fol.* 209.

Anno 1473 Die 9 Julii.

Senogallienſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXVIII. Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo Tiburtin. (3), & dilectis filiis Vigoni de Foro Sempronio (4) Canonico Fanen., ac Vicario venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Fanen. (5) in Spiritualibus Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

INter cetera deſiderabilia cordis noſtri &c. (6). Sane exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum univerſitatis Civium hominum utriuſque ſexus Civitatis Senegalien. (7) & nonnullorum Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorum, petitio continebat, quod ipſi Cives, & Univerſitas devotionis zelo accenſi, ad laudem, & reverentiam omnipotentis Dei, divini cultus augmentum, & fidelium animarum ſalutem, quibuſdam Fratribus Ordinis S. Dominici, id poſtulantibus, loca quędam, in quibus unam domum dicti Ordinis ſub vocabulo Sanctę Marię Gratiarum extra muros dictę Civitatis cum Eccleſia, campanili, clauſtro, refectorio, & dormitorio, horto, hortaliliis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu, & habitatione dictorum Fratrum conſtruere, & ędificare proponunt, & peroptant. Quare pro parte tam Univerſitatis, quam civium, & Fratrum prędictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eorum deſiderio in hac parte favorabiliter annuere, eiſque in eodem loco domum hujuſmodi cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis extra dictam civitatem pro uſu, & habitatione dictorum Fratrum, conſtruendi licentiam concedere, ac alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui obſervantiam, ac cultus hujuſmodi propagationem intenſis deſideriis appetimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum eiſdem Univerſitati, ſine tamen alicujus pręjudicio, domum prędictam cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortaliriis, aliiſque neceſſariis officinis extra muros dictę Civitatis ędificandi, & conſtruendi, ipſiſque profeſſoribus locum hujuſmodi recipiendi, & in illo perpetuo manendi, licentiam auctoritate noſtra concedere curetis. Nos enim Fratribus hujuſmodi, in eadem domo pro tempore reſidentibus, & degentibus, ſi concesſionem hujuſmodi feceritis, ut pręfertur, quod omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, & libertatibus, ac indultis, quibus alię domus, Ordinis & obſervantię hujuſmodi in genere utuntur, & gaudent, ſeu uti, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, & gaudere poſſint, harum ſerie indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium ad inhabitandum domus, vel loca quęcunque de novo recipere pręſumant abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem &c. quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo tertio, Septimo Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Facultas.

1. *Senogallien.*) Vulgo *Senigaglia*, in ditione Pontificia, ad mare *Adriaticum*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXII fol.*79.

3. *Tiburtin.*) Vulgo *Tivoli*, in *Latio*. Is erat *Angelus Lupus*, de quo conſulendus *Ughellus in Epiſcopis Tiburtin. Tomo I Italiæ Sacræ pag.*1311 *Edit.II.*

4. *Foro Sempronio.*) Vulgo *Foſſombrone*.

5. *Fanen.*) Vulgo *Fano*, in *Urbinatenſi* Ducatu. *Fani* tunc ſedebat *F. Johannes Henricus de Tonſis* Ord. Minorum. Adeas *Ughellum Tomo I Italiæ Sacræ pag.*667 *Edit.II.*

6. *Noſtri &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

7. *Senegalien.*) *Senogallien.*, ut dictum fuit, vel *Sena Gallicen.*; ſic vocatur a *Senonibus Galliæ* populis, a quibus ædificata fuit civitas illa.

Hei-

Heidelbergen. (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1473 Die 27 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXXIX.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Wormacien. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex Ducis Bavariæ petitio.

EXimię devotionis affectus, quem dilectus filius Nobilis vir Fredericus (4) Comes Palatin. Rheni, Imperii Elector, & Bavarię Dux, ad Nos & Romanam gerit Eccleſiam non indigne meretur &c. (5). Sane pro parte dicti Comitis Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ipſe zelo devotionis accenſus, ac cupiens terrena in cęleſtia felici commercio commutare, pro ſuę ac progenitorum ſuorum ſalute, & divini cultus incremento, de bonis ſibi a Deo collatis unam Domum in Suburbio oppidi Heidelbergen. Wormacien. Dięceſis, ejus dominio ſubjecti, pro uſu, & habitatione Fratrum Ordinis Prędicatorum, de obſervantia nuncupatorum, cum Eccleſia, clauſtro, cęmeterio, campanili, campanis, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtrui, & ędificari facere proponat, ſi ſibi ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam licentia concedatur. Quare pro parte pręfati Friderici Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi, ſine tamen alicujus pręjudicio, unam domum dicti Ordinis cum Eccleſia, clauſtro, cęmeterio, campanili, campana, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis prędictis, pro uſu, & habitatione dictorum Fratrum, conſtruendi, & ędificandi, ac eiſdem Fratribus illam recipiendi, & inhabitandi, ac perpetuo retinendi, licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui noſtris potiſſime temporibus Religionem & cultum hujuſmodi adaugeri intenſis deſideriis affectamus, pium propoſitum hujuſmodi plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſine cujuſcunque pręjudicio pręfato Comiti in oppido prędicto, dummodo locus ad hoc ſit honeſtus, & idoneus, domum hujuſmodi, cum Eccleſia, clauſtro, cęmeterio, campanili, campana, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis hujuſmodi pro uſu, & habitatione Fratrum prędictorum, inibi ſub regulari obſervantia viventium, conſtruendi, & ędificandi, ac eiſdem Fratribus illam recipiendi, & perpetuo inhabitandi auctoritate noſtra licentiam largiaris. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per te vigore pręſentium fieri contigerit, ut pręfertur, dictę Domui, ac illius Priori, & Fratribus, qui illam pro tempore inhabitabunt, ut omnibus, & ſingulis indultis, privilegiis immunitatibus, exemptionibus, & gratiis, domibus, & illarum Fratribus dicti Ordinis in illis degentibus in genere conceſſis, & concedendis, & quibus illi in genere potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere poſſint, & debeant, quodque Fratres ipſi in Univerſitate (6) ſtudii dicti Oppidi pro tempore exiſtentes, in theologię & artium facultatibus ſtudere & inibi gradum Magiſterii ſuſcipere. necnon eiſdem Fratribus de ſuperioris ſui conſenſu in quibuslibet bonis in quibus ab inteſtato ſucceſſiſſent (7), ſi in ſeculo remanſiſſent, ſuccedere, ſeu eorum domus ſuccedat, illaque diſtrahere, & in ſuos & dictę Domus licitos uſus convertere libere, & licite valeant, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium indulgemus: jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujusvis alterius in omnibus ſemper ſalvo; Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. Octavi Prędeceſſoris noſtri prohibente, ne prędicti & cujusvis Ordinis Mendicantium Fratres ad inhabitandum nova loca recipere, ſeu recepta mutare pręſumant, abſque dictę Sedis licentia ſpeciali, de prohibitione hujuſmodi ſpecialem, & expreſſam mentionem faciente, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, necnon dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis &c. quibuſcunque &c. Datum Tibure Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo tertio, Sexto Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Facultas.

Nota.

1. *Heidelbergen.*) In Circulo *Rheni*, in *Germania*. Juris eſt Provincialis *Teutoniæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XL fol.* 199.
3. *Wormacien.*) Vulgo *Worms*, in *Germania*.
4. *Fredericus.*) Hujus nominis *II.*
5. *Meretur &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
6. *Univerſitate.*) Anno circiter *MCCCXLVI* fundata.
7. *Succeſſiſſent.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

Bona (1) Fratribus, & Sororibus Ordinis Prædicatorum jure hæreditario obvenire poſſe decernens, irritas facit quarundum Sororum renunciationes.

Anno 1473 Die 27 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XL.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

REgimini univerſalis Eccleſię &c. (3). Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Ordinis Prędicatorum, ac dilectarum filiarum Prioriſſę, & Sororum, ſub cura, & ſecundum inſtituta Fratrum Prędicatorum degentium domorum oppidi Nuremburgen. (4), Bamburgen. (5) Dięceſis, ſub regula S. Auguſtini degentium, petitio continebat, quod, licet Fratribus dicti Ordinis Prędicatorum per Apoſtolicę Sedis privilegium, cui non eſt hactenus in aliquo derogatum, credatur eſſe conceſſum, & Sororibus ſub cura, & ſecundum inſtituta ipſorum Fratrum degentibus de jure ſit indultum, quod eorum domus in quibuſcunque bonis mobilibus, & immobilibus, quę feudales non

Nota.

ſunt, & in quibus, ſi manſiſſent in ſeculo, jure hereditario ſucceſſiſſent, queque in ſeculo libere erogare potuiſſent, ſuccedere, ipſique Fratres illa eos concernentia libere apprehendere, ac vendere, & diſtrahere, ac in reparationem, & conſervationem ipſarum domorum ſuarum, & in emptionem ornamentorum eccleſiaſticorum, luminarium, & aliorum pro divino cultu neceſſariorum, alioſque eorum licitos uſus, convertere poſſint, quia tamen Prior, & Fratres predicti ſuper conceſſionem hujuſmodi non habent publica documenta, ac ipſi, & Priorisſa, ac Sorores predictę contra premiſſa, & propter renunciationes bonorum hujuſmodi, ad quas per conſanguineos, ſeu alias infra annos pubertatis exiſtentes ſępius inducuntur, multipliciter moleſtantur, pro parte Prioris, & Fratrum, ac Prioriſſę, & Sororum predictorum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſis, quod in bonis predictis, ut prefertur, ſuccedere, ipſique Prior, & Fratres, quatenus eos concernit illa apprehendere, vendere, & diſtrahere, ac in reparationem, & conſervationem ſuę domus hujuſmodi, & in emptionem ornamentorum, luminarium, & aliorum pro divino cultu neceſſariorum, & alios licitos uſus convertere poſſint, concedere, quodque renunciationes hujuſmodi, ſi ante annos pubertatis fiant, ſeu factę ſint, nullius roboris, vel momenti exiſtant, decernere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, ipſorum Prioris & Fratrum ac Prioriſſę ac Sororum commoditatibus conſulere cupientes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Priori, Fratribus, Prioriſſę, & Sororibus predictis, quod in ipſis bonis, ut premittitur, ſuccedere, ac iidem Prior, & Fratres, quatenus eos concernit, illa apprehendere, vendere, & diſtrahere, ac in illorum licitos uſus convertere valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore preſentium, de ſpecialis dono gratię indulgemus, renunciationes predictas pro tempore factas nullius roboris, vel momenti fuiſſe, & eſſe eadem auctoritate decernentes. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis quibuſcunque &c. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis & conſtitutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Tibure Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo tertio, Sexto Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Nota.

Decernit ut ſupra.

1. *Bona.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXXI fol.* 179.
3. *Eccleſia &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Exordiis.
4. *Nuremburgen.*) *Nurembergen.*, aliis *Norimbergen.*, *Noribergen.*, & *Norobergen.*, vulgo *Nuremberg*, in *Germania*.
5. *Bamburgen.*) *Bambergen.*, vulgo *Bamberg*, in *Germania*.

Anno 1473 Die 7 Octobris.

De quibuſdam poſſeſſionibus Bergomenſis (1) Cœnobii venditis, abalienatis, locatis &c.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLI.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus domus Sancti Stephani Pergamenſis (3), Ordinis Fratrum Predicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrę Religionis honeſtas ſub qua devotum, & ſedulum ſub regulari obſervantia exhibetis Altiſſimo famulatum, ac devotionis ſinceritas, quam ad Nos, & Romanam geritis Eccleſiam non indigne merentur, ut votis veſtris in his preſertim per quę veſtris, ac domus veſtrę Sancti Stephani, Pergamenſis, Ordinis antedicti ſtatui, & indemnitatibus conſulitur, gratioſum Apoſtolici favoris preſidium liberaliter impendamus. Sane pro parte veſtra Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod licet ad domum veſtram predictam nonnulla annui redditus, poſſeſſiones, & bona immobilia ex diverſis, tam ex teſtamento, quam alias in morte, ſeu in vita ei factis inſtitutionibus, relictis legatis, donationibus, ſeu conceſſionibus, pervenerint, tamen pro eo, quod vos, & antequam domus ipſa ad regularem obſervantiam dicti veſtri Ordinis, ſub qua nunc degitis, reduceretur, quidam ex predeceſſoribus veſtris Prioribus, & Fratribus ejuſdem domus ex ignorantia, ſeu inadvertentia, vel alias forſan credentes, id vobis, ſeu ſibi licere, nonnulla ex ſupradictis poſſeſſionibus, in perpetuum, ſeu ad certum tempus in locationem, ſeu emphiteoſim, aut in excambium, ſeu permutationem, vel alias conceſſiſtis, ſeu vendidiſtis, vel alias alienaſtis, aut conceſſerunt, vendiderunt, vel alienarunt, quorum etiam aliqua per ipſos teſtatores, ſeu concedentes vendi, vel alienari prohibebantur, aut Miſſarum, ſeu aliorum divinorum Officiorum celebrationem, vel aliud quid ſpirituale concernentia, conditiones, & onera, etiam hujuſmodi adjecta pęna, quod niſi illa adimplerentur relicta, legata, donata, ſeu conceſſa bona hujuſmodi, ad alias Eccleſias, Monaſteria, domos, ſeu pia loca, vel ad certos pios uſus, ſeu etiam perſonas eccleſiaſticas, eo ipſo devolverentur, non adimpleviſtis, dubitatis, illa ex redditibus, ſeu ex poſſeſſionibus, & bonis predictis, quę nunc pacifice poſſidetis, tanquam ad alios devoluta, & ad eos pertinentia abſque conſcientiarum veſtrarum ſcrupulo percipere, & retinere non poſſe, ac predictas alienationes cum inde ſecutis, viribus non ſubſiſtere, pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, cupientes, ut ſublatis quibuſvis litium diſpendiis quietius in humilitatis ſpiritu, & preſata obſervantia Altiſſimo famulari, ac ſacrarum literarum ſtudiis, quibus complures ex vobis dediti fore noſcuntur, commodius inſiſtere valeatis, necnon redditus, poſſeſſiones, & bona predicta per eorum nomina, cognomina, deſignationes, loca, confines, qualitates, ac illorum veros valores, necnon inſtitutionum, relictorum, donationum, conceſſionum, venditionum, & alienationum, conditionumque, & onerum predictorum, quęcunque, quotcunque, & qualiacunque fuerint, tenores preſentibus pro expreſſis habentes, veſtris, quia, ut aſſeritis, fructus, redditus, & proventus dictę domus vobis non ſufficiunt ad vivendum, ſed ex eleemoſynis Chriſti fide-

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

Digitized by Google

fidelium victum quęrere cum labore cogimini, ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, vos, ac prędictam veſtram domum, quoad redditus, poſſeſſiones, & bona prędicta, illa videlicet, quę nunc poſſidetis pacifice, necnon jus, quod vobis, & pręfatę veſtrę domui in illis, ſeu ad illa quomodolibet competebat in eo ſtatu, in quo antequam per vos, ſeu dictos prędeceſſores, conceſſiones, venditiones, & alienationes prędictę fierent, aut vos, & illi conditiones, & onera antedicta facere omitteretis, ſeu facere omitterent, quomodolibet eratis, & dicti prędeceſſores erant, ſeu veſtra domus hujuſmodi erat, in integrum reſtituimus, reponimus, & redintegramus, illaque omnia, & ſingula ad vos, & dictam veſtram domum, ut prius ſpectare, & pertinere, decernimus. Et nihilominus omnia, & ſingula Miſſarum, & divinorum celebrationes, & quęcunque alia ſpiritualia, conditiones, & onera, ad quę vos, & dicti prędeceſſores, ratione redituum, poſſeſſionum, & bonorum prędictorum, tenebamini, ſeu tenebantur, & fructus per vos, & dictos prędeceſſores exinde forſan male perceptos, quę omnia quęcunque, quotcunque, & qualiacunque, & quanticunque valoris ſint ſimiliter pręſentibus haberi volumus pro expreſſis, vobis, ac prefatę domui penitus remittimus, ac donamus; decernentes vos, ſeu dictam veſtram domum, ad ipſa conditiones, & onera, ratione pręteriti temporis adimplenda, nullatenus teneri, nec ad id a quoquam invitos, quavis auctoritate, ullo unquam tempore compelli poſſe, ac ex nunc irritum decernimus, & inane, quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari; diſpenſantes nihilominus vobiſcum, ac vobis, & prefatę domui harum ſerie concedentes, quod uſque ad Apoſtolicę Sedis beneplacitum, quę nunc, ſeu ex teſtamento, aut quavis alia pia donatione vobis relicta, aut donata ſunt, annuos redditus, & immobilia quęcunque, ac poſſeſſiones recipere, & retinere libere, & licite valeatis. Et inſuper auctoritate pręfata tenore pręſentium vobis, quod ab illis, quę certis Eccleſiis, Monaſteriis, domibus, & hoſpitalibus, locis, ſeu perſonis ad aliquos determinatos, etiam ſpeciales, ſeu alios pios uſus debentur, data eis quibus debentur recompenſa, de qua cum illis concordare poteritis, vos, & dictam veſtram domum etiam in perpetuum liberare, illa vero, quę ad veſtras, & dictę veſtrę domus, & determinatos uſus ſunt debita, pro veſtrę voluntatis libito in quoſcunque uſus veſtros convertere quandocunque, & quotieſcunque libere, ac licite poſſitis, concedimus per pręſentes pariter, & indulgemus: Cetera autem omnia, & ſingula, ſuper quibuſcunque, quę ad dictam veſtram domum hactenus quomodolibet pervenerint, redditibus, poſſeſſionibus, & bonis, impoſita onera, conditiones, & modos ſpirituales, ſeu ſpiritualia, quęcunque, quotcunque, & qualiacunque fuerint, vobis, & dictę veſtrę domui penitus remittimus, ac vos abſolvimus ab eiſdem, decernentes vos, & ſucceſſores veſtros ad obſervationem illorum, in antea minime teneri, nec ad obſervationem ipſam invitos a quoquam, quavis auctoritate, compelli poſſe, nec propter obſervationem hujuſmodi a redditibus, poſſeſſionibus, & bonis hujuſmodi, vel jure vobis in illis, ſeu ad illa quomodolibet competenti cadere, aut in aliam pęnam incidere quoquomodo. Volumus autem quod in recompenſam onerum, ſic remiſſorum prędictorum pro animabus eorum, quorum poſſeſſiones, & bona hujuſmodi fuerint, & aliorum benefactorum veſtrorum ſingulis cujuſlibet anni menſibus duo generalia Anniverſaria celebrare teneamini: Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac inſtitutionibus, relictis, legatis, donationibus, conceſſionibus, oneribus, & conditionibus prędictis, ac pęnis in illis, ſeu in confectis deſuper Inſtrumentis, contentis, etiam pręfata auctoritate approbatis, & confirmatis; necnon inſtitutis, ſtatutis, & conſuetudinibus Ordinis prędicti, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi quoad ipſorum derogationem, de illis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda eſſet, illorum tenores ſimiliter pręſentibus pro expreſſis habentes, quoad pręmiſſa expreſſe derogamus, illis alias in ſuo robore permanſuris, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum reſtitutionis, repetitionis, redintegrationis, conſtitutionis, remiſſionis, donationis, decreti, conceſſionis, indulti, remiſſionis, abſolutionis, voluntatis, approbationis, confirmationis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Millesimo Quadringenteſimo Septuageſimo Tertio, Nonis Octobris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Bergomenſis*.) Vulgo *Bergamo*, in Ditione *Veneta*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Autographo *Bergomenſi*.

3. *Pergamenſis*.) Nunc *Bergomenſis*, ut alibi notatum fuit.

Anno 1473 Die 28 Novembris.

F. Johannes de Piſtorio (1) Raguſium (2), ut ſacras conciones ibi habeat, petere jubetur.

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

XLII.

Dilecto filio Johanoi de Piſtorio Ordinis Prędicatorum.

SIXTUS PP. IV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Beoedictiooem.

MAndavimus tibi ſuperioribus menſibus, ut ad Civitatem noſtram Forlivil Verbum Dei doctrinamque evangelicam prędicaturus accederes; ignari, quod Raguſinis ſpem dediſſes, pollicituſque eſſes proxima Quadrageſima, te apud eos prędicaturum. Cum vero ob pollicitationem hujuſmodi, cupis ipſis Raguſinis, ſicut cariſſimus in Chriſto filius noſter Ferdinandus (4) Siciliç Rex Illuſtris ſuis ad Nos literis teſtatus eſt, ſatisfacere poſſe, tuo in hoc honeſto deſiderio annuentes, mandatum tibi per Nos, ut prę fertur, factum relaxamus, & apud Raguſium juxta pollicitationem tuam, ire poſſis concedimus, contrariis oon obſtaotibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XXVIII Novembris MCCCCLXXIII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

L. Griſus.

1. *Johannes de Piſtorio.*) Conſulenda *Conſtitutio XXXIV* ejuſdem *Sixti IV.*
2. *Raguſium.*) In ejuſdem nominis Republica.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar *Lib. B. fol.* 119 ex Autographo *Piſtorienſi*.
4. *Ferdinandus.*) Hujus nominis *I.*

Anno 1473 Die 30 Decembris.

Vercellenſe (1) Cœnobium quodam Beneficio donat.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XLIII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Ludovico de Cenſoriis Canonico Vercellen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa. ROmanum decet Pontificem votis illis gratum prę ſtare aſſenſum (3) &c. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Conventus Domus Sancti Pauli Vercellen., Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, quod ſi Oratorium, ſeu Capella B. Marię, & Sanctę Annę cum certo illi canonice annexo Hoſpitali pauperum in Caſtro Burgialilas, Vercellen. Dięceſis, quę de jure patronatus laicorum exiſtunt, eidem domui unirentur, annecterentur, & incorporarentur, tam Oratorium, ſeu Capella. & Hoſpitale, quam Prior, & Conventus hujuſmodi maximum exinde ſuſciperent relevamen, & divinus cultus inibi augmentaretur. Quare pro parte Prioris, & Conventus prędictorum, aſſerentium, quod fructus, redditus, & proventus Oratorii, ſeu Capellę, & Hoſpitalis hujuſmodi decem florenorum auri de camera ſecundum communem extimationem valorem annuum noo excedunt, & quod dilecti filii, Antonii Novarię Presbyteri, Vercellen. Dięceſis, & unici patroni Oratorii, ſeu Capellę, & Hoſpitalis prędictorum, exiſtentis in pacifica poſſeſſione, ſeu quaſi juris prę ſentandi perſonam idoneam ad Oratorium, ſeu Capellam hujuſmodi, dum pro tempore vacant, tanquam patroni laici expreſſus ad hoc accedit aſſenſus, nobis humiliter fuit ſupplicatum, ut Oratorium, ſeu Capellam, & Hoſpitale hujuſmodi cum omnibus juribus, & pertineotiis ſuis eidem domui unire, annectere, & incorporare, aliaſque in prę miſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Mandatum. Nos itaque de prę miſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, vocatis quorum intereſt, de prę miſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, & , ſi per eandem informationem ita eſſe repereris, & ad hoc prę fati Antonii, & aliorum patronorum Oratorii, ſeu Capellę, & hoſpitalis prędictorum, ſi qui ſint, ad hoc expreſſus accedit aſſenſus. Oratorium, ſeu Capellam. & Hoſpitale hujuſmodi cum omnibus juribus & pertinentiis ſupradictis eidem Domui auctoritate prę fata perpetuo unias, incorpores, & annectas, ita quod, cedente, vel decedente moderno Oratorii, ſeu Capellę, & Hoſpitalis prędictorum Rectore, vel alias quomodolibet dimittente, liceat eiſdem Priori, & Conventui corporalem Oratorii, ſeu Capellę, & hoſpitalis prędictorum poſſeſſionem auctoritate propria libere apprehendere, & perpetuo retinere, eorumque fructus, redditus, & proventus in uſus pauperum & aliarum miſerabilium perſonarum, ad ipſum hoſpitale pro tempore confluentium, ac alias juxtam forma Conſtitutionis felicis recordationis Clementis PP. V, Prędeceſſoris noſtri, ſuper hoc in Concilio Viennen. editę, convertere, Dięceſani loci, vel cujusvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus Conſtitutionibus &c. quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in partibus illis ſpeciales, vel generales dictę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarunt, ac ſi per eas ad inhibitionem &c. & inde ſecuta quęcunque, quę ad Oratorium, ſeu Capellam, & Hoſpitale, hujuſmodi volumus non extendi &c. & quibuſvis aliis privilegiis, & literis Apoſtolicis &c. quorumcunque tenorum exiſtant &c. & de quibus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, proviſo quod propter unionem, annexionem, & incorporationem hujuſmodi, ſi illę vigore prę ſentium fiant, & effectum ſortiantur, Oratorium, ſeu Capella, & hoſpitale hujuſmodi debitis non fraudentur obſequiis &c.

& inſuper ex nunc irritum decernimus, & inane ſi ſecus ſuper iis a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Tertio, Tertio Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Vercellenſe.*) In *Pedemontio.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro L. fol.53.*
3. *Aſſenſum &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Exordiis.

Anno 1473 Die.....

XLIV.

Ne Firmani (1) Fratres moleſtiis afficiantur, & ut in poſſeſſionem cujuſdam viæ redeant.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Dilecto Filio Vicario, venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Firmani.

S I X T U S P P. I V.

Dilecte Fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PRo parte dilectorum filiorum noſtrorum Fratrum Conventus S. Dominici Firman. Ordinis Prędicatorum, Nobis nuper fuit expoſitum, quod dum ipſi pro ampliori augmento ejuſdem Conventus in poſſeſſionem cujuſdam vię, & loci in dicta civitate Firmana prope dictum Conventum ſituatę vigore donationis per Communitatem Firmanam dicto Conventui datę, & legitime factę, pacifice exiſterent, & in ipſa via jam fabricare cępiſſent, nonnulli laici, etiam Firmani, auctoritate propria, ac temerario auſu ad Conventum prędictum acceſſerunt, ac trabes, tabulas, lignamina, atque alia ibidem ſuper prędictam viam pro augmento dicti Conventus facta, & fabricata, deſtruxerunt de facto, ac ſecuribus, & aliis ferramentis viam domus prędictę aperuerunt, Priorem, & Fratres Conventus pręfatos damnificando, ac ipſos via, & loco de facto expoliando, ex quo ad dormitorium, refectorium, ac ſingula pene loca dicti Conventus ingreſſus publice patet, ſententias, & Excommunicationum pęnas contra invaſores Conventuum, & locorum dicti Ordinis latas, temere incurrendo. Quare eidem Prior, & Fratres nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſuper hoc eis opportuno, juſtove remedio dignaremur adeſſe. Nos ergo paterne conſulentes, pręmiſſa, ſi vera ſint, ſine diſſimulatione prętereunda non eſſe, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, per pręſentes tibi committimus, & mandamus, quatenus, capto tibi ſummario de prędiclis, ante omnia eoſdem Priorem, & Fratres Conventus hujuſmodi in, & ad poſſeſſionem dictę vię, & loci, in qua ante hujuſmodi factam moleſtiam erant, reponas, & reſtituas, nec eos amplius via facti, a quocunque moleſtari permittas, contradictores quoslibet cenſuris eccleſiaſticis compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Firmani.*) Vulgo *Fermo*, in *Marchia Anconitana.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Firmano.*
3. *Tertio.*) Dies, menſis, & annus æræ vulgaris deſunt ex amanuenſis incuria.

Anno 1474 Die 10 Januarii.

XLV.

Bellimontis (1) Cœnobii fundandi facultas:

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Egitanien (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ADmonet nos ſuſcepti cura regiminis &c. (4). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Ferdinandi Capralis Militis, Vicen. (5) Dięceſis, petitio continebat, quod ſi prope, & extra oppidum Bellimontis, Egitanien. Dięceſis, quod ſub ditione dicti Militis exiſtit, habitarent aliqui Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſores, devotio fidelium in dicto oppido cum religionis propagatione, & incolarum, ac habitatorum ejuſdem oppidi conſolatione, animarumque ſalute ſucederet, ipſeque Miles ob ſincerę devotionis officium, quem ad Ordinem, & Fratres prędictos gerit, deſiderat domum unam pro habitatione eorundem Fratrum prope, & extra ipſum oppidum, in loco tamen congruo, & honeſto, cum Eccleſia, campanili humili, campana, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis erigi, & conſtrui facere. Quare pro parte dicti Militis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi domum hujuſmodi erigendi, & conſtruendi, & eiſdem Fratribus domum illam pro eorum uſu, & habitatione recipiendi, & inhabitandi licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus augmentum, & Religionis propagationem noſtris pręſertim temporibus augeri, accenſis deſideriis affectamus, pium ipſius Ferdinandi in hac parte propoſitum plurimum in domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, & committimus, quatenus, ſi eſt ita, pręfato Ferdinando, ut domum hujuſmodi prope dictum oppidum in loco congruo, & honeſto, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cęmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis erigere, & conſtruere, necnon Fratribus prędictis, ut domum ipſam pro eorum uſu, & habitatione recipere, & per-

Supplex Fundatoris petitio.

Facultas.

& perpetuo inhabitare libere, & licite poſſint, & valeant, jure tameo Parochialis Eccleſię, & cujuſlibet alterius io omnibus ſemper ſalvo, auctoritate noſtra liceotiam concedere procures. Nos enim domui hujuſmodi, poſtquam erecta fuerit, necnon Priori, & Fratribus, eam pro tempore habitantibus, ut omoibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, favoribus, immuoitatibus, exemptionibus, & indultis; domibus dicti Ordinis, & illarum Prioribus, & Fratribus in genere per Sedem Apoſtolicam, vel alias quomodolibet conceſſis, & concedendis, uti, potiri, & gaudere libere, & licite poſſint, & valeant, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium, de ſpeciali gratia, concedimus pariter, & indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. Octavi Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordiois Mendicaotium in aliqua civitate, caſtro, vel villa &c. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, necoon privilegiis, & indultis aliis Fratribus dicti Ordinis a pręfata Sede conceſſis, necnoo ſtatutis &c. quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Tertio (6), Quarto Idus Jaouarii, Pootificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Bellimontis.*) In *Luſitania* Regno.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLII fol.* 32.
3. *Egitanien.*) Aliis *Ægitanien.*, *Igaditen.*, *Igditaten.*, *Idigiten.* &c. Incolis *Idanha a Velha*.
4. *Regiminis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
5. *Vicen.*) Legerem: *Viſenſis*, vulgo *Viſeo*, aliis *Viſeu*, in *Luſitania* Regno, ubi fundatum fuit Cœnobium. Notandum tamen, quod *Vicenſis*, vulgo *Vich*, & *Vique*, Diœceſis eſt in *Catalonia*.
6. *Septuageſimo Tertio.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLXXIV*.

Anno 1474 Die 21 Januarii.

F. Salvus Caſſetta (1) frumentum e Sicilia Romam mittendum curet.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLVI.

Dilecto Filio Salvo Caſſetta in Provincia Sicilię Pravitatis hęreticę Ioquiſitori (3).

SIXTUS PP. IV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Beoedictionem.

EX copia pręſentibus introcluſa videbis, quid Nos a dilecto filio nobili viro Lupo Ximene (4) Sicilię Vicerege petamus, & quantum hujuſmodi cura ſollicitemur. Sane nihil hoc tempore magis deſyderamus, quam ut Nos hac cura liberemus, & abundantię Almę Urbis noſtrę opportune conſulamus. Speramus Viceregem ipſum Nobis optime ſatisfacturum. Res eoim noſtras magno amore, & pręcipua caritate complecti ſolet. Et certe cum hoc Nobis ita cordi ſit, non dubitamus, eum facile omnia, quę ſibi poſſibilia eruot, facturum: & tractam (5) hujuſmodi conceſſurum. Scribimus item ſuper hoc Venerabili Fratri Archiepiſcopo Panormitano: ut ipſe quoque omnibus perſuaſionibus efficiat, quo noſtrum circa hoc deſiderium adimpleatur. Is tibi maximo adjumento fuerit: ut facilius, quę tibi viſa fuerint opportuna, ab ipſo Vicerege impetres. Tuus nunc labor erit, omni ſtudio, cura, diligentia onus hujuſmodi ſubire, & nervos omnes tuos inteodere, ut magnam copiam frumenti ex iſta Provincia habere poſſimus. Nos eoim de tua devotione, ac prudeotia ſingularem in Domino fiduciam obtinemus. Non dubitamus, quio in hoc diligentia, & bona opera tua opioioni noſtrę reſpondeant. Brevia, quę & ad Viceregem, & ad Archiepiſcopum mittimus, tu ipſe pręſentabis: Viceregemque ipſum informabis, prout tibi melius, ac opportuoius videbitur. Ita te in hujuſmodi tam neceſſaria re gerere ſtudeas, ut de diligentia, & bonis tuis operibus venias apud nos non immerito commendandus (6). Datum Romę apud S. Petrum ſub Anoulo Piſcatoris die XXI Januarii MCCCCLXXIV, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

L. Grifus.

1. *Salvus Caſſetta.*) *Siculus* natione, patria *Panormitanus* vir celeberrimus, de quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.
2. *Archivo.*) In quo Autographum.
3. *Inquiſitori.*) Generalis Cenſor fidei fuit *Salvus* noſter in *Siciliæ* Regno *ultra Pharum*, ut videre eſt ex Actis Generalis Capituli Romæ *MCCCCLXVIII* celebrati, ubi ſic legitur: *Denunciamus Magiſtrum F. Salvum Caſſettam de Panormo, Provinciæ Trinacriæ Definitorem præſentis Capituli, inſtitutum fuiſſe per SS. Dominum noſtrum Inquiſitorem hæreticæ Pravitatis per totum Regnum Siciliæ ultra Pharum.* Hæc igitur verba: *In Provincia Siciliæ* dicta videntur more Fratrum, a quibus Inſula tota *Siciliæ*, Provincia *Trinacriæ*, ſeu *Siciliæ*, vocatur.
4. *Ximene.*) Vivebat tunc ejuſdem cognominis magnus ille *Franciſcus Ximenes*, Ordinis S. P. *Franciſci*, & *Hiſpaniæ* decus.
5. *Tractam.*) Seu negotium, a verbo *Tractare*, Gallice *Traite*: Italice vero vulgo *Tratta*.
6. *Commendandus.*) Hoc anno S. Palatii Apoſtolici Magiſter creatus eſt F. *Salvus*. Totius Ordinis Magiſter Generalis poſtea fuit, & rebus in rem Eccleſiæ præclare geſtis claruit.

Montis Caprelli (1) Cœnobii ſundandi facultas. — Anno 1474 Die 14 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectę in Chriſto filię nobili Mulieri Yolanti (3) de Francia Duciſſę Sabaudię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. — XLVII.

GEneris tui claritas &c. (4), Sane exhibita Nobis nuper pro parte tua, petitio continebat, quod cum alias quędam Capella in honorem Sancti Petri Martyris Ordinis Fratrum Prędicatorum in territorio Montis Caprelli, Vercellen. Diœceſis, ex largitione, & devotione Chriſti fidelium conſtructa, & ędificata ſit, propter diverſa miracula, quę inibi Omnipotens Deus in dies oſtendere dignatus eſt, ad eandem Capellam magnus fidelium ipſorum fit concurſus, & populi partium illarum causa devotionis confluunt ad eandem; &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, tu, quę ſimiliter ad eandem Capellam ſingularem geris devotionis effectum, illam ampliari, & circa eam unam domum pro Profeſſoribus ejuſdem Ordinis cum humili campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis fundari, & erigi, & in illa Fratres prędicti Ordinis, quos duxeris eligendos, ſub obedientia Provincialis Lombardię ſecundum ejuſdem Ordinis morem, qui inibi Altiſſimo famulentur, perpetuo introduci deſideras, ſi ad id Sedis Apoſtolicę intervenerit auctoritas. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eandem Capellam ampliandi, & circa eam dictam domum cum humili campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis fundandi, conſtruendi, & erigendi, ac eoſdem Fratres per te eligendos ſub hujuſmodi obedientia inibi introducendi, illiſque domum prędictam pro eorum uſu, & habitatione perpetuis recipiendi, & in illa commorandi, licentiam concedere, & alias in prǽmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus augmentum, ac regularis obſervantię propagationem intenſis deſideriis affectamus, pium tuum propoſitum in prǽmiſſis plurimum in Domino commendantes, ac votis tuis in hac parte favorabiliter annuentes, tibi eandem Capellam ſine alicujus prǽjudicio ampliandi, & circa eam dictam domum, cum clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis fundandi, conſtruendi, & erigendi, ſeu fundari, conſtrui, & erigi faciendi, ac in eadem Fratres dicti Ordinis per te eligendos ſub hujuſmodi obedientia inibi introducendi, illiſque domum prędictam pro eorum uſu, & habitatione perpetuis recipiendi, & in illa commorandi, ac perpetuo Altiſſimo famulandi, Diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, jure tamen Parochialis Eccleſię, infra cujus metas dicta Capella ſita exiſtit, & cujuſlibet alterius alias in prǽmiſſis ſemper ſalvo, felicis recordationis Bonifatii PP. Octavi, Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Mendicantes in civitate, villa, caſtro, ſeu loco quocunque ad habitandum domos, vel loca quęcunque de novo recipere prǽſumant, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, non faciente plenam, & expreſſam ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, & quibuſvis aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ceteriſque contrariis, plenam, & liberam, auctoritate Apoſtolica, tenore prǽſentium, elargimur, & inſuper quod domus prędicta, & Fratres in ea pro tempore degentes, omnibus, & ſingulis privilegiis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, indulgentiis, & indultis, aliis domibus, ſive conventibus Lombardię, Ordinis, & obſervantię prędictorum, necnon Fratribus in eis degentibus per Sedem prǽfatam, ſeu alias, in genere conceſſis perpetuo uti, & gaudere valeant, eadem auctoritate concedimus per prǽſentes. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis, & indulti infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Tertio (5), Sexto Decimo Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Margin notes: Supplex Duciſſæ Sabaudiæ petitio. — Facultas.

1. *Montis Caprelli.*) In *Pedemontio.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLV fol. 9.*
3. *Yolanti.*) Vulgo *Yoland de France.* Sic cognominatur, quia patrem habuit *Carolum* Regem, & *Mariam* Reginam *Franciæ.* Nupſerat *Amedeo*, cognomento *Beato*, Duci *Sabaudiæ.*
4. *Claritas &c.*) Exordium deeſt.
5. *Septuageſimo Tertio.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLXXIV.*

Curienſis (1) Monaſterii fundandi facultas. — Anno 1474 Die 29 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio officiali Curien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. — XLVIII.

EXimię devotionis affectus, quem dilecti filii cives, & incolę Civitatis Curien. ad Nos, & Roman. gerunt Eccleſiam, non indigne meretur &c. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte civium, & incolarum prędictorum, petitio continebat, quod ipſi pia devotione commoti, cupientes terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, obque ſingularem devotionis affectum, quem ad Ordinem Fratrum Prędicatorum in agro militantis Eccleſię fructuoſe plantatum, ut fructum afferat, prout affert, populo Chriſtiano, geſſerunt hactenus, & gerunt etiam de prǽſenti, unum ejuſdem Ordinis Conventum in quo Prioriſſa, & Moniales ejuſdem Ordinis ſuam mentem Chriſto Jeſu ſpontanea voluntate devoventes, tanquam prudentes Virgines, accenſis lampadibus ſuis Spon-

Margin notes: Exordium. — Supplex petitio. — Commendatio Ordinis.

Sponſo obviam exeant, ac ſub regulari obſervantia ſedulum, & devotum illi exhibeant famulatum,
ad honorem Sancti Dominici, necnon divini nominis laudem, cum clauſtro, dormitorio, refectorio,
hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis in aliquo loco convenienti, & honeſto Civitatis prędi-
cte, ſeu ſuburbiorum illius, per eos eligendo, ſine tamen alicujus prejudicio fundare, conſ-
truere, & ędificare, ſeu fundari, conſtrui, & ędificari facere, necnon de bonis a Deo ſibi collatis
dotare, atque libris, calicibus, crucibus, & aliis eccleſiaſticis ornamentis ad cultum divinum neceſ-
ſariis decorare deſiderant, & affectant, ſi eis ſuper hoc Sedis Apoſtolicę licentia largiretur. Quare
pro parte civium, & incolarum prędictorum, necnon dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Do-
Nota. mus Sancti Nicolai Curien. dicti Ordinis, qui pro hujuſmodi erectione bona, quę ipſi ſalva conſcien-
tia, & juxta inſtituta dicti Ordinis retinere non poſſint, cum ſuis oneribus dimittere parati exiſtunt,
Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis, ſine tamen alicujus prejudicio, Conventum, ſive domum
hujuſmodi cum Eccleſia, Altaribus, campanili humili, campana, cemeterio, clauſtro, dormito-
rio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis hujuſmodi in Civitate prędicta, ſeu illius subur-
biis, de conſenſu venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Curien. de novo fundandi, erigendi, & conſ-
truendi, ſeu erigi, conſtrui, & ędificari faciendi, illamque de bonis ſibi a Deo collatis dotandi, & eam
Ordini prefato dandi, atque etiam conſignandi, ac Priorillę, & Monialibus dicti Ordinis poſſeſſio-
nem Domorum, hortorum, & aliarum officinarum, ac bonorum Fratrum prędictorum apprehen-
dendi, & perpetuo retinendi, ac onera bonis Fratrum prędictorum adjecta in alias operationes, &
in alia bona, ſeu merita, quę dictę Moniales exercuerint, commutandi, ipſumque Conventum jux-
ta ritus, & conſuetudines, ac privilegia dicti Ordinis regendi, & gubernandi, licentiam concede-
Facultas. re, ac alias in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui
noſtris potiſſime temporibus religionem, & cultum hujuſmodi adaugeri intenſis deſideriis affectamus,
hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus pre-
fatis Civibus, & Incolis Conventum, ſive Domum hujuſmodi, cum Eccleſia, Altaribus, campanili
humili, campana, cemeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis ne-
ceſſariis officinis in dicta Civitate, ſeu illius ſuburbiis, dummodo locus ad hoc ſit honeſtus, & idoneus,
ſine cujuſcunque prejudicio, ac de conſenſu prefati Epiſcopi, de novo fundandi, erigendi, & conſ-
truendi, ſeu erigi, conſtrui, & ędificari faciendi, illumque de bonis a Deo ſibi collatis dotandi, &
ea Ordini prefato dandi, atque etiam conſignandi, ac Monialibus dicti Ordinis poſſeſſionem Conven-
ventus ejuſdem, illiuſque domorum, hortorum, & aliarum officinarum, & bonorum Fratrum prę-
Nota. dictorum, de ſuperioris tamen eorundem Fratrum conſenſu, apprehendendi, & perpetuo retinen-
di, ipſumque Conventum juxta ritus, & conſuetudines, ac privilegia dicti Ordinis regendi, & gu-
bernandi, auctoritate noſtra licentiam concedas. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per te vigore
preſentium concedi contigerit, ut prefertur, dicto Conventui, poſtquam conſtructus fuerit, ac Prio-
rillę, & Monialibus in illo pro tempore degentibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunita-
tibus, gratiis, & indultis, quibus gaudent, ſeu in poſterum gaudebunt alii Conventus dicti Ordi-
nis, & Moniales in illis pro tempore commorantes in genere, uti, potiri, gaudere libere, & lici-
te poſſint, & valeant, quodque onera bonis hujuſmodi adjecta in alias operationes, & in alia bona,
ſeu merita, quę dictę Moniales exercuerint, commutare poſſint, auctoritate Apoſtolica tenore pre-
ſentium indulgemus; jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuſvis alterius ſemper ſalvo. Non obſtan-
tibus felicis recordationis Bonifatii PP. Octavi Predeceſſoris noſtri probibente, ne prędicti aut cujuſ-
vis Mendicantium Moniales ad habitandum nova loca recipere &c., & aliis Conſtitutionibus, & Or-
dinationibus Apoſtolicis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę
Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quarto, Quarto Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno
Tertio.

1. *Curienſis.*) Vulgo *Coria*, & *Coira*, in *Rhętia*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LVI fol.* 227.

Anno 1474 Die 4 Aprilis.

De Prioratu S.Marci uniendo Cœnobio Fratrum Prædicatorum Placentin.(1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLIX.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Cantori, & Theſaurario, ac
Martino de Sanguas Canonico Eccleſię Placentin., Salutem, &
Apoſtolicam Benedictionem.

Piis fidelium votis, gratum Nos decet preſtare aſſenſum, &, ut ea, quę religionis propagatio-
nem, divini quoque cultus augmentum reſpiciunt, optatum ſortiantur effectum, interponere
Exordium. ſollicitudinis noſtrę partes. Sane pro parte dilectę in Chriſto filię Eleonorę Pimentel (3) Ducillę Ara-
vale, Nobis nuper exhibita, petitio, continebat, quod Prioratus S. Marci, extra muros Placentin.
Ciſtercienſis Ordinis, ſitus ſit in loco inhoneſto........, & in illo communiter ad plus duo Mona-
chi dicti Ordinis inhabitant....., & quod ipſa Eleonora, pro divini cultus augmento, & religionis
Diplomatis causa. propagatione, pia devotione ducta, domum unam pro habitatione Fratrum Prędicatorum in Civita-
te Placentin., de novo conſtrui facere inchoavit, opere admodum ſumptuoſo, ſperans quod incolę
prędictę Civitatis Fratrum, qui pro tempore domum ipſam inhabitabunt, exemplari vita, prędica-
tionibus verbi Dei, conſiliis, & exhortationibus ſuarum animarum ſalutem, poſſent veriſimiliter
uberius conſequi, & pro ejuſdem Domus ſtructurarum perfectione, librorum, paramentorum, &
alio-

aliorum eccleſiaſticorum ornamentorum, ad divina inibi celebranda neceſſariorum, emptione, magna pecunię ſumma neceſſaria exiſtit, & his etiam habitis, expedit providere, unde Fratres prędicti, inibi pro tempore vivere poſſint, quodque ſi in Prioratu prędicto, etiam ſi conventualis foret, dignitas Prioratus, & Ordo Ciſtercienſis, omniſque dependentia, ipſius Prioratus penitus, & omnino ſupprimerentur, & illius bona omnia, mobilia, & immobilia etiam divino cultui dedicata, ſacriſtię dictę domus, ad licitos uſus Fratrum Prędicatorum perpetuo applicarentur, profecto exinde domus ipſa pro divinorum inibi celebratione, & aliis ejus opportunitatibus, magnum reciperet relevamen. Quare pro parte ipſius Duciſſę, aſſerentis, quod fructus, redditus, & proventus dicti Prioratus, ducentarum librarum Turonenſium parvorum, ſecundum communem ęſtimationem, valorem annuum non excedunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in Prioratu prędicto, nomen, titulum, & dignitatem Prioratus, ac Ordinem, ac, ſi quę ſint conventualitas, & dependentia, penitus, & omnino ſupprimere, ac illius bona omnia dictę ſacriſtię applicare, aliaſque in pręmiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum, inter alia volumus, quod petentes beneficia eccleſiaſtica, aliis uniri, tenerentur exprimere verum valorem fructuum Beneficii, cui unio fieri petitur, alioquin unio non valeret, quique, de pręmiſſis certam notitiam non habemus, fructuum, reddituum, & proventuum Domus, & illius ſacriſtię verum annuum valorem pręſentibus pro expreſſo haberi volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta committimus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam vocatis, quorum intereſt, de pręmiſſis vobis legitime conſtiterit, in Prioratu prędicto, etiamſi Conventualis exiſtat, Dignitatem Prioratus, & Ordinem Ciſtercienſem, omnemque dependentiam illius penitus & omnino ſupprimatis, & extinguatis, & illis ſuppreſſis, & extinctis, dicti Prioratus ſtructuras, & ędificia, ac mobilia, & immobilia, bona omnia, etiam divino cultui dedicata cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis ſacriſtię prędictę Domus, ad licitos uſus Fratrum Prędicatorum convertenda, auctoritate noſtra perpetuo applicetis, & appropriętis, ita quod ſi quo modo vacat ad pręſens, alioquin cedente, vel decedente, moderno ipſius Prioratus Priore, ſeu alias Prioratum ipſum quomodolibet dimittente, liceat Priori, & Fratribus dictę Domus, per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem poſſeſſionem bonorum, ſtructurarum, juriumque, & pertinentiarum prędictorum propria auctoritate apprehendere, & illorum fructus, redditus, & proventus in ipſorum Fratrum licitos uſus convertere, & perpetuo retinere, Dięceſani loci, & cujuſvis alterius licentia minime requiſita, & nihilominus, ſi dicti Prioratus modernus Prior, Prioratum ipſum ad effectum applicationis, & appropriationis prędictarum, reſignare voluerit, reſignationem ipſam ab eo, vel procuratore ſuo, ad id ab eo ſpeciale mandatum habente, dicta auctoritate recipiatis, & admittatis, eaque per vos recepta, & admiſſa, ipſi moderno Priori, ne propterea nimium diſpendium patiatur, penſionem annuam, tertiam partem fructuum, reddituum, & proventuum dicti Prioratus non excedentem, de qua cum ipſo moderno Priore, dicta Eleonora, vel dictę Domus Prior, & Fratres concordare poterunt, ſuper fructibus, redditibus, & proventibus ipſius Prioratus, in pecunia, vel fructibus ipſi moderno Priori quoad vixerit, vel Procuratori ſuo legitimo, per eoſdem Priorem, & Fratres dictę Domus, annis ſingulis, in convenientibus loco, & termino, ac ſub cenſuris, & pęnis eccleſiaſticis, ad id per vos, de dictorum Prioris Domus, & Fratrum conſenſu ſtatuendis, integre perſolvendam, pręfata auctoritate reſervetis, conſtituatis, & aſſignetis, facientes ipſi dicti Prioratus moderno Priori, juxta reſervationis, conſtitutionis, & aſſignationis prędictarum, ſi eas feceritis, tenorem, de penſione hujuſmodi, reſponderi; contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, non obſtantibus priori voluntate noſtra prędicta, ac conſtitutionibus quoque & ordinationibus Apoſtolicis, ac prędictorum Ordinis, & Prioratus, necnon Monaſterii, vel loci religioſi, a quo forſan Prioratus ipſe dependet, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi Prioratu ſpeciales literas &c., & proceſſus habitos per eaſdem, ac inde ſecuta quęcunque, ad Prioratum hujuſmodi volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis, quoad aſſecutionem Prioratuum, ſeu beneficiorum aliorum pręjudicium generari, & quibuſlibet aliis privilegiis, indulgentiis, ac literis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, cujuſque toto tenore, habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, proviſo quod propter ſuppreſſionem, extinctionem, & appropriationem, ac applicationem prędictas, Prioratus hujuſmodi, ad profanos uſus non redigatur, ſed in illius Eccleſia Miſſę, & alia divina officia aliquando celebrentur, ac illius debite ſupportentur onera conſueta. Nos enim ex tunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quarto, Pridie Nonas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Mandatum.

1. *Placentin.*) In *Hiſpania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Placentin.*
3. *Pimentel.*) Gens eſt antiqua nobilitate clara.

Anno 1474
Die 5 Junii.

De ſententia ſecundum Fratres Zegedinen. (1) Cœnobii lata confirmanda.

Ex Archivo (2) Ordinis.

L.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Cenadien. (3), & dilecto filio Johanni Pankota Canonico Eccleſię Cenadien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

EXhibita ſiquidem Nobis pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus Sancti Nicolai de Zegedino Ordinis Fratrum Prędicatorum, Bachien. Dięceſis, petitio continebat, quod alias ipſi Prior, & Fratres dilectum filium nobilem virum Ladislaum de Thelekd militem, & ejus Uxorem, conjuges in eadem Dięceſi commorantes, quod quandam vineam in dicta Dięceſi conſiſtentem, tunc expreſſam, prędictis Priori, & Fratribus per quondam Andream Meo de Zegedino, laicum dictę Dięceſis, in ejus ultima voluntate pro reparatione, & conſervatione dictę domus, illiuſque Eccleſię ornamentis eccleſiaſticis, aliiſque pro divino cultu inibi neceſſariis, pie legatam, detinebant indebite occupatam; ſuper hoc petendo, eos condemnari, & compelli ad dimittendum Vineam prędictam, ac reſtituendum ſibi fructus ex illa perceptos coram dilecto filio Demetrio de Albaregali Vicario venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi Colocen. ratione Eccleſię Bachien., cum Colocen., & Bachien. Eccleſię invicem unitę fore noſcantur, in ſpiritualibus Generali, ad quem cognitio cauſarum ſimilium, quę contra laicales perſonas in eadem Dięceſi commorantes de antiqua, & approbata, hactenus pacifice obſervata, conſuetudine pertinet, non ex delegatione Apoſtolica, traxerunt in cauſam, & idem Vicarius in illa rite procedens definitivam pro Priore, & Fratribus prędictis, & contra conjuges prefatos ſententiam promulgavit, ipſos conjuges in expenſis in hujuſmodi cauſa factis nihilominus condemnando; & licet pro parte dictorum conjugum ab eadem ſententia, illam iniquam fore falſo aſſerentium, ad Sedem fuerit Apoſtolicam appellatum, quia tamen ipſi conjuges appellationi hujuſmodi expreſſe renunciaverunt, ſententia ipſa in rem tranſivit judicatam. Quare pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſententiam ipſam robur firmitatis debitum obtinere, ac expenſas in dicta cauſa factas taxari, & de illis ſibi ſatisfieri, per aliquos probos viros in partibus illis facere, & alias eis in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati,

Mandatum.

diſcretioni veſtrę &c mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, vocatis dictis conjugibus, ac aliis, qui fuerint evocandi, ſi eſt ita, dictam ſententiam, ſicuti juſte prolata eſt, faciatis auctoritate noſtra per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, firmiter obſervari, necnon expenſas prędictas provida moderatione pręvia taxare curetis, ac conjuges prefatos, ut de expenſis ipſis Priori, & Fratribus prędictis integre ſatisfaciant, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellatis. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne quis extra ſuam civitatem, vel Dięceſim &c. Seu ne Judices &c. quibuſcunque, aut ſi conjugibus prefatis &c. ab eadem Sede indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quarto, Nonis Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Zegedinen.*) Aliis *Szegedinen.*, & *Segedinen.*, in Comitatu *Bachienſi*, in *Hungaria*. Hujuſce Cœnobii meminit *Ferrarius de Rebus Hungar. Provinciæ Parte IV Lib. Unico Cap. II pag. 531*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LIII fol. 1*.

3. *Cenadien.*) Seu *Canadien.*, vulgo *Chanad*, in *Hungaria*, ubi ceteræ Civitates, de quibus hoc in Diplomate.

Anno 1474
Die 13 Junii.

Prioriſſa Monaſterii (1) B. Mariæ de Inſula Danubii quolibet triennio eligenda.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LI.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Veſprimen. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex petitio.

REgimini univerſalis Eccleſię &c. (4). Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Beatę Marię de Inſula Danubii per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, & ſecundum inſtituta Ordinis Fratrum Prędicatorum viventium, Veſprimen. Dięceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod licet alias felicis recordationis Pius PP. II, Prędeceſſor noſter, modernam, & pro tempore exiſtentem Prioriſſam dicti Monaſterii perpetuam ſuis literis eſſe voluerit, atque ſtatuerit, nihilominus pro earundem, & dicti Monaſterii felici ſtatu, & regimine expedit, quod de cetero, cedente, vel decedente moderna Prioriſſa, alia in Prioriſſa dicti Monaſterii pro tempore aſſumenda, non perpetua juxta ipſius Pii Prędeceſſoris literarum tenorem, ſed temporalis exiſtat, & quod ipſius Monaſterii Confeſſor, ſeu Vicarius, & ejus ſocii, ſeu adjuncti juxta ejuſdem Prędeceſſoris ordinationem pro tempore deputati, Monialium earundem confeſſiones pro tempore extra ſepta dicti Monaſterii ſtantes, per feneſtras cancellatas etiam audiant, & inter ſepta prędicta niſi ex neceſſaria cauſa nullatenus intrent, poſſintque, ſi mali regiminis, & ſcandaloſi forent, per Prioriſſam, & Conventum prędictas ab eorum officio amoveri, & alii idonei illorum loco aſſumi. Quare pro parte Prioriſſę, & Conventus earundem Nobis fuit humi-

humiliter ſupplicatum, ut eis quod, cedente, vel decedente dicta moderna Prioriſſa, ſeu alias Prioriſſatum dicti Monaſterii quomodolibet dimittente, Conventus pręfatus ſingulis trienniis Prioriſſam ſibi de novo eligere, & quod Ipſius Monaſterii Confeſſor, ſive Vicarius, pro tempore exiſtens, & illius adjuncti ſocii conclave dicti Monaſterii ſub excommunicationis latę ſententię pęna nullatenus intrare pręſumant, debeantque Confeſſor, & Vicarius ſocii prędicti confeſſiones Monialium earundem per feneſtram ferro cancellatam audire, & tres, ſeu quatuor, aut plures, & quot neceſſarii videbuntur pro divinis officiis celebrandis in dicto Monaſterio eſſe, poſſintque, ſi ſcandaloſi, ſeu alias mali regiminis exiſterent, per eaſdem Abbatiſſam, & Conventum ab eorum officio amoveri ſtatuere, aliaſque eis ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de pręmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, Conventui pręfato, quod de cetero cedente, vel decedente dicta moderna Prioriſſa, aut alias Prioriſſatum hujuſmodi quomodolibet dimittente, ſingulis trienniis, perpetuis temporibus, Prioriſſam, etiam abſque aliqua dictorum Fratrum Prędicatorum aſſiſtentia, de novo eligere, & aſſumere poſſint, ipſaque ſic electa Prioriſſa abſque aliqua confirmatione deſuper requiſita eidem Monaſterio dicto durante triennio duntaxat pręeſſe, ac ejus officium, & quę ad illud ſpectant, aut quomodolibet pertinent, gerere, & exercere valeat, etiam abſque aſſiſtentia aliquorum Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorum, concedere, & Confeſſori, ſeu Vicario, & ſociis pro tempore exiſtentibus prędictis, ne in conclave Monaſterii prędicti, niſi dum expediens fuerit, & ejuſdem Prioriſſę videbitur pro miniſtrandis Monialibus infirmis Euchariſtię, & extremę Unctionis Sacramentis, ſub excommunicationis latę ſententię pęna, quam contra facientes eo ipſo incurrere volumus, nullatenus intrare pręſumant: quodque Confeſſor, Vicarius, & ſocii, ſic, ut pręmittitur, deputati Confeſſiones Monialium prędictarum per feneſtram, quę ferro cancellata exiſtat, audire, & tres, aut quatuor, aut plures quot neceſſarii fuerint pro divinis officiis, ibidem celebrandis, etiam & ad illa diligenter venire, teneantur, ſtatuere, & ordinare, ac eidem Prioriſſę, & Conventui, ut Confeſſarium, Vicarium, & ſocios, qui pro tempore fuerint, & vitam duxerint ſcandaloſam, aut alias mali regiminis extiterint, poſtquam Vicarius principalis Fratrum Prędicatorum Provincię Hungarię ſecundum morem dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum per eas fuerit deſuper legitime requiſitus, eos amovere, & alios illorum loco ſubrogare neglexerit, ab eorum officiis realiter amovere, & alios prędicti, vel alterius Ordinis religioſos, ſeu etiam clericos ſeculares, qui vitę laudabilis, & honeſtę converſationis exiſtant, aſſumere, necnon eiſdem ſic deputatis, aut per eas forſan modo prędicto aſſumptis, & evocatis Confeſſori, Vicario, & ſociis pro tempore de ipſius Monaſterii proventibus pro eorum vitę ſuſtentatione condigna neceſſaria miniſtrare, libere, & licite valeant, concedere auctoritate eadem procures. Non obſtantibus literis prędictis Pii Prędeceſſoris pręfati, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, ac Monaſterii, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis &c. quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quarto, Idibus Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Mandatum.

1. *Monaſterii.*) A *Bela* Hungariæ Rege fundati.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LIII fol.* 34.
3. *Veſprimen.*) *Veſprimien.*, in Hungaria.
4. *Eccleſia &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Exordiis.

Anno 1474 Die 18 Junii.

Baſſolenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

His, per quę divini cultus &c. (3). Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Bartholomęi Colloni de Andignina Domini loci de Baſſola Pergamen. (4) Dięceſis Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias felicis recordationis Pius PP II Prędeceſſor noſter ad humilem dicti Bartholomęi ſupplicantis inſtantiam Sanctę Marię de dicto loco de Baſſola, quam pręfatus Bartholomęus (5) de bonis propriis ędificaverat, domui Sancti Stephani Pergamen. Ordinis Fratrum Prędicatorum de obſervantia cum omnibus domibus illi adjacentibus, & aliis juribus, & pertinentiis ſuis per ſuas literas uniri, annecti, & incorporari mandaverat, ipſeque annexio, & incorporatio in vim dictarum literarum ſuum ſortitę fuerint effectum, tamen ſi dicta Eccleſia a pręfata domo Sancti Stephani denuo ſepararetur, & in domum conventualem dicti Ordinis cum domibus prędictis, & aliis neceſſariis officinis erigeretur, id profecto ad majorem ejuſdem Bartholomęi ędificationem, & conſolationem cederet, ipſeque Bartholomęus pro luminaribus, & ornamentis, ac pro ſuſtentatione Fratrum, & Conventus, qui inibi pro tempore degent, de perpetuis redditibus annuis provideret, & concederet. Quare pro parte dicti Bartholomęi, qui etiam dilectorum filiorum nobilium virorum Dominii Venetorum gentium armorum Capitaneus Generalis exiſtit, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut unionem hujuſmodi diſſolvere, necnon Eccleſiam prędictam in domum Fratrum dicti Ordinis erigere, ac alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod in unionibus ſemper commiſſio fieret ad partes cum clauſula vocatis quorum intereſt, aliter omnino non valerent, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, unionem, annexionem, & incor-

Diplomatis cauſa.

Facultas.

incorporationem prędictas auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium diſſolventes, ipſam Eccleſiam Beatę Marię cum domibus illi adjacentibus, ac omnibus juribus, & pertinentiis ſuis a pręfata Domo Sancti Stephani penitus ſeparantes, Eccleſiam Sanctę Marię prędictam cum domibus adjacentibus hujuſmodi in domum Conventualem Fratrum Prędicatorum cum cęmeterio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione Fratrum Prędicatorum hujuſmodi ſub cura Prioris Provincialis Provincię Lombardię, ut pręmittitur, erigentes, quod domum per Nos erectam hujuſmodi recipere, & inhabitare, illiſque, qui eam pro tempore inhabitaverint, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, & indultis, quibus alię domus Fratrum Prędicatorum legitime utuntur, & gaudent, uti, & gaudere libere, & licite poſſint, & valeant, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri, inter alia prohibente, ne Fratres Ordinis Mendicantium in aliqua civitate, caſtro, vel villa, ſive alio loco quocunque domos, aut loca nova recipere, ſeu inhabitare pręſumant abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon privilegiis, & indultis, aliis Fratribus dicti Ordinis a pręfata Sede conceſſis, necnon privilegiis, & indultis ſtatutis, & conſuetudinibus ejuſdem Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod ſi pręfatus Bartholomęus de perpetuis redditibus domui per Nos erectę hujuſmodi pro luminaribus, ornamentis, & aliis neceſſitatibus prędictis, prout ad id ſe ſponte obtulit, realiter cum effectu non provideat, pręſentes literę nullius ſint roboris, vel momenti. Nulli ergo &c. diſſolutionis, ſeparationis, erectionis, conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c.. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quarto, Quarto Decimo Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Baſſolen.*) Aliis, & quidem rectius, *Baſelen.*, vulgo *Baſela*, in ditione *Veneta*. Juris eſt Provincialis *Lombardię*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Arch. Apoſtolico Libro LXVI fol. 94*.
3. *Cultus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Exordiis.
4. *Pergamen.*) Seu *Bergomen.*, in ditione *Veneta*.
5. *Bartholomęus.*) Vir celebris, cujus ſępius meminit hiſtoria *Venetorum*.

Anno 1474 Die 31 Auguſti.

Mare Magnum (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

LIII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. REgimini univerſalis Eccleſię meritis licet inſufficientibus, diſponente Domino, pręſidentes, curis perurgemur aſſiduis, ut juxta creditę Nobis deſuper diſpenſationis officium quieti ſubditorum quorumlibet, pręſertim ſub Religionis Prędicatorum habitu, ſtudio vacantium pię vitę, in quorum utique proſperitate reficimur, jugi quantum Nobis ex alto conceditur, ſollicitudinis ſtudio intendamus, & ut ea, quę pro divini cultus, dictę religionis incremento, animarumque ſalute, a Prędeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus provide facta ſunt, ſublatis ambiguitatibus, quę exinde emerſiſſe noſcuntur, in ſua integritate perſiſtant, noſtri miniſterii partes interponimus efficaces. Dudum ſiquidem a felicis recordationis Eugenio PP. IIII, Prędeceſſore noſtro, emanarunt literę tenoris ſubſequentis. Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Romanus Pontifex &c. (3). Nos igitur qui dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, & perſonarum ejus, ſtatum proſperum, & tranquillum, propter uberes fructus, quos Ordo ipſe, multa pręfulgens gloria meritorum,
Laus Ordinis. & gratia ſanctitatis, in agro militantis Eccleſię in propagationem fidei orthodoxę hactenus produxit utiliter, ac producit, & in futurum producturum fore ſpe firma tenemus, palmites ſuos a mari uſque ad mare, & etiam ad barbaras extendendo nationes, intenſis deſideramus affectibus, Gregorii (4) Martini (5), & Eugenii (6), ac aliorum Prędeceſſorum noſtrorum, qui Ordinem prędictum Fratrum
Ordini conceſſa privilegia firmat. Prędicatorum, aliis variis privilegiis (7) non immerito decorarunt, veſtigiis inhęrentes, motu proprio, non ad eorum dicti Ordinis Fratrum profeſſorum, vel alterius pro eis Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera voluntate, & deliberatione, ac ex certa noſtra ſcientia, prędictas Gregorii, & quaſcunque alias quorumcunque aliorum Romanorum Pontificum, Prędeceſſorum noſtrorum literas, dicto Ordini Fratrum Prędicatorum, ac illius domibus, & profeſſoribus in genere, ſub quacunque verborum forma conceſſas, quas, ac ſi de verbo ad verbum una cum prędictis literis Eugenii prędeceſſoris pręfati pręſentibus infertę forent, haberi volumus pro expreſſis, ac omnia & ſingula in illis contenta, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium, approbamus, & robur perpetuę firmitatis obtinere debere decernimus, ac pro potiori cautela omnia & ſingula per Gregorium, & Martinum, & Eugenium, alioſque Prędeceſſores prędictos in eiſdem literis pro, & in favorem dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum quomodolibet ordinata, ſtatuta, decreta, & conceſſa, & indulta, fieri & obſervari debere, auctoritate, motu, & ſcientia, prędictis, de novo ordinamus, ſtatuimus, atque decernimus, ac eidem Ordini Prędicatorum, illiuſque domibus & profeſſoribus concedimus, & in-
Eorundem privilegiorum declaratio. dulgemus. Et quia, ſicut accepimus, Noſque ipſi experientia didicimus in minoribus conſtituti, circa literas, & privilegia hujuſmodi nonnulla dubia poſtmodum ſunt exorta, habita ſuper his conſideratione decenti, motu, auctoritate, & ſcientia, prędictis, literas ejuſdem Gregorii Prędeceſſoris, in ea parte, in qua concedit dicti Ordinis profeſſoribus, ut liceat eis in locis in quibus degunt habere Oratoria, & in eis cum Altari portatili, etiam tempore interdicti, januis clauſis, Miſſarum ſolemnia, &

alia

alia divina officia celebrare, & quod eorum inſiſtentes obſequiis cenſuris generaliter promulgatis, non ligentur, cum contingat eos perſępe requiri, ut etiam extra Oratoria ſuper hujuſmodi Altari portatili celebrent divina officia, & ad illa interdicti tempore, Tertii Ordinis S. Dominici de Pęnitentia nuncupari Fratres, & Sorores, ac ſuos, & illorum procuratores admittant, extendentes, concedimus eiſdem Fratribus, ut non ſolum in Oratoriis, & locis in quibus degunt, ſed etiam in quovis alio loco congruenti, & honeſto poſſint ſuper Altari portatili hujuſmodi, Miſſas, & alia divina officia libere, & licite celebrare, exceptis Eccleſiis ab Ordinarii juriſdictione non exemptis, quoties illud eiſdem Fratribus per Ordinarios ex cauſa contingeret inhiberi. Et ut liceat eis tempore interdicti Fratres, & Sorores dicti Ordinis B. Dominici de Pęnitentia nuncupari, necnon ipſorum Fratrum Prędicatorum, ac Fratrum & Sororum dicti Tertii Ordinis, procuratores, & negotia gerentes, utriuſque ſexus, admittere ad divina. Pręterea quia idem Gregorius prędeceſſor in dictis ſuis literis, Magiſtro, Prioribus Provincialibus, & Conventualibus, & eorum vicariis abſolvendi Fratres ejuſdem Ordinis, necnon Fratribus dicti Ordinis, quos ipſi Magiſter, Priores Provinciales, & Conventuales habuerint pro tempore in Confeſſores abſolvendi ipſos Magiſtrum, Priores Provinciales, ac conventuales ab exceſſibus, & cenſuris, niſi talia forent propter quę eſſent ad Sedem Apoſtolicam merito deſtinandi, ac cum eis deſuper diſpenſandi concedit, & propterea, qui ſunt deſtinandi perſępe revocetur in dubium, ut abſolventium, & abſolvendorum, diſpenſantium, & diſpenſatorum pro tempore puritati conſcientię conſulamus, declaramus, hęreticos relapſos, ſchiſmaticos, & qui literas Apoſtolicas falſificaſſent, aut ad infideles prohibita detuliſſent, duntaxat eſſe ad Sedem prędictam merito deſtinandos. Reliquis vero omnibus, etiam Simonię labe qualitercunque irretitis poſſe per illos, quibus inibi conceditur, abſolutionis beneficium, & diſpenſationis gratiam juxta caſuum exigentiam impartiri. Et ut dicti Ordinis profeſſoribus omnis vagandi tollatur occaſio, & ad Apoſtolicam Sedem recurrendi ſubtrahatur pro poſſe neceſſitas, Magiſtro, & Prioribus Provincialibus, & Conventualibus, ac eorum Vicariis defectum natalium, ex adulterio, ſacrilegio, inceſtu, & quovis alio nefario, & illicito coitu provenientium patientibus, necnon cum his, qui ex quavis cauſa, pręterquam, homicidii voluntarii, bigamię, & mutilationis membrorum irregulares forent, diſpenſandi cum dicti Ordinis Prędicatorum profeſſoribus, poſtquam ipſum Ordinem profeſſi fuerint, ut defectu, & irregularitate hujuſmodi non obſtantibus, irregulares ipſi ad quoſcunque etiam Sacros Ordines promoveri, & in illis etiam in Altaris myſterio miniſtrare, & tam ipſi irregulares, quam defectum natalium patientes prędicti, ad quęcunque adminiſtrationes, & officia eligi, recipi & aſſumi, illaque gerere, & exercere libere, & licite valeant, motu, & ſcientia, ac auctoritate, prędictis concedimus per pręſentes. Eam vero partem literarum ejuſdem Gregorii prędicti, in qua ſepulturam in Eccleſiis Fratrum dicti Ordinis liberam eſſe voluit, ſalva juſtitia Eccleſiarum, a quibus corpora aſſumuntur, declarantes, libertatem hujuſmodi intelligi debere etiam quoad hoc, ut Fratres ipſi nullius ſuper hoc petita licentia, parochias, in quibus corpora prędicta forent, cum Cruce proceſſionaliter ingredi, & corpora ipſa levare, & ad eorum Eccleſias ſepelienda deferre poſſint, ubi hoc conſuetum foret, vel Presbyteri, de levatione requiſiti, hoc facere recuſarent. Nec cogantur inviti, etiam prętextu cujuſcunque conſuetudinis, ipſi, vel defunctorum conſanguinei illa ad parochiales Eccleſias, aut alia loca deferre, & cum illis, vel ſine, inibi celebrare, vel celebrari facere pro eiſdem defunctis aliqua divina officia, ante, vel poſt ſepulturam eorundem. Juſtitiam vero Eccleſiarum, a quibus corpora ipſa aſſumuntur juxta Martini prędicti Prędeceſſoris voluntatem ſalvam eſſe debere decernimus, in omnibus aliis caſibus pręter eos, in quibus per eorundem Gregorii, Martini, & Eugenii Prędeceſſorum noſtrorum ſpecialia privilegia, Fratres ipſi ab hujuſmodi ſolutione quartę ſunt exempti, nec in aliquo caſu de candelis, quę ad manus Fratribus dantur, quarta aliqua quomodolibet detrahatur. In reliquis vero caſibus, quam in pręmiſſis, in quibus quarta ipſa ſolvenda veniret, conventiones, ſi quę ſunt inter Fratres, prędictos & locorum Ordinarios, ac Eccleſiarum Rectores initę, laudabiles & honeſtę in poſterum obſerventur. Et ſi forte per Nos, vel Sedem Apoſtolicam de piis legatis diſpoſitis, & relictis, in genere, vel in ſpecie, decima, ſeu alia portio, vel quota alteri pię, vel non pię cauſę ex quavis cauſa hactenus conceſſa foret, aut in futurum concedi, & ſolvi, aut dari, mandari contingeret, Fratres prędictos, ac illorum domos, & eis legata, relicta, aut alias in eorum favorem expoſita, in conceſſionibus & mandatis hujuſmodi, decernimus ac volumus non includi, niſi de ipſis Fratribus, ac pręſenti decreto, ac voluntate noſtris, non per generales clauſulas, quę etiam ſpecialem mentionem importare videntur, ſed vera & ſpecifica mentio fiat in eiſdem: Indultum vero ejuſdem Gregorii Prędeceſſoris, de decimis non ſolvendis, ad quęcunque bona dictorum Fratrum, & quaſcunque decimas, etiam quas vulgo Papales appellant, & Apoſtolica Sedes pro Chriſtianę fidei defenſione, aut aliis imminentibus perſępe neceſſitatibus indicit, & quęcunque alia onera, motu, & ſcientia prędictis extendimus; decernentes, Fratres ipſos Prędicatores, etiamſi per quoſcunque exemptos, & mendicantes ſolvi mandarentur, cum quibuſvis derogatoriis, & fortioribus clauſulis, ad illarum ſolutionem non teneri, & in illorum ſolutione ceſſando, cenſuras, & pęnas aliquas non incurrere, niſi pręſentibus, non per generales, & alias clauſulas ſpecialem mentionem importantes, non alias, ſit derogatum ſpecifice, eorum de verbo ad verbum inſerto tenore. Et ne prętextu conſtitutionis Innocentii IV, Prędeceſſoris noſtri, quę incipit: Volentes: locorum Diœceſani, & alii Ordinarii, ac alii quicunque in perſonas, & loca Fratrum Prędicatorum contra ejuſdem Gregorii Prędeceſſoris, ordinationem ſibi quamcunque juriſdictionem, & ſuperioritatem vendicare pręſumant, diſtrictius inhibemus, ne quiſpiam abſque dictę Sedis ſpeciali commiſſione, & auctoritate, in perſonas, domos, & loca dicti Ordinis Prędicatorum, utpote prorſus exempta, aliquam excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententiam, ſpecialiter, vel generaliter, quomodolibet promulgare, aut in perſonas, domos, & loca hujuſmodi aliquam pręeminentiam, ſuperioritatem, & juriſdictionem quomodolibet exercere pręſumat, etiam ratione contractus, vel delicti, ſeu rei, de qua contra ipſos ageretur, ubicunque ineatur contractus, committatur

de-

delictum, & res ipſa conſiſtat. Decernimus quoque ex nunc quaſlibet excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententias, & quoſcunque proceſſus, quaſvis pęnas, & ſententias generales, vel ſpeciales continentes, quos, vel quas promulgari, vel haberi, & omnia, quę contra Fratres, domos, & loca dicti Ordinis quomodolibet fieri contigerit, etiam eorum exemptione, utpote notoria, non aliter allegata, nullius roboris, vel momenti eſſe, & pro infectis haberi debere: Prętereà quia Parochialium Eccleſiarum Rectores prętati, erga illos, qui dicti Ordinis Prędicatorum Fratribus eorum peccata confitentur, perſępe in exhibitione Euchariſtię, & extremę unctionis ſe reddunt difficiles, concedimus ipſis Fratribus Ordinis Prędicatorum, ut perſonis eis confeſſis, quibus Rectores prętati, ſine rationabili cauſa, denegaverint, ſeu malitioſe diſtulerint, Euchariſtię, & extremę unctionis Sacramenta, miniſtrare, ſuper quo eorundem confeſſorum aſſertioni ſtari debeat, illa petentibus poſſint impune exhibere. Et cum aliquando contingat Monaſteria Monialium S. Auguſtini ſub cura, habitu, & conſtitutionibus Fratrum Prędicatorum degentium, Monialibus deſtitui, adeo ut de earum reformatione ſpes nulla ſuperſit, convenientiuſque ſit, quod illorum ſic deſtitutorum bona ad ipſos Fratres deveniant, quorum erant curę commiſſa, quam ad alios, illa, quę ſic deſtituta exiſtunt, & deſtitui contigerit in futurum, cum eorum bonis omnibus in perpetuis uſibus Fratrum dicti Ordinis Prędicatorum, quibus ex forma regiminis ipſius Ordinis competit, applicamus, itaut Fratres ipſi poſſint de illis, & eorum Monaſteriorum, ſtructuris, & ędificiis, pro eorum voluntate diſponere, proviſo, quod illorum Eccleſię, & oratoria, ad profanos uſus non redigantur, ſed in illis quandoque divina celebrentur officia. Inſuper cum nonnulli, ad Ordinem prędictum Fratrum Prędicatorum ſpecialem gerentes devotionis affectum, ordinent eorum cadavera, cum habitu Fratrum dicti Ordinis Prędicatorum, aut Sororum dicti Ordinis de Pęnitentia ſepeliri, ne ex illorum corporum delatione ad alia loca, Ordini, & Fratribus prędictis injuria irrogetur, decernimus, tales apud Fratres ipſos eſſe ſepeliendos, etiam ſi alibi ſuam elegiſſent ſepulturam, nec poſſe etiam in loco per eos electo cum habitu prędicto quomodolibet ſepeliri, aut ad ſepeliendum portari, abſque Fratrum domus loci, in quo tales deceſſerint, expreſſa licentia, & aſſenſu. Ceterum ne, ſi ratione Parochialium Eccleſiarum, apud quas eorundem Fratrum domus conſtructę fuere, aut conſtruentur in poſterum, locorum Ordinarii in eoſdem Fratres aliquam ſuperioritatem ſibi vendicare tentarent, Fratrum eorundem quies in aliquo perturbaretur, concedimus eiſdem Fratribus, ut in ſic conceſſis, & quas eis concedi contigerit, curatis Eccleſiis poſſint per capellanum per eos pro eorum nutu ponendum, & amovendum, curam hujuſmodi exercere; qui quandiu capellanatus hujuſmodi fungetur officio, ac ſi dicti Ordinis Prędicatorum profeſſor exiſteret, dictorum Fratrum Prędicatorum libertate, & exemptione ubique fruatur. Eccleſię vero prędictę, & illarum bona, illa, qua domus dicti Ordinis prerogativa lętentur. Rurſus intelleximus, quod etſi bonę memorię Johannes XXII, Prędeceſſor noſter, illorum opinionem, qui aſſerebant, quod confeſſi Fratribus prędictis, vel aliorum Ordinum Mendicantium ad audiendas confeſſiones juxta juris diſpoſitionem deputatorum pro tempore, tenebantur eorum peccata Rectori eorum Parochialis Eccleſię iterum confiteri, reprobaverit. Et deinde prętatus Eugenius, Prędeceſſor, reprobationem hujuſmodi approbans, contra talia aſſerentes, tanquam de hereſi ſuſpectos, per locorum Ordinarios inquiri, & procedi mandaverit, ac ſucceſſive pię memorię Nicolaus PP. V, ſimiliter Prędeceſſor noſter, geſta in pręmiſſis a Johanne, & Eugenio prędeceſſoribus robur perpetuę firmitatis obtinere debere decreverit; nihilominus adhuc nonnulli eorum adherentes protervię, opinionem prędictam, & deſuper factos, damnatos, & male ſonantes, ac reprobos articulos, veros eſſe affirmare non verentur; Ut talium prępſumptuoſa temeritas tanto minus invaleſcat, quanto plurimum erit ſuperiorum correctione damnata, conceſſam contra tales per eiuſdem Eugenii, Prędeceſſoris, literas locorum Ordinariis facultatem, ad Inquiſitores heretice pravitatis extendimus, ac volumus, quod Inquiſitores ipſi, quicunque fuerint,
Nota. eadem qua Ordinarii contra tales auctoritate fungantur. Poſtremo cum Fratres Ordinis Minorum, ſicut, & prędicti Prędicatorum Ordinis profeſſores, pro fidei catholicę dilatatione continuo indefeſſe laborent, fructuſque afferant in Dei Eccleſia ſalutares, & propterea fuerint variis per Sedem prędictam privilegiis decorati, ut quos par labor, pariaque merita conjungunt, paria conjungant privilegia, & favores, concedimus eiſdem profeſſoribus Ordinis Prędicatorum, ut conceſſis Fratribus Minoribus, & eiſdem Ordinis Minorum Fratribus, pręmiſſis, & aliis conceſſis prędictis Fratribus Prędicatoribus, privilegiis, indulgentiis, gratiis, favoribus, & indultis, tam ſpiritualibus, quam temporalibus, a prędictis, & aliis Romanis Pontificibus, Prędeceſſoribus noſtris, aut alias auctoritatem habentibus, quę omnia, ac ſi nominatim exprimerentur, haberi hic volumus pro expreſſis, & noſtrę approbationis munimine ſolidamus, ac decernimus robur perpetuę firmitatis obtinere, potiri, & gaudere poſſint, & debeant, perpetuis futuris temporibus in omnibus, & per omnia, prorſus, & ſine ulla differentia, perinde ac ſi quę uni ex Ordinibus prędictis ſunt conceſſa, utrique ſimul nominatim conceſſa fuiſſent, aut concederentur in poſterum. Et quę de Magiſtro Generali, ac Prioribus Provincialibus, & Conventualibus, ac eorum Vicariis, necnon Monaſteriorum Monialium S. Auguſtini, ſub eorundem Fratrum Predicatorum cura, & ſecundum ipſius Ordinis Fratrum Prędicatorum Inſtituta viventium ſunt ſtatuta, pro Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac Vicariis dicti Ordinis Fratrum Minorum, necnon & Monaſteriorum Sororum S. Damiani (8) nuncupatarum, cenſeantur eſſe ſtatuta; diſtrictius inhibentes eiſdem locorum Ordinariis ſub interdicti ingreſſus Eccleſię, & ſuſpenſionis a regimine, & adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum, & Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, & aliis quibuſcunque, ſub excommunicationis latę ſententię, & privationis eorundem Parochialium Eccleſiarum, ac omnium aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum, quę obtinent, necnon inhabilitationis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, pęnis, eo ipſo per eos, qui contra fecerint incurrendis, ne Ordines prędictos Fratrum Prędicatorum, & Minorum, ac illorum domus, & Profeſſores, prępter, aut contra Martini, Gregorii, & Eugenii, aut aliorum quorumcunque Prędeceſſorum noſtrorum, & prę-

Digitized by Google

pręſentium noſtrarum literarum tenorem, inquietare, ſeu moleſtare, & eos, aut teſtamentorum, ultimarumque voluntatum executores, & hęredes prędictos, ſeu quoſcunque alios, directe, vel indirecte, ad ſolutionem alicujus quartę Parochialis, ſeu canonicę, vel alterius portionis, ſeu oneris, & faciendum celebrari aliquod officium in eorum Eccleſiis, vel alibi, dum apud ipſos Fratres decedentium cadavera tumulantur, ante, vel poſt eorum ſepulturam, cogere, nec confeſſis dictis Fratribus Prędicatoribus, & Minoribus pro tempore, Euchariſtię, ſeu Extremę Unctionis Sacramenta ſine rationabili cauſa denegare, vel illorum exhibitionem malitioſe differre, aut eorum Parochianis, ne dictis Fratribus confiteantur, prohibere, vel perſuadere, nec etiam ad pręmiſſa, ſeu aliquid pręmiſſorum, auxilium, conſilium, vel favorem, directe, vel indirecte dare quoquomodo pręſumant. Et nihilominus cuilibet in dignitate Eccleſiaſtica conſtituto, & Metropolitanę, vel alterius Cathedralis Eccleſię Canonico, per univerſum orbem, qui deſuper per dictorum Ordinum Priores, Guardianos, & Fratres, ac illorum, ſeu ad commodum eorum Romanę Eccleſię Syndicos, deſuper fuerint requiſiti, per Apoſtolica ſcripta in ſolidum mandamus, quatenus per ſe, vel alium, ſeu alios, pręmiſſa, ubi, & quando opus fuerit, ſolemniter publicantes, ac eiſdem Fratrum Prędicatorum, & Minorum Ordinibus, ac illorum domibus, & profeſſoribus in pręmiſſis, efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant eos pacifica poſſeſſione, vel quaſi, privilegiorum, & conceſſionum hujuſmodi gaudere, non permittentes eos, ſeu teſtamentorum executores, & hęredes prędictos, aut quoſcunque alios, indebite moleſtari, aut eis gravamina, injurias, atque damna inferri, ſeu quomodolibet irrogari, ac etiam ſummarie, vel de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, ſola facti veritate inſpecta, contra quoſcunque, cujuſcunque qualitatis, vel conditionis exiſtant, & quacunque Eccleſiaſtica etiam Patriarchiali, Archiepiſcopali, vel Epiſcopali, aut mundana forent dignitate, & exemptione muniti, in quibuſcunque cauſis per eos movendis, quacunque ratione, vel cauſa, quę excogitari poſſit, eis miniſtrent juſtitię complementum, exequendo, quod per eos fuerit ordinatum, & illos, quos cenſuras, & pœnas prędictas incurriſſe conſtiterit, irretitos eſſe declarent, ac faciant, & mandent, interdictos, ſuſpenſos, & excommunicatos publice nunciari, ac ab omnibus arctius evitari, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, illos, quoties opus fuerit, iteratis vicibus aggravare procurent, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus conſtitutionibus Bonifatii, quibus cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, & Diœceſim niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſuę Diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne judices a Sede Apoſtolica deputati extra Civitates, & Diœceſes in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, aut alii, vel aliis vices ſuas committere pręſumant. Et de duabus dietis in Concilio Generali, necnon quę incipit: Super Cathedram: Bonifatii: Et: Dudum: Viennen. Concilii (9), ac Caliſti PP. III, etiam Prędeceſſoris noſtri literis, aliiſque Apoſtolicis, ac etiam in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, ſpecialibus, vel generalibus, necnon Ottonis, & Octoboni, olim in Regno Anglię Apoſtolicę Sedis Legatorum conſtitutionibus, Eccleſiarum quoque, ac locorum quorumlibet ſtatutis, & conſuetudinibus inter quoſcunque dictorum Ordinum Fratrum Prędicatorum, & Minorum profeſſores, ac locorum Ordinarios, ſeu Rectores prędictos initis, & concluſis, ac hactenus obſervatis, pactis, & conventionibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, necnon omnibus illis, quę Gregorius, Martinus, & Eugenius pręfati Prędeceſſores, in prędictis eorum literis voluerunt non obſtare, contrariis quibuſcunque. Quibus omnibus, illa, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, & derogatoriarum derogatorias clauſulas in ſe continerent, pręſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, quoad pręmiſſa ſpecialiter, & expreſſe derogamus. Aut ſi Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Rectoribus pręfatis, ſeu quibuſvis aliis, communiter, vel diviſim a Sede pręfata indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut ultra, vel extra certa loca, ad judicium evocari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictę Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, cujuſque toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Nos enim ex nunc illa, & quęcunque alia, quę in futurum per Nos, vel Sedem Apoſtolicam quomodolibet concedi, ſtatui, decerni, vel ordinari contigerit, contra Gregorii, Martini, & Eugenii, aliorum Prędeceſſorum noſtrorum prędictorum, & pręſentium literarum hujuſmodi tenorem, necnon ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit, irrita & inania, ac nullius roboris, vel momenti eſſe decernimus. Et quia difficile foret pręſentes literas ad ſingulas Provincias originaliter deſtinare, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod tranſumptis earum, manu Notarii publici, & Curię Cauſarum Camerę Apoſtolicę, aut alicujus Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, ſeu dictorum Ordinum Magiſtri, & Generalis Miniſtri ſigillo munitis, ea prorſus in judicio, & extra ubicunque exhibita, vel oſtenſa forent, fides adhibeatur, ac ſi ipſę originales literę forent exhibitę, vel oſtenſę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum approbationis, conſtitutionis, inhibitionis, ampliationis, voluntatis, & ſolidationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quarto, Pridie Kalendas Septembris (10), Pontificatus noſtri Anno Quarto.

L. Grifus.

Jo: de Tartarinis.

1. Ma-

1. *Mare Magnum*.) Sic vulgo vocant Diplomata quædam, quibus Privilegia Religioſorum firmantur.
2. *Archivo*.) In quo duplex Exemplar authenticum: unum ex Autographo *Mediolanenſi*, aliud ex authentico *Patavino*. Legitur in *Bullario Romano Conſtitutione VII*, apud *Confettium pag. 47*, *Rodericum* in *Nova Collectione Privilegiorum Apoſtolicorum pag. 146*. *Uſuſmarem pag. 148*, *Caſtellanum Parte II pag. 104*, *in Conſtitutionibus Ord. Præd.* typis editis anno *MDV* num. *LXXXIV*, in aliis an. *MDVII* num. *CIII*. Exemplar authenticum aſſervatur in Archivo Cœnobii *Mutinenſis*. Autographum habes in *Veneto* Cœnobio *SS. Johannis*, & *Pauli*.
3. *Pontifex &c.*) Ut in *Conſtitutione CCVII Eugenii IV* ad finem uſque pag. 117.
4. *Gregorii*.) *XI*.
5. *Martini*.) *V*.
6. *Eugenii*.) *IV*.
7. *Privilegiis*.) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo*.
8. *S. Damiani*.) Seu *Clariſſarum*, Ordinis S. P. *Franciſci*.
9. *Concilii*.) Id eſt non obſtantibus Conſtitutionibus, quarum una, quæ incipit: *Super Cathedram*: a *Bonifacio VIII* lata eſt, & alia quæ incipit: *Dudum*: a *Clemente V* in Concilio *Viennenſi* fuit edita.
10. *Septembris*.) Annus, dies, & Menſis deſunt apud *Cherubinum* in *Bullario Romano*, *Uſuſmarem*, *Confettium* &c.

Anno 1474 Die 16 Septembris.

LIV.

Calviſienſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii Sanctę Euphemię, Brixienſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Piis fidelium votis benignum Nos decet pręſtare aſſenſum, & his, quę Religionis propagationem, ac divini cultus augmentum reſpiciunt, partes noſtrę ſolicitudinis adhibere. Sane pro parte dilectorum filiorum incolarum, & hominum loci de Calviſano (3), Brixienſis Diœceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ipſi ad Fratres Ordinis Prędicatorum, Sancti Dominici, congregationis Lombardię de Obſervantia nuncupatorum, propter fructus uberes, quos eorum prędicationibus Verbi Dei, monitionibus, & exemplari vita populis afferunt christiania, & ſpecialem geſſerunt hactenus, prout gerunt etiam de pręſenti devotionis affectum, provide attendentes, quod Fratres pręfati in dicto loco, vel prope illum non habent aliquam Domum pro eorum receptione decenti, vehementi deſiderio pro eorum directione in via mandatorum Domini, & ſuarum animarum ſalute optant in dicto loco de Calviſano, vel apud eum, ubi dictis Fratribus commodius fuerit, unam domum cum Eccleſia, campanili humili, campana, refectorio, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, de eorum bonis, pro uſu, & habitatione perpetuis Fratrum eorundem conſtruere, & fabricare, ubi dictis Fratribus domum ipſam cum officinis prędictis pro eorum uſu, & habitatione hujuſmodi, recipiendi licentia concedatur. Quare pro parte incolarum, & hominum eorundem, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem Fratribus domum illam recipiendi, & perpetuo inhabitandi licentiam concedere, aliaſque ipſorum incolarum, & hominum animarum ſaluti, ac ſingularum loci ipſius perſonarum ſpirituali refrigerio, & conſolationi conſulere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, tam pium, & apud Deum ac homines meritorium opus, atque ſalutare propoſitum plurimum in Domino commendantes, ac de pręmiſſis certam notitiam non habentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, ſine cujuſcunque prejudicio, incolis, & hominibus Domum ipſam cum Eccleſia, campanili, campana, refectorio, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis officinis hujuſmodi, & conſtruendi, ac Fratribus prędictis illam pro eorum uſu, & habitatione recipiendi, & inhabitandi, auctoritate noſtra, licentiam concedas, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujusvis alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus &c. Ordinis Mendicantium Fratres ad inhabitandum nova loca recipere, ſeu recepta mutare pręſumant, ſine dictę Sedis licentia ſpeciali de prohibitione hujuſmodi ſpecialem, & expreſſam faciente mentionem, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi, per te vigore pręſentium concedi contigerit, dictę Domui, & qui illam pro tempore inhabitabunt, Priori, & Fratribus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, favoribus, & indultis, per Sedem Apoſtolicam, vel alias domibus, & Fratribus dicti Ordinis in genere conceſſis, & concedendis, uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium indulgemus. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quarto, Sexto decimo Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Supplex petitio.

Facultas.

1. *Calviſien.*) Vulgo *Calviſane*, in agro *Brixienſi*, in *Longobardia*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar *Libro B. fol. 369* ex Autographo aſſervato in Cœnobio *Calviſien.*
3. *Calviſano*.) Sic vulgo vocant *Forum Calviſii*.

Ut

Ut F. Antonius de Veſaco, qui Borbonio Duci a confeſſionibus erat, eccleſiaſticum Beneficium conſequi poſſit.

Anno 1474 Die 26 Octobris.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

LV.

Sixtus Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Antonio de Veſaco Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

RElig‍ionis zelus, vitę ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, ut te ſpiritualibus favoribus & gratiis proſequamur. Hinc eſt, quod Nos te, qui, ut aſſeritur, Ordinem Fratrum Prędicatorum expreſſe profeſſus exiſtis, pręmiſſis meritorum tuorum intuitu, & pro quo etiam dilectus filius nobilis vir Johannes Dux Borbonii, aſſerens, te Confeſſorem ſuum fore, Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicavit, gratioſo favore proſequi volentes, teque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa, latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ipſius Johannis Ducis, ac tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tecum, ut quamcunque dignitatem eccleſiaſticam per Clericos ſeculares obtineri ſolitam, ſi tibi alias canonice conferatur. aut pręſenteris ad illam, & inſtituaris in ea, recipere, & retinere, & eam, quando tibi placuerit, dimittere, & loco dimiſſę ſimilem, vel diſſimilem dignitatem per Clericos ſeculares obtineri ſolitam, ſimiliter recipere, & retinere libere & licite valeas, Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, quodque dictum Ordinem expreſſe profeſſus ſis, ut prefertur, & ipſius Ordinis, juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate apoſtolica tenore pręſentium de ſpecialis dono gratię diſpenſamus. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis & diſpenſationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quarto, Septimo Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XIV fol.*71. Ibidem ſervantur alia complura Diplomata, quibus *Sixtus IV* Beneficiis Eccleſiaſticis donavit nonnullos Ordinis Prædicatorum Fratres.

F. Theobaldus de Burgo fit Prior Monaſterii B. Mariæ de Roſtoman., Ordinis S. Auguſtini, Elphinen. Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit: *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Patricio Oſgynyn, & Sergailo Obruchayn ac Johanni Othonyr Canonicis Eccleſiæ Elphinen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Religionis zelus, vitæ ac morum honeſtas, aliaque laudabilia & probitatis merita, ſuper quibus apud Nos dilectus filius Theobaldus de Burgo Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſor &c. Nos dicto Theobaldo, qui, ut aſſerit, de Regum genere ex utroque parente procreatus exiſtit &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Primo* (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCLXXII) *Septimo Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib.V fol.*153.

Anno 1472 Die 9 Martii.
LVI.

F. Laurentius de Armenia præficitur ſacello SS. Petri, & Pauli Caphen. Conſtitutio ſic incipit: *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Laurentio de Armenia, Ordinis Prædicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Religionis zelus &c. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte tua, petitio continebat. quod olim Gregorius de Armenia, tunc Provincialis Provinciæ Caphen. ſecundum morem dicti Ordinis &c. dilectus filius Mathias modernus Provincialis dictæ Provinciæ &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quarto* (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCLXXV) *Pridie Nonas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib.LXVIII fol.*237.

Anno 1475 Die 4 Februarii.
LVII.

F. Paulus de la Porta, de Neapoli, conſtituitur Abbas Monaſterii Sanctæ Mariæ de Lanigro Ordinis S. Baſilii, Caſſanen. Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit: *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Sancti Marci, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Summi diſpoſitione Rectoris &c. Nos volentes dicto Monaſterio, quod, ut aſſeritur, pro majori parte dirutum exiſtit, & in quo Monachi non degunt, nec ſunt libri ad Divina officia, Græcorum, & dicti Ordinis Sancti Baſilii more celebranda, neceſſarii &c. Mandamus, quatenus de meritis & idoneitate ipſius Pauli, qui, ut etiam aſſeritur, Ordinis Fratrum Prædicatorum hujuſmodi expreſſe profeſſus exiſtit, & pro quo cariſſimus in Chriſto filius noſter Ferdinandus Siciliæ, & Jeruſalem Rex illuſtris, aſſerens eundem Paulum ſibi dilectum eſſe, Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicavit &c. Et inſuper eidem Paulo. quod ad deferendum barbam, ac ad officium Græcum celebrandum more aliorum dicti Ordinis S. Baſilii Monaſteriorum Abbatum, quoad vixerit, & dicto Monaſterio præfuerit, minime teneatur &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quarto, Quinto Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib.LXXXIII fol.*10.

Anno 1475 Die 28 Auguſti.
LVIII.

Anno 1476 Die 30 Martii. LIX.

F. Gabriel Dominici de Florentia Beneficium Eccleſiaſticum conſequi poſſit. Conſtitotio ſic incipit: *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Gabrieli Dominici de Florentia, Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Religionis zelus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Sexto, Tertio Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quinto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib.XCVIII fol.258.*

Anno 1476 Die 15 Maii. LX.

ANnua penſio de redditibus Monaſterii S. Nicolai Ortocien., Ordinis S. Benedicti, Segnien. Diœceſis, ſtatuitur Fratri Dominico de Raguſio Ordinis Prædicatorum, qui dicti Monaſterii regimini nuncium remiſerat. Conſtitutio ſic incipit: *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Magiſtro Johanni de Cæſarinis, Capellano noſtro, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Humilibus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Sexto, Idibus Maii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib.XCVII fol.294.*

Anno 1477 Die 14 Januarii. LXI.

F. Paſquinus de Novaria, Beneficium eccleſiaſticum conſequi poſſit. Conſtitutio ſic incipit. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Paſquino de Novaria, Ordinis Prædicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Religionis zelus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Sexto* (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCLXXVII) *Decimo nona Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro CII fol.52.*

Anno 1479 Die 5 Junii. LXII.

F. Jacobus Clerici Beneficium eccleſiaſticum conſequi poſſit. Conſtitutio ſic incipit. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Jacobo Clerici, Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Religionis zelus &c Hinc eſt, quod Nos, volentes te, qui, ut aſſeris, dudum in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe minor Pænitentiarius fuiſti, & obſequiis venerabilis Fratris noſtri Lucæ Epiſcopi Sibenicen., in Flandria, & nonnullis aliis partibus noſtri & Apoſtolicæ Sedis Nuncii, & Commiſſarii, Indulgentiarum per Sedem ipſam conceſſarum in dictis partibus Chriſti fidelibus publicationi, & prædicationi vacando, ac alias multipliciter aſtitiſti, & jam ſenio gravatus exiſtis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Nono, Nonis Junii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib.CXL fol.232.*

Anno 1475 Die 12 Januarii.

Eccleſiam & Parochiam Sanctæ Mariæ Rezzonici (1) Fratribus noſtris concedit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXIII. Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Paulo de Coquis Canonico Cuman., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. APoſtolicę Sedis providentia circumſpecta votis illis gratum prębet aſſenſum, per quę perſonarum eccleſiaſticarum, pręſertim ſub regulari habitu Altiſſimo famulantium, opportunitatibus, beneficia tua ſponte, & libere reſignantibus, ne rerum premantur inopia, utiliter, ac ſalubriter valeat provideri. Dudum ſiquidem felicis recordationis Pio Papę II Prędeceſſori noſtro pro parte dilectorum

Diplomatis cauſa. filiorum nobilium della Turre, ac Univerſitatis, & hominum terrę Rezzonici, Cuman. Diœceſis, expoſito (3), quod a nonnullis annis citra in eadem terra, & Parochia Eccleſię Beatę Marię Vicinantię ipſi terrę contigua, quę copioſa multitudine populi refertę erant, quędam hęreſis, & Sortilegorum ſecta adeo invaluerat, quod quamplures utriuſque ſexus terrę, & Parochię earundem, in hęreſim prolapſi, & ſortilegorum morbo infecti reperiebantur, contra quos propter populi multitudinem hujuſmodi, & alia illi incumbentia onera, tunc exiſtens Rector ipſius Eccleſię inquirere, & corrigere, ac punire commode nequibat, quodque ſi quędam domus prope muros ejuſdem terrę ſita, & ad ipſam Eccleſiam legitime pertinens cum ſuis hortis, ędificiis, & pertinentiis univerſis, pro uſu, & habitatione aliquorum Fratrum Domus Sancti Johannis extra muros Cuman. Ordinis Prędicatorum de obſervantia ibidem Altiſſimo perpetuo famulantium converteretur, deputaretur, & donaretur, in illa univerſitas, & homines prelibati contiguam domum cum eccleſia, campanili, campana, dormitorio, ceteriſque neceſſariis locis, & officinis, pro uſu & habitatione Fratrum eorundem conſtruere, ędificare, & perficere, ac in ea Fratres prędictos, quorum prędicationibus, ſcientia, virtutibus, & laudabili vita, ac fructuoſis operibus, hęreſis & ſortilegorum ſecta prętactę, ceterique errores, qui veriſimiliter pullulant, & invaleſcere videbantur, extirpari & eradicari, ac Nobilibus, Univerſitati, & hominibus prelibatis, aliiſque circumvicinis locis non modica animarum ſuarum conſolationes, & gaudia ſuccreſcere poterant, cultuſque inibi admodum augmentaretur divinus, recipere, & collocare deſiderabant, ſi ad id ſibi, & eiſdem Fratribus Sedis Apoſtolicę ſuffragaretur auctoritas, idem Pius, Prędeceſſor ipſorum nobilium, Univerſitatis, & hominum in ea parte ſupplicationibus inclinatus, eandem domum prope muros dictę terrę ſitam, cum hortis, ędificiis, & pertinentiis ſuis univerſis pro uſu, & habitatione Fratrum hujuſmodi de ordinarii loci, & Rectoris pręfati conſenſu perpetuo convertit, deputavit, & donavit, necnon Nobilibus, Univerſitati, & hominibus ſupradictis domum prefatam cum Eccle-

Eccleſia, campanili, campana, dormitoriis, ceteriſque locis, & officinis neceſſariis, pro uſu, & habitatione perpetuis eorundem Fratrum ſub eadem obſervantia regulari degentium, & qui Priori, & Fratribus ejuſdem Domus Sancti Johannis perpetuo ſubiicerentur, & ſubjecti remanerent, ędificandi, & perficiendi, ac in ea Fratres prędictos ad id benevolos recipiendi, & collocandi, ſeu recipi, & collocari faciendi, necnon Fratribus prędictis domum ipſam recipiendi, & in ea ſub regulari obſervantia permanendi, plenam, & liberam licentiam per ſuas literas auctoritate Apoſtolica conceſſit, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, dilectus filius Antonius de Birago Rector dictę Eccleſię, provide conſiderans, quod ipſe a dicta Eccleſia, ut plurimum abſens exiſtat, & curam ipſius Parochię per ſe non exerceat, & ad hoc ut Cura ipſa per dictos Fratres, vel Sacerdotem regularem per Pręſidentem ipſius Domus Sancti Johannis pro tempore exiſtentem, pro tempore deputandum de cetero exerceatur, ac ex certis aliis cauſis rationabilibus animum ſuum moventibus, eccleſiam ipſam, quam obtinet, ſponte & libere reſignare proponat, &, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Nobilium, Univerſitatis, & hominum prędictorum, verorum patronorum dictę Eccleſię, ac exiſtentium in pacifica poſſeſſione, vel quaſi juris pręſentandi perſonam idoneam ad ipſam Eccleſiam, dum pro tempore vacat, petitio continebat, ſi dicta Eccleſia eidem Domui Sancti Johannis perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ac Cura ejuſdem Parochianorum per Fratres dictę domus, vel Presbyterum ſecularem per ipſum Pręſidentem pro tempore exiſtentem deputandum exerceretur, profecto divinus cultus in Eccleſia ipſa augeretur, ipſique Fratres decentius ſe ſuſtentare valerent, & in ſuis opportunitatibus ſuſciperent relevamen, pro parte tam nobilium, univerſitatis, & hominum, quam Antonii prędictorum, aſſerentium quod fructus, redditus, & proventus dictę Eccleſię ſexdecim florenorum auri de Camera ſecundum communem extimationem, valorem annuum non excedunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Eccleſiam prędictam, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Domui Sancti Johannis perpetuo unire, annectere, & incorporare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur votis ipſius Antonii in hac parte favorabiliter annuentes, ac ſibi, ne propter reſignationem hujuſmodi, ſi fiat, minimum diſpendium patiatur, de alicujus ſubventionis auxilio providere volentes, necnon de pręmiſſis expoſitis, certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus, vocatis quorum intereſt, de pręmiſſis Nobis expoſitis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, ab ipſo Antonio, vel procuratore ſuo ad hoc ab eo ſpecialiter conſtituto, reſignationem hujuſmodi, ſi eam in tuis manibus ſponte & libere facere voluerit, ut pręfertur, dicta auctoritate noſtra hac vice duntaxat recipias, & admittas, eaque per te recepta, & admiſſa, eccleſiam prędictam, ſive per reſignationem hujuſmodi nunc, ſive alias quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona; ſeu per ſimilem alicujus alterius de illa extra Romanam Curiam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam reſignationem, aut conſtitutionem felicis recordationis Johannis Papę XXII etiam Prędeceſſoris noſtri quę incipit: Execrabilis: vel aſſecutionem alterius Beneficii eccleſiaſtici, ordinaria auctoritate collati, vacet, etiam ſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranen. ſtatuta concilii ad Sedem prędictam devoluta, ipſaque Parochialis Eccleſia diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo tempore dat. pręſentium non ſit in ea alicui ſpecialiter jus quęſitum, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſupradictis eidem domui Sancti Johannis dicta auctoritate noſtra perpetuo unias, incorpores, & annectas, ita quod liceat ex tunc Fratribus dictę Domus Sancti Johannis, per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem Eccleſię, juriumque, & pertinentiarum, prędictorum poſſeſſionem, auctoritate propria libere apprehendere, & perpetuo retinere, ac ejus Parochianorum animarum curam per ſe ipſos, aut Sacerdotem idoneum ſecularem, per ejuſdem domus Sancti Johannis Pręſidentem, pro tempore exiſtentem deputandum, aut alium, ſeu alios, etiam deputandum, ſeu deputandos, & amovendum, ſeu amovendos, ut pręfertur, gerere, & exercere, ipſiuſque Eccleſię fructus, redditus, & proventus in ſuos, ac ejuſdem Eccleſię uſus, utilitatemque convertere, Dięceſani loci, & cujusvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, necnon pręfato Antonio penſionem annuam, ſuper fructibus, redditibus, & proventibus dictę Eccleſię, de qua tibi videbitur, dummodo ipſorum fructuum, redituum, & proventuum tertiam partem non excedat, per ipſos Fratres eidem Antonio, quoad vixerit, in loco, & terminis, ac ſub cenſuris, & pęnis ad id per te de ipſorum Fratrum, & Antonii conſenſu ſtatuendis, reſerves, conſtituas, & aſſignes, auctoritate noſtra memorata, faciens per te, vel alium, ſeu alios penſionem prędictam ipſi Antonio juxta reſervationis, & aſſignationis prędictarum, ſi illas vigore pręſentium feceris, tenorem integre perſolvi. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis, in illis partibus, ſpeciales, vel generales dictę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, aut proceſſus habitos per eaſdem, & quęcunque inde ſecuta ad dictam Eccleſiam volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem Beneficiorum aliorum pręjudicium generari, ſeu ſi Fratribus pręfatis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum quod ad ſolutionem, vel pręſtationem penſionis alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & quibuſlibet aliis dictę Sedis indulgentiis, ac literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Attente quoque provideas, ne in reſignatione hujuſmodi, ſi fiat, ex parte Antonii, & Fra-

Concessio.

Fratrum prędictorum aliqua pravitas interveniat, ſeu etiam corruptela, proviſo quod propter unionem, annexionem, & incorporationem prędictas, ſi illę vigore pręſentium fiant, & effectum ſortiantur, Eccleſia prędicta debitis non fraudetur obſequiis, & animarum cura in ea nullatenus negligatur, ſed ejus congrue ſupportentur onera conſueta. Nos enim ex nunc irritum, decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quovis, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quarto (4), Pridie Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Rexxonici.*) In *Inſubria.*
2. *Archivo.*) In quo Duplex exemplar authenticum ex Autographo aſſervato a Conventu *Comenſi*,
3. *Expoſito.*) Conſulenda *Conſtitutio LX Pii II.*
4. *Septuageſimo Quarto.*) Stylo Bullarum, ære communis *MCCCCLXXV.*

Anno 1475 Die 18 Martii.

Prior Luchentenſis (1) Cœnobii Fratres ad Bacchalaureatus, & Magiſterii gradus promovere (2) poſſit.

Ex Archivo (3) Ordinis.

LXIV. Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. ETſi perſonarum, devotum in humilitatis ſpiritu Altiſſimo exhibentium famulatum, ac Nobis, & Sedi Apoſtolicę devotarum quarumlibet honeſtis ſatisfacere deſideriis, Nobis Apoſtolicę ſollicitudinis cura ſuadet, illis tamen votis quę ad ingeniorum, literarum ſtudiis deditorum, illuſtrationem ſpectant, eo libentius Nos annuere convenit, quo major poteſt inde utilitas fidelibus obvenire. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Nicolai de Proxida Militis, Domini loci de Luchent, Valentinen. Diœceſis, petitio continebat, quod ſi in Domo dicti loci Ordinis Fratrum Prędicatorum, quam, & illius Eccleſiam quondam Johannes etiam de Proxida Miles Valentinen-
Diplomatis cauſa. ſis, tunc Dominus dicti loci, in humanis agens, cupiens terrena in cęleſtia commutare, cum cęmeterio, campanili, clauſtris, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro Fratribus dicti Ordinis, qui inibi perpetuo domino famularentur, de donis ſibi a Deo collatis ad laudem Domini Noſtri Jeſu Chriſti fundavit pariter, & dotavit. & in qua domo pro augenda Chriſti fidelium illarum partium devotione, prefatus Nicolaus dicti Johannis filius, & heres, pro ejuſdem domus perfectione, & Fratrum ibidem degentium ſuſtentatione, ſummam decem millium florenorum de Aragonia erogavit, ac decens librorum Bibliotheca, dicto Nicolao procurante, ordinata eſt, prefati Fratres literarum ſtudio in illa vacantes ad ſolitos Gradus promoveri poſſent, plures Fratres dicti Ordinis literarum ſtudio hujuſmodi vacare, & in dicta domo reſidere, ac eorum ingenii rore ſapientię repleti Chriſti fideles in eorum ſermonibus, & prędicationibus verbi Dei ad populum qualiter ſuarum animarum ſalutem quęrere poſſint, & deberent, inſtituere curarent, quod profecto ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, augmentum divini cultus, ac ſalutem, & conſolationem animarum ipſarum Chriſti fidelium plurimum cederet. Quare pro parte dicti Nicolai fuit Nobis humiliter ſupplicatum, quatenus Priori dictę domus, qui nunc eſt, & pro tempore erit, ut Fratres dictę domus qui in illa literarum ſtudio vacaverint, & vacando adeo profecerint, quod in facultatibus, in quibus ſtuduerint, mereantur ad ſolitos Gradus promoveri, aſſumptis ſecum aliquibus dicti, vel alterius Ordinis, profeſſoribus, ſeu clericis ſecularibus, in facultate, in qua aliquis eorum, ibidem ſtudentium, pro tempore Fratrum, promovendus fuerit, pręcedente diligente examine, & alias repertis idoneis ad ſolitos gradus etiam Magiſterii, in artibus, & Theologia duntaxat, cum ſolitorum inſigniorum exhibitione promovere, & aſſumere, concedere, & alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui cunctos obſervantię regularis profeſſores pręſertim literarum ſtudio deditos, ſpeciali dilectione proſequimur, ac votis ejuſdem Nicolai Militis ob ſincerę devotionis affectum, quem ad Nos, & Romanam gerit Eccleſiam, libenter annuimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, prefato Priori moderno, & pro tempore exiſtenti, dictę Domus, ut illos prefati Ordinis profeſſores, qui in eadem domo aliquandiu ſtuduerint, & ſuos debitos curſus in facultate in qua ſtuduerint, & graduandi erunt, peregerint, aſſumptis ſecum duobus, aut tribus prefati, vel alterius Ordinis profeſſoribus, ſeu ſecularibus clericis, in facultate, in qua prefati Fratres graduandi erunt Magiſtri, diligenter examinare, &, ſi pręcedente diligente examine, vita, moribus, & ſcientia, ac fama lau-
Facultas. dabili idonei comperti fuerint, ad Bacchalaureatus, Licentiaturę, & Magiſterii Gradus, in eiſdem artibus, & Theologia tantum, prout eorundem Fratrum examinatorum doctrina exegerit, auctoritate Apoſtolica promovere, & aſſumere, eis legendi, diſputandi, ac interpretandi, aliosque Magiſtrales actus, gradibus, ad quos illos promoverint, convenientes, faciendi, auctoritatem concedere, ac ſolita ad quos eos promoverint graduum inſignia per ſe, vel alium, ſeu alios exhibere, ipſi vero Fratres per eundem Priorem pro tempore promoti, omnibus, & ſingulis privilegiis, favoribus, honoribus, gratiis, exemptionibus, pręeminentiis, & indultis, in Ordine prędicto, ac alibi, quibus gauderent ſi in aliqua Univerſitate ſtudii, in quo illud vigeat Generale, promoti forent, uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium perpetuo concedimus. Et nihilominus venerabili Fratri Epiſcopo Barchinonen., & dilectis filiis Archidiacono, ac Berengario Clavell Canonico Eccleſię Valentin. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus prémiſſa, ubi expediens fuerit, ſolemniter publicantes, Priorem prędictum, ac promotos per eum vigore literarum pręſentium, dicti Ordinis Fratres ad gradus hujuſmodi, facultate privilegii favoribus, honoribus, gratiis, exemptionibus, pręeminentiis, & indultis prędictis, gaudere, uti, & frui faciant, non permittentes eos contra pręſentium tenorem per quoſcunque, quo minus illis uti,

frui

frui, & gaudere, libere, & licite valeans, quomodolibet impediri, aut moleſtari; contradictores auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque, aut ſi quibuſvis communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prǽſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quarto (4), Quinto decimo Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Luchentenſis.*) Juris eſt Provincialis *Aragoniæ.*
2. *Promovere.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum ex Autographo *Dertuſæ* aſſervato in Archivo Regii Collegii *SS. Dominici, & Georgii.*
4. *Septuageſimo Quarto.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLXXV.*

Dublinienſis (1) Univerſitas rogatu Fratrum Prædicatorum, aliorumque Mendicantium conſtituitur.

Anno 1475 Die 27 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXV.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

COpioſus in miſericordia Dominus, & in cunctis ſuis glorioſus operibus, a quo omnia defluunt, ad hoc Nobis, licet immeritis, & inſufficientibus repertis ſuę Sponſę univerſalis Eccleſię regimen committere, noſtręque debilitati jugum Apoſtolicę ſervitutis imponere voluit, ut tanquam de ſummo vertice montis ad infima reflectentes intuitum, quod pro hujuſmodi illuſtranda Eccleſia ad fidei propagationem conferat orthodoxę, quod ſtatui quorumlibet fidelium conveniat, proſpiciamus attentius, & qualiter a fidelibus ipſis profugatis ignorantię tenebris illi per donum ſapientię in via mandatorum, ac domo Domini converſari debeant, ſolertius attendentes, eos ad quęrendum literarum ſtudia, per quę Militantis Eccleſię reſpublica geritur, divini nominis, ac ejuſdem fidei cultus protenditur, omniſque pro periculis humanę conditio augetur, noſtrę ſollicitudinis ope Apoſtolica, ejuſque favoribus propenſius excitemus. Sane pro parte dilectorum filiorum noſtrorum Miniſtri, Prioris, & Vicariorum, ac Fratrum Prędicatorum, Minorum, & Eremitarum S. Auguſtini, ac Beatę Marię de Monte Carmelo, Ordinum, Provincię, ſeu Vicarię, vel viſitationum Inſulę Ibernię ſecundum morem dictorum Ordinum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod in dicta Inſula, Mari Oceano circumdata, cujus Incolę prędicatione verbi Dei plurimum indigere dignoſcuntur, nullum viget ſtudium Generale, in quo Magiſtri, & Doctores legere, & ſcholares proficere poſſint, & licet in civitatibus, & villis muro munitis in dicta Inſula conſiſtentibus, quę guerris perſępe affliguntur, multitudo prędictorum quatuor Ordinum profeſſorum propter eorum exemplarem vitam, & Verbi Dei prędicationem admittuntur, tamen ſcholares, & ſtudere volentes de facili in illis non reperiuntur, quodque in dicta Inſula reperiuntur quamplures dictorum Ordinum profeſſores, Magiſtri, ac Bacchalaurei in Theologia, & artibus ſufficienter inſtructi, & quam plures ſcholares ad hujuſmodi ſcientias bene diſpoſiti, qui in eis proficere cupiunt, & quorum ingenia de die in diem decreſcere, & torpere cernuntur, in maximum Reipublicę chriſtianę, & fidei catholicę detrimentum, & quia eis tutus non patet acceſſus ad aliquod ſtudium Generale, niſi mari oceano prędicto cum gravi periculo, & multorum ſępius ſubmerſione tranſacto, nec in ſtudiis, ſeu Univerſitatibus alienis commode commorari valent propter defectum expenſarum frigeſcente caritate multorum, & pullulante diſcordia Nationum. Quare pro parte Miniſtri, Prioris, Vicariorum, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in Civitate Dublinien. dictę Inſulę, quę propter ejus utiles conditiones pro ſtudio Generali Theologię, & Artium liberalium inibi erigendo, habilis redditur, ſtudium Generale Artium, & Theologię, in quo pro Orthodoxę fidei incremento Theologia, & pro illius cognitione neceſſarię artes liberales publice legi, & audiri, Fratreſque dictorum Ordinum, & cujuslibet eorum approbati, & habilitati more Provincię Anglię, & poſtquam ipſi rigoroſum examen Magiſtrorum, & Doctorum dictę Univerſitatis, & de illius gremio exiſtentium, ac in eo commorantium, ſubierint ad Bacchalaureatus, Licentię, Magiſtratus, & Doctoratus gradus per Regentem in ipſa Univerſitate pro tempore exiſtentem in Theologia hujuſmodi, juxta ſtatuta, & conſuetudines Univerſitatis ſtudii Generalis Oxonien. (3), Lincolinen. (4) Dięceſis, promoveri poſſint, & valeant, erigere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Chriſtianę fidei, & Evangelicę veritatis dilatationem ſtudiis quęrimus indefeſſis, attendentes quod ex hujuſmodi Theologię ſtudio ſalus proveniat animarum, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, in prędicta Civitate Dublinienſi, Inſulę memoratę, ſtudium Generale Theologię, & pro illius cognitione neceſſariarum Artium liberalium, & in illo Univerſitatem auctoritate Apoſtolica, ad Dei laudem, & fidei prędictę exaltationem, pręſentium tenore, perpetuo erigimus, ac Magiſtris, Doctoribus, & ſcholaribus, quos inibi occaſione hujuſmodi ſtudii convenire, & eidem Univerſitati incorporari contigerit, ut Rectorem prima vice, & quoties opportunum fuerit, pro tempore, eligere, Cathedras pro ſcientia Theologię hujuſmodi addiſcenda neceſſarias deputare, & conſtitutiones, & ſtatuta, & cetera opportuna officia pro hujuſmodi proſpero, & felici regimine ordi-

Supplex petitio.

Univerſitas conſtituta.

Digitized by Google

ordinare, & in prędicta Theologia Magiſtros, & Bacchalaureos, ac alios ad legendum, & ad diſcendum idoneos, qui in illa legere, & ſtudere volent, ponere, & amovere, & amotorum loco alios ſubrogare, necnon eiſdem Rectori, & Magiſtris incorporatis pro tempore dictę Univerſitati, ut Fratres Ordinum prędictorum approbatos, & habilitatos more prędictę Provincię Anglię, prævio rigoroſo examine, & ſervatis aliis ſervandis in eadem Theologia ad Bacchalaureatus, Licentię, & Magiſtratus gradus, promovere, eiſque, & Doctoribus, ſcholaribus, & perſonis, qui pro tempore erunt, ac illis, quos ad Gradus quoſcunque inibi promoveri contigerit, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, gratiis, favoribus, exemptionibus, conceſſionibus Apoſtolicis, vel aliis in genere, vel ſpecie prędictę Univerſitati Oxonię Rectori, Magiſtris, Doctoribus, ſcholaribus, & perſonis, ac pro tempore promotis in eadem quomodolibet conceſſis, & concedendis, & quibus illā quomodolibet potiuntur, & gaudent, uti, potiri, & gaudere poſſint, & debeant in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi dictę Univerſitati ſtudii Dublinien. erigendi, & illius Rectori, Magiſtris, Doctoribus, ſcholaribus, & perſonis in illa pro tempore promotis, ſpecialiter, & nominatim conceſſa forent, eadem auctoritate concedimus pariter, & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictorum Ordinum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcunque, proviſo quod promovendi pro tempore in eadem Univerſitate in expenſis taxam Viennen. Concilii non excedant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę erectionis, conceſſionis, & indulti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prçſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quinto, Quinto Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Clauſula derogans.

1. *Dublinien.*) Vulgo *Dublin.*, in *Hibernia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXI fol.* 107, & alia exemplaria typis edita.
3. *Oxonien.*) Vulgo *Oxford*, in *Anglia*.
4. *Lincolinen.*) *Lincolnien.*, ſeu *Linden.*, vulgo *Lincolne*.

Anno 1475 Die 1 Maii,

Quædam pro Cœnobiis reformandis (1) obſervanda præſcribit, & cavet, ne Fratres de obſervantia nuncupati aliorum Cœnobia occupare præſumant.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXVI.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

DUm ſingulos Regulares Ordines, & loca ſanctimonię dedita, illorumque perſonas, paterno conſpicimus intuitu, ad eas pręcipue noſtrę dirigimus conſiderationis affectum, quę mundanis abdicatis illecebris, ſpiritum paupertatis aſſumentes, eleemoſynarum eis erogandarum quęſtum potius, quam copiis divitiarum victum quęrentes, jugiter pręſtant Domino famulatum, quorum vitę ſanctimonia, & ſalubribus prędicationibus populum Dei ad bene, devoteque vivendum inducunt, illoſque prout ex injuncto Nobis cęlitus ſervitutis officio congruit, ab omni conamur vexatione tueri, ut noſtri miniſterii pręſidio eorum ſtatus proſperetur ubilibet, & perſonę ipſę propulſis, quibus obrui poſſunt, diſpendiis, felicis ſtatus ejuſdem ſuſcipiant incrementa. Sane dudum cum in minoribus conſtituti in Ordine Fratrum Minorum Generalis Miniſtri fungeremur officio, intelleximus, & poſt noſtram ad Summi Apoſtolatus apicem aſſumptionem, dilectorum Filiorum Fratrum Prędicatorum, & Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, & B. Marię de Monte Carmeli Ordinum, Generalibus Magiſtris, Miniſtro, & Prioribus, qui pro tempore fuerunt, & aliorum dictorum Ordinum profeſſorum relatione, non ſine querela accepimus, quod Laici in diverſis mundi partibus conſtituti, propriis incumbentes affectibus, dum Magiſter, Miniſtri, Priores, & ipſi tam Generales, quam Provinciales, & Domorum eorundem Ordinum Cuſtodes, Guardiani, & Fratres Conventuales, nuncupati, dictarum Domorum jura proſequuntur, ac pecunias, & bona ad licitos uſus eorundem Fratrum pia Chriſti fidelium largitione eis, & eorum domibus, & Ordinibus relicta, ſeu legata, aut alias debita ab eiſdem laicis exigere curant, aut ipſarum domorum bona prçfatis laicis pro eorum beneplacito, & voluntate concedere, ſeu civiles eorundem laicorum diſſenſiones, particulares diſcordias, & factiones ſequi, vel alias in his, quę laici ipſi a Magiſtro, Miniſtris, Prioribus, & Guardianis, & Fratribus memoratis minus licite poſtulant, eiſdem Laicis complacere recuſant, ac alias dum laici ipſi Magiſtrum, Miniſtros, Priores, Cuſtodes, Guardianos, & Fratres aliis variis plerumque occaſionibus ea qua decet affectione, non proſequuntur, ut ſe de eiſdem Magiſtro, Miniſtris, Prioribus, Cuſtodibus, Guardianis, & Fratribus Conventualibus nuncupatis, valeant vindicare, aut occupatorum per ipſos laicos bonorum ad domus eorundem Fratrum pertinentium reſtitutionem differre, & ſi domus ipſę ad Fratres dictorum Ordinum de obſervantia nuncupatos perveniant, bona illorum eis accommoda emere, & pro minori pretio quam valeant, habere poſſint, exquiſitis mediis curant, quod domus ipſę Ordinum eorundem per dictos Fratres Conventuales longo tempore poſſeſſę, & inhabitatę Fratribus de obſervantia, vel alio nomine nuncupatis eorundem Ordinum concedantur, novas gabellas, & onera, a quibus Fratres ipſi exempti ſunt, ab eis exigere, varia gravamina eis inferre, & alias injurias irrogare, pręſumunt, ex quo plurima eiſdem Fratribus Conventualibus incommoda proveniunt; nam metu moleſtiarum hujuſmodi, quas eis inferri formidant in exigendo, & proſequendo Domorum ſuarum jura timidiores redduntur, & eoſdem laicos vereri ultra, quam decet, & a libere prędicando, quod illos tangit abſtinere, & illis ultra quam ipſorum qualitas exigat, & Ordinum prędictorum utilitas perſuadeat, deferre

Diplomatis cauſa.

co-

coguntur inviti, non abſque divinę Maieſtatis offenſa, & Ordinum eorundem gravi pręjudicio, & jactura, adeo ut propter incommoda prędicta, etiam aliqui dictorum Ordinum profeſſores nonnunquam domos deſerant, & ad alios non Mendicantium Ordines ſe transferant, tales moleſtias evitare curantes, aliqui vero, qui Ordines ipſos ingrederentur ab ingrediendo abſtinere cernuntur, quod ad eorundem Ordinum perniciem paulatim cedere, manifeſte dignoſcitur. Nos igitur, qui dum Generalis Miniſtri dicto fungeremur Officio pro quiete univerſorum profeſſorum dicti Ordinis Fratrum Minorum, tam Conventualium, quam de Obſervantia ſub Bulla, aut alias juxta diverſarum regionum conſuetudinem nuncupatorum, procuravimus, quod felicis recordationis Paulus Papa Secundus Prędeceſſor noſter ſub cenſuris, & pęnis Eccleſiaſticis tunc expreſſis, inhiberet univerſis Fratribus prędictis, ne prędicti Fratres de Obſervantia nuncupati domos eorundem Fratrum Conventualium Ordinis Fratrum Minorum, aut illas pro eorum habitatione quęrere, vel recipere, vel quod Monaſteria Monialium curę eorundem Fratrum Conventualium commiſſa ipſorum Fratrum de Obſervantia curę committerentur, & quęrere pręſumerent, prout in ejuſdem Prędeceſſoris literis deſuper confectis plenius continetur, tot malis quot Prędicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini & Carmelitarum S. Marię Ordinum mendicantium profeſſores prędicti Conventuales nuncupati, quorum ſcientia, & doctrina militans Eccleſia continuo ſuſcipit incrementum, ex pręmiſſis patiuntur, ut tenemur, obviare cupientes, motu proprio, non ad prędictorum Magiſtri, Miniſtri, Priorum, Cuſtodum, Guardianorum, & Fratrum Conventualium, vel alterius, pro eis Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, & ex certa ſcientia literas Prędeceſſoris hujuſmodi, ratas habentes, & innovantes, omnibus, & ſingulis clericis, & Religioſis de Bulla, vel alias de Obſervantia nuncupatis, Ordinum quotumcunque, ac laicis utriuſque ſexus, cujuſcunque dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, etiam ſi Marchionali, Ducali, Comitiali, Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, Abbatiali, & alia quacunque Eccleſiaſtica, vel mundana pręfulgeant dignitate, & auctoritate, ſub pęna latę ſententię excommunicationis, eo ipſo toties quoties illos contrafacere contigerit incurrenda, ne quod domus, & loca Profeſſorum Ordinum Conventualium nuncupatorum, aut Monaſteria Monialium eorum curę commiſſa, aliis Fratribus, Monialibus, ſeu Sororibus etiam ejuſdem Ordinis quovis nomine nuncupatorum quomodolibet concedantur, aut quod amotis exinde Fratribus, illas, & illa inhabitantibus reformentur, & alii Fratres, alięve Moniales, ſeu Sorores, eorum loco ſubrogentur, & ſubſtituantur ibidem, ſeu quod Monaſteria prędicta aliorum curę committantur, procurare, quęrere, aut tentare, niſi apud Magiſtrum, Miniſtros, & Priores, Generales, vel Provinciales, dictorum Ordinum pro tempore exiſtentes, qui teneantur, & debeant, quoties opportunum fuerit, & poſtquam fuerint requiſiti, infra annum domos ipſas debite reformare, & quę correctione, & emendatione indigerent, corrigere, & emendare, nec etiam ad effectum hujuſmodi amotionis eorum a domibus ſuis eiſdem Fratribus Conventualibus & eorum curę commiſſis Monialibus injurias, aut alia gravamina inferre, ſeu ab eiſdem Fratribus pro rebus, & bonis quę habent, & negotiationis cauſa non deferrent, pedagia, guidagia, gabellas, aut alia quovis nomine nuncupata, nova onera petere, exigere, vel levare quoquo modo pręſumant, auctoritate Apoſtolica pręſentium tenore diſtrictius inhibemus; ac volumus, & motu ac ſcientia prędictis ſtatuimus, & ordinamus, quod Fratres ipſi Conventuales, ac Sorores, & alii quicunque reformationibus, quas fieri continget, per Generales, aut Provinciales prędictos acquieſcere, illaſque obſervare omnino teneantur, & debeant, & quod laici prędicti in faciendis reformationibus prędictis alias quam, ut pręfertur, nullatenus ſe intromittant, aut ne fiant, opponant, vel contradicant, nec quod poſtmodum factę reformationes alterentur, vel mutentur, aut in eis aliquid ultra addant, quęrere audeant, ſub eadem excommunicationis ſententia, ſi contrafecerint, eo ipſo ex tunc incurrenda. Decernentes irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis, Apoſtolica etiam, auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, harum non inſerto tenore, contigerit attentari. Et nihilominus pręſentibus, & futuris pro tempore dictorum Ordinum Protectoribus, omnibuſque, & ſingulis Prętatis, & aliis perſonis eccleſiaſticis in dignitate conſtitutis, necnon Eccleſiarum Cathedralium, & Metropolitan. Canonicis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, & quilibet eorum per ſe, vel alios, ſeu alium reſpective dictis Magiſtro, Miniſtris, Prioribus, ſeu Cuſtodibus, Guardianis, & Fratribus Conventualibus in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, ac pręmiſſa omnia, & ſingula ubi, & quando expedire cognoverint, fuerintque deſuper requiſiti, ſolemniter publicantes, non permittant eos, vel eorum aliquem contra pręſentium tenorem per quoſcunque quomodolibet moleſtari, ſeu inquietari, ac alios omnes, & ſingulos quos eis hujuſmodi ſententiam excommunicationis incurriſſe conſtiterit, quoties ſuper hoc pro parte aliquorum ex Magiſtro, Miniſtris, Prioribus, Cuſtodibus, & Fratribus prędictis Conventualibus fuerint requiſiti, in Eccleſiis, & aliis locis, ubi eis videbitur, excommunicatos publice nuncient, faciantque ab aliis nunciari, & ab omnibus arctius evitari, donec prævia debita ſatisfactione meruerint ab eadem excommunicationis ſententia, abſolutionis beneficium obtinere; Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus privilegiis, ac conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon prędictorum Ordinum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus. Quibus omnibus, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio pręſentibus habenda foret, tenore pręſentium quoad pręmiſſa, ſimili ſcientia derogamus, & ea pro infectis haberi volumus, contrariis quibuſcunque, aut ſi perſonis, & Fratribus prędictis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictę Sedis Indulgentia generali, vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de

Mandatum.

Ordinum Mendicantium adhuc non Reformatorum commendatio.

& de qua, cujuſque toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Poſtremo quia difficile foret pręſentes literas ad ſingulas Provincias originaliter deſtinare, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod tranſumptis earum manu Notarii publici, & Curię Cauſarum Camerę Apoſtolicę, aut alicujus Epiſcopalis, vel Archiepiſcopalis ſigillo munitis, ea prorſus in judicio, & extra ubicunque exhibita, & oſtenſa fuerint, fides adhibeatur, ac ſi ipſę originales literę exhibitę forent, & oſtenſę. Nulli ergo omnino &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quinto, Kalendis Maii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Reformandis*.) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum* (*Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo*.) In quo duplex Exemplar authenticum. Utrique aſcribuntur Annus a Nativitate Domini *MCCCCLXXV*, Indictio *VIII*, Dies *V* Junii, Pontificatus Sixti *IV* Annus *IV*. Legitur eadem Conſtitutio apud *Caſtellanum Parte II pag.* 102, *Rodericum in Nova Collectione Privilegiorum Apoſtolicorum pag.* 199, & in *Conſtitutionibus* editis anno MDVII num. CII.

Anno 1475 Die 11 Junii.

Lavellen. (1) Cœnobium, & Hoſpitale fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXVII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nobili viro Pirro Duci Vemiſin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex Fundatoris petitio.

EXimię devotionis affectus &c. (3). Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte tua, petitio continebat, extra muros Civitatis Lavellen., cujus in temporalibus dominus exiſtis, quędam Eccleſia ſub vocabulo B. Marię de Loreto ex piis Chriſti fidelium, ad ipſam B. Mariam ſingularem devotionem gerentium, eleemoſynis conſtructa, quę de tuo jure patronatus exiſtit, & in qua hoſpitalitas ſervatur, fore noſcatur, tuque propter pręcipuum, quem ad Ordinem Fratrum Prędicatorum, de obſervantia nuncupatorum geris devotionis affectum, cupias de bonis a Deo tibi collatis prope dictam Eccleſiam unam pro uſu, & habitatione perpetuis nonnullorum Fratrum dicti Ordinis de eadem obſervantia, necnon pro tenenda hoſpitalitate prędicta unam aliam, domos ibidem conſtruere, & ędificare, ſeu conſtrui, & ędificari facere, ſi tibi ſuper hoc Apoſtolicę Sedis licentia concedatur, pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi unam cum horto, clauſtro, dormitorio, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione perpetuis Fratrum eorundem de hujuſmodi obſervantia, ac aliam, domos prędictas pro pręfata hoſpitalitate tenenda, conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, necnon illas eiſdem Fratribus aſſignandi, ipſiſque Fratribus domos eaſdem ad hujuſmodi uſus recipiendi, retinendi, & inhabitandi licentiam concedere, ac alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionis propagationem, & divini cultus augmentum noſtris potiſſime temporibus vigere, & augeri ſinceris deſideriis affectamus, tuum laudabile propoſitum hujuſmodi plurimum in Domino commendantes, conſideratione etiam cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi (4) Regis Sicilię Illuſtris, pro te Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantis, ipſius Regis, ac tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi domos pręfatas ad pręmiſſos uſus, abſque tamen alicujus pręjudicio, conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, illaſque pręfatis Fratribus aſſignandi, necnon eiſdem Fratribus Eccleſiam, quę Rectore caret, & cujus fructus, redditus, & proventus, duodecim florenorum auri de camera ſecundum communem extimationem valorem annuum, ut aſſeritur, non excedunt, ſi ipſis alias canonice aſſignetur, & domos hujuſmodi ad pręmiſſos uſus recipiendi, retinendi, & inhabitandi auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, licentiam elargimur; jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, qua prohibetur, ne quis Ordinum Mendicantium Fratres in aliqua civitate, caſtro &c. abſque Sedis prędictę licentia &c. faciente plenam &c mentionem, & aliis conſtitutionibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę elargitionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quinto, Tertio Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Facultas.

1. *Lavellen.*) In Regno *Neapolitano*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXI fol.* 287.
3. *Affectus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Ferdinandi*.) Hujus nominis *I*.

Anno 1475 Die 1 Julii.

Facultas habendi Poſſeſſiones (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXVIII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

COnſiderantes attentius, quantum Chriſtianę Religioni exemplo bonorum operum, & doctrinę verbi Religioſorum Ordines hactenus contulerunt, eorum pręſertim, qui quaſi cultores in agro Dominico conſtituti, ad extirpandas vepres per aſtutiam hoſtis callidi in eo continue pullulantes, tuba evangelicę prędicationis jugiter inſudant, ad ea profecto noſtrę conſiderationis frequenter dirigimus intuitum, per quę Ordines ipſi in ſtatu pacifico conſerventur, & ipſorum profeſſores neceſſariis quibuslibet eis congruo ſuppetentibus, valeant in ſuo laudabili propoſito confoveri. Nuper ſiquidem di-

Diplomatis cauſa.

dilecti filii Leonardi de Peruſio, Magiſtri Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, humili inſinuatione percepimus, quod, licet in dicto Ordine, in quo magna eruditiſſimorum virorum habetur multitudo, benedicente Domino, novi palmites ſuccreſcant in dies, & Fratrum Prędicatorum numerus ubilibet augeatur, & in futurum propter exemplarem vitam, & ipſorum ſanctimoniam magis, ac magis divini ſpiritus ſuperveniente gratia, augeri poſſe ſperetur, tamen propter eorum paupertatem, ac temporum ſiniſtros eventus, ac crebras afflictiones partium diverſarum, tum etiam quia tepeſcit caritas multorum, & eleemoſynę, ex quibus ſuſtentari conſueverant, atque alia pia ſubſidia adeo in pleriſque locis diminuta ſunt, quod ipſis Fratribus, & eorum domibus multa eis neceſſaria ſępe deficiunt, & tam ipſi, quam domus, & loca ipſorum indigentia plerumque nimia comprimuntur. Et, ſicut eadem inſinuatione didicimus, ſi eiſdem Fratribus, vel eorum domibus, quod in communi proprios redditus, & proventus habere, illoſque perpetuo retinere poſſent, concederetur, nonnulli Chriſti fideles ſępenumero reperirentur, qui cupientes terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, eiſdem domibus, & Fratribus in eis pro tempore commorantibus, ob ſingularem devotionem, quam ad Ordinem gerunt antedictum, poſſeſſiones, domos, cenſus, & alia bona immobilia, teſtamentaria diſpoſitione, relinquerent, vel etiam in eorum vita donarent, quę res cederet in magnam dictorum Fratrum ſubventionem, & ipſi exinde ſtudiis commodius vacare, & cultui divino ardentius intendere valerent, Chriſti fideles ipſi, ſperantes, legata, & largitiones ipſorum fore perpetua, ad relinquendum eis, ac etiam largiendum bona immobilia prędicta facilius invitarentur. Quare pro parte dilecti filii Generalis, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, attendentes, quod juxta Apoſtoli ſententiam, qui ſpiritualia ſeminant debent temporalia metere, & ſacrorum Canonum ſanctiones, ſpiritualia ſine temporalibus diu eſſe non poſſe affirment: Ac volentes ſuper hoc, quantum Nobis ex alto conceditur, de opportuno remedio providere, ipſius Generalis in hac parte ſupplicationibus inclinati, Generali prędicto, ac Prioribus, & Fratribus domorum dicti Ordinis pręſentibus, & futuris, quod poſſeſſiones (1), domos, cenſus, & alia immobilia bona, eis & ipſorum domibus prędictis, pia fidelium largitione, inter vivos, vel cauſa mortis donata, aut teſtamentaria diſpoſitione largita, vel alias relicta, & quę eis pro tempore donari, relinqui, ſeu legari contigerit, pro ſubſidio ſtudentium, & aliorum eis incumbentium onerum ſupportatione, in communi, & non aliter retinere, ac illa per deputandos ab eis adminiſtrare libere, & licite valeant, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus pariter, & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac regularibus inſtitutis dicti Ordinis, quodque ipſi Mendicantes nuncupentur, & ſint, ac ex incerta mendicitate juxta illas vivere debeant, aliis quoque Ordinis, & domorum ejuſdem ſtatutis, & conſuetudinibus, quibus omnibus, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum pręſentibus inſerti forent, pro expreſſis haberi volentes, hac vice dumtaxat, illis tamen quoad reliqua in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quinto, Kalen. Julii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Nota. In Commendationem Ordinis.

Nota.

Facultas.

Nota.

1. *Poſſeſſiones.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar *Lib. B. fol.* 63 ex Authentico *Conſentino*. Legitur apud *Uſuſmarem pag.* 147, *Caſtellanum Parte II pag.* 122, in *Conſtitutionibus* editis anno *MDV* num. *LXXXVI*, in aliis an. *MDVII* num. *CVIII*.

Reſcindit literas, quibus Raguſina (1) Cœnobia Congregationi Lombardiæ unierat.

Anno 1475 Die 1 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXIX.

Dilecto filio Leonardo (3) de Manſuetis de Peruſio, Sacrę Theologię Profeſſori, Ordinis Prędicatorum Generali Magiſtro.

SIXTUS PP. IV.

Dilecte Fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PRidem ad ſupplicationem dilectorum filiorum Civium Raguſin. univimus Societati Lombardię tui Ordinis de Obſervantia duos conventus ejuſdem Ordinis, & obſervantię, alterum intra, & alterum extra muros Raguſio., eoſque Vicario dictę Societatis ſubjecimus, prout in noſtris deſuper confectis literis plenius continetur. Sed cum, ut nuper tua devotio Nobis expoſuit, unio hujuſmodi plurimum incommoda utrique parti eſſe videatur, tum ob deformitatem linguarum, tum ob locorum diſtantiam, mariſque periculum, adeoque Conventus ipſi bene regi per ipſam Societatem minime poſſint, proptereaque nomine utriuſque partis, quę hoc deſiderant, Nobis ſupplicaſti, ut unionem ipſam, premiſſis attentis, diſſolvere dignaremur. Itaque cum bonum regimen quorumcunque Religioſorum affectemus, prędictas cauſas, utpote rationabiles paterno conſiderantes affectu, ſi ita eſt, harum ſerie conventus ipſos Raguſinos a dicta Societate Lombardię, ejuſque Vicarii regimine liberamus, & diſſolvimus, volentes eos in primo ſtatu remanere perinde ac ſi literę unionis prędictę nullatenus emanaſſent. Premiſſis literis, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die I Julii MCCCCLXXV, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

L. Griſus.

1. *Raguſina*,) In ejuſdem nominis Republica.
2. *Archivo*,) In quo Exemplar ex Autographo Raguſino.
3. *Leonardo*.) De quo ſæpius dictum fuit.

Anno 1475 Die 9 Julii.

Literas quibus Raguſina Cœnobia Congregationi Lombardiæ unierat reſciſſas fuiſſe ſignificat (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXX. Dilecto filio Thomę, Sacrę Theologię Profeſſori, Vicario Conventuum Reformatorum, Ordinis Prędicatorum, Provincię Dalmatię.

SIXTUS PP. IV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper ex certis reſpectibus duos tui Ordinis Conventus, unum intra, & alterum extra muros Raguſin. a Societate Lombardię, cui uniti erant, ſeparavimus, unionemque hujuſmodi diſſolvimus, prout in literis noſtris in forma Brevis, deſuper confectis, & dilecto filio Leonardo de Manſuetis de Peruſio dicti Ordinis Generali directis plenius continetur. Quod devotioni tuę ſignificandum duximus, ut tu quoque hujus rei notitiam habeas, & ſcias conventus ipſos ſub pręfato Generali, ſicut prius, eſſe, & gubernari debere. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die IX Julii MCCCCLXXV, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

L. Grifus.

1. *Significat.*) Conſulenda præcedens *Conſtitutio*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Raguſin.*

Anno 1475 Die 26 Julii.

Fratres Prædicatores veniant in poſſeſſionem Cœnobii S. Hilarionis (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXXI. Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Prępoſito Eccleſię Sancti Petri de Banchia, Januen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PIis fidelium votis gratum Nos decet pręſtare aſſenſum &c. (3). Sane pro parte dilecti filii Alexandri de Raybaldis de Janua, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum quondam Andreas de Sancto Ambroſio olim Prior Monaſterii Sancti Matthęi Januen., Ordinis Sancti Benedicti, per Priorem ſoliti gubernari, de bonis per eum ex ſua industria acquiſitis de Eccleſia tunc Sancti Viti de Albario Januen. Diœceſis Monaſterium Sancti Illarionis (4) dicti Ordinis pro uno Priore, & ſex Monachis dicti Ordinis auctoritate Apoſtolica conſtrui, & ędificari facere fecit, & cępit, ac muros Eccleſię dicti Monaſterii Sancti Illarionis in parte erexit, illique certa loca comperarum (5) Sancti Gregorii (6) Communis Januen. pro ejus dote aſſignavit. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, dilectus filius Ludovicus de Villariis Sancti Matthęi, & Benedictus de Carletis, Sancti Illarionis, Monaſteriorum prędictorum Priores, quod ipſum Monaſterium Sancti Illarionis, quod a dicto Monaſterio Sancti Matthęi dependet, & per illius Monachos gubernari conſuevit, in domum dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum de obſervantia nuncupatorum erigatur, ac nomen Prioratus & Ordo Sancti Benedicti hujuſmodi poſt dicti Benedicti obitum extinguatur, ſuum conſenſum pręſtare proponant, pro parte tam dicti Alexandri, quam Ludovici, & Benedicti prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eidem Alexandro Monaſterium prędictum Sancti Illarionis, ſuppreſſis in eo & extinctis nomine Monaſterii & Ordine Sancti Benedicti hujuſmodi, poſt dicti Benedicti obitum, & illius Eccleſiam cęptam, ut pręfertur, in domum dicti Ordinis *Fratrum* Prędicatorum de Obſervantia cum clauſtro, dormitorio, campanili, campana, hortis, *hortalitiis*, & aliis neceſſariis officinis, erigendi, conſtruendi, ſeu erigi & conſtrui faciendi, necnon *Fratribus* dicti Ordinis Prędicatorum illam recipiendi, & inhabitandi licentiam concedere, aliaſque in *pręmiſſis* opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, qui divini cultus *augmentum*, & Religionis propagationem noſtris potiſſime temporibus intenſis deſideriis appetimus, ipſorum Alexandri, Ludovici, & Benedicti votis in hac parte favorabiliter annuentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de expreſſo conſenſu dictorum Priorum, & ſine cujuſlibet pręjudicio pręfato Alexandro Monaſterium prędictum Sancti Illarionis in domum dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum cum Eccleſia, campanili, campana, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis officinis prędictis erigendi, & conſtruendi, ſeu erigi, & conſtrui faciendi, ac eiſdem Fratribus illam recipiendi, & perpetuo retinendi, & inhabitandi, licentiam auctoritate noſtra concedas, prętatumque Alexandrum in illius Priorem quoad vixerit conſtituas, & deputes; & nihilominus ſi licentiam per te vigore pręſentium fieri contigerit, ut pręfertur, pręfato Benedicto, ex fructibus, redditibus, & proventibus ex locis prędictis provenientibus ſexaginta quinque libras monetę Januen., ac uſumfructum terrarum, ac poſſeſſionum dicti Monaſterii Sancti Illarionis, & poſt ejus obitum ex ſumma locorum viginti duorum & librarum ſeptuaginta quinque Monetę & Comperarum hujuſmodi loca decem, & librarum quinque (7) Priori, & Fratribus dictę domus tunc erectę pro eorum li-

Supplex petitio.

Facultas.

licitis uſibus ac prętato Monaſterio Sancti Matthęi duodecim loca, & illorum proventus perpetuo reſervare, & aſſignare, quodque poſt obitum dicti Alexandri Prior, & Fratres dictę domus pro tempore exiſtentes pro annuo cenſu Priori dicti Monaſterii Sancti Matthęi pro tempore exiſtenti duos cereos quemlibet de una libra cerę in Ramis palmarum annis ſingulis ſolvere, & aſſignare teneantur, ſtatuere, & ordinare dicta auctoritate procures. Nos enim ſi licentiam concedi, ac deputationem, conſtitutionem, decretum, ſtatutum, & ordinationem hujuſmodi per te vigore prętentium fieri contigerit, ut prętertur, eidem Benedicto, ut Prior Monaſterii Sancti Illarionis quoad vixerit, appellari, & nominari, nec a prętatis Priori, & Fratribus dictę domus, ab illo amoveri poſſit, necnon Prioribus, & Fratribus dictę domus, in illa pro tempore degentibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis, & Indultis Apoſtolicis, quibus alię domus dicti Ordinis & illarum Priores, & Fratres in genere quomodolibet gaudent, potiuntur, & utuntur, ſeu uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, ipſa domus Sancti Illarionis, & ejus Fratres prędicti, uti, potiri, & gaudere libere & licite valeant, & debeant, auctoritate Apoſtolica tenore prętentium indulgemus: quodque poſt obitum dicti Benedicti nomen Monaſterii & Ordinem Sancti Benedicti hujuſmodi, eiſdem auctoritate, & tenore, ſupprimimus, & extinguimus, ipſaque ſuppreſſa & extincta tunc eſſe cenſeantur; jure tamen Parochialis Eccleſię & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Boniſatii PP. Octavi, Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne prędicti, aut cujusvis alterius Ordinis Mendicantium Fratres ad inhabitandum nova loca recipere, ſeu jam recepta mutare prętumant, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, ac aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quinto, Septimo Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *S. Hilarionis.*) *Januenſis* Diœceſis in *Liguria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXIX fol.* 259.
3. *Aſſenſum &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Illarionis.*) *Hilarionis*.
5. *Loca Compararum.*) Seu *Comperarum*, quaſi diceres Loca *communium perarum*, ut alibi notatum fuit.
6. *S. Gregorii.*) *S. Georgii*.
7. *Librarum Quinque.*) Nonnulla deeſſe videntur.

Facultas fundandi tria Cœnobia in Provinciis Saxoniæ, & Poloniæ pro Fratribus Reformatis.

Anno 1475 Die 28 Auguſti.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

LXXII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Leonardo (2) de Peruſio (3) Priori (4) Generali (5) Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

QUoniam in his, quę divini cultus augmentum &c. (6). Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ad dilectos filios Fratres domorum Congregationis Hollandię Ordinis Prędicatorum de obſervantia multi Chriſti fidelium, propter eorum exemplarem vitam, ſingularem gerunt devotionis affectum, ac propter diſtantiam domorum reformatorum dicti Ordinis expediret, quod in Saxonię, & Polonię Provinciis ſecundum morem ipſius Ordinis domus aliquę augerentur pro Fratribus dicti Ordinis, qui pro ſalute fidelium ſeminarent verbum Dei. Quare tam pro parte tua, quam Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem Fratribus, quod in dictis Provinciis tres domus dicti Ordinis de obſervantia cum officinis neceſſariis de novo erigere, ſeu jam erectas recipere, de conſenſu tamen Ordinariorum locorum, illaſque inhabitare poſſint, & valeant licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui cultum divinum noſtris prętertim temporibus ubilibet adaugeri intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi, & eiſdem Fratribus, quod tres domus hujuſmodi in dictis Provinciis de conſenſu Ordinariorum locorum, in locis ad hoc congruentibus, & honeſtis, cum cęmeteriis, campanis, campanilibus, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione dictorum Fratrum de obſervantia de novo ędificare, ſeu jam ędificatas recipere, ſine tamen cujuſcunque prejudicio, illaſque perpetuo juxta eorum ritus, & conſuetudines inhabitare, quodque Fratres, qui dictas domos pro tempore inhabitabunt, omnibus, & ſingulis privilegiis, indulgentiis, & gratiis prętatis Ordini, & obſervantię, & illius domibus a Sede Apoſtolica generaliter conceſſis uti, gaudere libere, & licite poſſint, & valeant, auctoritate Apoſtolica tenore prętentium, licentiam concedimus pariter, & indulgemus, jure Parochialium Eccleſiarum, & aliorum quorumlibet in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Boniſatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, inter alia prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua civitate, caſtro, vel villa, ſeu alio loco quocunque domus, aut loca de novo recipere, ſeu inhabitare prętumerent abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon privilegiis, & indultis aliis Fratribus de Obſervantia dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis, & indulti infringere &c. Siquis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quinto, Quinto Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Facultas.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXIII fol.* 142.
2. *Leonardo.*) *De Manſuetis*, ſeu *Manſuetus* cognominatus, de quo conſulendi ſcriptores, quos laudat *Echard Tomo I ſcriptorum Ord. ad annum MCCCCLXXIV pag.* 842.
3. *De Peruſio.*) Sic a patria nuncupatur *Leonardus*.

4. *Priori.*) Ità nonnunquam vocatum fuiſſe Generalem Magiſtrum Ordinis Prædicatorum, alibi diximus.

5. *Generali.*) *Martialis* ſiquidem *Auribelli* ſucceſſor renunciatus erat *Leonardus* in Comitiis Generalibus *Rom MCCCCLXXIV.*

6. *Augmentum &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Anno 1475 Die 30 Septembris.

De reficiendis ſacris ædibus, & Cœnobio Mantuan. (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXIII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Prępoſito Eccleſię Mantuan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

PAſtoralis officii debitum &c. (3). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus S. Lucę Mantuan. Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, quod olim ipſi quandam domum eis pro eorum licitis uſibus relictam Inquiſitori, hęreticę pravitatis in partibus illis auctoritate Apoſtolica tunc deputato dicti Ordinis profeſſori conceſſerunt, qui illam in ſuis ſtructuris, & ędificiis ex emolumentis ſui officii, per eum licite acquiſitis, reparavit, quo defuncto, & dicta Domo de conſenſu Prioris, & Fratrum eorundem vendita, ipſi Prior, & Fratres tertiam partem pretii ejuſdem domus in reparationem dictę domus S. Lucę converterunt. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, officium Inquiſitoris in eiſdem partibus vacet, ac duę tertię partes pretii hujuſmodi pro alia domo pro habitatione futuri Inquiſitoris cuidam depoſitę exiſtant, dictaque domus S. Lucę, & illius Eccleſia magna reparatione indigere noſcantur, pro parte dilecti filii Nobilis viri Ludovici (4) Marchionis Mantuan., ac Prioris, & Fratrum eorundem Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſis Priori, & Fratribus, quod duas partes pretii hujuſmodi in reparationem domus S. Lucę, & Eccleſię prędictarum convertere poſſint, concedere, ac alias in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Mandatum.

Nos itaque, qui de pręmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati deſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis quorum intereſt, de pręmiſſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ea inveneris ita eſſe, Priori, & Fratribus prędictis, quod duas partes pretii hujuſmodi in reparationem domus S. Lucę, & Eccleſię prędictarum convertere poſſint, auctoritate noſtra concedas, non obſtantibus &c. quibuſcunque &c.. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quinto, Pridie Kal Ooctobris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Mantuan.*) In ejuſdem nominis Ducatu *Italia*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXVI fol.* 212.

3. *Debitum &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

4. *Ludovici.*) E nobiliſſima Gente *Gonzaga*.

Anno 1475 Die 5 Octobris.

Ut Tertii Ordinis Fratres, & Sorores, utpote perſonæ eccleſiaſticæ, Privilegiis ſibi conceſſis, & eccleſiaſtica libertate fruantur (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXIV.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

SAcroſancta Romana Eccleſia ſub Religionis habitu Domino famulantes ex aſſuetę pietatis officio propenſius diligere conſuevit, &, ne indebitis agitentur moleſtiis, tanquam pia Mater opportunis favoribus confovere. Sane pro parte dilectorum filiorum Leonardi de Peruſio Generalis Magiſtri Ordinis Prędicatorum, ac univerſorum Fratrum, & dilectarum in Chriſto filiarum univerſarum Sororum Tertii Ordinis B. Dominici de Pęnitentia nuncupati, in dicto Ordine conſiſtentium nuper Nobis exhibita, petitio continebat,

Diplomatis cauſa.

quod licet nonnulli Romani Pontifices Prędeceſſores noſtri diverſa pro immunitate eorum conceſſerint privilegia, & quamplures in utroque jure peritiſſimi, quod ipſi Fratres, & Sorores debent gaudere libertate Eccleſiaſtica, ut perſonę Religioſę, affirment, nihilominus Civitatum Communitates, ac Poteſtates, aliique officiales ſeculares locorum nova eis realia, & perſonis alia in dies gravamina, libertati Eccleſiaſticę contraria, indicere pręſumunt. Quare pro parte Generalis Magiſtri, Fratrum, & Sororum eorundem Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem communitatibus, Poteſtatibus, & Officialibus, ne hujuſmodi gravamina inferant, prohibere, aliaſque eis ſuper hoc opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Mandatum.

Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati Communitatibus, Poteſtatibus, & Officialibus prędictis ſub excommunicationis pęna, quam, ſi moniti non reſipuerint, eo ipſo incurrant, ne eiſdem veris, non quęſitis, aut propterea receptis Fratribus, continentibus, & non conjugatis, qui ſecundum regulam, & inſtituta dicti Ordinis regularia vivant, & perſeverent, gravamina aliqua, libertati Eccleſiaſticę contraria, indicere, aut ipſos Fratres, & Sorores quo minus gaudeant privilegiis, & Immunitatibus tam fori,

Nota.

quam perſonę, & rerum, ſicut alię perſonę Eccleſiaſticę, quomodolibet impedire pręſumant, Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium inhibemus. Et nihilominus univerſis, & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis, ac quibuslibet perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, necnon Parrochialium Metropolitanis, & aliarum Cathedralium Eccleſiarum Canonicis pro tempore exiſtentibus, in Civitatibus, & locis prędictis, & cuilibet eorum, qui deſuper fuerint requiſiti ab aliquo Fratrum, ſeu Sororum prędictorum per Apoſtolica ſcripta mandamus,

qua-

Digitized by Google

quatenus præmiſſa ubi, & quando eis expedire videbitur, ſolemniter publicantes, non permittant eoſdem Fratres, & Sorores contra inhibitionis noſtræ hujuſmodi tenorem per quoſcunque quavis auctoritate indebite moleſtari, & illos, quos propterea hujuſmodi excommunicationis ſententiam incurriſſe eis conſtiterit, excommunicatos nuncient, faciantque ab aliis nunciari, ac ab omnibus arctius evitari, donec ab hujuſmodi indebitis moleſtiis, per eos dictis Fratribus, & Sororibus illatis, cum effectu deſtiterint. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus Ordinationibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon locorum municipalibus ſtatutis, etiam confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis contrariis quibuſcunque, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim, a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Ceterum quia difficile foret præſentes literas ad ſingula loca, in quibus Fratres, & Sorores prædicti illis indigerent deferre, volumus, & præfata auctoritate decernimus, quod earum tranſumpto manu Notarii publici, ac Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ, aut alicujus Epiſcopalis, vel Archiepiſcopalis ſigillo munito ea prorſus in judicio, & extra ubicunque exhibitum fuerit fides adhibeatur, ac ſi ipſæ originales literæ forent oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ inhibitionis, mandati, voluntatis, & Conſtitutionis infringere &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quinto, Tertio Nonas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

G. Pele.

C. a. de Caſtelio.

Pro P. Chiam B. de Puteo.

L. Griſus.

Regiſtrata gratis.

..... Milliuus.

A tergo legitur.

Regiſtrata apud me L. Griſum.

1. *Fruantur.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIV.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur. Exemplar authenticum aſſervatur in Cœnobio *Mutinenſi*. Legitur apud *Confettium pag.* 69, *Uſuſmarem pag.* 161, *Caſtellanum Parte II pag.* 126, & in *Conſtitutionibus* editis anno *MDVII* num. CXI.

Belnenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1475 Die 6 Octobris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii Sancti Stephani Divionen. (3), Lingonen. (4) Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LXXV.

Pia devotorum Deo, & Eccleſiæ deſideria &c. (5). Sane pro parte dilecti filii Nobilis viri Guillermi de Vilars (6) Militis Domini loci de Ygornay, Eduen. (7) Diœceſis, & dilectæ in Chriſto filiæ nobilis Mulieris Agnetis de Duchey, ejus Uxoris, petitio continebat, quod ipſi piæ devotionis, & ſinceritatis fervore ſuccenſi, ac de propria ſalute cogitantes, cupientesque terrena in cœleſtia, ac tranſitoria in æterna felici commercio commutare, ob præcipuæ, & ſinceræ devotionis affectum, quem gerunt ad Ordinem Fratrum Prædicatorum, unam domum in villa, ſeu loco de Belna dictæ Diœceſis aut alio ad id accommodo, & dilecti filii Nobilis viri Caroli (8) Ducis Burgundiæ temporali dominio ſubjecto, cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, cœmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis ad opus, & uſum Fratrum prædicti Ordinis de bonis a Deo eis collatis conſtrui, & ædificari facere deſiderant, & proponunt. Quare pro parte Guillermi, & Agnetis prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis domum hujuſmodi conſtrui, & ædificari faciendi, eiſdemque Fratribus illam pro eorum perpetuis uſu, & habitatione, recipiendi, & inhabitandi, licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionis propagationem, & divini cultus incrementum, & animarum ſalutem intenſis deſideramus affectibus, dictum laudabile propoſitum Guillermi, & Agnetis prædictorum plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, ſine alicujus præjudicio dictis Guillermo, & Agneti domum hujuſmodi cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtrui, & ædificari faciendi, & dictis Fratribus domum prædictam pro eorum perpetuis uſu, & habitatione recipiendi, & perpetuo inhabitandi, licentiam auctoritate noſtra concedas, jure tamen Parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii PP. VIII Prædeceſſoris noſtri, qua prohibetur, ne prædicti, & aliorum Mendicantium Ordinum Fratres in aliqua civitate, caſtro, & villa &c. & quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nos enim ſi licentiam ad hoc per te vigore præſentium concedi contingat, dictæ domui, ac Priori, & Fratribus, qui illam pro tempore inhabitabunt, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, gratiis, favoribus, & indultis, domibus dicti Ordinis conceſſis uti, potiri, & gaudere libere, & licite

Supplex petitio.

Facultas.

va-

valeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium indulgemus. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quinto, Pridie Nonas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Belnenſis.*) Vulgo *Beaulne*, in *Burgundia* Ducatu. Hoc Cœnobium juris eſt Provinciæ *Franciæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXVI fol.* 154.
3. *Divionen.*) Vulgo *Dijon*, in *Burgundia* Ducatu. Nunc Epiſcopalis eſt Urbs *Divionenſis*.
4. *Lingonen.*) Vulgo *Langres*, in *Gallia Celtica*.
5. *Deſideria &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
6. *Guillermi de Villars.*) Gens eſt nobiliſſima, quæ nunc etiam floret in *Gallia*.
7. *Eduen.*) *Æduen.*, vel *Heduen.*, vulgo *Autun*, in *Burgundia*.
8. *Caroli.*) Qui *Philippum*, cognomento *Bonum*, patrem habuerat.

Anno 1475 Die 11 Octobris.

De Feſto S. Petri Martyris Dominica Secunda poſt Feſtum Paſchatis celebrando in Pirnenſi (1) Cœnobio.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXVI.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

PAſtoris æterni, qui pro ſalute humani generis &c. (3). Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus loci Pirnen. Ordinis Fratrum Prædicatorum Miſnen. Diœceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod Feſtum Sancti Petri Martyris ubilibet ex inſtitutione Romanę Eccleſię die vigeſima nona Menſis Aprilis celebratur, & Chriſti fideles de diverſis mundi partibus in numero copioſo ad Civitatem Pragen. (4) pro viſitandis Reliquiis Sanctorum proficiſcentes, Eccleſiam dictę Domus Provincię Saxonię ſecundum morem dicti Ordinis pro conſequendis Indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus, viſitantibus Eccleſias dicti Ordinis in Feſto dicti S. Petri Martyris auctoritate Apoſtolica conceſſis, in ſecunda Dominica die poſt feſtum Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti viſitare conſueverunt, putantes forſan conſequi poſſe Indulgentias, & remiſſiones antedictas. Quare pro parte dictorum Prioris, & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut quod dictum

Indultum.

feſtum in dicta Dominica die annis ſingulis celebrari debeat, & quod Chriſti fideles dictam Eccleſiam tunc viſitantes Indulgentias, & peccatorum remiſſiones hujuſmodi conſequantur, ſtatuere, & ordinare, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, qui ſingulorum fidelium devotionem videlicet propagari, & eorum animarum ſalutem exquiſitis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, quod Feſtum prędictum de cetero perpetuis futuris temporibus in prędicta dominica die, in dicto loco tantum, celebrari debeat, quodque fideles prędicti ipſam Eccleſiam in pręfata dominica die viſitantes, Indulgentias, & peccatorum remiſſiones hujuſmodi conſequantur, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium ſtatuimus, & ordinamus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac domus, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod ex nunc in ante feſtum prędictum in dicto loco vigeſima nona die hujuſmodi nullatenus celebretur, & dicti fideles tunc ipſam Eccleſiam viſitantes, occaſione ipſius feſti nullas Indulgentias, vel peccatorum remiſſiones conſequantur. Nulli ergo &c. noſtrorum ſtatuti, ordinationis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quinto, Quinto Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Pirnenſi.*) Vulgo *Pirn*, in ejuſdem nominis oppido *Miſnia* in *Germania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXVII fol.* 287.
3. *Generis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Pragen.*) In *Bohemia*.

Anno 1475 Die 17 Novembris.

Magiſter Sacri Palatii (1) F. Petrum de Hanturlibus ad Doctoris gradum promoveat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Salvo de Panormo, Ordinis Prędicatorum, Magiſtro Sacri noſtri Palatii.

LXXVII.

SIXTUS PP. IV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DIgnum arbitramur, & congruum, eos viros, qui bonarum artium diſciplinis ſe excolere curaverunt, meritis honorum gradibus attollere, ut ex amaro ſtudiorum ſemine dulces aliquando fructus percipere poſſint. Sane cum dilectus filius Frater Petrus de Hanturlibus, Conventus Burgen. Ordinis Prędicatorum, Tornacen. Diœceſis, qui, ſicut accepimus, diutius in Civitate Pariſien., nonnulliſque aliis locis literis operam dando, tantum in Sacra Theologia, ſtudio, ingenio, ac doctrina ſua profecit, ut Magiſterii gradu dignus merito videatur, cupiat hujuſmodi Doctoratus Gradum in ea Facultate ſuſcipere, ſupplicationibus ejus in hac parte Nobis humiliter porrectis, in Domino inclinati, pręſentium tibi tenore committimus ac mandamus, quatenus, adhibitis tecum tribus aut quatuor in Theo-

Digitized by Google

Theologia Magiſtris, ſi, premiſſo rigoroſo examine, ad id idoneus repertus fuerit, & aliud canonicum non obſiſtat, ſuper quo tuam & ipſorum Magiſtrorum conſcientiam oneramus, Gradum & inſignia Doctoratus in dicta Theologia predicto Petro auctoritate noſtra conferas, & aſſignes, ita ut deinceps omnibus & ſingulis exemptionibus, immunitatibus, preeminentiis, prerogativis, gratiis, & indultis, quibus alii in Theologia Magiſtri in quacunque Univerſitate ſolemniter aſſumpti potiuntur & gaudent, ſeu potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, ipſe quoque uti, & gaudere libere ac licite valeat, Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, juramento &c. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVII Novembris MCCCCLXXV, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

L. Grifus.

1. *Magiſter Sacri Palatii.*) Is erat *Salvus Caſſetta*, hoc in Diplomate *de Panormo* cognominatus, quia natione *Siculus*, patria *Panormitanus* erat. Adeas *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad an. MCCCCLXXXI pag. 859.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum.

Pedrogami (1) Cœnobii B. Mariæ de Luce fundandi facultas.

Anno 1475 Die 28 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXVIII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Ulixbonen. (3), & Epiſcopo Elborenſi (4) ac dilecto filio Abbati Monaſterii de Cepça Colimbrienſis (5) Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

EX injuncto Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio, pia vota fidelium, quę Religionis propagationem, ac divini cultus augmentum reſpiciunt, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, & ut optatum ſortiantur effectum, favore benevolo proſequimur, & confovemus. Sane pro parte dilectorum filiorum Univerſitatis hominum de Pedrogam, Colimbrienſis Dięceſis, & Johannis Dominici de dicta terra, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, Nobis nuper exhibita, petitio, continebat, quod ipſi Univerſitas qui ad Ordinem prędictum, & illius profeſſores ſpecialem gerunt devotionis affectum, ſummopere deſiderant conſtrui, & ędificari facere in dicta terra & in loco apto, commodo, & honeſto, unam domum pro uſu, & habitatione Fratrum dicti Ordinis. Quare pro parte Univerſitatis, & Johannis prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis unam Domum pro uſu hujuſmodi, cum Eccleſia ſub invocatione Beatę Marię de Luce, campanili humili, campana, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtruendi, & ędificandi, ac dictis Fratribus domum ipſam pro eorum uſu, & habitatione recipiendi, & perpetuo inhabitandi, licentiam concedere, aliaſque eis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Supplex petitio.

Facultas.

Nos igitur, Univerſitatis prędictorum pium, & meritorium apud Deum deſiderium prędictum, plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſine prejudicio cujuſcunque, univerſitati domum cum Eccleſia ſub invocatione prędicta, campanili humili, campana, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis officinis prędictis, pro uſu, & habitatione Fratrum prędictorum in dicta terra, in loco ad id apto, & honeſto conſtrui, & ędificari faciendi, ac Fratribus prędictis domum ipſam pro eorum uſu, & habitatione recipiendi, & perpetuo inhabitandi, auctoritate noſtra licentiam largiamini, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne prędicti, & cujuslibet alterius Ordinis Mendicantium Fratres ad inhabitandum nova loca recipere, ſeu jam recepta mutare pręſumant ſine Apoſtolicę Sedis licentia ſpeciali de prohibitione hujuſmodi ſpecialem, & expreſſam faciente mentionem, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ac dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per vos vigore pręſentium concedi contigerit, dictę Domui, & illius pro tempore Priori, & Fratribus, qui illam inhabitabunt, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, favoribus, & indultis per Sedem Apoſtolicam, vel alias, Domibus, aut Fratribus dicti Ordinis in genere conceſſis, & concedendis, uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, Apoſtolica auctoritate pręſentium tenore indulgemus. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo quinto, Quinto Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Pedrogami.*) Seu *Petragorienſis*, vulgo *Pedrogam*. Juris eſt Provinciæ *Portugalliæ*.

2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar, authenticum unum ex Autographo aſſervato a Conventu *Pedrogamen.*, aliud ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXXVII fol. 21.*

3. *Ulixbonen.*) *Ulyſſipponen.*, vulgo *Lisboa*, in *Portugalliæ* Regno.

4. *Elboren.*) *Eboren.*, vulgo *Evora*, vel *Ebora*, in eodem *Portugalliæ* Regno. Nunc Archiepiſcopalis eſt *Eborenſis* Sedes.

5. *Colimbrien.*) *Conimbricen.*, in eodem Regno.

Anno 1476 Die 5 Februarii.

LXXIX.

Suſpenſas declarat (1) Eccleſiaſticas pœnas ab ipſo latas in eos, qui S. Catharinæ Senenſis (2) Imagines Sacris Stigmatibus ornarent (3).

Ex Archivo (4) *Ordinis.*

Dilecto filio Leonardo (5) de Peruſio Sacrę Theologię Profeſſori, totius Ordinis Prędicatorum Generali Magiſtro.

SIXTUS PP. IV.

Dilecte Fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, cenſuras, & pęnas Eccleſiaſticas, per alias noſtras literas ſub Bulla (6) plumbea pro Stigmatibus Beati Franciſci promulgatas, uſque ad celebrationem Capituli (7) tui Ordinis in Civitate noſtra Peruſię proxime conventuri harum ſerie ſuſpendimus, ſuſpenſaſque eſſe declaramus. Nolumus tamen, quod hujuſmodi ſuſpenſione durante cuiquam Imaginem Beatę Catharinę de Senis cum Stigmatibus depingere, depingive facere liceat (8), in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die V Februarii MCCCCLXXVI, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

L. Griſus.

1. *Declarat.*) Audiendus hic *Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap. VIII ad an. MCCCCLXXXIII pag.* 378, ubi hæc habet: *Pontifex Maximus Sixtus controverſiam graviſſimam inter Prædicatores, ac Minores... de S. Catharina Senen. Stigmatibus compoſiturus &c. In tanti negotii urgentia ſiluere Prædicatores, obedientiæ Summo Pontifici debitæ facti victima, tantum ipſi damnaa ſuſtinere malentes, quam inobedientiæ nota apud populos gravari. Orta eſt igitur perſecutio non modica apud ignaram plebem in noſtros Prædicatores cum fidelium ſcandalo non vulgari, cui finem impoſiturus Sixtus, ſublato anathemate, atque de inſectatione acri increpatis Minoritis quievit, Deo favente, qui non permiſit veritatem hanc in tenebris deliteſcere diu, terminata enim fuit ſub Urbano VIII controverſia in Prædicatorum favorem.*

2. *S. Catharina Senenſis.*) Vide Notas ad Conſtitutionem *XXXVI Pii II.* Legitur pag. 409 hujuſce Tomi.

3. *Ornarent.*) De hoc diſſeretur in *Notis* ad Diplomata Summi Pontificis *Urbani VIII*. Hic anum notandum, quod Fratres Prædicatores Feſtum Sacrorum Stigmatum S. *Catharinæ Senenſis* die *I* Aprilis Duplici ritu celebrant.

4. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar, authenticum unum in *Bullario Brixienſi pag.* 31, aliud in *Bullario Bononienſi pag.* 45.

5. *Leonardo.*) *De Manſuetis*, ex patria de *Peruſio* nuncupato.

6. *Bulla.*) Duas hac de re latas a *Sixto IV* Conſtitutiones refert *Rodericus* in *Nova Collectione Privilegiorum Apoſtolicorum pag.* 125.

7. *Capituli.*) Anno *MCCCCLXXVIII* Peruſiæ coacti.

8. *Liceat.*) In utraque Conſtitutione a *Roderico* tranſcripta *Sixtus* hæc addit, in priori quidem *Nec liceat*, inquit, *alicui eandem Sanctam Catharinam depingi facere cum dictis Stigmatibus, donec eadem Sedes Apoſtolica hoc approbaverit, & per ſpeciale privilegium Sanctam ipſam cum ipſis Stigmatibus depingi conceſſerit*: In alia vero, *nec licere voluimus*, inquit, *alicui eandem S. Catharinam, cum hujuſmodi Stigmatibus depingi facere, donec Sedes Apoſtolica Stigmata hujuſmodi approbaret, & per ſpeciale privilegium, quod cum illis depingi poſſet, concederet.* Id nunc conceſſum.

Anno 1476 Die 30 Martii.

LXXX.

Unit Parochialem Eccleſiam Sanctæ Luciæ Monaſterio Beatæ Mariæ Venetiarum (1) Ordinis noſtri.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Marco Archiepiſcopo Durachien (3), & dilecto filio Paulo de Ruſconibus Canonico Cennien. (4) in Civitate Venetiarum commorantibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

Diſpoſitione divina gregi Dominico pręſidentes &c. (5). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Monialium Sanctę Marię dell'Annuntiata (6) Venetiarum per Prioriſſam ſoliti gubernari Ordinis S. Auguſtini, petitio continebat, quod dudum felicis recordationis Eugenio PP. IV, Prędeceſſori noſtro, pro parte tunc Prioriſſę, & dilectarum filiarum Conventus Monaſterii Monialium Corporis Chriſti etiam Venetiarum per Prioriſſam ſoliti gubernari dicti Ordinis, ſub cura, & ſecundum inſtituta Ordinis Fratrum Prędicatorum viventium, expoſito, quod, ſi Parochialis Eccleſia Plebs nuncupata Sanctę Lucię, etiam Venetiarum, pręfatę Diœceſis eidem Monaſterio propinqua, ſeu contigua, in qua corpus ejuſdem Sanctę honorifice obſervabatur, & quę parvam Parochiam habebat, eujuſque nulli certi annui fructus, ſive redditus, ſed tantum fidelium oblationes, ex quibus unus Sacerdos ſe commode ſuſtentare, & alia pro tempore incumbentia onera ſupportare non poterat, provenire noſcebantur, pręfato Monaſterio Corporis Chriſti uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ex hoc dictę Eccleſię in divinis laudibus ſerviretur, & utilitas hujuſmodi Monaſterio proveniret: Idem Prędeceſſor, ipſarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Corporis Chriſti in ea parte ſupplicationibus inclinatus, per quaſdam ſuas literas (7) Eccleſiam prędictam dicto Monaſterio Corporis Chriſti perpetuo uniri, annecti, & incorporari mandavit, ita quod, cedente, vel decedente tunc ipſius Eccleſię Rectore, ſeu alias

Nota.

Eccle-

Eccleſiam prędictam quomodolibet dimittente, liceret Prioriſſę pro tempore exiſtenti dicti Monaſterii Corporis Chriſti, per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem poſſeſſionem dictę Eccleſię, juriumque, & pertinentiarum ejuſdem, propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, ac ejus oblationes hujuſmodi in ſuos, & dicti Monaſterii Corporis Chriſti uſus, & utilitatem convertere, Dięceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita: ac voluit, quod Prioriſſa, & Sorores dicti Monaſterii Corporis Chriſti, per Presbyterum, per eas eligendum, dictę Eccleſię curam exerceri, & illi in divinis deſervire facerent, & deinde, poſtquam ad ipſarum literarum executionem proceſſum fuerat, ipſeque Prioriſſa, & Sorores Corporis Chriſti Eccleſiam ipſam illarum vigore aliquandiu tenuerant, Nobis pro parte earundem Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Sanctę Marię expoſito, quod elapſis tunc quatuordecim annis, vel circa quędam devotiſſima Monialis dicti Ordinis reduxerat ſe cum quibuſdam aliis devotis mulieribus in quandam domum, in loco ubi nunc eſt dictum Monaſterium Sanctę Marię, & emptis per eas de eleemoſynis Chriſti fidelium quibuſdam aliis domibus propinquis inibi canonice fundari, & fabricari facere inceperant Monaſterium prędictum B. Marię, quod tunc perfectum non erat, & Eccleſia carebat, non ſuppeditantibus tunc eleemoſynis, & habebant ſolummodo, quandam parvam Capellam, in qua dicebant horis debitis officium ſuum, & faciebant Miſſas celebrari per unum Presbyterum Capellanum, & quod ipſę, quę erant viginti quinque, cum maxima incommoditate pro anguſtia loci in dicto Monaſterio degebant, quodque eidem Monaſterio B. Marię erat propinqua infra ſpatium ſex pedum, vel circa, quodam calle mediante, dicta Parochialis Eccleſia Sanctę Lucię, in qua jacebat, & tenebatur cum veneratione maxima corpus ejuſdem Sanctę Lucię, & quam Eccleſiam Moniales prędicti Monaſterii Corporis Chriſti, quod diſtabat ab ipſa Eccleſia magno ſpatio, & pluribus laicorum domibus intermediis, tenebant, & gubernabant, facientes in ea divinis deſerviri, ac curam animarum Parochianorum ejus exerceri per unum proprium earum Capellanum, pro cujus Capellani habitatione erat deputata quędam domus ad ipſam Eccleſiam ſpectans, contigua parieti muri, & horti dicti Monaſterii Sanctę Marię, de qua domo reſpondebant ſuper clauſtrum, & dormitorium dicti Monaſterii Sanctę Marię, itaut Moniales ipſę Monaſterii Sanctę Marię non poſſent ire per loca domus ſuę hujuſmodi, quin viderentur per habitatores, & commorantes in domo prędicta, & ſępe audiebantur verba inhoneſtiſſima per laicos venientes ad ipſam domum prolata, quod abominabile erat, nec poſſibile erat, quod hujuſmodi inconvenientiis remedium adhiberetur, niſi dicta domus cum horto, & pertinentiis ſuis applicaretur dicto Monaſterio Sanctę Marię, ex quo Eccleſia prędicta Sanctę Lucię non erat modo aliquo neceſſaria ipſis Prioriſſę, & Conventui Monaſterii Corporis Chriſti, quia non percipiebant ex dicta Eccleſia utilitatem, niſi ex oblationibus, quę fiebant in ipſa Eccleſia ad arcam in qua erat Corpus ejuſdem Sanctę Lucię, quę utilitas ſi compenſaretur cum mercede annua, quam dictę Prioriſſa, & Conventus Monaſterii Corporis Chriſti dabant Capellano in dicta Eccleſia deſervienti, aut nulla erat, aut minima, computatis aliis expenſis occurrentibus in dicta Eccleſia, & quod nihilominus ipſę Prioriſſa, & Conventus Monaſterii Sanctę Marię ſi dicta Eccleſia eis concederetur, obligari volebant dare integraliter omnes oblationes, & quicquid introitus habebat, aut habere poterat ipſa Eccleſia dictis Prioriſſę, & Conventui Monaſterii Corporis Chriſti, quouſque per Sedem Apoſtolicam provideretur eiſdem de ęquivalenti utilitate, ac ſuſtinere omnia onera Eccleſię prędictę, itaut in ea augeretur divinus cultus, & cura animarum diligentius exerceretur, & hoc modo eſſet opportune proviſum in pręmiſſis ipſis Prioriſſę, & Monialibus Monaſterii Sanctę Marię, abſque damno, & incommodo dictarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Corporis Chriſti. Nos tunc per alias noſtras literas Abbati Sancti Georgii Majoris, & Priori per Priorem soliti gubernari Sancti Salvatoris, Monaſteriorum Venetiarum, eorum propriis nominibus non expreſſis, dedimus in mandatis, ut ipſi, vel alter ipſorum, vocatis dictis Prioriſſa, & Conventu Monaſterii Corporis Chriſti, & aliis, qui eſſent evocandi, de pręmiſſis omnibus, & ſingulis Nobis expoſitis, eorumque circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra ſe diligenter informarent, &, ſi per informationem hujuſmodi eis legitime conſtaret de eiſdem Nobis expoſitis, domum prędictam cum horto, ac omnibus juribus, & pertinentiis ſupradictis Prioriſſę, & Conventui Monaſterii S. Marię prędictis pro eorum uſu, commodo, & utilitate, cum hoc tamen quod ipſę Prioriſſa, & Conventus Monaſterii S. Marię providerent cum effectu, quod prędictę Prioriſſa, & Conventus Monaſterii Corporis Chriſti haberent aliam domum pro habitatione prefati Capellani arbitrio earundem Abbatiſſę priori ęquivalentem, & propinquam dictę Eccleſię, & interim antequam de dicta domo providerent, ſolverent penſionem annuam pro habitatione convenienti dicti Capellani, Eccleſiam vero prędictam, accedente conſenſu Monialium Monaſterii Corporis Chriſti cum omnibus juribus, pertinentiis ſuis, domibus, & ędificiis, fabricis, & ſtructuris ſuis quibuſcunque, ipſis Prioriſſę, & Conventui Monaſterii Sanctę Marię etiam ſimiliter pro uſu, commodo, & utilitate earum, reſervatis tamen interim omnibus fructibus, redditibus, & proventibus ſuis dicto Monaſterio Corporis Chriſti, quouſque provideretur ei de ęquivalenti utilitate, concederent, applicarent, & aſſignarent, ita quod ex tunc liceret dictis Prioriſſę, & Conventui Monaſterii B. Marię per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem domus, & Eccleſię, juriumque, & pertinentiarum prędictorum auctoritate propria apprehendere, ac eorum fructus, redditus, & proventus juxta modum prędictum in uſus, & utilitatem Monialium, & Monaſterii B. Marię hujuſmodi convertere, & perpetuo retinere, Dięceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Poſtmodum vero per Nos accepto, quod ex commiſſione prędicta per Nos dictis Abbati, & Priori facta contrarius noſtrę voluntati erat ſubſecutus effectus, & non modo paci, & commodo Prioriſſę, & Conventus prędictarum Monaſterii Sanctę Marię conſultum non erat, ſed utraque pars fatigabatur, & multis civibus Venetiarum alteri partium favere ſtudentibus, contentionis materia dabatur, Nos tunc utile, & primo exiſtimantes hujuſmodi ſcandalis, & diſpendiis obviare, Abbati, & Priori prefatis per alias noſtras literas in forma Brevis mandavimus, ut in hujuſmodi cauſa nihil age-

agere deberent, ac ſi nulla eis deſuper commiſſio facta eſſet. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ipſę Prioriſſa, & Conventus Monaſterii Sanctę Marię non confidant habere poſſe conſenſum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Corporis Chriſti prędictorum, ipſęque Prioriſſa, & Conventus Corporis Chriſti expoſuerunt pręfato Prędeceſſori, quod dicta Eccleſia erat eis propinqua, ſeu contigua, cum non ſolum dicto Monaſterio Corporis Chriſti contigua non exiſtat, ſed nec etiam propinqua, niſi mediantibus pluribus intermediis domibus, petierintque illam uniri, ut ex literis pręfati Prędeceſſoris deprehenditur, principaliter pro ipſius Eccleſię diligentiori cura, & ſervitio, cujus onus aſſumere offerebant, etiam pro eſrum utilitate, & ex illa modicam percipiant utilitatem, pro qua ipſę Prioriſſa, & Conventus Monaſterii Sanctę Marię paratę ſunt dare convenientem recompenſam, Prioriſſa vero, & Moniales Monaſterii Sanctę Marię prędictę, ſub regulari obſervantia dicti Ordinis viventes, domo, & horto prędictis indigent, nec poſſint in dicto Monaſterio S. Marię commode abſque domo, & horto prędictis in contemplationis ſuavitate earum vota, & integritate, reddere Creatori, pro parte earundem Prioriſſę, & Conventus Monaſterii S. Marię Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut data per ipſas Prioriſſam & Conventum Monaſterii S. Marię eiſdem Prioriſſę, & Conventui Monaſterii Corporis Chriſti recompenſa, de cujus proventibus Capellano, qui pro tempore erit dicti Monaſteri Corporis Chriſti proviſio conveniens, & ſalarium dari valeat, jam factam de dicta Eccleſia pręfato Monaſterio Corporis Chriſti unionem prędictam diſſolui, dictamque Eccleſiam cum juribus, & pertinentiis ſuis a dicto Monaſterio Corporis Chriſti ſeparari, dividi, & diſmembrari, ac illam dicto Monaſterio S. Marię cum facultate deſerviendi ibidem per Capellanum ad nutum amovibilem, perpetuo uniri, incorporari, & annecti, literaſque noſtras prędictas dictis Prioriſſę, & Conventui Monaſterii S. Marię conceſſas earundem Prioriſſę, & Monialium Monaſterii Corporis Chriſti non expectato conſenſu exequi mandare, ac eiſdem Prioriſſę, & Conventui Monaſterii S. Ma-
Mandatum. rię in premiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum valorem, tam beneficii uniendi, quam illius, cui unio fieri petitur, alioquin unio non valeret, quique perſonarum, quę uni Sponſo Chriſto Jeſu voto celebri ſe deſponſant, vota ad exauditionis gratiam libenter admittimus, Monaſterii Sanctę Marię, & Eccleſię prędictorum fructus, redditus, & proventus pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, ſi, & poſtquam vobis Prioriſſa, & Conventu Monaſterii Corporis Chriſti prędictis, & aliis, quorum intereſt, vobis de prętmiſſis Nobis expoſitis legitime conſtiterit, data per Prioriſſam, & Conventum Monaſterii Sanctę Marię prędictas dicto Monaſterio Corporis Chriſti idonea recompenſa, de cujus proventibus Capellano, qui pro tempore erit dicti Monaſterii Corporis Chriſti proviſio competens, & ſalarium dari valeat, jam factam de dicta Eccleſia dicto Monaſterio Corporis Chriſti unionem prędictam auctoritate noſtra diſſolvatis, ipſamque Eccleſiam cum juribus, & pertinentiis ſuis a dicto Monaſterio Corporis Chriſti ſeparetis, dividatis, & diſmembretis, ac dicto Monaſterio S. Marię eadem auctoritate perpetuo uniatis, & incorporetis, ac annectatis, literaſque noſtras prędictas eiſdem Prioriſſę, & Conventui Monaſterii S. Marię conceſſas valere decernatis, & exequamini, alias juxta earum continentiam, atque formam, dictſrum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Corporis Chriſti aliter non expectato conſenſu, in executione hujuſmodi in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi literę prędictę a principio vobis directę extitiſſent, & per illas non ut de conſenſu Prioriſſę, & Conventus ſeu Monialium Monaſterii Corporis Chriſti, ſed ſimpliciter, nulla de conſenſu exigendo hujuſmodi facta mentione, inibi ad executionem contentorum, procedentes, per Nos vobis mandatum extitiſſet, non obſtantibus priori voluntate noſtra, & aliis prętmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. ac omnibus illis, quę in pręfatis noſtris literis voluimus non obſtare contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales pręfatę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarunt, etiam ſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem, & inde ſecuta quęcunque ad pręfatam Eccleſiam volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum prętjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis &c. de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Proviſo quod propter unionem, annexionem, & incorporationem noſtras hujuſmndi dicta Eccleſia debitis non fraudetur obſequiis &c.. Et inſuper ex nunc irritum decernimus, & inane &c. contigerit attentari. Datum Romę apud S Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Sexto, Tertio Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Venetiarum.*) In ejuſdem nominis Reipublicæ Metropoli.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XCVI fol.* 227.

3. *Durachien.*) *Dyrrachien.*, vulgo *Durazzo*, Turcis *Drazzi*, in *Albania Maritima*.

4. *Cennien.*) Fortaſſis *Cervien.*, vulgo *Cervia*, in ora *Romandiolæ*. In *Conſtitutione LXXXV* mox tranſcribenda legitur *Cervicen.*

5. *Præſidentes &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

6. *Dell'Annuntiata.*) Seu *Annunciatæ*.

Tre-

Anno 1476 Die 8 Aprilis.

Trevirenſe (1) Monaſterium S. Catharinæ variis privilegiis ornat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXXI.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

ETſi cunctarum voto &c. (3). Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Sanctę Catharinę Treviren., Ordinis S. Augnitini per Prioriſſam ſoliti gubernari, ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum degentium, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim, ſorſan ante ducentos annos circiter, erat prope & extra civitatem Treviren. quoddam Monaſterium dicti Ordinis, cujus Moniales ſub ſimili cura degebant, vocatum Monaſterium Sancti Martini de Monte, etiam per Prioriſſam gubernari ſolitum, ſufficienter dotatum, ac quam pluribus privilegiis, exemptionibus, prętogativis, & indultis tam ordinaria quam Apoſtolica auctoritatibus conceſſis decoratum, cui quidem Monaſterio Sancti Martini, S. Laurentii Treviren., & de Lutzendoid, ac de Genneiroid, ac de Oriltembid, necnon de Filtze Parochiales Eccleſię Treviren. Dięceſis canonice unitę, & incorporatę fuerant, quod poſtmodum ante centum annos propter imminentia pericula, quę dictę Civitati ex illo tempore guerrarum evenire formidabantur, penitus dirutum, & demolitum, quodque Prioriſſa, & Conventus ipſius Monaſterii Sancti Martini in illo tunc degentes propterea infra civitatem prędictam ad tunc eis datum, & aſſignatum certum locum, nunc vero vocatum Monaſterium Sanctę Catharinę Treviren. cum omnibus, & ſingulis donationibus, privilegiis, exemptionibus, prętogativis, & indultis pręfato tunc exiſtenti, nunc diruto, Monaſterio Sancti Martini conceſſis, per tunc exiſtentem Provincialem Provincię Treviren. ſecundum morem dicti Ordinis, translatę fuerunt, dictum Monaſterinm Sanctę Catharinę ex tunc ultra centum annos inhabitarunt, illudque tenuerunt, & poſſederunt, necnon privilegiis, & indultis gaviſę fuerunt. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, pro eo quod uniones, & incorporationes, necnon conceſſiones, & indulta hujuſmodi pręfato Monaſterio Sancti Martini, & non Monaſterio Sanctę Catharinę hujuſmodi datę, & conceſſę fuerunt, dubitant propterea Prioriſſa, & Conventus pręfatę ſuper illis, & etiam translatione hujuſmodi, moleſtari, & inquietari poſſe, pro parte Prioriſſę, & Conventus prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut translationem hujuſmodi, ac omnia prędicta pro illorum ſubſiſtentia firmiori approbare, & confirmare, aliaſque in prędictis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur, Nos Prioriſſam, & Conventum prędictos a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, translationem hujuſmodi, ac omnia prędicta auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & inſuper omnes, & ſingulas donationes incorporationes, Ordinationes, privilegia, prętogativas, & indulta olim pręfato tunc exiſtenti, nunc vero diruto Monaſterio Sancti Martini data, & conceſſa, ac literas deſuper confectas, valuiſſe, & valere, ac in ſuo robore permanere. prętatiſque, & quę tunc & poſt hujuſmodi translationem fuerunt, & pro tempore erunt Prioriſſę, & Conventui dicti Monaſterii Sanctę Catharinę privilegiis & indultis hujuſmodi uti, & gaudere ſemper licuiſſe, eiſque, ac eorum Succeſſoribus perpetuo licere in omnibus & per omnia perinde ac ſi eidem Monaſterio Sanctę Catharinę principaliter, & expreſſe data & conceſſa fuiſſent, eadem auctoritate decernimus & declaramus. quodque Monaſterio Sanctę Catharinę, ac illius Prioriſſę & Conventui nunc exiſtentibus, & quę pro tempore erunt, ut omnibus & ſingulis exemptionibus, prętogativis, privilegiis, & indultis prętatis Monaſteriis & Conventibus dicti Ordinis Prędicatorum conceſſis uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, eiſdem auctoritate, & tenore indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſteriorum & Ordinis prędictor un juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, confirmationis, approbationis, ſuppletionis, decreti, declarationis, & indulti infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimn Quadringenteſimo Septuageſimo Sexto, Sexto Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Supplex petitio.

Nota.

Conceſſio, & Confirmatio Privilegiorum.

1. *Trevirenſe.*) Vulgo *Trier*, in *Germania*. Juris eſt Provincialis *Teutoniæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Arch. Apoſtolico Libro XCVIII fol.* 277.
3. *Voto &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Exordiis.

Digitized by Google

Anno 1476 Die 8 Aprilis.

Conſervatores creat, qui præcedentes literas executioni mandandas curent.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

LXXXII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei dilectis filiis Sancti Maximini, & Sancti Mathię extra Muros Treviren. Monaſteriorum Abbatibus, ac Archidiacono Sancti Mauritii de Toleya in Eccleſia Trevireo., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

HOdie ad ſupplicationem dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Sanctę Catharinę Treviren. Ordinis Sancti Auguſtini ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, translationem olim de tunc exiſtentibus Prioriſſa, & Conventu tunc exiſtentis, nunc vero diruti, Monaſterii Sancti Martini in Monte extra Civitatem Treviren. ad prędictum Monaſterium Sanctę Catharinę per Provincialem Provincię Treviren., ſecundum morem dicti Ordinis, ſub certis modo, & forma factam auctoritate Apoſtolica confirmavimus, & approbavimus, prout in noſtris literis plenius continetur. Quocirca diſcretioni veſtrę per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam dictę literę vobis pręſentatę fuerint, per vos, vel alium, exiſtentibus Prioriſſę & Conventui dicti Monaſterii Sanctę Catharinę efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, non permittatis eas ſuper pręmiſſis, ac omnibus aliis, & ſingulis, in dictis literis contentis indebite moleſtari, ſeu etiam perturbari.

Mandatum.

Non obſtantibus omnibus quę in dictis literis voluimus non obſtare, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Sexto, Sexto Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XCVIII fol.* 178.

Anno 1476 Die 22 Aprilis.

Ut Moniales Monaſterii Vallis B. Mariæ in Michelſtenen. (1) in priſtinam poſſeſſionem Eccleſiæ Parochialis in Czirlaco reſtituantur.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXXIII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii in Sytinch, Aquilegien. (3) Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

ROmani Pontificis providentia circumſpecta &c. (4). Dudum ſiquidem pro parte dilecti filii Canciani Czirlaco Zvidones perpetui Vicarii Parochialis Eccleſię in Czirlaco, Aquilegien. Dięceſis, Nobis expoſito, quod fructus, redditus, & proventus perpetuę Vicarię dictę Eccleſię, quam ipſe Cancianus obtinebat, adeo erant tenues, & exiles, quod perpetuus Vicarius dictę Eccleſię, pro tempore exiſtens, ex eis ſe ſuſtentare, & onera ſibi ex eo, quod perfidos Turcos (5) in partibus illis vicinos habere dignoſcitur, incumbentia perferre commode non valebat, verum ſi dicta Eccleſia, quę tunc jamdiu ordinaria primo, & deinde Apoſtolica, auctoritatibus, Monaſterio Monialium Vallis Beatę Marię in Michelſtenen. Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura, & regimine Fratrum Prędicatorum degentium, per Prioriſſam ſolito gubernari, dictę Dięceſis, in quo tunc ultra quinquaginta Moniales, & Converſę Altiſſimo famulantes degebant, pro Prioriſſę, & Conventus ipſius Monaſterii tunc forſan commodiori ſuſtentatione, unita, annexa, & incorporata extiterat, a dicto Monaſterio diſmembraretur, & in priſtinum, ac eum, in quo ante unionem, annexionem, & incorporationem prędictas, erat, ſtatum reſtitueretur, & de illa uni Rectori, & non Vicario etiam pro ea vice, & quoties *illam* vacare contingeret, provideretur, Rector Eccleſię hujuſmodi pro tempore commodius ſe *ſuſtentare*, & onera ſibi incumbentia perferre poſſet. Eapropter pro parte dicti Canciani nobis *humiliter* ſupplicato, ut unionem, annexionem, & incorporationem prędictas diſſolvere, & diſmembrare, ac ipſam Eccleſiam in priſtinum ſtatum reſtituere, necnon Vicariam prędictam in ipſa Eccleſia extinguere, ac alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, ipſius Canciani in hac parte ſupplicationibus inclinati, dilecto filio Decano Eccleſię Laybacen. (6), ejus proprio nomine non expreſſo, cum Eccleſia & Monaſterium prędicta infra unam dietam, ut idem Cancianus etiam aſſerebat, vicina exiſtebat, aliis noſtris literis dedimus in mandatis, quatenus, ſi vocatis dictis Prioriſſa & Conventu, & aliis, qui forent evocandi, ſibi de pręmiſſis aſſertis, & aliis Nobis expoſitis legitime conſtaret, unionem, annexionem, & incorporationem prędictas auctoritate noſtra diſſolveret, & diſmembraret, ac eccleſiam ipſam cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis in priſtinum, & eum in quo ante unionem, & incorporationem prędictas, erat, ſtatum reſtitueret, & reponeret, necnon Vicariam ipſam in dicta Eccleſia penitus ſupprimeret & extingueret; & nihilominus ſi diſſolutionem, & diſmembrationem, reſtitutionem, & repoſitionem, ſuppreſſionem, & extinctionem prędictas faceret, ut pręfertur, ac ſuper quo ſuam conſcientiam oneravimus per diligentem examinationem eundem Cancianum ad hoc idoneum eſſe reperiret, Eccleſiam prędictam, cujus fructus, redditus, & proventus ſeptuaginta marcarum argenti ſecundum communem extimationem valorem annuum, ut dictus Cancianus ſimiliter aſſerebat, non excedebant, ſive per

diſ-

Digitized by Google

diſſolutionem, & diſmembrationem hujuſmodi tunc, ſive alias quovis modo vacaret, pręfato Canciano eadem auctoritate conferret, & aſſignaret prout in dictis literis, in quibus quod fructus, redditus, & proventus dicti Monaſterii centum & octuaginta marcarum argenti ſimilium, vel circa, ſecundum extimationem prędictam valorem annuum non excedebant, necnon quod Prioriſſa & Moniales, ac Conventus prędictę quę tunc jamdiu non ultra vigintiquinque numero fuerant, prout erant, ex illis ſe commode ſuſtentare poterant expreſſum extitit, plenius continetur. Cum autem, ſicut dilectus filius noſter Marcus (7) tituli Sancti Marci Presbyter Cardinalis Nobis nuper expoſuit, falſum exiſtat, ſicut pręfatus Cancianus aſſeruit, quod fructus, redditus, & proventus dicti Monaſterii centum & octuaginta marcarum hujuſmodi ſecundum extimationem ipſam valeant annuatim, ſicque quod hujuſmodi fructus dicti Monaſterii propter incurſiones, & devaſtationes crudeliſſimorum Turcorum, quas jamdiu ſuſtinuerunt, & in dies ſuſtinent, minorati fuerunt, & continuo minorentur, longe ſub minore valore quam centum & octuaginta marcarum hujuſmodi comprehendantur, ſintque Prioriſſa & Moniales prędictę ex debito fundationis ipſius Monaſterii nedum quinquaginta Moniales in dicto Monaſterio ſuſcipere coactę, verum tot quot inibi habitum ſuſcipere, & ſub obedientia regulari vivere deſiderant, illas percipere coguntur. Quare pręfatus Cardinalis, qui etiam Eccleſię Aquilegien., in cujus Dięceſi Monaſterium ipſum conſiſtit, ex conceſſione, & diſpenſatione Sedis Apoſtolicę preeſſe dignoſcitur, Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicavit, ut diſſolutionem, & diſmembrationem reſtitutionem, repoſitionem, ſuppreſſionem, & extinctionem prędictas, necnon literas hujuſmodi deſuper confectas caſſare, revocare, & annullare, quodque unionem, annexionem, & incorporationem prędictas dudum ordinaria primo, & deinde Apoſtolica, auctoritatibus, de dicta Eccleſia pręfato Monaſterio, ut pręmittitur, factas, confirmare, & approbare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui de pręmiſſis certam notitiam non habemus, attendentes, quod veris exiſtentibus pręmiſſis Nobis expoſitis, literę prędictę ſubreptionis vitio ſubjacere noſcuntur, hujuſmodi pręfati Cardinalis, necnon conſideratione cariſſimi in Chriſto filii Mandatum.
noſtri Federici (8) Romani Imperatoris ſemper Auguſti, in cujus tertis hęreditariis dictum Monaſterium, & in quo nobiles mulieres recipi conſueverunt, etiam conſiſtit, Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantis ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi vocatis dicto Canciano, & aliis, qui fuerint evocandi, de ſubreptione literarum prędictarum, & pręmiſſis aſſertis, ac aliis per dictum Cardinalem Nobis expoſitis, tibi legitime conſtiterit, diſſolutionem, diſmembrationem, repoſitionem, ſuppreſſionem, & extinctionem prędictas, ac deſuper confectas literas prędictas auctoritate noſtra caſſes, revoces, & annulles, nulliuſque roboris, vel momenti fuiſſe, & eſſe, decernas pariter, & declares, & nihilominus, ſi caſſationem, revocationem, & annullationem, ac decretum prędicta per te vigore prędentium fieri contigerit, ut pręfertur, unionem, annexionem, & incorporationem hujuſmodi de dicta Eccleſia pręfato Monaſterio, ut pręfertur, factas, eadem auctoritate approbes, & confirmes. Non obſtan. pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii, & Ordinis prędictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Sexto, Decimo Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Michelſtenen.*) In ea parte Diœceſis *Aquilejenſis*, quæ ſpectat ad *Auſtriacos* Principes.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXVI fol. 95*.
3. *Aquilegien.*) *Aquilejen.*, vulgo *Aquilegia*, & *Aquileia*. Ampliſſima Diœceſis eſt, in tres nationes *Germanicam*, *Italicam*, & *Schlavonicam* diffuſa.
4. *Circumſpecta &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Exordiis.
5. *Turcos.*) Nota *Turcas* jam per id tempus eas in Regiones penetraſſe.
6. *Laybacen.*) *Labacen.*, vulgo *Laybach*, *Labach*, & *Laubach*, in *Carniola*.
7. *Marcus.*) *Barbus*, *Venetus*. Adeas *Ciaconium Vit. Pont. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCCLXIV pag.* 1105.
8. *Federici*,) Cognomento *Pacifici*.

Literas quibus Monaſteria (1) de Turre, & Matris Domini unita fuerant, reſcindit.

Anno 1476. Die 14 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Bartholomęo de Via nova, Canonico Pergamen. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. LXXXIV.

JUſtis, & honeſtis, pręſertim fęminei ſexus perſonarum votis &c. (4). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Johanninę de Beriendis, & Conventus Monaſterii B. Marię de Turre Boidon., Ordinis S. Auguſti, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, Pergamen. Dięceſis, petitio continebat, quod dudum poſtquam bonę memorię Johannes (5) tunc Epiſcopus Pergamen. ex certis cauſis Monaſterium prędictum Monaſterio Matris Domini dicti Ordinis, ſub cura, & ſecundum inſtituta eorundem Fratrum viventium, auctoritate ſua ordinaria univerat, annexuerat, & incorporaverat, ac nonnulla alia fecerat, ſtatuerat, & ordinaverat, necnon felicis recordationis Nicolaus PP. Quintus, Prędeceſſor noſter unionem, annexionem, incorporationem, ordinationem, ſtatutum, ac omnia per dictum Epiſcopum geſta auctoritate Apoſtolica cum ſuppletione defectuum per ſuas literas in forma gratioſa confirmaverat, & approbaverat, ac pro potiori pręmiſſorum cautela Monaſterium de Turre pręfatum eidem Monaſterio Matris Domini cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis de novo perpetuo univerat, annexuerat, & incorporaverat, & dignitatem Prioriſſalem in eodem Monaſterio de Turre ſuppreſſerat penitus, & extinxerat, ac ipſa

Mo-

Diplomatis cauſa,

Monaſteria de cetero unum eſſe, & per unam Prioriſſam dicti Monaſterii Matris Domini, regi, & gubernari debere, decreverat, necnon Epiſcopus, Prioriſſa, & Conventus ejuſdem Monaſterii Matris Domini prętextu dictarum literarum dictam Johanninam Prioriſſam, & alias Moniales, tunc dicti Monaſterii de Turre a prędicto eorum Monaſterio de Turre de facto ejecerant, illiuſque bonis, & terris ſpoliaverant, pro parte Prioriſſę, & Conventus ejuſdem Monaſterii de Turre pię memorię Caliſto PP. III etiam Prędeceſſori noſtro tunc expoſito, quod ipſę in domibus parentum ſuorum degebant, ac quod literę dicti Nicolai Prędeceſſoris ex cauſis falſis obtentę erant, & in ipſis, quod fundator, & dotator dicti Monaſterii de Turre nobilis, & laicus extiterat, nulla mentio habita fuerat, pręfatus Caliſtus Prędeceſſor Archiepiſcopo Mediolanen., ejus proprio nomine non expreſſo, per alias ſuas literas dedit in mandatis, ut ſi vocatis Prioriſſa, & Conventu Monaſterii Matris Domini hujuſmodi, & aliis, qui forent evocandi, ita eſſe, ac unionem, annexionem, & incorporationem, & alia pręmiſſa ex falſis cauſis proceſſiſſe, necnon literas Nicolai Prędeceſſoris hujuſmodi ſubreptitias exiſtere, ſibi legitime conſtaret, unionem, annexionem, & incorporationem, ac confirmationem, & extinctionem prędictas revocaret, & annullaret, ipſaſque Prioriſſam, & Moniales de Turre ad earum Monaſterium & poſſeſſionem, in qua ante unionem, & confirmationem prędictas erant, auctoritate Apoſtolica reſtitueret, & reponeret. Quarum vigore ad nonnullos actus in ipſa cauſa, citra tamen concluſionem, ipſius, proceſſo, pręfatus Caliſtus Prędeceſſor eidem Archiepiſcopo per alias ſuas literas in forma Brevis dedit in mandatis, ut in cauſa hujuſmodi ſuperſederet, & ſucceſſive recolendę memorię Pius PP. II, etiam Prędeceſſor noſter cauſam hujuſmodi ad ſe advocans illam bonę memorię Malateſtę (6) tunc Epiſcopo Camerinen., & in Civitate Mantuan., ubi dictus Pius Prędeceſſor tunc exiſtebat (7) reſidenti, reaſſumendam, & ulterius audiendam juxta acta, & probationes coram dicto Archiepiſcopo facta, fine debito terminandam commiſit, ac pręfatus Malateſta Epiſcopus, in cauſa ipſa legitime procedens, unionem, annexionem, & confirmationem prędictas Apoſtolica auctoritate pręfata caſſandas, & revocandas, dictaſque Prioriſſam, & Conventum Monaſterii de Turre ad earum priſtinam poſſeſſionem reſtituendas, & reponendas fore, prout caſſavit, irritavit, reſtituit, & repoſuit, per ſuam ſententiam definitivam declaravit, dictumque Monaſterium de Turre, & illius fructus, ac bona, vigore cujuſdam ſpecialis commiſſionis, quam deſuper ab eodem Pio Prędeceſſore habuerat, ſequeſtravit, pro parte vero dictarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Matris Domini a ſententia hujuſmodi appellato, idemque Pius Prędeceſſor cauſam appellationis hujuſmodi bonę memorię Honofrio (8) Epiſcopo Tricaricen. (9), & deinde ex certis cauſis illam de ſe advocans, tunc Prępoſito Eccleſię Sanctę Agathę Brixien. ejus proprio nomine non expreſſo commiſit, idemque Prępoſitus, in cauſa ipſa perperam procedens, definitivam, per quam unionem, annexionem, & incorporationem, ac extinctionem prędictas per dictum Epiſcopum Pergamen. factas, ac omnia inde ſecuta confirmavit, omneſque, & ſingulos defectus, ſi qui forſan interveniſſent in eiſdem, auctoritate Apoſtolica ſupplevit, ac ipſum Monaſterium de Turre dicto Monaſterio Matris Domini de novo univit, & incorporavit, ſententiamque dicti Malateſtę Epiſcopi Camerinen. revocavit, & ſententiam promulgavit iniquam, & pro parte Prioriſſę, & Conventus Monaſterii hujuſmodi de Turre ab ea extitit appellatum, & appellatione hujuſmodi tunc pendente tam de Turre, quam Matris Domini Prioriſſę, & Conventus hujuſmodi, per certos eorum ſyndicos, ſeu Procuratores, ad talem devenerunt tranſactionem, ſeu concordiam videlicet, quod unio, annexio, & incorporatio, ac extinctio per Epiſcopum Pergamen, & Nicolaum Prędeceſſorem hujuſmodi prędictos factę, ac omnia, & ſingula in dictis literis contenta, plenam roboris firmitatem obtinere deberent, ita tamen, quod dicta Johannina Prioriſſa, & dilecta in Chriſto filia Catharina de Cararia, ac quondam Angelina de Bongis, & Johannina dela Eccleſia Moniales dicti Monaſterii de Turre, quę tum in eodem Monaſterio profeſſę duntaxat exiſtebant, reſtituerentur, & remitterentur in pręfatum Monaſterium de Turre cum officiis, & dignitatibus, prout antea erant, quodque tenerent, & poſſiderent bona omnia ad ipſum Monaſterium de Turre ſpectantia, & toto tempore vitę earundem, & ipſis quatuor deficientibus dictum Monaſterium de Turre cum omnibus bonis ſuis pleno jure ſpectaret, & pertineret ad dictum Monaſterium Matris Domini, & quod ipſę Prioriſſa, & Moniales dicti Monaſterii de Turre non poſſent in dicto Monaſterio aliquam puellam, aut *mulierem* in Monialem ipſius Monaſterii de Turre de novo recipere, &, ſi contigeret dictam Johanninam Prioriſſam decedere, liceret Monialibus dicti Monaſterii de Turre unam ex Monialibus *ejuſdem* Monaſterii de Turre in Prioriſſam eligere, & nonnulla alia medio juramento utriuſque partis *firmata*, facere, & obſervare, prout in quodam Inſtrumento publico, deſuper confecto, plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Johannina Prioriſſa, & Moniales pręfatę ejuſdem Monaſterii de Turre tempore concordię, & tranſactionis prędictarum forent, & eſſent dicto earum Monaſterio ſpoliatę, & illius bonis, ipſaque concordia, & tranſactio per dictam Prioriſſam, & Conventum dicti Monaſterii Matris Domini non fuit integraliter obſervata, &, ſi obſervaretur, in evidens damnum, & prejudicium, & totalem extinctionem dicti Monaſterii cederet, & in literis Nicolai Prędeceſſoris pręfati non fuerit expreſſum, quod dictum Monaſterium de Turre per quondam nobilem laicum fundatum, & dotatum extiterat, pręfatę quoque Johannina Prioriſſa, & Conventus ejuſdem Monaſterii de Turre, deſiderantes vitam regularem in dicto earum Monaſterio perpetuo vigere, quamplures alias puellas ab inde citra in eodem Monaſterio de Turre receperint, ac eas moribus, & diſciplina regulari, juxta inſtituta dicti earum Monaſterii de Turre, inſtruxerint, & erudierint, deſiderentque ipſę Prioriſſę, & Conventus Monaſterii de Turre Ordinem, & diſciplinam regularem, ac dignitatem Prioriſſalem in eodem Monaſterio de Turre perpetuis futuris temporibus vigere, & obſervari, pro parte Prioriſſę, & Conventus Monaſterii de Turre prędictarum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut earum, & ipſius Monaſterii de Turre indemnitatibus in prędiſſis

oppor-

Digitized by Google

opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Prioriſſam, & Moniales Monaſterii de Turre hujuſmodi a quibuſcunque excommuulcationis, ſuſpenſionis &c. ad effectum preſeotium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ac alias de premiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi vocatis Prioriſſa, & Conventu Monaſterii Matris Domini, & aliis qui fuerint evocandi, quod tranſactio prędicta non fuerit integraliter per Prioriſſam, & Coaventum Monaſterii Matris Domini obſervata, & aliis Nobis aſſertis, tibi legitime conſtiterit, prefatis Prioriſſę, & Conventui Monaſterii de Turre juramentum prędictum per eaſdem Prioriſſam, & Conventum Monaſterii de Turre, ſeu illarum Procuratores, earum nominibus in concordia prędicta, ut premittitur, preſtitum, auctoritate noſtra hac vice dumtaxat relaxes, ipſaſque Prioriſſam, & Conventum Monaſterii de Turre a reatu perjurii, ſi quod pretextu dicti prefati juramenti incurrerint, ſi id humiliter petierint, eadem auctoritate noſtra abſolvas, in forma Eccleſię conſueta, injunctis eis, & earum cuilibet pro modo culpę penitentia ſalutari, & aliis que de jure fuerint injungenda, & nihilominus unionem, annexionem, & incorporationem, ac extinctionem prędictas tam Apoſtolica, quam ordinaria auctoritatibus factas, ut premittitur, & inde ſecuta quęcunque nullius fuiſſe, & eſſe roboris, vel momenti, necnon Prioriſſę, & Conventui de Turre licuiſſe, & de cetero licere, recipere puellas, & mulieres ad habitum, & regularem profeſſionem in dicto Monaſterio de Turre, juxta ejuſdem Inſtituta regularia, & conſuetudinem, prout ante unionem, annexionem, incorporationem, & extinctionem, ac concordiam, & tranſactionem prędictas recipere, & admittere conſueverunt, eadem auctoritate noſtra declares, ipſas quoque Prioriſſam, & Conventum Monaſterii Matris Domini ad reſtituendum bona, libros, calices, paramenta, fructus, & alia ad dictum Monaſterium de Turre ſpectantia per ipſam Prioriſſam, & Conventum Monaſterii Matris Domini, ſeu ad earum inſtantiam ablata, aſportata, vel occupata compellas. Contradictores &c. Non obſtantibus premiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, quibuſcunque. Datum Vetralę (10) Viterbien. Diœceſis Anno Incarnationis Dominicę Millesimo Quadringenteſimo Septuageſimo Sexto, Decimo octavo Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Monaſteria.*) Sita in ditione *Veneta*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *archivo Apoſtolico Libro XCVII fol.* 248.
3. *Pergamen.*) Seu *Bergomen.*, vulgo *Bergamo*, alias *Pergamo*, in ditione *Veneta*.
4. *Votis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Exordiis.
5. *Johannes.*) Conſulendus *Ughellus* in *Epiſcopis Begomen.*
6. *Malateſta.*) Adeas *Ughellum* in *Epiſcopis Camerinen.*
7. *Exiſtebat.*) Anno ſcilicet *MCCCCLIX*.
8. *Honofrio.*) *Honufrio*, *Onafrio*, & *Onuphrio*, cujus meminit *Ughellus* in *Epiſcopis Tricaricen.*
9. *Tricaricen.*) In *Baſilicata* Provincia, ad radices *Apennini* Montis.
10. *Vetralæ.*) Vulgo *Vetralla*. Oppidum quod *Forum Caſſii* a nonnullis vocatur. Sed notandum quod *Forum Caſſii*, vulgo *S. Maria Forcaſſi* vicus eſt *Hetruriæ* Ditionis Pontificiæ prope *Vetraliam*.

Tranſactionem inter Venetiarum Monaſteria Corporis Chriſti, & Annunciatæ initam confirmat (1).

Anno 1476 Die 16 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXXV.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Sancti Lucę, & Sancti Fantini, ac Sancti Pantaleonis, Eccleſiarum Venetiarum Plebanis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EA quę judicio, vel concordia &c. (3). Dudum ſiquidem felicis recordationis Eugenio PP. IV Prędeceſſori noſtro pro parte tunc Prioriſſę, & dilectarum in Chriſto filiarum Conventus Monaſterii Monialium Corporis Chriſti Venetiarum, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Ordinis Fratrum Prędicatorum viventium, expoſito, quod ſi Parochialis Eccleſia, Plebs nuncupata Sanctę Lucię, etiam Venetiarum eidem Monaſterio propinqua, ſeu contigua, in qua Corpus ejuſdem Sanctę honorifice conſervabatur, & quę parvam Parochiam habebat, (4) cuique nulli certi annui fructus, ſive redditus, ſed tantum fidelium oblationes, ex quibus unus Sacerdos ſe commode ſuſtentare, & alia pro tempore incumbentia onera ſupportare non poterat, provenire noſcebantur, prefato Monaſterio uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ex hoc dictę Eccleſię in divinis laudabilius deſerviretur, & utilitas hujuſmodi Monaſterio proveniret, idem Prędeceſſor ipſarum Prioriſſę, & Conventus in ea parte ſupplicationibus inclinatus, primo per quaſdam, in quibus, quod ejuſdem Eccleſię nulli, ut prefertur, & deinde per alias ſuas literas, in quibus de prioribus nulla mentio facta fuit, & quod ejuſdem Eccleſię certi annui fructus, redditus, & proventus, non excedentes ſummam viginti Ducatorum annuatim, & fidelium oblationes, ex quibus unus Sacerdos ſe commode ſuſtentare, & alia pro tempore ei incumbentia onera ſupportare non poterat, provenire noſcebantur, expreſſum exitit, Eccleſiam prędictam prefato Monaſterio perpetuo uniri, annecti, & incorporari mandavit, ita quod, cedente, vel decedente tunc ipſius Eccleſię Rectore, ſeu alias Eccleſiam ipſam quomodolibet dimittente, liceret Prioriſſę pro tempore exiſtenti dicti Monaſterii per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem poſſeſſionem dictę Eccleſię juriumque & pertinentiarum ejuſdem propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, ac ejus oblationes hujuſmodi in ſuos, & dicti Monaſterii uſus, & utilitatem, convertere, Diœceſani loci, & cujusvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, ac voluit, quod Prioriſſa & Sorores dicti Monaſterii per Diplomatis cauſa.

Pres-

Presbyterum per eas eligendum dictę Eccleſię curam exerceri, & illi in divinis deſerviri, facerent. Et deinde pro parte Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Monialium Sanctę Marię Annunciatę etiam Venetiarum dicti Ordinis per Prioriſſam ſoliti gubernari Nobis expoſito, quod poſtquam ad ipſarum literarum executionem proceſſum fuerat, ipſęque Prioriſſa, & Sorores Monaſterii Corporis Chriſti Eccleſiam prędictam illarum vigore aliquandiu tenuerant, & quod elapſis tunc quatuordecim annis, vel circa, quędam devotiſſima Monialis dicti Ordinis reduxerat ſe cum quibuſdam aliis devotis mulieribus in quandam Domum in loco ubi nunc eſt dictum Monaſterium Sanctę Marię, & emptis per eas de eleemoſynis Chriſti fidelium quibuſdam aliis domibus propinquis, ubi canonice fundari, & fabricari facere inceperant Monaſterium prędictum Sanctę Marię quod tunc perfectum non erat, & Eccleſia carebant, non ſuppeditantibus tunc eleemoſynis, & habebant ſolummodo quandam parvam Capellam, in qua dicebant horis debitis Officium ſuum, & faciebant Miſſas celebrari per unum proprium Capellanum, & quod ipſę Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Annunciatę, quę viginti quinque erant cum maxima incommoditate, & anguſtia loci in dicto Monaſterio degebant, quodque eidem Monaſterio Beatę Marię erat propinqua infra ſpatium ſex pedum vel circa, quodam calle mediante, dicta Parochialis Eccleſia Sanctę Lucię, in qua jacebat, & tenebatur cum veneratione maxima corpus ejuſdem Sanctę Lucię, & quam Eccleſiam Moniales prędicti Monaſterii Corporis Chriſti, quod diſtabat ab ipſa Eccleſia magno ſpatio, & pluribus laicorum domibus intermediis tenebant, & gubernabant, ſcientes in ea deſerviri, ac curam animarum parochianorum ejus exerceri per unum proprium earum Capellanum, pro cujus Capellani habitatione erat deputata quędam Domus, ad ipſam Eccleſiam ſpectans, contigua parieti muri, & horto dicti Monaſterii Sanctę Marię, de qua domo reſpiciebantur ſuper clauſtrum, & dormitorium dicti Monaſterii S. Marię, itaut Moniales ipſę Monaſterii Sanctę Marię non poſſent ire per loca Monaſterii ſui hujuſmodi quin viderentur per habitatores, & commorantes in domo prędicta, & ſępe audiebantur verba inhoneſtiſſima per laicos venientes ad ipſam domum proiſta, quod abominabile erat, nec poſſibile erat quod hujuſmodi inconvenientiis remedium adhiberetur niſi dicta domus cum horto, & pertinentiis ſuis applicaretur dicto Monaſterio Sanctę Marię, ex quo Eccleſia prędicta Sanctę Lucię non erat aliquo modo neceſſaria ipſis Prioriſſę, & Conventui Monaſterii Corporis Chriſti, quia non percipiebant ex dicta Eccleſia utilitatem niſi ex oblationibus quę fiebant in ipſa Eccleſia ad arcam, in qua erat Corpus ejuſdem Sanctę Lucię, quę utilitas ſi compenſaretur cum mercede annua, quam dicta Prioriſſa, & Conventus Monaſterii Corporis Chriſti dabant Capellano in dicta Eccleſia deſervienti, aut nulla erat, aut minima, computatis aliis expenſis occurrentibus in dicta Eccleſia, & quod nihilominus ipſę Prioriſſa, & Conventus Monaſterii S. Marię, ſi dicta eccleſia eis concederetur, obligari volebant dare integraliter omnes oblationes, & quicquid introitus habebat, aut habere poterat ipſa Eccleſia, dictis Prioriſſę & Conventui Monaſterii Corporis Chriſti, quouſque per Sedem Apoſtolicam provideretur eiſdem, de ęquivalenti utilitate, ac ſuſtinere omnia onera Eccleſię prędictę, itaut in ea augeretur divinus cultus, & cura animarum diligentius exerceretur, & hoc modo eſſet opportune proviſum in premiſſis ipſis Prioriſſę, & Monialibus Monaſterii S. Marię abſque damno, & incommodo dictarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Corporis Chriſti. Nos tunc per quaſdam noſtras literas Abbati S. Georgii Majoris, & Priori per Priorem ſoliti gubernari, S. Salvatoris, Monaſteriorum Venetiarum, eorum propriis nominibus non expreſſis dedimus in mandatis, ut ipſi, vel alter eorum vocatis dicta Prioriſſa, & Conventu Monaſterii Corporis Chriſti, & aliis, qui eſſent evocandi, de premiſſis omnibus & ſingulis Nobis expoſitis, eorumque circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra ſe diligenter informarent, et ſi per informationem hujuſmodi eis legitime conſtaret de eiſdem Nobis expoſitis, domum prędictam cum horto, ac omnibus juribus & pertinentiis ſupradictis Prioriſſę, & Conventui Monaſterii S. Marię prędictis, pro earum uſu, & commodo, ac utilitate, cum hoc tamen quod ipſę Prioriſſa & Conventus Monaſterii S. Marię providerent cum effectu, quod prędictę Prioriſſa, & Conventus Monaſterii Corporis Chriſti haberent aliam domum pro habitatione prefati Capellani, arbitrio eorundem Abbatis, & Prioris ęquivalentem, & propinquam dictę Eccleſię, & interim antequam de dicta domo providerent, ſolverent penſionem annuam pro habitatione convenienti dicti Capellani, Eccleſiam vero prędictam, accedente conſenſu Monialium Monaſterii Corporis Chriſti, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, domibus, & ędificiis, fabricis, & ſtructuris ſuis quibuſcunque, ipſis Prioriſſę, & Conventui Monaſterii S. Marię etiam pro uſu, & commodo, & utilitate earum, reſervatis tamen interim omnibus fructibus, redditibus, & proventibus ſuis dicto Monaſterio Corporis Chriſti, quouſque provideretur ei de ęquivalenti utilitate, concederent, applicarent, & aſſignarent, ita quod ex tunc liceret dictis Prioriſſę & Conventui Monaſterii B. Marię per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem poſſeſſionem domus, & Eccleſię, juriumque & pertinentiarum prędictorum propria auctoritate apprehendere, ac eorum fructus, redditus, & proventus juxta modum prędictum in uſus, & utilitatem Monialium & Monaſterii B. Marię hujuſmodi convertere, & perpetuo retinere, Diœceſani loci, & cujusvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Poſtmodum vero pro parte earundem Prioriſſę, & Conventus Monaſterii S. Marię Nobis expoſito, quod alias per Nos accepto, quod ex commiſſione prędicta per Nos dictis Abbati, & Priori facta contrarius noſtrę voluntatis erat ſubſecutus effectus, & non modo paci, & commodo Prioriſſę, & Conventus prędictarum dicti Monaſterii B. Marię conſultum non erat, ſed utraque pars fatigabatur, & multis civibus Venetiarum alteri partium favore ſtudentibus, contentionis materia dabatur, Nos, tunc utile, & pium exiſtimantes hujuſmodi ſcandalis, & diſpendiis obviare, per alias noſtras literas in forma Brevis prefatis Abbati & Priori mandaveramus, ut in hujuſmodi cauſa nihil agere deberent, ac ſi nulla eis deſuper commiſſio facta eſſet, & in eadem expoſitione ſubjuncto, quod ipſę Prioriſſę & Conventus Monaſterii S. Marię non confidebant poſſe habere conſenſum Prioriſſe & Conventus Monialium Corporis Chriſti prędictarum, ipſęque Prioriſſa & Conventus Monaſterii Corporis

Chriſti

Chriſti expoſuiſſent præfato Prædeceſſori, quod dicta Eccleſia erat eis propinqua, ſeu contigua, cum non ſolum dicto Monaſterio Corporis Chriſti contigua non exiſteret, ſed nec etiam propinqua niſi mediantibus pluribus intermediis domibus, petierantque illam uniri, ut ex literis præfati Prædeceſſoris deprehendebatur, principaliter pro ipſius Eccleſiæ diligentiori cura, & ſervitio, cujus onus aſſumere offerebant, & ſecundario pro earum utilitate, & ex illa modicam percipiebant utilitatem, pro qua ipſæ Prioriſſa, & Conventus Monaſterii S. Mariæ paratæ erant dare convenientem recompenſam, Prioriſſa vero, & Moniales Monaſterii S. Mariæ prædictæ ſub regulari obſervantia dicti Ordinis viventes, abſque domo, & horto prædictis in contemplationis ſuavitate vivere, & earum vota cum integritate reddere Creatori non poterant, Nos, earundem Prioriſſæ & Conventus Monaſterii S. Mariæ in ea parte ſupplicationibus inclinati, venerabili Fratri Marco Archiepiſcopo Duracen. (5), & dilecto filio Paulo de Ruſconibus Canonico Cervicen. (6) in Civitate Venetiarum commorantibus, per aliquas noſtras literas dedimus in mandatis, ut ipſi, vel alter eorum, vocatis Prioriſſa, & Conventu Monaſterii Corporis Chriſti prædictis, & aliis quorum intererat, de præmiſſis eis conſtito, data per Prioriſſam, & Conventum Monaſterii S. Mariæ prædictas dicto Monaſterio Corporis Chriſti idonea recompenſa, de cujus proventibus Capellano, qui pro tempore foret, dicti Monaſterii Corporis Chriſti, proviſio competens, & ſalarium dari valeret, factam de dicta Eccleſia dicto Monaſterio Corporis Chriſti unionem prædictam diſſolverent, ipſamque Eccleſiam cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis a dicto Monaſterio Corporis Chriſti ſepararent, dividerent, & diſmembrarent, ac dicto Monaſterio Sanctæ Mariæ perpetuo unirent, & annecterent, & incorporarent, prioreſque literas noſtras prædictas, eiſdem Prioriſſæ & Conventui Monaſterii Beatæ Mariæ conceſſas valere decernerent, & exequerentur, juxta earum continentiam, atque formam, dictarum Prioriſſæ & Conventus Corporis Chriſti aliter non expectato conſenſu, in executione hujuſmodi in omnibus, & per omnia perinde ac ſi literæ noſtræ prædictæ a principio eiſdem Archiepiſcopo & Canonico directæ extitiſſent, & per illas non ut de conſenſu Prioriſſæ & Conventus, ſeu Monialium Monaſterii Corporis Chriſti, ſed ſimpliciter, nulla de conſenſu exigendo hujuſmodi habita mentione, ad executionem inibi contentorum procederent, per Nos eis mandatum extitiſſet, prout in ſingulis literis prædictis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte Prioriſſæ, & Conventus Monaſterii S. Mariæ prædictarum, præfatus Canonicus, cui etiam in hoc dictus Archiepiſcopus totaliter commiſerit vices ſuas ad priorum, & poſteriorum literarum noſtrarum executionem hujuſmodi procedens, illarum forma ſervata, unionem, annexionem, & incorporationem prædictas de dicta Eccleſia cum omnibus juribus, & pertinentiis, ac domibus & ædificiis, fabricis, & ſtructuris ſuis quibuſcunque, Monaſterio Corporis Chriſti factas diſſolvens, ipſam Eccleſiam a dicto Monaſterio diſmembravit, & ſeparavit, ac illam dicto Monaſterio S. Mariæ univit, annexuit, & incorporavit, juxta earundem poſteriorum literarum continentiam, &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, poſtquam ab unione, annexione & incorporatione hujuſmodi, ſeu ſententia deſuper lata pro parte dictarum Prioriſſæ & Conventus Monaſterii Corporis Chriſti ad Sedem Apoſtolicam appellatum fuerat, Procuratores, ſeu Syndici Prioriſſarum & Conventuum utriuſque Monaſteriorum prædictorum cupientes parcere laboribus, & expenſis, & dicta Monaſteria, ac illorum Prioriſſas, & Conventus ab incommodis relevare, invicem ad hujuſmodi concordiam devenerunt, quod Eccleſia prædicta cum domo illius principali, ac illi contiguis horto, & ædificiis, ac onere curæ Animarum parochianorum ejuſdem, aliiſque juribus, & pertinentiis tunc expreſſis eidem Monaſterio S. Mariæ unita, annexa, & incorporata remanerent, ipſæque Prioriſſa & Conventus Monaſterii S. Mariæ tenerentur conſtrui facere unam Capellam in Eccleſia dicti Monaſterii Corporis Chriſti, aut alibi, ubi eidem Prioriſſæ & Conventui Corporis Chriſti videretur, in qua Corpus ejuſdem Sanctæ quod in ipſa Eccleſia hactenus honorifice conſervatum extitit, in poſterum conſervaretur, ad ſimilitudinem Capellæ ſitæ in dicta Eccleſia Sanctæ Luciæ, in qua Corpus ipſum, ut præfertur, conſervabatur, & nonnulli alii redditus, tunc etiam expreſſi, ad dictam Eccleſiam Sanctæ Luciæ legitime pertinentes, ad dictum Monaſterium Corporis Chriſti pertinerent, liceretque eiſdem Prioriſſæ & Conventui Corporis Chriſti dicti Corporis S. Luciæ ornamenta & paramenta, ac alia mobilia bona, quæcunque per eas facta, ſeu empta pro dicta Eccleſia Sanctæ Luciæ poſt unionem prædictam eidem Monaſterio Corporis Chriſti, ut præfertur, factam, ad ipſum Monaſterium Corporis Chriſti cum dicto corpore transferre, & nonnulla alia tunc expreſſa fecerunt, & fieri, ac adimpleri voluerunt, quæ omnia utriuſque Monaſteriorum eorundem Prioriſſæ & Conventus præfatæ per dictos eorundem Syndicos facta, & conventa, ut præfertur, hinc inde ratificarunt, & approbarunt, prout in quibuſdam Inſtrumentis publicis, deſuper confectis, plenius dicitur contineri. Quare pro parte Prioriſſæ & Conventus prædictorum Monaſterii Sanctæ Mariæ, aſſerentium ſe paratas eſſe, quantum in eis eſt, concordiam prædictam adimplere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut concordiæ hujuſmodi per quam Monaſteria prædicta ab incommodis litium relevantur, pro illius ſubſiſtentia firmiori noſtræ confirmationis robur adjicere, ac eiſdem Prioriſſæ & Conventui Monaſterii Corporis Chriſti dictum Corpus S. Luciæ de prædicta Eccleſia & Capella, in qua hactenus conſervari conſuevit, ad præfatum Monaſterium Corporis Chriſti, & conſtruendam Capellam juxta concordiam eandem, cum ornamentis, & bonis prædictis, decenter transferri faciendi, & illud inibi conſervandi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, vocatis præfatis Prioriſſa, & Conventu Monaſterii Corporis Chriſti, & de aſſertis Nobis per dictam Prioriſſam, & Conventum Monaſterii S. Mariæ vobis legitime conſtito, concordiam prædictam, & prout eam concernunt, omnia, & ſingula in dictis Inſtrumentis contenta, auctoritate noſtra approbetis, & confirmetis, ſuppleatiſque omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem; & nihilominus ſi approbationem, & confirmationem hujuſmodi vigore præſentium fieri contigerit per vos, ut præfertur, Prioriſſæ, & Conventui dicti Monaſterii Corporis Chriſti ipſum Corpus S. Luciæ de prædicta Eccleſia, & Ca-

Nota.

Confirmatio

& Capella. in qua conſervari conſuevit ad pręfatum Monaſterium Corporis Chriſti, & conſtruendam Capellam hujuſmodi juxta concordiam prędictam, cum ornamentis, & paramentis, ac bonis prędictis decenter, & cum ſolemnitatibus in ſimilibus Sanctorum Corporum translationibus ſervari ſolitis transferri (7) faciendi, & illud inibi conſervandi, licentiam, auctoritate noſtra, largiamini. Non obſtantibus &c. quibuſcunque. Datum Amerię (8) Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringentesimo Septuageſimo Sexto, Decimo ſeptimo Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Confirmat.*) Legenda *Conſtitutio LXXX* eadem de re data.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XCIV fol.* 161.
3. *Concordia &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Exordiis.
4. *Habebat.*) Quæ ſequuntur ad hæc uſque: *Poſtmodum vero pro parte*: leguntur etiam in *Conſtitutione LXXX* non laudata, verbis tamen nonnunquam immutatis.
5. *Duracen.*) *Dyrrachien.*, vulgo *Durazzo*, in *Albania*.
6. *Cervicen.*) *Cervien.*, in ora *Romandiola*.
7. *Transferri.*) Feſtum, non quidem iſtius, ſed alterius translationis ejuſdem Virginis *Syracuſanæ* celebratur die *XVIII* Januarii, ut notat *Bailletus* in *vita S. Luciæ*, XIII Decembris.
8. *Ameria.*) Vulgo *Amelia*, in *Umbria*.

Anno 1476 Die 1 Octobris.

De lite inter Corporis Chriſti, & Nunciatæ Monaſteria Venetiarum mota (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXXVI.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii S. Georgii majoris Venetiarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis causa.

HUmilibus &c. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Priorisſę, & Conventus Monaſterii Corporis Chriſti Venetiarum per Priorisſam ſoliti gubernari Ordinis S. Auguſtini ſub cura, & ſecundum Inſtituta Ordinis Fratrum Prędicatorum viventium petitio continebat, quod olim dilectę in Chriſto filię Priorisſa, & Conventus Monaſterii Sanctę Marię Nunciatę, etiam Venetiarum, dicti Ordinis, per Priorisſam ſimiliter gubernari ſoliti, pretendentes, quod orta dudum inter ipſas, & contra procuratores, & ſyndicos earundem ſuper Parochiali Eccleſia Plebe nuncupata Sanctę Lucię, etiam Venetiarum, & pręfatas Priorisſam, & Conventum Corporis Chriſti, dicto Monaſterio Corporis Chriſti canonice unita, ipſiuſque juribus, & pertinentiis, ac rebus aliis tunc expresſis materia quęſtionis, partes ipſę cupientes parcere laboribus, & expenſis, & dicta Monaſteria ab incommodis relevare invicem ſuper his ad quandam tunc expresſam concordiam devenerant, quodque Priorisſa, & Conventus Monaſterii Sanctę Marię hujuſmodi paratę ad concordiam prędictam adimplendam exiſtebant, noſtras ſuper ipſius concordię confirmatione ad dilectum filium Plebanum Eccleſię S. Fantini Venetiarum, & alios ejus in ea parte Collegas eorum propriis nominibus non expresſis ſub certa forma literas impetrarunt, ac illarum pretextu, aſſerentes premisſa tempore impetrationis earundem literarum, & tunc fore vera, dictas Priorisſam, & Conventum Monaſterii Corporis Chriſti ſuper hoc inter alia petendo concordiam hujuſmodi confirmari, necnon prefatas Priorisſam, & Conventum Monaſterii Corporis Chriſti condemnari, & compelli ad obſervandum concordiam hujuſmodi, coram dilecto filio Marco Plebano dictę Eccleſię traxerunt in cauſam, idemque Plebanus, in ea procedens, definitivam, per quam inter alia dictam concordiam confirmavit, necnon dictis Priorisſę, & Conventui Monaſterii Sanctę Marię, ut fabricare, & eligere Capellanos, & illos deſtituere in dicta Parochiali Eccleſia, posſint, ac pręfatis Priorisſę, & Conventui Monaſterii Corporis Chriſti transferendi ſolemniter Corpus Sanctę Lucię de Parochiali Eccleſia prędicta ad ipſum Monaſterium Corporis Chriſti ſive ad Capellam de novo inibi faciendam licentiam concesſit, ſententiam promulgavit, a qua quidem ſententia pro parte earundem Priorisſę, & Conventus Corporis Chriſti in ea parte qua contra ipſas lata ad Sedem fuit Apoſtolicam appellatum, & deinde Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut appellationis hujuſmodi, necnon poſt, & contra eam forſitan attentatorum, & innovatorum, nullitatiſque totius procesſus dicti Plebani, cauſas, aliquibus probis viris in partibus illis committere, aliaſque in premisſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis dictis Priorisſa, & Conventu Sanctę Marię, & aliis, qui fuerint evocandi, auditiſque hinc inde propoſitis, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens quod decreveris per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes &c. non obſtantibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque, ſeu ſi dicto Ordini &c indultum exiſtat quod &c. ſuſpendi, interdici &c. & qualibet alia dictę Sedis indulgentia &c. quę quoad hoc ipſis nolumus aliquatenus ſuffragari. Datum Fulginei Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringentesimo Septuageſimo Sexto, Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Mandatum.

1. *Mota.*) Vide Conſtitutionem præcedentem.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CIII fol.* 269.

Tio-

Digitized by Google

Prorogat (1) Capitulum Generale ad alium annum.

Anno 1476 Die 3 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Leonardo de Manſuetis de Peruſio (3), Sacrę Theologię Profeſſori, Ordinis Prędicatorum Generali Magiſtro. LXXXVII.

SIXTUS PP. IV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CОnſiderantes, quod propter peſtis contagionem, quę plurima loca Italię occupavit, Capitulum Generale Ordinis tui Peruſii in feſto Pentecoſtes anni proxime futuri, ſicut ſtatutum fuerat, abſque magno incommodo, & periculo Fratrum, qui ad illud ſunt conventuri, celebrari non poterit; tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, celebrationem Capituli ante dicti ad alium annum, videlicet milleſimum quadringenteſimum ſeptuageſimum octavum (4) auctoritate Apoſtolica prorogamus, atque transferimus; Ita tamen, ut in eadem Civitate Peruſii, & in feſto Pentecoſtes ejus anni debeat juxta conſtitutiones Ordinis celebrari. Quocirca tuę devotioni injungimus, ut prorogationem, & translationem hujuſmodi per Provincias intimare, denunciareque debeas juxta ritum Ordinis antedicti. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III Decembria MCCCCLXXVI, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

L. Griſua.

1. *Prorogat.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum.
3. *Leonardo de Manſuetis de Peruſio.*) Optime ſic de *Manſuetis* enim ex familia, *de Peruſio* ex patria dictus eſt *Leonardus*, ut notatum fuit.
4. *Septuageſimum Octavum.*) Hoc anno *MCCCCLXXVIII* celebratum fuit.

Ne Fratres proprios ſibi eligant (1) Confeſſores, qui ſolvant eos a reſervatis.

Anno 1477 Die 15 Martii.

Ex Bullario Caſtellani Parte I pag. 19.

Dilecto filio Vicario Generali Congregationis Lombardię Ordinis Prędicatorum. LXXXVIII

SIXTUS PP. IV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

TE, Vicarie, ſignificante cognovimus, quoſdam Fratres tuę curę ſubjectos, aſſerentes ex conceſſione Summorum Pontificum, vivę vocis oraculo facta, hoc eis licere: quod proprios ſibi eligant Confeſſores, qui eos abſolvant a caſibus reſervatis Prelatis eorum, & propterea ſcandalorum non levis prębetur occaſio; Nos igitur, qui. quantum cum Deo poſſumus, libenter ſcandalis obviamus, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, conceſſiones hujuſmodi quomodocunque obtentas, tenore pręſentium revocamus: nullumque eis uti in futurum poſſe decernimus. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XV Martii MCCCCLXXVII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Eligant.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

Hoſpitia duo Regni Scotiæ Conventus nomine inſignienda jubet.

Anno 1477 Die 18 Martii.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Archidiacono Sancti Andreę (2), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. LXXXIX.

AD fructus uberes, quos in agro Domini plantatus Sacer Ordo Fratrum Prędicatorum ad catholicę fidei exaltationem produxit hactenus, & producere non deſinit, noſtrę conſiderationis aciem extendentes, ad ea libenter operatrices manus apponimus, per quę Ordo ipſe cum divini cultus augmento, & fidelis populi devotione continue dilatetur, maxime cum catholicorum Regum vota id expoſcunt, & ex inde ſalutem provenire conſpicimus animarum. *Exordium.* Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Vicarii Generalis dicti Ordinis, in Regno Scotię deputati, petitio continebat, quod in prefato Regno, videlicet in Civitate (3) unum, in Eccleſia Beatę Marię, & in Diœceſi S. Andreę aliud, in Capella olim Regia Sancti Mariani in Innerry (4) nuncupata, loca, oratoria, ſive hoſpitia juxta ritum eorum nominata, Fratribus dicti Ordinis olim canonice conceſſa, & per eos ex tunc inhabitata fore noſcuntur, qui ſi de cetero non oratoria, vel hoſpitia, ſed domus conventuales ejuſdem Ordinis eſſent, & appellarentur, profecto id ad ſingularem complacentiam, & ſpiritualem conſolationem fidelium partium illarum cederet. *Supplex Regis, & Vicarii Generalis petitio.* Quare pro parte tam cariſſimi in Chriſto

filii noſtri Jacobi (5) Scotorum Regis illuſtris, quam pręfati Vicarii Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut prędictis Fratribus, quod loca prędicta deinceps non oratoria, vel hoſpitia, ſed Domus Conventuales ſint, & appellentur, ac quod ipſi Fratres domos ibidem cum Eccleſiis, clauſtris, cęmeteriis, dormitoriis, refectoriis, campanilibus, campanis, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro Fratrum eorundem perpetuis uſu, & habitatione, conſtruere, & ędificare valeant, concedere, ac alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionem, & divinum cultum ubilibet vigere, & augeri, noſtris potiſſime temporibus, ſinceris deſideriis exoptamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, eiſdem Fratribus, quod loca prędicta deinceps non oratoria, vel hoſpitia, ſed Domus Conventuales dicti Ordinis ſint, & nominentur, quodque Fratres ipſi in eiſdem locis domos, cum Eccleſiis, clauſtris, cęmeteriis, dormitoriis, & refectoriis cum campanilibus, campanis, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro Fratrum eorundem perpetuis

Mandatum.

uſu, & habitatione, abſque tamen alicujus pręjudicio conſtruere, & ędificare valeant, auctoritate noſtra concedas; Nos enim, ſi conceſſionem hujuſmodi per te vigore pręſentium fieri contigerit, ut prefertur, Fratribus in eiſdem domibus pro tempore commorantibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, & indultis dicto Ordini, ac illius Fratribus quomodolibet in genere conceſſis, uti, & gaudere libere, & licite valeant auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Sexto (6), Quinto decimo Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CX fol.* 165.
2. *S. Andreæ.*) Vulgo *S. Andrewus*; Urbs eſt Archiepiſcopalis *Scotiæ* Regni.
3. *Civitate.*) *S. Andreæ, ſeu Andreapolitano.* Hujus Cœnobii meminit *Echard in Notitia Ordinis Tomo II ſcriptorum Ord. Prædicatorum pag.* 10.
4. *Innerry.*) Vulgo *Inner-eyra*, vel *Interrera*, in *Scotia Meridionali*. Hujus Cœnobii non meminit *Echard*.
5. *Jacobi.*) Hujus nominis *III*.
6. *Septuageſimo Sexto.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLXXVII*.

Anno 1477 Die 10 Aprilis.

XC.

Beneficium confert Monaſterio (1) S. Salvatoris, de Jeſu nuncupato.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

ETſi quibuslibet perſonis, & locis religioſis &c. (3). Sane ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Monialium Monaſterii Sancti Salvatoris, de Jeſu nuncupati, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, Colubrien. (4) Dięceſis, per Prioriſſam gubernari ſoliti, petitio continebat, dudum dilectus filius Velaſcus Martini, Vicarius venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Colubrien. in ſpiritualibus Generalis, habens ad hoc a prefato Epiſcopo ſpecialem, ut aſſerebat, per ejus literas, facultatem, ſeu officialis Colubrien. ſimili facultate ſuffultus, provide conſiderans, quod Monaſterium prędictum, in quo regularis viget obſervantia, in ſuis redditibus, & proventibus pro ſuſtentatione Monialium prędictarum non ſatis abundet, ac volens ſuper hoc, quantum in eo erat, opportune providere, facultatis hujuſmodi vigore, parochialem Eccleſiam Sancti Michaelis de Fernlclaris prefatę Dięceſis, quę de jure patronatus laicorum tunc erat, poſtquam dilectus filius Nobilis vir Johannes de Alburque (5) Miles, & dilecta in Chriſto filia nobilis Mulier Helena ejus Uxor, dictę Dięceſis, veri Patroni dictę Parochialis Eccleſię jus patronatus hujuſmodi eidem Monaſterio donaverant, & conceſſerant, eidem Monaſterio de conſenſu etiam dilecti filii Ferdinandi Martini, ipſius Eccleſię Rectoris, Magiſtri in Theologia, perpetuo univit, annexuit, & incorporavit, ita quod, cedente, vel decedente dicto Rectore, liceret Prioriſſę, & Monialibus pręfatis, per ſe, vel per alium, ſeu alios, corporalem poſſeſſionem dictę Parochialis Eccleſię apprehendere, & perpetuo retinere, prout in literis dicti Vicarii, ſeu officialis, ſuo ſigillo munitis, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, de viribus unionis hujuſmodi &c. (6) pro parte tam cariſſimi in Chriſto filii noſtri Alfonſi (7) Portugallię, & Algarbię Regis illuſtris, & nobilis viri Johannis Infantis Portugallię, quam Prioriſſę, & Monialium, aſſerentium, quod Monaſterii ducentorum, & quinquaginta, & Parochialis Eccleſię hujuſmodi fructus, redditus, & proventus centum librarum Turonen. parvorum, ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum non excedunt, prędictarum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut unionem, annexionem, & incorporationem hujuſmodi auctoritate Apoſtolica approbare, & confirmare, necnon pro potiori pręmiſſorum cautela illarum pręfato Monaſterio de novo unire, annectere, & incorporare, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia

Collatio.

voluimus, & ordinavimus, quod ſuper unionibus commiſſio fieret ad partes cum clauſula, vocatis quorum intereſt, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, unionem, annexionem, & incorporationem prędictas auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium perpetuo confirmamus, & approbamus, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & nihilominus pro potiori Prioriſſę, & Monialium prędictarum cautela dictam Parochialem Eccleſiam cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Monaſterio perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod liceat Prioriſſę, & Monialibus pręfatis per ſe, vel alium, ſeu alios, Parochialis Eccleſię, ſi vacat, alioquin per ceſſum, vel deceſſum dicti Rectoris, vacaverit, juriumque, & pertinentiarum eorum poſſeſſionem auctoritate propria apprehendere, & perpetuo retinere, Dięceſani loci, & cujuſvis

alte-

alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus voluntate prędicta, necnon conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque, aut ſi aliquibus ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis &c. & quęcunque inde ſecuta &c. effectus earum impediri valeat &c. & de quibus quorumque totis tenoribus &c. habenda ſit in noſtris literis ſilentio ſpecialis. Volumus autem quod dicta Parochialis Eccleſia propter unionem, annexionem, & incorporationem hujuſmodi debitis non fraudetur obſequiis &c. ſed ſuper fructibus, redditibus, & proventibus eiſdem reſervetur congrua portio perpetuo Vicario, qui curam animarum parochianorum ejuſdem exerceat, & inibi laudabiliter deſerviat in divinis, de qua quidem portione ſe commode ſuſtentare valeat, quodque Vicarius hujuſmodi ad perpetuam Vicariam, ſeu portionem prędictam, dum pro tempore vacaverit, per Prioriſſam, & Moniales dicti Monaſterii ordinario loci per eum inſtituendus, debeat pręſentari, & inſuper ex nunc irritum decernimus, & inane &c. contigerit attentari. Nulli ergo &c. noſtrę confirmationis, approbationis, ſuppletionis, unionis, annexionis, & incorporationis, voluntatis, & conſtitutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Septimo, Quarto Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Monaſterio.*) In *Portugalliæ* Regno.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CII fol.* 112.
3. *Religioſis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Exordiis.
4. *Colubrien.*) Sic pluries hoc in Diplomate ſcripſit amanuenſis. Legendum *Colimbrien.*, ut in ſequenti Conſtitutione, vel *Colinbrien.*, ut a *Labbeo* vocatur in *Breviario Geographia Epiſcopalis*, rectius *Conimbricen.*, vulgo *Coimbra*, in *Luſitania*.
5. *Alburque.*) Hæc etiam vox mutila videtur, & ſcribendum crediderim: *Alburquerque*. Celebris eſt familia *Portugalliæ*. Florebat tunc ejuſdem gentis decus, magnus ille *Alfonſus de Alburquerque*, de quo legendus liber, cui titulus: *Commentarios de grande Alfonſo de Alborquerque Capit. G. da India*.
6. *Hujuſmodi &c.*) Nonnulla hic deſunt. Adderem: *A nonnullis fuerit dubitatum*.
7. *Alfonſi.*) Hujus nominis *V*.

Unit Parochiam Sancti Michaelis Monaſterio (1) Sancti Salvatoris, de Jeſu nuncupato.

Anno 1477 Die 10 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XCI.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Tingen. (3), & Fecen. (4) Epiſcopis, ac dilecto filio Arię Didaci, Canonico Portugalen. (5), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Apoſtolicę Sedis gratioſa benignitas &c. (6). Hodie ſiquidem pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Monialium Monaſterii S. Salvatoris, de Jeſu nuncupati, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, Colimbrien. (7) Dięceſis, per Prioriſſam gubernari ſoliti, Nobis expoſito, quod dudum dilectus filius Velaſcus Martini, tunc Vicarius venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Colimbrien. in ſpiritualibus Generalis, habens ad hoc a pręfato Epiſcopo ſpecialem, ut aſſerebat, per ejus literas facultatem, ſeu Officialis Colimbrien. ſimili facultate ſuffultus, provide conſiderans, quod Monaſterium prędictum, in quo regularis viget obſervantia, in ſuis redditibus, & proventibus pro ſuſtentatione Monialium prędictarum non ſatis abundabat, ac volens ſuper hoc, quantum in eo erat, opportune providere, facultatis hujuſmodi vigore, Parochialem Eccleſiam S. Michaelis de Formelanes (8) pręfatę Dięceſis, quę de jure patronatus laicorum tunc erat, poſtquam dilectus filius nobilis vir Johannes de Alburquerqui (9), miles, & dilecta in Chriſto filia nobilis mulier Helena, ejus uxor, dictę Dięceſis, veri patroni dictę Parochialis Eccleſię, jus patronatus hujuſmodi eidem Monaſterio donaverant, & conceſſerant, eidem Monaſterio de conſenſu etiam dilecti filii Martini Fernandi (10), Ipſius Eccleſię Rectoris, Magiſtri in Theologia, perpetuo univerat, annexuerat, & incorporaverat, ita quod cedente, vel decedente dicto Rectore, liceret Prioriſſę, & Monialibus prędictis, per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem poſſeſſionem dictę Parochialis Eccleſię apprehendere, & perpetuo retinere, Nos unionem, annexionem, & incorporationem prędictas auctoritate Apoſtolica confirmavimus, & approbavimus, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenilſent in eiſdem, necnon pro potiori Prioriſſę, & Monialium prędictarum cautela dictam Eccleſiam cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis pręfato Monaſterio de novo perpetuo univimus, annexuimus, ita quod, cedente, vel decedente illius Rectore, liceret Prioriſſę, & Monialibus pręfatis per ſe, vel alium, ſeu alios, dictę Parochialis Eccleſię poſſeſſionem auctoritate propria apprehendere, & perpetuo retinere, Dięceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, prout in noſtris inde confectis literis (11) plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Prioriſſę, & Monialium pręfatarum, petitio continebat, contingere poſſet, quod dictus Rector ad effectum quod unio, annexio, & incorporatio hujuſmodi celeriorem ſortiantur effectum, reſervata tamen ſibi penſione congrua, reſignaret, pro parte Prioriſſę, & Monialium prędictarum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut aliquibus probis viris, in partibus illis conſiſtentibus, quod in eventum reſignationis hujuſmodi eidem Rectori penſionem annuam ſeptuaginta quinque florenorum auri de camera, ſeu cruciatorum (12) auri tam ſuper Monaſterii, quam Parochialis Eccleſię hujuſmodi fructibus, redditibus, & proventibus per eaſdem Prioriſſam, & Moniales annis ſingulis perſolvendam reſervent, committere, & mandare, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, eidem Rectori in-

Diplomatis cauſa.

even-

eventum quod Parochialem Eccleſiam hujuſmodi ad effectum dictę unionis in manibus veſtris ſponte, & libere reſignet, illa per vos auctoritate noſtra recepta, & admiſſa, penſionem annuam ſeptuaginta quinque florenorum auri de camera, ſeu cruciatorum auri hujuſmodi per eaſdem Prioriſſam, & Moniales in terminis, & locis, ac ſub cenſuris, & pęnis ad id per vos, de eorundem Rectoris, Prioriſſę, & Monialium conſenſu, ſtatuendis, annis ſingulis perſolvendam, auctoritate noſtra reſervare, conſtituere, & aſſignare curetis, facientes ipſi Rectori, vel procuratori ſuo, ad hoc ab eo ſpecialiter conſtituto, juxta reſervationis, conſtitutionis, & aſſignationis prędictarum, ſi eas feceritis, tenorem, de penſione hujuſmodi integre reſponderi. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam &c. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Aut ſi Prioriſſę, vel Monialibus pręfatis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim, ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod ad pręſtationem, ſeu ſolutionem alicujus penſionis minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, ſuſpendi &c. per literas Apoſtolicas non facientes plenam &c. mentionem, & qualibet alia dictę Sedis indulgentia, per quam pręſentibus &c. effectus eorum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quarum toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Septimo, Quarto Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Monaſterio*.) Juris eſt Provinciæ *Portugalliæ*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolicæ Libro CX fol.* 161.
3. *Tingen.*) Vulgo *Tanger*, in *Africa*, ſub *Eborenſi* Metropoli. Tunc Civitas *Tingenſis* juris erat *Luſitanorum*.
4. *Fecen.*) Hujus nominis Epiſcopatum non novi. Fortaſſis ſcribendum *Fezzen.*, vulgo *Fezza*, Gallis *Fez*. Ejuſdem nominis Urbs, Provincia, & Regnum ſunt in *Africa*, ubi per id tempus *Alfonſus V*, cognomento *Africanus*, Rex *Luſitaniæ*, varias civitates occupaverat. Vel legendum *Faren.*, ſeu *Pharen.*, vulgo *Faro*, in *Cuneo* agro, ubi nunc *Algarbia*.
5. *Portugalen.*) *Portugallen.*, & *Portu Calenſis*, vulgo *Portugallo*, aliis *Puerto*, ſub Archiepiſcopo *Bracarenſi*, in *Luſitania*.
6. *Benignitas &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
7. *Colimbrien.*) *Conimbricen.*, vide *Notam IV* ad præcedent Diploma.
8. *Formelanes*.) In præcedenti *Conſtitutione* legitur *Fernidaris*.
9. *De Alburquer qui*.) *De Alburquerque*, ut dictum fuit in *Nota V* ad præcedens Diploma.
10. *Martini Fernandi*.) In præcedenti *Conſtitutione* dicitur: *Fernandi Martini*.
11. *Literis*.) Præcedentibus.
12. *Cruciatorum*.) Sic vocant nummorum ſpeciem, cujus auctor fuit *Alfonſus V*, Rex *Luſitaniæ*. Cum enim Regis ejuſdem ſubditi aurum e *Guinea*, Africæ regione, ab iiſdem comperta, detuliſſent, *Alfonſus* ex ipſo cuſos voluit nummos, quibus *Cruciatorum* nomen indidit ex *Cruciata*, vulgo *Croiſade*, ſeu Bello, quod pro Religione contra *Saracenos* ſuſceperat.

Anno 1477 Die 13 Aprilis.

De Poſſeſſionibus (1) emendis ex pecuniis nobis legatis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XCII.

Dilecto filio Leonardo de Manſuetis de Peruſio, Sacrę Theologię Profeſſori, Ordinis Prędicatorum Generali Magiſtro,

SIXTUS PP. IV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper per noſtras ſub Bulla plumbea literas conceſſimus tibi, ac Prioribus, & Fratribus tui Ordinis, pręſentibus, & futuris, ut poſſeſſiones, domos, cenſus, & alia immobilia bona vobis, & domibus veſtris pia fidelium largitione inter vivos, vel cauſa mortis, donata, aut teſtamentaria diſpoſitione largita, vel alias relicta, & quę vobis pro tempore donari, relinqui, ſeu largiri contigerit, pro ſubſidio ſtudentium, & aliorum eis incumbentium onerum ſupportatione, in communi, & non aliter, retinere, & illa per deputandos a vobis miniſtrare, libere, & licite valeatis, auctoritate Apoſtolica conceſſimus pariter, & indulſimus, prout in ipſis literis plenius continetur. Ut autem commoditati, & bono ipſorum ſtudentium per amplius conſulatur, & onera ipſa pacifice portentur, dicta auctoritate pręſentium tenore pariter concedimus, ut etiam de pecuniis vobis, & *domibus* veſtris donatis, ſeu legatis, bona ſtabilia emere, & pro ſubſidio eorundem ſtudentium, ſicut in dicta Bulla continetur, retinere valeatis. Non obſtantibus omnibus, quę in dicta Bulla volumus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę ſub Annulo Piſcatoris Die XIII Aprilis MCCCCLXXVIII (3), Pontificatus noſtri Anno Sexto.

L. Griſus.

1. *Poſſeſſionibus*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar *Tomo II Capitulorum General. pag.* 619. Legitur etiam apud *Caſtellanum Parte II pag.* 126, & in Conſtitutionibus editis anno *MDVII* numero *CIX*.
3. *MCCCCLXXVIII*.) Ex Pontificatus anno *Sexto* legendum *MCCCCLXXVII*, ut ex ſe patet. Amanuenſis autem hallucinatus videtur ex Actis Capituli Generalis anno *MCCCCLXXVIII* coacti, in quibus præſens conſtitutio legitur.

Digitized by Google

Ne, mortuo Generali Magiſtro, Vicarii Provinciales, ab ipſo conſtituti, Vicariatus officio abeant (1). Anno 1477 Die 19 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XCIII.

Dilecto filio Leonardo de Manſuetis de Peruſio, Sacrę Theologię Profeſſori Ordinis Prędicatorum Generali Magiſtro.

SIXTUS PP. IV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

FEciſti Nobis exponi, quod ex Conſtitutionibus tui Ordinis Vicarii Provinciales, a Generali pro tempore exiſtente inſtituti, per ceſſum, vel deceſſum ejuſdem Generalis ſtatim abſolvuntur, & ſic Vicariatus ipſi ſine Rectore remanent non ſine confuſione, & damno Ordinis prędicti. Quocirca Nos, ex paſtorali cura providere ſuper hoc volentes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tenore pręſentium, Apoſtolica auctoritate, concedimus, & decernimus, ut non obſtantibus Conſtitutionibus hujuſmodi, & quibuſcunque aliis in contrarium, cedente, vel decedente ejuſdem Ordinis Generali Magiſtro pro tempore exiſtente, Vicarii ab eo inſtituti remanere debeant, ac remaneant in ſuis officiis donec per Vicarium totius Ordinis, aut Succeſſorem Generalem aliter fuerit ordinatum. Datum Romę apud S Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XIX Aprilis MCCCCLXXVIII (3), Pontificatus noſtri Anno Sexto.

L. Griſus.

1. *Abeant.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar *Tomo II Actorum Capitulorum Generalium pag.* 619.
3. *MCCCCLXXVIII.*) Vide *Notam III* ad præcedens Diploma.

Regis Renati (1) rogatu Parochiam Cœnobii San-Maximinenſis (2) ab uno ex Fratribus regendam jubet. Anno 1477 Die 10 Maii.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

XCIV.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

INjunctum Nobis, licet immeritis, deſuper Apoſtolicę ſervitutis officium, mentem noſtram continua pulſat inſtantia, ut circa fidelium quorumlibet animarum profectum, ſolicitis curis, & ſtudiis ſic ſalubriter intendere curemus, ut per noſtrę operationis miniſterium periculis obvietur, ac ſaluti illarum jugiter intendatur. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus Sancti Maximini Ordinis Prędicatorum, Aquenſis Diœceſis, petitio continebat, quod cura animarum Parochianorum Eccleſię dictę domus, quę etiam Parochialis eſt, ex ordinatione, & privilegio Apoſtolicis per unum Presbyterum ſecularem, ad nutum Prioris pro tempore exiſtentis dictę domus amovibilem, regi, & gubernari conſuevit, quodque, ſi cura hujuſmodi per aliquem ipſius Ordinis Fratrem, ad nutum ejuſdem Prioris ſimiliter amovibilem, deinceps regeretur, profectui animarum, ſaluti, & conſolationi Parochianorum prędictorum, non parum conſuleretur. Quare pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Renati Regis Sicilię illuſtris, necnon Prioris, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut quod de cetero perpetuis futuris temporibus, cura prędicta per aliquem idoneum Presbyterum dicti Ordinis profeſſorem, ad nutum Prioris pro tempore exiſtentis hujuſmodi amovibilem, regatur, & gubernetur, ſtatuere, & ordinare, aliaſque in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ſtatuimus, & ordinamus quod deinceps cura ſupradicta per aliquem idoneum Presbyterum dicti Ordinis Profeſſorem, per Priorem pro tempore exiſtentem hujuſmodi ad hoc deputandum, & ad nutum illius amovibilem, perpetuo regatur, & etiam gubernetur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conſtitutionis, & ordinationis, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Septimo, Sexto Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Exordium.

Mandatum.

Sanctio pœnalis.

L. Griſus.
J. de Noxeto.

1. *Renati.*) Cognomento *Boni.*
2. *San-Maximinenſis.*) Vide *Notas* ad Conſtitutiones *III, IV &c. Bonifatii VIII Tomo II pag.* 40 *&c.*
3. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar, authenticum unum ex Autographo *San-Maximinenſi*, aliud typis editum in *Bullario San-Maximinenſi pag.* 24.

San-Ma-

Anno 1477 Die 10 Maii.

XCV.

San-Maximinenſe (1) Cœnobium variis privilegiis ornat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

BEatiſſime Pater. Exponitur B. V. pro parte devotiſſimi F. B. filii Renati Jeruſalem, & *Siciliç* Regis illuſtris, necnon Patrum Eccleſiç Conventus B. Mariç Magdalenç loci de Sancto Maximino, Ordinis Prędicatorum, Aquenſis Diçceſis, quod Corpus prçlibatç Sanctç Mariç cum maxima venuſtate, & decore in eadem Eccleſia reconditum exiſtit (3). & ad ipſius Eccleſiam, & Conventum devoti populi multitudo diverſarum partium ad laudem Dei, honoremque, & ob devotionem ejuſdem Sanctç affluit, & ut Conventus ipſius Sancti Maximini magis decoraretur, & Corpus hujuſmodi veneraretur, Unum Collegium tam in Artium Philoſophię, quam Decretorum & Theologię facultatibus, erexerat, & illud de tribus mille floreois monetç illarum partium cauſa ſtudii annis ſingulis in perpetuum dotaverat, quodque eidem Eccleſię ejuſdem B. Marię Magdalenę, & Conventui, nonnulia Privilegia, Indulgentias, prerogativas, indulta, exemptiones, & libertates per Romanos Pontifices S. V. Predeceſſores, atque Illuſtriſſimos Siciliç Reges, Predeceſſores ſuos, & fundatores eorundem Eccleſię, & Conventus, conceſſa fuere, & exinde ut divinus cultus in eadem Eccleſia magis augeretur, atque Eccleſia, & Conventus manutenerentur, ac perſonę, & Fratres eorundem pro tempore degentes, eorum vitam, & ſuſtentationem decentius ſupportare valerent, Prioratus &c. Aquenſis Diçceſis &c. eundem Prioratum ſupprimendo, & extinguendo, Eccleſię, & Conventui perpetuo auctoritate Apoſtolica unitus, annexus, & incorporatus extiterit, & in cujus poſſeſſione jam pluribus annis elapſis, prout, & Conventus prędictus in pacifica poſſeſſione fuerunt, prout ſunt de pręſenti, aliaque, & alias eiſdem Eccleſię & Conventui conceſſa, donata, delegata, facta, & ordinata fuiſſe, prout in diverſis literis Apoſtolicis, ac Inſtrumentis publicis deſuper confectis, & quorum tenores pręſentibus pro expreſſis habentur, plenius continetur. Cum autem, P. Sancte, ipſe Rex, qui ad profectum, & glorioſum ſtatum *Eccleſiarum*, & Conventuum hujuſmodi magnum gerit devotionis affectum, erectionem, & fundationem, & dotationem Collegii, necnon privilegia, indulgentias, atque uniones, annexiones, & incorporationes, poſſeſſioneſque, aſſecutiones, & quęcunque alia inde ſecuta, dubitet certis de cauſis, viribus non ſubſiſtere, optet illa validiori munimine validari, & debitis Apoſtolicę Sedis pręſidiis fulciri, & robur Apoſtolicę Sedis in pręmiſſis adjici; idcirco ſupplicat B. V. prędictus Rex, quatenus erectionem, fundationem, & dotationem Collegii, necnon omnia, & ſingula privilegia, exemptiones, libertates, atque indulgentias, & indulta per Romanos Pontifices, & Reges prędictos, ac uniones, annexiones, & incorporationes de dicto Prioratu, ſicut petitur, ſub quibusvis verborum formis factas, & conceſſas, & facta, & conceſſa, & quęcunque inde ſecuta rata habentes, & grata, illaſque, & illa ex veſtra certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica, confirmare, & approbare, omneſque & ſingulos defectus, ſi qui in pręmiſſis intervenerint, ſupplere, pro eorum, & cujuslibet ipſorum, ſubſiſtentia firmitatis robur Apoſtolicę ſedis adjicere, dignemini de gratia ſpeciali, Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, illa pręſertim qua cavetur quod petentes beneficia uniri teneantur exprimere verum valorem tam beneficii uniendi, quam illius cui unitur, & quod commiſſio in unionibus, & earum confirmationibus ſemper fiat ad partes, vocatis quorum intereſt, cui pro hac vice derogare etiam dignemini de gratia ſpeciali, ceteriſque in contrarium facientibus. Non obſtantibus quibuſcunque, cum clauſulis opportunis.

Fiat ut petitur F. (4).

Et cum confirmatione & approbatione pręmiſſis, & cum ſuppletione defectuum, & quod literę expediantur &c. ad perpetuam rei memoriam, & cum derogatione clauſulę ut petitur, & quod major, & verior ſpecificatio pręmiſſorum, cum confirmatione literarum Apoſtolicarum, quatenus opus ſit, fieri poſſit.

Fiat F.

Item exponit ipſe Rex: Cum Prior pro tempore exiſtens Conventus, & Eccleſię Prędicatorum S. Maximini Aquenſis Diçceſis curam animarum Parochianorum dicti loci ex conceſſione, & *privilegio* Apoſtolicis exerceri, & per unum Presbyterum ad nutum amovibilem, regi, & gubernari habeat, & ut Eccleſia ipſa magis decoretur; & animarum ſaluti eorundem Parochianorum ſalubrius conſulatur, cupiat, & afficiat ipſe Rex curam animarum prędictorum Parochianorum per aliquem ex Fratribus ejuſdem Conventus regi, & gubernari, ac eiſdem Parochianis Eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtrari; ſupplicat igitur V. B. ipſe Rex, quatenus ipſius votis & deſideriis annuentes, eiſdemque Fratribus modernis, & pro tempore exiſtentibus in eodem Conventu profeſſis, & profitendis ſubvenientibus Priori moderno & pro tempore, ut pręmittitur, exiſtentibus, ut curam hujuſmodi Parochianorum per unum ex Fratribus dictę Eccleſię per eundem Priorem eligendum, & ad nutum amovibilem, inſtituendum exerceri atque Eccleſiaſtica ſacramenta utriuſque ſexus Parochianis adminiſtrare, & infantes baptizare poſſit, & inſuper omnibus, & ſingulis Fratribus prędictis ejuſdem Conventus in eodem dumtaxat profeſſis, qui pro nunc ſunt, & pro tempore erunt, ut eorum vitam decentius ſuſtentare valeant, ipſos, & eorum quemlibet favoribus, & gratiis Sedis Apoſtolicę proſequendo, ſecum ut quilibet ipſorum Fratrum quamcunque Capellaniam in dicto Monaſterio fundatam, & dotatam, & extra eam in quibusvis Civitatibus, & Diçceſibus etiam ſi de jure Patronatus dicti Regis, vel laicorum fuerit, ſi ſibi alias canonice, & quacunque auctoritate conferatur, pręſentetur, vel aſſumatur ad illam, recipere, & quoad vixerit in quavis Eccleſia, cum clauſula promovendi, & commendę cedendi tamen retinere poſſit, & valeat; diſponere ac ipſos habilitare dignemini de gratia ſpeciali, conſtitutionibus

& or-

& ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque cum clauſulis opportunis.

Fiat ut petitur F.

Et cum diſpenſatione, & habilitatione pro præſentibus, & futuris Fratribus in dicto Conventu profeſſis, & pro tempore profeſſuris, & in perpetuum, & pro quolibet unam Capellaniam, etiamſi de Jure Patronatus dicti Regis, aut laicorum ſit, & cum Clauſula promovendi, & commendę cedendi tamen, & quoad vixerit, & cum abſolutione ad effectum præmiſſorum pro quolibet, & quod literę gratis ubique expediantur.

Fiat F.

Datum Romę apud S. Petrum Sexto Idus Maii, Anno Sexto.

1. *San-Maximinenſe.*) Conſulenda præcedens Conſtitutio.

2. *Archivo:*) In quo Exemplar. Legitur etiam in Bullario *San-Maximinenſi* typis *Pariſien.* edito anno *MDCLXVI* pag. 10.

3. *Reconditum exiſtit.*) Vide *Notam II* ad præcedens Diploma.

4. *F.*) *Franciſcus*, Sic ante Pontificatum vocabatur *Sixtus IV.*

De ampliando Murianenſi (1) Cœnobio.

Anno 1477 Die 13 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XCVI.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii S. Michaelis de Muriano, Torcellan. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Apoſtolicę ſervitutis officium Nobis licet immeritis &c. (3). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus Sancti Petri Martyris de Muriano, Ordinis Fratrum Prędicatorum Torcellan. Diœceſis, petitio continebat, quod ex eo, quis olim cauſantibus ſiniſtris eventibus Eccleſia dictę domus cum campanili, campanis, libris, choro, & reliquis ſuppellectilibus in ea exiſtentibus, miſerabiliter combuſta, & diruta extitit, Prior, & Fratres prędicti, opitulante Altiſſimo, ex eleemoſynis, & aliis piis fidelium largitionibus, Eccleſiam eandem, quę antea nimis parva erat, illam augendo, conſtruere, ſeu conſtrui facere cęperunt, pro qua conſtructione quędam domus, hoſpitalis S. Stephani nuncupata, etiam de Muriano dictę Diœceſis, in qua quatuor Mulieres pauperes partem victus ex ipſius Domus, hoſpitalis nuncupatę, fundatoris legato percipientes, habitare conſueverunt, prout de præſenti habitant, eidem Eccleſię contigua, cum quodam horto parvo, & modico cortili, dictę Eccleſię plurimum neceſſaria exiſtit, Quare pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum, aſſerentium, ſe in eadem domo S. Petri vitam ducere regularem, ut dictam domum, hoſpitale nuncupatam, quę per dilectos filios Plebanum, & Capitulum Eccleſię dicti S. Stephani etiam de Muriano, dictę Diœceſis, ac duos ſeculares procuratores gubernatur, illius hoſpitalitate penitus ſuppreſſa, & extincta, dataque prius per Priorem, & Fratres prefatos dictis Mulieribus pro domo, hoſpitali nuncupata, ac horto, & cortili prędictis, ſufficienti recompenſa, ex qua alia domus in qua Mulieres habitent, & hoſpitalitas hujuſmodi ſervetur, emi poſſit, ac fructibus, redditibus, & proventibus, ac aliis quibuſcunque prefatę Domus, hoſpitalis nuncupatę, utenſilibus, pro earundem Mulierum alibi moraturarum, victu remanentibus, cum horto, & cortili prędictis Eccleſię prefatę pro illa amplianda, & aliis domus S. Petri Fratrum hujuſmodi uſibus applicare, & appropriare, eiſdemque Fratribus perpetuo concedere, aliaſque in prȩmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, de prȩmiſſis certam notitiam non habentes, ac fundationis dictę domus, hoſpitalis nuncupatę, tenorem preſentibus pro expreſſis habere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, vocatis Plebano, & Capitulo, ac procuratoribus prefatis, & aliis, qui fuerint evocandi, de prȩmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi, ita eſſe repereris, data prius per Priorem, & Fratres prędictos dictis Mulieribus pro domo, hoſpitali nuncupata, ac horto, & cortili prędictis debita recompenſa, ex qua alia domus, in qua Mulieres habitent, & hoſpitalitas hujuſmodi ſervetur, emi poſſit, ac fructibus, redditibus, & proventibus, ac aliis utenſilibus domus, hoſpitalis nuncupatę, pro ipſarum Mulierum victu remanentibus, ita quod mulieres ipſę hoſpitalitatem in Domo, hoſpitali nuncupata, hujuſmodi ſervari ſolitam, in eadem emenda domo ſervent, ac Plebanus, & Capitulum, ac procuratores prędicti in illa eandem juriſdictionem exerceant, quam in Domo, hoſpitali nuncupata, hujuſmodi exercebant, domum, hoſpitale nuncupatam, hoſpitalitatem prędictam penitus ſupprimendo, cum horto, & cortili hujuſmodi duntaxat, prefatę Eccleſię applices, & appropries, ac Priori, & Fratribus prefatis pro Eccleſia amplianda, & aliis Fratrum domus Sancti Petri hujuſmodi uſibus, perpetuo concedas, & largiaris, ita, quod liceat Priori, & Fratribus prędictis, poſtquam eandem recompenſam dederint, ut prefertur, corporalem poſſeſſionem domus, hoſpitalis nuncupatę, ac horti, & cortilis prędictorum, propria auctoritate libere apprehendere, ac domum, hoſpitale nuncupatam, cum horto, & cortili hujuſmodi perpetuo retinere, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ipſius domus, hoſpitalis nuncupatę, fundatione, illius fundatoris voluntate, quibus, illarum qualitates, & conditiones pro expreſſis habentes, quoad prȩmiſſa duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ac dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, Nos enim ex nunc irritum, & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his a quoquam qua-

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Septimo, Idibus Junii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Murianen.*) Inter Adriatica ſtagna ad Venetias.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CX fol.* 225.
3. *Immeritis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris *Exordiis*.

Anno 1477 Die 17 Julii.

De quadam fundatione facta in Monaſterio Altentenſi (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XCVII. Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

A Supremo Patre familias &c. (3). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Sanctorum Petri & Pauli in Altem hohenado (4), Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum, Salzeburgen. (5) Dięceſis, petitio continebat, quod alias quondam Mageus laicus, & Hedinga ejus Uxor, tunc in humanis agentes, terrena in cęleſtia felici commercio commutantes, pro ipſorum animarum ſalute quandam Capellam ſub vocabulo Sanctorum Felicis, & Addati (6) in ambitu, ſeu clauſtro dicti Monaſterii erexerunt, & ędificarunt, ac pro illius dote nonnulla bona immobilia, ad ipſos pertinentia, quorum fructus, redditus, & proventus quadraginta florenorum Rhenen. ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, donarunt, & voluerunt, ac ordinaverunt, quod Prioriſſa, & Conventus prędicti ſuis ſumptibus, & expenſis unum Presbyterum ſecularem, vel regularem, qui in eadem Capella omni die Miſſam celebret, ac lumen, ſeu unam lampadem ardentem die noctuque in eadem Capella tenere, quodque omnes de progenie Principum Bavarię, ac ipſius Magei deſcendentes ad quandam Confraternitatem, quę in Eccleſia ipſius Monaſterii fundata exiſtit, admittere, ac de ipſorum animabus in Capitulis, quę per Prioriſſam, & Conventum prędictos celebrantur, commemorationem, necnon ſingulis quatuor temporibus, vigilias mortuorum, & unam Miſſam pro defunctis celebrari, octoque ex tunc immediate ſequentibus diebus ipſius Monaſterii Moniales, videlicet unaquęque illarum, etiam pro tempore exiſtentes, & Presbyter dictę Capellę, ſeptem pſalmos pęnitentiales cum litaniis, ac vigiliis mortuorum dicere, & recitare, ac Moniales prędictę duo Anniverſaria, videlicet in ſero cantare vigilias, & ſequenti mane tres Miſſas pro Magei, & Hedingę prędictorum animabus celebrari, ac quęlibet Monaſterii hujuſmodi dies ſequentibus, etiam ſeptem pſalmos pęnitentiales cum litaniis, & vigiliis mortuorum, perpetuis temporibus legere, & recitare, quodque in dictis Anniverſariis refectionem, ſeu eleemoſynam de pane, caſeo, ſeu leguminibus juxta morem patrię, dare, &, ſi Monaſterii Moniales hujuſmodi eſſent indoctę, tot vicibus orationem dominicalem dicere tenerentur, quod per earum Superiorem eis impoſitum eſſet, prout in quibuſdam literis, ſeu Inſtrumento publico, deſuper confecto, dicitur plenius contineri, cum autem, ſicut petitio ſubjungebat, tempore quo Mageus, & Hedinga prędicti bona hujuſmodi pręfato Monaſterio donarunt, ac voluerunt, Prioriſſam, & Moniales prędictas ad dicta onera teneri, in eodem Monaſterio regularis obſervantia, prout de pręſenti ſtrenuiſſime viget, non vigeret, ac Prioriſſę, Conventui, & Monialibus prędictis ipſa onera pro quorum implemento bona donata hujuſmodi, nec pro medietate ſufficiunt, adimplere, valde oneroſum ſit, pro parte Prioriſſę, & Conventus prędictarum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus eis, ut Presbyterum in dicta Capella pro Miſſa inibi celebranda, ac lumen, ſeu lampadem tenendo, & de progenie Principum Bavarię, ac teſtatoris deſcendentes ad Confraternitatem hujuſmodi recipiendo, & admittendo, ac pro illorum animabus commemorationem, ſemel quoque in anno pro teſtatore, & uxore prędictis anniverſarium abſque refectione ſeu eleemoſyna dictis pauperibus largienda in ſero cum vigiliis mortuorum, & mane ſequenti cum Miſſa pro defunctis decantari faciendo, ad illa onera prędicta minime teneantur, nec ad id prę miſſorum occaſione invitę compelli poſſint perpetuo, concedere, aliaſque in prę miſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, ſupplicationibus inclinati, Prioriſſę, & Monialibus pro tempore exiſtentibus, ac Conventui Monaſterii hujuſmodi, ut *Presbyterum* ſecularem, vel regularem in dicta Capella pro Miſſa celebranda, ac lumen, ſeu lampadem, ut prę fertur, tenendo, ac de progenie Principum Bavarię, ac teſtatoris decendentes ad Confraternitatem hujuſmodi recipiendo, & admittendo, ac pro illorum animabus commemorationem, ſemel quoque in anno pro teſtatore, & uxore prędictis anniverſarium abſque refectione, ſeu eleemoſyna dictis pauperibus largienda in ſero, cum vigiliis mortuorum, & in mane ſequenti Miſſam pro defunctis decantari faciendo, quoad alia onera prędicta minime teneantur, ac ad id prę miſſorum occaſione invitę compelli non poſſint auctoritate Apoſtolica tenore prę ſentium concedimus, & indulgemus, ac eas ad illa onera hujuſmodi minime teneri, decernimus, & declaramus. Non obſtantibus voluntate, & ordinatione prę miſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque, & conſuetudinibus Monaſterii, & Ordinis prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis, Indulti, conſtitutionis, & declarationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Septimo, Sexto decimo Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Diplomatis cauſa.

Nota.

Mandatum.

1. *Altentenſi.*) Seu *Altenhocheonenſi*, vulgo *Altenbochenau*, in *Bavaria*. Juris eſt Provincialis *Saxoniæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXI fol.* 265.
3. *Patre familias &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Altem hohenado.*) *Altenhochenau.*

5. Sal-

5. *Salzeburgen.) Saliſburgen., vulgo Salzburg, in Bavaria.*

6. *Addati,) Adaucti. Adeat Baronium in Notis ad Martyrologium Romanum ad XXX Auguſti.*

Miraculum (1) refert, quod inſtituendæ feſtivitatis Corporis Chriſti dedit occaſionem. S. Thomam (2) de Aquino proprium ejuſdem ſolemnitatis officium compoſuiſſe (3) narrat, & Indulgentias impertitur viſitantibus ædes Sacras Urbevetan. Anno 1477 Die 23 Julii.

Ex Archivo (4) *Ordinis.*

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XCVIII.

SAlvator noſter, Dei Patris Filius unigenitus Jeſus Chriſtus, qui pro univerſorum ſalute fidelium carnem ſumere, & Crucem ſubire non abnuit, Nobis, qui, meritis licet inſufficientibus, ejus vices in terris gerimus, exemplum laudabile præbuit imitandum, ut ſicut ipſe Redemptor noſter ſui ſacratiſſimi Sanguinis aſperſione humano generi, primi parentis lapſu perpetua morte damnato, ſalutem promeruit æternam, ita & Nos ſui theſauri ſaluriferi, noſtræ cuſtodiæ cælitus commiſſi, Indulgentiarum videlicet, ac remiſſionum diſpenſatione, oves ſui gregis, hoſtis antiqui verſutia a ſemitia mandatorum deviantes, & peccatorum mole oppreſſas, ad caulam Beatitudinis ſuæ reducamus, quod facere proculdubio non ambigimus, dum fideles quoslibet ad porrigendum opportuna auxilia, Eccleſiarum, præſertim Cathedralium inſignium, fabricis, eiſdem Indulgentiis, & remiſſionibus ſalubriter invitamus, ut quæ propriis meritis attingere non valent, his ſaltem ſuffragiis adjuti, largiente divina pietate, conſequi mereantur. Exordium. Sane, licet Cathedralis Eccleſia Civitatis noſtræ Urbevetan., quam felicis recordationis Nicolaus Papa IV Prædeceſſor noſter zelo devotionis accenſus, ſub vocabulo Glorioſiſſimæ Dei Genitricis Mariæ Virginis, etiam primarium benedicendo, & ponendo lapidem, ſpectabili ſtructura marmorea ædificare incepit, ac quibuſdam Indulgentiis ad perpetuam rei memoriam decoravit, & in qua digne conſervari perhibetur memorabile, ac venerandum illud Sacratiſſimi Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti miraculum, quod dudum tempore Beatæ memoriæ Urbani Papæ IV, etiam Prædeceſſoris noſtri, tunc in dicta Civitate cum ſua Curia reſidentis, contigiſſe recitatur, ex quodam Presbytero, dum de veritate Sacramenti Euchariſtiæ variis cogitationibus ſe occuparet, & ob id Apoſtolorum limina viſitare inſtituiſſet, ac die quadam in Eccleſia Sanctæ Chriſtinæ apud oppidum Bulſenum (5), Urbevetan. (6) Diœceſis, Miſſam celebraret, in cujus manibus per eum altiſſimo (7) Sacratiſſima Hoſtia, circa fractionem ejus in Sanguinem illico fuit converſa, & effuſa ſuper Corporale, in quo etiam hodie per viginti plicas (8) diſtinctas imago Redemptoris, & Domini noſtri Jeſu Chriſti Sanguine perfuſa cunctis cernentibus evidenter apparet, quod Corporale cum hujuſmodi hoſtia Urbanus Prædeceſſor præfatus ex dicta Civitate cum tota ejus inibi Curia ſolemniter veniens uſque ad pontem rivi clari e manibus tunc Epiſcopi Urbevetan. illud de Eccleſia Sanctæ Chriſtinæ prædicta reverenter deferentis devotiſſime accepit, & in dicta Eccleſia Urbevetan. poſuit, ubi hodie in magno, & inſigni auri, & argenti tabernaculo, ſingulari ingenio, maximaque arte compoſito, ſub diligenti cuſtodia honorabiliter reconditum habetur, ac in cujus ſolemnitatem, & venerandam inde memoriam idem Urbanus Prædeceſſor ſtatuit feſtum tam gloriosiſſimi Sacramenti annis ſingulis, & temporibus perpetuis Quinta feria poſt Octavas Pentecoſtes a cunctis fidelibus ubique ſolemniter celebrari, propriumque ejuſdem ſolemnitatis Officium per Beatum Thomam de Aquino, tunc in ipſa Curia exiſtentem compoſitum, edidit, ſucceſſivis temporibus eleganti, ac ſumptuoſo opere ex piis Chriſti fidelium illarum partium eleemoſynis in magna parte perfecta, ac inter alias Italiæ Eccleſias ſpectabilis, & decora habeatur, tamen propter inopiam fabricæ ipſius Eccleſiæ, diverſaſque jacturas, & damna, quibus Civitas illa ex differentiis, & turbationibus, quæ aliquoties ibidem, proh dolor! viguerunt, fatigata fuit, ex proventibus dictæ fabricæ, & eleemoſynis hujuſmodi propter præmiſſa plurimum diminutis, opus ejuſdem fabricæ ad optatum effectum perduci nondum poteſt, neque potuit, ſed ad hoc, & alias ipſius fabricæ neceſſitates ſublevandas pia Chriſti fidelium ſuffragia ſunt quamplurimum opportuna. Miraculum refert. Nota. Nos itaque, præmiſſa paterno recenſentes affectu, ac propterea cupientes, ut fabrica prædicta facilius perficiatur, & compleatur, ac Eccleſia perfecta in ſuis ſtructuris, & ædificiis jam cæptis conſervetur, reſtauretur, ac manuteneatur, necnon calicibus, libris, paramentis, & aliis eccleſiaſticis ornamentis decenter decoretur, ipſaque Eccleſia per amplius congruis frequenter honoribus, & in jugem memoriam tam venerabilis Sacramenti Chriſti fideles, devotionis cauſa libentius confluant ad eandem, ac ad ipſius perfectionem, & complementum, necnon ædificiorum, & ſtructurarum hujuſmodi conſervationem, & reſtaurationem, ac librorum, calicum, paramentorum, & aliorum ornamentorum emptionem, & proviſionem faciendam, eo promptius manus porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cæleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis; qui a primis veſperis vigiliæ feſtivitatis ejuſdem ſacratiſſimi Corporis Chriſti feria Quinta poſt Octavas Pentecoſtes, uſque, & per totam diem ſequentis diei feſtivitatis ejuſdem, dictam Eccleſiam devote viſitaverint, & ad illius fabricam prædictam, necnon ſtructurarum, & ædificiorum hujuſmodi complementum, reſtaurationem, & conſervationem, & calicum quoque, & librorum, ac aliorum ornamentorum eccleſiaſticorum acquiſitionem, & augmentum manus porrexerint adjutrices, plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, & Indulgentiam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, ex certa noſtra ſcientia mi- Indulgentia.

miſericorditer elargimur. Et ut Chriſti fideles, ipſi, ad eandem pro conſequendis hujuſmodi Indulgentiis, & remiſſionibus confluenter, & undecunque venientes, conſcientię pacem, & animarum ſalutem, Deo propitio, eo facilius, & efficacius conſequantur, quo purgatis eorum cordibus ad illa ſuſcipiendas munere ſpiritualis gratię aptiores reddentur, venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Urbeveſan., Presbyteros idoneos, ſeculares, & cujuſvis Ordinis regulares tot, quot neceſſarii fuerint, in dicta Eccleſia deputandi, ipſiſque ſic deputatis, quorumcunque dictam Eccleſiam cauſa Indulgentię hujuſmodi conſequendę viſitantium confeſſiones per duos antecedentes, & totidem conſequentes feſtivitatem prędictam immediate dies, audiendi, illiſque per eos diligenter auditis, ſingulis vere pęnitentibus, & confeſſis ab omnibus, & ſingulis criminibus, exceſſibus, delictis, & peccatis aliis, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, in ſingulis, non tamen Sedi Apoſtolicę reſervatis, caſibus debitę abſolutionis beneficium in forma Eccleſię conſueta auctoritate noſtra impendendi, ac pęnitentiam injungendi, plenam, & liberam, harum ſerie eiſdem ſclentia, & auctoritate concedimus facultatem. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Septimo, Decimo Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Miraculum.*) Conſulendi *Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCLXIV num. III &c. Odoricus Raynaldus ad eundem annum num. XXVI &c. Johannes Dieſtemius Blerus in Commentario de Inſtitutione Corporis Chriſti Art. VIII*, aliique paſſim.

2. *S. Thomam.*) Ordinis Prædicatorum decus.

3. *Compoſuiſſe.*) Quod iſtud Officium ſit genuinus fœtus Angelici Doctoris, in confeſſo eſt apud omnes. Licet enim *Papebrochius in Actis Sanctorum Menſis Aprilis* id in dubium vocaverit, in *Propylæo* tamen *Menſis Maii pag. 52 Partis II Conatus Chronico-Hiſtorici ad Catalogum Pontificum Diſſertat. XXIII*, & priorem revocavit opinionem, & auctori ſuo, *S. Thomæ* ſcilicet, illud Officium vindicavit. *Ecce*, inquit *Papebrochius* pag. 53, *citius, & plus quam ſperarunt ultro præſto, in eorundem* (Fratrum Prædicatorum) *ſententiam totus tranſiens, & paratus ſimilem ſatisfactionem quibuſcunque aliis dare, ſicut jam pluribus caſibus dedi, quando pro iis viderim veritatem ſtare. Contra hanc nihil nec poſſum, nec volo. Hanc quiſquis ad cauſam non attulerit, multiplicatis quantumvis libellis Schediſque famoſis efficiet nihil, niſi ut tacitus compatiar incaſſum ſe torquenti. & cauſam pro qua pugnat ex mala pejorem facienti.* Hæc vir Clariſſimus, qui veritati ſtudens, ipſi conceſſit, ſimul atque legit Diſſertationem, quam *Natalis* noſter *Alexandre* Doctor *Sorbonicus* hac de re ſcripſerat contra ipſum. Validiſſimis argumentis, quibus in rem noſtram uterque utitur, ſuperſedeo. Sed notandum quod neuter novit præſens Diploma.

4. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononienſi pag. 46.*

5. *Bulſenum.*) Aliis *Bolſenam*, ut apud *Johannem Dieſtemium Blerum* ſupra laudatum, cujus hæc verba: *Sacerdos veniens Bolſenam, quod eſt oppidum non longe diſtans ab Urbeveteri, in qua Papa Urbanus IV tunc cum Curia Romana reſidebat, dum celebraret Miſſam, inter verba Conſecrationis dubius in fide, vidit carneis oculis Hoſtiam in forma pietatis, & de ea Sanguinem fluere in Calice. Quo territus, dum conaretur occultare*, & cooperire de *Corporali, apparuit mox forma pietatis in ſingulis partibus Corporalis; & ita coactus eſt populo aſſiſtenti miraculum patefacere. Quod ubi populus comperit, ad Urbemveterem properans, Summo Pontifici mirabilia, & ſtupenda, quæ viderat nunciavit. Stupente autem Curia, per Summum Pontificem, qui necdum oblivioni tradiderat, quæ in Leodio approbaverat, dum adhuc apud S. Lambertum reſideret, interveniente conſilio, & aſſenſu Dominorum Cardinalium, deliberatum eſt, quod Feſtum Corporis Chriſti per univerſam Eccleſiam ſemel in anno ſolemniter Feria V poſt Octavas Pentecoſtes in toto terrarum orbe celebraretur, & vocato B. Thoma de Aquino, qui tum præſens aderat, præceptum fuit, ut Officium de tali feſto ſecundum uſum omnium Eccleſiarum componeret. Thomas autem, divinarum armarium ſcripturarum, cujus mentem obedientiæ, & omnium virtutum decor colluſtraverat, præceptum hoc libenter, breviter, atque Inſigniter complevit: in cujus rei teſtimonium in foribus Eccleſiæ Bolſenæ depictum eſt miraculum Sacerdotis celebrantis* (ſcribebat Johannes iſte XV ſeculo) *Depictus etiam eſt B. Thomas ſedens; & ſcribens tanquam Doctor in Cathedra, circumſtante Curia, depictus eſt inſuper Crucifixus alloquens B. Thomam, coram ſe ſuper genua adorantem, & dicens Bene ſcripſiſti de me Thoma.* Hæc ille Ordinis *S. Benedicti* alumnus. *S. Antoninus* autem *Florentinus* Archiepiſcopus id apud *Vulſinium* contigiſſe narrat *III Parte Chronicorum Tit. XIX Cap. XIII §. 1*, ubi hæc habet: *Tunc cum Curia reſidebat Urbanus in Urbeveteri, ubi in loco non multum diſtanti apud Vulſinium, in quadam Eccleſia, Sacerdote celebrante, miraculum factum eſt ex ipſo Sacramento &c.* Ut autem concilientur ſcriptores iſti, notandum, quod oppidum vulgo *Bolſena*, & *Bolſeno* nuncupatum, latine dicitur *Volſinium*, & *Vulſinium*.

6. *Urbevetan.*) Vulgo *Orvieto*.

7. *Altiſſimo.*) *Aſſumpta*.

8. *Per viginti plicas.*) Quid hoc ſignificat intelligimus ex *S. Antonino* mox laudato. *Sacerdos ad occultandum defectum ſuæ negligentiæ cooperuit partem Corporalis pluribus plicis hoc faciens. Sed reperta eſt per omnes plicas illas tranſiſſe, & reliquiſſe ibi rubeam admodum ſanguinis formam Hoſtiæ in pluribus partibus Corporalis. Quod quidem Corporale ad perpetuam rei memoriam in Eccleſia Cathedrali Urbisveteris pro Reliquiis reſervatum eſt; & aliquando populo oſtenditur cum magna veneratione.*

De variis privilegiis San-Maximinenſi (1) Cœnobio conceſſis.

Anno 1477
Die 1 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XCIX.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium à laude S. Mariæ Magdalenæ.

ETſi Eccleſię, & loca eccleſiaſtica univerſa ſub Sanctorum, Sanctarumque vocabulis inſtituta, ſint a Chriſti fidelibus debita veneratione colenda, illa tamen, quę ſub Beatę Marię Magdalenę invocatione conſtructa ſunt, eo a fidelibus ipſis ferventiori devotionis amplitudine frequentanda cenſemus, quo ipſa, quę dominicos pedes ſuarum perfuſione lacrymarum abluere, & propriis capillis abſtergere meruit, reconciliationis Creatori ſuo per dignam fructuoſamque pęnitentiam efficacius peccatoribus exemplar extitit. Qua propter Eccleſias, & loca, quę ad illius honorem dedicata fore conſpicimus, Indulgentiis, & remiſſionibus peccatorum libenter decoramus, ut, ſicut ipſa Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſuper omnia diligendo ſuorum obtinuit veniam delictorum, ita fideles prędicti, loca hujuſmodi viſitando, & pro eorum fabricis, ac aliis neceſſitatibus ſublevandis, opportuna auxilia impendendo, ejus ſalutifera interceſſione, ab eorum peccatorum nexibus abſoluti pręmia

Regis Renati Supplex petitio.

conſequi mereantur felicitatis ęternę. Sane ſicut pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Renati (3) Regis Sicilię illuſtris, fuit Nobis nuper expoſitum, ejus olim Prędeceſſores, & pręſertim Carolus Se-

Secundus Siciliç Rex, ad ipſam B. Mariam Magdalenam ſingulari devotione conjuncti, ad Omnipotentis Dei laudem, & gloriam ſub vocabulo, & denominatione ejuſdem B. Mariç in loco de Sancto Maximino, Aquenſis Diçceſis, Domum pro habitatione quorundam Fratrum Ordinis Prçdicatorum cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, & aliis congruis officinis, non tam magno, quam miro, ſumptuoſoque opere, conſtrui, & çdificari fecerunt, ad quam quidem Eccleſiam, cum in illa Corpus ejuſdem Beatç Mariç Magdalenç honorifice, & reverenter cuſtodiatur (4), divinaque ibidem officia diurna pariter, & nocturna, aſſidueque, maximaque cum devotione per Fratres dicti Ordinis celebrentur, magna ex diverſis mundi partibus, devotionis cauſa, ac etiam propter crebra, & ingentia miracula, quç ad interceſſionem ipſius B. Mariç Magdalenç Altiſſimus inibi ſçpe numero oſtendit, confluere conſuevit, ut pie creditur, plenariam Indulgentiam viſitantibus dictam Eccleſiam tempore paſchali, & prçcipue Dominica (5) prima poſt Octavas Paſchç ab olim fuiſſe conceſſam: Renatus etiam Rex prçdictus ob ſingularem devotionis affectum, quem ad B. Mariam Magdalenam, ac Ordinem, & Domum prçdictos continue geſſit, & de prçſenti gerit, cupiens Religionem dilatari, ac orthodoxam fidem exaltari, & ut infidelibus illius propugnatoribus reſiſti valeat, muro bellatorum inexpugnabili circumvallari, nuper in dicta domo pro Fratrum dicti Ordinis in Artibus, Philoſophia, & Theologia, & Decretis ſtudere, & legere volentibus, quoddam inſigne Collegium ad honorem prçdictç Beatç Mariç Magdalenç conſtrui, & çdificari fecit (6), illudque de ſumma trium millium florenorum monetç illarum partium dotavit, & propterea, tam pro receptatione, & habitatione dictorum Fratrum legentium, & ſtudentium, quam etiam capacitate fidelium, ad dictam Eccleſiam pro tempore accedentium, Eccleſia, & Domus prçdictç, illiuſque habitationes, quç admodum anguſtç, & incapaces ſunt, majori loci ſpatio opus eſſet, & licet dudum prçfatus Carolus Rex, ſub cujus Dominio Civitas Nicienſis (7) tunc erat, pro complemento ejuſdem operis, ac ſubventione Fratrum in dicta domo pro tempore commorantium, duo Millia librarum monetç illarum partium ſuper introitibus Gabellarum dictç Civitatis annis ſingulis ſolvendarum deputaſſet, & inſtituiſſet, tamen quia poſtmodum dicta civitas Nicienſis in aliarum perſonarum Dominium tranſlata fuit (8), domus prçdicta eiſdem duobus millibus librarum prorſus fruſtrata fuit, unde Prior, & Fratres dictç Domus, qui pro tempore fuerunt, complemento incepti operis intendere, nec illud perficere potuerunt, de ejus perfectione nullatenus ſperantes, niſi ex piis fidelium eleemoſynis, & ſuffragiis ſuper hoc ſuccurratur. Nos, vota dicti Renati ulnis caritatis amplectentes, ac cupientes, ut opus prçdictum optatum recipiat complementum, Eccleſiaque, & domus prçdicta pro plurium capacitate perſonarum amplientur, ac illa, & prçfatum Collegium conſerventur, augeantur, & manuteneantur, necnon fideles prçdicti eo libentius devotionis cauſa, tam ad dictam Eccleſiam, quam etiam ad Eccleſiam Domus Balmç (9) ejuſdem Ordinis, Maſſilienſis Diçceſis, in qua dicta B. Maria Magdalena ſalutarem pçnitentiam egiſſe perhibetur, confluant, & ad complementum, & ampliationem, conſervationem, augmentum, & manutentionem prçdicta, manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cçleſtis gratiç uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, necnon de Apoſtolicç poteſtatis plenitudine omnibus, & ſingulis fidelibus prçfatis utriuſque ſexus, vere pçnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſias prçdictas, ſeu earum alteram, prçfata die Dominica poſt dictas octavas a primis veſperis uſque ad ſecundas veſperas ejuſdem Dominicç, etiam ſemel tantum, devote viſitaverint, & ad complementum, ampliationem, conſervationem, augmentum, & manutentionem prçdicta de bonis ſibi a Deo collatis, juxta eorum diſcretionem, erogaverint, vel qui ſenio impotentes, aut infirmitate detenti, vel alias impediti, Eccleſias prçdictas, ſeu earum alteram prçmiſſo tempore viſitare perſonaliter non potuerint, de bonis ſuis, ſimiliter juxta eorum diſcretionem, per alios pro prçmiſſis tranſmiſerint, aut ad opus prçdictum per unum, duos, vel tres dies, prout eis placuerit, perſonaliter laboraverint, vel eorum expenſis, per alios laborari fecerint, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem auctoritate Apoſtolica tenore prçſentium concedimus, & elargimur. Et inſuper ut fideles prçdicti ad eaſdem Eccleſias, vel earum alteram cauſa hujuſmodi remiſſionis, & Indulgentiç conſequendarum, prçdicta die pro tempore accedentes, earundem remiſſionis, & Indulgentiç capaces facilius effici poſſint, Priori pro tempore exiſtenti dictç Domus de Sancto Maximino, deputandi auctoritate Apoſtolica, tot confeſſores idoneos ſeculares, vel Ordinum quorumcunque regulares, quot ſibi neceſſarii videbuntur; qui die prçfata fidelium eorundem in prçdictis Eccleſiis, & domibus, ac earum ambitibus Confeſſiones audire, illiſque auditis ipſos, & eorum quemlibet ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis quantumcunque enormibus, niſi talia fuerint, propter quç Sedes Apoſtolica, ex quavis cauſa ſpecialiter, & generaliter eſſet merito conſulenda abſolvere, & eis pçnitentiam ſalutarem injungere valeant, plenam, & liberam eiſdem auctoritate, & tenore poteſtatem concedimus, & etiam facultatem. Prçſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, & auctoritate prçdicta decernimus, quod prçſentium literarum tranſumpto manu publici notarii ſubſcripto, & ſigillo alicujus Epiſcopalis, aut alterius ſuperioris eccleſiaſticç curiç ſigillato, ubique fides adhibeatur, & illi ſtetur in omnibus, & per omnia, ſicuti eiſdem prçſentibus ſtaretur, ſi forent originaliter exhibitç, vel oſtenſç. Datum Romç apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicç Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Septimo, Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Collegium apud S. Maximinum fundatum.

Concessio.

L. Griſus.

1. *San-Maximinenſ.*) Conſulendæ Conſtitutiones *XCIV*, & *XCV* mox tranſcriptæ.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Autographum eſt in Cœnobio *San-Maximinenſi*. Legitur in ejuſdem Cœnobii *Bullario* typis *Pariſien.* edito anno *MDCLXVI* pag. 26.
3. *Renati.*) *Andegavenſis*, cognomento *Boni*.

4. *Cuſ-*

4. *Cuſtodiatur.*) Vide *Notam III* ad Conſtitutionem *III Bonifatii VIII*. Legitur *Tomo II pag.* 40.

5. *Dominica.*) Qua Feſtum Tranſlationis, ſeu Inventionis *S. Mariæ Magdalenæ* celebratur.

6. *Fecit.*) Legenda *Conſtitutio XCV*.

7. *Nicienſis.*) In *Gallo-Provincia*.

8. *Tranſlata fuit.*) Juris eſt Ducis *Sabaudiæ*, nunc *Sardiniæ* Regis.

9. *Balmæ.*) Novem circiter Milliaribus diſtat ab Urbe *San-Maximinenſi*.

Anno 1477 Die 16 Auguſti.

De reficiendo Urbevetano (1) Cœnobio.

Ex Archivo (2) Ordinis.

C.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Antonio Pagni, & Innocentio Cole Canonicis Eccleſię Urbevetan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. EX debito paſtoralis officii Nobis, quamvis immeritis, ſuperna diſpoſitione commiſſi, ad ea libenter intendimus, per quę Eccleſiarum, & religioſorum locorum quorunlibet, pręſertim ob temporum calamitatem ruinę ſubjectorum, neceſſitatibus provideri valeat, &, ne totalem deſolationem patiantur, quantum cum Deo poſſumus, opportuna remedia ſalubriter adhibemus. Dudum ſiquidem a felicis recordationis Paulo Papa II, Prędeceſſore noſtro, literę emanarunt tenoris ſubſequentis. Tenor Conſtitutionis Pauli II. Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Cum in omnibus judiciis ſit rectitudo juſtitię, & conſcientię puritas obſervanda, id multo magis in commiſſionibus alienationum rerum Eccleſiaſticarum convenit obſervari, in quibus de Chriſti patrimonio, & diſpenſatione pauperum, non de proprio cujuſque peculio agitur, aut tractatur. Quapropter oportet, ut in examinandis hujuſmodi alienationum cauſis, quę a Sede Apoſtolica in forma, ſi in evidentem utilitatem cedant, oneratis Eccleſiaſticorum judicium conſcientiis, delegantur, nihil favor uſurpet, nihil timor extorqueat, nulla expectatio pręmii juſtitiam, conſcientiamque ſubvertat. Monemus igitur, & ſub interminatione divini judicii omnibus commiſſariis, & delegatis hujuſmodi diſtricte pręcipimus, ut caute, & diligenter attendant cauſas in literis Apoſtolicis per ſupplicantes expreſſas, illaſque ſollicite examinent, atque diſcutiant, Teſtes, & probationes ſuper narratorum veritate recipiant, & ſolum Deum prę oculis habentes, omni timore, aut favore depoſito, Eccleſiarum indemnitatibus, conſulant, nec in lęſionem, aut detrimentum earum Decretum quomodolibet interponant. Si quis autem Commiſſarius, aut Delegatus, conſcientię ſuę prodigus, in gravamen, aut detrimentum Eccleſię per gratiam, timorem, vel ſordes, alienationi conſenſerit, aut Decretum, vel auctoritatem interpoſuerit, inferior quidem Epiſcopo ſententiam excommunicationis incurrat, Epiſcopus vero, aut ſuperior ab executione officii per annum noverit ſe ſuſpenſum, ad extimationem detrimenti Eccleſię illati nihilominus condemnandus; ſciturus quod ſi ſuſpenſione durante damnabiliter ingeſſerit ſe in divinis, irregularitatis laqueo ſe involvet, a quo nonniſi per Summum Pontificem poterit liberari. Is vero, qui dolo, vel fraude, aut ſcienter, in detrimentum Eccleſiarum, alienationem fieri procuraverit, aut per ſordes, vel impreſſionem, alienationis decretum extorſerit, ſimilem ſententiam excommunicationis incurrat, a qua nonniſi per Romanum Pontificem abſolvi poſſit, ad reſtitutionem nihilominus rerum alienatarum cum fructibus, quandocunque de pręmiſſis conſtiterit, condemnandus. Volumus autem, quod Delegati, & commiſſarii prędicti de pęnis Conſtitutionis noſtrę ſpecifice moneantur, & in quibuſcunque literis commiſſionum hujuſmodi, hoc ſtatutum noſtrum inſeratur: Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę monitionis, pręcepti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Quinto, Quinto Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Primo..... Et deinde pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus Sancti Dominici Urbevetan., Ordinis Prędicatorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, Diplomatis cauſa. quod quędam Domus, Palatium nuncupata, ſita in Parrochia Parrochialis Eccleſię Sancti Leonardi Urbevetan., quę ſimul cum nonnullis aliis bonis immobilibus per quendam teſtatorem in ejus teſtamento, a tanto tempore de cujus initio memoria hominum non exiſtit, eidem Domui Sancti Dominici, relicta fuit, ea conditione, quod Fratres dictę Domus Sancti Dominici in dicta relicta Domo, hoſpitalitatem perpetuo ſervare tenerentur, cauſantibus adverſitatibus temporum, ac etiam incuria administratorum dictę Domus, qui pro tempore fuerunt, jam partim corruit, & partim ruinam minatur adeo, quod niſi ſuper hoc opportune provideatur, efficietur penitus inutilis, & tam propter pręmiſſa, quam etiam dictorum Prioris, & Fratrum inopiam jamdudum in ea nulla, vel modica hoſpitalitas ſervata fuit, prout de pręſenti minime ſervatur, ac a paucis annis citra magna pars tectorum Eccleſię dictę Domus Sancti Dominici, illiuſque dormitorii etiam corruit, reliqua ſimiliter de proximo ruitura, & iis neceſſitatibus dicti Prior, & Fratres providere non poſſunt, imo Domum ipſam Sancti Dominici relinquere cogentur, niſi eis de opportuno remedio ſuccurratur. Verum ſi dicta relicta Domus pro convenienti pretio venderetur, & pretium ipſum in reparationem Eccleſię, dormitorii, & domus Sancti Dominici prędictorum converteretur, profecto ex hoc neceſſitatibus ipſius domus Sancti Dominici non parum conſuleretur, idque in illius evidentem utilitatem cederet. Quare pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis domum relictam prędictam vendendi, & illius pretium in reparationem prędictam convertendi licentiam concedere, ac alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, ac dictę relictę Domus confines, & deſignationes, pręſentibus pro expreſſis haberi volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Mandatum. Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus conjunctim, ſervata forma literarum pręinſertarum, de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra vos diligenter infor-

Digitized by Google

informetis, &, ſi per informationem hujuſmodi, venditionem, & ex pretio dictę relictę domus faciendam reparationem hujuſmodi in evidentem utilitatem dictę domus Sancti Dominici cedere repereritis, Priori, & Fratribus prefatis Domum ipſam relictam vendendi, & pretium prędictum in reparationem eandem convertendi, licentiam eadem auctoritate concedatis, ipſoſque ab onere hoſpitalitatis hujuſmodi perpetuo liberetis. Non obſtantibus voluntate dicti teſtatoris, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod ſi venditionem hujuſmodi, vigore pręſentium fieri contigerit, pretium prędictum apud aliquam ędem ſacram, aut perſonam fide, & facultatibus idoneam deponatur in reparationem prędictam, & non in alios uſus omnino convertendum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Septimo, Decimo ſeptimo Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

E
V
X
X
X
X
F. de Simo.

L. Grifus.

I. de Calata.

Sinolfus.

A tergo legitur.
Regiſtrata apud me L. Grifum.

1. *Urbevetan.*) In Hetruria ditionis Pontificiæ.

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.

B. Mariæ Zamorenſe (1) Monaſterium mittatur in eorum poſſeſſionem, quæ cuidam Moniali venerant hæreditario jure (2).

Anno 1477 Die 21 Augusti.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

CI.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Beatę Marię de Prado extra, & Sancti Benedicti, per Priores gubernari ſolitorum Monaſteriorum, ac ſecularis, & Collegiatę Eccleſię ejuſdem B. Marię intra muros Vallisoleti, Palentin. Dięceſis, Prioribus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HUmilibus &c. (4). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Beatę Marię de las Duenas, per Prioriſſam gubernari ſoliti, extra muros Zamoren., Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Prędicatorum viventium, petitio continebat, quod licet Monaſterium prefatum ex cauſa dilectę in Chriſto filię Agnetis de Valentia Monialis dicti Monaſterii, quę quondam Marię de Guerra, Mulieri Zamoren, ipſius Agnetis genitrici, poſt emiſſam per ipſam Agnetem in ipſo Monaſterio profeſſionem, defunctę, una cum aliis filiis legitimis, & naturalibus dictę Marię ſucceſſerat, pro rata hęreditatis ejuſdem Marię ipſam Agnetem contingente, eandem hęreditatem adierit, nihilominus dilectus filius Fernandus de Valentia Frater Militię Sancti Jacobi de Spata, ipſius Agnetis Genitor, ac Pater, & legitimus adminiſtrator aliorum filiorum, & hęredum dictę Marię in civitate Zamoren. commoran., portionem mobilium, & in civitate prędicta, ac Dięceſi Zamoren. conſiſtentium, immobilium bonorum hęreditatis dictę Marię, ad Monaſterium prędictum ex perſona dictę Agnetis legitime pertinentem, eiſdem Prioriſſę, & Conventui, ut tenetur, tradere, quanquam deſuper legitime requiſitus fuerit, indebite contradicit. Quare pro parte Prioriſſę, & Conventus prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut cauſam, quam Prioriſſa, & Conventus prefatę ſuper pręmiſſis contra eundem Fernandum movere intendunt, aliquibus probis viris in partibus illis committere, ac alias eis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum vocatis dicto Fernando, & aliis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem &c. non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne quis extra ſuam civitatem, vel Dięceſim niſi in certis exceptis caſibus &c. Seu ne judices &c., & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus &c. quibuſcunque, aut ſi Fernando, vel Militię prefatę a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod ipſe, aut perſonę ipſius Militię ſuſpendi, vel excommunicari &c. per literas Apoſtolicas non facientes &c. mentionem &c. cujuſcunque tenoris exiſtant &c. quę quoad hoc ipſi Fernando nolumus aliquatenus ſuffragari. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Septimo, Duodecimo Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

1. Za-

1. *Zamoren.*) In *Hiſpania*.
2. *Jure*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I*.
3. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico libro CVI fol.* 198.
4. *Humilibus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Anno 1478 Die 28 Januarii.

Albæ Regalis (1) Monaſterii S. Margaritæ Conſervatores conſtituit.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Colocen. (3), & dilecto filio Pręposito Eccleſię Beatę Marię de Alba Regali Veſprimien. (4) Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis tenor.

Militanti Eccleſię licet immeriti diſponente Domino pręſidentes &c. (5). Sane dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus Sanctę Margaritę extra muros Albę Regalis, Ordinis Fratrum Pręsaid, Pręsdicatorum, Veſprimien. Diœceſis conqueſtione percepimus, quod licet ipſis Priori, & Fratribus, ut Chriſti fidelium Confeſſiones, loci Diœceſani petita licentia, licet non obtenta, audire, necnon decedentium legata, & funeralia, eis, & eorum domui pro tempore facta, & conceſſa, libere percipere, & levare, nec de legatis hujuſmodi partem, ſeu portionem cuiquam facere teneantur, ex Apoſtolico privilegio (6) ſeu de jure communi, vel patrię conſuetudine, permiſſum cenſeatur, nihilominus Rectores, ſeu Plebani Parochialium Eccleſiarum partium illarum pro tempore exiſtentes, eoſdem Priorem, & Fratres, etiamſi ad id licentiam petierint, quovis modo Confeſſiones parochianorum Parochialium Eccleſiarum ſuarum hujuſmodi, niſi de ipſorum Rectorum, ſeu Plebanorum licentia audire poſſint, quodque ad ſatisfaciendum eiſdem Rectoribus, ſeu Plebanis de parte, & portione legatorum, ſeu funeralium, eiſdem Priori, & Fratribus per eoſdem Parochianos, vel decedentium pro tempore factorum compellere, & aſtringere continue moliuntur, in non modicum domus, Prioris, & Fratrum pręjudicium, & gravamen. Quare pro parte Prioris & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut cum eiſdem valde redderetur difficile, pro ſingulis querelis, occaſione pręmiſſorum, ad Apoſtolicam Sedem habere recurſum, ipſis providere ſuper hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adverſus moleſtatores, ac legatorum, & funeralium uſurpatores contra privilegium hujuſmodi illo volentes eiſdem Priori, & Fratribus remedio ſubvenire, quod ipſorum compeſcatur temeritas, & aliis aditus committendi ſimilia pręcludatur, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, etiamſi ſint extra loca, in quibus deputati eſtis Conſervatores, & judices, domui, Priori, & Fratribus prędictis efficacis defenſionis auxilio aſſiſtentes, non permittatis domum, Priorem, & Fratres prędictos ſuper hujuſmodi Confeſſionibus audiendis, & legatis, ſeu funeralibus accipiendis, necnon aliis bonis ad Domum, Priorem, & Fratres prędictos ſpectantibus, ab eiſdem, vel quibuſvis aliis indebite moleſtari, vel ab eis gravamina, ſeu damna, vel injurias irrogari, facturi domui, Priori, & Fratribus prędictis cum ab eiſdem, vel procuratoribus ſuis, aut eorum aliquo fueritis requiſiti, de prędictis, & aliis perſonis quibuslibet ſuper offenſionibus audiendis, ſeu legatorum, & funeralium, ac quorumcunque bonorum hujuſmodi moleſtiis, injuriis, atque damnis pręſentibus, & futuris & in his videlicet, quę judicialem requirunt indaginem ſummarie, & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, in aliis vero prout qualitas eorum exegerit, juſtitię complementum; moleſtatores, & injuriatores hujuſmodi, necnon contradictores quoslibet, & rebelles, cujuſcunque dignitatis, gradus, ſtatus, Ordinis, vel conditionis extiterint, quandocunque, & quotieſcunque expedierit, auctoritate noſtra per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus tam felicis recordationis Bonifatii PP. Octavi, Prędeceſſoris noſtri, in quibus cavetur, ne aliquis extra ſuam civitatem vel Diœceſim &c. quam aliis quibuſcunque Conſtitutionibus, a Prędeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus tam de judicibus delegatis, & Conſervatoribus &c. ſeu ſi aliquibus &c. a prędicta ſit Sede indultum, quod excommunicari, ſeu ſuſpendi, vel interdici, ſeu extra, vel ultra certa loca &c. non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam &c. mentionem, & qualibet alia dictę Sedis indulgentia &c. & de qua, cujuſque toto tenore &c. habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Ceterum volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat articulum, etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico prępeditus, quodque a dat. pręſentium ſit vobis, & cuique veſtrum in pręmiſſis omnibus, & eorum ſingulis, ceptis, & non ceptis, &c. & pro prędictis procedere, ac ſi prędicta omnia & ſingula coram vobis cępta fuiſſent, & juriſdictio veſtra, & cujuslibet veſtrum in prędictis omnibus, & ſingulis &c. perpetuata legitime extitiſſet. Conſtitutione prędicta ſuper Conſervatoribus & alia qualibet in contrarium edita non obſtante. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Septimo (7), Quinto Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Conſervatores conſtituit.

1. *Albæ Regalis*.) Vulgo *Stulvveiſſenburg*, Slavis *Stolni Biograd*, Hungaris *Ekekes Feiervvar*, Gallis *Albe Royale*, in *Pannonia Superiori*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Arch. Apoſtolico Libro CXXIX fol.* 45.
3. *Colocen.*) Seu *Colozen.*, vulgo *Colocz*, in *Hungaria*.
4. *Veſprimien.*) *Veſprinien.*, in *Hungaria*.
5. *Pręſidentes &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
6. *Privilegio*.) De Privilegiis illis conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII, IX, & X*.
7. *Septuageſimo Septimo*.) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLXXVIII*.

Fra-

Fratres Eccleſiaſtica Beneficia conſecuti, nec ferendi, nec accipiendi ſuffragii jus habent (1).

Anno 1478 Die 17 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CIII.

Dilecto filio Fratri Leonardo de Peruſia, Sac. Theologię profeſſori Ordinis Prędicatorum Generali Magiſtro.

SIXTUS PP. IV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HAbilitavimus ad Beneficia obtinenda pleroſque tui Ordinis Fratres, eiſque conceſſimus, ut in eodem Ordine activam, & paſſivam vocem retineant. Intellexiinus autem nuper a te, & ab aliis fide dignis, in ſcandalum, & detrimentum Ordinis ceſſurum, ſi iidem habilitati utramque vocem retineant, propterea quia diſciplinę, & juriſdictioni Prędatorum non ſubſunt, & illis parere recuſant. Quocirca Nos, qui, quantum cum Deo poſſumus, ſcandalum amputare, & quietem dicti Ordinis pręſervare, deſideramus, tuis in hac parte honeſtis ſupplicationibus inclinati, harum ſerie, declaramus, quod Fratres prędicti ſic habilitati, donec Beneficia vigore habilitationis hujuſmodi fuerint conſecuti, activam tantum in dicto Ordine vocem habeant, cum primum vero aliquod beneficium obtinuerint, etiam activam amittant, & neutra uti in dicto Ordine poſſint, conceſſione noſtra pręfata, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris Die XVII Martii MCCCCLXXVIII Pontificatus noſtri Anno Septimo.

L. Griſus.

1. *Habent.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum.

Firmat ea quæ pro dirutis Monaſteriis Argentinenſibus (1) geſta ſunt.

Anno 1478 Die 2 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CIV.

DE providentia Sedis Apoſtolicę provenire dignum eſt &c. (3), dudum ſiquidem pro parte dilectorum filiorum Magiſtri, Conſulum, Rectorum, & Communitatis Civitatis Argentinen. Nobis expoſito, quod alias ipſi veridica relatione plurium notabilium virorum amicorum & fautorum ſuorum verbis & literis certiorati, quod recolendę mem. Carolus (4) Dux Burgundię minabatur, ſe velle cum ſuis gentibus armorum (5) obſidere civitatem prędictam, quę una de potioribus civitatibus Imperialibus (6) in litore Rheni, ac Alſatia exiſtentibus fore dignoſcebatur, & contra illam ipſius Ducis caſtra tunc de proximo movere, ſuaque machinas, homines, & arma, aliaque ad hoc apta & neceſſaria dirigere, ac Civitatem ipſam debellare, & devaſtare, ſuęque dictioni ſubjicere, ſicque facturum ſe in brevi ſępiſſime, & publice ſe jactaviſſet, ac ejus quod infra paucos menſes Ducatum Lotharingię (7), eorum territorio contiguum, & vicinum, cum ſingulis ſuis civitatibus, caſtris, oppidis, & fortelitiis (8) expugnaviſſet, & dicti Ducatus Duce (9) tunc expulſo, ſuę dictioni & imperio ſubjecerat, potentiam perhorreſcentes, & de ſubverſione, ac periculo civitatis prędictę plurimum dubitantes, a diverſis hominibus in armorum exercitio expertis, circumſtantias ipſius civitatis, & loca ei vicina, examinari fecerant, ad finem quod ſi inibi aliquid eſſet ſtatui dictę Civitatis periculoſum, id ad debitam, & opportunam illius proviſionem reduceretur, & tandem illis referentibus, quod ędificia murata ipſi Civitati vicina, & ab extra adhęrentia eidem civitati plurimum periculoſa erant, cum dicto Duci, ſuęque potentię receptacula ſine dubio eſſent, quibus mediantibus Dux ipſe ad expugnationem, excidium, & ſubverſionem dictę Civitatis de facile devenire poſſet, habitoque ſuper his maturo conſilio, ut damnis, & periculis hujuſmodi pro poſſe obviarent, omnes habitationes muratas prope, & extra eandem civitatem exiſtentes, ad dilectos filios Cives pręfatę Civitatis, ut plurimum, pertinentes, uſque ad numerum trecentarum & quadraginta & etiam domum Beatę Marię Fratrum ejuſdem Beatę Marię de Monte Carmelo, & S. Agnetis, ac S. Marci, necnon S. Johannis in undis, S. Auguſtini, ſub cura & ſecundum inſtituta Fratrum Prędicatorum, necnon S. Marię Magdalenę ad Pęnitentes ejuſdem S. Auguſtini Ordinum Monialium Monaſteria muris & foſſatis (10) pręfatę Civitatis contigua, a quibus pręfatus Dux, aut ejus exercitus, ſi in illis recepti fuiſſent, ſine magna ſanguinis effuſione & periculo Civitatis prędictę expelli non potuiſſent, pręhabitis cum perſonis locorum & Monaſteriorum eorundem multis piis perſuaſionibus, & oblationibus, ac metu, maxima quoque, & evidentiſſima neceſſitate reipublicę, id ſuadentibus, non in contemptum, vel injuriam, aut violentiam alicujus, demoliri, & ſolo ęquari, foſſatumque maximis ſumptibus, & expenſis pro defenſione dictę civitatis inibi fodi, & fieri procurarunt, ac Religioſis Monaſteriorum, & locorum eorundem loca eis congrua & apta intra prędictam civitatem conſiſtentia, in quibus domos & Monaſteria pro eorum receptione conſtrui, & ędificari facere, ſeu alias recipi, ac liberius & ſecurius Deo obſequium pręſtare va-

Diplomatis cauſa.

Nota.

valerent, obtulerant, promittentes ſe ad hoc eis velle adeſſe conſilio, auxilio, & favore; & Moniales dicti Monaſterii Sanctę Agnetis numero quadraginta, vel circa profeſſas & ſub ſtricta, & regulari obſervantia viventes, ne in periculum earum ſtatus vagarentur, in Monaſterio Monialium Sanctę Margaritę intra prędictam Civitatem dicti Ordinis S. Auguſtini, & ſub cura dictorum Fratrum viventium, ampliſſimo, & aptiſſimo ad recipiendum multas perſonas, in quo duntaxat erant quatuordecim Moniales profeſſę, cum piis oblationibus, & perſuaſionibus quod dictę quatuordecim Moniales ad arctiorem obſervantiam earum ſolitam non compellerentur, ſed ſecundum earum morem, ut prius, viverent, & in bonis earum Monaſterii eis propterea pręjudicium non afferretur, licet earum majori parte contentę, & aliquibus conſuetudinibus (11) non vi, & violentia, ſed ob evidentiſſimas cauſas prędictas collocarunt, quodque pręmiſſa omnia non per contemptum, injuriam, vel violentiam, ſed propter neceſſitatem, & metum, qui caderet in conſtantem communitatem ſimilis Civitatis, ac ad conſulendum reipublicę, ut prefertur, facta, & perpetrata fuiſſe, necnon Sanctę Margaritę prędictarum & Sanctę Catharinę, & Sancti Nicolai in Undis Monaſteria Monialium Argentinen. Diœceſis, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura & ſecundum Inſtituta eorundem Fratrum Prędicatorum viventium, fore ampla, & ampliſſima ad recipiendum plures perſonas, quam in illis ſunt de prężenti, Nos tunc Magiſtri, Conſulum, Rectorum, & Communitatis prędictorum, ſupplicationibus, inclinati, Decano Eccleſię Sancti Petri Junioris Argentinen., ejus proprio nomine non expreſſo, per alias noſtras literas dedimus in mandatis, ut, ſi ita erat, Magiſtrum, Conſules, Rectores, & Communitatem prędictos, ac ſingulares perſonas, quę in pręmiſſis quomodolibet interveniſſent, ea omnia libere, & licite facere potuiſſe, & illorum occaſione nullam pęnam a jure canonico, vel civili, ſeu alias in ſimilium locorum eccleſiaſticorum

Nota.

violatores inflictam incurriſſe, auctoritate noſtra declaret, ac illos ex eis qui timoratę conſcientię forent, & pręmiſſorum occaſione aliqua pęna, vel cenſura ſe ligatos eſſe timerent, necnon illas ex perſonis religioſis dirutarum domorum, & aliorum Monaſteriorum prędictorum, quę ad alia Monaſteria, ſeu loca tranſeundo, ſeu illa pro earum habitatione recipiendo, cenſuras & pęnas in tales promulgatas incurriſſent, ab hujuſmodi pęnis, & cenſuris, quas propterea incurriſſent, ſi id humiliter peterent, dicta auctoritate abſolveret in forma Eccleſię conſueta, injunctis inde cuilibet eorum pro modo culpę pęnitentia ſalutari, & aliis quę de jure forent injungenda, ac ſuper irregularitate, ſi qua cenſuris & pęnis hujuſmodi ligati Miſſas, & alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando, aut alias illis ſe immiſcendo contraxiſſent, eadem auctoritate diſpenſaret, aboleretque omnem inhabilitatis, & infamię maculam, ſive notam, per eas exinde contractam, necnon, vocatis quorum intereſſet, Sanctę Agnetis, Sanctę Margaritę, & Sancti Marci, Sanctę Catharinę, ac Sancti Johannis Monaſteria prędicta Sancti Nicolai Monaſteriis hujuſmodi cum omnibus bonis, juribus & pertinentiis ſuis, prężata auctoritate uniret, & incorporaret, & annecteret, eorundem Monaſteriorum dirutorum, Moniales, & perſonas, ad prędicta alia Monaſteria, quibus ipſa diruta uniret, annecteret, & incorporaret, ut prefertur, transferendo, itaut ejuſdem Monaſterii Sanctę Agnetis Prioriſſa in prężato Monaſterio Sanctę Margaritę Prioriſſa, & illud in temporalibus & ſpiritualibus ſub regulari obſervantia dirigeret & gubernaret, liceret quoque ex tunc dilectis in Chriſto filiabus eorundem Sanctę Margaritę, & Sanctę Catharinę, ac Sancti Nicolai Monaſteriorum Prioriſſis, & Conventibus prędictorum Sanctę Agnetis, ac Sancti Marci, & Sancti Johannis Monaſteriorum dirutorum, & prężatia earum Monaſterii reſpective, ut prefertur, per eum tunc unitorum, regiminis, & adminiſtrationis, ac bonorum, juriumque, & pertinentiarum prędictorum corporalem poſſeſſionem per ſe, vel alium, ſeu alios, propria auctoritate apprehendere, ac illorum fructus, redditus, & proventus in ſuos, ac dictorum unitorum Monaſteriorum uſus reſpective convertere, & perpetuo retinere, Diœceſani loci, aut eorundem Fratrum Prędicatorum, vel cujusvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, ac prężatis Priori, & Fratribus domus B. Marię, necnon Prioriſſę, & Sororibus Sanctę Marię Magdalenę Monaſteriorum dirutorum hujuſmodi, prout conſcientia ſua ſibi dictabat, de loco, in quo commode recipi, & juxta ſuorum Ordinum prędictorum regularia Inſtituta Deo ſervire valerent, dicta auctoritate provideret, &, ſi perſonę dictorum dirutorum Monaſteriorum, vel alicujus eorum, ad aliquod Monaſterium ex prędictis Civitatis prędictę transferri, ſeu eorundem Monaſteriorum Argentinen. Moniales, ex eis jam transferendis ad illa Monialibus, remanere nollent, eis, ſic nolentibus, ſe ad alia Monaſteria ſui Ordinis, in quibus benevolas invenirent receptrices transferendi, & prężatis Priori, & Fratribus Domus B. Marię domum aliam pro eorum habitatione recipiendi, licentiam auctoritate prężata concederet, faceretque dictis Monialibus, quę ſe licentię hujuſmodi vigore ad alia Monaſteria transferrent, pro earum victu, & veſtitu portionem congruam fructuum, redituum, & proventuum dirutorum, & aliorum ex quibus transferrentur Monaſteriorum prędictorum exhiberi. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Magiſtri, Conſulum, Rectorum, & Communitatis prędictorum petitio continebat, dilectus filius Erneſtus Breitenbach Decanus dictę Eccleſię Sancti Petri Junioris ad executionem dictarum literarum procedens, illarum forma ſervata, quia pręmiſſa ita eſſe repererit, Magiſtrum, Conſules, Rectores, & Communitatem prędictos, ac ſingulares perſonas, qui in pręmiſſis quomodolibet intervenerunt, ea omnia libere, & licite facere potuiſſe, & illorum occaſione nullam pęnam a jure Canonico, vel Civili, ſeu alias in ſimilium locorum Eccleſiaſticorum violatores inflictam, incurriſſe, diverſis vicibus ſucceſſive declaraverit, necnon abſolverit, diſpenſaverit, aboleverit, univerit, incorporaverit, annexuerit, tranſtulerit, & alia fecerit, & executus eſt, juxta ſeriem & tenorem petitionis antedictę, prout hæc omnia tam in literis Apoſtolicis, quam in tranſumpto proceſſuum deſuper habitorum, & in publica forma redactorum, per dilectum filium officialem Argentinen. cum ſolemnitatibus debitis, & neceſſariis, facto, & ſuo, ſive Curię Epiſcopalis Argentinen., quo idem officialis in talibus utitur, ſigillo munito, quod in Cancellaria noſtra inſpici, & diligenter examinari, ac prężentibus inſeri fecimus, plenius continetur, pro parte Magiſtri, &

Con-

Conſulum, Rectorum, & Communitatis prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut declarationibus, abſolutionibus, unionibus, annexionibus, incorporationibus, translationibus, proviſionibus, conceſſionibus, ac omnibus aliis, & ſingulis pręmiſſis executioni juxta dictarum literarum tenorem demandata, pro illarum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adjicere, aliaſque Confirmatio. in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, declarationes, abſolutiones, uniones, annexiones, incorporationes, translationes, proviſiones, & conceſſiones, ac omnia alia, & ſingula per dictum Erneſtum Decanum, dictarum literarum vigore, facta, geſta, & executioni demandata, in dictis proceſſibus contenta, & eadem concernentia, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, ac pręſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę confirmationis, approbationis, communitionis, & ſuppletionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo octavo, Quarto Non. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Argentinen.*) Vulgo *Strasbourg* in *Alſatia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *archivo Apoſtolico Libro CXXXIII fol.* 150.
3. *Dignum eſt &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Carolus.*) Cognomento *Temerarius*. Obierat anno MCCCCLXXVII.
5. *Gentibus armorum.*) Exercitu ſcilicet.
6. *Imperialibus.*) Nunc *Galliarum* Regis juris eſt.
7. *Lotharingia.*) Vulgo *Lorraine*.
8. *Fortelitiis.*) Seu *Fortalitiis*, & *Fortilitiis*; Arcibus ſcilicet, ſive munitionibus, Italis *Fortezza*, Gallis *Fortereſſe*.
9. *Duce.*) *Renato*, Rege *Siciliæ &c.*
10. *Foſſatis.*) Seu Foſſis, Gallis *Foſſé*.
11. *Conſuetudinibus.*) Turbatus locus. Fortaſſis: *ſub aliquibus conditionibus*.

De nonnullis ad novum Cremonenſe (1) Cœnobium fundandum legatis.

Anno 1478 Die 25 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CV.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Comminiſtrorum, & Sancti Laurentii Monaſteriorum Abbatibus, & Prępoſito Prępoſiturę Sancti Habundi Cremonen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Hodie ex certis cauſis tunc expreſſis dilectis filiis Johanni Marię, & Benedicto de Granellis Fratribus, & civibus Cremonen domos habitationis quondam Franciſci de Granellis eorum patrui, & omnia, quę ipſe Franciſcus condens de bonis ſuis in ejus ultima voluntate teſtamentum pro Diplomatis cauſa. conſtructione novę domus Ordinis Fratrum Prędicatorum cum una in Theologia, & alia in iure Canonico, ac reliqua in jure civili librariis dedicaverat, per alias noſtras literas ex certa noſtra ſcientia dedimus, & aſſignavimus, ac decrevimus quod dicti teſtamenti executores ad pręfatę domus novę Ordinis Fratrum Prędicatorum cum librariis hujuſmodi, conſtructionem non tenerentur, & de bonis ad id per dictum teſtatorem dedicatis ſe impedire non poſſent, voluimus quoque quod Johannes Maria, & Benedictus pręfati decentem Capellam in Eccleſia jam conſtruendę domus Ordinis Fratrum Prędicatorum Cremonen. conſtrui facere, & paramentis Eccleſiaſticis decenter decorare infra duos Nota. annos, ac Sacriſtię ejuſdem domus tot bona, quorum fructus, redditus, & proventus aſcenderent ad valorem annuum centum librarum monetę imperialium infra ſex menſes tunc proxime futuros dare, & aſſignare tenerentur, & de conſtrui faciendo, & decorando Capellam, ac dando, & aſſignando Sacriſtię prędictę bona hujuſmodi idoneam pręſtarent cautionem antequam domorum, & bonorum eis per vos traditorum, & aſſignatorum hujuſmodi poſſeſſionem apprehenderent, piam dicti Franciſci teſtatoris voluntatem prędictam modo prędicto commutando, prout in eiſdem literis plenius continetur. Quocirca diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam dictę literę vobis pręſentatę fuerint, per vos, vel alium, ſeu alios, pręmiſſa, ubi, & quando, ac quoties pro parte dictorum Johannis Marię, & Benedicti fueritis requiſiti, eis ſuper his efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, eoſdem Johannem Mariam, & Benedictum, pręſtita prius per eos cautione prędicta, juxta dictarum literarum continentiam, atque formam, in corporalem poſſeſſionem domorum teſtatoris, ac omnium, quę idem teſtator pro conſtructione novę domus Ordinis Fratrum Prędicatorum prędictę cum librariis hujuſmodi dedicavit, inducatis auctoritate noſtra, & defendatis inductos, facientes eos illorum pacifica poſſeſſione gaudere, & de illorum fructibus, redditibus, & proventibus eis integre reſponderi, non permittentes executores Mandatum. prędictos de domibus, & bonis prędictis contra dicti decreti noſtri tenorem, & ſe de cetero impedire, aut eoſdem Johannem Mariam, & Benedictum per ipſos executores, vel alios quoſcunque ſuper eiſdem domibus, & bonis per Nos eis datis, & aſſignatis, indebite moleſtari. Non obſtantibus omnibus, quę in dictis literis volumus non obſtare, ſeu ſi dictis executoribus &c. quod interdici, ſuſpendi &c. Contradictores &c. Invocato &c. brachii ſecularis. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Octavo, Septimo Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Cremonen.*) In *Longobardia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXVIII fol.* 189.

Anno 1478 Die 25 Aprilis.

Toletani (1) Monaſterii S. Dominici Monialibus impertitur Indulgentias (2) ad Stationes Urbis conceſſas.

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

CVI.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Indulgentiæ conceſſæ.

TUnc Paſtoralis officii debitum exercere cenſemus &c. (4). Cupientes igitur ut dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conveutus Monaſterii Sancti Dominici, el Real nuncupati, Toletan., Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, per Prioriſſam ſoliti gubernari, pręſentium, & pro tempore exiſtentium devotio amplius augeatur, & earum animarum ſaluti fructuoſius conſulatur, ut Confeſſores idonei, quos earum ſuperiores eis duxerint deputandos, omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contritę, & ore confeſſę fuerint plenam duntaxat in mortis articulo remiſſionem auctoritate Apoſtolica concedere valeant, quodque Prioriſſa, & Conventus prędictę, ſi diebus illis, quibus habetur acceſſus ad ſtationes Eccleſiarum Urbis pro Indulgentiis conſequendis Altaria Eccleſię dicti Monaſterii viſitaverint, & ſemel Pſalmum Pęnitentialem coram ſingulo Altari pręfatę Eccleſię dixerint, eandem Indulgentiam quam conſequuntur hi, qui dictas Urbis Eccleſias in diebus ſtationum hujuſmodi viſitant, conſequantur, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, perpetuo ſtatuimus, & ordinamus, ac ſtatutum, & ordinationem hujuſmodi per quaſcunque noſtras, & Sedis Apoſtolicę ſtatuti, & ordinationis hujuſmodi revocatorias, quorumcunque tenorum exiſtant literas, quas pręſentibus haberi volumus pro expreſſis, nullatenus revocata eſſe, dicta auctoritate decernimus. Non obſtantibus literis revocatoriis hujuſmodi, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę ordinationis, ſtatuti, decreti, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo octavo, Septimo Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Toletani*.) In *Hiſpania*.
2. *Indulgentias*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
3. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXIII fol.* 15.
4. *Cenſemus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Exordiis.

Anno 1478 Die 30 Maii.

Indulgentia (1) Plenaria die Feſto S. P. Dominici, & tempore mortis, ac ceteris ad Stationes Urbis conceſſis Indulgentiis donat Ordinis Prædicatorum Fratres, & Sorores, etiam Tertii Ordinis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*

CVII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

INjunctum Nobis Apoſtolicę Servitutis officium, tunc digne peragere credimus, dum Chriſti fidelium ſalutem animarum procuramus. Hinc eſt, quod Nos, cupientes, quod univerſi, & ſinguli utriuſque ſexus Fratrum Prędicatorum de obſervantia, ac Tertii S. Dominici de Pęnitentia nuncupatorum Ordinum Fratres, & Sorores, ad quos, ſicut accepimus, cariſſimus in Chriſto filius Ferdinandus, & cariſſima in Chriſto filia noſtra Eliſabeth Caſtellę, & Legionis Rex, & Regina Illuſtres, ſingularem gerunt devotionis affectum, Altiſſimo quietius poſſint in humilitatis ſpiritu reddere famulatum, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium perpetuo ſtatuimus, & ordinamus, quod omnes, & ſinguli utriuſque ſexus dictorum Ordinum Fratres, & Sorores, reformati nuncupati, qui ſub obedientia Vicarii Generalis dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum reformatorum nuncupatorum in Caſtellę, & Legionis Regnis exiſtunt, & in futurum exiſtent, vere pęnitentes, & confeſſi, anno quolibet in Feſto ejuſdem S. Dominici, & ſemel in mortis articulo omnium peccatorum ſuorum Plenariam Indulgentiam, ac omnes Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, quas certis anni temporibus nonnullas Almę Urbis Eccleſias, ſtationes nuncupatas, viſitantes conſequuntur, Ordinis Fratrum Minorum profeſſoribus per Sedem Apoſtolicam conceſſas, perpetuo conſequantur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli &c. hanc paginam noſtri ſtatuti, & Ordinationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Octavo, Tertio Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Indulgentia*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo*.) In quo duplex Exemplar, authenticum unum *Libro B. fol.* 418 ex Autographo *Taurenſi*, aliud ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXV fol.* 166. Legitur apud *Confettiiam pag.* 71, & apud *Caſtellanum Parte II pag.* 122.

Le-

Leges pro Congregatione Hiſpanica a Generali Magiſtro Leonardo (1) de Manſuetis latas confirmat.

Anno 1478 Die 30 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CVIII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

HIs quę pro perſonarum Eccleſiaſticarum pręſertim ſacrę Religioni aſtrictarum pace, & quiete provide facta ſunt, ut firma perpetuo, & illibata perſiſtant, cum a Nobis petitur, Apoſtolici muniminis adiicimus firmitatem. Sane pro parte dilectorum filiorum Vicarii Generalis, ac univerſorum Priorum, & Fratrum Ordinis Prędicatorum de obſervantia nuncupatorum, necnon dilectarum in Chriſto filiarum Sororum ſub cura Fratrum dicti Ordinis degentium Provincię Hiſpanię, ſecundum morem dicti Ordinis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod dudum dilectus filius Leonardus de Manſuetis, Prior Generalis dicti Ordinis, in Theologia Magiſtri, inter alia omnia, conventus, & Domos Fratrum dicti Ordinis, ac Monaſteria Sororum ſub cura Fratrum pręfati Ordinis degentium dictę Provincię, in quibus viget regularis obſervantia, & in futurum vigebit, ac illorum capita, & membra ſub ſua, & ſucceſſorum ſuorum ipſius Ordinis Magiſtrorum Generalium pro tempore exiſtentium, cura immediata, auctoritate ſua advocavit, & reduxit, eximens illa ab omni juriſdictione cujuſcunque eorum inferioris, & alia fecit, conceſſit, & mandavit, prout in quibuſdam literis dicti Generalis deſuper confectis plenius continetur. Quare tam pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi (3) Regis, ac cariſſimę in Chriſto filię noſtrę Eliſabeth (4) Reginę Caſtellę, & Legionis, illuſtrium, aſſerentium, ſe ad dictum Ordinem ſingularem gerere devotionis affectum, quam Vicarii Generalis, Priorum, & Fratrum, & Sororum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut reductioni, & exemptioni, ac omnibus, & ſingulis in literis (5) Magiſtri Generalis hujuſmodi contentis, pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui literas prędictas in Cancellaria Apoſtolica diligenter inſpici, & examinari fecimus, Vicarium Generalem, Priores, Fratres, & Sorores prędictos, & eorum quemlibet, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, reductionem, exemptionem, conceſſiones, & mandata, ac omnia, & ſingula in literis Magiſtri Generalis hujuſmodi contenta, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, ſupplemuſque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & nihilominus pro potiori cautela Vicario Generali, Prioribus, & Fratribus, ac Sororibus prędictis, ut reductione, & exemptione, conceſſionibus, mandatis, ac aliis omnibus, & ſingulis in literis Magiſtri Generalis hujuſmodi contentis juxta illorum formam uti, & gaudere, libere, & licite valeant, eadem auctoritate Apoſtolica perpetuo concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac privilegiis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, confirmationis, approbationis, ſuppletionis, conceſſionis, & indulti infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Octavo, Tertio Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Diplomatis cauſa.

Confirmatio.

1. *Leonardo.*) De quo ſæpius dictum fuit.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXCVII fol.* 115.
3. *Ferdinandi.*) Cognomento *Catholici.*
4. *Eliſabeth.*) *A Caſtella* nuncupatæ.
5. *Literis.*) De quibus in ſequenti *Conſtitutione.*

Segovienſi, Cordubenſi, ac Caurienſi (1) Epiſcopis de Legibus ab Ordinis Prædicatorum Generali Magiſtro conſtitutis pro Hiſpanica Congregatione ejuſdem Ordinis.

Anno 1478 Die 30 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CIX.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Segovienſi, & Cordubenſi, ac Caurienſi Epiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Leges ab Ordinis Magiſtro conſtitutæ.

HOdie a Nobis emanarunt Literę tenoris ſequentis. Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. His quę &c. (3) inſpici, & examinari, ac omiſſis caracteribus, & ſignis de verbo ad verbum pręſentibus annotari fecimus, Vicarium &c. (4). Tenor vero dictarum literarum talis eſt. In Dei filio ſibi cariſſimis venerabili Patri Vicario, qui eſt, & qui pro tempore fuerit, ceteriſque Pręſidentibus, ac Patribus, & Fratribus univerſis pręſentibus, & futuris Conventuum, & Monaſteriorum, Reformatorum totius Provincię Hiſpanię, Ordinis Prędicatorum Fr. Leonardus de Manſuetis de Peruſio Sacrę Theologię Profeſſor, ac ejuſdem Ordinis humilis Magiſter, & Servus, Salutem, & Divinę gratię plenitudinem. Ut in Noſtra Provincia Hiſpanię, unde noſter Pater Dominicus traxit originem, regularis obſervantia, ſecundum noſtri Sacri Ordinis inſtituta, melius, & facilius conſervetur, his gratiis, & privilegiis veſtram Congregationem ſtatui, de maturo conſilio muniendam. Imprimis quidem ipſam Congregationem, ejuſque Capita, atque membra, tam in reformatis Conventibus, & Monaſteriis, quam in poſterum reformandis, ſub mea & Succeſſorum meorum cura immediata advoco, & reduco, eximens eam ab omni juriſdictione, & potes-

poteſtate cujuſcunque mei inferioris, declarans, quod Vicarius dictę Congregationis, qui pro tempore fuerit, habet plenariam poteſtatem ſuper Fratribus, & Sororibus Conventuum, & Monaſteriorum, locorum, ac domorum reformatorum, & reformandorum, & ſuper illis de Tertio Habitu S. Dominici utriuſque ſexus, totius prefatę Provincię Hiſpanię in capitibus, & in membris, ita quod poſſit ligare, & abſolvere, punire, & incarcerare, corrigere, & viſitare, Priores, & Priorillas, abſolvere, & confirmare, ac officiales inſtituere, & omnia alia facere, quę pro conſervatione regularis vitę viderit opportuna, & quod poſſit Vicarios ſubſtituere, unum, vel plures cum auctoritate, & poteſtate, ſecundum quod ſibi videbitur expedire. Item quod hic Vicarius ſit triennalis, & duret quouſque ſequens Vicarius ſit electus, & confirmatus, & pręſens in Congregatione, & electio, vel poſtulatio Vicarii Generalis fiat canonice ſecundum formam, quę exprimitur in noſtris Conſtitutionibus de electione Prioris Provincialis. Itaque ad electionem ipſius, poterunt convenire Priores, cum ſociis Conventuum, Magiſtri in Theologia, & illi, qui fuerint Vicarii Generales, & alii, qui ſecundum Conſtitutiones poſſunt intereſſe; & ut occaſio vagandi ab eis tollatur, de gratia ſpeciali concedo, quod dictus Vicarius confirmetur per Priorem antiquioris Conventus, qui ſi fuerit electus, confirmatio ſpectet ad alium antiquiorem ab eo, qui electus fuerit, & ſic retrocedendo: Mandans Priori Provinciali, ceteriſque me inferioribus Prelatis, quod nullus de dicta Congregatione, & Vicario, & Conventibus, & Monaſteriis, & Fratribus ipſius, ſe intromittat ullo modo, ſub pęna excommunicationis latę ſententię, quam pro tribunali ſedens, profero in his ſcriptis, unica pro trina canonica monitione premiſſa, quam quilibet contrafaciens, ipſo facto incurrat, & ab ea abſolvi non poſſit, niſi per me, aut Vicarium dictę Congregationis: Et mando, & volo, quod Provincialis, vel alius eo inferior Prelatus, non recipiat Fratres de obſervantia ſine Vicarii expreſſa licentia, petita, & obtenta, quod ſi fecerint, & admoniti, tales Fratres dicto Vicario, vel Congregationi, vel Prelatis eorundem, poſt tres dies immediate non dederint, ſupradictam ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrant, cujus abſolutio reſervetur quibus ſupra. Item pręcipio Provinciali, qui eſt, vel fuerit, ceteriſque omnibus Pręſidentibus quorumcunque Conventuum, & Provinciarum, ſub pęna excommunicationis, vel ſuſpenſionis ab officiis, quam ipſo facto incurrant, quod de cetero nulli converſo exeunti a Congregatione veſtra, mutet habitum nigrum in album ſine mei ſpeciali licentia, & ſi qui hactenus aſſumpſerunt Scapulare album, volo, & pręcipio ſub eadem pęna omnibus Pręſidentibus, tales ſpolient habitu albo, & reducant ad ſtatum priſtinum ipſorum converſorum. Item concedo licentiam omnibus Pręſidentibus dictorum Conventuum reformatorum, & reformandorum, quod ſi qui Fratres venerint in terminis ſuis, & fuerint ſcandaloſi, vel ibidem vagantes, poſſint eos admonere, ut ſe corrigant, vel a tali loco recedant, quod ſi non fecerint, poſſint eos corrigere, incarcerare, & expellere, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, nullis eis ſuffragantibus literis, etiam meis. Item concedo dicto Vicario de gratia ſpeciali, quod in pęnis debitis, pro fractione conſtitutionum noſtrarum, videlicet, quantum ad pęnam debitam pro fractione ſilentii, & aliis ſimilibus, poſſit abſolvere, & diſpenſare, cum quibus, & quoties viderit expedire. Quantum ad alias pęnas, pro earundem Conſtitutionum tranſgreſſione mihi, vel Capitulo Generali, & Definitoribus ejuſdem reſervatas, in Capitulo de Gravi Culpa, vel in aliis poſſit diſpenſare quoad ſeptem, & eos ad gradus priſtinos reſtituere, quantumcunque ſint gravia. Item quod poſſit recipere apoſtatas ſuę Provincię undecunque venientes, & cum eis, ut prędictum eſt, diſpenſare. Item volo, & pręcipio in virtute S. Obedientię Priori Provinciali, qui eſt, vel fuerit, quod in tantum, quod Conventus reformati dent ſibi contributiones, ſecundum communem, & antiquam conſuetudinem Provincię, amplius non extorqueant ab eis, nec ipſi teneantur ad taxationes alias. Item eidem Vicario concedo, quod poſſit abſolvere, & quibus ipſe commiſerit ab excommunicatione propter ingreſſum Monaſteriorum Monialium noſtrarum: Item quod poſſit diſpenſare cum Fratribus, & Sororibus illegitimis. Item per pręſentes confirmo, & approbo reformationem omnium Conventuum noſtri Ordinis per Vicarios dictę Congregationis hactenus factam, & domorum videlicet, Valliſoleti, S. Crucis Segovienſis, Rupis Fidelis, S. Pauli Burgen., Roxenſis, Lapidis fixi, S. Pauli Hiſpalenſis, S. Dominici de Porta Cęli, S. Vicentii de Placentia, S. Dominici de Zafra, S. Catharinę de Troxillo, & Monaſterii Monialium S. Marię apud Zamoram, quos omnes Conventus, & Domos volo ſub regimine dicti Vicarii permanere, niſi dicto Vicario, & Congregationi, aliter viſum fuerit. Item per pręſentes confirmo Vicario, & dictę Congregationi, omnes, & ſingulas gratias in favorem ejuſdem Congregationis, per me, meoſque anteceſſores conceſſas, revocando omnes contrarias aliquibus perſonis particularibus quomodolibet in oppoſitum hactenus conceſſas, niſi in eis facta fuerit mentio ſpecialis de pręſenti privilegio, & indulto; Et prędicta omnia, volo, & mando, inviolabiliter obſervari abſque impedimento, moleſtia, vel contradictione cujuſcunque mei inferioris, Conſtitutionibus, ordinationibus, literis, conceſſionibus, ceteriſque in oppoſitum facientibus, non obſtantibus quibuſcunque, etiam ſi de dictis eſſet hic fienda ſpecialis mentio, & expreſſio. Quibus omnibus, quę in contrarium poſſent quomodolibet allegari, ex certa ſcientia derogo per pręſentes. In quorum omnium fidem, & teſtimonium, ſigillum officii mei duxi pręſentibus appendendum. Bene valete, & pro me Deum orate. Datum Peruſii die XXI Menſis Martii Anno Incarnationis Dominicę MCCCCLXXVIII, indictione undecima, poſt noſtrum Capitulum Generale, Aſſumptionis meę Anno Quarto. Leonardus de Florentia. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, confirmationis, approbationis, ſupple- *Sanctio pœnalis.* rionis, conceſſionis, & indulti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prçſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Octavo, Tertio Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Caurien.*) In *Hiſpania*, ubi *Segovienſis*, & *Cordubenſis* Epiſcopatus.
2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar, unum *Libro B. fol.* 513 ex Autographo *Salmanticenſi*, & aliud ex *Archivo Apoſtolico Libro IV an. VII fol.* 210.
3. *His quæ &c.*) Ut in præcedenti *Conſtitutione* ad hæc uſque verba: *Cancellaria Apoſtolica diligenter*.
4. *Vicarium &c.*) Ut in eadem ad finem uſque.

Societatem Sanctiſſimi Roſarii (1) Indulgentiis ornat.

Anno 1478 Die 30 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CX.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

PAſtoris ęterni vices, meritis licet inſufficientibus, in terris gerentes, oves Dominici gregis Nobis cęlitus traditas ad caulas ſalutis ęternę perducere ſupernis deſideriis exoptamus, ac illas ad prępparandum ſibi perennem gloriam Indulgentiis, & remiſſionibus ſedulo invitamus, ut eo devotius orationes Altiſſimo effundant, quo per illas, & alia pia opera, quę in hac mortali vita exercuerint, facilius attingere poterunt pręmia felicitatis ęternę. Cum itaque, ſicut accepimus, in Eccleſia Domus Ordinis Fratrum Prędicatorum Colonien., quędam confraternitas utriuſque ſexus Fidelium, de Roſario Beatę Virginis Marię nuncupata, ad honorem Angelicę ſalutationis inſtituta, cujus Confratres, & Conſorores tribus diebus cujuslibet Hebdomadę orationem dominicalem quindecim, & Angelicam Salutationem centum & quinquaginta vicibus, omnibus tribus diebus ejuſdem hebdomadę ad honorem ejuſdem B. Marię Virginis juxta ipſius Confraternitatis inſtituta dicere conſueverunt, quas quidem orationes, & ſalutationes Roſarium appellant, ac extra Civitatem Colonien. in aliis Civitatibus, & locis ſint quamplures utriuſque ſexus ejuſdem Confraternitatis Confratres. Nos, cupientes, ut ipſi Confratres eo ſedulius, & devotius orationibus prędictis intendant, quo ex hoc dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, volumus, & Apoſtolica auctoritate ordinamus, quod omnes, & ſinguli Confratres utriuſque ſexus, tam in dicta civitate Colonien., quam alibi ubicunque nunc, & pro tempore exiſtentes, vere pęnitentes, & confeſſi qui orationem Dominicam, & Angelicam ſalutationem modo pręmiſſo dixerint, in ſingulis Nativitatis, Annunciationis, & Aſſumptionis ejuſdem B. Marię Virginis feſtivitatibus, ſeptem annorum, & totidem quadragenarum de injunctis eis pęnitentiis relaxationem habeant, & conſequantur. Pręſentibus perpetuo duraturis. Indulgentiæ. Volumus autem quod ſi dictis Confratribus orationem, & ſalutationem prędictas dicentibus, aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, pręſentes literę nullius ſint roboris, vel momenti. Nulli ergo &c noſtrę ordinationis, & voluntatis infringere &c. vel ei &c. Si quis &c Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Octavo, Tertio Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *SS. Roſarii.*) Vide *Tractatum de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*
2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar, authenticum unum, aliud ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXV fol.* 162. Legitur etiam in *Bullario Confraternitatum Ordinis Prædicatorum* Edit. *Romæ* MDCLXVIII *pag.* 49. *Libro B. fol.* 132 ex Autographo *Hiſpalenſi*. Aliud autographum aſſervatur in *Colonienſi* Cœnobio. Exemplar authenticum extat in Cœnobio *Barchinonenſi*.

Hiſpaniæ Regis, & Reginæ rogatu, Fratres Prædicatores variis privilegiis (1) ornat.

Anno 1478 Die 9 Junii.

Ex Bullario (2) *Caſtellani Parte II pag.* 124.

CXI.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

SEdis Apoſtolicę gratioſa benignitas piis quarumlibet, & prę ſertim ſublimium, ac aliarum ſub regulari caſtimonia Domino militantium perſonarum votis, illis pręcipue, per quę Chriſti fideles ſuarum animarum ſalutem Deo propitio facilius adipiſci, & eorum devotio augeri valeant, libenter annuit. Sane pro parte tam chariſſimorum noſtrorum in Chriſto Ferdinandi, & Eliſabeth, Caſtellę, & Legionis Regis, & Reginę Illuſtrium, quam Vicarii Generalis, & univerſorum Priorum, ac Fratrum Ordinis Prędicatorum, reformatorum nuncupatorum, in dictis Regnis conſiſtentium, dilectorum filiorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ſi, ut prędictus, & pro tempore exiſtens Generalis Vicarius in qualibet domo dicti Ordinis ei ſubjecta, ubi eum pro tempore morari contigerit, ac in ejus abſentia ſinguli Priores, ſive Prę ſidentes ſingularum domorum dicti Ordinis, nunc, & pro tempore exiſtentes, ac quatuor prędicti Ordinis profeſſores Presbyteri idonei, Supplex petitio. per Vicarium, & ſingulos Priores, ſive Prę ſidentes prędictos, in ſingulis domibus deputandi, poſſint Confeſſiones utriuſque ſexus Chriſti fidelium forenſium, ad ſingulas domos prędictas accedentium, & ibidem proprium domicilium non habentium, ac inibi confiteri volentium, toties quoties ibidem confitebuntur, libere audire, & eos ab omnibus, & ſingulis peccatis, exceſſibus, & delictis per eos commiſſis, ac confeſſis, atque excommunicationis ſententiis, & cenſuris, & pęnis in ſingulos fideles prędictos in genere, vel in ſpecie ordinaria auctoritate latis, de quibus ipſi fideles ſe abſolvi petierint, dum tamen non ſint talia propter quę Sedes prędicta ſit merito conſulenda, in loci Ordinarii abſen-

abſentia duntaxat, abſolvere, & eis ſuper prȩmiſſis pȩnitentiam ſalutarem injungere, ac vota peregrinationis, & abſtinentiȩ per eoſdem fideles emiſſa, quȩ loci ordinarius, ſi prȩſens eſſet, commutare poſſet, & ipſi fideles commode adimplere non poterunt, & in ipſius loci ordinarii abſentia, in alia pietatis opera commutare, necnon omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus, tam forenſibus, quam in civitatibus, & locis, in quibus Domus ipſȩ conſiſtunt, commorantibus, Euchariſtiȩ Sacramentum quocunque tempore, Feſto Reſurrectionis Dominicȩ duntaxat excepto, eorundem fidelium Parochialium Eccleſiarum Rectorum, & quorunlibet aliorum licentia minime requiſita, miniſtrare poſſint, perpetuo ſtatueretur, & ordinaretur, profecto devotio eorundem fidelium, ad Domus Fratrum Prȩdicatorum ex magno devotionis fervore pro conſequendis ſpiritualibus alimentis occurrentium, augeretur, & eorundem fidelium animȩ ferculo divini ſermonis decentius reficerentur, ipſique fideles ad imitationem Religionis hujus facilius invitarentur. Nos igitur, qui ſingularum Chriſti fide-
Privilegia, lium animarum ſalutem quȩrimus, Regis, & Reginȩ, ac Vicarii, Priorum, & Fratrum prȩdictorum in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore prȩſentium, perpetuo ſtatuimus, & ordinamus, quod prȩdictus, & pro tempore exiſtens Generalis Vicarius in qualibet Domo dicti Ordinis ei ſubjecta, ubi eum pro tempore morari contigerit, ac in ejus abſentia ſinguli Priores, ſive Prȩſidentes ſingularum Domorum dicti Ordinis, nunc, & pro tempore exiſtentes, quatuor dicti Ordinis profeſſores Presbyteri idonei per Vicarium, & ſingulos Priores, ſive Prȩſidentes prȩdictos in ſingulis deputandi, poſſint confeſſiones utriuſque ſexus Chriſti fidelium forenſium, ad ſingulas Domus prȩdictas occurrentium, & ibidem proprium domicilium non habentium, ac inibi confiteri volentium, toties quoties ibidem confitebuntur, libere audire, & eos ab omnibus, & ſingulis peccatis, & exceſſibus, & delictis per eoſdem commiſſis, ac confeſſis, necnon excommunicationum ſententiis, & pȩnis in ſingulos fideles prȩdictos in genere, vel in ſpecie, ordinaria auctoritate latis, de quibus ipſi fideles ſe abſolvi petierint, dum tamen talia non ſint, propter quȩ Sedes Apoſtolica prȩdicta merito ſit conſulenda, in loci ordinarii abſentia duntaxat, abſolvere, & eis ſuper prȩmiſſis pȩnitentiam ſalutarem injungere, ac vota peregrinationis, & abſtinentiȩ per eoſdem fideles emiſſa, quȩ loci ordinarius, ſi prȩſens eſſet, commutare poſſet, & ipſi fideles commode adimplere non poterunt, in ipſius loci ordinarii abſentia, in alia pietatis opera commutare, necnon omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus, tam forenſibus, quam in civitatibus, & locis, in quibus ipſȩ Domus conſiſtunt, commorantibus, Euchariſtiȩ Sacramentum quocunque tempore, Feſto prȩdicto duntaxat excepto, eorundem fidelium Parochialium Eccleſiarum Rectorum abſentium, & quorunlibet aliorum licentia minime requiſita, miniſtrare libere, & licite poſſint, & valeant, parce tamen, ne querelȩ inde eveniant. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cȩteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum, ſtatuti, & ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prȩſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romȩ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicȩ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Septimo, Quinto Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Privilegiis.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII*,

2. *Bullario.*) Legitur etiam apud *Confettium pag. 67*.

Anno 1478 Die 25 Junii.

Moniales Monaſterii S. Sixti de Urbe ſint in poſſeſſione (1) Monaſterii S. Cæſarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EX injuncto Nobis deſuper Apoſtolicȩ ſervitutis officio circa quorunlibet, prȩſertim almȩ Urbis Monaſteriorum, & cunctorum aliorum piorum locorum ſtatum proſperum dirigendum, Noſtrȩ meditationis aciem libenter adhibemus, & ut perſonȩ in illis Deo dedicatȩ, quȩ viri relicto toro, & liberorum ſpreta progenie, ac mundanis abdicatis illecebris, ſuam Virginis filio devoverunt integritatem, ſublatis quibuſcunque litigiorum anfractibus, cum animi ſui quiete, vota ſua Altiſſimo reddere valeant, opem, & operam efficaces impendimus, & iis, quȩ pro earum commodo, & utilitate *rite* geſta ſunt, Apoſtolicȩ confirmationis, cum a Nobis petitur, libenter adiicimus firmitatem. Dudum ſiquidem felicis recordationis Eugenio Papȩ IIII, Prȩdeceſſori noſtro, pro parte Prioriſſȩ, & Conventus Monaſterii S. Sixti de Urbe Ordinis S. Auguſtini, ſub habitu, & inſtitutione Fratrum Prȩdicatorum, ac perpetua clauſura degentium, expoſito, quod in ipſo Monaſterio copioſus Sororum numerus tunc erat, quȩ ſecundum gratiam eis a Domino traditam inibi devote, & religioſe eidem Domino militare ſtudebant, quodque dubitabatur, ne forte Monaſterium Monialium S. Cȩſarii etiam de Urbe, Ordinis S. Benedicti, prope ipſum Monaſterium S. Sixti, & fere ex oppoſito illius ſituatum, in quo, ut aſſerebatur, propter illius deſolationem, ſolum duȩ, aut tres Moniales morabantur ad manus Religioſorum, aut aliorum virilis ſexus hominum pro earum habitatione ex conceſſione Sedis Apoſtolicȩ, vel alias, cum nota, & ſcandalo ipſarum Sororum Monaſterii S. Sixti hujuſmodi, in poſterum deveniret, niſi eidem Monaſterio S. Sixti uniretur, & quod ſi hujuſmodi unio fieret, ex hoc quies, & ſecuritas dicti Monaſterii S. Sixti, & in eo pro tempore degentium Sororum, & perſonarum ſequeretur, & earum neceſſitatibus, & indigentiis ſubveniretur, ipſumque Monaſterium S. Sixti in ſuis ȩdificiis poſſet commode reparari; idem Eugenius, Prȩdeceſſor, tunc Abbati Monaſterii S. Laurentii extra muros dictȩ Urbis, ejus proprio nomine non expreſſo, & ejus conſcientiam onerando, ut de
expo-

expoſitis ipſis ſe diligenter informaret, & ſi, ipſa expoſita vera eſſe, reperiret, Abbatiali Dignitate, & Ordine S. Benedicti hujuſmodi per eum in dicto Monaſterio S. Cęſarii, ſuppreſſis, ipſum cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis ex tunc eidem Monaſterio S. Sixti in perpetuum auctoritate Apoſtolica uniret, annecteret, & incorporaret, dictiſque monialibus dicti Monaſterii S. Cęſarii ad prędictum Monaſterium S. Sixti, ſi ad illud tranſire, & in eo remanere vellent, ſe transferendi, & in eo habitu ipſarum mutato perpetuo remanendi, licentiam concederet, & ſi ad ipſum Monaſterium S. Sixti tranſire non vellent, eis de alio loco honeſto, & portione congrua ipſis quoad viverent per Monaſterium S. Sixti hujuſmodi miniſtranda provideret, ſuis dedit literis in mandatis; Et deinde, ſicut exhibita Nobis pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus dicti Monaſterii S. Sixti, petitio continebat, Laurentius Abbas dicti Monaſterii S. Laurentii ad executionem literarum dicti Eugenii procedens, & contenta in eiſdem literis fore vera reperiens, dictum Monaſterium S. Cęſarii, in eo dignitate, & Ordine S. Benedicti ſuppreſſis, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis prędicto Monaſterio S. Sixti eadem auctoritate univit, annexuit, & incorporavit, Abbatiſſamque, & Moniales S. Cęſarii ad idem Monaſterium S. Sixti tranſtulit, ſeu verius, tranſeundi, & in eo perpetuo manendi licentiam conceſſit, ac prius dictam Prioriſſam, & Conventum dicti Monaſterii S. Sixti in corporalem poſſeſſionem Monaſterii S. Cęſarii, juriumque, & pertinentiarum prędictorum induxit, ac Abbatiſſę, & Monialibus Monaſterii S. Cęſarii ipſum Monaſterium S. Sixti pro habitatione earundem, ita quod in eo valerent perpetuo honeſte morari, cum portione congrua pro ipſarum ſuſtentatiooe, per Prioriſſam dicti Monaſterii S. Sixti eis perpetuo adminiſtranda deputavit, ac ſucceſſive bonę memorię Aſtorgius Archiepiſcopus Beneventan., tunc Urbis prędictę Gubernator, de voluntate recolendę memorię Dominici, olim Epiſcopi Tuſculan. cum Monaſterium S. Cęſarii prędictum ſub Eccleſia Tuſculana ante unionem, annexionem, & incorporationem hujuſmodi extitiſſet, quondam Antoniam, Gregoriam, & Scholaſticam olim Monaſterii S. Cęſarii hujuſmodi Moniales, & in eo tunc degentes, ad dictum Monaſterium S. Sixti tranſtulit, & ſub perpetua clauſura cum ipſius Monaſterii S. Sixti Sororibus repoſuit. Poſtmodum vero cum Prioriſſa, & Conventus dicti Monaſterii S. Sixti poſſeſſionem Monaſterii S. Cęſarii, juriumque, & pertinentiarum prędictorum, vigore literarum unionis, annexionis, & incorporationis hujuſmodi, apprehendiſſent, illamque aliquandiu tenuiſſent, bonę memorię Latinus, tunc Epiſcopus Tuſculanus, illud de facto occupavit, & uſque ad obitum ejus detinuit, & deinde orta inter dictam Prioriſſam, & Conventum Monaſterii S. Sixti, ac venerabilem Fratrem noſtrum Jacobum Epiſcopum Tuſculanum ſuper dicto Monaſterio S. Cęſarii, quod Abbatiſſa, & Conventus prędictę dicto Monaſterio S. Sixti, ut prefertur, illudque ſit unitum ad Monaſterium S. Sixti hujuſmodi propterea ſpectaſſe, & pertinuiſſe, tuncque ſpectare, & pertinere, ſeque, & Monaſterium S. Sixti hujuſmodi ipſius Monaſterii S. Cęſarii, & ejus bonorum per dictum Latinum, & ſucceſſive per eundem Jacobum poſſeſſione ſpoliatas fuiſſe, Jacobus vero Epiſcopus prędictus ratione dictę Eccleſię Tuſculan. dictum Monaſterium S. Cęſarii ad ſe de jure ſpectare, aſſerebant, prout eadem Prioriſſa, & Conventus Monaſterii S. Sixti adhuc aſſerunt, materia queſtionis, Nos, cauſam hujuſmodi dilecto filio noſtro Johanni S. Praxedis Presbytero Cardinali, ad inſtantiam dictarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii S. Sixti audiendam commiſimus fine debito terminandam, ipſeque Johannes Cardinalis ad nonnullos actus, citra tamen concluſionem, dicitur proceſſiſſe, & ſucceſſive Jacobus Epiſcopus, ac Prioriſſa, ac Conventus prędicti ad hujuſmodi concordiam devenerunt, ut quod ipſa Prioriſſa, & Conventus, ac Monaſterium S. Sixti inter cetera ad priſtinam poſſeſſionem Monaſterii S. Cęſarii hujuſmodi reſtituerentur, & redintegrarentur, ac prędictus Jacobus Epiſcopus quoad vixerit dictum Monaſterium S. Cęſarii, ac illius bona tenere, & poſſidere debeat, ipſoque Jacobo cedente, vel decedente, aut ipſum Monaſterium S. Cęſarii quomodolibet dimittente, liceat eiſdem Prioriſſę, & Conventui, poſſeſſionem Monaſterii S. Cęſarii, & bonorum ejuſdem, vigore unionis, annexionis, & incorporationis prędictarum, continuare, ac perpetuo, juxta ipſarum priorum literarum tenorem retinere. Quare pro parte dictarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii S. Sixti Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut cauſam hujuſmodi ad Nos advocare, & litem prędictam penitus extinguere, ac unionem, annexioneio, & incorporationem, ac concordiam hujuſmodi approbare, & alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur; Nos, qui dudum voluimus, quod ſemper in unionibus commiſſio fieret, vocatis quorum intereſt, & idem volumus obſervari in confirmationibus unionum factarum, ſtatum cauſę hujuſmodi, necnon Monaſteriorum prędictorum, fructuum, reddituum, & proventuum, veros valores annuos pro ſufficienter expreſſis habentes, Prioriſſę, & Conventus hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, cauſam prędictam ad Nos harum ſerie advocantes, & litem hujuſmodi penitus extinguentes, unionem, annexionem, & incorporationem, & concordiam prędictas, & inde ſequuta, rata, & grata habentes, illa auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, confirmamus, & approbamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus; ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui intervenerint in eiſdem; literaſque unionis, annexionis, & incorporationis ejuſdem Prędeceſſoris perpetuo juribus ſubſiſtere decernimus. Et nihilominus Prioriſſam, & Conventum prędictas ſuper dicto Monaſterio S. Cęſarii, & illius bonis, ut pręmittitur, unitis, per quempiam quavis auctoritate, etiamſi Cardinalatus, aut alia pręfulgeat dignitate, vel honore, deinceps moleſtari non poſſe, nec debere, ac ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, eadem auctoritate declaramus, atque decernimus, Noo obſtantibus pręmiſſis, & voluntate ooſtra prędicta, ac aliis quę dictus Prędeceſſor in ſuis literis prędictis voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę advocationis, extinctionis, confirmationis, approbationis, communitionis, ſupplementi, decreti, declarationis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum

ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Octavo, Septimo Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

R. de Vulterris.

1. *Poſſeſſione*.) Conſulenda *Conſtitutio CXCIV Eugenii IV*. Legitur *pag.* 106 hujus *III* Tomi.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Autographo aſſervato in Monaſterio *SS. Dominici & Sixti de Urbe*.

Anno 1478 Die 3 Octobris.

De Sacris S. Catharinæ Senenſis Stigmatibus (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXIII.

Dilecto filio Leonardo de Peruſio, Sacrę Theologię Profeſſori, Ordinis Prędicatorum Generali Magiſtro.

SIXTUS PP. IV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

OLim diſcretioni tuę commiſimus, ut in tui Ordinis Capitulo generali, quod nuper celebraſtis apud Peruſium in proxime pręterito Feſto Pentecoſtes cum Diffinitoribus, & Prioribus dicti Capituli, mature, & conſulte deliberares, quid in facto Stigmatum S. Catherinę (3) de Senis pro tuenda pace inter Ordinem Seraphici Franciſci, & tuum foret agendum, ſuſpendentes interim omnia pęnalia, quę in Bulla, per Nos contra quoſdam ſuper hoc edita, Dat. Romę apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicę MCCCCLXXV, Octavo Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno IIII, contineri dicebantur; Quę quidem Bulla incipit: Licet dum militans in Terris. Tu vero veluti Sanctiſſimę Sedis Apoſtolicę, & ſalutaris obedientię filius, ſicut ſemper fuit tuus Sacratiſſimus Ordo, in ipſo Peruſino veſtro Capitulo Generali maturo, & longo habito conſilio ſuper hac re, Nobis expoſuiſti ex parte tua, & omnium Diffinitorum, qualiter vos ſtatuiſtis ſub graviſſimis cenſuris & pęnis, ne de cetero S. Catherina cum Stigmatibus depingatur, neve de ejus Stigmatibus fiat verbum, aut ſermo, vel Prędicatio ad tollendam omnem ſcandali occaſionem, & hanc ipſam veſtram ordinationem, tam Generali Ordinis Minorum, quam aliquibus Patribus ipſius Ordinis oſtendiſti, quam minime reſpuerunt. Quare Nos, tuam, & tui Ordinis obſervantiam, laudantes, & approbantes, hortamur te, & tui Ordinis univerſos Fratres in Domino, vobiſque omnibus diſtrictius pręcipimus, ut quę in veſtro Capitulo Generali, bene, & optime ordinaſtis, obſervare inviolabiliter ſtudeatis. Nos autem de gratia ſpeciali omnia pęnalia contenta in dicta Bulla ſupra nominata, ex nunc motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia caſſamus, revocamus, & annullamus, & nolumus quod dicta pęnalia aliquem in aliquo obligent, vel aſtringant; in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III Octobris MCCCCLXXVIII Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Nota perennem in S. Sedem Ordinis obedientiam a S. Pontifice eximia laude celebratam.

L. Griſus.

1. *Stigmatibus*.) Vide *Notas* ad *Conſtitutionem LXXIX* ejuſdem *Sixti*. Legitur *pag.* 536.

2. *Archivo*.) In quo Autographum, & Exemplar authenticum, cui ſubſcripſit ipſe *Leonardus* Generalis Magiſter Ordinis. Notandum quod exemplar illud ſic incipit: *In Dei Filio ſibi cariſſimis Reverendis Prioribus Provincialibus, Conventualibus, Vicariis Generalibus, Præſidentibus, Magiſtris, & Patribus, ac Fratribus univerſis totius Ordinis Prædicatorum F. Leonardus de Manſuetis de Peruſio, Sacræ Theologiæ Profeſſor &c.* Sic vero ſubſcribit ipſius Socius: *F. Leonardus de Florentia*. Quod *Leonardus* iſte *de Florentia* a Magiſtro Generali, cui ab Epiſtolis erat, ſit diſtinguendus, liquet ex Exemplari authentico Conſtitutionis *Sixti IV*, quam vulgo *Mare magnum* vocant. Extat in Archivo Cœnobii *Patavini*. Ad ipſius calcem ſic legitur. *Ego Frater Leonardus de Florentia de mandato Reverendiſſimi Magiſtri Ordinis Prædicatorum Fratris Leonardi de Peruſio, omnibus ſupradictis tanquam fideliter exemplatis ex originali Bulla Plumbea. ſigillum ſuum magnum conſuetum appoſui, & iſte parvum, in fidem & robur omnium præmiſſorum, iſta die VII Menſis Octobris DCCCLXXIIII, Indictione VIII Padue.*

Lo ✠ cus ſigilli magni.

Lo ✠ cus ſigilli parvi.

Aliud Exemplar aſſervatur in Archivo Cœnobii *Mutinenſis*.

3. *S. Catherinæ*.) Alias ſic, nunc *Catharinæ*.

Anno 1478 Die 5 Novembris.

Columbarienſe (1) Monaſterium Beneficiis eccleſiaſticis donat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXIV.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Prępoſito Eccleſię Sancti Martini Columbarien., Baſilien. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

DIgna exauditione vota perſonarum humilium &c. Dudum ſiquidem pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Sororum domus S. Catharinę oppidi Columbarien., Baſilien. Dięceſis, Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, Nobis expoſito, quod fructus, redditus, & proventus dictę domus, caſſantibus guerris, & aliis ſiniſtris eventibus, qui in partibus illis viguerant, adeo tenues, & exiles effecti erant, quod ipſę quę fere quinquaginta numero erant, ſub regulari, & ſtricta obſervantia Altiſſimo famulantes, ſe ex eis decenter ſuſtentare, & onera eis incumbentia ſupportare, commode non poterant. Nos, ipſarum Prioriſſę, & Sororum ſupplicationibus inclinati, duas perpetuas Capellanias, prębendas nuncupatas, ad Altare Beatę Marię, ſitum in Eccleſia dictę domus, quę ſine cura ſunt, per quondam Johannem Finche Presbyterum ejuſ-

Digitized by Google

ejuſdem Diœceſis fundatas, & quarum collatio, ſeu pręſentatio, ad dictas Prioriſſam, & Sorores pertinet, & in quarum fundatione caveri dicitur, quod illę dum pro tempore vacant, duobus Presbyteris ſecularibus, qui alternatis hebdomadis Miſſas inibi celebrare tenerentur, conferri deberent, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem domui per alias noſtras literas perpetuo univimus, annexuimus, & incorporavimus, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum itaque, ſicut accepimus, dilectus filius Bernardus Petri, unus ex Capellanis ipſis, obtinens, familiaris noſter continuus commenſalis extitit, illam, quam obtinet, ad effectum, ut hujuſmodi unio, annexio, & incorporatio ſuum ſortiatur effectum, & alias ex certis rationabilibus cauſis, ſponte, & libere reſignare proponat, Nos, qui dudum quaſcunque uniones, annexiones, & incorporationes, de quibusvis dignitatibus, & beneficiis Eccleſiaſticis noſtrę, & Sedis Apoſtolicę diſpoſitioni generaliter reſervatis, ſeu mandata de uniendo, necnon literas deſuper confectas, & inde ſecuta, motu proprio, & ex certa ſcientia quoad reſervata prędicta auctoritate Apoſtolica revocavimus, caſſavimus, & annullavimus, ac declaravimus eaſdem uniones, annexiones, & incorporationes conceſſas, ſeu in poſterum concedendas, ac deſuper confectas, & conficiendas literas, etiamſi de verbo ad verbum de revocatione, caſſatione, annullatione, ac declaratione hujuſmodi mentio haberetur, & illis derogaretur expreſſe, nullius fore roboris, vel momenti, ac quod fructus, redditus, & proventus beneficii, cui aliud peteretur uniri, exprimi deberent, alioquin unio non valeret, votis ipſius Bernardi in hac parte favorabiliter annuentes, ac dictas Prioriſſam, & Sorores pręmiſſorum intuitu gratioſo favore proſequi volentes pręfato Bernardo apud Nos de vitę, ac morum honeſtate, aliiſque laudabilibus probitatis, & virtutum meritis multipliciter commendato, ſpecialem gratiam facere, &, ne propter reſignationem hujuſmodi nimium diſpendium patiatur, de alicujus ſubventionis auxilio providere volentes, ipſumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, & cenſuris, ac pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa, latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtat, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, necnon omnia, & ſingula beneficia Eccleſiaſtica, cum cura, & ſine cura, quę dictus Bernardus, etiam ex quibuſvis diſpenſationibus Apoſtolicis, obtinet, & expectat, ac in quibus, & ad quę jus ſibi quomodolibet competit, quęcunque, quodcunque, & qualiacunque ſint, eorumque, dictarumque diſpenſationum tenores, ac dictę domus fructuum, redditiuum, & proventuum veros annuos valores pręſentibus pro expreſſis habentes, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, & committimus, quatenus ab eodem Bernardo, vel procuratore ſuo, ad hoc ab eo ſpecialiter conſtituto, reſignationem hujuſmodi, ſi eam in tuis manibus ſponte, & libere facere voluerit, ut pręfertur, auctoritate noſtra hac vice duntaxat recipias, & admittas, eaque per te ſic recepta, & admiſſa, eiſdem Prioriſſę, & Sororibus, quod literę prędictę cum omnibus, & ſingulis in ipſis contentis clauſulis, ac unio, annexio, & incorporatio hujuſmodi de dicta Capellania ſic reſignata, quę ſine cura eſt, & cujus fructus, redditus, & proventus triginta quinque florenorum Rhenen. ſecundum communem extimationem valorem annuum, ut aſſerunt, non excedunt, ſive per hujuſmodi reſignationem tunc, aut alias quovis modo, ſeu ex alterius cujuſconque perſona, vel per ſimilem reſignationem dicti Bernardi, vel alicujus alterius de illa extra Romanam Curiam, & coram Notario publico, & teſtibus, ſponte factam vacet, etiam ſi tanto tempore vacaverit quod ejus collatio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta, ipſaque Capellania diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſſa, dummodo tempore dat. pręſentium non ſit in ea alias alicui ſpecialiter jus quęſitum, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, ſuum ſortiantur effectum, ita quod liceat dictis Prioriſſę, & Sororibus per ſe, vel alium, ſeu alios, Capellanię, juriumque, & pertinentiarum prędictorum corporalem poſſeſſionem auctoritate propria libere apprehendere, illiuſque fructus, redditus, & proventus in ſuam, & Domus, & Capellanię prędictorum utilitatem convertere juxta earundem literarum ſeriem, Diœceſani loci, & cujuſcunque alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, vocatis quorum intereſt, auctoritate noſtra concedas, necnon pręfato Bernardo penſionem annuam viginti unius florenorum etiam Rhenen. ſuper fructibus, redditibus, & proventibus Capellanię reſignandę, & domus prędictarum, per eaſdem Prioriſſam, & Sorores, poſtquam ipſę poſſeſſionem pacificam dictę Capellanię fuerint aſſecutę, eidem Bernardo quoad vixerit, vel ejus procuratori ad hoc ab eo ſpeciale mandatum habenti, in terminis, & locis, & ſub pœnis per te, ut videbitur, ad hoc ſtatuendis, & ordinandis, annis ſingulis realiter perſolvendam, & exhibendam, eadem auctoritate reſerves, conſtituas, & aſſignes, faciens dicto Bernardo de proviſione prędicta juxta reſervationem, conſtitutionem, & aſſignationem per te ſibi de illa, ut pręmittitur, faciendas, integre reſponderi. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam &c. Non obſtantibus pręmiſſis, ac felicis recordationis Bonifatii PP. Octavi Prędeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus &c. quibuſcunque, aut ſi Prioriſſę, & Sororibus pręfatis a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod ad ſolutionem alicujus penſionis minime teneantur &c. aut quod interdici, ſuſpendi &c. per literas Apoſtolicas non facientes plenam &c. mentionem, & qualibet alia dictę Sedis Indulgentia &c. & de qua, cujuſque toto tenore &c. habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, attente quoque provideas, ne in reſignatione hujuſmodi, ſi fiat, ex parte Bernardi, ac Prioriſſę, & Sororum prędictorum aliqua pravitas interveniat, ſeu etiam corruptela. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane &c. contigerit attentari. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Octavo, Non. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Columbarien.*) Juris eſt *Alſatię* Congregationis.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXIII fol.* 11.

De F. Jacobo Borell (1) in Inquiſitoris priſtinam dignitatem reſtituendo.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Anno 1479 Die 21 januarii.

Dilecto filio Generali Ordinis Prędicatorum.

S I X T U S P P. I V.

CXV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

NUper nobis eum querela exponi fecit dilectus filius Jacobus Borell Sacrę Theologię, ac Ordinis Prędicatorum profeſſor, quod cum ipſe ad officium Inquiſitionis hereticę pravitatis per ruum mediatum prędeceſſorem in Civitate, & Regno Valentię deputatus, deinde per Sedem Apoſtolicam confirmatus fuiſſet, & in eo pacifice, & laudabiliter per plures annos ſe exercuiſſet, quidam Michael de Mariello (3) eundem Ordinem profeſſus, Provincialis Provincię Aragonię, eundem Jacobum, nullis demeritis exigentibus, contra juſtitiam, nulla legitima cauſę cognitione prędecedente, dicto officio, ejuſque poſſeſſione ſpoliavit, atque privavit, illi inhibendo ſub excommunicationis pęna, ne ulterius in hujuſmodi officio ſe intromitteret, & quendam Johannem Marques (4), ejuſdem Ordinis Fratrem, ad idem officium inſtituit, & deputavit, in magnum dicti Jacobi prędijudicium, & gravamen, & Apoſtolicę Sedis contemptum. Propter quod prędfatus Jacobus, ſentiens ſe ex his indebite gravatum, ad Nos, Sedemque Apoſtolicam recurſum habuit, humiliter ſupplicans, ut dignaremur pro debito paſtoralis officii ſibi ſuper hoc opportuno adeſſe remedio. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę, prędſentium tenore, committimus, ac mandamus, ut,

Mandatum.

amoto dicto Johanne, eidem prędcipiendo ſub cenſuris eccleſiaſticis, ne de dicto officio de cetero ſe impediat, ipſum Jacobum, ſic de facto, ut prędmittitur, ſpoliatum, atque privatum, ad idem officium, ejuſque liberum exercitium auctoritate noſtra reſtituas, & in illius pacifica poſſeſſione conſerves, illum a quibuſvis cenſuris eccleſiaſticis, in eum hac de cauſa quomodolibet latis, abſolvens ſimpliciter, & ad cautelam, ac ſecum ſuper irregularitate, ſi quam prędmiſſorum prędtextu forſan incurriſſet, diſpenſes, eundemque habilites. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die XXI Januarii MCCCCLXXIX, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

L. Griſus.

1. *Borell.*) Cujus meminit *Diago Hiſtoria Provincia Aragonia Lib. I Cap. XXXV pag. 64.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum.
3. *Michael de Mariello.*) Vulgo *Morillo*, ut cognominatur a *Diago Hiſtor. Provincia Aragonia Lib. I Cap. XLI pag. 72.*
4. *Johannem Marques.*) Aliis *Marquet*, oriundum e nobiliſſima proſapia *Raymundi Marques*, Barchinonenſis, Claſſis & triremium ducis, *Petro I* Rege. De *Johanne* noſtro dicetur in *Appendice ad Pontificatum Alexandri VI.*

Anno 1479 Die 30 januarii.

Delegat Rigenſis Cœnobii Priorem, qui litem componat inter Archiepiſcopum, & Cives Rigenſes (1).

CXVI.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Domus Fratrum Prędicatorum Rigen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

HIs, quę inter perſonas Nobis, & Apoſtolicę Sedi devotas provide geſta &c. (3). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Advocati, Burgimagiſtrorum, Conſulatus, & Civium, Civitatis Rigen. petitio continebat, quod olim poſtquam dilecti filii Prępoſitus, ac Decanus, & Capitulum Eccleſię Rigen. in cauſa, quę vertebatur inter eos, & Advocatum, Burgimagiſtros, Conſulatum, Cives, & Communitatem prędfatos de, & ſuper terra Tittegerue nuncupata, in oppoſito Daien., & Stenhove, Rigen. Diœceſis, & nonnullis aliis bonis immobilibus in civitate, & Diœceſi hujuſmodi conſiſtentibus, quę Advocatus, Burgimagiſtri, Conſulatus, Cives, & Communitas antedicti tum in parte poſſidebant, in Romana Curia litigando contra eoſdem Advocatum, Burgimagiſtros, Conſulatum, Cives, & Communitatem tres definitivas ſententias reportaverant, & ſuper earum proſecutione ſolitis ſubſecutis proceſſibus Prępoſitus, Decanus, & Capitulum antedicti inſpecto jure civitatis hujuſmodi, & pro augmentandis inter eos caritate, & amicitiis terras, & bona hujuſmodi in venerabilis Fratris noſtri Silveſtri Archiepiſcopi Rigen. prędſentia ſponte, & libera voluntate eiſdem Advocato, Burgimagiſtris, Conſulatui, Civibus, & Comunitati dimiſerunt, ſeu conceſſerunt, ſententiis, & proceſſibus hujuſmodi penitus renunciando, promittentes tam Archiepiſcopus, quam Prępoſitus, Decanus, & Capitulum prędfati, quod ipſi, vel ſucceſſores eorum perpetuis temporibus cauſa, ſententiis, & proceſſibus hujuſmodi, vel aliis literis Advocatum, Burgimagiſtros, Conſulatum, Cives, & Communitatem prędictos nunquam deberent, aut vellent moleſtare, vel impedire, ſed eos in poſſeſſionem dictorum terrarum, & bonorum, perpetuo dimittere, ac omnia prędmiſſa firmiter obſervare, prout in literis authenticis Archiepiſcopi, Prępoſiti, Decani, & Capituli prędictorum, ac aliarum perſonarum fide dignarum ſigillis munitis, dicitur plenius contineri.

Qua-

Quare pro parte Advocati, Burgimagiſtrorum, Conſulatus, Civium, & Communitatis prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dimiſſioni, ſeu conceſſioni, renunciationi, & permiſſioni prędictis, ac omnibus, & ſingulis in dictis literis contentis, & illa concernentibus pro illarum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de pręmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam, vocatis Prępoſito, ac Decano, & Capitulo pręfatis, ac aliis, qui fuerint evocandi, tibi de pręmiſſis legitime conſtiterit, dimiſſionem, ſeu conceſſionem, renunciationem, & permiſſionem prędictas, ac omnia, & ſingula in dictis literis contenta, eaſdem concernentia, auctoritate noſtra approbes, & confirmes, ſuppleaſque omnes, & ſingulos defectus tam juris, quam facti, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus quod tu de perſonis non ſis, quibus cauſę a Sede Apoſtolica delegari conſueverunt, ac felicis recordationis Boniſatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, quę incipit: Statutum: & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon dictę Eccleſię juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Octavo (4), Tertio Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Octavo. Mandatum.

1. *Rigen.*) In *Livonia*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXIII fol.* 265.
3. *Geſta &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Septuageſimo Octavo*.) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLXXIX*.

Priori Prædicatorum, & Guardiano Minorum Rigen. (1) de mutua pecunia Archiepiſcopo a Rigenſibus data.

Anno 1479 Die 4 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXVII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Prędicatorum, & Guardiano Ordinis Fratrum Minorum domorum Rigen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

His, quę pro Eccleſiarum, prę ſertim Metropolitan. &c (3). Dudum ſiquidem a felicis recordationis Paulo PP. II Prędeceſſore noſtro emanarunt literę tenoris ſubſequentis. Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Cum in omnibus judiciis &c. (4). Et deinde, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum communitatis, & civium civitatis Rigen., petitio continebat, quod dudum tam bonę memorię Johannes, quam ejus Prędeceſſores Archiepiſcopi Rigen. ſumma neceſſitate ducti, ſexcentas reſpective primo, & ſucceſſive idem Johannes Archiepiſcopus trecentas, & ſeptuaginta quinque marcas argenti ponderis Rigen. pro ſui, juriumque Eccleſię Rigen., defenſione, & tuitione, ac ejuſdem Eccleſię utilitate a pręfatis civibus, & communitate in prompta, & numerata pecunia mutuo receperunt, pro quibus reſtituendis, & dictorum civium, ac communitatis ſecuritate idem Johannes Archiepiſcopus de conſenſu, & voluntate dilectorum filiorum Capituli dictę Eccleſię certas villas videlicet Zarueſale, Amatendorp, Lepixa, & Puhaxtre, ac Zaieze, necnon Lottonos in ſuperiori parte aquę Zaleze ad pręfatam menſam legitime ſpectantes, & pertinentes, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eiſdem communitati, & civibus ſub certis modo, & forma obligavit, atque dedit, prout in certis literis authenticis, deſuper confectis, dicitur contineri. Quare pro parte dictę communitatis, & civium, aſſerentium quod in civitate, & Dięceſi Rigen. non ſint alii pręter perſonas Capituli pręfati, quibus negotium hujuſmodi juxta formam juris committi poſſit, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut obligationi, & donationi prędictis, ac omnibus, & ſingulis in dictis literis contentis, illaſque concernentibus, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, villarum ſituationes, & loca, ac literarum hujuſmodi tenores pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis Archiepiſcopo, & Capitulo pręfatis, & aliis qui fuerint evocandi, ac ſervata forma literarum Pauli Prędeceſſoris hujuſmodi, de pręmiſſis omnibus, & ſingulis auctoritate noſtra vos conjunctim diligenter informetis, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe, ac obligationem, & donationem prędictas in evidentem utilitatem menſę, & Eccleſię prędictarum ceſſiſſe repereritis, obligationem, & donationem prędictas, ac omnia, & ſingula in dictis literis authenticis contenta, eaſdem concernentia, auctoritate pręfata, alias juxta literarum authenticarum tenorem confirmetis, & approbetis, ſuppleatiſque omnes, & ſingulos defectus tam juris, quam facti, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus quod vos de perſonis, quibus cauſę hujuſmodi a Sede Apoſtolica delegari conſueverunt, non ſitis, ac felicis recordationis Boniſatii PP. Octavi etiam Prędeceſſoris noſtri, quę incipit: Statutum: (5), & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Octavo (6), Pridie Non. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

1. *Rigen.*) In *Livonia*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXIII fol.* 267.
3. *Metropolitan, &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Judiciis &c.*) Legitur in *Bullario Romano*. Eſt *II* inter Conſtitutiones *Pauli II*.
5. *Statutum*.) Legitur in *Sexto Decretalium Libro I Tit. III Cap. XI*.
6. *Octavo*.) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLXXIX*.

Leges

Anno 1479 Die 25 Februarii.

Leges a Generali Magiſtro pro Egrenſi (1) Cœnobio ſancitas, ratas habet & firmat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXVIII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

DE ſtatu ſingulorum Chriſti fidelium &c. (3). Sane pro parte dilectorum filiorum univerſorum Fratrum filiorum Nativorum (4) nuncupatorum Conventus Sancti Wenceslai de Egra, Provincię Saxonię (5) Ordinis Prędicatorum, Ratiſponen. Diœceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod dilectus filius Leonardus de Manſuetis (6), Prior Generalis Ordinis prędicti, Theologię profeſſor, ex certis rationabilibus cauſis, & pro bono pacis, & concordię tam dictorum Fratrum, quam etiam pro augmento ejuſdem Conventus, & ad quem plurimi Cives Egren. gerunt devotum ſinceritatis affectum, & in quo Conventu prędicti Fratres, filii nativi ejuſdem nuncupati, expreſſe profeſſi exiſtunt, per ſuas patentes literas ſtatuit, & ordinavit, quod omnes, & ſinguli filii, & Fratres nativi & originales dicti Conventus ubicunque diſperſi, & ubicunque exiſtentes, debeant infra unum annum a notitia literarum prędictarum redire ad ipſum Conventum, ibique reſidere, & vivere religioſe, ac adjuvare Conventum ipſum, & ſi forte Conventus non poſſet retinere omnes ſimul ſcilicet nativos, & alienos, mandavit Pręſidenti, & univerſis Patribus, & Fratribus tam conventualibus, quam nativis pręſentibus, & futuris Conventus prędicti, quod amoveant de alienis quotquot fuerint neceſſarii, & nativi remaneant, qui prope parentes, conſanguineos, & amicos magis poſſunt eundem Conventum juvare, quam extranei, & ſucceſſive ad effectum ordinationis, & proviſionis prędictarum efficacius conſequendum, omnes, & ſingulos Fratres nativos prędictos, qui infra annum ad dictum ſuum Conventum non redierint, ipſo facto intelligantur, & ſint privati Conventu, & filiatione ipſius, & ab aliquo ſe inferiore ad ipſum Conventum reſtitui nequeant, & Pręſidenti pro tempore dicto Conventui pręcepit in virtute Spiritus Sancti, & Sanctę obedientię, quod omnes hujuſmodi Fratres nativos redeuntes, & religioſe vivere cupientes, benigne recipiat, & admittat, & quatenus expediat, alienos excludat, & amoveat, & Provincialis prędictos nativos filios habeat commendatos, & Priorem ipſorum, qui pro tempore fuerit canonice electus, ſine mora confirmet, & poſtremo conſulatum....... Egren. exoravit, ut Conventum ipſum habeat commendatum, & ejuſdem nativos Fratres prędictos favoribus proſequatur opportunis, prout in dictis literis dicitur plenius contineri. Quare pro parte dictorum Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſtatuto, & ordinationi, ac mandato prędictis, ac omnibus, & ſingulis in dictis literis contentis, pro eorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę Confirmationis adjicere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſtatutum, ordinationem, mandatum prędictum, ac omnia, & ſingula in dictis literis contenta & inde ſecuta quęcunque, eaſdem concernentia, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium, confirmamus, & approbamus, & viribus perpetuo ſubſiſtere debere decernimus, & declaramus. Non obſtantibus Conſtitutionibus &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. Noſtrę Confirmationis, approbationis, Conſtitutionis, & declarationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo octavo (7), Quinto Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Confirmatio.

1. *Egrenſi.*) Vulgo *Eger*, in *Bohemia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXIII fol.* 72.
3. *Fidelium &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Filiorum nativorum.*) Eorum ſcilicet qui in ejuſdem Cœnobii filiorum numerum cooptati fuerunt.
5. *Provincia Saxoniæ.*) Nunc juris eſt Provincialis *Bohemiæ.*
6. *Leonardus de Manſuetis.*) De quo ſæpius dictum fuit.
7. *Septuageſimo Octavo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLXXIX.*

Anno 1479 Die 15 Aprilis.

Novæ Civitatis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXIX.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nobili viro Eraſmo Montaniſtę Domino oppidi Novę Civitatis, Agrien. (3) Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

SInceręe devotionis &c. (4). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte tua, petitio continebat, quod tu, cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, quandam Eccleſiam in proprio ſolo conſtrui, feciſti, & nunc ſingulari ductus devotionis affectu, quem ad Ordinem Fratrum Prędicatorum geris, in eodem loco unam ejuſdem Ordinis domum pro uno Priore, & Fratribus, in qua ipſi devotum, & ſedulum exhibeant Domino famulatum ad divini nominis laudem & gloriam, necnon Sancti Dominici honorem, cum Altaribus, campanili, campanis, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, aliiſque neceſſariis officinis, in pręfato loco conſtrui & ędificari facere vehementer deſiderat, ſi tibi deſuper ab Apoſtolica Sede licentia concedatur. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tuo pio deſiderio favorabiliter annuere, ac alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus propagationem noſtris pręſertim temporibus adaugeri intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi in loco ipſius Eccleſię unam domum Ordinis Fratrum Prędicatorum cum voca-

Facultas.

Digitized by Google

vocabulo alicujus Sancti per te eligendi, necnon campanili, campanis, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, aliiſque neceſſariis officinis de novo perpetuo fundandi, & erigendi, & conſtruendi, ſeu erigi, conſtrui, & ędificari faciendi, & Ordini prędicto dandi, & aſſignandi, ſine tamen alicujus prejudicio, ac Fratribus dicti Ordinis, quod Domum ipſam, poſtquam ędificata fuerit, inhabitare & perpetuo retinere, omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, immunitatibus, & indultis dicto Ordini generaliter conceſſis, & quibus alię domus dicti Ordinis potiuntur, utuntur, & gaudent, uti, potiri, & gaudere, libere & licite poſſint, & valeant, licentiam & facultatem auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium elargimur, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę elargitionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Nonu, Decimo ſeptimo Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Nova Civitatis.*) In *Hungaria*. Notandum, quod plures *Civitatenſes* Domus habuit Ordo Fratrum Prædicatorum: Iſtam ſcilicet in oppido *Nova Civitatis*, in *Hungaria*: alteram in *Iſtria*, ubi *Civitas nova*, urbs videlicet *Æmonienſis*, vulgo *Città nova*, vel *Emonia*: &, ut mittam ceteros *Civitatenſes* Conventus, qui ſunt in *Hiſpania*, in *Italia &c.*, eodem nomine vocatur *Forojulienſe* Cœnobium *S. Dominici*, quod ſpectat ad celeberrimam Congregationem *B. Jacobi Salomonii*. Urbs enim *Forojuliana*, vulgo *Cividale del Friuli*, alias dicta fuit *Civitas Auſtria*, *Civitas Auſtriæ*, ac etiam *Civitas*. Hac de re conſulendus eruditus noſter *Bernardus de Rubeis* in Notis ad Concilium a *Gregorio XII* anno *MCCCCIX* celebratum in *Civitate Auſtria*. Extat *Tomo XV Conciliorum Editionis Venetæ*. Hinc autem dubium ſubnaſci poteſt, utrum nempe *Civitatenſe* Cœnobium, de quo loquuntur *Urbanus VI* in *Conſtitutione IV* (Legitur Tomo II hujus Bullarii pag. 297) & *Bonifacius IX* in *Conſtitut. XXII* (ibidem pag. 322) ſit iſtud *Civitatis Auſtriæ*, uti cenſet Auctor mox laudatus in epiſtola hac de re data: an vero ſit illud *Civitatis nova* Cœnobium, cujus meminit *Plodius de Progenie S. Dominici Lib. I Cap. XIX pag. 65 col. II edition. Bononien. MDCXV*, uti dictum fuit in *Nota XX ad Conſtitut. IV Urbani VI*. Utrumque lectori permitto.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXL fol.* 232.

3. *Agrien.*) Vulgo *Erlavv*, aliis *Eger*, in *Hungaria*.

4. *Devotionis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Exordiis.

De Novæ Civitatis Cœnobio fundando (1).

Anno 1479 Die 15 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Prępoſito Beatę Marię Virginis nuncupato, & Michaeli de Poloiz Canonico Eccleſię Agrien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CXX.

HOdie a Nobis emanarunt literę tenoris ſubſequentis. Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei dilecto filio nobili viro Fraſmo Montaniſtę, Domino oppidi Novę civitatis, Agrien. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sincerę devotionis affectus &c. (3). Quo circa diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, ſeu alter veſtrum Fratres Ordinis Prędicatorum prędictos in corporalem poſſeſſionem dictę domus, poſtquam ędificata fuerit, auctoritate noſtra inducentes, eiſque de efficacis defenſionis auxilio aſſiſtentes, hujuſmodi noſtrę conceſſionis faciatis pacifica poſſeſſione gaudere, non permittentes eos contra tenorem ejuſdem, ac literarum hujuſmodi per quoſcunque moleſtari, ſeu quomodolibet perturbari, contradictores, moleſtatores, & perturbatores per cenſuram eccleſiaſticam &c. Non obſtantibus omnibus ſupradictis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim, ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Nono, Decimo Septimo Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Fundando.*) Conſulendum præcedens Diploma.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXL fol.* 233.

3. *Affectus &c.*) Ut in præcedenti *Conſtitutione* ad finem uſque.

Unit quædam Beneficia Cœnobio Brixienſi (1) S. Dominici.

Anno 1479 Die 2 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii Sanctę Euphemię, Brixien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CXXI.

AD apoſtolicę Sedis apicem divina diſpoſitione vocati &c. (3). Cum itaque, ſicut accepimus, Corradinus de Brixia, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, Sanctę Marię de Cignano, necnon Fadinus de Monte Predoro, dilecti filii, Sanctiſſimę Trinitatis de Guzago, Brixien. Dięceſis Eccleſias, quas videlicet Corradinus, & Fadinus ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica, reſpective obtinent, ſponte, & libere reſignare proponant, &, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus S. Dominici Brixien. Ordinis Prędicatorum, petitio continebat, ſi ipſi, qui in dicta Domo, benedicente Domino, in copioſo numero exiſtunt, & pro eleemoſynis aliquem, ſeu aliqua loca in dicta Dięceſi, ad quem tam quęſtuantes prędicti tempore quęſtarum hujuſmodi, quam aliqui Fratres dictę Domus tempore peſtilentię, quę in Civitate Brixien. vigere aliquando ſolet, prout proximis temporibus viguit, declinare poſſent, haberent, hoc ad magnam commoditatem Fratrum Prędicatorum cederet, & plures tempore peſtilentię hujuſmodi, juvante Domino, periculum Diplomatis cauſa.

mor-

Confert ut ſupra. mortis poſſent evadere. Quare pro parte Prioris, & Fratrum Prędicatorum, aſſerentium quod Sanctę Marię undecim, necnon Sanctę Trinitatis Eccleſiarum, quę ſine cura ſunt, fructus, redditus, & proventus, etiam undecim florenorum auri de camera ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Eccleſias prędictas eidem Domui unire, annecti, incorporari, & appropriari, & applicari, mandare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia eccleſiaſtica aliis uniri, teneręntur exprimere verum valorem annuum tam beneficii uniendi, quam illius, cui uniri peteretur, alioquin unio non valeret, Priorem, & Fratres prędictos ab omnibus, & ſingulis excommunicationis, & interdicti &c. abſolutos fore cenſentes, necnon fructuum, redditumm, & proventuum dictę Domus verum valorem annuum pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, & committimus, quatenus a Corradino necnon Fadino prędictis, vel procuratoribus eorum, ad hoc ab eis ſpecialiter conſtitutis, reſignationes ipſas, ſi eas in tuis manibus facere voluerint, ut prefertur, auctoritate noſtra recipias, & admittas, eiſque per te receptis, & admiſſis, vocatis quorum intereſt, de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, eorumque circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem ipſam ita eſſe repereris, Eccleſias ipſas, quę ſine cura ſunt, ſive per reſignationem hujuſmodi tunc, ſive alias quovis modo, aut ex aliorum quorumcunque perſonis, ſeu per ſimiles reſignationes Corradini, & Fadini prędictorum, vel aliquorum aliorum de illis extra Romanam Curiam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factas, vacent, & ſi tanto tempore vacaverint, quod ejus Collatio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta, ipſęque Eccleſię diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter reſervatę exiſtant, & ſuper eis inter aliquos lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo tempore dat. pręſentium non ſit in eis alias alicui ſpecialiter jus quęſitum, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Domui perpetuo unire, annectere, & incorporare, appropriare, & applicare, ita quod liceat Priori, & Fratribus prędictis per ſe, vel alium, ſeu alios, dictarum Eccleſiarum poſſeſſiones auctoritate propria apprehendere, & perpetuo retinere, illarumque fructus, redditus, & proventus in ſuos, ac Domus, & Eccleſiarum uſus, utilitatemque pro luminaribus, paramentis, & ornamentis eccleſiaſticis, ac aliis neceſſitatibus dictę domus convertere, Diœceſani loci, & cujusvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, dicta auctoritate procures. Non obſtantibus voluntate noſtra prędicta, necnon felicis recordationis Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi &c. literas impetrarunt &c. & quęcunque inde ſecuta ad dictas Eccleſias volumus non extendi &c. & quibuslibet aliis privilegiis &c. & de qua, cujuſque toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Proviſo quod dictę Eccleſię debitis propterea non fraudentur obſequiis &c. Attente quoque provideas, ne in reſignationibus hujuſmodi, ſi fiant, ex parte Corradini, & Fadini, ac Prioris, necnon Fratrum prędictorum aliqua pravitas interveniat, ſeu etiam corruptela. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane ſi ſecus ſuper iis a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Nono, Sexto Nonas Maii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Brixien.*) Juris eſt Provinciæ *Lombardiæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXI fol.* 595.
3. *Vocati &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Anno 1479 Die 12 Maii.

Approbat Roſarium (1), ipſumque recitantibus Indulgentias elargitur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. EA quę ex fidelium devotione ad Dei Omnipotentis, & glorioſę Virginis Marię laudem, & gloriam pie ordinata ſunt, ut firma permaneant, noſtrę approbationis robore ſolidamus, ac fideles ipſos ad devotionis opera exercenda, Indulgentiis, & remiſſionibus libenter invitamus, ut exinde reddantur divinę gratię aptiores, maxime cum catholicorum Principum id expoſcit devotio. & hoc conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Sane pro parte dilecti filii Nobilis viri Franciſci (3)

Roſarium Beatæ Mariæ Virginis in Ducatu Britanniæ renovatum. Ducis, & dilectę in Chriſto filię nobilis Mulieris Margaritę (4), ejus conſortis (5) Duciſſę Britannię, Nobis fuit nuper propoſitum, quod in Ducatu Britannię, & pluribus aliis locis, creſcente fidelium devotione, ab aliquo tempore citra, innovatus (6) eſt certus modus, ſive ritus orandi pius, & devotus, qui etiam antiquis temporibus (7) a Chriſti fidelibus in diverſis mundi partibus obſervabatur: Videlicet, quod quilibet volens eo modo orare, dicit qualibet die ad honorem Dei, & Beatiſſimę Virginis Marię, & contra imminentia mundi pericula toties Angelicam Salutationem Ave Maria quot ſunt Pſalmi in Pſalterio Davidico, videlicet centies, & quinquagies, ſingulis decem ſalutationibus hujuſmodi Orationem Dominicam ſemel pręponendo. Et iſte ritus, ſeu modus orandi, Pſalterium Virginis Marię vulgariter nuncupatur. Unde Dux, & Duciſſa pręfati propter ſingularem, &

Dux, & Duciſſa Britanniæ approbationem Roſarii petunt. ſinceram, quam ad ipſam Beatam Virginem Mariam gerunt devotionem, cupiunt ritum, ſive modum orandi prędictum, ad obſtruendum ora aliquorum detrahentium, per Sedem Apoſtolicam approbari. Quare pro parte Ducis, & Duciſſę, & aliorum fidelium plurimorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ritum, ſeu modum orandi hujuſmodi approbare, aliaſque ſuper pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, tam Ducis, & Duciſſę, quam aliorum fidelium, piam devotionem in Chriſto habentium, commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus incli-

Approbatio Roſarii.

Digitized by Google

Inclinati, prętatum Pſalterium, ſive modum orandi prędictum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, approbamus, illumque tolerandum fore, ac cunctis fidelibus eo modo orare, licere, & debere, decernimus, & declaramus. Et, ut omnes, & ſinguli Chriſti fideles ad devotionis opera, & prędicto modo orandum, eo ferventius inducantur quo exinde animarum ſuarum facilius ſalutem conſequi ſperaverint, univerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus pręfato modo orare volentibus, ubilibet exiſtentibus, pręſentibus, & futuris, pro qualibet vice, qua ſic, ut pręmittitur, oraverint, pro qualibet quinquagena pręfati Pſalterii quinque annos, & totidem quadragenas Indulgentię miſericorditer in Domino relaxamus. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Et quia difficile foret pręſentes literas ad ſingula loca in quibus illis opus eſſet, originaliter deferri, volumus, & Apoſtolica auctoritate ordinamus, quod illarum vero tranſumpto manu duorum Notariorum alicujus Eccleſiaſticę curię ſubſcripto, & ſigillo alicujus Prędati, ſeu perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munito fides detur in omnibus, & per omnia, ac ſi ipſę originales literę exhibitę forent, vel oſtenſę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę approbationis, declarationis, & relaxationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Nono, Quarto (8) Idus Maii, Pnntificatus noſtri Anno Octavo.

Indulgentiæ conceſſæ.

1. *Roſarium.* De quo in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*
2. *Archivo.*) In quo quadruplex exemplar authenticum. Legitur etiam *Lib. B. fol.* 132 ex Autographo *Hiſpalenſi*, in *Bullario Romano* Conſtitutione *XVIII*, in Archivo Ordinis *Libro E. fol.* 4, apud *Uſuſmarem pag.* 162, apud *Caſtellanum Parte II pag.* 125, apud *Rodericum* in *Nova Collectione Privilegiorum Apoſtolicorum pag.* 139, in *Bullario Roſarii pag.* 51. Exemplar authenticum habes in Archivo *Neapolitani* Cœnobii *S. Dominici.*
3. *Franciſci.*) Hujus nominis *II.*
4. *Margarita.*) Ejuſdem nominis uxores duas habuiſſe *Franciſcum*, teſtis eſt hiſtoria. Hic de *Margarita Fuxenſi* mentio. Jam jam enim obierat *Margarita* filia *Franciſci I*, quæ prius nupſerat *Franciſco II.*
5. *Conſoralis.*) Uxoris ſcilicet.
6. *Innovatus.*) A Beato *Alano de Rupe*; Auctor ſiquidem *Roſarii* fuit S. Patriarcha *Dominicus.*
7. *Antiquis temporibus.*) A tempore nempe *S. P. Dominici.*
8. *Quarto.*) Tria ejuſdem tenoris Diplomata eodem circiter tempore, *IV* nempe, *VII*, & *VIII* Idus Maii data fuiſſe, liquet ex tribus authenticis ſupra laudatis Exemplaribus, quæ tres illos dies habent aſcriptos. Hinc illa dierum diverſitas, quæ apud Auctores in *Nota II* citatos reperitur in hoc Diplomate ab ipſis tranſcripto.

F. Thomas Gognati (1) Viennenſis Inquiſitor creatur.

Anno 1479
Die 6 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXIII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Thomę Gognati, Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Thologię Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CONſiderantes tuę circumſpectionis induſtriam, in multis, & arduis ſępius approbatam, ac alia grandia virtutum inſignia, quibus perſonam tuam bonorum dator Altiſſimus decoravit, ea, quę etiam gravis ſunt ponderis, tibi fiducia ſecura committimus, ſperantes firmiter, quin potius pro certo tenentes, quod ad illa efficaciter exequenda ferventer intendas, intentum animi dirigas, & operoſę ſolicitudinis ſtudio proſequaris. Hinc eſt, quod Nos, qui deſideramus, & in votis gerimus, ut Fides Catholica noſtris proſperetur temporibus, & pravitas perverſorum hominum Nicoliniſtarum (3), & Huſſitarum (4) hęreſum, & errores eorundem in Provincia Viennen (5), & illi vicinarum partium vigentium, de finibus fidelium extirpentur, circa extirpationem eandem ſalubriter, & utiliter providere intendentes, te, qui, ut aſſeritur, Inquiſitor hęreticę pravitatis auctoritate Sedis Apoſtolicę deputatus exiſtis, in Provincia prędicta, & iiſdem, necnon Alemanię partibus, cum omnibus, & ſingulis immunitatibus, privilegiis, gratiis, & libertatibus Inquiſitoribus dictę pravitatis a jure, vel conſuetudine hactenus conceſſis, in cauſis hęreſum, & errorum prędictorum, Inquiſitorem facimus, conſtituimus, & etiam deputamus, dantes, & concedentes tibi contra prędictos Nicoliniſtas, & Huſſitas, ac credentes, receptatores, fautores, & defenſores eorum, tam eccleſiaſticas, quam ſeculares utriuſque ſexus perſonas, exemptas, & non exemptas, cujuſcunque etiam dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant, necnon infamatos, vel ſuſpectos de hęreſi, aut erroribus prędictis, procedendi, ac officium Inquiſitoris tibi commiſſum exequendi, juxta canonicas ſanctiones, necnon alia faciendi, quę de jure, vel conſuetudine Inquiſitores pravitatis prędictę quomodolibet facere conſueverunt, ſeu etiam potuerunt, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus facultatem. Per conceſſionem autem hujuſmodi non intendimus poteſtati, ac juriſdictioni aliorum Inquiſitorum, a Nobis, vel aliis, ad hoc auctoritatem habentibus, deputatorum, in aliquo derogare. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringeotelimo Septuageſimo Nono, Pridie Nooas Julii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Exordium.

Diplomatis cauſa.

Inquiſitor conſtitutus.

1. *Gognati.*) Hunc non novit *Fontana* Miniſtros S. Inquiſitionis recenſens in *Theatro Dominicano.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXVI fol.* 161.
3. *Nicoliaiſtarum.*) Sic a *Nicolao Galaco*, ſeculi *XV* hæretico, nuncupatos eſſe *Taboritas* crediderim. Errones ejuſdem ſeculi fuiſſe *Taboritas*, nemo neſcit. Ipſos ſectatus *Nicolaus Galæcus*, novam vulgavit hæreſim, *quod ſcilicet nullus homo juſte occidi poſſit novæ legis tempore, etiam per judicis ſententiam, cum novum Teſtamentum id non dicat.* Hinc prodiiſſe videtur *Nicoliaiſtarum* Secta.
4. *Huſſitarum.*) Quorum parens fuit *Johannes Hus*. De quo legendum *Conſtantienſe* Concilium.
5. *Viennen.*) In *Germania.*

Anno 1479 Die 26 Julii.

Aurea Bulla (1), ſeu Conſtitutio Prædicatorum, & Minorum Ordines ampliſſimis Privilegiis (2) ornans.

CXXIV.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium a laude Fratrum Minorum, & Prædicatorum.

SAcri Prędicatorum, & Minorum Fratrum Ordines, inſtar duorum primorum fluminum a cęleſtium voluptatum, & amęnitatum Paradiſo egredientium, Sacroſanctę univerſalis Eccleſię terram, ne mundanarum cupiditatum, & vitiorum calore areſcat, pręclarę doctrinę, virtuoſorum operum, ac multiplicium meritorum imbribus irrigantes, magis, ac magis illam in dies fructuoſam efficiunt. Hi ſunt duo Seraphim, qui in ſublime contemplationis, & Seraphici amoris alis elevati, a terreniſque rebus abſtracti aſſiduo divinarum laudum clamore, & immenſorum beneficiorum, humano generi a Summo opifice Deo exhibitorum, declaratione, ferventiſſimis prędicationibus populos inſtruendo, & ad cęleſte iter dirigendo inſiſtentes, multiplicata talenta eis credita, Domino Deo mundę ſegetis, animarum ſcilicet Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti pretioſi Sanguinis effuſione redemptarum, copioſos in horrea Sanctę Eccleſię manipulos referunt. Hi ſunt duę tubę, per quas Dominus pręcipit ad pabulum ſacri Evangelii univerſum populum aſſiduis prędicationibus advocari, ut in omnem terram exiret ſonus eorum, & redderent ſibi populum acceptabilem, & bonorum operum ſectatorem. Ad prędictorum igitur Prędicatorum, & Minorum Fratrum Ordines, quos pro eorum ampliſſimis meritis, & uberrimis fructibus, quos in Dei Eccleſia continue afferunt, pręceteris, paterna caritate diligimus, noſtrę conſiderationis intuitum dirigentes, illa eis libenter concedimus, quę in eis optatę quietis fructum inducant, & ſtatum eorum faciant pacificum, & tranquillum.

Diplomatis cauſa.

Dudum ſiquidem, ut Ordinum eorundem profeſſorum ſtatui, & quieti conſuleremus, Motu proprio, nonnullas literas diverſorum Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum, dictis Ordinibus conceſſas, & in illis contenta approbavimus, & quoad aliqua declaravimus, ampliavimus, & extendimus, ac nonnulla de novo eis conceſſimus, prout in diverſis noſtris literis, deſuper confectis, plenius continetur. Cum autem, ſicut poſtmodum accepimus, per hujuſmodi ampliationes, declarationes, extenſiones, & conceſſiones, adhuc totali eorundem Ordinum, & illorum profeſſorum quieti plene, ut expedit, non conſulatur, aſſeraturque a nonnullis per eaſdem literas, omnes gratias ſpirituales, & temporales dictis Ordinibus, & eorum domibus, & Fratribus a Prędeceſſoribus noſtris conceſſas, approbatas non fore; Nos, attenta meditatione penſantes, quantum utilitatis ad exaltationem Chriſtianę fidei, & evangelicę veritatis Ordinum prędictorum profeſſores hactenus attulerunt, & afferre valeant, adjuvante Domino, in futurum, ac propterea volentes, ut teneamur, eorum tranquillitati uberius providere, Motu ſimili, non ad ipſorum Fratrum, & Sororum, aut alterius pro eis Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa noſtra ſcientia, quaſcunque literas, & gratias ſpirituales, & temporales, conceſſiones, & indulgentias, ac peccatorum remiſſiones, in genere, vel in ſpecie, Fratribus, & Sororibus Prędicatorum, & Minorum Ordinum, ac domorum eorundem, necnon viſitantibus illorum Eccleſias, Capellas, & Oratoria conceſſas, quarum tenorem, ac ſi de verbo ad verbum pręſentibus inſererentur, haberi volumus, pro expreſſo, pręſentium tenore approbamus, & robur firmitatis perpetuę obtinere decernimus, proque potiori cautela, Apoſtolica auctoritate, de novo juxta literarum deſuper conceſſarum continentiam, & tenorem concedimus, & largimur.

Privilegia.

Et, ut Eccleſię, domus, & Oratoria Prędicatorum, & Minorum Ordinum prędictorum per univerſum orbem conſtructę, & ędificatę, & quę conſtrui, & ędificari, contigerit in futurum, congrua devotione, & veneratione, a Chriſti fidelibus viſitentur, ac, quę imperfectę ſunt, perficiantur, & ad complementum deducantur, & completę conſerventur, & manuteneantur, necnon paramentis, & aliis ad divinum cultum inibi neceſſariis, debite ornentur, ipſique Chriſti fideles ad dictas Eccleſias, eo libentius confluant, & ad pręmiſſa manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, univerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus utriuſque ſexus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſias, & Oratoria domorum Fratrum prędictorum in ſingulis S. Dominici, & S. Franciſci, centum annos, & totidem quadragenas, & in Sanctorum Petri Martyris, Thomę de Aquino, Vincentii, & S. Catherinę de Senis, ac Sanctorum Antonii de Padua, & Ludovici Epiſcopi, Bernardini, & S. Clarę, & B. Eliſabeth, feſtivitatum diebus a primis veſperis, & per totam diem ipſarum feſtivitatum quinquaginta annos, & totidem quadragenas, devote viſitaverint annuatim, & manus ad pręmiſſa, aut eorum aliqua porrexerint adjutrices, de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Et, ut prędictorum Prędicatorum, & Minorum Ordinum Fratres tanto ferventius divinis beneplacitis inſiſtant, quanto majoribus ſe viderint ſpiritualibus gratiis fore munitos, omnibus, & ſingulis Prędicatorum, & Minorum Ordinum profeſſoribus, qui nunc ſunt, & pro tempore perpetuo erunt, ut Confeſſor ydoneus eorundem Ordinum, quem quilibet pro ſe de ſui Superioris licentia duxerit eligendum, eorundem confeſſione diligenter audita, pro commiſſis per eos exceſſibus, & peccatis, ſemel in vita, in forma confeſſionalis per Nos edita, in mortis vero articulo plenariam abſolutionem, & peccatorum hujuſmodi remiſſionem impendere valeant, etiam ſi ante factam eorundem Ordinum profeſſionem eos decedere contingeret, ſimilibus motu, ſcientia, & auctoritate indulgemus. Facultatem vero a Prędeceſſoribus noſtris conceſſam Magiſtro Generali, & Prioribus Provincialibus, & Conventualibus, ac eorum

Vica-

Digitized by Google

Vicariis Prędicatorum, ac Generali, & Provincialibus Miniſtris, & eorum Vicariis, necnon Cuſtodibus Minorum, Ordinum prędictorum, ſuper abſolutione Fratrum eorundem Ordinum ſuorum, & diſpenſatione cum eiſdem, in quibuſcunque caſibus, preterquam illis pro quibus eſſent ad Sedem Apoſtolicam mittendi, & per Nos approbatam, cum declaratione caſuum pro quibus mittendi ſunt perſtringentes, volumus, quod Magiſter, & Miniſter Generales prefati, & eorum Vicarii, & illi, quibus ipſi Magiſter, & Miniſter Generales pro tempore id duxerint committendum duntaxat, & non alii facultate prędicta de cetero uti poſſint, illam omnibus aliis penitus adimentes. Et, ne propter Monaſteria Monialium, ſeu Sororum ſub cura, & inſtitutis Ordinis prefati Fratrum Prędicatorum, & Sanctę Clarę, ſeu Sancti Damiani Ordinum ſub ejuſdem Fratrum Minorum Ordinis cura degentia, S. Dominici, & S. Franciſci de Pęnitentia nuncupatorum Ordinum, utriuſque ſexus perſonas, contingat eorundem Fratrum quietem turbari, motu, ſcientia, & auctoritate prędictis, ſtatuimus, quod hujuſmodi Monaſteria, & loca, eorumque Abbatiſſę, & Prioriſſę, Procuratores, Sindici, oblati, & utriuſque Tertii Ordinis prędicti de Pęnitentia nuncupatę perſonę prędictę, eiſdemque privilegiis, immunitatibus, gratiis, & favoribus, conceſſionibus, facultatibus, & indultis, ſpiritualibus, & temporalibus, prędictis Fratrum Prędicatorum, & Minorum Ordinibus, ac illorum profeſſoribus, domibus, & locis, ac Procuratoribus, Sindicis, oblatis, & commiſſis, ſeu alias quomodolibet per Prędeceſſores noſtros, aut Nos hactenus conceſſis, & imposterum concedendis, quavis auctoritate, quatenus earum ſexui, & ſtatui, non contradicant, libere, & licite uti poſſint, & debeant, in omnibus, & per omnia, prorſus, & ſine ulla differentia, ac ſi eiſdem Monaſteriis, locis, & perſonis, Abbatiſſis, Sindicis, procuratoribus, oblatis, & commiſſis Sororum, & Monialium earundem, ac perſonis utriuſque ſexus de Pęnitentia hujuſmodi nominatim conceſſę forent, & concederentur expreſſe. Prętereaquia, ut intelleximus, exortis nonnunquam controverſiis, inter locorum Ordinarios, eorumque Vicarios, ſeu officiales, curatos, & Fratres prędictorum Ordinum, variis occaſionibus, locorum Ordinarii, eorumque Vicarii, ſeu Officiales, & Curati prędicti, ne Chriſti fideles Fratribus ipſis pias eleemoſynas erogare pręſumant, ſuadere, & etiam ſub cenſuris inhibere, ac erogantes excommunicatos fore prędicare, ſeu prędicari facere, ſeu pronunciare pręſumunt, locorum Ordinariis, eorumque Vicariis, ſeu Officialibus, & Curatis prędictis, ac etiam aliis quibuſcunque dicta auctoritate mandamus, ut ab hujuſmodi perſuaſionibus, inhibitionibus, & mandatis de cetero prorſus omnino abſtineant, decernentes, inhibitiones ipſas, & mandata nullius exiſtere firmitatis, & illis contravenientes cenſuris hujuſmodi minime ligari, ac eoſdem perſuadentes, & inhibentes, mandatoque noſtro hujuſmodi obtemperare non curantes, niſi pęnituerint, & perſuaſiones, ac inhibitiones, & prędicta revocaverint infra triduum, poſtquam deſuper requiſiti fuerint, eo ipſo Ordinarios interdicti ingreſſus Eccleſię, & ſuſpenſionis a regimine, & adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum, alios vero inferiores ab eis, excommunicationis ſententiam incurrere. Cum autem nonnulli ad Ordines prędictos Prędicatorum, & Minorum ſpecialiter gerentes devotionis affectum, eorum cadavera, cum habitu Fratrum Prędicatorum, vel Minorum, ſeu Fratrum, vel Sororum de Pęnitentia utriuſque Ordinis prędictorum ſepeliri mandent, & perſępe antequam moriantur habitum hujuſmodi eis poſtulant exhiberi, decernimus habitum hujuſmodi per Priorem domus Ordinis Prędicatorum, aut Guardianum domus Ordinis Minorum, loci, in quo tales decedere continget, vel per Superiorem Prelatum ipſorum Ordinum domorum, ſeu Prioratus, & Guardianię, vel cui illi duxerint committendum duntaxat, & non per alium, quavis auctoritate, vel prelatione fungentem, exhiberi debere, qui prędictum habitum recipientibus declarare teneantur, apud eorum Ordinum Eccleſias debere ſepeliri in eorum obitu, quorum habitum ſuſcipiant, & illorum ſic indutorum cadavera diſcooperta, nullo pallio, vel tegumento ſuper impoſito, cum habitu hujuſmodi ad ſepulturam deferri poſſe, Ordinariorum etiam ſub cenſuris prohibitione locorum qualibet in contrarium edita non obſtante, quas quoad hoc modificamus. Et ne ex habilitatibus ad unum, vel plura beneficia eccleſiaſtica in titulum, vel commendam, obtinenda, cum facultate interim, donec illa aſſequantur, pro Capellanis aliorum in beneficiis eccleſiaſticis deſervire, & quod etiam poſtquam beneficia hujuſmodi aſſecuti fuerint, in domibus dicti Ordinis reſidere, cameras habere, in illis, ac in Generalibus, atque Provincialibus Capitulis Fratrum eorundem Prędicatorum, & Minorum Ordinum, vocem activam, & paſſivam habere, ac privilegiis, favoribus, & gratiis, & indultis conceſſis ipſorum Ordinum profeſſoribus, gaudere poſſint, prefatis Ordinibus, & illorum profeſſoribus, gravamen inferatur, eiſdem motu, & auctoritate, decernimus, hujuſmodi conceſſas, & quas concedi contigerit, habilitationis literas, intelligi, & interpretari debere, ut Fratres ipſi, quibus literę hujuſmodi conceſſę ſunt, & concedentur imposterum quandocunque per Sedem prędictam, poſtquam aliquod beneficium adepti fuerint pacifice, aut pro Capellanis in aliquibus Eccleſiis cęperint deſervire, conceſſionibus prędictis, prout vocem activam, & paſſivam, reſidentiam in domibus dictorum Ordinum, ac retentionem dictarum domorum, camerarum, & alia, quę Ordinum prefatorum ſunt, concernunt, de dictorum Prelatorum aſſenſu duntaxat gaudere poſſint, & non alias, nec alio modo. Idem ſtatuentes de promotis ad Cathedrales, etiam Titulares appellatas, Eccleſias, & alias eccleſiaſticas dignitates. Ceterum, ut dictorum Ordinum profeſſores, qui Inquiſitores hęreticę pravitatis pro tempore in diverſis mundi partibus deputantur, tanto diligentius eorum officia ſtudeant exercere, ac ab illicitis, & eis prohibitis, abſtinere, quanto cognoverint poſſe eorum errores facilius corrigi, & puniri, quod Magiſter Prędicatorum, & Miniſter Minorum Ordinum prędictorum Generales prefati, nunc, & pro tempore exiſtentes, geſta pro tempore per ipſos Inquiſitores ſuorum Ordinum reſpective examinare, & querelas contra illos propoſitas audire, ac ſuper illis, quantum eis juſtum, & ęquum videbitur, ſtatuere, & ordinare: Et ſi in aliquo eos deliquiſſe invenerint, illos juxta exceſſuum exigentiam, etiam per eorum ab officio amotionem, ac alias corrigere, & punire, dictoſque Inquiſitores ſecundum quod ęquum, & juſtum, aut neceſſarium videbitur, non tamen in una eademque Dięceſi multi-

multiplicare, libere, & licite valeant. Et Prędicatorum in Minorum, & e contra Minorum Ordinum prędictorum Inquiſitores in Prędicatorum Ordinum hujuſmodi profeſſores quoſcunque officio inquiſitionis hujuſmodi fungi, illudque exercere nullatenus poſſint, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, de pręſentibus literis ſpecificam, & expreſſam faciente mentionem. Poſtremo quia Prędicatorum, & Minorum Fratrum prędictorum Ordinum profeſſores, pro fidei catholicę dilatatione,

Nota.

incremento, & defenſione, continue indefeſſe laborant, & eorum exemplari vita, prędicationibus Verbi Dei, audientia confeſſionum, ſana doctrina, aſſidua ſacrarum literarum inſtructione, & devota divinarum officiorum celebratione, hęreticorum extirpatione, aliiſque innumeris piis operationibus prę ceteris Ordinum Mendicantium profeſſoribus fructus in Eccleſia Dei ſalutares copioſius attulerunt hactenus, & continue afferre non ceſſant, atque allaturos in futurum, Deo propitio, ſpe firma tenemus, & propterea convenit, ut ipſi prę ceteris ampliores favores, & gratiarum prętogativas a pręfata Sede recipiant, & reportent, aliorumque Ordinum Mendicantium indultis, & privilegiis apud Sedem pręfatam gaudeant, ne illis inferiores eſſe videantur, omnes, & ſingulas gratias, conceſſiones, & indulgentias, & peccatorum remiſſiones, immunitates, exemptiones, facultates, privilegia, & indulta ſpiritualia, & temporalia, qualiscunque ſint, Heremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum, ac Servorum B. Marię Fratrum Ordinibus, & illorum Eccleſiis, Oratoriis, & domibus, Prioribus, Fratribus, & Sororibus, converſis, & oblatis, ac utriuſque ſexus perſonis de Pęnitentia nuncupatis a Prędeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus prędictis, & a Nobis, aut aliis auctoritatem habentibus, quę omnia, ac ſi nominatim exprimerentur, haberi hic volumus pro ſufficienter expreſſis, conjunctim, vel diviſim, in genere, vel in communi conceſſa, eiſdem, & eorum cuilibet Prędicatorum, & Minorum Fratribus, Ordinibus, domibus, Eccleſiis, Oratoriis, Generali Magiſtro, Miniſtro, Prioribus, & Miniſtris Provincialibus, Conventualibus Prioribus, Guardianis, Sororibus, & oblatis, converſis, & utriuſque ſexus Tertii Ordinis, ſeu de Pęnitentia nuncupatis, & aliis eorundem Ordinum perſonis, de novo concedimus, & in eis locum habere volumus, ac ſi eiſdem nominatim, directe, & expreſſe conceſſa fuiſſent. Mandantes etiam, motu, & ſcientia, & auctoritate prędictis, ut, dum privilegiorum, indulgentiarum, prerogativarum, conceſſionum, exemptionum, immunitatum, facultatum, & indultorum dictorum Fratrum Heremitarum S. Auguſtini, Carmelitarum, & Servorum Sanctę Marię originales literę, ſeu tranſumpta autentica, ex illis pro, & in favorem Eccleſiarum, domorum, & Fratrum prędictorum Prędicatorum, & Minorum Ordinum, adducerentur, vel exhiberentur, eadem fides indubia adhibeatur, tam in judicio, quam extra judicium, & aliis locis, quibus opus fuerit, ac ſi pro, & in favorem dictorum Ordinum, Eccleſiarum, domorum, & Fratrum Prędicatorum, & Minorum a Sede Apoſtolica emanaſſent, ac eis, & cuilibet ipſorum fuiſſent immediate conceſſę. Inhibentes diſtrictius ipſis locorum Ordinariis ſub Interdicti ingreſſus Eccleſię, & ſuſpenſionis a regimine, & adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum, ac Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, & aliis quibuſcunque ſub excommunicationis latę ſententię, & privationis earundem Parochialium Eccleſiarum, & omnium aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum, quę obtinent, necnon inhabilitationis ad illa, & alia impoſterum obtinenda, pęnis, eo ipſo quo contrafecerint incurrendis, ne perſonis quibuslibet Eccleſiaſticis, & ſecularibus in genere, vel in ſpecie, directe, vel indirecte aliquid inhibeant, pręcipiant, ordinent, vel ſtatuant, quo minus Ordines prędicti, illorum domus, & profeſſores, prędictis gratiis eis conceſſis libere uti poſſint. Non obſtantibus quibuſcunque Apoſtolicis ſuſpenſionibus, revocationibus, & reſtrictionibus, ac in

Clauſula derogans.

Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, necnon Pariſienſis, & aliorum locorum Generalium Studiorum Univerſitatibus, & Curię Vicegerentię Avinionis, & quibuſvis ordinariis Pręlatis, ac perſonę conceſſis, & concedendis literis, privilegiis, ac per illos deputatis in eis Conſervatoribus Privilegiorum hujuſmodi facultatibus, & juriſdictione, cum quibuſvis clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ac fortioribus, & inſolitis, quibus omnibus, illa, etiam ſi de eis, eorumque totis tenoribus, & datis, non per hujuſmodi generales clauſulas, etiam ſpecialem mentionem importantes, ſed ſpecifica, & individua, ac de verbo ad verbum, ſeu quęvis alia mentio habenda eſſet, pręſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, quoad premiſſa ſpecifice, & nominatim derogamus, & ea nemini in pręjudicium pręmiſſorum ſuffragari poſſe, aut debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus contigerit attentari, decernimus, necnon omnibus illis, quę in dictis literis noſtris prefatis Ordinibus conceſſis, volumus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Verum, quia difficile foret pręſentes literas ad ſingulas Provincias originaliter deſtinare, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod tranſumptis manu Notarii publici, & Curię cauſarum Camerę Apoſtolicę Auditoris, vel Protectoris, qui eſt, & qui pro tempore erit, aut alicujus Archiepiſcopalis, vel Epiſcopalis, ſeu cujuſcunque in dignitate conſtituti ſigillo munitis, ea prorſus in judicio, & extra, ubicunque exhibita vel oſtenſa fuerint, fides adhibeatur indubia, ac ſi ipſę originales literę forent exhibitę vel oſtenſę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę approbationis, conſtitutionis, conceſſionis, largitionis, indulti, perſtrictionis, voluntatis, ademptionis, ſtatuti, mandati, decreti, inhibitionis, & derogationis infringere &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Nono, Septimo Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

L. Griſus.

A tergo legitur.
Regiſtrata apud me
L. Griſum.

Jo: de Tartarinis.

1. *Aurea Bulla.*) Sic paſſim nuncupatur hæc Conſtitutio, non ex aureo ſigillo, uti ceteræ Bullæ aureæ, ſed ampliſſimis Privilegiis, quibus Summus Pontifex Fratres Prædicatores, & Minores ditat.

2. *Privilegiis.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo*.

3. Ar-

3. *Archivo*.) In quo Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur. Legitur etiam *Libro B. fol.* 358 ex Autographo *Toletano*, in *Bullari. Romano Conſtitutione XIX*. apud *Confettium pag.* 59, *Uſuſmarem pag.* 163, *Caſtellanum Parte II pag.* 815, in *Conſtitutionibus* Ordinis Prædicatorum editis anno *MDV* numero *LXXXIV*, in aliis an. *MDVII* num. *CIV*, apud *Rodericum* in *Nova Collectione Privilegiorum Apoſtolicorum pag.* 139.

Luciferiſani (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1479 Die 30 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXXV.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Archidiacono de Peritio in Eccleſia Hiſpalen. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Piis fidelium votis &c. (4). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Henrici Ducis de Medina & Domini Villę de Sanlucar de Benameda (5), Hiſpalen. Dięceſis, petitio continebat, quod ipſe ex magno devotionis fervore, quem ad Ordinem Fratrum Prędicatorum reformatorum, de obſervantia nuncupatorum, gerit, cupit, ut in Eremitorio S. Spiritus (6) prope dictam Villam, in dominio ſuo conſiſtenti, quędam domus dicti Ordinis erigatur & ędificetur. Quare pro parte dicti Henrici nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi in dicto Eremitorio quandam domum pro Priore, & nonnullis dicti Ordinis reformatis, de obſervantia nuncupatis, inibi moraturis Fratribus, cum Eccleſia, humili campanili, campana, dormitorio, & aliis neceſſariis officinis ędificari, & erigi faciendi, ac Priorem, & Fratres prędictos inibi collocandi, licentiam & facultatem concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus augmentum, & religionis hujuſmodi propagationem intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eidem Henrico in dicto Eremitorio quandam domum pro Priore & nonnullis dicti Ordinis reformatis, de obſervantia nuncupatis, inibi moraturis Fratribus, cum Eccleſia, humili campanili, campana, dormitorio, & aliis neceſſariis officinis, ſine tamen cujuſcunque pręjudicio, ędificari, & erigi faciendi, ac Priorem, & Fratres prędictos inibi locandi, auctoritate noſtra licentiam concedas, & etiam facultatem. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua civitate, caſtro, vel villa, ſeu alio loco domos, vel loca quęcunque ad habitandum de novo recipere, aut recepta abſque Apoſtolicę Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de hujuſmodi prohibitione mentionem, mutare pręſumant, ac aliis Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque. Nos enim, ſi erectionem hujuſmodi fieri contingat, Priori, & Fratribus, qui in ipſa domo pro tempore morabuntur, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, & indultis aliis domibus, & Fratribus dicti Ordinis conceſſis uti valeant pariter & gaudere, auctoritate Apoſtolica concedimus per pręſentes, jure tamen Parochialis Eccleſię &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Nono, Tertio Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Supplex petitio Ducis de Medina.

Facultas.

1. *Luciferiſani*.) Vulgo *S. Lucar de Barrameda*, in *Hiſpania Batica*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXVI fol.* 116.
3. *Hiſpalen.*) Vulgo *Sevilla*.
4. *Votis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
5. *Benameda*.) *Barrameda*.
6. *S. Spiritus*.) Sic antequam poneretur ibi Cœnobium Fratrum Prædicatorum vocabatur domus illa. At *Henrici* Ducis, ejuſdem Cœnobii fundatoris, juſſu, ipſi nomen a *S. Dominico de Guſman* fuit impoſitum ut ſcilicet Dux *de Medina Sidonia*, ſanguine *S. Dominico* conjunctus, & illam conſanguinitatem, & erga S. Patriarcham pietatem ſuam ſignificaret.

S. Audomari (1) Conventus transferendi facultas.

Anno 1479 Die 3 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXXVI.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii Sancti Bertini de Sancto Audomaro, Morinen. (3) Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diſpoſitione divina gregi Dominico licet immeriti pręſidentes &c. (4). Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum moderni Prioris, & Fratrum olim domus Sancti Dominici extra Muros oppidi S. Audomari Ordinis Fratrum Prędicatorum, Morinen. Dięceſis, petitio continebat, quod cum temporibus retroactis, vigentibus guerris in partibus Francię, domus prędicta cum ejus Eccleſia furore bellico & certis aliis de cauſis foret diruta, & cum eadem Eccleſia ſolo ęquata, ita quod Fratres inibi commorantes in domo ſtare aut in Eccleſia hujuſmodi divina nequeant ullatenus celebrare, compulſi ſunt, ne evagari cogerentur, ad quoddam Oratorium intra muros dicti oppidi, in quo certi laici Tertii Ordinis S. Franciſci, & mechanici inhabitant, ſe conferre, ubi per eoſdem laicos benevole recepti moram aliquandiu fecerunt, prout faciunt etiam de pręſenti, Miſſis in eodem Oratorio pro ſui devotione & populi conſolatione celebrando. Quare pro parte tam dilecti filii Magiſtri Generalis, quam eorundem Prioris & Fratrum dicti Ordinis Prędicatorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis quod in loco dicti Oratorii jam eis per dictos Fratres Tertii Ordinis oblato, vel alio magis accommodo intra muros ejuſdem oppidi forſan offerendo, unam domum Fratrum Prędicatorum cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, cęmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro eorum uſu, & habitatione de novo ędificare poſſint, & valeant, aliaſ-

Diplomatis cauſa.

Facultas. aliaſque ipſis, & eorum ſtatui in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus augmentum, & religionis propagationem noſtris pręſertim temporibus intenſis deſideriis affectamus, de pręmiſſis notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, vocatis Fratribus Tertii Ordinis prędictis, & aliis, qui fuerint evocandi, de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, eorumque circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum hujuſmodi, quod in loco dicti Oratorii, vel alio magis apto, & convenienti, ſibi pia largitione fidelium, vel alias concedendo, unam domum dicti Ordinis Prędicatorum cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, cęmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis de novo erigere, & ędificari facere, libere, & licite poſſint, & valeant, licentiam eadem auctoritate concedas. Nos enim, ſi conceſſionem hujuſmodi per te vigore pręſentium fieri contigerit, ut pręfertur, eiſdem Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, quod dictam domum de novo erigendam perpetuo conventualiter inhabitare, necnon omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, gratiis, & indultis, pręfato Ordini Prędicatorum, & illius domibus a Sede Apoſtolica generaliter conceſſis, uti, & gaudere etiam libere, & licite valeant, auctoritate prędicta tenore pręſentium concedimus pariter, & indulgemus, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri inter alia prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua civitate, caſtro, vel villa, ſeu alio quocunque loco domos, aut loca de novo recipere, ſeu recepta inhabitare pręſumant abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, ſtatutis quoque & conſuetudinibus Ordinis Prędicatorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Nono, Tertio Non. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *S. Audomari.*) Vulgo *Saint Omer*, in *Belgio*. Juris eſt Provinciæ *S. Roſæ*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Arch. Apoſtolico Libro CXXXVI fol.* 165.

3. *Morinen.*) Nunc Epiſcopalis Sedes eſt Urbs *Audomarenſis*.

4. *Præſidentes &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Anno 1479 Die 25 Auguſti.

F. Antonius Cuberti fit Pœnitentiarius Avinionen. (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXXVII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Officiali Avinionen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Religionis zelus, necnon vitę & morum honeſtas, aliaque laudabilia & probitatis merita virtutum, ſuper quibus apud Nos dilectus filius Antonius Cuberti, Frater Ordinis Prędicatorum, *fide digno* commendatur teſtimonio, Nos inducunt, ut perſonam ſuam condignis favoribus, & gratiis proſequamur. Cum itaque, ſicut accepimus, officium Pęnitentiarię Minoris in eccleſia S. Dominici Domus
Nota. Fratrum Prędicatorum Avinionen., in qua, ut aſſeritur, ab antiquis temporibus duo Pęnitentiarii cum eiſdem facultatibus, quas habent Pęnitentiarii minores Baſilicę Principis Apoſtolorum de Urbe, eſſe conſueverunt, per obitum quondam Bertrandi Grimaldi, Fratris dicti Ordinis Prędicatorum, & qui alterum ex duobus officiis Pęnitentiarię hujuſmodi dum viveret exercebat, & extra Romanam
Pœnitentiarius conſtitutus. Curiam diem clauſit extremum, vacaverit, & vacet ad pręſens, Nos, volentes dictum Antonium, pręmiſſorum meritorum ſuorum intuitu, favore proſequi gratioſo, ipſumque ab omnibus, & ſingulis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione latis, ſi quibus, quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, diſcretioni tuę &c. mandamus, quatenus eidem Antonio, ſi ad hoc per diligentem examinationem eum idoneum eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, officium Pęnitentiarię prędictum, ſic, ut pręmittitur, vacans, cum omnibus, & ſingulis ejus honoribus, oneribus, juribus, & emolumentis conſuetis, per eum quoad vixerit exercendum, auctoritate noſtra conferas, & aſſignes, ipſumque *in locum* dicti Bertrandi cum eiſdem honoribus, oneribus, & emolumentis, ſurroges, ac facias *ipſum* ad hujuſmodi officium, ejuſque liberum exercitium, cum honoribus, oneribus & emolumentis antedictis, ut eſt moris, admitti. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti officii ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim, ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi &c. per literas Apoſtolicas non facientes plenam &c. mentionem. Volumus autem quod antequam pręfatus Antonius officium hujuſmodi exercere incipiat, in manibus tuis de hujuſmodi officio fideliter exercendo corporaliter pręſtet juramentum juxta formam pręſentibus annotatam, quę talis eſt. Ego Antonius Cuberti Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, Domini noſtri PP. in Domo Fratrum dicti Ordinis in Civitate Avinionen. Pęnitentiarius, ab hac hora in antea fidelis ero Beato Petro, Sanctę Romanę Eccleſię, ac Domino noſtro Domino Sixto PP. IV, ejuſque Succeſſoribus canonice intrantibus, neque ero in facto, conſilio, vel conſenſu &c. Sic me Deus adjuvet, & hęc Sancta Dei Evangelia.

Dr-

Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Nono, Octavo Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Avinionen.*) Vulgo *Avignon*, in ejuſdem nominis Comitatus Metropoli.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLII fol.* 156.

Zubor-Zentzivialenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1479 Die 30 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Archidiacono Eccleſię Bacien. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CXXVIII.

Quoniam in his quę divini cultus augmentum reſpiciunt &c (4). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Johannis Zubor, Domini loci de Zubor, Bacien. Diœceſis, petitio continebat, quod ipſe ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Prędicatorum gerit devotionis affectum, ac cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, unam domum pro uſu, & habitatione Fratrum dicti Ordinis, in quadam eius poſſeſſione Zubor Zentzivial, dictę Diœceſis, nuncupata, cum Eccleſia ſub invocatione alicujus Sancti per eum eligendi, & nominandi, ac aliis neceſſariis officinis, erigere, & ędificare, ſeu erigi, & ędificari facere, ſummopere deſiderat, ſi ei deſuper a Sede Apoſtolica licentia concedatur. Quare pro parte tam Johannis, quam dilectorum filiorum Generalis, & Provincialis Regni Hungarię Priorum ejuſdem Ordinis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dicti Johannis deſiderio in hac parte favorabiliter annuere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus propagationem noſtris pręſertim temporibus adaugeri intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, & committimus, quatenus, ſi eſt ita, & locus ipſe ad ędificandum domum pręfatam fuerit conveniens, & honeſtus, pręfato Johanni, quod in dicta poſſeſſione unam Domum cum Eccleſia ſub titulo alicujus Sancti per eum nominandi, ac campanili, campana, dormitorio, cęmeterio, hortis, hortalitiis, aliiſque neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione eorundem Fratrum ſine tamen cujuſcunque pręiudicio ędificandi, auctoritate noſtra licentiam largiaris. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per te vigore pręſentium fieri contigerit, ut pręfertur, Fratribus pędictis, quod domum hujuſmodi cum Eccleſia, & aliis pędictis, recipere & perpetuo inhabitare, omnibuſque, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, & indultis dicto Ordini generaliter conceſſis, & quibus alię domus dicti Ordinis potiuntur, & gaudent, uti, & gaudere libere, & licite poſſint, & valeant, concedimus per pręſentes, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, inter alia prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua civitate, villa, caſtro, ſive alio loco quocunque ad inhabitandum domos, vel loca quęcunque de novo recipere, ſeu inhabitare, pręſumant abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolis Conſtitutionibus &c. quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo nono, Tertio Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Marginal notes: Supplex fundatoris petitio. — Facultas.

1. *Zubor-Zentzivialen.*) Seu *Czobor-Szent-Mihalen.*, vulgo *Czobor-Szent-Mihaly*, ut a *Pazmanio*, & *Plodio* vocatur apud *Ferrarium de Rebus Hungariæ Provinciæ Parte IV Lib.* Unico *pag.* 517.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLII fol.* 297.

3. *Bacien.*) Aliis *Bacchen.*, in *Hungaria*, ſub Archiepiſcopo *Colocenſi*.

4. *Reſpiciunt &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Exordiis.

Regin. (1) Monaſterii fundandi facultas.

Anno 1480 Die 27 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Regin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CXXIX.

Ex debito paſtoralis officii &c. (3). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Iſabethę (4) Abbatiſſę & Monialium Monaſterii S. Petri Martyris Regin., Ordinis S. Auguſtini, petitio continebat, quod poſtquam ipſę dudum in dicto Monaſterio ſub regulari obſervantia laudabiliter longo tempore vixerant, certa occurrente neceſſitate, ſeu occaſione ex dicto Monaſterio ad domum, ſeu domus Parochialis Eccleſię S. Pauli Regin. auctoritate ordinaria translatę fuerunt, inibique de conſenſu Rectoris dictę Eccleſię ſub obſervantia, regularibusque Inſtitutis dicti Ordinis habitaverunt, prout habitant de pręſenti; &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi Eccleſia cum domibus hujuſmodi in Monaſterium Monialium dicti Ordinis erigeretur, & quod cura animarum parochianorum ipſius Eccleſię per aliquem idoneum Presbyterum per Abbatiſſam & Moniales pędictas ponendum, & pro earum libito voluntatis amovendum, exerceri deberet, ſtatueretur, & ordinaretur, ex hoc profecto Abbatiſſa & Moniales pręfatę cum majori animi quiete, & conſcientię pace ſua Altiſſimo vota perſolverent, idque cederet ad honorem Dei, Religionis propagationem, & divini cultus augmentum. Quare pro parte Abbatiſſę & Monialium prędictarum, aſſerentium, quod fructus, redditus, & proventus dictę Parochialis Eccleſię ſex florenorum auri de camera ſecundum com-

Marginal note: Diplomatis cauſa.

communem extimationem, valorem annuum non excedunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Eccleſiam ipſam cum Domibus prędictis in Monaſterium Monialium cum hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis erigere, quodque cura animarum parochianorum prędictorum per Capellanum per eas, ut premittitur, poſt ceſſum, vel deceſſum moderni Rectoris eligendum, qui fructus, & proventus prędictos percipere habeat, exerceatur, ſtatuere, & decernere, ac alias ipſis, & earum ſtatui in premiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui vota Altiſſimo famulantium perſonarum paterna voluntate, & animo libenter ſemper fovere inſtruimur, alias de premiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, de premiſſis omnibus, & ſingulis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, & ad id prefati Rectoris expreſſus accedat aſſenſus, Eccleſiam cum domibus prędictis in Monaſterium Monialium cum hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis auctoritate noſtra erigas, quodque, cedente, vel decedente moderno dictę Eccleſię Rectore, cura animarum parochianorum prędictorum per Capellanum, per Abbatiſſam, & Moniales prędictas, ut premittitur, eligendum, qui fructus, & proventus prędictos percipere habeat, exerceatur, eadem auctoritate ſtatuas pariter, & decernas. Nos enim, ſi erectionem, ac ſtatutum, & decretum hujuſmodi per te vigore pręſentium fieri contigerit, ut prefertur, eiſdem Abbatiſſę & Monialibus nunc in Monaſterio hujuſmodi erigendo, & pro tempore degentibus, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, libertatibus, exemptionibus, Indultis, & immunitatibus, aliis Monialibus, & Monaſteriis prędictis per Sedem Apoſtolicam quomodolibet in genere conceſſis, & de cetero concedendis, uti, & gaudere libere, & licite valeant, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium indulgemus. Non obſtant. conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſteriorum, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis &c. quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Nono (5), Sexto Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Facultas.

1. *Regin.*) In Ditione Ducis *Mutinenſis*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XIV fol.* 133.
3. *Officii &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Iſabethæ*.) Seu *Eliſabeth*.
5. *Nono*.) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLXXX*.

Anno 1480 Die 14 Martii.

Privilegia conceſſa Monialibus Monaſterii Terræ Salarum (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXXX.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Privilegia.

SEdis Apoſtolicę gratioſa benignitas &c. (3). Hinc eſt, quod Nos dilectarum in Chriſto filiarum Conventus Monaſterii Monialium Sancti Hieronymi Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, Terrę Salarum, Terdonen. (4) Diœceſis, ſupplicationibus inclinati, quod Conventus dicti Monaſterii unam ex illius Monialibus ſibi in Priorilſam annis ſingulis eligere poſſint, quę annalis (5) duntaxat exiſtat, & abſque nova confirmatione ſuperioris, poſtquam concorditer, ſeu per majorem partem earundem Conventus electa fuerit, Prioriſſa ſit, eique durante anno hujuſmodi alię Moniales obedire teneantur, & debeant, quodque Monaſterium, & Prioriſſa, ac Moniales hujuſmodi Magiſtro Generali dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum duntaxat ſubſint, &, ut nullus eo inferior poteſtatem, ſive juriſdictionem ullam ſuper Prioriſſam Moniales & Monaſterium hujuſmodi habeat, perpetuo auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ſtatuimus. & ordinamus; eiſdemque Prioriſſę, & Monialibus quod unum Capellanum ſecularem, vel cujusvis Ordinis regularem, qui eiſdem Prioriſſę & Monialibus divina Sacramenta miniſtrare, & in dicto Monaſterio divina officia dicere, ac earundem Prioriſſę & Monialium Confeſſione diligenter audita, eas in omnibus, & ſingulis caſibus, in quibus Generalis Magiſter Moniales ipſius Ordinis abſolvere poteſt, abſolvere valeat, ſibi eligere poſſint, ac eligendo Capellano hujuſmodi dictas Prioriſſam, & Moniales, ut pręmittitur, abſolvendi, facultatem & poteſtatem eadem auctoritate concedimus per pręſentes. Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. Noſtrorum ſtatuti, & ordinationis, ac conceſſionis infringere &c Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Nono (6) pridie Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Terræ Salarum*.) Vulgo *Sali* in Ducatu *Mediolanen.* Monaſterium modo juris eſt Provincialis utriuſque *Lombardiæ*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXIII fol.* 219.
3. *Benignitas &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Terdonen.*) Aliis *Dertonen.*, & *Tertonen.*, vulgo *Tortona*, in *Lombardia*; Urbs eſt Ducatus *Mediolanenſis*.
5. *Annalis*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*
6. *Nono*.)Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLXXX*.

Con-

Conſervatores creat, qui Conſtitutionem (1), de reformandis Cœnobiis editam, ſervandam curent.

Anno 1480 Die 18 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Saltzeburgen. (3), ac Friſingen., & Ratiſponen. Epiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CXXXI.

Diplomatis cauſa.

HUmilibus &c. (4). Dudum ſiquidem felicis recordationis Paulus PP. II Prędeceſſor noſter, univerſis Ordinis Fratrum Minorum, de obſervantia nuncupatorum, profeſſoribus, ne domus Fratrum dicti Ordinis, Conventualium nuncupatorum, ſeu eorundem Fratrum habitationes, neve quod Monaſteria Monialium eorundem Fratrum Conventualium curę commiſſa, ipſorum Fratrum de Obſervantia curę committerentur, quęrere, aut recipere prętumerent, per quaſdam inhibuit, & deinde dilectorum filiorum Fratrum Prędicatorum, & prędicti Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, & Beatę Marię de Monte Carmelo, Ordinum Generalibus Magiſtro, Miniſtro, & Prioribus, & aliorum dictorum Ordinum profeſſorum relatione, non ſine querela, per Nos accepto, quod laici in diverſis mundi partibus conſtituti, propriis incumbentes affectibus, dum Magiſter, Miniſtri, & Priores ipſi tam Generales, quam Provinciales, & domorum eorundem Ordinum Cuſtodes, Guardiani, ac Fratres, Conventuales nuncupati, dictarum domorum jura proſequuntur, ac pecunias, & bona ad licitos uſus eorundem Fratrum pia Chriſti fidelium largitione eis, & eorum domibus, ac Ordinibus relicta, ſeu legata, aut alias debita, ab eiſdem laicis exigere curabant, aut ipſarum domorum bona prętatis laicis pro eorum beneplacito & voluntate concedere, ſeu civiles laicorum eorundem diſſenſiones, particulares diſcordias, & factiones ſequi, vel a laicis in his, quę laici ipſi a Magiſtro, Miniſtris, Prioribus, Guardianis, & Fratribus memoratis minus licite poſtulabant, eiſdem laicis complacere recuſabant, ac alias dum laici ipſi Magiſtrum, Miniſtros, Priores, Cuſtodes, Guardianos, & Fratres prędictos aliis variis plerumque occaſionibus ea, qua debebant, affectione non proſequebantur, ut de eiſdem Magiſtro, Miniſtris, Prioribus, Cuſtodibus, Guardianis, & Fratribus, Conventualibus nuncupatis, valerent ſe vindicare, aut occupatorum per ipſos laicos bonorum, ad domos eorundem Fratrum pertinentium, reſtitutionem differre, &, ſi domus ipſę ad Fratres dictorum Ordinum de obſervantia nuncupatos provenirent, bona illorum eis commoda emere, & pro minori pretio, quam valerent habere poſſent, exquiſitis mediis curabant, quod domus ipſę Ordinum eorundem, per dictos Fratres Conventuales longo tempore inhabitatę, Fratribus de obſervantia, vel alio nomine nuncupatis, eorundem Ordinum concederentur, novas gabellas, & onera, a quibus Fratres ipſi exempti ſunt, ab eis exigere, varia gravamina eis inferre, ac alias injurias irrogare prętumebant, ex quo plurima eiſdem Fratribus Conventualibus incommoda proveniebant, nam metu moleſtiarum hujuſmodi, quas eis inferri formidabant, in exigendo, & proſequendo domorum ſuarum jura timidiores reddebantur, & eoſdem laicos vereri ultra quam deceret, & a libere prędicando, quod illos tangebat, abſtinere, & illis, ultra quam illorum qualitas exigeret, & Ordinum prędictorum utilitas perſuaderet, deferre cogebantur inviti, non abſque divinę Majeſtatis offenſa, & Ordinum eorundem gravi pręjudicio, & jactura, adeo ut propter incommoda prędicta etiam aliqui dictorum Ordinum profeſſores nonnunquam Domos deſererent, & ad alios non Mendicantium Ordines ſe transferrent, tales moleſtias evitare curantes; aliqui vero, qui Ordines ipſos ingrederentur ab ingrediendo abſtinere conarentur, quod ad eorundem Ordinum perniciem paulatim cedere manifeſte dignoſcebatur. Nos tunc tot malis quot Prędicatorum, Minorum Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum Ordinum Mendicantium profeſſores prędicti, Conventuales nuncupati, quorum ſcientia & doctrina militans Eccleſia continuo ſuſcipit incrementum, ex pręmiſſis patiebantur, obviare cupientes, per alias noſtras literas motu proprio, non ad prędictorum Magiſtri, Miniſtri, Priorum, Cuſtodum, Guardianorum, & Fratrum Conventualium, vel alterius Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra deliberatione, & ex certa ſcientia, literas Prędeceſſoris hujuſmodi tunc ratas habentes, & innovantes, omnibus, & ſingulis Clericis, & Religioſis de Bulla, alias de Obſervantia, nuncupatis, Ordinum quorumcunque, ac laicis utriuſque Sexus, cujusvis dignitatis, gradus, Ordinis, vel conditionis forent, etiamſi Marchionali, Ducali, Comitali, Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, Abbatiali, & alia qualibet Eccleſiaſtica, vel mundana prętulgerent dignitate, & auctoritate, ſub pęna excommunicationis latę ſententię, eo ipſo, toties quoties illos contrafacere contingeret, incurrenda, ne, quod domus & loca profeſſorum dictorum Ordinum, Conventualium nuncupatorum, aut Monaſteria Monialium eorum curę commiſſa, aliis Fratribus, Monialibus, ſeu Sororibus, etiam ejuſdem Ordinis, quovis nomine nuncupatis, quomodolibet concederentur, aut quod, amotis exinde Fratribus, & Sororibus, iiſ, & alias inhabitantes reformarentur, & alii Fratres, alięque Moniales, ſeu Sorores eorum loco ſubrogarentur, & ſubſtituerentur ibidem, ſeu quod Monaſteria prędicta aliorum curę committerentur, procurare, gerere, aut attentare, niſi apud Magiſtrum, Miniſtros, & Priores Generales, vel Provinciales dictorum Ordinum pro tempore exiſtentes, qui tenerentur, & deberent, quoties opportunum foret, & poſtquam eſſent requiſiti, infra annum domos ipſas debite reformare, & quę correctione, & emendatione indigerent, corrigere & emendare, nec etiam ad effectum hujuſmodi amotionis eorum a domibus ſuis eiſdem Fratribus Conventualibus, & eorum curę commiſſis Monialibus injurias, aut gravamina aliqua inferre, ſeu ab eiſdem Fratribus pro rebus, & bonis, quę negotiationis cauſa non deferrent, pedagia, guidagia, gabellas, & alia, quovis nomine nuncupata, nova onera petere, exigere, vel levare quoquo modo prętumerent, auctoritate Apoſtolica diſtrictius

Nota.

inhibuimus ac voluimus, &, motu, ac ſcientia prędictis, ſtatuimus, & ordinavimus, quod Fratres ipſi Conventuales, & Sorores, & alii quicunque reformationibus, quas fieri contingeret per Generales, aut Provinciales prędictos acquieſcere, illaſque obſervare omnino tenerentur, & deberent, quodque laici prędicti in faciendis reformationibus prędictis, alias quam ut pręfertur, nullatenus ſe intromitterent, aut, ne fierent, opponerent, vel contradicerent, nec quod poſtmodum factę reformationes alterarentur, vel mutarentur, aut in eis ultra adderentur, quęrere auderent, ſub eadem excommunicationis ſententia, ſi contrafacerent, eo ipſo tunc incurrenda, diſtrictius pręcipiendo, inhibuimus, decrevimuſque irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, a quoquam, quavis auctoritate, etiam Apoſtolica, ſcienter, vel ignoranter, dictarum literarum noſtrarum non inſerto tenore, contingeret attentari. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Guardiani, & Fratrum domus, necnon dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſę & Conventus Monaſterii loci Monacen. Fratrum Minorum, & Sanctę Clarę Ordinum, Friſingen. Diœceſis, petitio continebat, ipſi Guardianus, & Fratres, ac Abbatiſſa, & Conventus, dubitent, ne aliqui inhibitioni, & literis prędictis in ipſarum pręjudicium contravenire pręſumant, pro parte eorundem Guardiani, & Fratrum, ac Abbatiſſę, & Conventus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut literas prędictas, & in eis contenta quoad eos, eorumque domum, & Monaſterium prędicta obſervari, mandare, aliaſque eis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, Guardiano, & Fratribus, ac Abbatiſſę & Conventui pręfatis, in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, ac pręmiſſa omnia, & ſingula, ubi, & quando expedire cognoveritis, fueritiſque deſuper pro parte eorundem Guardiani & Fratrum, ac Abbatiſſę, & Conventus legitime requiſiti, ſolemniter publicantes, non permittatis eos, vel earum domum, & Monaſterium prędicta, contra pręſentium tenorem per quoſcunque, etiam pretextu quarumcunque commiſſionum & delegationum, ac facultatum viſitandi, quę a nobis, & a Sede Apoſtolica emanaſſent, vel in poſterum emanarent, in quibus de pręfatis, & pręſentibus literis noſtris ſpecifica, & individua mentio non fieret, quomodolibet inquietari, ſeu moleſtari, ac illos omnes, & ſingulos quos vobis hujuſmodi excommunicationis ſententiam incurriſſe conſtiterit, in eccleſiis, & aliis locis, ubi vobis videbitur, excommunicatos publice nuncietis, faciatiſque ab aliis nunciari, & ab omnibus arctius evitari, ac, legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, excommunicationis ſententiam hujuſmodi iteratis vicibus aggravare curetis, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis donec pręvia debita ſatisfactione meruerint ab eadem excommunicationis ſententia abſolutionis beneficium obtinere. Contradictores &c. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. Octavi Prędeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne aliquis extra Civitatem ſuam, vel Diœceſim &c ſeu ne judices &c. necnon omnibus, quę in dictis literis voluimus non obſtare &c. quibuſcunque, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim, a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi &c. per literas Apoſtolicas non facientes plenam &c. mentionem. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Nono (5), Quinto decimo Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Mandatum.

1. *Conſtitutionem.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLII fol.* 42. Legitur etiam apud *Waddingum Annal. Minor. Tomo VII pag.* 78.

3. *Saltzeburgen.*) Seu *Salisburgen.*, in *Germania* ubi Diœceſes & loca de quibus in hoc Diplomate.

4. *Humilibus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

5. *Nono.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLXXX.*

Anno 1480 Die 15 Maii.

Ne Monaſterium de Turre (1) uniatur Monaſterio Matris Domini.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXXXII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Monaſterii Sancti Sepulcri de Aſtino, & Archipresbytero de Palazolo Pergamen., & Brixien. Diœceſum, ac Lancelloto de Bongis Canonico Pergamen. Eccleſiarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

HUmilibus &c. (3). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Johanninę de Beriendis Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Beatę Marię de Turre Boldonum per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, Pergamen. Diœceſis, petitio continebat, quod alias pro parte ipſarum Nobis expoſito, quod dudum, poſtquam bonę memorię Johannes tunc Epiſcopus Pergamen. ex certis cauſis Monaſterium prędictum Monaſterio Matris Domini dicti Ordinis, ſub cura, & ſecundum inſtituta eorum Fratrum viventium, auctoritate ordinaria univerat, annexuerat, & incorporaverat, ac nonnulla alia fecerat, ſtatuerat, & ordinaverat, necnon felicis recordationis Nicolaus PP. V. Prędeceſſor noſter unionem, annexionem, incorporationem, ſtatutum, ac omnia per dictum Epiſcopum geſta, auctoritate Apoſtolica cum ſuppletione defectuum per ſuas literas in forma gratioſa confirmaverat, & approbaverat, & pro potiori pręmiſſorum cautela de Turre pręfatum eidem Monaſterio Matris Domini cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis de novo perpetuo univerat, annexuerat, & incorporaverat, ac dignitatem Prioriſſalem in eodem Monaſterio de Turre ſuppreſſerat penitus, & extinxerat, ac ipſa Monaſteria de cetero unum eſſe, & per unam Prioriſſam dicti Monaſterii Matris Domini regi, & gubernari debere decreverat, necnon Epiſcopus, Prioriſſa, & Conventus ejuſdem Monaſterii Matris Domini pretextu dictarum literarum Johanninam Prioriſſam, & alias Moniales tunc dicti Monaſterii de Turre

a prę-

Digitized by Google

a prędicto earum Monaſterio de Turre de facto ejecerant, illiuſque bonis, & terris ſpoliaverant, pro parte Prioriſſę, & Conventus ejuſdem Monaſterii de Turre pię memorię Caliſto PP. III, etiam Prędeceſſori noſtro, tunc expoſito, quod ipſę in domibus parentum ſuorum degebant, ac quod literę dicti Nicolai Prędeceſſoris ex cauſis falſis obtentę erant, & in ipſis quod fundator, & dotator dicti Monaſterii de Turre nobilis & laicus extiterat, nulla mentio habita fuerat, prefatus Caliſtus Prędeceſſor Archiepiſcopo Mediolanen. ejus proprio nomine non expreſſo per alias ſuas literas dedit in mandatis, ut, ſi vocatis Prioriſſa, & Conventu Monaſterii Matris Domini hujuſmodi, & aliis qui forent evocandi, ita eſſe, ac unionem, annexionem, & incorporationem, & alia premiſſa, ex falſis cauſis proceſſiſſe, necnon literas Nicolai Prędeceſſoris hujuſmodi ſubreptitias exiſtere ſibi legitime conſtaret, unionem, annexionem, & incorporationem, ac confirmationem, & extinctionem prędictas revocaret, & annullaret, ipſaſque Prioriſſam, & Moniales de Turre ad earum Monaſterium, & poſſeſſionem, in qua ante unionem, & confirmationem prędictas erant, auctoritate Apoſtolica reſtitueret, & reponeret; quarum vigore ad nonnullos actus in ipſa cauſa citra tamen illius concluſionem proceſſo, prefatus Caliſtus Prędeceſſor eidem Archiepiſcopo per alias ſuas in forma Brevis dedit in mandatis, ut in cauſa hujuſmodi ſuſpenderet, & ſucceſſive recolendę memorię Pius PP. II, etiam Prędeceſſor noſter cauſam hujuſmodi ad ſe advocans, illam bonę memorię Malateſtę, tunc Epiſcopo Camerinen., & in Civitate Mantuan., ubi dictus Pius Prędeceſſor tunc exiſtebat, reſidenti, reſumendam, & ulterius audiendam juxta acta, & probationes coram dicto Archiepiſcopo facta fine debito terminandam, commiſit, ac prefatus Malateſta Epiſcopus in cauſa ipſa ita procedens unionem, annexionem, & confirmationem prędictas auctoritate Apoſtolica caſſandas, revocandas, dictaſque Prioriſſam, & Conventum Monaſterii de Turre ad earum priſtinam poſſeſſionem reſtituendas, & reponendas fore, prout caſſavit, irritavit, reſtituit, & repoſuit, per ſuam ſententiam definitivam declaravit, dictumque Monaſterium de Turre, & illius fructus, ac bona, vigore cujuſdam ſpecialis commiſſionis, quam deſuper ab eodem Pio Prędeceſſore habuerat, ſequeſtravit. Pro parte vero dictarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Matris Domini a ſententia hujuſmodi appellato, dictus Prędeceſſor Pius cauſam appellationis hujuſmodi bonę memorię Honofrio Epiſcopo Tricaricen., & deinde ex certis cauſis illam ad ſe advocans tunc Prępoſito Eccleſię Sanctę Agathę Brixien. ejus proprio nomine non expreſſo commiſit. Idem Prępoſitus in cauſa ipſa perperam procedens, definitivam, per quam unionem, annexionem, & incorporationem, ac extinctionem prędictas, per dictum Epiſcopum Pergamen. factas, & omnia inde ſecuta, confirmavit, omneſque, & ſingulos defectus, ſi qui forſan interveniſſent in eiſdem, auctoritate Apoſtolica prędicta ſupplevit, ac ipſum Monaſterium de Turre dicto Monaſterio Matris Domini denuo univit, & incorporavit, ſententiamque dicti Epiſcopi Camerinen revocavit, ſententiam promulgavit iniquam, a qua pro parte Prioriſſę, & Conventus Monaſterii hujuſmodi de Turre ad Apoſtolicam Sedem extitit appellatum, & appellatione hujuſmodi tunc pendente tam de Turre, quam Matris Domini Prioriſſę, & Conventus hujuſmodi per certos earum procuratores ſeu Syndicos ad talem devenerunt tranſactionem, ſeu concordiam, videlicet, quod unio, annexio, & incorporatio, ac extinctio per Epiſcopum Pergamen., & Nicolaum Prędeceſſorem prędictos factę hujuſmodi, ac omnia, & ſingula in dictis literis contenta plenam roboris firmitatem obtinere deberent, ita tamen quod dicta Johannina Prioriſſa, & dilecta in Chriſto filia Catharina de Ferraria, ac quondam Angelina de Bongis, & Johannina de la Eccleſia, Moniales dicti Monaſterii de Turre, quę tunc in eodem Monaſterio profeſſę duntaxat exiſtebant, reſtituerentur, & remitterentur in prefatum Monaſterium de Turre, cum officiis, & dignitatibus, prout antea erant, quodque tenerent, & poſſiderent bona omnia ad ipſum Monaſterium de Turre ſpectantia toto tempore vitę earundem, &, ipſis quatuor deficientibus, dictum Monaſterium de Turre cum omnibus bonis ſuis pleno jure ſpectaret, & pertineret ad dictum Monaſterium Matris Domini, & quod ipſę Prioriſſę, & Moniales dicti Monaſterii de Turre non poſſent in dicto Monaſterio aliquam puellam, aut mulierem in Monialem ipſius Monaſterii de Turre de novo recipere, &, ſi contingeret prędictam Johanninam Prioriſſam decedere, liceret Monialibus dicti Monaſterii de Turre unam ex Monialibus ejuſdem Monaſterii de Turre in Prioriſſam eligere, & nonnulla alia, medio juramento utriuſque partis, firmata facere, & obſervare, prout in quodam Inſtrumento publico deſuper confecto, dicitur plenius contineri, ac in eadem expoſitione ſubjuncto, quod Johannina Prioriſſa, & Moniales prefatę ejuſdem Monaſterii de Turre tempore concordię, & tranſactionis prędictarum forent, & effeot dicto earum Monaſterio, & illius bonis ſpoliatę, ipſaque concordia, & tranſactio per dictam Prioriſſam, & Conventum dicti Monaſterii Matris Domini non fuiſſet integraliter obſervata, &, ſi obſervaretur, in evidens damnum, & prejudicium, & totalem extinctionem dicti Monaſterii de Turre cederet, prefatęque Johannina, & Conventus ejuſdem Monaſterii de Turre deſiderantes in earum dicto Monaſterio vitam regularem perpetuo vigere quamplures puellas ab inde citra in eodem Monaſterio de Turre receperant, ac eas moribus, & diſciplina regulari inſtruxerant, & erudierant, deſiderabantque ipſę Prioriſſa, & Conventus Monaſterii de Turre Ordinem, & diſciplinam regularem, ac dignitatem Prioriſſalem in eodem Monaſterio de Turre perpetuis futuris temporibus vigere, & obſervari, Nos dilecto filio Bartholomęo de Vianova Canonico Pergamen. aliis noſtris dedimus literis in mandatis, ut, ſi, vocatis Prioriſſa, & Conventu Monaſterii Matris Domini hujuſmodi, & aliis qui forent evocandi, quod tranſactio prędicta non fuiſſet per Prioriſſam ipſam, & Conventum Matris Domini integraliter obſervata, & de aliis Nobis expoſitis ſibi legitime conſtaret, prefatis Prioriſſę, & Conventui Monaſterii de Turre, juramentum prędictum per ipſas Prioriſſam, & Conventum Monaſterii de Turre, ſeu earum Procuratores, earum nominibus, in concordia prędicta, ut premittitur, preſtitum, auctoritate noſtra ea vice duntaxat relaxaret, ipſaſque Prioriſſam, & Conventum Monaſterii de Turre a reatu perjurii, ſi quod pretextu dicti prefati juramenti incurriſſent, ſi id humiliter peterent, eadem auctoritate noſtra abſolveret in forma Eccleſię conſueta, & ni-

& nihilominus unionem, annexionem, & incorporationem, ac extinctionem prędictas tam Apoſtolica, quam Ordinaria auctoritatibus factas, ut pręmittitur, & quęcunque inde ſecuta, nullius fuiſſe, & eſſe roboris, vel momenti, necnon Priorillę, & Conventui Monaſterii de Turre licuiſſe, & de cetero licere recipere puellas, & mulieres ad habitum regularem, & profeſſionem in dicto Monaſterio de Turre juxta ejuſdem inſtituta regularia, & conſuetudinem, prout ante unionem, annexionem, & incorporationem, ac extinctionem, & concordiam, ac tranſactionem prędictas recipere, & admittere conſueverant, eadem auctoritate noſtra declararet, ipſas quoque Prioriſſam, & Conventum Monaſterii Matris Domini ad reſtituendum bona, libros, calices, paramenta, fructus, & alia ad dictum Monaſterium de Turre ſpectantia per ipſas Prioriſſam, & Conventum Monaſterii Matris Domini, ſeu ad earum inſtantiam ablata, aſportata, vel occupata compelleret, ac alia faceret, prout in eiſdem aliis noſtris literis dicitur plenius contineri, & inde Johannina Prioriſſa, & Conventus ejuſdem Monaſterii de Turre Prioriſſam, & Conventum Monaſterii Matris Domini hujuſmodi, ſuper hoc petendo per pręfatum Canonicum ad executionem earundem aliarum literarum noſtrarum juxta illarum continentiam, & tenorem procedi, coram eodem Canonico traxerunt in cauſam, & idem Canonicus, literarum noſtrarum prędictarum forma ſervata, in cauſa ipſa rite procedens definitivam pro Johannina Prioriſſa, & Conventu Monaſterii de Turre prędictis, & contra Prioriſſam, & Conventum Monaſterii Matris Domini pręfatas ſententiam promulgavit, ipſas Prioriſſam, & Conventum Monaſterii Matris Domini in expenſis in hujuſmodi cauſa factis, quas ad certam tunc expreſſam pecunię ſummam, pręvia moderatione, taxavit, nihilominus condemnando, a qua quidem ultima ſententia Prioriſſa, & Conventus Monaſterii Matris Domini pręfatę illam iniquam fore falſo aſſerentes, ad Sedem eandem appellarunt, ſed legitimo impedimento ceſſante ultimam appellationem hujuſmodi infra tempus debitum proſequi non curarunt. Quare pro parte Johanninę, & Conventus Monaſterii de Turre prędictarum, aſſerentium poſteriorem appellationem propterea deſertam fore, ac ultimam ſententiam prędictam in rem tranſiviſſe judicatam, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ultimam ſententiam prędictam robur firmitatis debitę obtinere, ac eis de expenſis prędictis per aliquos

Mandatum.

probos viros in partibus illis integre ſatisfieri faceremus, & alias ſibi in prętmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum vocatis Prioriſſa, & Conventu Monaſterii Matris Domini prędictis, & aliis, qui fuerint evocandi, ſi vobis de deſertione appellationis, & re judicata hujuſmodi legitime conſtiterit, ultimam ſententiam prędictam, ſicuti rite prolata eſt, faciatis eadem auctoritate noſtra, appellatione remota, firmiter obſervari, necnon Prioriſſam, & Conventum Monaſterii Matris Domini pręfatas, ut Johanninę Prioriſſę, & Conventui Monaſterii de Turre prędictis de expenſis hujuſmodi integre ſatisfaciant, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, compellatis, non obſtantibus etiam felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, ſimiliter Prędeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne quis extra ſuam civitatem, vel Diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus &c. ſeu, ne Judices a Sede prędicta deputati &c. & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque, aut ſi Prioriſſę, & Conventui Monaſterii Matris Domini, aut Ordini pręfatis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab eadem Sede indultum exiſtat, quod ipſe, aut dicti Ordinis perſonę, & loca interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad judicium trahi non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictę Sedis Indulgentia generali, vel ſpeciali cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, veſtrę juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, quę quoad hoc nolumus, ipſis aliquatenus ſuffragari. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo, Idibus Maii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *De Turre.*) Conſulenda *Conſtitutio VIII Caliſti III ſupra pag.* 343, necnon *XVIII Pii II pag.* 396.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CIV fol.* 106.
3. *Humilibus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Anno 1480 Die 13 Junii.

De Cœnobiis in Hiſpania reformandis (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXXIII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

SEdis Apoſtolicę circumſpecta benignitas recurrentium ad eam cum humilitate perſonarum, pręſertim religioſorum, ſtatui poſt lapſum libenter conſulit, & ad Chriſti fidelium, & Religionis reformationem, & animarum ſalutem tendentia vota ad exauditionis gratiam admittit, & favore benevolo confovet, prout in Domino conſpicitur, ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem, ſub dat. videlicet Kalendis Maii, Pontificatus noſtri Anno Primo, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia,

Diplomatis cauſa,

inter alia, inhibuimus omnibus, & ſingulis Prioribus, Guardianis, & Fratribus, Minorum, Prędicatorum, Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum Ordinum Mendicantium, de Obſervantia nuncupatis, ac laicis utriuſque ſexus, cujuſcunque dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis, forent, ſub pęna excommunicationis latę ſententię, eo ipſo, toties, quoties contrafacere contigerit, incurrenda, ne quod Domus, & loca profeſſorum dictorum Ordinum, conventualium nuncupatorum, ac Monaſteris Monialium eorum curę commiſſa, aliis Fratribus, Monialibus, ſive Sororibus, etiam ejuſdem Ordinis, quovis nomine nuncupatis, quomodolibet concederentur, aut quod, amotis exinde Fratribus,

& So-

& Sororibus illas, & illa inhabitantibus, reformarentur, & alii Fratres, aliæve Moniales, ſeu Sorores, eorum loco ſubrogarentur, & ſubſtituerentur ibidem, ſeu quod Monaſteria prędicta, aliorum curę committerentur, procurare, quęrere, aut tentare, niſi apud Magiſtros, Miniſtros, & Priores Generales, & Provinciales dictorum Ordinum pro tempore exiſtentes, qui tenerentur, & deberent, quoties opportunum foret, & poſtquam eſſent requiſiti, infra annum Domus ipſas debite reformare, & quę correctione, & emendatione indigerent, corrigere, & emendare, nec etiam ad effectum hujuſmodi amotionis eorum a Domibus ſuis, eiſdem Fratribus Conventualibus, & eorum curę commiſſis Monialibus, injurias, & gravamina aliqua inferre quoquomodo pręſumerent, diſtrictius inhibuimus, quodque laici prędicti, in faciendis reformationibus prędictis, alias, quam ut pręmittitur, nullateous ſe intromitterent, ſub eadem excommunicationis ſententia, ſi contrafacerent, eo ipſo ex tunc incurrenda, decernentes irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus dictorum Ordinum Protectoribus, omnibuſque, & ſingulis Pręlatis, & aliis Perſonis eccleſiaſticis in dignitate conſtitutis, necnon Eccleſiarum Cathedralium, etiam Metropolitanarum Canonicis per Apoſtolica ſcripta motu ſimili mandavimus, quatenus ipſi, & quilibet eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, reſpective dictis Magiſtris, Miniſtris, Cuſtodibus, Guardianis, & Fratribus Conventualibus in pręmiſſis, efficacis defenſionis pręſidio aſſiſterent, ac pręmiſſa omnia, & ſingula, ubi, & quando expedire cognoſcerent, fuiſſentque deſuper requiſiti, ſolemniter publicantes, non permitterent eos, vel eorum aliquem, contra earundem literarum tenorem per quoſcunque quomodolibet inquietari, ſeu moleſtari, ac illos omnes, & ſingulos, quos eis hujuſmodi excommunicationis ſententiam incurriſſe conſtaret, quoties ſuper hoc pro parte aliquorum ex Magiſtris, Miniſtris, Prioribus, Cuſtodibus, & Guardianis, & Fratribus prędictis Conventualibus, fuiſſent requiſiti, in Eccleſiis, & aliis locis, ubi eis videretur, excommunicatos publice nunciarent, facerentque ab aliis nunciari, & ab omnibus arctius evitari, donec prævia ſatisfactione, meruiſſent ab eadem excommunicationis ſententia, abſolutionis beneficium obtinere, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, prout in literis deſuper confectis, quarum tenorem, ac ſi de verbo, ad verbum infereretur, haberi volumus pro expreſſo, plenius continetur. Et deinde, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Alfonſi de S. Zebrian. Magiſtri in Theologia Generalis Vicarii, & Petri de Cavaſco Prioris Domus S. Dominici de Piedrahita (3), Salamantinę (4) Dięceſis, & aliorum Priorum, & Fratrum Ordinis Prędicatorum, de Obſervantia, reformatorum, nuncupatorum, Caſtelię, & Legionis Regnorum, ac aliorum Clericorum, & laicorum eorum in hac parte complicum, petitio continebat, Alfonſus Vicarius, & Petrus Prior, & alii Priores, & Fratres reformati dicti Ordinis Prędicatorum poſt, & contra dictarum literarum tenorem, domum B. Marię de Francia (5), prędictę, & Civitatenſis Dięces. (6), ac alias Domos, in quibus Fratres dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum Conventuales degebant, & nonnulla Monaſteria Sororum ſub cura eorundem Fratrum Conventualium degentium in regnis prędictis conſiſtentia, reformarunt, & Fratribus Conventualibus in eiſdem Domibus exiſtentibus, & in reformatione hujuſmodi conſentire nolentibus, ab eiſdem Domibus recedentibus, alios Fratres reformatos dicti Ordinis Prędicatorum in eiſdem Domibus introduxerunt, & introduci fecerunt, ac Clerici, & laici eorum complices prędicti eiſdem Vicario, Petro Priori, & Fratribus, in pręmiſſis auxilium, conſilium, & favorem dederunt, excommunicationes, & alias ſententias, cenſuras, & pęnas in eiſdem literis contentas incurrendo; Et demum dilectus filius Belaſcus de Medina del Campo (7) prędictę Salamanticenſis Dięceſis, in executionem literarum prędictarum per dilectos filios Andream de Foro, Priorem Provincialem Provincię Caſtellę, & procuratores aliorum Priorum, & Fratrum dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum Conventualium, aſſumptus, pręſatos Alphonſum Vicarium, Petrum Priorem, & Fratres, ac Clericos, & laicos, qui in reformationem, & reductionem dictę Domus B. Marię intervenerunt, & eiſdem Vicario, Petro Priori, & Fratribus reformatis, auxilium, conſilium, & favorem pręſtiterunt, excommunicatos publice denunciavit, & loca, ad quę eos declinare, & in quibus eos morari contingeret, eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto, proceſſus ſuos contra eos iteratis vicibus aggravando. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Alfonſus Vicarius, Petrus Prior, & alii Priores, & Fratres, & eorum complices pręfati, non in contemptum damni (8), nec animo Deum offendendi, ſed potius deſerviendi, & Domos, ac Monaſteria prędicta in ejus ſervitio, & Religionis augmento reformandi, pręmiſſa fecerint, pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi (9) Regis, & cariſſimę in Chriſto filię noſtrę Eliſabeth (10) Reginę Regnorum prędictorum Illuſtrium, aſſerentium, ſe ad dictos Fratres reformatorum Prędicatorum, ſingularem gerere devotionis affectum, & Alfonſi Vicarii, & Petri Prioris, & aliorum Priorum, & Fratrum dicti Ordinis reformatorum, ac aliorum Priorum eorum complicum prędictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſos Alfonſum Vicarium, Petrum Priorem, ac Fratres, & Clericos, ac laicos eorum complices, a ſententiis, cenſuris, & pęnis, quas tam vigore literarum, & proceſſuum prędictorum, quam alias pręmiſſorum occaſione incurrerunt, abſolvere, interdictumque prędictum relaxare, & ſuper irregularitate, ſi quam illis ligati, Miſſas, & alia divina officia celebrando, aut illis alias ſe immiſcendo contraxerunt, diſpenſare, necnon quod literę prędictę deinceps ad eoſdem Vicarium, & Fratres dicti Ordinis Prędicatorum, nullatenus ſe extendant, eis concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui eorundem Regis, & Reginę votis, in his pręſertim, quę Religionis incrementum, & animarum ſalutem concernunt, libenter annuimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdemque Alfonſo Vicario, Petro Priori, & aliis Prioribus, & Fratribus, necnon Clericis, & locis pręfatis, qui in reformatione, & reductione prędictę Domus B. Marię, & aliarum Domorum dicti Ordinis Prędicatorum Conventualium, ac Monaſteriorum Sororum, ſub eorum cura degentium, intervenerunt, eiſdemque Vica- Mandatum.

Vicario, Petro Priori, & Fratribus dicti Ordinis reformatorum, in pręmiſſis, auxilium, conſilium, & favorem dederint, cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant, ut Confeſſor idoneus Presbyter ſecularis, vel regularis, etiam dicti Ordinis, quem quomodolibet pro ſe duxerit eligendum, eidem eligenti, de abſolutionis beneficio a ſententiis, cenſuris, & pęnis prędictis, quas tam vigore literarum, & proceſſuum prędictorum, quam alias incurrerunt, in forma Eccleſię conſueta, auctoritate noſtra providere, & ſuper irregularitate prędicta, eadem auctoritate diſpenſare, omnemque inhabilitatis, & infamię maculam ſive notam per eos, prę miſſorum occaſione contractam, abolere, libere, & licite valeat, Apoſtolica auctoritate relaxamus, & quod literę prędictę, & in illis contenta ad Fratres, & Domos dictorum Prędicatorum in Regnis prędictis conſiſtentes, deinceps nullatenus ſe extendant, & illos non comprehendant, ſed a contentis in eis, penitus ſint excepti, in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi Domus, & Fratres dicti Ordinis in prędictis Regnis conſiſtentes, in eiſdem literis ſpecialiter excepti exiſterent, prę fata auctoritate indulgemus. Ac Alfonſo prędicto, & ei, qui pro tempore erit Vicarius Generalis Fratrum reformatorum dicti Ordinis, quęcunque Domos Fratrum ejuſdem Ordinis Conventualium, & Monaſteria Monialium, ſub eorundem Fratrum Conventualium cura degentium, in eiſdem Regnis conſiſtentia, quę juxta conſcientiam ſuam ei videbuntur reformatione indigere, libere reformandi, & ad obſervantiam reducendi, ac quibuſcunque perſonis ſecularibus, vel regularibus tam Clericis, quam laicis, cujuſcunque ſtatus, dignitatis, vel conditionis fuerint, qui deſuper per eundem Vicarium fuerint requiſiti, in reformatione, & reductione per eum faciendis hujuſmodi, auxilium, conſilium, & favorem prę ſtandi, abſque metu cenſurarum, licentiam, & facultatem prędicta auctoritate impartimur; Et nihilominus venerabilibus Fratribus Segovien., & Corduben., ac Caurien. (11) Epiſcopis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum pręmiſſa, quando, & quoties expedire cognoverint, fuerintque deſuper pro parte Vicarii Generalis, Priorum, & Fratrum reformatorum prędictorum legitime requiſiti, ſolemniter publicantes, & in eis pręmiſſis efficacis defenſionis prę ſidio aſſiſtentes, non permittant, eos prętextu dictarum aliarum literarum noſtrarum, a quibus excepti ſunt, ut prę fertur, per illarum executores, ſeu ab eis deputatos ſubexecutores, nullatenus inquietari, faciantque eoſdem Vicarium, Priores, & Fratres reformatos conceſſis eis per prę ſentes literas, facultate, & indultis pacifice gaudere. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus prędictis, & quibuſvis aliis noſtris, vel Prędeceſſorum noſtrorum literis, cum quibuſvis clauſulis, etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, & ſpecifica mentio habenda foret, ac aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque: Seu ſi dicto Ordini Prędicatorum, vel quibuſvis aliis, communiter, vel diviſim, a dicta Sede ſit indultum, quod ipſi, & perſonę ejuſdem Ordinis, interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam de verbo, ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis, relaxationis, indulti, impartitionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prę ſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo, Idibus Junii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Conſervatores conſtituti. — *Clauſula derogans.* — *Sanctio pœnalis.*

1. *Reformandis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar *Libro B. fol. 515 ex* Autographo *Salmanticenſi*.
3. *Piedrabita.*) Seu *Pedrabita*, *Petrafiten.* ſcilicet.
4. *Salamantin.*) *Salmanticenſis* nempe, vulgo *Salamanca*.
5. *B. Mariæ de Francia.*) *Rupis* nempe *Franciæ*, vulgo *Peña di Francia*, in ejuſdem nominis *Hiſpaniarum* Oppido. Locus celebris eſt, ac cultu Deiparæ clarus.
6. *Prædicta, & Civitaten. Diœces.*) Diœceſum nempe *Salmanticenſis*, & *Civitatis Roderici*, in *Hiſpania*.
7. *Medina del campo.*) Sic vulgo vocatur *Methymna Campeſtris*, oppidum *Caſtellæ Veteris*.
8. *Damni.*) Forſaſſis *Clavium*.
9. *Ferdinandi.*) Cognomento *Catholici*.
10. *Eliſabeth.*) E *Caſtella* nuncupatæ.
11. *Caurien.*) Vulgo *Coria*, in *Hiſpaniæ* Regno *Legionis*.

Anno 1480 Die 7 Julii.

CXXXIV.

Ne Sorores, Converſæ (1) nuncupatæ, recipiantur (2) in numerum Sororum, quas Velatas (3) vocant.

Ex Archivo (4) Ordinis.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Supplex petitio.

Apoſtolicę Sedis pia ſollicitudo requirit &c. (5). Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Sororum Domus Sancti Dominici Piſan., Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, Nobis exhibita petitio continebat, quod, ſi ſtatueretur, & ordinaretur, quod de cetero Sorores dictę domus, in qua regularis viget obſervantia, converſę nuncupatę, nunc inibi pro tempore exiſtentes habitum (6) Nigrum (7) per eas juxta conſuetudines dictę domus geſtari ſolitum, mutare, & habitum album Sororibus ejuſdem domus, velatis nuncupatis, duntaxat exhiberi ſolitum, aſſumere non valerent, ac poſtquam in eadem domo in Converſas receptę fuerint, literas diſcere non poſſent, ſed in ſtatu, in quo receptę fuiſſent, permanere deberent, & quod de Confeſſore minime grato provideri ſibi non poſſet, profecto paci, & quieti Prioriſſę, & Sororum earundem conſu-

conſuleretur. Quare pro parte Prioriſſę & Sororum prędictarum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui pacem, & quietem ſingularum perſonarum Deo devotarum intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ſtatuimus pariter & ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus Converſę dictę domus, nunc inibi pro tempore exiſtentes, habitum Album Sororum Velatarum dictę domus geſtare, aut nigrum mutare, ipſęque Converſę jam receptę & in dicta domo pro tempore recipiendę, literas diſcere nullatenus poſſint, aut debeant, ſed in eo, in quo receptę ſunt, habitu converſarum, & ſimplicitate, ac literarum inſcientia perſeverare teneantur, quodque nullus in Confeſſorem Prioriſſę & Sororum prędictarum abſque ipſarum, vel majoris partis earundem expreſſo conſenſu deputari queat per alium, quam Generalem Magiſtrum Ordinis Fratrum Prędicatorum pro tempore exiſtentem, & aliter deputatus non poſſit per Prioriſſam & Sorores prędictas ſine expreſſa Apoſtolicę Sedis licentia recipi, vel admitti. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac domus & Ordinum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrorum ſtatuti & ordinationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo, Nonis Julii, Pontificatus noſtri Anno Nono. Mandatum.

1. *Converſæ*.) Sorores ſcilicet curatrices rei domeſticæ.
2. *Recipiantur*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.II.*
3. *Velatas*.) Sic vocant Virgines Deo Sacras, quæ, votis ſolemnibus nuncupatis, velo nigro donantur. *Converſæ* ſiquidem velum album deferunt.
4. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXCIV fol.*145.
5. *Requirit &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
6. *Habitum*.) *Scapulare* nempe, quod habitus, ſeu Veſtis Fratrum Prædicatorum cenſetur, non autem tunicam talarem. Hæc ſiquidem coloris albi ſemper fuit.
7. *Nigrum*.) Nota morem antiquum. Sic etiam nunc Scapulare nigrum *Converſæ* deferunt,

Mugnonenſis (1) hoſpitii fundandi facultas.

Anno 1480 Die 22 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXXV.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Conventui Domus S. Marci Florentin. Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HIs, quę pro commoditate veſtra pia devotione fidelium provide proceſſiſſe comperimus, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolici muniminis adiicimus firmitatem. Sane pro parte veſtra Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod dilectus filius Andreas Creſcii civis Florentinus pia devotione ductus, certum Oratorium in loco proprio in plano Mugnonis, Feſulanę Diœceſis, de bonis ſibi a Deo collatis ſub vocabulo Beatę Marię Magdalenę, cum certis aliis officinis, ędificare cępit, illudque, juvante Domino, perficere intendit; interimque ob ſingularis devotionis affectum, quem ad Ordinem veſtrum gerit, Oratorium prędictum cum hortis, & hortalitiis, Domibus, ceteriſque pertinentiis ſuis, pręſentibus, & futuris, pro membro, & in membrum dictę Domus S. Marci vobis libere donavit, conceſſit, & aſſignavit, prout in quodam deſuper confecto Inſtrumento plenius dicitur contineri. Quare pro parte tam veſtra, quam pręfati Andreę Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut donationi, conceſſioni, & aſſignationi hujuſmodi, ac omnibus, & ſingulis in dicto Inſtrumento contentis, pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac aliàs in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, donationem, conceſſionem, & aſſignationem, Oratorii hujuſmodi, ac omnia & ſingula in dicto Inſtrumento contenta, illaque concernentia, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, confirmamus, & approbamus, ſupplendo omnes, & ſingulos defectus. ſi qui forſan intervenerint in eadem, vobiſque Oratorium hujuſmodi cum hortis, & hortalitiis, & aliis ſupradictis recipiendi, & tanquam membrum dictę Domus S. Marci libere, & licite retinendi, eadem auctoritate licentiam elargimur; Ita quod Fratres, quos apud Oratorium hujuſmodi pro tempore reſidere, ſive degere contigerit, omnibus, & ſingulis exemptionibus, privilegiis, indulgentiis, libertatibus, & gratiis, pręfato Ordini, & illius Domibus per Sedem Apoſtolicam in genere conceſſis, uti, & gaudere libere, & licite valeant. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papę Octavi, prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua civitate, villa, ſeu quovis alio loco, ad habitandum, quęcunque Domos, vel loca de novo recipere, ſeu eatenus recepta mutare, pręſumant abſque Sedis ejuſdem licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, necnon dicti Ordinis Juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis, appropriationis, ſuppletionis, & elargitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo, Undecimo Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Diplomatis cauſa.

Faculta.

1. *Mugnonenſis*.) Vulgo *Mugnio*, in *Hetruria*,
2. *Archivo*.) In quo Duplex exemplar, unum ex Autographo *Florentino*, aliud ex *Archivo Apoſtolico Lib. XIV fol.*249.

Fra-

Digitized by Google

Anno 1480 Die 2 Auguſti.

Fratres iter habentes cuilibet Sacerdoti confiteri (1) poſſunt,

Ex Bullario Caſtellani (2) *Parte II pag.* 123.

CXXXVI.

Dilectis filiis Vicario, ac Prelatis Conventuum, ac Monaſteriorum reformatorum, & reformandorum Congregationis Provincię Caſtellę, & Legionis.

SIXTUS PP. IV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUpplicari, Nobis humiliter feciſtis, ut eum in Conſtitutionibus, & privilegiis veſtri Ordinis expreſſe caveatur, ne Fratres Ordinis ejuſdem, pręter quam ſuis Pręlatis, & de eorum licentia Fratribus dicti Ordinis confiteantur, dignaremur concedere, ut aliquando alterius Ordinis Sacerdotibus, maxime neceſſitate exigente, poſſint confiteri. Nos, ut eum majori animi quiete, & conſcientię pace, Fratres vobis ſubditi Altiſſimo famulari poſſint, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut Fratres, veſtra, vel aliorum Pręlatorum, & (3) ſuorum, qui pro tempore erunt, licentia, ſolummodo tamen cum itineraverint, vel fuerint extra Conventus eorum, prout eis concedetis, confiteri poſſint, & vos quomodocunque Sacerdotibus cujuſcunque ſecularis, ſeu Regularis Ordinis confiteri valeatis, tenore pręſentium auctoritate Apoſtolica concedimus, & indulgemus. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die II Auguſti Anno MCCCCLXXIX (4), Pontificatus noſtri Anno Nono.

L. Griſus.

1. *Confiteri.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*
2. *Caſtellani.*) Legitur etiam apud *Confettium pag.66.*
3. *Et.*) Fortaſſis: *etiam*: vel potius vox illa ſuperflua videtur.
4. *MCCCCLXXIX.*) Hic errat certe Typographus. Legendum: *MCCCCLXXX*, Anno ſiquidem *MCCCCLXXI* die *IX* Auguſti *Sixtus IV* Summus Pontifex renunciatus erat.

Anno 1480 Die 18 Auguſti.

Venetæ Sorores, de Pœnitentia nuncupatæ poſſint eligere Confeſſorem, qui eas peccatis, cenſuris Eccleſiaſticis &c. ſolvat.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

CXXXVII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CUnctorum fidelium animarum ſalutem ſupremis deſiderantes affectibus &c. (2) Hinc eſt, quod Nos dilectarum in Chriſto filiarum univerſarum Sororum, Beghinarum, ſeu Biſocarum (3) nuncupatarum, ſub habitu & ſecundum Inſtituta Ordinis Fratrum Prędicatorum, Venetiis Domino famulantium piis ſupplicationibus inclinati, eiſdem Sororibus, quę nunc ſunt, & in poſterum perpetuis futuris temporibus erunt ſub habitu prędicto Venetiis Domino famulantes, ut Confeſſor idoneus Presbyter Secularis, vel prędicti Fratrum Prędicatorum, aut cujusvis alterius Ordinis regularis, quem quęlibet earundem Sororum pręſentium & futurarum pro tempore duxerit eligendum, eligentis Confeſſione diligenter audita, pro quorumcunque votorum & juramentorum tranſgreſſionibus, pœnitentiarum injunctarum, & horarum canonicarum omiſſionibus, aliiſque quibuſcunque peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis per eligentem commiſſis in ſingulis Sedi Apoſtolicę non reſervatis caſibus, toties quoties, in reſervatis vero eidem Sedi, & ab omnibus, & ſingulis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis in eandem eligentem in genere, vel in ſpecie, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa, & quacunque, etiam Apoſtolica auctoritate, latis, & promulgatis, dummodo non ſint de illis, quę in hujuſmodi conceſſionibus per quaſdam noſtras literas ſub dat. tertio Kal. Januarii, Pontificatus noſtri anno Nono, decreverimus non includi, ſemel in vita, & in mortis articulo plenariam abſolutionem impendere, & pęnitentiam ſalutarem injungere, ac emiſſa per eligentem vota quęcunque ultra circulo (4), & viſitationis liminum Apoſtolorum Petri, & Pauli de Urbe, ac Eccleſię Sancti Jacobi in Compoſtella, & caſtitatis votis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare, libere, & licite valeat, ipſis Sororibus in ſinceritate fidei, unitate Sanctę Romanę Eccleſię, ac obedientia & devotione noſtra, & Succeſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium perſiſtentibus, auctoritate Apoſtolica pręſentium tenore concedimus; ſic tamen, quod idem Confeſſor de his, de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, eam eligenti ipſum in Confeſſorem, per eam, ſi ſupervixerit, alioquin per ipſius eligentis heredes, ſi tunc forte tranſierit, faciendam injungat, quam eligens ipſa facere teneatur; Et ne, quod abſit, propter hujuſmodi gratiam Sorores prędictę pręſentes & futurę reddantur procliviores ad illicita in poſterum committenda, volumus, quod ſi Sorores ipſę, aut aliqua earum ex confidentia remiſſionis hujuſmodi aliqua forſan committeret, quoad illa dicta remiſſio ei nullatenus ſuffragetur. & inſuper quod quęlibet Sororum earundem pręſentium, & futurarum, quę hujuſmodi conceſſione in poſterum, quandocunque uti voluerit, per unum annum a tempore quo pręſens noſtra conceſſio ad volentis ea pro tempore uti, notitiam pervenerit, computandum, ſingulis ſextis feriis, impedimento ceſ-

Digitized by Google

ceſſante legitimo, jejunet, & ſi prędictis feriis ex pręcepto Eccleſię, regulari obſervantia, injuncta pęnitentia, voto, vel alias jejunare teneatur, una alia die ſingularum hebdomadarum ejuſdem anni, qua ad jejunandum, ut pręfertur, non ſit aſtricta, jejunet, &, ſi in dicto anno, vel aliqua ejus parte eſſet legitime impedita, anno ſequenti, vel alias, quam primum poterit, modo ſimili ſupplere hujuſmodi jejunium teneatur. Porro ſi forſan alias prelibatum jejunium debilitate, vel infirmitate, aut alias in toto, vel in parte quandocunque adimplere commode nequiverit, eo caſu Confeſſor ipſe, quem ad hoc elegerit, jejunium ipſum in aliqua pietatis opera, prout animę ejuſdem ſaluti expedire viderit, valeat commutare, quę perſona ipſa debeat adimplere. Alioquin hujuſmodi noſtra pręſens conceſſio nullius ſit roboris, vel momenti. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo, Quinto decimo Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Nono (5).

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XIV fol.* 258.
2. *Affectibus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
3. *Beghinarum, ſeu Biſocarum.*) *Tertiariarum* ſcilicet.
4. *Ultracirculo.*) *Ultramarino.*
5. *Anno Nono.*) Si *Quinto decimo* Kalendas Auguſti *MCCCCLXXX*, Annus Pontificatus *Sixti IV NONUS* aſcribitur, non ergo ab electione, ſed a Coronationis die annos ejuſdem Pontificatus ducebat *Sixtus IV*, ut ex ſe patet.

Anno 1480 Die 10 Octobris.

Ottatienſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXXVIII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis venerabilium Fratrum noſtrorum Archiepiſcopi Salernitan. (3), & Epiſcopi Caputaquen. (4) in ſpiritualibus Vicariis Generalibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Sacrę Religionis ſub qua dilecti filii Fratres Ordinis Prędicatorum, de obſervantia nuncupati, ſub humilitatis ſpiritu exhibent Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut votis eorum, in his pręſertim quę Ordinis pręfati propagationem, & animarum ſalutem concernunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Vicarii Generalis dicti Ordinis in Regno Sicilię, necnon univerſitatis hominum oppidi Ortati (5) Caputaquen. Diœceſis, petitio continebat, quod univerſitas, & homines prędicti ob ſingularem devotionis affectum, quem ad Ordinem & Fratres de obſervantia prędictos gerunt, Eccleſiam ſine cura ſub vocabulo Annunciatę dicti oppidi, quę olim hoſpitale, in quo tamen hoſpitalitas non obſervabatur, erat, nunc Rectore carentem, & nullos fructus, redditus, & proventus habentem, Vicario, & Fratribus prędictis pro erectione unius domus regularis obſervantię dicti Ordinis de conſenſu venerabilis Fratris noſtri moderni Epiſcopi Caputaquen. obtulerunt, & quantum in eis eſt, dederunt, & conceſſerunt, ſeu dare, & concedere promiſerunt, ſi ad hoc ab Apoſtolica Sede eis licentia concederetur. (Diplomatis cauſa.) Quare pro parte tam Vicarii, & Fratrum, quam univerſitatis prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem Vicario, & Fratribus Eccleſiam prędictam hujuſmodi recipiendi, & licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, ſi eſt ita, eiſdem Vicario, & Fratribus Eccleſiam prędictam cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis pro eorum perpetuis uſu, & habitatione recipiendi, ac illam pro Fratribus dicti Ordinis de obſervantia, cum campanili humili, campana, cęmeterio, dormitorio, refectorio, & aliis officinis neceſſariis erigendi, & inſtar aliarum domorum dicti Ordinis de obſervantia ampliandi, & perpetuo inhabitandi, auctoritate noſtra, abſque tamen alicujus pręjudicio licentiam concedatis; Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per vos vigore pręſentium concedi contigerit, ut pręfertur, Fratribus in eadem domo pro tempore commorantibus, (Facultas.) quod omnibus, & ſingulis immunitatibus, exemptionibus, privilegiis, gratiis, & indultis, aliis domibus & Fratribus dicti Ordinis in genere conceſſis, & de cetero concedendis, & quibus illi etiam in genere potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere, libere & licite poſſint & valeant, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium de ſpecialia dono gratię indulgemus. Jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. Octavi Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne prędicti, vel alicujus alterius Ordinis Mendicantium Fratres, in aliqua civitate, caſtro &c., & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus &c. quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo, Sexto Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Ottatienſis.*) Vulgo *Ottazio*. Juris eſt Provinciæ Regni *Siciliæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLVII fol.* 86.
3. *Salernitan.*) Vulgo *Salerno*, in Regno *Neapolitano*.
4. *Caputaquen.*) Vulgo *Capaccio*, in eodem Regno.
5. *Ortati.*) *Ottati*, ut in *I Nota*.

Anno 1480 Die 21 Novembris.

CXXXIX.

Romam accerſit F. Johannem de Piſtorio (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilecto filio Fratri Johanni de Piſtorio Ordinis Prędicatorum.

SIXTUS PP. IV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

OPportunum judicavimus, propter nonnulla, quę occurrunt, atque ut lucrum animarum, mediante doctrina, & ſalutaribus monitis tuis, facere poſſis, ut ad Almam urbem noſtram redeas. Quare hortamur te, ac in virtute ſanctę obedientię mandamus, quatenus, acceptis pręſentibus, itineri te accingas, & ad Nos venias. Contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXI Novembris MCCCCLXXX, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

L. Griſus.

1. *De Piſtorio*.) De quo ſępius dictum fuit.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar *Lib. B. fol.* 229 ex Autographo *Piſtorienſi*.

Anno 1480 Die 23 Novembris.

CXL.

Abulenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Sancti Spiritus extra Abulen., & Priori per Priorem ſoliti gubernari Sanctę Marię del Parral extra Segobien. muros, Monaſteriorum, & Archidiacono Eccleſię Segobien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUperna diſpoſitione, cujus inſcrutabili providentia ordinationem ſuſcipiunt univerſa, ad Apoſtolicę dignitatis apicem ſublimati, pro ſingulorum Chriſti fidelium, quorum Nobis cęlitus cura commiſſa eſt, excitanda devotione, Religionis cujusvis propagatione, ac Divini cultus augmento Apoſtolici curas miniſterii diffundimus inceſſanter, & pia ad id tendentia Chriſti fidelium, pręſertim Catholicorum Regum, vota, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, &, ut optatum ſortiantur effectum, favorem Apoſtolicum impertimur. Sane pro parte dilecti filii Thomę de Torquemada (3) Ordinis Fratrum Prędicatorum, reformatorum nuncupatorum, profeſſoris, & Prioris Domus Sanctę Crucis dicti Ordinis Segobien., necnon dilectę in Chriſto filię Marię de Avila, relictę quondam Fernandi Nummi, mulieris Abulen. nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod dictus Fernandus, condens de bonis ſuis in ejus ultima voluntate teſtamentum, ob ſingularem devotionem, quam gerebat ad glorioſum Sanctum Thomam de Aquino, ſeu dicti Thomas, & Maria, teſtamenti & voluntatis prędictę ex ejuſdem teſtatoris ordinatione executores, ordinarunt, quod de bonis prędictis ędificaretur una domus Fratrum dicti Ordinis in honorem, & ſub invocatione dicti Sancti Thomę, in Civitate Abulen., ſeu ejus ſuburbiis. Quare pro parte dictorum executorum, aſſerentium in civitate, & ſuburbiis prędictis, non fore aliam domum dicti Ordinis, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis domum hujuſmodi in civitate, ſeu ſuburbiis prędictis, in loco apto, & honeſto cum Eccleſia, campanili humili, campana, cęmeterio, dormitorio, hortis, hortalitiis, clauſtro, & aliis neceſſariis officinis conſtrui, & ędificari faciendi, ac Vicario, & Fratribus dicti Ordinis Regnorum Caſtellę, & Legionis, illam pro eorum perpetuis uſu, & habitatione, recipiendi, & perpetuo inhabitandi, licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur: Nos igitur, qui ad Ordinis pręfati profeſſores ſpecialem gerimus devotionis affectum, & firmam ſpem, fiduciamque tenemus, quod incolę civitatis & ſuburbiorum prędictorum ex eorundem aſſidua, & devota celebratione, prędicatione Verbi Dei, monitionibus, conſiliis, ac audientia Confeſſionum, pro animarum ſuarum ſalute, auxilia conſequentur, hujuſmodi dictorum executorum, ac etiam ſuper hoc Nobis humiliter ſupplicantium cariſſimi in Chriſto filii Ferdinandi (4) Regis, & cariſſimę, in Chriſto filię Eliſabeth (5) Reginę, Caſtellę & Legionis, Illuſtrium, ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi eſt ita, ſine pręjudicio cujuſcunque, executoribus prędictis domum prędictam cum Eccleſia, campanili humili, campana, cęmeterio, refectorio, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis prędictis conſtrui, & ędificari faciendi, ac Vicario, & Fratribus prędictis illam pro eorum uſu, & habitatione recipiendi, & perpetuo inhabitandi, auctoritate noſtra licentiam largiamini, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne prędicti, & cujuslibet alterius Ordinis Mendicantium Fratres ad inhabitandum nova loca recipere, ſeu jam recepta mutare, pręſumant, ſine dictę Sedis licentia ſpeciali, de prohibitione hujuſmodi ſpecialem, & expreſſam faciente mentionem, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus &c quibuſcunque. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per vos vigore pręſentium concedi contigerit, Vicario, & Fratribus prędictis, qui domum prędictam inhabitabunt,

Facultas.

ut

ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, favoribus, & indultis per Sedem Apoſtolicam, vel alias, domibus, & Fratribus dicti Ordinis in genere conceſſis, & concedendis, uti, potiri, & gaudere, libere & licite valeant, dicta auctoritate, tenore preſentium, indulgemus. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo, Nono Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Abulenſis*.) Vulgo *Avila*, in ejuſdem nominis *Hiſpania Tarraconenſis* Urbe, *S. Thereſia* natalibus clara.

2. *Archivo*.) In quo duplex Exemplar, authenticum unum ex Autographo *Abulenſi*, aliud ex *Archivo Apoſtolico Libro CLVII fol.* 204.

3. *Thoma de Torquemada*.) Seu *de Turrecremata*, de quo jam dictum fuit.

4. *Ferdinandi*.) Hujus nominis *V*, cognomento *Catholici*.

5. *Eliſabeth*.) E *Caſtella* nuncupatæ.

Declarat (1) ſuam Conſtitutionem incipientem: *Dum contingit interdum*.

Anno 1480 Die 18 Decembris.

Ex Waddingo Annal. Minor. Tom. VII pag. 80.

Dilecto Filio Vicario Generali Ciſmontano Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum. CXLI.

SIXTUS PP. IV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Superioribus diebus ad querelam multorum Prelatorum Eccleſiaſticorum Nobis factam, ſuper quibuſdam exceſſibus aliquorum Fratrum de Ordinibus Mendicantium, & preſertim Minorum, providere, ac ſcandalis, quę inde provenire poſſent, occurrere cupientes, quaſdam literas noſtras fecimus, quę incipiunt. Ad Futuram Rei Memoriam. Dum contingit interdum ad Romani Pontificis deduci memoriam &c. Et cum in prefatis literis infraſcripta ponantur Verba: Approbationem Indulgentiarum hujuſmodi conceſſarum a Prędeceſſoribus noſtris viſitantibus Eccleſias dictorum Ordinum, & pia ſuffragia ibidem erogantibus, aut alia pia opera exercentibus memorata, & illarum de novo, ac aliarum, quas prędictis Ordinibus, ſeu alicui eorum in ſpecie, & demum reciproce, ut preſertur, & illas concernentia, facultates, & indulta quęcunque auctoritate Apoſtolica ad noſtrum, & dictę Sedis beneplacitum preſentium tenore ſuſpendimus: dubitetur a pleriſque ne prefata clauſula, qua dicitur, ſeu facultates, & indulta quęcunque, includat ſuſpenſionem omnium privilegiorum, & indultorum a Nobis, vel Prędeceſſoribus noſtris, dictis Ordinibus Mendicantium conceſſorum, cujuſcunque facultatis, vel tenoris exiſtant, humiliter declarari petiſti. Nos igitur, paterno affectu materiam jurgiorum amputare volentes, tuis ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica tenore preſentium, declaramus, & decernimus, prefatam clauſulam ſolum referri debere ad facultates, & indulta quęcunque Indulgentiarum, & abſolutionum, vel remiſſionum peccatorum, perſonas quaſlibet, quę non ſunt dictorum Ordinum, aut Monialium, vel Sororum Tertii Ordinis collegialiter viventium ſub eorum cura, aut ſervientes eiſdem continue, concernentia, & non ad alias facultates, ſeu indulta, a Nobis, vel Prędeceſſoribus noſtris eiſdem Ordinibus conceſſa, quę omnia, & etiam quoad Indulgentias, & peccatorum remiſſiones temporales, non plenarias in ſuo robore perdurare volumus, & decernimus. Non obſtantibus prefatis literis noſtris, aut aliis quibuſcunque. Verum quia difficile foret, has literas ad diverſas mundi partes mittere, volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod harum tranſumpto, manu publici Notarii ſubſcripto, & ſigillo officii tui munito, tanquam preſentibus literis originalibus, firmiter ſtetur, & ea fides adhibeatur, ac ſi eędem originales literę exhibitę, vel oſtenſę forent. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVIII Decembris MCCCCLXXX Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Diplomatis cauſa.

Declaratio.

1. *Declarat*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII.*

Leges pro Veneto (1) Cœnobio SS. Johannis, & Pauli conſtitutas confirmat.

Anno 1481 Die 18 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Craynen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CXLII.

His, quę pro locorum religioſorum quorumlibet commodo, & utilitate, ac perſonarum in illis ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium pace, & tranquillitate provide facta dicuntur, ut firma perpetuo, & illibata permaneant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolici mandamus adjici muniminis firmitatem. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus BB. Johannis, & Pauli Venetiarum, Ordinis Prędicatorum, petitio continebat, quod olim ipſi, provide conſiderantes, quod propter malum regimen, & malam gubernationem illorum, qui preterito tempore Domum ipſam gubernaverant, Fratres in eadem domo commorantes multa incommoda ſuſtinuerant, & ſuſtinebant, ac inter eos lites, & diſſenſiones ſępenumero exortę fuerant, Domuſque ipſa collapſa erat, adeo quod niſi de celeri remedio ſuccurreretur, de ipſius ruina formidandum foret, pro conſervatione, & manutentione domus ejuſdem, ac Fratrum in illa pro tempore degentium pace, & tranquillitate, necnon ad ſubmovendum murmurationes fidelium, ad

Exordium.

Leges ſancitæ.

Eccleſiam dictę Domus, pro divinis audiendis confluentium, necnon pro divini cultus augmento, nonnulla Capitula, ordinationes, & ſtatuta fecerunt in hunc, qui ſequitur modum, videlicet: quod nullus Frater in dicta Domo poſſet habere plura officia, ſed unum tantum, quę officia darentur Fratribus nativis Conventus a Patribus de conſilio cum Priore, non autem extraneis; in quibus officiis non eſſent, niſi per unum annum, ſecundum antiquam Conventus conſuetudinem, quę conſuetudo erat, ut quilibet officialis, videlicet, ſacriſtię, librarię, fabricę, Syndicarię, Burſarię, Infirmarię, Procurarię, canipęque (3), ceterorumque officiorum Conventus removeretur in vigilia omnium Sanctorum in publico Capitulo, nolentes, quod aliquis officialis daretur de facto (4), quod ſi Prior negligeret alios inſtituere, ſcilicet in die immediate ſequenti defunctorum, per Patres de conſilio ſine eo ad executionem dictorum officiorum debite provideretur. Quod Prior, qui erit, quovis modo non prędumat, nec audeat, ſub pęna ipſo facto abſolutionis Prioratus exigere domus pecunias, neque exactas penes ſe retinere, neque aliquo pacto illas exponere, neque ſcribere, nec illas ſcribi facere in quaternis, ſed ſinat unumquemque ſuum perficere officium, ſitque una capſa in deposito trium clavium, in qua pecunię recondantur, quarum clavium unam teneat Prior, ſecundam unus Magiſter, tertiam unus Pater de conſilio, non ſemper, ſed annuatim in alios; eodem modo disponatur de clavibus ſacriſtię, ſcilicet depoſiti: ille autem ſit ipſo facto excommunicatus, qui pecuniam quovis modo nomine Conventus acceptam retinuerit penes ſe una die longius, ſed quamprimum dictę capſę communi prę̨ſentare, & per foramen projicere, nec propterea inde aliquid extrahatur, niſi primo Prior ſignificet, Patribus conſentientibus, & convenientibus de conſilio. Nullus, cujuſcunque gradus, aut conditionis ſit, poſſit connumerari inter Patres de conſilio, niſi quadragenarius, Conventus nativus, & electus per omne conſilium, Magiſtris exceptis, intelligendo, quod qui fecerit profeſſionem, & acceperit habitum in obſervantia non ſit in hoc aliorum nativorum Magiſtrorum, niſi de ſpeciali gratia acceptetur denuo, omnibus conſentientibus in dicto numero, neque Supprior intret conſilium niſi nativus, & quicquid per hos Patres de conſilio pertractatum, & determinatum fuerit, inviolabiliter obſervetur, & ſecundum antiquam conſuetudinem Conventus in quaterno conſiliorum ad hoc deputato adnotetur, & ſcribatur diligenter. Pro pace ſervanda, & unitate, & ut omnes ęqualiter participent in officiis, & honoribus. quod Magiſtri nativi, & Patres de conſilio ſine ſuo loco, & tempore electi Priores, & ſtent per unum annum tantum, & ſecundum ſuos gradus, intelligendo gradum aſſumpti habitus, & unus poſt alium ſucceſſive quoad terminet, & orbiculariter, numerus, incipiendo iterum, & ſubſequendo, & cum ventum fuerit ad electionem Prioris, Vicarius electionis in Capitulo proponat eligendum, tamen intelligendo, quod ii, qui fuerunt Priores non habeant locum, quouſque omnes, qui non fuerunt habeant ſuum locum. ſignificantes quod, ſi quis Prior inobediens fuerit pręceptis majorum, quando ei ſub pęna abſolutionis comminabitur, ut aliquid mandet executioni, quod ſi obedire contempſerit, ſit abſolutus, & in capite dierum trium procedatur ad alterius Prioris electionem, & ille perdat vicem ejus pro illo anno, quouſque redeat iterum in ordine locus ejus. Bona communia, ad publica loca pertinentia non poſſint aliquo pacto alio aſportari, neque ad uſum privatum uſurpari. Camerę autem mortuorum non vendantur, ſed concedantur non habentibus, quibus ſpectare videbuntur quoad gradum dignitatis: camerę vero pertinentes ad Infirmariam ſuperiorem minime uſurpentur, neque ullus audeat ędificare in loco, qui ad Infirmariam ſuperiorem eſt deputatus. Si quis autem aliquem temerarie dictę Infirmarię locum occupaverit, reſtituere, & reddere coarctetur. De quindena in quindenam officiales coram Priore, & Patribus de conſilio reddant rationem adminiſtratorum introituum, & expenſarum cum quaternis ſuis, & fiat omnium ratiocinium. Nullus autem, qui neſciat facere computum, legere, & bene ſcribere, habeat dicta officia. Nemo poſſit fieri Frater nativus Conventus, niſi fuerit, omnibus conſentientibus Fratribus nativis, acceptus, intelligendo, de actu in Conventu exiſtentibus. Magiſtri, & Baccalaurei extranei non poſſint Conventuales eſſe, neque morari in Conventu, niſi in aliquo officio poſiti quoad ſtudium, neque ſtare, niſi pro expediendis negotiis ſuis, & urgente neceſſitate magis quam quindecim dies, excepto etiam ſi aliter a Patribus de conſilio ipſis conceſſum fuerit. Extranei omnes, qui plures annos ſteterint in Conventuales, ſint amoti, & deinceps nemo poſſit ſtare ſucceſſive magis, quam duos annos, & nullo modo ſtare poſſint Fratres bullati (5), ſed cum Bullis ſuis eant ad Conventus, vel civitates ſuas, vel ad beneficia eorum, & bullis ſuis utantur in ſuis Conventibus, quoniam ab his multa Conventus patitur ſcandala. Ad evitanda multa enormia ſcandala, & pro honeſtate, & animarum ſalute nullus, niſi de conſilio, aut non de conſilio, dummodo ſit quadragenarius, niſi omne conſilium aliter approbaverit, ſcilicet aliquem pro idoneo elegerit, poſſit, aut valeat in Eccleſia audire Confeſſiones mulierum, neque cum eis loqui modo quo Confeſſiones audiuntur. Et nemo extraneus prędicet in civitate, niſi cum licentia Patrum. Quoniam Prelatorum negligentia multa bona Infirmarię, & plurimos codices, Fratres, & Conventus prędicti perdiderunt, & aliorum officiorum, maxime ſacriſtię, quod de cetero officiales res pertinentes ad eorum officia per inventarium acceptabunt, & ipſi ſimiliter manu propria inventarium ſcriptum tradant eorum quę conſignata fuerint, & ſingulo anno renoventur. Si quis vero libros ad librariam pertinentes uſurpet, occultando, & quiſquam chartas, quaternos, codicilla, inſtrumenta, teſtamenta Conventui pertinentia, & his ſimilia non reſtituerit in ſpatium quindecim dierum a prę̨ſentium notitia, ſit ipſo facto excommunicatus: quod ſi deprehenſus fuerit, filiatione Conventus ſit denudatus. Exceptis, & demptis pręnotatis conſiliis, in quibus volumus univerſitatem, & omne conſilium convenire, in ceteris fiendis, tractandis, & exequendis numeroſior pars obtineat. Quare pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Capitulis, ordinationibus, & ſtatutis prę̨fatis pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adjicere, ac alias in prę̨miſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui pacem, & quietem ſingulorum ſi-

fidelium intenſis deſideriis affectamus de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam de Capitulis, ordinationibus, & ſtatutis pręfatis tibi legitime conſtiterit, illa, dummodo canonicis inſtitutis, & ſubſtantialibus Regulę non obvient, auctoritate noſtra approbes, & confirmes, ſuppleaſque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo (6), Quinto Decimo Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Decimo. Confirmatio.

1. *Veneto.*) In ejuſdem nominis Reipublicæ Metropoli.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar *Libro B. fol.* 474, ex Autographo *Veneto*.
3. *Canipaque.*) Idem ac *Cella Vinaria*, Italis *Caneva*, & *Cantina*.
4. *Daretur de facto.*) Turbatus locus, vel ſenſus eſt. *Nolentes quod aliquis Officialis conferetur, antea quam, anno exacto, denuo fuiſſet electus.*
5. *Bullati.*) Sic vocati videntur Fratres, quos ſuis Diplomatibus Præpoſiti alicujus legis immunes fecerant.
6. *Octuageſimo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLXXXI*.

Hiſpani Fratres in Lombardia degentes Hiſpaniam petant ad reformanda Cœnobia.

Anno 1481 Die 14 Martii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Dilecto filio Vicario Fratrum Ordinis Prędicatorum Provincię Lombardię.

CXLIII.

S I X T U S P P. I V.

Dilecte Fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUpplicatum Nobis humiliter fuit, ut cum in aliquibus Conventibus Hiſpanię Ordinis tui reformatis ſufficiens Fratrum numerus deſit, dignaremur aliquos Fratres Hiſpanos, qui in illa Congregatione Lombardię in Conventibus reformatis ſub tua cura degere dicuntur, illuc mittere, attento quod ejuſdem linguę, & reformationis exiſtunt, multumque poterunt Ordini prodeſſe. Nos, pro divini cultus augmento hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, devotioni tuę committimus, ac in virtute Sanctę Obedientię mandamus, quatenus ipſos Fratres Hiſpanos in Conventibus ipſis reformatis in Congregatione Lombardię exiſtentes ad pręfatos Hiſpanię Conventus reformatos infra competentem terminum, quo poſſint commode proficiſci, remittas, qui ſubſint Vicario pro tempore, qui locis illis, & Conventibus, & illius ordinationi pareant, & juxta datam a Deo eis gratiam Ordini prodeſſe ſtudeant. Abſolventes eos, & eorum quemlibet a quocunque voto, vel juramento, quod forſan in contrarium quoad hoc emiſiſſent. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XIV Martii MCCCCLXXXI, Pontificatus noſtri Anno Decimo. Mandatum.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononienſi pag.* 47, ex Autographo *Bononienſi*.

Firmat inſtrumentum, quo S. Juliani Monaſterium Florentinum (1) ceſſerat (2) bonis hæreditario jure ipſi venientibus a patre cujuſdam Monialis.

Anno 1481 Die 27 Martii.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CXLIV.

HIs, quę pie, & liberaliter proceſſiſſe comperimus &c. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectę in Chriſto filię Zeneverę quondam Nerii Angeli de Covonibus, mulieris relictę quondam Johannis Andreę de Bertinellis, civis Florentin., petitio continebat, quod dudum poſtquam dictus Nerius ejus pater, condens in ejus ultima voluntate teſtamentum, dilectos filios Angelum, & Bernardum ejus filios legitimos, & naturales in pupillari ętate conſtitutos ſuos univerſales inſtituerat hęredes, necnon Sandrę, ſeu Alexandrę, ac pręfatę Zeneverę, & cuilibet ipſarum pro dote certam ſummam pecuniariam, ſeu florenorum inibi expreſſam legaverat, dictaque Sandra poſt obitum pręfati Nerii patris ſui Monaſterium Monialium Sancti Juliani Florentin., Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum ingreſſa, & profeſſionem per Moniales dicti Monaſterii emitti ſolitam emiſerat regularem, dictis ejus Fratribus compatiens ſexcentos florenos, qui ſibi ſi nupſiſſet ratione dotis hujuſmodi debebantur, & tum ad dictum Monaſterium ſpectabant, de conſenſu Abbatiſſę, & Monialium dicti Monaſterii ceſſit, & donavit, & deinde pręfata Zenevera, ejuſdem Sandrę Sorore, quę in Civitate Barchinonen. pręfato Johanni Andreę de Bertinellis inibi moram trahenti nupſerat, in remotis agente, dictiſque Angelo, & Bernardo viam univerſę carnis ingreſſis Monaſterium prędictum bona Angeli, & Bernardi Fratrum prędictorum pretextu dictę Sandrę Sororis eorundem, & Ordinem ipſum, ut pręmittitur, profeſſę adiverunt, & pro ſe, & dicto Monaſterio receperunt, & poſtquam illa aliquandiu tenuerant, poſſederant, & uſufructuaverant, pręfata Zenevera ad propria reverſa, & bona prędicta tanquam legitima hęres fratrum ſuorum repetente, Sandra, necnon Diplomatis cauſa.

Ab-

Abbatiſſa, & Moniales preſatę bona prędicta, videlicet unam domum cum apotheca in civitate Florentin., & unum prędium cum domo pro domino, & laboratoribus, ſeu colonis ejuſdem prędii apta, & in Diœceſi Florentin., alias juxta ſuos confines conſiſtentem, eidem Zeneverę reſtituerunt, ſeu dederunt, & donaverunt, illique omnia jura, & actiones, ſi qua in domo, & prędio prędictis eis competebant, aut competere poterant, etiam de conſenſu tunc Provincialis Provincię Tuſcię dicti Ordinis ceſſerunt, & in dictam Zeneveram tranſtulerunt, prout hęc omnia in quodam Inſtrumento publice deſuper confecto plenius continetur.

Nota;

Quare pro parte dictę Zeneverę Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ceſſioni, traditioni, translationi, & donationi prędictis, ac omnibus, & ſingulis in dicto Inſtrumento contentis eaſdem concernentibus pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adjicere, ac alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Confirmatio.

Nos igitur, qui inſtrumentum ipſum in Cancellaria noſtra inſpici, & diligenter examinari fecimus, domus cum apothecę, ac prędii prędictorum confines, deſignationes, & loca, pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ceſſiones, traditiones, translationem, & donationem, prędictas, ac omnia, & ſingula in dicto Inſtrumento contenta, eaſdem concernentia, & inde ſecuta quęcunque, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, tam juris, quam facti, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę confirmationis, approbationis, & ſuppletionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Primo, Sexto Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Florentinum.*) In *Hetruria.*
2. *Ceſſerat.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXIV fol.* 202.

Anno 1481
Die 18 Aprilis.

Indulgentia (1) pro Capitulo Generali.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXLV.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

A Superno Patre familias, meritis licet inſufficientibus, in domo Domini diſpenſatores effecti, theſaurum dominicum, divinitus Nobis commiſſum, ſic diſpenſare Nos convenit, ut per illius erogationem populum chriſtianum Domino acceptabilem, & bonorum operum, ac Religionis, pręſertim Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſectatorem, reddere valeamus, & Fratres prędictos pro rebus fidei orthodoxę in unum convenientes, & alios Chriſti fideles ad complacendum Deo, quaſi quibuſdam allectivis muneribus, Indulgentiis, videlicet, & remiſſionibus invitemus, ut exinde reddantur divinę gratię aptiores, & fides ipſa felicia exinde ſuſcipiat incrementa.

Diplomatis cauſa.

Cum itaque, ſicut accepimus, dilecti filii prędicti Ordinis Prędicatorum profeſſores pro electione futuri Generalis (3), & laudabili reformatione cunctarum perſonarum ſub regulari habitu dicti Ordinis Altiſſimo dedicatarum eorum Capitulum Generale in Alma Urbe in feſto Pentecoſtes proxime futuro celebrare intendant, ad cujus celebrationem viri utique zelo Religionis, & literarum ſcientia, ac morum probitate pręditi ipſius Ordinis profeſſores, Altiſſimo favente, ſunt acceſſuri, ad quorum ſuſtentationem domus in Eccleſia Beatę Marię ſupra Minervam dicti Ordinis in eadem Urbe, quę in ſuis ſtructuris imperfecta exiſtit, nullo modo ſuppetant facultates, quinimo pro earum ſuſtentatione, ac incumbentium onerum ſupportatione, & ipſius Domus ſtructurarum perfectione, Chriſli fidelium largitiones plurimum opportunę fore noſcantur;

Indulgentia.

Nos igitur, ut Fratres dicti Ordinis ad Capitulum hujuſmodi celebrandum, & alii Chriſli fideles devotionis cauſa ad Eccleſiam prędictam, in qua divinum officium ſolemniter celebrabitur, eo tempore liberius confluant, & manus promptius pro dictorum profeſſorum, & onerum ſupportatione, ac ejuſdem domus ſtructurarum fabrica porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentia Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſli fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis undecunque fuerint, vel ubicunque moram traxerint, qui in proximo feſto Pentecoſtes, ab ipſius primis veſperis uſque ad ſecundas veſperas ferię tertię immediate ſequentis incluſive, Eccleſiam dictę Domus devote viſitaverint, & ad hujuſmodi ſuſtentationem, ſupportationem, ſtructuras, & fabricam manus porrexerint adjutrices, plenam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, & Indulgentiam, tenore pręſentium indulgemus, concedimus, & elargimur, necnon illis, qui ex nunc, vel dicto Capitulo durante, pro Fratrum convenientium, ac Capituli prędictorum ſuſtentatione, & ipſorum refectione, ac ędificiorum fabrica domus prędictę manus porrexerit adjutrices, eandem plenam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem indulgemus pariter, & largimur. Et inſuper, ut fideles ipſi ad eandem Eccleſiam prędicto tempore confluentes, & contribuentes, ut dictum eſt, conſcientię pacem, & animarum ſalutem, Deo propitio, conſequantur, ac Indulgentię, & remiſſionis hujuſmodi participes ſincerius eſſe poſſint;

Fratres pręfici a quibus delegandi ſunt alii, qui Confeſſiones excipere, & peccatis, cenſuris, ac votis ſolvere poſſint.

dilectis filiis Salvo Caſſeta (4) Magiſtro Palatii Apoſtolici, & Mathię Angeli Priori Provincię Romanę ſecundum morem dicti Ordinis, proviſoribus (5) ejuſdem Ordinis, nonnullos, prout eis videbitur, ipſius Ordinis profeſſores ydoneos in Confeſſores eligendi, & deputandi, ipſiſque ſic electis, & deputatis Confeſſiones prędictorum Chriſti fidelium viſitantium, & porrigentium, pręfato tempore in dicta Eccleſia, ſeu in ejus ambitu licite audiendi, & pro commiſſis, dummodo talia non fuerat prop-

propter quę Sedes Apoſtolica merito eſſet conſulenda, debitam abſolutionem auctoritate Apoſtolica impendendi, & pęnitentiam ſalutarem injungendi, vota vero peregrinationis, & abſtinentię quę dicti viſitantes, & porrigentes, commode ſervare non poterunt, peregrinationis Roman., ultramarinę, & Sancti Jacobi in Compoſtella, necnon Religionis, & caſtitatis votis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutandi, plenam, & liberam concedimus facultatem. Pręterea volumus, & decernimus, quod pręſens remiſſio, & Indulgentia quacunque ſuſpenſione conſimilium Indulgentiarum per Nos, ſeu facta, vel forſan facienda, non obſtante, plenum, & omnimodum effectum habere debeant: quodque Dięceſani, & ordinarii locorum, necnon Parochialium Eccleſiarum Rectores, & quorumcunque Mendicantium Ordinum Fratres ubilibet conſtituti pręſentium literarum publicationem, inſinuationem, & notificationem in ſermonibus, & aliis divinis officiis, quę in ipſorum Eccleſiis fieri contigerit, libere, & abſque alicujus rei exactione facere teneantur, & quoties ſuper his requiſiti fuerint, fieri permittant, ſub ſuſpenſionis a divinis in Epiſcopos, & Superiores, ac excommunicationis in alios ab eis, pęnis, quas, ſi ſecus fecerint, ipſos, & eorum quemlibet incurrere volumus ipſo facto, quodque eorundem pręſentium tranſumptis per duos Notarios publicos, & ſigillo alicujus Eccleſiaſticę Curię communitis, ubicunque exhibita fuerint, vel oſtenſa, ſtetur, illiſque plena fides adhibeatur in omnibus, prout ipſis pręſentibus ſtaretur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Primo, Quarto decimo Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

L. Griſus.

A tergo legitur.

M. Mannius.

Regiſtrata apud me
L. Griſum.

1. *Indulgentia.*) Legendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Futuri Generalis.*) Ipſe *Salvus Caſſeta* fuit electus.
4. *Salvo Caſſeta.*) De quo ſæpius dictum fuit.
5. *Proviſoribus,*) *Profeſſoribus.*

Anno 1481 Die 10 Maii.

Ebulenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXLVI.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis univerſitati, & hominibus terrę Ebuli Salernitan. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

Piis Chriſti fidelium deſideriis eatum Nos decet pręſtare aſſenſum &c. (3). Sane pro parte veſtra & dilecti filii Vicarii Provincialis Provincię Sicilię citra pharum, Ordinis Fratrum Prędicatorum ſecundum morem ipſius Ordinis, de obſervantia nuncupatorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod vos, filii univerſitas, & homines, ob ſingularem, quem ad Ordinem prędictum geritis dilectionis affectum, quandam domum pro uſu, & habitatione Fratrum dicti Ordinis cum Eccleſia ſub invocatione Sanctę Marię de Gratia cum cęmeterio, dormitorio, refectorio, campanili humili, campana, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis in certo loco extra muros terrę Ebuli Salernitan. Dięceſis ad Ordinem prędictum ex privilegio Apoſtolicę Sedis, cui non eſt hactenus in aliquo derogatum, ſponte ad laudem omnipotentis Dei, ipſiuſque cultus propagationem, de novo conſtrui & ędificari facere offerebatis. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis, univerſitati, & hominibus, domum hujuſmodi, ut pręfertur, conſtrui, & ędificari faciendi, licentiam concedere, & alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divinum cultum noſtris adaugeri temporibus intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, univerſitati, & hominibus, ſine alicujus pręjudicio domum cum Eccleſia ſub invocatione ejuſdem Sanctę Marię de Gratia, cęmeterio, dormitorio, refectorio, campanili, campana, hortis, hortalitiis, & officinis hujuſmodi pro uſu, & habitatione Fratrum eorundem conſtrui, & ędificari faciendi, necnon Vicario, & Fratribus prędictis domum ipſam cum eiſdem Eccleſia, cęmeterio, dormitorio, refectorio, campanili, campana, hortis, hortalitiis, & aliis officinis prędictis pro uſu, & habitatione hujuſmodi recipiendi, & perpetuo inhabitandi, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium licentiam elargimur. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP., Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium loca de novo recipere &c., & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Volumus autem, & eadem auctoritate concedimus Priori & dictis Fratribus, qui in eadem domo pro tempore morabuntur, quod omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indultis, & gratiis, quibus alii Fratres dicti Ordinis, etiam de obſervantia hujuſmodi, in aliis domibus commorantes in genere gaudent, & utuntur, uti, & gaudere libere, & licite valeant, jure tamen Parochialis Eccleſię &c. Nulli ergo &c. noſtrę elargitionis, voluntatis, & conceſſionis &c infringere. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Primo, Sexto Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Facultas.

1. *Ebulenſis.*) Aliis *Ebolenſis*, & *Eburenſis*, vulgo *Eboli*, & *Evoli*, in Regno *Neapolitano*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXVI fol. 157.* Autographum habes in *Neapolitano* Cœnobio *Sancti Dominici*.
3. *Aſſenſum &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

His-

Anno 1481 Die 28 Maii.

Hiſpaniæ, & Lombardiæ Congregationum Vicariis, Prioribus, eorumque vices gerentibus poteſtatem facit (1) Fratres abſolvendi, & diſpenſandi ſeu immunes alicujus rei reddendi.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXLVII.

Dilectis filiis Vicariis Fratrum obſervantię Hiſpanię, & Lombardię Ordinis Prędicatorum, ac omnibus Prioribus, & Viceſgerentibus eorundem Fratrum, ipſis Vicariis ſubjectis.

SIXTUS PP. IV.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUoniam omnes Ordinis de obſervantia Fratres, pro eorum abſolutionibus, & diſpenſationibus obtinendis, ad Magiſtrum Generalem pręfati veſtri Ordinis ire tenentur, & obligantur juxta tenorem Bullę, Aureę (3) nuncupatę, in qua talis reſtrictio apponitur, idque Fratribus ipſis magno ſit incommodo propter varios diſcurſus pro quaque re faciendos, volentes eorum commoditati, & ſpirituali quieti in hoc conſulere, ſupplicationibuſque in hac parte porrectis Nobis, inclinati, vobis, & cuilibet veſtrum, facultatem, & poteſtatem concedimus, abſolvendi, & diſpenſandi cum Fratribus ipſis, ſicuti alias ex Privilegio, quod dicitur Mare Magnum, facere poteratis, antequam talis Bulla, Aurea nuncupata, emanaſſet; Illa, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris Die XXVIII Maii, MCCCCLXXXI, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Poteſtatem facit.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar, authenticum unum *Libro E. fol. 6*, aliud ex Autographo *Cremonenſi*. Legitur apud *Confottium pag. 63*. *Uſuſmarem pag. 168*, *Caſtellanum Parte I pag. 19*, & *Parte II pag. 119*, & in Conſtitutionibus editis anno *MDVII* num. *CVI*.
3. *Aurea.*) *Conſtitutionis* ſcilicet *CXXIV Sixti IV*

Anno 1481 Die 8 Junii.

Petrenſe (1), & Toyramenſe (2) hoſpitia fundandi facultas.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

CXLVIII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Archidiacono Maioris, & Prępoſito Sanctę Marię de Fontibus Albinganen. (4) Eccleſiarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

SUperna diſpoſitione, cujus inſcrutabili providentia ordinationem ſuſcipiunt univerſa &c. (5). Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus de Finario Ordinis Fratrum Prędicatorum, de obſervantia nuncupatorum, Albinganen. Dięceſis, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, a certo tempore retroacto citra, ipſi, & eorum anteceſſores conſueverunt prędicare, & ſeminare Verbum Dei ſingulis annis, lociſque circumſtantibus dicto loco Finarii, maxime in loco Petrę, & loco Toyram Albinganen. Dięceſis, Riparię (6) Occidentalis Januen., Confeſſioneſque audire, & alia pietatis opera exercere, &, ut Fratres ipſi domum aliquam pro eorum habitatione in prędictis locis non habentes poſſent commodius temporibus congruis ibidem fungi prędicationis officio, ac inſtruere populum, & alia, ut dictum eſt, pietatis opera exercere, dilecti filii Prior Societatis Domus Diſciplinę ſeu Batutorum (7) dicti loci Petrę, ac Supprior, necnon Syndici, & Procuratores dictę Societatis cum conſilio & conſenſu omnium de Societate prędicta ex conſulta deliberatione donaverunt Priori dictę domus Sanctę Catharinę quandam domum dictę Societatis Batutorum poſitam extra Burgum dicti loci Petrę ſub ſuis cohęrentiis (8) a parte occidentali, quę nuncupatur Domus Sanctę Marię de Annunciata, & ſimiliter dilectus filius Petrus Ferrarius laicus loci Toyram prędicti donavit eidem domui Sanctę Catharinę duas domus ſimul junctas poſitas extra burgum dicti loci Toyram ſub ſuis cohęrentiis, ubi dicitur le Caſe de la Brayda, ſub titulo Sanctę Marię Gratiarum quas acquiſiverat a dilectis filiis Priore, & Societate Domus Diſciplinę, ſeu Batutorum, dicti loci Toyram, titulo permutationis alterius majoris domus, prout in quibuſdam publicis inſtrumentis deſuper confectis plenius dicitur contineri. Quare pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum domus Sanctę Catharinę Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ad hoc ut poſſint commodius, & liberius in prędictis locis ſtare, & habitare, ac fungi prędicationis officio, & alia pietatis opera exercere, domus prędictas eorum domui Sanctę Catharinę, ut pręfertur, donatas, pro eorum uſu & habitatione, recipiendi, & cum Eccleſia, campanili humili, campana, cęmeterio, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis ſecundum ritum & conſuetudinem Fratrum dicti Ordinis, reformandi, & perpetuo inhabitandi, licentiam concedere, & quod prędictę domus ſic donatę ut pore membra dictę domus de Finario una cum illa unam domum conſtituant, & Fratres in illis degentes ſub unius & ejuſdem Prioris dictę Domus de Finario cura, & obedientia permaneant, & illius Fratres reputentur, nominentur, & exiſtant, ſtatuere, & ordinare, aliaſque ipſis in pręmiſſis opportune

Facultas.

providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ad Ordinis pręfati profeſſores ſpe-

ſpecialem gerimus devotionis affectum, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, ſi, & poſtquam, vocatis Priore, & Suppriore, ac Confratribus dictę Confraternitatis, necnon Petro Ferrario prędictis, & aliis, qui fuerint evocandi, de pręmiſſis vobis legitime conſtiterit, ſine prędjudicio cujuſcunque, eiſdem Priori, & Fratribus domus Sanctę Catharinę recipiendi domos prędictas, donatas pro eorum uſu, & habitatione, & illas cum Eccleſia, campanili humili, campana, cęmeterio, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis ſecundum ritum, & conſuetudinem Fratrum dicti Ordinis reformandi, & perpetuo inhabitandi, auctoritate noſtra licentiam concedatis, & quod prędictę Domus, ſic donatę, utpote membra dictę domus de Finario, una cum illa unam domum conſtituant, & Fratres in illis degentes ſub unius & ejuſdem Prioris dictę Domus de Finario cura, & obſervantia permaneant & illius Fratres reputentur, ſalvo jure Parochialis Eccleſię, & aliorum, eadem auctoritate ſtatuatis, & ordinetis; Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri prohibente, ne prędicti, & cujusvis alterius Ordinis Mendicantium Fratres ad inhabitandum nova loca recipere, ſeu jam recepta mutare pręſumant ſine dictę Sedis licentia ſpeciali &c. & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, ac dicti Ordinis &c quibuſcunque. Nos enim ſi licentiam hujuſmodi per vos vigore pręſentium concedi contigerit, dictis domibus donatis, & Fratribus, qui pro tempore eas inhabitabunt, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, & immunitatibus, domibus, & Fratribus dicti Ordinis in genere concesſis, & quibus illi potiuntur, & gaudent, aut uti, potiri, & gaudere poterunt in futurum, uti potiri, & gaudere poſſint, & debeant, Apoſtolica auctoritate, pręſentium tenore, concedimus, & indulgemus. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Primo, Sexto Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Petrenſe.*) *Pietra*, incolis *Pria*. Eſt Vicariatus modo à Conventu Finarienſe plane independens, ad Provinciam Lombardiæ ſpectans cum eodem Conventu.
2. *Toyram.*) Vulgo *Toirano*, juris Cœnobii Finarienſis.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXIII fol. 265.*
4. *Albinganen.*) Vulgo *Albenga*, in *Liguria*.
5. *Univerſa &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Exordiis.
6. *Ripariæ.* Vulgo *Riviera di Genova di Ponente*.
7. *Diſciplinæ, ſeu Batutorum.*) *Diſciplinæ*, id eſt *Flagellationis*. Vocatur ſiquidem *Domus Diſciplinæ*, quia flagellis ibidem corpus ſuum verberant. Hinc additur: *ſeu Batutorum*. *Batutus* autem eſt a verbo *Batuo*, verbero.
8. *Conbarentiis.*) Idem ac *Cobærentiis*.

Anno 1481 Die 20 Junii.

De bonis Novitiarum, quæ, votis ſolemnibus nondum nuncupatis, exeunt (1) e S. Mariæ Magdalenæ Monaſterio Valentino (2).

Ex Archivo (3) Ordinis.

CXLIX.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Priorisſę & Conventui Monaſterii Monialium Sanctę Marię Magdalenę Valentin., Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, & ſecundum inſtituta Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

DIgna reddimur attentione ſoliciti ea vobis libenter concedere, per quę veſtris commoditatibus, & quieti valeat ſalubriter provideri. Dudum ſiquidem pro parte dilectę in Chriſto filię Johannę Dominguez Monialis veſtri Monaſterii Valentin., Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Ordinis Fratrum Prędicatorum Nobis expoſito, quod olim ipſa fervore devotionis accenſa Monaſterium prędictum animo ibidem profeſſionem per illius Moniales emitti ſolitam emittendi, & quoad viveret ſub regulari habitu Altiſſimo famulandi, ingreſſa fuerat, ſed propter ejus ingraveſcentiam, & ignorantiam legendi, & in corpore ſe minus idoneam, & ſufficientem ad hujuſmodi onus ſuſtinendum reperiit, & diu novitia extiterat, & adhuc profeſſionem hujuſmodi non emiſerat, cupiebatque Monaſterium prędictum exire, & ad ſecularem continentiam & pudicitiam redire, Nos, tunc ipſius Johannę in hac parte ſupplicationibus inclinati, Venerabili Fratri noſtro Jacobo Epiſcopo Chriſtopolitan., & dilecto filio Jauſredo Serra Canonico Valentin., per alias noſtras literas mandavimus, ut ipſi, vel alter eorum ſub certis pęnis tunc expreſſis eo ipſo, ſi id non facerent, incurrendis, pręfatę Johannę dictum Monaſterium exeundi, & pecunias pro ejus ingreſſu ſolutas exigendi, & recuperandi, necnon cameram pro ipſa Johanna in dicto Monaſterio fundatam alicui Moniali in eodem Monaſterio cui vellet dandi, & de ſupradictis, & aliis rebus ſuis quibuſcunque pro ejus libito diſponendi, cujuſcunque licentia minime requiſita, licentiam concederent, primo per quaſdam, & deinde pro parte veſtra Nobis expoſito, quod dicto Monaſterio erat valde diſpendioſum, ſi illius Moniales, poſtquam Monaſterium ipſum ingreſſę fuerunt & in illo habitaverunt, pręſertim per aliqua tempora, ac ex bonis dicti Monaſterii interim alimentatę fuerunt, exeuntes Monaſterium ipſum, profeſſione per eas non emiſſa, pecunias, & bona per eas, aut alios ipſorum nomine pro earum ingreſſu, ſeu alias dicto Monaſterio pie oblata, & erogata, recuperare, & repetere, ac de cameris, & rebus earum diſponere poſſent, nam exinde Monialibus ipſis ſic ingreſſis, quę profeſſionem non emiſerunt, incentivum tribuebatur Monaſterium prędictum exeundi, ipſumque Monaſterium propterea Monialibus & bonis hujuſmodi carere cogitur niſi pręſtita illis alimenta recuperarentur; Nos tunc Venerabilis Fratris noſtri Roderici Epiſcopi Portuen. Sanctę Romanę Eccleſię Vicecancellarii, qui Eccleſię Valentin. ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica pręeſſe dignoſcitur pro vobis ſuper hoc nobis humiliter ſupplicantis, ac veſtris ſupplicationibus inclinati, per alias noſtras literas priores literas prędictas, & in illis contenta auctoritate Apoſtolica revocavimus, caſſavimus, irritavimus, & an-

Diplomatis cauſa.

annullavimus, ac dictis Epiſcopo Chriſtopolitan., & Canonico, ne ad earum executionem procederent. ſub pęnis in dictis eis directis literis contentis diſtricte pręcipiendo mandavimus, & quod ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus tam Johanna, quam alię Moniales pręſentes & futurę dicti Monaſterii, quas Monaſterium ipſum, quavis occaſione, & cauſa quomodolibet in futurum exire contingeret, etiam profeſſione per eas non emiſſa, pecunias, & bona quęcunque quę pro earum ingreſſu, aut alias earum conſideratione dicto Monaſterio obvenerant, nullatenus recuperare, aut repetere, ſeu de illis, & rebus, quas eas inibi habere conſtitiſſet, aut de cameris inibi pro eis ordinatis, ſeu alias eis conceſſis, diſponere nullatenus valerent, ſed pecunię, res, & bona hujuſmodi deberent dicto Monaſterio libere remanere, & de cameris earundem diſponere, & ad dicti Monaſterii Prioriſſam pro tempore, & pręfatos Conventus pertinere prout in ſingulis literis pręd ictis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte veſtra, petitio continebat, ab aliquibus aſſeratur in poſterioribus literis noſtris pręd ictis non fore ſufficienter proviſum quoad illas Moniales dicti Monaſterii, quę ante dat. earundem poſteriorum literarum Monaſterium ipſum exiverant nec etiam quoad illas, quę per aliqua tempora antiqua exierunt, nec ſteterunt in eodem. Nos volentes vos favoribus gratioſis proſequi, pręfati Epiſcopi, & Vicecancellarii, ac Protectoris veſtri in hac parte ſupplicationibus inclinati, poſteriores literas noſtras pręd ictas ad eas Moniales dicti Monaſterii quę ante dat. earundem poſteriorum literarum Monaſterium ipſum exierunt, & illas quę in eodem Monaſterio per aliqua tempora ante earum exitum in illo hactenus non ſteterunt, & in futurum non ſtabunt, ſed poſt earum ingreſſum modicum permanſerunt in eodem, auctoritate Apoſtolica pręſentium tenore extendimus, ac volumus, & dicta auctoritate vobis concedimus, quod literę pręd ictę ab earum dat. valeant, & vobis ſuffragentur, etiam quoad illas Moniales dicti Monaſterii quę ante dat. pręd ictarum poſteriorum literarum Monaſterium ipſum exiverant, & illas, quę in eodem Monaſterio antequam exiverant hactenus, vel exire contingat in poſterum, per aliqua tempora non ſteterunt, vel non ſtabunt in dicto Monaſterio, in omnibus, & per omnia perinde ac ſi de illis pari modo in eiſdem poſterioribus literis expreſſe, & ſpecifice diſponeretur. Et nihilominus venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Patracen., & dilectis filiis Berengario Claveli Canonico Valentin., ac Officiali Valentin. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios pręmiſſa ubi, quando, & quoties expedire cognoverint, fuerintque deſuper legitime requiſiti, ſolemniter publicantes, & vobis ſuper his efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant vos his, quę conceſſa ſunt per Nos vobis in pręfatis poſterioribus, & pręſentibus literis pacifice gaudere, non permittentes, vos contra pręd ictarum poſteriorum, & pręſentium literarum tenorem ad reſtitutionem pecuniarum & bonorum hujuſmodi, vel promittendum, quod exeuntes Moniales pręfatę de Cameris diſponant, invitas compelli, ſeu alias contra pręſentium literarum continentiam quovis modo inquietari, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus pręmiſſis ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii, & Ordinis Prędicatorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, & omnibus illis, quę in dictis poſterioribus literis voluimus non obſtare, contrariis quibuſcunque, ſeu ſi exiſtentibus Monialibus pręfatis, vel quibusvis aliis communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę extenſionis, voluntatis, conceſſionis, & mandati, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Primo, Duodecimo Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Exeunt*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo* Tit. XIII.

2. *Valentino*.) In ejuſdem nominis Regni Metropoli.

3. *Archivo*.) In quo exemplar ex autographo *Valentino*.

Anno 1481 Die 23 Junii.

Vicarius Congregationis Lombardiæ Quinque, vel Sex Cœnobia fundandi habeat poteſtatem.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

CL.

Dilecto filio Vicario Generali Congregationis Lombardię Ordinis Prędicatorum de Obſervantia pręſenti, & pro tempore exiſtenti.

SIXTUS PP. IV.

Dilecte Fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

MOti devotione, & religione tua, ac noſtra erga Ordinem Prędicatorum caritate, tibi, & ſucceſſoribus in iſtu Vicariatu tuis, ut quinque aut ſex loca, ſi juſto titulo reperire poteritis, pro refrigerio, & refugio Fratrum iſtius Congregationis, tempore neceſſitatis, & pro membris Conventuum dictę Congregationis, dummodo non habeant annexam curam animarum, & redditus uniuſcujuſque non excedant ſummam vigintiquinque florenorum de camera, acceptare poſſitis, ac recipere unum locum, vel Eccleſiam hic in Urbe, ubi aliqui de dicta veſtra

Con-

Congregatione poſſint habitare pro occurrentibus eis neceſſitatibus, libere, & licite valeatis, tenore pręſentium concedimus, & indulgemus, Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXIII Junii MCCCCLXXXI, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar in *Bullario Bononien. pag.* 47, ex Autographo *Bononien.*

Congregationis Lombardiæ Vicarius ob mortem ſui prædeceſſoris extra conſuetum tempus electus, expleto biennio, perſeveret in eo munere, quo uſque Paſchali tempore alius eligatur (1).

Anno 1481 Die 24 Junii.

Ex Bullario Caſtellani Parte I pag. 20.

Dilecto filio Vicario Congregationis Lombardię Ordinis Fratrum Prędicatorum.

CLI.

SIXTUS PP. IV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm in privilegiis, iſti Congregationi per Sedem Apoſtolicam conceſſis, inter alia continetur quod Vicarius Generalis dictę Congregationis de biennio in biennium poſtuletur, ſive eligatur, &, eo defuncto, vel amoto, Prior antiquioris Conventus ejuſdem Congregationis ipſius vices gerat, teneaturque infra duos menſes congregare vocales ad poſtulationem futuri Vicarii, & evenire poſſit, ob mortem Vicarii vocales ipſos minus opportuno, & congruo tempore congregari, cum incommodo, & jactura Fratrum, & Conventuum, ſicut anno ſuperiore in poſtulatione de te, moderne Vicarie, facta eveniſſe accepimus; Nos, qui religionem, & Ordinem hujuſmodi paterna in Domino commendatione proſequimur, & illius commoda, quantum licet, deſideramus, inclinati ſupplicationibus in hac parte Nobis humiliter porrectis, tenore pręſentium, concedimus pariter, & declaramus, quod tu, pręfate moderne Vicarie, & quicunque alius ſimiliter medio tempore poſtulatus, cum beneplacito majoris partis Priorum, qui in Capitulo erunt, libere, & licite poſſis, & poſſit, occurrente caſu hujuſmodi, perſeverare in officio, & omni ſolita facultate uti, etiam ultra biennium, donec, & quouſque congruum, & opportunum, quod communiter poſt Paſcha eſſe conſuevit, tempus de celebrando pro poſtulatione futuri Vicarii Capitulo, advenerit. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac privilegiis hujuſmodi, quibus, quoad hoc, illis alias in ſuo robore permanſuris, derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIV Junii MCCCCLXXXI, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Eligatur*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

Congregationis Lombardiæ Fratres, permiſſu Vicarii Generalis, bona abalienare (1) poſſunt.

Anno 1481 Die 24 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilectis filiis Fratribus Conventuum Congregationis Lombardię Ordinis Prędicatorum de Obſervantia.

CLII.

SIXTUS PP. IV.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PRo paſtorali officio noſtro rerum omnium eccleſiaſticarum, & Religioſorum locorum utilitatem affectantes, vobis pręſentium tenore concedimus, ut de conſenſu Vicarii Generalis (3) veſtrę Congregationis, qui pro tempore fuerit, poſſitis commutare, & vendere poſſeſſiones, & bona immobilia, quę nunc habetis, & in poſterum juſto titulo habituri eſtis, pro evidenti utilitate veſtrorum Conventuum, ſuper quo veſtram, & ipſius Vicarii coſcientiam oneramus; proviſo tamen quod pretium ipſorum bonorum immobilium, ſi vendantur, in emptionem aliorum immobilium, magis utilium bonorum, cum effectu convertatur, & ad hoc accedat conſenſus majoris partis vocalium dicti Conventus juxta morem veſtri Ordinis. Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, etiamſi dicta bona haberent annexam devolutionem ad alia loca, vel perſonas, ceteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIV Junii MCCCCLXXXI, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

L. Grifus.

1. *Abalienare.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo triplex Exemplar authenticum. Unum *Libro E. fol. 6*, aliud *Libro B. fol. 95* ex Autographo *Bononienſi*, tertium inter Conſtitutiones *Sixti IV* ex authentico *Vicentino*. Exemplaria authentica aſſervantur in Archivis Cœnobiorum *Mutinenſis*, & *Cremonenſis*. Legitur etiam apud *Caſtellanum Parte I pag. 10.*
3. *Vicarii Generalis.*) Anno *MCCCCLXXXV* die *I* Auguſti *F. Johannes de Lulmo* Conventuum Reformatorum utriuſque *Lombardiæ* Vicarius Generalis hujuſce Diplomatis auctoritate fretus, *Vicentinis* Fratribus poteſtatem fecit quædam abalienandi: ut ex Authentico mox laudato conſtat.

Anno 1481 Die 28 Junii.

CLIII.

Aquilani (1) Cœnobii curam Magiſtro Generali Ordinis committit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio .... Generali Ordinis Prędicatorum.

SIXTUS PP. IV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ad omnia loca tui Ordinis Fratrum Prędicatorum paternum gerentes affectum, ac conſiderantes, quod Conventus S. Dominici de Aquila dicti Ordinis commodius, ſub tuo, quam dilecti filii Vicarii Generalis Congregationis Lombardię vitę regularis ejuſdem Ordinis, propter diſtantiam, & diverſitatem Provincię, regimine gubernabitur, tenore prę́ſentium curam dicti Conventus tuę devotioni Apoſtolica auctoritate committimus, revocantes ex nunc omnem commiſſionem eidem Vicario hactenus ſuper hoc factam, necnon cenſuras, & pręcepta in eum ad effectum hujuſmodi curę ſumendę emanata; Non obſtantibus literis noſtris, & Prędeceſſorum noſtrorum, ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Junii MCCCCLXXXI, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

L. Griſus.

1. *Aquilani.*) In *Aprutio Veſtinorum.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum.

Anno 1481 Die 16 Julii.

CLIV.

De Fratribus ſolvendis a cenſuris (1) eccleſiaſticis.

Ex Bullario (2) Caſtellani Parte II pag. 119.

Dilecto filio Salvo Caſſettę (3) Generali Magiſtro Ordinis Prędicatorum.

SIXTUS PP. IV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

Expoſuiſti Nobis, quod facultatem abſolvendi omnes, & ſingulas utriuſque ſexus veſtri Ordinis perſonas, ab omnibus pręterquam certis tunc expreſſis caſibus, & ſuper irregularitatibus diſpenſandi tibi, Prioribus, Provincialibus, & Conventualibus, & eorum Vicariis pro tempore exiſtentibus, vel ab eis deputandis alias conceſſam, ad te, & Vicarios tuos duntaxat, & ad eos, quibus tu illud committendum duceres, reſtrinximus, prout in ſingulis literis deſuper editis, plenius continetur, unde fit, ut difficile admodum exiſtat Fratribus pauperibus tui Ordinis, prę́ſertim in longinquis partibus agentibus, pro hujuſmodi abſolutionibus ad te, & tuos Vicarios longe aliquantum remotos accedere, proinde humiliter ſupplicaſti, ut deſuper opportune Fratribus, & perſonis pręfatis, ne ſic vagari cogantur, providere dignaremur. Nos, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tenore pręſentium decernimus, & declaramus, quod tu, & tui ſucceſſores, & Priores Provinciales, ac eorum Vicarii pro tempore exiſtentes, & ii, quibus vos committendum hoc duxeritis, eandem abſolvendi ab ipſis caſibus pręfatis, perſonas utriuſque ſexus veſtri Ordinis, & ſuper irregularitatibus diſpenſandi, habeatis facultatem, quam per priores literas hujuſmodi ante reſtrictionem habebatis: Priores vero Conventuales illam ſolum habere cenſeantur, quam prius habebant, ex privilegiis, & literis Prędeceſſorum noſtrorum, Romanorum Pontificum. Non obſtantibus literis poſterioribus reſtrictionis noſtrę hujuſmodi, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVI Julii MCCCCLXXXI, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Facultas.

1. *Cenſuris.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Bullario.*) Legitur etiam in *Bullario Romano Conſtitutione XIX*, apud *Rodericum in Nova Collectione Privilegiorum Apoſtolicorum pag. 142*, *in Conſtitutionibus typis editis anno MDV num. LXXXV, in aliis an. MDVII num. CV.*
3. *Salvo Caſſetta.*) Adeas *Echard Tomo I Scriptorum Ord. ad annum MCCCCLXXXI pag. 859.*

S. Ma-

S. Mariæ Veteris Monaſterium Cumanum (1) Ordinis S. Benedicti curæ Fratrum Ordinis Prædicatorum committit.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Anno 1481 Die 21 Julii.

....

SIXTUS PP. IV.

CLV.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientes paterno affectu conſulere ſpirituali conſolationi, & animarum ſaluti dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſę, Monialium, & Capituli Monaſterii Sanctę Marię Veteris nuncupati Monaſterii fęminilis extra muros Cumanos, ſub regulari obſervantia Ordinis S. Benedicti noviter reformati: pręſertim cum, ſicut accepimus, in civitate Cumana, Monachi ejuſdem obſervantię non ſint, pariterque devotis earundem Abbatiſſę, & Monialium in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis tenore pręſentium in virtute ſanctę obedientię mandamus, quatenus pro Dei honore, & ipſius obſervantię conſervatione curam Abbatiſſę Monialium, & Capituli dicti Monaſterii pręſentium, & pro tempore exiſtentium in ſpiritualibus ſuſcipiatis, eiſque eccleſiaſtica Sacramenta miniſtretis, & ipſarum Confeſſiones audiatis. Dummodo tamen ſub regulari obſervantia vivant, & ad hoc ordinarii loci aſſenſus accedat. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, privilegiis, & indultis Ordinis veſtri, quibus quoad hoc derogamus, etiam ſi de illis ſpecialis mentio habenda eſſet: ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXI Julii MCCCCLXXXI, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

L. Grifus.

1. *Cumanum*.) Deeſt hujuſce Diplomatis inſcriptio, ſed in ipſius Exemplari legitur, quod Ordinis Prædicatorum Fratribus inſcriptum fuit. Et ſane nunc etiam Provincialis *Lombardiæ* juriſdictioni ſubeſt *Cumanum* Monaſterium Ordinis *S. Benedicti*. Sed notandum, quod ipſi a *Sancta Margarita* nomen eſt.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar authenticum, ex Autographo *Cumano*.

F. Johannem de Piſtorio (1) laudibus & Privilegiis (2) ornat.

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

Anno 1481 Die 28 Julii.

Dilecto filio Fratri Johanni de Piſtorio, Ordinis Prędicatorum.

CLVI.

SIXTUS PP. IV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

INducti tua ſingulari doctrina, probitate, vitęque exemplaritate, tuiſque in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, ut ſi aliquod beneficium Eccleſiaſticum, vigore indulti Apoſtolica auctoritate tibi conceſſi aſſequaris, ut nihilominus privilegiis, gratiis & indultis tui Ordinis, uti, gaudere, & plene frui poſſis, de conſenſu tamen Generalis ejuſdem tui Ordinis, tenore pręſentium concedimus, & impertimur. Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac ejuſdem Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XXVIII Julii MCCCCLXXXI, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

L. Grifus.

1. *Johannem de Piſtorio*.) Virum venerabilem, de quo legendus *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCXCIII pag.879*.

2. *Privilegiis*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.II.*

3. *Archivo*.) In quo Exemplar *Lib.B.fol.129* ex Autographo *Piſtorien*.

F. Thomas de Viterbio viſitator Provinciæ Lombardiæ conſtituitur.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

Anno 1481 Die 22 Auguſti.

Dilecto filio Thomę de Viterbio Sacrę Theologię Profeſſori, Ordinis FF. Prędicatorum.

CLVII.

SIXTUS PP. IV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

FActi certiores fide digno teſtimonio de tua virtute, Religione, vitęque exemplaritate, ac rerum agendarum experientia, ita ut ſperemus, te in Provincia Lombardię utilem admodum tuę Religioni fu-

futurum, te in eadem Provincia Viſitatorem tui Ordinis, ad emendandum, & corrigendum ea, quę emendatione, & correctione inter Fratres illic exiſtentes indigere videbuntur, ac cum facultate, & poteſtate, quam dilectus filius, Generalis tui Ordinis, per ſuas patentes literas alias dedit, Motu proprio, & ex certa ſcientia creamus, facimus, & tenore pręſentium deputamus. Hortamurque te, ut ita hujuſmodi Viſitationis officium, accurate, & diligenter exerceas, ut meritum apud Deum, & apud Nos commendationem merearis. Mandantes tibi, ut inde, non diſcedas, neque hujuſmodi viſitationis officium dimittas, donec illud juxta literas dicti Generalis compleveris, niſi aliud a Nobis interim in mandatis habueris. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XXII (2) Auguſti MCCCCLXXXI Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Viterbienſi*.

2. *XXII.*) Nota quod vel Amanuenſis erravit aſcribens huic Diplomati Pontificatus annum *Decimum*, vel dicendum, quod in brevioribus etiam literis, quas Brevia vocant, Pontificatus annus initium nonnunquam ducebat ab ipſo Coronationis die, non autem a die electionis. Id ex iſto Diplomate liquet, quia cum *Sixtus IV* electus fuiſſet die *IX* Menſis Auguſti, & coronatus ejuſdem menſis die *XXV* anno *MCCCCLXXI*, ſi Pontificatus initium poſitum fuiſſet ipſo electionis die, *IX* ſcilicet Auguſti, ejuſdem menſis die *XXII*, Pontificatus anno *Decimo*, inſcribendus eſſet annus Chriſti *MCCCCLXXX*, non vero *MCCCCLXXXI*.

Anno 1481 Die 1 Decembris.

De ſepeliendis (1) in Cœmeteriis noſtris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLVIII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis S. Ægidii in Brunſvich (3) Halberſtaden., & S. Petri apud Erfordium (4) Monaſteriorum Abbatibus, ac Scholaſtico Eccleſię S. Senſii Erfordien., Moguntin. (5) Diœceſum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

HUmilibus &c. (6). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus Durbingen. Ordinis Fratrum Prędicatorum, Bremen. Dięceſis, petitio continebat, quod licet ipſi, & univerſi Ordinum Mendicantium Profeſſores in eorum Eccleſiis, & Cęmeteriis ex juris diſpoſitione, & diverſorum Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum impetratione in eorum Eccleſiis, & Cęmeteriis liberam habeant ſepulturam, ac Prior, & Fratres domus Prędicatorum, a tempore, cujus initii non eſt memoria, conſueverunt inſiſtentibus eorum obſequiis infra ſepta dictę domus miniſtrare Euchariſtię, & Extremę Unctionis Sacramenta, verum quia dilecti filii Decanus, & Capitulum Eccleſię B. Marię Virginis Eccleſię Hamburgen., quo minus poſſint dictis inſiſtentibus eorum obſequiis miniſtrare hujuſmodi Sacramenta multipliciter impedire nitebantur, ex eorum abuſione nitentes, non contenti his, quę Prior, & Fratres pręfati anno quolibet nomine Quartę funeralium juxta initam dudum inter eos conventionem ſuper hoc perſolverunt, non permittebant corpora decedentium, qui apud Domum prędictam declarabant ſe velle ſepeliri, ad Eccleſiam dictę Domus libere, & recto tramite deferri. immo compellebant defunctorum conſanguineos, & hęredes ad deferendum illa ad pręfatam Eccleſiam B. Marię, & alias eorum Eccleſias parochiales, & inibi, cum etiam placebat, divina celebrando officia, illa interim retinebant, niſi conſanguinei, & hęredes illa redimerent, & ſecundum quod eis videbatur pro hujuſmodi redemptione perſolverent, ſicque per indirectum retrahebant laicos ab electione ſepulturę apud domum pręfatam, & impediebant ipſos Priorem, & Fratres habere conceſſam eis antea liberam ſepulturam: Prior, & Fratres prędicti vigore quarundam literarum noſtrarum dicto Ordini contra inferentes domibus ipſius Ordinis contra illi concella privilegia moleſtias, & gravamina, conceſſarum, ad dilectum filium Decanum Eccleſię Minden. Dięceſis ante dictę recurſum habuerunt, illumque, prout ex earundem forma poterant, in executionem literarum earundem aſſumpſerunt, qui pro executione literarum noſtrarum prędictarum contra eoſdem Decanum, & Capitulum Eccleſię B. Marię, proceſſit, monendo, & eiſdem mandando, ut ab hujuſmodi impedimentis deſiſterent, qui monitionibus, & mandatis hujuſmodi minime parere curarunt, & in contemptum privilegiorum, & auctoritatis Apoſtolicę Sedis, plurima allegare non verebantur, cumque Prior, & Fratres pręfati inſiſterent, ut ipſe Decanus Minden. ad ulteriora in executione hujuſmodi procederet, & eoſdem Decanum, Capitulum, & Canonicos Eccleſię Hamburgen. cenſuris, & pęnis in monitionibus, & mandatis prędictis contentis irretitos declararet, idem Decanus Minden., ſive minis, ſive precibus, aut alias motus, ſuper hujuſmodi impedimentis ultra procedere recuſavit, ſe exonerando cauſam hujuſmodi ad Sedem Apoſtolicam remiſit. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Priori, & Fratribus prędictis admodum grave exiſtat, pręmiſſa in Romana Curia proſequi, & longe gravius, quę eis inferunt Decanus, & Capitulum Eccleſię B. Marię pręfatę, incommoda perferre, pro parte eorundem Prioris, & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut negotium executionis hujuſmodi per aliquos alios probos viros in partibus illis in ſtatu debito reſumi, & ad ulteriorem executionem dictarum literarum noſtrarum procedi mandare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur,

Mandatum.

hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum ad negotium executionis dictarum literarum noſtrarum, prout juris fuerit, procedatis, eaſque exequamini in omnibus, & per omnia, perinde, ac ſi geſta coram ipſo Decano Eccleſię Minden. coram vobis geſta fuiſſent, voſque in executores dictarum literarum per Priorem, & Fratres prędictos aſſumpti fuiſſetis; contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quę in dictis literis noſtris voluimus non obſtare,

ſeu-

ſeu ſi Decano, & Capitulo Eccleſię Beatę Marię pręfatis, vel quibuſvis aliis a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam aut de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Primo, Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Sepeliendis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXXVI fol.* 200.
3. *Brunſvich.*) Seu *Brunſvvyck*, rectius *Braunſvvick*, ſic vulgo vocant *Brunopolim*. Urbs eſt *Saxonia*, ubi *Halberſtadenſis* Diœceſis.
4. *Erfordinm.*) Vulgo *Erfurdt*, in *Thuringia*.
5. *Moguntin.*) Aliis *Maguntin.*, vulgo *Maintz*, in *Germania*.
6. *Humilibus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Quod F. Salvus Caſecta (1) ſine ſuffragiorum rogatione cæleſti quodam mentis inſtinctu Magiſter Generalis creatus ſit, ratum habet, & firmat (2).

Anno 1482 Die 21 Januarii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

CLIX.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Salvo Caſecta Magiſtro Generali Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Theologię Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

UBeres fructus, quos Ordo Fratrum Prędicatorum in agro militantis Eccleſię hactenus produxit, & producit in dies, necnon Religionis zelus, literarum ſcientia, & exemplaris vitę munditia, ac alia dona virtutum, quibus perſonam tuam illarum largitor inſignivit, promerentur, ut hiis quę pro dicti Ordinis, ad quem ſpecialem gerimus affectum, proſperitatis votivę ſucceſſibus, & tui honore provide geſta fore conſpicimus, libenter noſtri adiiciamus roboris firmitatem, ut eo ſtabilius illibata perſiſtant, quo majori fuerint auctoritate munita. Sane dudum officio Generalis Magiſtri dicti Ordinis, quod quondam Leonardus de Manſuetis de Peruſio dicti Ordinis Magiſter dum viveret obtinebat, per obitum dicti Leonardi (4), qui in Romana Curia diem clauſit extremum, vacante, dilecti filii Capitulum Generale Fratrum dicti Ordinis pro futuri ejuſdem Ordinis Magiſtri celebranda electione, vocatis dicti Ordinis profeſſoribus, qui voluerunt, potuerunt, & debuerunt electioni hujuſmodi commode intereſſe, die ad eligendum pręfixa, ut eſt moris, convenientes in unum in Eccleſia Sanctę Marię ſupra Minervam de Urbe, te tunc in eodem officio ſic vacante Sedis Apoſtolicę Vicarium, in Generalem Magiſtrum dicti Ordinis per viam Spiritus Sancti & communem inſpirationem ejus concorditer elegerunt (5), tuque electioni hujuſmodi illius tibi pręſentato decreto conſentiens, te in ejuſdem Ordinis Magiſtrum Generalem recipi, & admitti per Capitulum pręfatos obtinuiſti, & ex tunc dicto Ordini laudabiliter pręfuiſti, prout prees etiam de pręſenti. Cum autem, ſicut accepimus, a nonnullis de juribus electionis hujuſmodi hęſitetur, ex eo pręſertim quia non per viam Scrutinii more ſolito, ſed, ut pręfertur, celebrata fuit, tuque dubites propterea ſuper officio ipſo moleſtari poſſe tempore procedente, Nos, qui de electione prędicta, & qualiter ad eam proceſſum extitit, plene informati ſumus, tam pręfati Ordinis opportunitatibus, quam tuę quieti conſulere volentes, ut tenemur, & te a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, Motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia, electionem prędictam, & prout illam concernunt omnia, & ſingula, in ſcripturis authenticis deſuper confectis contenta, & inde ſecuta quęcunque, auctoritate Apoſtolica, pręſentium tenore approbamus, & confirmamus, ac pręſentia ſcripti patrocinio communimus, ſuppleruſque omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus in contrarium facientibus quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, approbationis, confirmationis, communitionis, & ſuppletionis infringere &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Primo (6) Duodecimo Kalen. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Exordium a laude Ordinis.

Diplomatis cauſa.

Confirmatio.

L. Grifus.

Gratia de mandato
Domini noſtri Papę

Gallettus.

P. Bernardi.

Regiſtrata apud me L. Grifum.

1. *Caſecta.*) Sic in hoc autographo legitur. Alii ſcribunt *Caſſetta*. Adeas auctores quos citat *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad an. MCCCCLXXXI pag.* 859. *&c.*
2. *Firmat.*) Conſulendus *Fontana Monumen. Dominic. Parte III Cap. VIII ad an. MCCCCLXXXI pag.* 374.
3. *Archivo.*) In quo Autographum.
4. *Leonardi.*) Obiérat anno *MCCCCLXXX.*
5. *Elegerunt.*) Anno *MCCCCLXXXI.*
6. *Octuageſimo Primo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLXXXII.*

De

Anno 1482 Die 21 Februarii.

De Decimis non ſolvendis a Monaſterio S. Mariæ Magdalenæ ad Lapides in Suburbio Baſileen. (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLX.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Monſterii Sancti Bunhardi Litzellen, & Sanctorum Felicis, & Regul. Thuncen. Baſilien., & Conſtantien. Diœceſum, ac Sancti Petri Baſilien. Eccleſiarum Præpoſitis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex petitio.

HUmilibus &c. (3). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Sororum Domus Beatę Marię Magdalenę ad Lapides in ſuburbio Baſilien., Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Prędicatorum Ordinis degentium petitio continebat, quod licet Prioriſſa, & Sorores prędictę, & illę, quę in eadem domo precesserunt eiſdem, in pacifica poſſeſſione, vel quaſi, percipiendi integre omnes decimas provenientes ex fructibus excreſcentibus infra limites Parochię Parochialis Eccleſię Sancti Petri de Rich, Baſilien. Diœceſis, ad domum prędictam legitime ſpectantes, a tanto tempore citra, cujus contrarii memoria hominum non exiſtit, fuiſſent, & eſſent, quia tamen, dilectis filiis Prępoſito, Decano, & Capitulo Eccleſię Baſilien. falſo referentibus, officialis Baſilien., quartam partem decimarum hujuſmodi ex abrupto & de facto parochianos dictę Parochialis Eccleſię, ut quartam partem decimarum prędictarum Prępoſito, Decano, & Capitulo pręfatis, aut ab eis deputatis, & nulli alii ſolverent, ſub excommunicationis pœna, quam ipſo facto incurrerent, per ſuas certi tenoris literas monuit, & mandavit eiſdem, pro parte Prioriſſę & Sororum earundem, ſentientium exinde indebite ſe gravari, ad Sedem fuit Apoſtolicam appellatum, & deinde Prępoſitus, Decanus & Capitulum pręfati eaſdem Prioriſſam, & Sorores coram dilecto filio moderno Prępoſito Eccleſię Sancti Petri Junioris Argentinen. quem Conſervatorem privilegiorum ejuſdem Eccleſię Baſilien. per literas ejuſdem Sedis deputatum eſſe aſſerebant, ſuper eiſdem decimis traxerunt in cauſam, ac Prioriſſam, & Sorores pręfatas diverſimode ſuper dictis decimis perturbarunt, & inquietarunt. Quare pro parte earundem Prioriſſę & Sororum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut cauſam ipſam ab eodem Prępoſito Eccleſię Sancti Petri junioris ad Nos evocare, illamque, & appellationis prędictę, & poſt illam attentatorum, & innovatorum, nullitatiſque omnium per Officialem & Prępoſitum Eccleſię Sancti Petri junioris pręfatos in prejudicium ipſarum Prioriſſę, & Sororum, circa pręmiſſa geſtorum, ac omnes, & ſingulas alias, quas ipſa Prioriſſa & Sorores adverſus Prępoſitum, Decanum, & Capitulum Eccleſię Baſilien. hujuſmodi ſuper decimis, moleſtationibus, & inquietationibus prędictis movere intendunt cauſas, aliquibus probis viris in partibus illis audiendas, & fine debito terminandas committere, & alias eis ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur; Nos itaque, ſtatum cauſę coram eodem Prępoſito Eccleſię Sancti Petri Junioris pendentem pręſentibus pro ſufficienter expreſſo habentes, illamque ad Nos harum ſerie advocantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, vocatis Prępoſito Decano, & Capitulo Eccleſię Baſilien. prędictis, & aliis, qui fuerint evocandi, ac cauſa ad Nos advocata hujuſmodi in ſtatu debito reſumpta, illam ulterius, ac alias cauſas prędictas audiatis, &, appellatione remota, debito fine decidatis; facientes, quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari; teſtes autem &c. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem &c ſeu ne judices &c. necnon aliis Conſtitutionibus &c. quibuſcunque, aut ſi Prępoſito, Decano, & Capitulo &c. quod interdici, ſuſpendi &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo primo (4) Nono Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Mandatum.

1. *Baſileen.*) In *Helvetiis*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXXV fol.* 82.
3. *Humilibus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Octuageſimo Primo.*) Stylo Bullarum æræ communis *MCCCCLXXXII.*

Anno 1482 Die 16 Aprilis.

Aſceterii Beatæ Mariæ Angelorum in Suburbiis Barchinonen. (1) fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLXI.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Vicen., & dilectis filiis Gabrieli Rovira, ac Antonio Agullana Canonicis Eccleſię Barchinonen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex petitio.

SUperna diſpoſitione, cujus inſcrutabili providentia ordinationem ſuſcipiunt univerſa &c. (3). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Sororum de Pœnitentia Sancti Dominici, & Sanctę Catharinę de Senis nuncupatarum in quadam domo Barchinonen. commorantium, & dilectorum filiorum operariorum fabricę Eccleſię Beatę Marię Angelorum in

ſuburbiis Barchinonen. (1), petitio continebat, quod olim pro parte dilectę in Chriſto filię Priorillę Monaſterii Montis Syon, Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura & ſecundum inſtituta Ordinis Fratrum Prędicatorum viventium, civitatis Barchinonen., Nobis expoſito, quod quędam Sorores de Pęnitentia Sancti Dominici, ſeu Sanctę Catharinę de Senis, nuncupatę, in dicta Civitate de novo introductę, aliam domum earundem Sororum in eadem civitate ędificare facere volebant, in ejuſdem Monaſterii Montis Syon prejudicium, Nos tunc dilecto filio Salvo Caſecta, Generali Magiſtro dicto Ordinis Fratrum Prędicatorum commiſimus, ut per ſe, vel alium, ſeu alios de pręmiſſis ſe informaret, &, ſi per informationem hujuſmodi reperiret dicto Monaſterio Montis Syon ex conſtructione dictarum Sororum damnum provenire, eis, ne novam in dicta civitate Domum ędificare pręſumerent, inhiberet, etiam ſub cenſuris, & pęnis eccleſiaſticis, prout ſibi videretur, & ordo dictaret rationis; ipſeque Generalis mandati hujuſmodi vigore nonnullis aliis in partibus illis vices ſuas ſubdelegavit, qui in cauſa ipſa ad decretum, & rationes ad dicendum contra delegationem, & Subdelegationem prędictas, ac nonnullos alios modicos actus, citra tamen concluſionem, dicuntur proceſſiſſe. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, operarii pręfati, & alii habentes curam dictę Eccleſię, provide conſiderantes, quod Sorores prędictę non habent in dicta civitate domum pro earum habitatione decentem, & commodam, ſed in quadam domo privata ejuſdem civitatis habitantes, ibidem Altiſſimo, prout poſſunt, famulatum reddunt, & quod, ſi apud dictam Eccleſiam, in dictis ſuburbiis nuper ex piis Chriſti fidelium eleemoſynis ędificatam, conſtrueretur una domus, in qua Sorores prędictę juxta ritus, & mores Sororum aliarum domorum divinis poſſent vacare beneplacitis, proinde neceſſitati earundem Sororum opportune conſuleretur, & dicti operarii ſunt contenti concedere, quantum in eis eſt, quod dicta Eccleſia eiſdem Sororibus ad hujuſmodi effectum concedatur, & apud illam una domus hujuſmodi pro eiſdem conſtruatur, pro parte Sororum de Pęnitentia ac operariorum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut unam Domum hujuſmodi apud dictam Eccleſiam cum campanili, campanis, & aliis officinis neceſſariis pro earundem Priorillę & Sororum de Pęnitentia uſu, & habitatione conſtrui, & ipſarum perpetuis uſibus applicari mandare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Facultas. Nos igitur, dictorum operariorum piam, & meritoriam apud Deum intentionem in Domino plurimum commendantes, ac dictę Eccleſię ſtatum pręſentibus pro expreſſo habentes, illamque ad Nos harum ſerie advocantes, ac litem penitus extinguentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi eſt ita, ſine cujuſcunque prejudicio ipſis Priorillę & Sororibus de Pęnitentia Eccleſiam prędictam conſtruendi, apud illam domum cum campanili, campanis, cęmeterio, refectorio, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis officinis prędictis, jure tamen Parochialis Eccleſię & cujusvis alterius in omnibus ſemper ſalvo, licentiam auctoritate noſtra concedatis, quodque domus ipſa, & Priorilla, ac Sorores pro tempore in ea degentes in obedientia & cura Vicarii Generalis Provincię Aragonię dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, Reformatorum nuncupatorum, perpetuo ſint ſubjectę, eadem auctoritate ſtatuatis & ordinetis, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nos enim, ſi Eccleſiam, & licentiam hujuſmodi per nos vigore pręſentium concedi contingat, dictę conſtruendę Domui, & illius Priorillę & Sororibus, quę illam pro tempore inhabitabunt, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, favoribus, & indultis per Sedem Apoſtolicam, vel alias, domibus, & Sororibus de Pęnitentia hujuſmodi in genere conceſſis, & concedendis uti, potiri, & gaudere libere & licite valeant, Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium indulgemus. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo ſecundo, Sexto decimo Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Barchinonen.*) In *Catalonia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro* CLXXV *fol.* 110.
3. *Univerſa &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Eccleſiam Parochialem unit Aveyrenſi (1) Monaſterio.

Anno 1482 Die 2 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLXII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Apoſtolicę Nobis, licet immeritis, deſuper injunctum ſervitutis officium, mentem noſtram excitat &c. (3). Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſę, & Conventus Monaſterii de Jeſu de Aveiro Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum, Colimbrien. Dięceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim Parochiali Eccleſia de Loute dictę Dięceſis, quę de jure patronatus laicorum exiſtit, tunc certo modo vacante, venerabilis Frater Noſter Johannes Epiſcopus Colimbrien. Eccleſiam ipſam, ut prefertur, vacantem, de dilectorum filiorum Capituli Colimbrien., ac patronorum dictę Eccleſię expreſſo conſenſu, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Monaſterio auctoritate ordinaria perpetuo univit, annexuit, & incorporavit, reſervata tamen de ipſius Eccleſię fructibus, redditibus, & proventibus pro perpetuo Vicario in eadem Eccleſia inſtituendo ab Epiſcopo Colimbrien. pro tempore exiſtenti per Abbatiſſam, & Conventum prędictas pręſentando, qui curam animarum Parochianorum ipſius Eccleſię gerat, congrua portione, de qua idem Vicarius congrue ſuſtentari, ac jura Epiſcopalia ſolvere, & alia ſibi incumbentia onera ſupportare valeret, prout in literis ipſius Epiſcopi authenticis dicitur plenius contineri. Diplomatis cauſa. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, a nonnullis de unionis, annexionis, & incorporationis, ac re-

reſervationis prędictarum viribus hęſitetur, pro parte tam dilectę in Chriſto filię nobilis mulieris Johannę (4) Reginę Infantiſſę, ac cariſſimi in Chriſto filii noſtri Johannis ipſius Regni Regis Illuſtris Sororis germanę, quam Abbatiſſę, & Conventus prędictarum, aſſerentium, quod Monaſterii centum, & Eccleſię prędictorum quadraginta librarum Turonen. parvorum fructus, redditus, & proventus ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, quodque in Monaſterio Moniales honeſtę (5) etiam de magno nobilium, & illuſtrium genere ſub regulari obſervantia cum odore bonę famę continuo degunt, ac ipſa Johanna Infantiſſa ex devotione, quam ad Monaſterium, & Moniales hujuſmodi gerit, etiam a multis annis citra moram traxit in illo, prout trahit de pręſenti, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut unioni, annexioni, & incorporationi, ac reſervationi prędictis pro illarum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ipſamque Eccleſiam Monaſterio prędicto perpetuo de novo unire, annectere, & incorporare, ac alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Monaſteriorum omnium ſtatum in melius dirigi noſtris potiſſime temporibus intenſis deſideriis affectamus, quique dudum inter alia voluimus, quod in unionibus commiſſio ſemper fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, & idem obſervaretur in confirmationibus, Abbatiſſam, & Conventum pręfatas, eorumque ſingulares perſonas, a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutas fore cenſentes, necnon verum, & ultimum dictę Eccleſię vacationis modum pręſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, unionem, annexionem, & incorporationem, ac reſervationem prędictas, &, prout illas concernunt, omnia, & ſingula in dictis literis contenta auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, ac illis robur perpetuę firmitatis adiicimus; ſupplentes omnes, & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & nihilominus pro potioris cautelę ſuffragio Eccleſiam prędictam quovis modo, & ex cujuſcunque perſona, ſeu per liberam reſignationem alicujus de illa extra Romanam Curiam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, aut Conſtitutionem felicis recordationis Johannis PP. XXII Prędeceſſoris noſtri, quę incipit: Execrabilis: vacet, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Monaſterio de novo perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod liceat ex nunc eiſdem Abbatiſſę, & Conventui per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem Eccleſię, juriumque, & pertinentiarum prędictorum poſſeſſionem propria auctoritate libere apprehendere, ac illius fructus, redditus, & proventus in ſuos, ac Monaſterii, & Parochialis prędictorum uſus, utilitatemque convertere, ac perpetuo retinere, cujuſcunque licentia ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus voluntate prędicta, ac pię memorię Bonifatii PP. VIII, etiam Prędeceſſoris noſtri, & aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus &c. de hujuſmodi &c. literas impetrarunt &c. quas quidem literas &c. ad pręfatam Eccleſiam volumus non extendi &c. & quibuslibet privilegiis &c. volumus autem, quod propter unionem, annexionem, & incorporationem prędictas Eccleſia prędicta debitis non fraudetur obſequiis &c. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane ſi ſecus ſuper &c. contigerit attentari. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo ſecundo, Sexto Non. Maii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Mandatum.

1. *Aveyrenſi.*) Juris eſt Provinciæ *Portugalliæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXXIII fol.* 83.
3. *Excitat &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Exordiis.
4. *Johannæ.*) Beatæ, cujus feſtum celebrat Ordo Fratrum Prædicatorum die *XII Maii*. Conſulendi ſcriptores domeſtici, qui vitam *B. Johannæ* conſcripſere, & ex extraneis *Emmanuel Pimenta*, *Antonius Vaſconſellos &c.*
5. *Honeſtæ.*) Id eſt *Nobiles*, ut ſexcentis exemplis probari poteſt, & ex ipſomet Diplomate liquet.

Anno 1482 Die 10 Junii.

De commutandis quibuſdam bonis Monaſterii B. Mariæ de Nazareth (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLXIII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Pręcantori, & Guillelmo de Pugeto (3) Canonico Eccleſię Aquen. (4), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

HIs, quę pro Eccleſiarum, & Monaſteriorum quorumlibet &c. (4). Dudum ſiquidem a felicis recordationis Paulo PP. II, Prędeceſſore noſtro emanarunt literę tenoris ſubſequentis. Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Cum in omnibus judiciis &c., & deinde exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Prioris, & dilectarum in Chriſto filiarum Priorisſę, & Conventus Monaſterii B. Marię de Nazareth per Priorem, & Priorisſam (6) ſoliti gubernari Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Prędicatorum viventium, Aquen. Dięceſis (7), petitio continebat, quod ipſi olim provide attendentes, quod Monaſterium prędictum non habebat, prout non habet ad pręſens, vineas ſufficientes ad recolligendum ſingulis annis vinum pro uſu, & neceſſitatibus dicti Monaſterii, ac Monialium, & aliarum perſonarum inibi pro tempore degentium ſuſtentatione neceſſarium, & cum vindemiarum proviſionis vini faciendi tempus occurrebat, ſępe numero contingebat, pecunias pro proviſione hujuſmodi facienda eis deeſſe, non ſine magno ipſius Monaſterii detrimento, quodque ſi jus, & emolumentum, quod eis in exactione certi focagii ſuper villa Archarum, Tholonen. (8) Dięceſis uſque ad ſummam centum, & quatuordecim florenorum de Rege, ipſorum quolibet pro ſexdecim ſolidis (9) Provincialium computato, ab incolis ejuſdem villę annuatim debebatur (10), & quod non ſine magnis laboribus, & impenſis exigere poterunt, alicui perſonę idonee, cum qua ſuam, & dicti Monaſterii conditionem efficere poſſent meliorem, pro aliquo juſto, & condecenti pretio venderetur, alienaretur, ac pretium inde proveniens

in

Digitized by Google

in emptionem vinearum, ex quibus dictum Monaſterium proviſionem vini neceſſarii hujuſmodi annuatim percipere poſſet, converteretur, ex hoc plurimum Monaſterii prędicti indemnitati conſuleretur, convenientes in unum, jus, & emolumentum focagii hujuſmodi eis, ut prefertur, debitum dilecto filio nobili viro Palamodi (11) Forbini (12) Militi (13), Domicello (14) loci de Sollariis (15) dictę Dięceſis ibidem tunc preſenti, pro ſe, ſuiſque heredibus, & ſucceſſoribus in perpetuum pro pretio mille & quadraginta florenorum ſimilium in emptionem aliarum vinearum hujuſmodi pro dicto Monaſterio emendarum poſt obtentam a Nobis confirmationem, convertendo vendiderunt, ac titulo purę, perfectę, & irrevocabilis venditionis tradiderunt, & aſſignarunt, prout in quodam publico Inſtrumento, inde confecto, dicitur plenius contineri. Quare pro parte tam Prioris, & Prioriſſę, ac Conventus, quam Palamodis prędictorum aſſerentium, quod venditio, & alienatio prędictę in evidentem ipſius Monaſterii cedunt utilitatem, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut venditioni, & alienationi prędictis pro illarum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, aliaſque in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de prędictis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de premiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra, vos diligenter informetis, &, ſi vobis conjunctim, juxta tenorem literarum Pauli Prędeceſſoris hujuſmodi procedentibus, per informationem eandem ita eſſe, ac venditionem, & alienationem prędictas in evidentem dicti Monaſterii ceſſiſſe, & cedere utilitatem, legitime conſtiterit, ſpecificato prius coram vobis focagio prędicto, venditionem, & alienationem prędictas, ac, prout eas concernunt, omnia, & ſingula in dicto Inſtrumento contenta, eadem auctoritate approbetis, & confirmetis, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus &c. quibuſcunque. Volumus autem quod pretium prędictum in emptionem vinearum prędictarum pro dicto Monaſterio, & non in alios uſus omnino convertatur, ac interim penes aliquam ędem ſacram, aut fide, & facultate idoneum mercatorem cum recognitionibus, & cautelis in ſimilibus apponi ſolitis fideliter deponatur, & etiam conſervetur. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo ſecundo, Quarto Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo. Facultas.

2. *Nazareth*.) Cui etiam a *S. Bartholomæo* nomen eſt.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXIX fol.117.*
3. *De Pugeto*.) Gens eſt in *Gallo-Provincia* celebris.
4. *Aquen.*) Vulgo *Aix in Gallo-Provincia*.
5. *Quorumlibet &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
6. *Per Priorem, & Prioriſſam*.) Uti nunc etiam moris eſt in pluribus aliis Monaſteriis. Iſtud juris eſt Provinciæ *Provinciæ*.
7. *Aquen. Diœceſis*.) Alias enim extra, nunc intra muros *Aquenſis* Civitatis ſitum eſt Monaſterium.
8. *Tholonen.*) Seu *Tolonen.*, vulgo *Toulon.*, in *Gallo-Provincia*.
9. *Solidis*.) Aſſibus nempe, vulgo *Sol.* Duodecim denariis conſtit.
10. *Debebatur*.) *Focagium*, aliis *Foagium*, vulgo *Fouage*, dicitur cenſus ille, qui pro ſingulis *Focis*, ſeu domibus ſubditorum exigitur a Domino feudali. Hinc ergo liquet, quod *Arcbarum* Villa juris, ac poteſtatis erat *Aquenſis* Monaſterii.
11. *Palamodi*.) Vulgo *Palamede*, qui Magnus cognomento paſſim dicitur.
12. *Forbini*.) Nunc etiam floret illuſtriſſima *Forbinorum* gens.
13. *Militi*.) Id eſt *Nobili*.
14. *Domicello*.) Domino ſcilicet. Ubi nota, quod non ſolum Militum, ſeu Magnatum, filios, qui militari cingulo nondum erant accincti, *Domicellos* vocabant, ſed ipſimet etiam Magnates nonnunquam ſic audiebant, ut ex iſto Diplomate liquet; & ex hoc emendandus clariſſimus vir *Chifletius*, quem laudat. & excipit *Du Cangius* in *Gloſſario*, verbo *Domicellus*. Sciendum ſiquidem, quod celeberrimus *Forbinus* iſte, qui *Domicellus* hoc in Diplomate nuncupatur, hoc anno *MCCCCLXXVII* Regio nomine toti *Gallo Provinciæ* jus dicebat. Hinc in legibus quas ferebat, quibuſque nunc etiam parent, his titulis donabatur: *Palamon* (Palemede) *Forbinus*, *Eques*, *Dominus de Sollariis*, *Vicecomes Maritimæ* (Martegues. Urbs eſt Provinciæ) *Regi Chriſtianiſſimo a Conſiliis*, *Regii thalami Magiſter*, *Gallo-Provinciæ Gubernator &c*, Conſulendi *Noſtradamus*, & *Bouche* in *Hiſtoria Provinciæ*.
15. *De Sollariis*.) Vulgo *Solies*, & *Soulies*, in *Gallo-Provincia*. Pagus eſt, Marchionatus titulo clarus.

Cœnobium S. Sabinæ de Urbe curæ Vicarii Generalis Congregationis Lombardiæ committit.

Anno 1482
Die 8 Novembris.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

Dilecto filio Vicario Generali Congregationis Lombardię Ordinis Prędicatorum. CLXIV.

SIXTUS PP. IV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD ea potiſſimum ſemper intendimus per quę divinus cultus augeri, & Ordo veſter in agro Dominico uberiores fructus afferre poſſit. Ea ratione moti, ac etiam ſupplicationibus dilecti filii noſtri A. (2) tituli S. Sabinę (3) Presbyteri Cardinalis Montisferrati (4), qui apud Nos multum ſuper hoc inſtitit, & vos plurimum contentari de eo dicit, inclinati, hortamur devotionem tuam, tibique in virtute ſanctę obedientię mandamus; ut Monaſterium, & Conventum Sanctę Sabinę de Urbe, tui Ordinis ſub tua cura accipias, faciaſque illud a Religioſis Ordinis prefati Inhabitari, & incoli: eam enim Domum, & vetuſtate, & religione celeberrimam, Ordini veſtro, & Congregationi habendam ex nunc concedimus eo modo, & forma quibus alios Conventus, & loca Lombardię ex Bulla felicis recordationis Pauli II, noſtri Prędeceſſoris immediati, Religioſi prefati Ordinis tui habent, tenent, & incolunt, ac cum omnibus, & ſingulis privilegiis, & indultis a Nobis, & Prędeceſſoribus noſtris Congregationi, & Ordini veſtro conceſſis, contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Datum

Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die VIII Novembris MCCCCLXXXII, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononienſi pag.* 48, ex Autographo *Bononienſi*.

2. *A.*) *Auxia de Podio*, natione *Hiſpani*, patria *Setabenſis*, in Regno *Valentino*, de quo conſulendus *Ciaconius in Sixto IV ad an. MCCCCLXXI Tomo III Vit. Pontif.*, & *Cardinal. pag.* 49.

3. *S. Sabinæ.*) Titulo *S. Vitalis* primum donatus fuerat.

4. *Montiſferrati.*) Legerem *Montis Regalis*: ſic enim cognominatur in epitaphio quod legitur in ædibus ſacris *S. Sabinæ de* Urbe: *Auxiæ Valentino, Patria Setabenſi, Cardinali Montis Regalis, Nobili Podiorum familia orto &c.* Ubi notandum, quod *Cardinalis Montis Regalis* cognominatus eſt *Auxias*, quia *Montis Regalis* in *Sicilia* fuit Archiepiſcopus. Id liquet ex his brevioribus literis: *Dilecto filio noſtro Auxiæ Tit. S. Sabinæ Presbytero Cardinali, Archiepiſcopo Montis Regalis. SIXTUS PP. IV. Dilecte fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum intelleximus &c.* Adeas *Ciaconium* mox laudatum. Nec dici poteſt, quod hic ſermo ſit de *Monte Regali Montiſferrati*. Primo ſiquidem *Mons Regalis*, vulgo *Mondovi*, Urbs eſt *Pedemontii*, non autem *Montiſferrati*. Secundo *Mons Regalis Pedemontii* Sedes Epiſcopalis eſt, nec unquam fuit Archiepiſcopalis.

Anno 1483 Die 15 Februarii.

Balneolenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex *Archivo* (2) *Ordinis*.

CLXV.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Vicario venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Acernen. (3) in ſpiritualibus Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Suppleх petitio.

Piis fidelium votis Nos decet pręſtare aſſenſum &c. (4). Sane pro parte dilectorum filiorum Jacobi de Salerno moderni Vicarii Generalis Fratrum Provincię Regni Sicilię citra pharum, Ordinis Prędicatorum ſecundum morem ipſius Ordinis, ſub regulari obſervantia dicti Ordinis viventium, & univerſitatis hominum Terrę Bagnoli, Nuſcan. (5) Diœceſis, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod homines pręfati ob maximam devotionem, quam erga Ordinem prędictum habent, Spiritus Sancti gratia illuminati, in augmentum dicti Ordinis in dicta Terra in loco ad hoc congruo, & honeſto conſtruere, & ędificari facere propoſuerunt domum Fratrum dicti Ordinis cum Eccleſia ſub invocatione, & in honorem B. Marię de Loreto, & omnium Sanctorum (6) pro perpetuis uſu, & habitatione unius Prioris, & aliquorum Fratrum dicti Ordinis, qui aliam domum pro eorum habitatione in dicta terra non habent, dummodo eiſdem Vicario, & Fratribus, ut domum ipſam pro eorum uſu, & habitatione hujuſmodi recipere, & inhabitare valeant per Sedem Apoſtolicam licentia concedatur. Quare pro parte Vicarii, Fratrum, & Univerſitatis prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem Vicario, & Fratribus domum hujuſmodi ſub invocatione prędicta cum campanili humili, campana, hortis, hortalitiis, ac aliis neceſſariis officinis pro eorum uſu, & habitatione hujuſmodi recipiendi, & inhabitandi, licentiam concedere, aliaſque eis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, Univerſitatis prędictorum propoſitum prędictum meritorium apud Deum plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, de conſenſu quorum intereſt, Vicario, & Fratribus prędictis domum hujuſmodi cum Eccleſia, campanili humili, campana, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro eorum uſu, & habitatione recipiendi, & perpetuo inhabitandi, auctoritate noſtra licentiam largiaris, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuſlibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi, Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne prędicti, & cujuſvis alterius Ordinis Mendicantium Fratres ad inhabitandum nova loca recipere, ſeu jam recepta mutare pręſumant ſine dictę Sedis licentia ſpeciali, de prohibitione hujuſmodi ſpecialem, & expreſſam faciente mentionem, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus &c. quibuſcunque. Nos enim ſi licentiam hujuſmodi per te vigore pręſentium concedi contigerit, dictę domui, & illius pro tempore Priori, & Fratribus, qui illam inhabitabunt, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, favoribus, & indultis per Sedem Apoſtolicam, vel alias domibus, & Fratribus dicti Ordinis in genere conceſſis, & concedendis, uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium indulgemus. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Secundo (7), Quinto decimo Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Balneolenſis.*) Vulgo *Bagnuolo*, in Regno *Neapolitano*. Juris eſt Provinciæ *Regni*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXCII fol.* 217.

3. *Acernen.*) Vulgo *Acerno*, in Regno *Neapolitano*.

4. *Aſſenſum &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

5. *Nuſcan.*) *Nuſcenſis*, vulgo *Nuſco*, in Regno *Neapolitano*.

6. *B. Mariæ de Loreto, & omnium Sanctorum.*) Ipſi a *S. Dominico* nomen eſſe, docet *Echard* in *Notitia Ordinis Prædicatorum Tomo II Scriptor. Ord. pag.* 4, nec mirum: comperta ſiquidem res eſt, plures Ordinis Eccleſias nunc a *S. Dominico* vulgo nuncupatas, olim ſub aliorum Sanctorum nomine Deo Optimo Maximo dicatas fuiſſe.

7. *Octuageſimo Secundo.*) Stylo Bullarum, æræ vero communis *MCCCCLXXXIII*.

Anno 1483 Die 18 Februarii.

De quodam Beneficio Conventus Firmani (1) ſacrario uniendo.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLXVI.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

APoſtolicę ſervitutis officium, meritis licet inſufficientibus, Nobis deſuper injunctum, mentem noſtram continua ſolicitat inſtantia, ut Eccleſiarum, & eccleſiaſticorum locorum omnium neceſſitatibus, quantum Nobis ex alto conceditur, ſalubriter, providere curemus. Dudum ſiquidem omnia Beneficia Eccleſiaſtica apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantia, & in antea vacatura collationi, & diſpoſitioni noſtrę reſervavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane ſi ſecus ſuper iis a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Cum igitur poſtmodum Eccleſia S. Venantii extra muros Firmanos per liberam reſignationem dilecti filii Johannis Guarini, nuper ipſius Eccleſię Rectoris, de illa, quam tunc obtinebat in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam, apud dictam Sedem vacaverit, & vacet ad pręſens, nulluſque de illa pręter Nos hac vice diſponere potuerit, ſive poſſit, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis. Et, ſicut exhibita Nobis pro parte nuper dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus S. Dominici Firmani Ordinis Prędicatorum, de obſervantia nuncupatorum, petitio continebat, ſi dicta Eccleſia ſacriſtię ipſius domus pro luminaribus, & aliis dictę ſacriſtię neceſſitatibus perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, profecto commodo, & utilitati ipſius ſacriſtię non modicum conſuleretur. Quare pro parte Prioris, & Fratrum Pręedicatorum, aſſerentium quod fructus, redditus, & proventus dictę Eccleſię duodecim florenorum auri de Camera ſecundum communem ęſtimationem valorem annuum non excedunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Eccleſiam pręedictam cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis pręfatę ſacriſtię perpetuo unire, annectere, & incorporare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes Beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum valorem annuum ſecundum ęſtimationem pręedictam tam Beneficii uniendi, quam illius, cui uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & in unionibus ſemper commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, fructuum, redituum, & proventuum dictę ſacriſtię verum annuum valorem pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Eccleſiam pręedictam, quę ſine cura eſt, ſive pręmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per ſimilem reſignationem dicti Johannis, vel alicujus alterius de illa in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranenſis ſtatuta Concilii ad Sedem pręedictam legitime devoluta, ipſaque Eccleſia diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter, vel alias generaliter reſervata exiſtat, ac ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo ejus diſpoſitio ad Nos hac vice pertineat, cum omnibus juribus, & pertinentiis, ſupradictis venerabilis Fratris noſtri Jo: Baptiſtę (3), Epiſcopi Firmani (4) ad hoc expreſſo accedente conſenſu, eidem ſacriſtię auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod liceat ex nunc Priori, & Fratribus pręedictis corporalem poſſeſſionem Eccleſię, juriumque, & pertinentiarum pręedictorum per ſe, vel alium, ſeu alios auctoritate propria libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus in ſuos, ac dictę ſacriſtię uſus, & utilitatem convertere Diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus voluntate noſtra pręedicta, ac felicis recordationis Bonifatii Papę VIII, Pręedeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, aut aliis Benificiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales pręfatę Sedis, vel Legatorum ejus, literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum; quas quidem literas, & proceſſus per eaſdem habitos, & inde ſecuta quęcunque ad dictam unitam Eccleſiam volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis, quoad aſſecutionem Beneficiorum aliorum pręjudicium generari, & quibuslibet privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis: Proviſo quod propter unionem, annexionem, & incorporationem pręedictas dicta unita Eccleſia debitis non fraudetur obſequiis, ſed ejus congrue ſupportentur onera conſueta: Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę unionis, annexionis, & incorporationis, voluntatis, & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Secundo (5), Duodecimo Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

1. *Firmani*.) Vulgo *Fermo*, juris eſt Provinciæ *Lombardiæ*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Autographo *Firmano*.
3. *Johannis Baptiſta*.) E genre *Capranica*. Adeas *Ughellum in Epiſcopis Firmanis Tomo II Italia Sacra pag.* 718 *Edit. II*.
4. *Epiſcopi Firmani*.) Nunc Metropolis eſt *Firmana* Sedes.
5. *Octuageſimo Secundo*.) Stylo Bullarum, æræ vero communis *MCCCCLXXXIII*.

Bo-

Anno 1483 Die 8 Martii.

Bolenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXVII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Archipresbytero Faren. (3), & Hieronymo de Tragurio Canonico Spalaten. (4) Eccleſiarum, ac Vicario venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Faren. in ſpiritualibus Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

PRomptum, & benevolum illis favorem impendimus &c. (5). Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Ordinis Prędicatorum Provincię Dalmatię, necnon Univerſitatis incolarum Villę Bol Inſulę Brachii (6), Faren. Dięceſis, dictę Provincię Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod incolę prędicti, provide conſiderantes, quod ſi in dicta villa eſſet aliqua domus Fratrum dicti Ordinis, incolę dictę villę, ac circumvicinorum locorum, Prioris, & Fratrum, qui domum ipſam pro tempore inhabitarent, exemplari vita, prędicationibus verbi Dei, audientia confeſſionum, & aſſidua divinorum celebratione, conſiliis, & exhortationibus, ad bene vivendum adjuti pro ſuarum animarum ſalute non parum ſuſciperent ſublevamen., cupiunt locum quendam, in quo dudum jacta apparent fundamenta quędam pro nova inibi Eccleſia conſtruenda, cum nonnullis petiis terrarum illi adjacentibus, Ordini prędicto ad hujuſmodi effectum largiri, & donare. Quare pro parte Prioris, Fratrum, & Univerſitatis prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem Priori Provinciali, & Fratribus dictę Provincię locum ipſum, & illi adjacentes petias terrarum hujuſmodi recipiendi, & ibidem unam domum, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cęmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis de novo conſtrui faciendi, & illam perpetuo inhabitandi, licentiam concedere, aliaſque eis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum Priori Provinciali, & Fratribus prędictę Provincię locum ipſum, & illi adjacentes petias terrarum hujuſmodi, de conſenſu eorum, quorum intereſt, recipiendi, & ibidem unam domum cum Eccleſia, campanili, campana, cęmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis de novo conſtrui faciendi, & illam perpetuo inhabitandi, auctoritate noſtra licentiam largiamini, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne prędicti, & aliorum Ordinum Mendicantium Fratres ad inhabitandum nova loca recipere &c., & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus &c. quibuſcunque. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per vos vigore prędentium concedi contigerit, dictę domui, & illius pro tempore Priori, & Fratribus, qui illam inhabitabunt, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, favoribus, & indultis per Sedem Apoſtolicam, vel alias domibus, & Fratribus dicti Ordinis in genere conceſſis, & concedendis, uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium indulgemus. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Secundo (7), Octavo Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Facultas.

1. *Bolenſis.*) Juris eſt Provinciæ *Dalmatiæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXXXVII fol.* 78.
3. *Faren.*) Seu *Pharen.*, vulgo *Leſina*, in *Illyrico*.
4. *Spalaten.*) Vulgo *Spalatro*, in *Illyrico*.
5. *Impendimus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis:
6. *Brachii.*) *Brachia*, Slavis *Brac*, Italis *Brazza*. Inſula eſt *Illrici*.
7. *Octuageſimo Secundo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLXXXIII*.

Anno 1483 Die 23 Aprilis.

De Sacramentis miniſtrandis, ſepultura, Decimis, ceteriſque id genus (1).

Ex Bullario Caſtellani Parte II pag. 123.

CLXVIII.

Dilecto filio Generali Magiſtro Ordinis Prędicatorum.

SIXTUS PP. IV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

QUia cum inter dilectos filios Clerum nationis Germanię, & Religioſos Ordinum Mendicantium controverſia vigeat, & quibus de cauſis orta ſit, ex Oratoribus ab ipſo Clero ad Nos nuperrime miſſis intelleximus; Et potiſſime iſtę eſſe dicuntur, de ſolutione, vel decimarum a qua Mendicantes ipſi ſe penitus volunt eſſe immunes: De Corporibus defunctorum ad Parochiales Eccleſias pro ultimo vale, ut proverbium eſt, deferendo, priuſquam in Eccleſiis ipſorum Religioſorum humentur: Et poſtremo Sacramentis Euchariſtię, & Extremę Unctionis miniſtrandis; Super quo Mendicantibus ipſis in caſu, in quo Presbyteri Parochiales Sacramenta ipſa illis qui Mendicantibus confitebantur, negarent, ab Apoſtolica Sede eſt attributa facultas. Conſideravimus omnia diligenter, Oratoreſque ipſos, Ordinumque ipſorum Procuratores, a nonnullis venerabilibus Fratribus noſtris S. Romanę Eccleſię Cardinalibus, audiri ſępe fecimus, & audivimus Nos ipſi. Et quantum talia pro utraque parte ad-

Mandatum.

adducta in memoriam fuerunt, & probabilibus cauſis inviti viderentur; Nos quandam mediam viam ſecuti, modum invenimus auctore Domino, qui convenientiſſimus eſt ad hujuſmodi controverſias tollendas, & ad nutriendum inter Clerum, & Religioſos prędictos juxta Evangelicam doctrinam debitam caritatem; ipſis etiam dictorum Ordinum Procuratoribus, qui hujuſmodi negotium proſequebantur pręſentibus, & intelligentibus. Modus autem a Nobis excogitatus, talis eſt, videlicet quoad Noti. Decimas Mendicantes ipſi remaneant in ipſo ſtatu, in quo tempore Prędeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum erant, & quod contenti eſſe debeant eo jure, qui hujuſmodi decimas habuerint. In ſepulturis vero, & vale ultimo, conſuetudo ubi viget ſtet, ſervarique inviolabiliter debeat, id eſt quod Corpora ad Parochiales Eccleſias deferantur, & alia conſueta ſerventur, ita tamen quod ſpoliatio corporum, extorſiones, & pacta illicita a jure reprobata, ob quę ſub hac re diſcordia orta dicitur, quę & ſub excommunicationis latę ſententię pęna deinceps fieri prohibemus, penitus ceſſent. In adminiſtratione autem Sacramentorum prędictorum, conſiderantes Nos, quod in eventu negationis pręmiſſę ſuper illorum adminiſtratione Mendicantibus fuit conceſſa facultas, peropportunum, & neceſſarium, ad omnem diſcordię fomitem amputandum duximus, quod Presbyteri Parochiales Sacramenta hujuſmodi his, qui Mendicantibus fuerint confeſſi, abſque legitimis cauſis, illis videlicet, quę in jure expreſſę ſunt, denegantes, eandem excommunicationis latę ſententię pęnam incurrant, quam Mendicantes ipſi Sacramenta eccleſiaſtica miniſtrando incurrent, juxta Conſtitutionem felicis recordationis Clementis Papę V, noſtri Prędeceſſoris, quę incipit: Religioſi: in titulo de Privilegiis. Hęc eſt noſtra in pręmiſſis voluntas, & mandamus abſque dictorum Ordinum in reliquis pręjudicio, quam etiam nonnullis venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis dictę nationis Germanię, in quorum Provinciis dictę controverſię vigent, per noſtras literas intimamus, ut & ipſi omnia obſervent, & in Diœceſibus, ac Provinciis ſuis obſervari faciant. Commendamus etiam ipſis Mendicantes prędictos, hortantes, ut eos benignitate paterna proſequi velint, teque hortamur, dilecte fili, & monemus attentius, ut eiſdem Archiepiſcopis, & aliis Pręlatis debitam reverentiam, debitumque obſequium a tuis omnibus facias exhiberi: Paſtores enim ſunt animarum, & in dignitate eccleſiaſtica conſtituti, Sanctorum ſucceſſores Apoſtolorum: ſic enim fiet, ut mutuę caritatis, & reverentię ſtudio pax inter eos vigeat, & concordia, omni diſcordię fomite amputato. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis etiam ſub quibuſcunque cenſuris editis; quibus pro pręmiſſorum obſervatione derogamus expreſſe, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris Die XXIII Aprilis MCCCCLXXXIII, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Genius.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII, IX &c.*

Sorores Colonien. (1) Recluſorii variis privilegiis ornat. Anno 1483 Die 13 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. CLXIX.

SEdis Apoſtolicę gratioſa benignitas &c. (3). Dudum ſiquidem felicis recordationis Eugenio PP. IV Prędeceſſori noſtro pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Magiſtrę & Sororum Domus, Recluſorii nuncupatę, in via Sancti Marcelli Colonien. ſub cura, & regimine Fratrum Domus Ordinis Prędicatorum Colonien. ſecundum Regulam Sancti Auguſtini viventium expoſito (4), quod dudum bonę memorię Walramus Archiepiſcopus Colonien. tunc Magiſtrę & Sororibus prędictis de licentia bonę memorię Henrici etiam Archiepiſcopi Colonien., cohabitantibus gratioſe conceſſerit, quod ipſę Fratribus dicti Ordinis confiteri, & ab eis Eccleſiaſtica Sacramenta recipere, ac quod Sorores prędictę poſſent unam ex prędictis, quę aliis pręeſſet Sororibus, & in eas diſciplinam cum conſilio Confeſſoris earum, ſeu alterius Fratris dicti Ordinis, atque aliarum Sororum exercere valeret, eligere in Magiſtram, quodque Rector Parochialis Eccleſię S. Pauli, infra cujus Parochię limites ipſa domus Recluſorii conſiſtit, ac theſaurarius Sancti Andreę Colonien. Eccleſiarum, mediantibus probis & honeſtis, ſuper diſſenſionum, quę tunc vertebantur inter eos, articulis, ad talem devenerunt concordiam, quod Sorores in dicta domo Recluſorii pro tempore incluſę Viatici, & Extremę Unctionis Sacramenta a dicto Rectore certis diebus reciperent, & aliis temporibus Euchariſtię Sacramentum a devoto, & Catholico Sacerdote qui etiam in dicta domo Recluſorii Miſſas celebraret, recipere, ac Euchariſtię Sacramentum in loco, & pixide condecentibus, inibi ad hoc deputandis, cum reverentia debita conſervare poſſint, clave apud eundem Rectorem in cuſtodia manente, donec in ipſa domo Recluſorii Sacerdos per eundem theſaurarium inſtitutus eſſet, pro quibus omnibus Sorores prędictę ipſi Rectori tres ſolidos denariorum Colonien. communiter pro tempore uſitatorum, nomine Miſſalium, ſingulis annis in medio quadrageſimę perpetuo ſolverent, ac quęlibet in dicta domo Recluſorii incluſa ſingulis annis in Paſchatis, Pentecoſtes, Nativitatis Chriſti, & omnium Sanctorum Feſtivitatibus eidem Rectori oblationes ſibi debitas miniſtrari procuraret, omneſque oblationes, quas in die Paſchę Sacerdoti in pręfata domo Recluſorii celebranti offerri contingeret, eidem Rectori aſſignare tenerentur, ac iis mediantibus Magiſtra, & Sorores prędictę ab omni alio jure Parochiali eſſe deberent penitus abſolutę, ſalvo quod nulla alia defunctorum, quam ipſarum Magiſtrę & Sororum, corpora, apud domum Recluſorii hujuſmodi ſepeliri poſſent, &, ſi aliqua ex eis apud dictam domum ſepeliretur Recluſorii, omnia funeralia ex ſepultura hujuſmodi provenientia Rectori integre aſſignare deberent antedicto, prout hęc omnia in Inſtrumento publico, deſuper confecto, dicebant plenius contineri, pręfatus Eugenius Prędeceſſor Prępoſito Eccleſię B. Marię ad Gradus etiam Colonien., ejus proprio Diplomatis cauſa. no-

nomine non expreſſo, commiſit, & mandavit, ut de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis ſe diligenter informaret, & , ſi per informationem hujuſmodi ea fore vera reperiret, ſuper quo ejus conſcientiam oneravit, Inſtitutionem domus Reclusorii, conceſſionem, concordiam, & contenta ſupradicta, ac omnia inde ſecuta, ſub modificatione infraſcripta, confirmaret, & approbaret, ſupplendo defectus, ſi qui interveniſſent in eiſdem, & nihilominus Magiſtrę & Sororibus, ut apud Eccleſiam Fratrum Pręedicatorum, quę earum domui propinqua eſſe dignoſcebatur, ſepulturam eligere, & , quoties eis placeret, unum ex pręedictis Fratribus, qui confeſſiones earum audire, & a peccatis abſolvere, & pro illis debitam eis pęnitentiam iniungere, niſi talia forent propter quę Sedes Apoſtolica foret merito conſulenda, necnon eis pręterquam in Feſto Paſchę Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare poſſet, eligere valerent, concederet; jure tamen dictę Parochialis Eccleſię alias in omnibus ſemper ſalvo, prout in literis pręedicti Eugenii Pręedeceſſoris deſuper confectis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Magiſtrę & Sororum pręedictarum, petitio continebat, licet ipſę a pręedictis temporibus citra conceſſionibus, gratiis, & privilegiis pręedictis uſę fuerint ac ſecundum Regulam S. Auguſtini, & ſub cura, & Regimine Fratrum Ordinis Pręedicatorum hujuſmodi vixerint, horaſque canonicas, Miſſas, & alia divina officia in Capellania dicti Reclusorii cantaverint, necnon plures puellas ad ſe ſucceſſive receperint, & ibidem velatę, veſtitę, & benedictę, ac per Viſitatorem a Generali Magiſtro Fratrum dicti Ordinis Pręedicatorum eis datum, & etiam Generales Magiſtros, & Provinciales Provincię Alemanię ſecundum morem dicti Ordinis Priores Fratrum ejuſdem Ordinis Pręedicatorum viſitatę fuerint, tamen nonnulli, earundem Magiſtrę & Sororum ęmuli, ac earum ſtatui invidentes, ipſas Magiſtram, & Sorores vigore indultorum pręedictorum Ordinis S. Auguſtini non fore, & illius Regulam minime voviſſe, ſeu vovere, & juxta illam vivere, puellaſque recipere, & per earum Confeſſorem illis regularem habitum exhiberi, & velamen imponi, benedictionem impendi facere non potuiſſe, neque poſſe, aſſerere, & divulgare non verentur. Quare pro parte Magiſtrę & Sororum pręedictarum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut literas Eugenii Pręedeceſſoris hujuſmodi innovare, ac alias eis, & eorum ſtatui, ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, literas Eugenii Pręedeceſſoris hujuſmodi innovamus, & tenore pręſentium approbamus, ac pręfatas Magiſtram & Sorores ſub dicta Regula S. Auguſtini, & cura eorundem Fratrum Pręedicatorum fuiſſe, & eſſe, illamque ſervare & ſecundum eam vivere potuiſſe, atque poſſe dicta auctoritate declaramus, ipſiſque Magiſtrę, & Sororibus, ut quoties eis placuerit, & utile videbitur, unum Presbyterum honeſtum, & diſcretum virum religioſum dicti Ordinis Pręedicatorum profeſſorem ex pręedicta, aut alia domo eorundem Fratrum in earum Confeſſorem, qui juxta Clauſuram earundem prope ſepta dicti Monaſterii habitare, &

Privilegia.

Confeſſionibus earundem diligenter auditis, eis de abſolutionis beneficio providere, divina celebrare, ac omnia & ſingula Eccleſiaſtica Sacramenta tam in die Paſchę, quam alias quandocunque miniſtrare, Sororeſque recipere, veſtire, velare, atque benedicere poſſit, aſſumere, & aſſumptum pro tempore ad earum nutum amovere, & alium illius loco dicti Ordinis Fratrum Pręedicatorum profeſſorem, toties, quoties eis placuerit, ſub cujus cura & regimine vivere poſſint, ſurrogare, & quod illum etiam aſſumendum, ſeu ſurrogandum, Prior & Fratres domus, ex qua illum aſſumendum duxerint, eis concedere & permittere teneantur, ac ut in Capella dicti Reclusorii Euchariſtię, ac Extremę unctionis Sacramenta in loco honeſto reponere, & conſervare, ac etiam in ejuſdem Sacramenti, & Dedicationis dictę Capellę, ac Sanctorum, in quorum honorem dedicata eſt, feſtivitatibus publice in Altari ponere & tenere, necnon corpora decedentium Magiſtrę, & Sororum, ac perſonarum, ſeu familię domeſticę in dicta Capella, ſeu cęmeterio dicti Reclusorii per Catholicum Antiſtitem jam benedicto, ſepeliri facere, & ipſę Magiſtra & Sorores, cum ſuis familiaribus continuis commenſalibus tempore interdicti, Miſſam, clauſis januis, excommunicatis & interdictis, ac aliis laicis excluſis, dummodo cauſam non dederint interdicto, & eis ſpecialiter non contigerit interdici, audire, ac omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, exemptionibus, libertatibus, indulgentiis & indultis Apoſtolicis, quibus Ordo pręedictus Fratrum Pręedicatorum, ac illius domus & Fratres ex conceſſione dictę Sedis, aut Legatorum ejus gaudent, & utuntur, ac ſi eiſdem Magiſtrę & Sororibus ſpecialiter conceſſa fuiſſent, uti, potiri, & gaudere libere & licite valeant, & per Generalem Magiſtrum Ordinis, vel ab eo ad id, quoties opus fuerit, ſpecialiter deputandum ſecundum morem ipſius Ordinis Fratrum Pręedicatorum perſonaliter, non autem per eorundem Commiſſarios, aut alios inferiores, abſque tamen mutatione ſtatus, ſeu modi vivendi, quem nunc, ut pręfertur, ſub clauſura, & cuſtodia diligenti ſecundum dictam B. Auguſtini Regulam profitentur, & habent, viſitari debeant, & dicto eorundem Confeſſori de neceſſariis pro uſu ſuę vitę providere teneantur, quem cibis, & quibuſcunque, de quibus ſibi per eas provideri continget veſci, ac uſum rerum, & bonorum, quandiu Confeſſor erit duntaxat, habere poſſit, dicta auctoritate concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictorum Ordinum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę innovationis, approbationis, declarationis, conceſſionis, & Indulti infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Tertio, Tertio Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Colonien.*) In *Germania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CCIX. fol.* 212.
3. *Benignitas &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Expoſito.*) Conſulenda *Conſtitutio XXII Eugenii IV.* Legitur *pag.* 16 hujus *III* Tomi.

Con-

Conſervatores creat qui præcedens Diploma ſervandum curent.

Anno 1483 Die 13 Maii.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Pręposito S. Georgii, & Beatę Marię ad Gradus, ac Sancti Cumberti Colonien. Eccleſiarum Decanis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CLXX.

HOdie nonnulla conceſſiones, & indulta, quę tam a bonę memorię Henrico, & Walrano Archiepiſcopis Colonien., quam alias etiam Apoſtolica auctoritate pro domo Sororum Recluſorii in Via S. Marcelli Colonien., & dilectis in Chriſto filiabus illius Magiſtra, & Sororibus emanaverunt, tunc expreſſa, & initam inter eaſdem Magiſtram, & Sorores ac Rectorem, Paſtorem nuncupatum, Parochialis Eccleſię S. Pauli Colonien., infra cujus Parochię limites domus prędicta conſiſtit, ipſiuſque Eccleſię collatorem ſuper nonnullis controverſiis vigentibus inter eos, concordiam, ſimiliter tunc expreſſam, per alias noſtras literas confirmavimus, ipſaſque domum, & Magiſtram & Sorores Ordinis S. Auguſtini, ſub cura & regimine Fratrum Prędicatorum degentes retroactis temporibus fuiſſe, & eſſe, licuiſſeque eis, & licere puellas recipere in Sorores cum habitus regularis, & veli benedicti exhibitione, ac profeſſionis earum receptione, declaravimus, dictiſque domui, ac Magiſtrę & Sororibus ſuper electione Confeſſoris earum de Ordine Fratrum Prędicatorum, & illius ad nutum earum amotione, ac Euchariſtię, ac aliorum Sacramentorum in Capella dictę domus conſervatione, & in Altari dictę Capellę in certis feſtivitatibus retentione, ac ipſis Magiſtrę, & Sororibus miniſtratione, & in Capella ejuſdem domus, etiam tempore interdicti, divinorum celebratione, ac facienda dictę Domus Magiſtrę, & Sororibus ejus viſitatione, necnon Confeſſoris earum pro tempore victus & uſus rerum ſibi neceſſariarum proviſione, nonnulla privilegia & indulta conceſſimus & conceſſa jamdudum dicto Ordini Fratrum Prędicatorum, illiuſque perſonis, ad eas extendimus gratioſe, prout in dictis literis noſtris, deſuper confectis, plenius continetur. Quocirca diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam dictę literę vobis pręſentatę fuerint, per vos, vel alium, ſeu alios, pręmiſſa, ubi, quando, & quoties expedire cognoveritis, fueritiſque deſuper pro parte Magiſtrę Sororum, & Confeſſoris, prędictorum, legitime requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in pręmiſſis efficacis defenſionis auxilio aſſiſtentes, faciatis domum, Magiſtram, & Sorores, earumque Confeſſorem prędictos, conceſſis ſibi Ordinaria & Apoſtolica auctoritatibus, privilegiis & indultis hujuſmodi, ac omnibus, & ſingulis in dictis literis noſtris contentis, pacifice gaudere; non permittatis eas, per Generalem Magiſtrum, & illarum partium Provincialem Priorem Fratrum dicti Ordinis Prędicatorum, ac Paſtorem, ſeu collatorem dictę Parochialis Eccleſię contra privilegiorum, indultorum, & literarum hujuſmodi tenorem per quoſcunque indebite moleſtari, in eo eligendum, ſeu aſſumendum per eas confeſſorem pręfatum, quo minus ipſis ad hoc libere concedatur, denegari, aut quomodolibet impediri: Non obſtantibus omnibus, quę in dictis literis non obſtare voluimus, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Contradictores, ac eiſdem Magiſtrę, & Sororibus, Confeſſorem hujuſmodi concedere recuſantes, per cenſuram eccleſiaſticam &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Tertio, Tertio Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CCIX fol.* 214.

Moſcazanenſis (1) domus fundandæ facultas.

Anno 1483 Die 29 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilectis filiis Priori, & Fratribus Conventus Cremonen. Ordinis Prędicatorum, Congregationis Lombardię.

CLXXI.

S I X T U S P P. I V.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUpplicari nobis feciſtis, ut cum vos vigore literarum noſtrarum receperitis nuper quendam locum juxta Villam Moſcazani, Cremonenſis Diœceſis, de conſenſu hominum dictę Villę, ac ex conceſſione venerabilis Fratris Epiſcopi Cremonenſis, ubi prius erat Eccleſia diruta, & deſolata, ſine redditibus, & ſine cura animarum, & nunc ibi Eccleſia conſtructa ſit, ſub titulo Sanctę Marię a Gratiis de Palteno, dignaremur pro majori robore auctoritatem noſtram deſuper interponere. Quare Nos, qui commoda veſtra & Fratrum veſtrę Congregationis libenter procuramus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tenore pręſentium, conceſſionem de dicto loco vobis factam, & acceptationem veſtram, ut pręfertur, Apoſtolica auctoritate confirmamus, vobiſque ad uberiorem cautelam concedimus, ut locum, & Eccleſiam ibi conſtructam hujuſmodi pro veſtro, & Fratrum dictę Congregationis uſu,

refugio, & habitatione retinere, libere, & licite valeatis. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis veſtri, etiam juramento, vel alias roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XXIX Maii MCCCCLXXXIII, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

L. Grifus.

1. *Moſcazanen.*) In *Lombardia*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar authenticum ex Autographo *Cremonenſi*.

Anno 1483 Die 8 Junii.

Domum Bucha de Pignon (1) nuncupatam fundandi, ac Segeſtenſi Cœnobio uniendi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLXXII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Nebien. (3), & dilecto filio Vicario venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Brugnaten. (4) in ſpiritualibus Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Sacroſanctę Romanę Eccleſię, quam Dei Filius Jeſus Chriſtus inſtituit, auctor ipſe pietatis, regimini pręſidentes &c. Sane pro parte dilectorum filiorum Communitatis civium Brugnaten., & univerſitatum hominum locorum illi circumvicinorum Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ipſi debitum reſpectum habentes ad fructus uberes, quos Ordinis Fratrum Prędicarorum profeſſores incolis locorum, in quibus domos habent, eorum exemplari vita, prędicationibus Verbi Dei, audientia Confeſſionum, & aſſidua ac devota divinorum celebratione hactenus attulerunt, & afferre non ceſſant, pro ſalute animarum eorum, ac ſperantes quod ſi apud Eccleſiam loci Bucha de Pignon nuncupati, Lunen. (5) Dięceſis, quam ob crebra miracula, quę Omnipotens Deus meritis Beatę Marię Virginis quotidie ibidem operatur, communitas, & Univerſitates pręfati ex piis Chriſti fidelium oblationibus de conſenſu loci Ordinarii, & Rectorum Parochialium Eccleſiarum illi circumvicinarum, ſub ejuſdem Virginis invocatione, fundaverunt, & conſtruxerunt, una domus pro receptione aliquorum Fratrum dicti Ordinis per Priorem pro tempore exiſtentem domus de Sergaſto (6) Riparię Orientalis dicti Ordinis, Januen. Dięceſis, regeretur, & gubernaretur, & unica domus cum illa reputaretur, incolę civitatis, & locorum prędictorum, exinde Prioris, & Fratrum, qui pro tempore in ipſa domo conſtruenda degerent, conſiliis, & exhortationibus ad ſuarum animarum ſalutem, uterentur, ac libenter unam domum hujuſmodi juxta dictam Eccleſiam in loco ad hoc congruo & honeſto de conſenſu eorum, ad quos locus ipſe ſpectat, conſtrui facerent, ſi Priori, & Fratribus dictę Domus de Sargeſto (7) illam pro eorum perpetuis uſu & habitatione prędictis recipiendi, & perpetuo inhabitandi, licentia concederetur. Quare pro parte Communitatis, & Univerſitatum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem Priori & Fratribus domum hujuſmodi pro ſuis uſu, & habitatione recipiendi, & tanquam unam domum cum eorum domo prędicta perpetuo inhabitandi, licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionem quorumlibet, & divini cultus augmentum noſtris pręſertim temporibus diligimus incrementum, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, ſi eſt ita, ſine pręjudicio cujuſcunque, Priori, & Fratribus prędictis unam domum, quam Communitas, & univerſitas pręfati apud dictam Eccleſiam cum clauſtro, refectorio, dormitorio, Campanili humili, campana, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtrui facient, pro eorum uſu & habitatione prędictis recipiendi, & ut unicam domum cum domo prędicta eorum de Sargeſto perpetuo inhabitandi, licentiam auctoritate noſtra largiamini, jure tamen Parochialis Eccleſię & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne prędicti, & cujuſlibet alterius Mendicantium Ordinum Fratres ad inhabitandum nova loca recipere &c. & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus &c. quibuſcunque. Nos enim ſi licentiam hujuſmodi per vos vigore pręſentium concedi contigerit, erigendę domui, ac Priori & Fratribus prędictis, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, favoribus, & indultis per Sedem prędictam, vel alias, domibus, & Fratribus dicti Ordinis in genere conceſſis, & concedendis, uti, potiri, & gaudere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium indulgemus. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo tertio, Sexto Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Diplomatis causa.

Facultas.

1. *Bucha de Pignon.*) In *Liguria*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXCV fol.* 301.
3. *Nebien.*) Vulgo *Nebbio*, in *Corſica*.
4. *Brugnaten.*) Bruneten., vulgo *Brugneto*, in *Liguria*.
5. *Lunen.*) In *Liguria* finibus.
6. *Sergaſto*.) *Segeſten.* ſcilicet, vulgo *Seſtri di Levante*, ſive *della Riviera di Levante*.
7. *Sargeſto*.) Ut in *Nota* pręcedenti.

Ne

Ne Fratres in Gallia moleſtiis afficiantur. Anno 1483 Die 15 Auguſti.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CLXXIII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Viennen. (2), & Matiſconen. (3), ac Eduen. (4) Epiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Decet Romanum Pontificem, cui cura Eccleſiarum &c. Sane dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus Lugdunen. Ordinis Fratrum Prędicatorum conqueſtione percepimus, quod nonnulli Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliique Eccleſiarum Pręlati, & clerici, ac eccleſiaſticę perſonę, tam religioſę, quam ſeculares, necnon Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Milites, ac laici, communia civitatum, univerſitatum, oppidorum, caſtrorum, villarum, & aliorum locorum, ac alię ſingulares perſonę Civitatum, & Diœceſum, ac aliarum partium diverſarum conceſſa per Nos, & Prędeceſſores noſtros Roman. Pontifices, ac alias, dicto Ordini, & illius domibus, ac in illis pro tempore degentibus Prioribus, & Fratribus in genere, eiſdemque domui Lugdunen., ac ejus Priori, ac Fratribus in ſpecie, immunitates, privilegia, conceſſiones, & indulta violaſſe, ipſoſque Priorem, & Fratres contra illa, eorumque tenorem diverſimode inquietare, & moleſtare pręſumunt, ſeu violantibus, & moleſtantibus pręſtant auxilium, conſilium, vel favorem: nonnulli etiam civitatum, Diœceſum, & partium prędictarum, qui nomen Domini in vanum jurare non formidant, eiſdem Priori, & Fratribus ſuper ſpiritualibus, & temporalibus bonis, & rebus ad dictam domum, & illius ſacriſtiam, ad licitos eorundem Fratrum uſus ſpectantibus, multiplices moleſtias, & injurias inferunt, ac jacturas. Quare dicti Prior, & Fratres Nobis humiliter ſupplicarunt, ut cum eiſdem reddatur valde difficile, quod pro ſingulis querelis ad Apoſtolicam Sedem habeant recurſum, providere ipſis ſuper hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adverſus violatores, moleſtatores, & injuriatores hujuſmodi illo volentes eidem Priori, & Fratribus remedio ſubvenire, per quod ipſorum compeſcatur temeritas, & aliis aditus committendi ſimilia pręcludatur, Fraternitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios etiam ſi ſint extra loca, in quibus deputati eſtis conſervatores, & judices, pręfatis Priori, & Fratribus efficacis defenſionis prędidio aſſiſtentes, non permittatis eorum immunitates, indulta, & privilegia hujuſmodi, violari, aut eoſdem contra illorum tenorem ſuper his, & quibuslibet aliis bonis, ad Priorem, & Fratres, ac domum, & ſacriſtiam prędictos legitime ſpectantibus, ab eiſdem, vel quibuſvis aliis indebite moleſtari, vel eis gravamina, ſeu damna, vel injurias irrogari, facturi dictis Priori, & Fratribus, cum ab eis, vel procuratoribus ſuis, aut eorum aliquo, fueritis requiſiti, de prędictis, & aliis perſonis quibuslibet ſuper his, necnon de quibuslibet moleſtiis, injuriis, atque damnis pręſentibus, & futuris, in illis videlicet, quę judicialem requirunt indaginem, ſummarie, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, in aliis vero prout qualitas eorum exegerit, juſtitię complementum, violatores, moleſtatores, & injuriatores hujuſmodi, necnon contradictores quoslibet, & rebelles cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis extiterint, quandocunque, & quotieſcunque expedierit, auctoritate noſtra per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, non obſtantibus tam felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne quis extra ſuam civitatem, vel Diœceſim &c. ſeu ne judices, & conſervatores &c. ſeu quod de aliis, quam de manifeſtis injuriis, & violentiis, atque damnis &c., & aliis quibuſcunque conſtitutionibus, a Prędeceſſoribus noſtris Roman. Pontificibus tam de judicibus delegatis, & conſervatoribus &c., aut aliis editis, quę veſtrę poſſent in hac parte juriſdictioni, aut poteſtati, ejuſque libero exercitio quomodolibet obviare, ſeu ſi aliquibus &c. a prędicta ſit Sede indultum, quod interdici &c. per literas Apoſtolicas non facientes &c. mentionem, & qualibet alia dictę Sedis Indulgentia &c, & de qua, ejuſque toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Ceterum volumus, & apoſtolica auctoritate decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit canonico impedimento prępeditus, quodque a dat. pręſentium ſit vobis, & unicuique veſtrum in pręmiſſis omnibus, & eorum ſingulis, cęptis, & non cęptis, pręſentibus, & futuris, perpetuata poteſtas, & juriſdictio attributa, ut eo vigore, eaque firmitate poſſitis in pręmiſſis, cęptis, & non cęptis, pręſentibus, & futuris, & pro prędictis procedere, ac ſi prędicta omnia coram vobis cępta fuiſſent, & juriſdictio veſtra, & cujuslibet veſtrum perpetuata legitime extitiſſet, conſtitutione prędicta ſuper conſervatoribus, & alia qualibet in contrarium edita non obſtante pręſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Tertio (5), Decimo octavo Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXCIV fol.* 255.
2. *Viennen.*) In *Delphinatu*.
3. *Matiſconen.*) Vulgo *Maſcon*, in *Burgundia*.
4. *Eduen.*) Aliis *Heduen.*, vulgo *Autun*, in *Burgundia*.
5. *Octuageſimo Tertio.*) Hinc liquet a Coronationis, non ab Electionis die, ſui Pontificatus annos numeraſſe *Sixtum IV*, ut attentum lectorem non fugiet.

Anno 1483 Die 31 Auguſti.

Cardinalis tituli S. Sixti nihil ex ejuſdem Monaſterii (1) redditibus exigere poteſt.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLXXIV.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. Regularem vitam profeſſis, pręſertim feminei ſexus, ſic expedit omnem turbationis, & inquietationis materiam ſubtrahi, quod in contemplationis ſuavitate conſtantem valeant, & tranquillum Domino reddere famulatum. Dudum ſiquidem felicis recordationis Innocentius Papa IV, Pręceſſor noſter, per quaſdam Monaſterium Monialium Sancti Sixti de Urbe, quod de bonis Romanę Eccleſię per recolendę memorię Innocentium Papam, prędeceſſorem ſuum, conſtructum, juris Beati Petri dignoſcebatur, & illius Prioriſſam, ac Moniales ſub ejuſdem Beati Petri, & ſua protectione ſuſcepit, ac quaſcunque poſſeſſiones, & quęcunque bona, quę idem Monaſterium tunc juſte, & canonice poſſidebat, & in futurum conceſſione Pontificum, Regum, vel Principum largitione, & oblatione fidelium poterat dante Domino adipiſci, voluit ei firma, & illibata permanere, de quibus nonnulla propriis duxit exprimenda vocabulis. Voluit quoque, ut nulli omnino hominum liceret idem Monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed omnia integre conſervarentur dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus ejuſdem, pro quarum gubernatione, & ſuſtentatione conceſſa fuerant, uſibus, & commodis profutura, ſalva Sedis Apoſtolicę auctoritate. Et deinde Nos motu proprio prędictas, & in eis contenta per alias noſtras literas robur perpetuę firmitatis obtinere decrevimus, Monaſteriumque prędictum cum illius Prioriſſa, Monialibus, & perſonis, ac turris Sulferani, & Caſeferactę, necnon Bondii etiam majorem in partibus Latii, & Infirmarię extra Sancti Pauli, Turris Auguzani extra Sancti Laurentii in partibus inſulę, ac Silvis extra Sancti Pancratii in partibus tranſtiberinis portas, Urbis caſalibus conſiſtentibus, quę poſt dat. literarum prędictarum prędeceſſoris pręfati dicto Monaſterio, loco certi cenſus, tunc expreſſi, obvenerant, reliquiſve bonis omnibus ad dictum Monaſterium pertinentibus legitime, & quę in futurum pertinere contingeret, eorumque juribus, & pertinentiis univerſis juris, & proprietatis Beati Petri, & a quacunque aliarum juriſdictionum ſuperioritate, dominio, & poteſtate prorſus exemptum, & totaliter liberatum fuiſſe, & eſſe, declaravimus, & de novo exemimus, & perpetuo liberavimus, ac ſub ejuſdem B. Petri, & pręfatę Sedis protectione ſuſcepimus, atque noſtra, illudque Nobis, & Succeſſoribus noſtris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, & dictę Sedi, ac curę, regimini, & directioni pro tempore exiſtentis Magiſtri Generalis, & Provincialis Fratrum Provincię Romanę Ordinis Fratrum Prędicatorum in temporalibus, & ſpiritualibus immediate duntaxat voluimus ſubjacere, Ita quod noſter, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis in pręfata Urbe in ſpiritualibus Vicarius, aut dictę Sedis in eadem Urbe, Legatus pro tempore deputatus, ſeu quęvis alia perſona ſecularis, vel regularis, eccleſiaſtica, vel mundana, quacunque etiam Cardinalatus dignitate, vel auctoritate pręfulgeret, nullum in Monaſterium, Prioriſſam, Conventum, Moniales, ac perſonas hujuſmodi, utpote prorſus exemptas, poſſit excommunicationis, vel interdicti ſententias promulgare, vel juriſdictionem, aut poteſtatem aliquam exercere, ſeu Monaſterium prędictum, & illius Prioriſſam, Conventum, Moniales, & perſonas, ſuper eorum introitibus, redditibus, proventibus, aut aliis bonis, ad ea quomodolibet ſpectantibus, & pertinentibus, ad aliquam ratam, ſeu partem fructuum, bono dicti Monaſterii ſub nomine cenſus, vel prębendę ejuſdem, aut alteri cuivis perſonę, vel officio, ſub quocunque quęſito colore ſolvendam compellere, certis tunc executoribus deputatis, ſuper pręmiſſis, qui non permitterent Monaſterium, Prioriſſam, & Conventum hujuſmodi per quaſcunque perſonas, quibuſcunque titulis, & dignitatibus, etiam Cardinalatus pręfulgerent, contra dictarum literarum tenorem indebite moleſtari, ſeu ad aliquam ſolutionem, quovis quęſito colore, compelli, prout in ſingulis prędictis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, Prioriſſa, & Conventus pręfatę dubitent, ne pro eo quia Eccleſia dicti Monaſterii eſt titulus Presbyteri Cardinalis, aliaſque aſſerant, Cardinalem ejuſdem tituli pro tempore exiſtentem, & dum titulum pro tempore Cardinali carere contigerit, noſtrum, & pro tempore Romani Pontificis in pręfata Urbe Vicarium in ſpiritualibus Generalem, qui emolumenta titulorum Cardinalium proprio Cardinali carentium percipere ſolitus eſt, aliquid ratione tituli ſupradicti de bonis, fructibus, redditibus, & proventibus dicti Monaſterii habere, petere, vel exigere poſſe ab eis, & eo pretextu contingat eaſdem Prioriſſam, & Conventum ſuper hoc in poſterum moleſtari, Nos, ad quos ſpectat ea, quę in contentionis ſcrupulum

Mandatum. alioquin trahi poſſent, ita noſtrę declarationis arbitrio plana facere, quod exinde nullo valeat dubitationis involucrum exoriri, hujuſmodi Prioriſſam, & Conventum prędictas inquietandi indebite vias excludere, & ut votiva quiete fruantur, & ab omni perturbatione remotę liberius valeant vota ſua Deo reddere Salvatori, providere volentes, motu proprio non ad Prioriſſę, & Conventus prędictarum, aut alterius pro eis Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, & ex certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, declaramus, pręfatum Presbyterum Cardinalem tituli S. Sixti nunc, & pro tempore exiſtentem, & dum titulus prędictus Cardinali caret, noſtrum, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis in pręfata Urbe Vicarium pręfatum non poſſe quidquam juris in bonis, fructibus, redditibus, & proventibus dicti Monaſterii ratione tituli ſupradicti ſibi vindicare, petere, vel habere, ſeu cenſum, vel aliquid aliud exigere ab eis

Prio-

Digitized by Google

Prioriſſa, & Conventu, quovis quęſito colore, ac prędictos literarum noſtrarum executores, & ab eis pro tempore deputatos ſubexecutores, poſſe, & debere Monaſterio, Prioriſſę, & Conventui prefatis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtere, ne ab eiſdem Cardinali, & Vicario ſuper iis contra prędictarum, & pręſentium literarum tenorem indebite moleſtentur, alias juxta dictarum literarum aliarum noſtrarum continentiam, atque formam. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quę in dictis aliis literis voluimus non obſtare, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę voluntatis, & declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Tertio, Pridie Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo.

1. *Monaſterii.*) Conſulenda *Conſtitutio XI Honorii III.* Legitur *Tomo I pag.* 8.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo aſſervato in Monaſterio *SS. Dominici, & Sixti de Urbe.*

Vivæ vocis Oraculum damnans aliquas propoſitiones (1), & verſus quoſdam ab errore vindicans.

Anno 1483 Die 11 Septembris.

Ex Diago (2) *Hiſtor. Provin. Aragoniæ Lib. I Cap. XXXIII pag.* 60.

CLXXV.

Diplomatis cauſa.

NOs Oliverius (3) Epiſcopus Sabinen., Johannes (4) tituli S. Praxedis, Georgius (5) tituli Sanctorum Marcellini, & Petri, Gabriel (6) tituli Sanctorum Sergii, & Bachi, S. R. E. Cardinales in negotiis ad catholicam Fidem pertinentibus generaliter, & in pręſenti negotio fidei etiam ſpecialiter vivę vocis oraculo nobis ſuper hoc facto a S. Domino noſtro deputati Reverendo in Chriſto Domino Epiſcopo Majoricenſi, Salutem. Cum nuper ad Romanam Curiam veniſſet venerabilis Magiſter Guillermus Caſelles (7) S. Theologię profeſſor Ordinis Prędicatorum, & Inquiſitor hęreticę pravitatis in Regno Majoricarum Sanctiſſimo Domino noſtro Domino Sixto Divinę Providentię Papę ſignificavit, quod cum ſuperioribus diebus Magiſter Chriſtophorus de Galbes (8) Sacrę Theologię profeſſor, ejuſdem Ordinis Prędicatorum Inquiſitor Generalis hęreticę pravitatis, & Commiſſarius Apoſtolicus in tota Provincia Aragonię ſpecialiter deputatus congregari fecit tanquam Inquiſitor Generalis in Civitate Valentię multos egregios, ac famoſos in ſacra pagina Magiſtros diverſorum Ordinum, ac Presbyteros ſeculares, eorum conſcientias onerando, ut diligenti inquiſitione diſſererent, & judicarent ſuper certis concluſionibus in Theologia, & quibuſdam verſibus cujuſdam proſę, quorum tenores infra ſequuntur, catholicam ne continerent veritatem, ac maculam aliquam hęreſis contra Fidem Catholicam ingererent, & ut votum deinde ſuum unuſquiſque proferret: pręfati Magiſtri unanimi conſenſu judicarunt Concluſiones ipſas fuiſſe, & eſſe hęreticas, & erroneas, ac quemcunque illas, vel aliquam illarum pertinaciter affirmantem eſſe hęreticum: verſus vero illius proſę eſſe Catholicos. Concluſionum prędictarum prima eſt hęc, videlicet: Verbum Dei non aſſumpſit naturam humanam in particulari ſed in communi, ſeu ſpecificam, aliter non redemiſſet omnes homines. Secunda concluſio. Deus non poteſt creare alium Mundum. Tertia concluſio. Angeli ſtatim creati viderunt Deum facie ad faciem. Quarta concluſio. Tota potentia Dei fuit exhauſta in factione animę Chriſti, ita quod Deus non poteſt creare nobiliorem creaturam. Quinta concluſio. Divina eſſentia generat, & generatur. Sexta concluſio. Juſtitia originalis eſt videre Deum a priori, & peccatum originale eſt videre Deum a poſteriori. Septima concluſio. Juſtitia originalis in Beata Virgine Maria eſt ex natura non ex gratia. Octava concluſio. Natura humana unita Verbo Divino, ut natura humana eſt ſuppoſitum. Verſus vero illius proſę quę incipit. Tibi cordis in altari. Sunt iſti. Neque abhorres peccatores, ſine quibus nunquam fores, tanto digna Filio. Quamobrem prędictus Magiſter Guillermus humiliter ſupplicavit, prędicto S. D. N. dignaretur declarare, an prędicti Magiſtri ſuper hujuſmodi Concluſionibus, & verſibus recte ſenſerint, ac judicaverint, authoritateque Apoſtolica illorum vota, & ſententias corroborare. Verum quia S. ipſe D. N. in majoribus, & arduis circa ſtatum venerabilis Eccleſię erat, & eſt (ut decet) occupatus, Nobis, quos in negotiis Fidei generaliter alias deputaverat, ſpecialiter pręfatum negotium examinandum, & determinandum vivę vocis oraculo Nobis ſuper hoc facto commiſit. Nos vero, etſi ipſi per Nos id determinare potuiſſemus, quia tamen integrum eſt judicium, quod plurimorum ſententiis approbatur, voluimus ſuper hoc cum Magiſtris in Sacra Pagina, quos ad hoc ſpecialiter deputavimus, habere plenam deliberationem. Qua mature adhibita, judicium, & ſententias prędictorum Magiſtrorum Valentię congregatorum approbando, ſupradictas Concluſiones erroneas, & hęreticas judicavimus, ac judicamus. Circa verſus vero illos cum duplex ſit opinio Catholicorum Doctorum circa cauſas pręcipuas Incarnationis Verbi Divini intuentium, altera, quod ſi Adam non peccaſſet, Dei Filius humanam carnem non aſſumpſiſſet, altera, quod etiam ſi non fuiſſet humana natura in primo parente lapſa, adhuc Dei Filius carnem aſſumpſiſſet; & opinio utraque pietate, fidei authoritatibus, & rationibus ſubſiſtat, cumque priori opinioni verſus illi inniantur, dicimus, quicquid contra dictos verſus attentatum fuit, temerarium, pręſumptuoſum, & pęna dignum prǽſumptum fuiſſe tanquam contra opinionem a Catholicis Doctoribus poſitam, & quę nec fidei orthodoxę adverſatur, nec dignitati Beatiſſimę Virginis Marię in aliquo detrahere videtur. Quocirca ſi qui adeo protervi in poſterum inveniantur, qui contra Apoſtoli doctrinam velint pluſquam oporteat ſapere, & prędictas Concluſiones aſſerere velint, & ſupradictos verſus condemnare, contraque hanc noſtram determinationem aliter ſentire, Paternitatem veſtram hortamur in Domino, ac ſpecialiter auctoritate Apoſtolica vivę vocis oraculo Nobis etiam commiſſa mandamus, quatenus ſi id per-

Propoſitiones damnatæ.

Digitized by Google

id pertinaciter aſſerere voluerint, contra eos ſecundum canonicas ſanctiones una cum Inquiſitore, tanquam hęreticos procedatis, &, ſi opus fuerit, mandetis citari, ut coram Nobis in Romana Curia infra ſexaginta dierum ſpatium perſonaliter per ſe, & non per procuratorem, vel procuratores compareant. Inſuper quoniam circa prędictos verſus, aut partem eorum, ut aſſeritur, multę injurię illatę fuerunt prędicto Ordini Prędicatorum, & prefato Inquiſitori, ac lis ſuper hoc coram veſtra Paternitate pendet indeciſa, ſi ita eſt, mandamus V. P. ſub pęnis, primo interdicti ingreſſus Eccleſię, ac ſuſpenſionis pontificalis officii, quatenus eandem litem uſque ad condignam ſatisfactionem ſecundum formam juris terminetis. Et quoniam ſcandala publice orta publico etiam remedio ſunt auferenda, ſub eiſdem pęnis V. P. mandamus, ut ſicuti publice prędicta fuerunt divulgata, ita, & publice revocentur, & ad debitam formam ſine ſcandalo reducantur. Non obſtantibus quibuſcunque reſcriptis, ſive aliis mandatis ſuper hoc quomodocunque generaliter, vel ſpecialiter emanatis a Sede Apoſtolica. Quibus quoad prędicta, & ſingula prędictorum de mandato D. N. Papę vivę vocis oraculo Nobis facto derogamus, & ea volumus non obſtare. Datum Romę Anno a Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti MCCCCLXXXIII die vero XI Menſis Septembris, Pontificatus vero S. D. N. Domini Sixti divina Providentia Papę Quarti, Anno Tertio Decimo.

1. *Propoſitiones.*) Conſulendi *Diago* loco laudato, & *Echard Tomo I Scriptorum Ord. ad annum MCCCCLXXXIII pag.* 865.
2. *Diago.*) Ex Autographo *Majoricenſi*.
3. *Oliverius.*) *Caraffa*.
4. *Johannes.*) *Arcimboldus*.
5. *Georgius.*) *A Coſta*.
6. *Gabriel.*) *Rangoni*, Ordinis Minorum.
7. *Guillermus Caſellei.*) Ipſius meminit *Diago Hiſtor. Provinciæ Aragoniæ Lib. I Cap. XXXIII pag.* 60.
8. *Chriſtophorus de Galbes.*) Aliis de *Galves*, Utrumque bene. *Hiſpani* ſiquidem literam *V* plerumque pronunciant, ut *B*. De *Chriſtophoro* conſulendi mox laudati ſcriptores, vir clariſſimus *Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hiſpana*, & *Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap. VIII ad an. MCCCCLXXXII pag.* 376.

Anno 1483 Die 17 Octobris.

F. Thomas (1) de Turrecremata Generalis Inquiſitor Aragoniæ, Valentiæ, & Cataloniæ conſtituitur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXXVI.

Dilecto Filio Thomę de Turrecremata, Priori Monaſterii Sanctę Crucis Segobien., Sacrę Theologię, & Ordinis Prędicatorum Profeſſori, in Aragonię, & Valentię Regnis, ac Principatu Catalonię hęreticę pravitatis Inquiſitori.

SIXTUS PP. IV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplicari nobis fecerunt cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caſtellę, & Legionis Rex (3), & Regina illuſtres, ut te in eorum Aragonię, & Valentię Regnis, ac Principatu Catalonię Inquiſitorem hęreticę pravitatis deputare vellemus. Nos igitur, qui de circumſpectione, puritate, & integritate tua plurimum confidimus, ut dictorum Principum deſiderio ſimul & noſtro Paſtoralis officii debito ſatisfaciamus, te in dictis Aragonum, & Valentię Regnis, ac Principatu Catalonię prefato, Inquiſitorem hęreticę pravitatis tenore preſentium deputamus, conſtituimus, & ordinamus. Et quia te multis implicatum negotiis non ignoramus, tibi earundem tenore concedimus, & indulgemus, ut idem officium per idoneos, ſufficientes, ac probatus in Sacra Theologia Magiſtros, quos ad id deputandos, ac ſubſtituendos duxeris, gerere, & exercere poſſis & valeas. Inhibemus tamen tibi expreſſe per pręſentes, ne iniquitatis filius Chriſtophorus Bualbes (4), quem paulo ante ob ſua demerita ab eodem Inquiſitionis officio interdiximus, ad id ſubſtituere, aut deputare (5) quoquomodo valeas. Te autem hortamur in Domino, ac diſtricte pręcipiendo mandamus, ut ſemper Deum prę oculis tuis habens, id tam diligenter, attente, ac ſolicite geras, vel geri facias, quantum ipſius officii dignitas, magnitudo, & importantia videntur expetere. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris Die XVII Octobris, MCCCCLXXXIII, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo (6).

1. *Thomas.*) Cardinalis ejuſdem cognominis germanus frater, quem miris laudibus ornat vir Clariſſimus *Antonius Biblioth. Vet. Hiſpan. Lib. X.* Conſulendi ceteri Scriptores, quos laudat *Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap. VIII ad annum MCCCCLXXXIII pag.* 378, *Lopez Hiſtor. Ord. Prædicatorum III Parte Lib. III Cap. LXXV &c.*, & *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad an. MCCCCXCVIII pag.* 892.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Abulenſi*. Legitur, mutilum tamen, apud *Lopez*, & *Fontanam* mox laudatos.
3. *Rex.*) *Ferdinandus* hujus nominis *V*, cognomento *Catholicus*.
4. *Bualbes.*) Hanc Diplomatis partem ſilentio prætermittunt *Lopez*, & *Fontana*. Quis autem ſit Bualbes iſte, me fugit. Vereor ne vox corrupta fuerit ex amanuenſis incuria.
5. *Deputare.*) *Conſtitutus igitur Apoſtolica auctoritate Generalis Inquiſitor P. Thomas de Turrecremata in Regnis Caſtellæ, & Legionis, Aragoniæ, & Valentiæ, necnon in Principatu Cataloniæ cum facultate ſubſtituendi alios Inquiſitores, in Civitatibus, & locis ſibi bene viſis, illoſque, ſi neceſſe foret, amovendi, Tribunali S. Inquiſitionis Valliſoletano præfecit P. Alfonſum de S. Cypriano, S. Theologiæ Magiſtrum, cum Præſentato P. Bartholomæo Feral, in Hiſpalenſi confirmavit P. Magiſtrum Michaelem Marillum; & Præſentatum P. Johannem de S. Martino, Toletano præfecit P. Petrum ab Ocanna Regentem Toletanum, de quo anno antecedenti, Giennenſi P. Johannem de Yarca Priorem Toletanum, quod translatum eſt Granatam, & Abulenſi P. Fernandum de S. Dominico.* Verba ſunt *Fontanæ* ſupra laudati. Sed de his poſtea.
6. *Tertio Decimo.*) Hinc emendandus Librarius ſupra laudati *Lopez* ſcribens Diploma datum 15 Octobris anno *MCCCCLXXXIII*, Pontificatus *Sixti IV* anno 3. Legendum, ut ex ſe patet, 13.

Co-

Congregationis (1) Hollandiæ privilegia firmat.

Anno 1483 Die 27 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXXVII.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

SOlicitudo Paſtoralis Officii, meritis licet inſufficientibus, Nobis ex alto commiſſi &c. (3). Sane pro parte dilectorum filiorum Vicariorum ſubſtitutorum, & Priorum, Nationum (4) Flandrię, Hollandię, & Gueldrię, Congregationis Hollandię Ordinis Fratrum Pręd icatorum, de obſervantia nuncupatorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod, licet ex privilegiis tam Apoſtolicis, quam per Magiſtros Generales dicti Ordinis, quę hactenus fuerunt eidem Congregationi conceſſa, omnes domus dictę Congregationis a juriſdictione Provincialium exemptę, & ſoli Magiſtro Generali dicti Ordinis ſub Vicario Generali ejuſdem, qui per Priores, & certos Fratres dictę Congregationis eligitur, ſubjecti exiſterent, tamen quondam Salvus Caſſeta (5) Magiſter Generalis dicti Ordinis ad inſtantiam dilecti filii Alberti Petri (6) moderni Vicarii (7) ejuſdem Congregationis, inconſultis, nec eis ad hoc, ut in aliis actibus fieri ſolet, capitulariter convocatis, eundem Generalem ſiniſtre informantia, omnes domos reformatas Provincię Saxonię dictę Congregationis Provinciali Saxonię dicti Ordinis ſubjecit, & dictas domos reformatas certis aliis domibus dicto Provinciali ſubjectis univit, ac ut ipſe Provincialis per ſe, vel alium, ſeu alios una cum Vicario, ſimul, vel diviſim domos hujuſmodi viſitare, Priores certis conditionibus abſolvere, & in certis Capitulis dictę Congregationis intereſſe, & quędam alia facere poſſit, per ſuas literas conceſſit, prout in illis plenius dicitur contineri. Et deinde Vicarii ſubſtituti, & Priores pręfati, conſiderantes, quod ex hoc Congregatio hujuſmodi monſtruoſa exiſteret, duo Capita non ſubordinata habens, ita quod id quod Vicarius reformatus in eis ędificare conaretur, Provincialis id idem deſtruere poſſet, quod quia ex hujuſmodi literis etiam clare patet, & nil aliud quam diviſio, & vitę regularis deſtructio ſequeretur, quam primum dictę literę ad eorum pervenerunt notitiam, a ſubjectione, ac aliis pręmiſſis, ſentientes exinde indebite ſe gravari, ad Sedem Apoſtolicam appellarunt. Et deinde pro parte eorundem Vicariorum ſubſtitutorum, & Priorum de incommodis, quę ex unione hujuſmodi, ſi fieret, ſequerentur, dictus Salvus Generalis plenius informatus, & requiſitus, ut ipſas ſuas literas caſſaret, literas ſuas, & in eis contenta hujuſmodi arbitrio Fratrum, qui vocem in electione Vicarii Generalis dictę Congregationis habent, acceptandas, & annullandas remiſit. Et poſtmodum, ſicut Domino placuit, ab hac luce deceſſit (8). Quare pro parte Vicariorum ſubſtitutorum, & Priorum pręd ictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſubjectionem & unionem, ac literas pręd ictas revocare, caſſare, & annullare, necnon ipſis, ac univerſis Fratribus ejuſdem Congregationis, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, exemptionibus, & facultatibus, tam Apoſtolica auctoritate, quam per Magiſtros Generales pręd ictos Congregationi, Vicariis, & Fratribus ejuſdem ante ſubjectionem & unionem pręd ictas, necnon Congregationi, Vicariis, & Fratribus dicti Ordinis, de obſervantia nuncupatis, Provincię Hiſpanię ſeu Caſtellę conceſſis uti, potiri, & gaudere valeant, concedere, aliaſque eis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui pacem, & quietem perſonarum religioſarum quarumlibet ſinceris deſideriis exoptamus, omnium, & ſingulorum per Fratres vocem habentes pręd ictos in pręmiſſis conceſſorum, necnon privilegiorum, exemptionum, & facultatum eiſdem Prioribus & Fratribus Provincię Hiſpanię conceſſorum formas, & tenores pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſubjectionem, unionem, & literas deſuper confectas pręd ictas, & inde ſecuta quęcunque, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium caſſamus, irritamus, & annullamus, necnon Vicariis, & Fratribus Congregationis Hollandię hujuſmodi, ut quandiu vixerint in obſervantia regulari duntaxar, omnibus, & ſingulis privilegiis, exemptionibus, & facultatibus, tam auctoritate Apoſtolica pręd icta quam per eoſdem Magiſtros Generales Congregationi Hollandię, illiuſque Vicariis, & Fratribus hujuſmodi ante ſubjectionem, & unionem pręfatas, necnon eiſdem Congregationi, Vicariis, & Fratribus dictę Provincię Hiſpanię, ſeu Caſtellę conceſſis uti, potiri, & gaudere, libere & licite valeant, auctoritate pręd icta concedimus per pręſentes. Non obſtantibus conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę caſſationis, irritationis, annullationis, & conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo tertio, Sexto Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo.

Diplomatis cauſa.

Confirmatio.

Nota.

1. *Congregationis.*) Conſulendus *Bernardus* noſter *de Jonghe* in *Belgio Dominicano* §. *III Tractatus Præliminaris pag.* 3. &c.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CCI fol.* 91.
3. *Commiſſi &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Nationum.*) Non ſolum in *Belgio*, ſed in *Galliis* etiam, in *Saxonia*, in *Dania*, & in *Polonia* Conventus obtinuit hæc celeberrima Congregatio, uti videre eſt apud Auctorem mox laudatum §. *IV pag.* 5 &c.
5. *Salvus Caſſeta.*) De quo pluries dictum fuit.
6. *Alberti Petri.*) Cujus meminit *Bernardus* loco mox citato §. *V pag.* 8.
7. *Moderni Vicarii.*) Electus fuerat *Zwollis* anno *MCCCCLXXX.* Idem ibidem.
8. *Deceſſit.*) Hoc eodem anno *MCCCCLXXXIII* a vivis abierat *Salvus.*

Anno 1483
Die 13 Novembris.

De quibuſdam poſſeſſionibus Nurimbergen. (1) Monaſterio S. Catharinæ reſtituendis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXXVIII

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Eyſteten. (3), & dilecto filio Abbati Monaſterii Sancti Ægidii, Nurimbergen., Bambergen. (4) Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

HUmilibus &c. (5). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę & Sororum domus Sanctę Catharinę Nurimbergen., Ordinis S. Auguſtini, ſub cura & ſecundum Inſtituta Fratrum Prędicatorum degentium, Bambergen. Dięceſis, petitio continebat, quod alias dilectus filius nobilis vir Johannes Jarchs miles Herbipolen. (6) Dięceſis, ipſas Prioriſſam & Sorores certa parte decimarum fructuum in oppido Mamberuhain, ac limitibus ejus Marchię, ejuſdem Herbipolen. Dięceſis, excreſcentium, & quaſi poſſeſſiones juris illius percipiendi, in qua pacifice tunc exiſtebant, contra juſtitiam ſpoliavit, in ipſarum Prioriſſę, & Sororum, ac domus non modicum detrimentum. Quare pro parte Prioriſſę & Sororum earundem Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſas ad poſſeſſionem hujuſmodi reſtitui, mandare, necnon quas ipſę contra dictum Johannem ſuper ſpolio, poſſeſſione, & parte decimarum hujuſmodi movere intendunt, cauſas aliquibus probis viris in partibus illis committere, & alias eis ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut alter veſtrum, vocatis dicto Johanne, & aliis, qui fuerint evocandi, auditiſque hinc inde propoſitis, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem &c. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne quis extra ſuam civitatem &c. ſeu ne Judices &c. & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque, ſeu ſi Johanni prędicto &c. ab eadem Sede indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi &c. per literas Apoſtolicas non facientes plenam &c. mentionem. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Millesimo Quadringenteſimo Octuageſimo tertio, Idibus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

Mandatum.

1. *Nurimbergen.*) Aliis *Norimbergen.*, vulgo *Nuremberg*, in *Franconia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXCIX fol.* 163.
3. *Eyſteten.*) *Eiſtaten.*, vulgo *Eychſtat*, & *Aichſtet*, in *Bavaria Superiori*.
4. *Bambergen.*) Vulgo *Bamberg*, in *Germania*.
5. *Humilibus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
6. *Herbipolen.*) Italis *Herbipoli*, incolis *Wurtzburg*, in *Francania*.

Anno 1483
Die 6 Decembris.

Oratorium S. Mariæ de Saxo nuncupatum Florentino (1) Cœnobio S. Marci unitum fuiſſe declarat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXXIX.

SIXTUS PP. IV.

Dilecti filii (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

EXhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, quod alias felicis recordationis Paulus PP. II, Prędeceſſor noſter, ex certis tunc expreſſis cauſis quoddam Oratorium, S. Marię de Saxo nuncupatum, Parochiali Eccleſię caſtri Bibiennę Aretinę Dięceſis annexum de conſenſu illius tunc Rectoris ab eadem Parochiali ſeparavit, illudque cum juribus, & pertinentiis ſuis, Fratribus Ordinis Prędicatorum de Obſervantia Provincię Tuſcię, pro eorum uſu, & habitatione, ſuppreſſo in dicto Oratorio nomine perpetui beneficii, aſſignari, eiſdemque Fratribus ędificia, cum hortis, hortalitiis, terrenis, campanili, & campana, ac aliis neceſſariis officinis in eo conſtruendi licentiam elargiri, mandavit, prout in literis Prędeceſſoris pręfati deſuper confectis, ad quarum executionem illarum forma ſervata proceſſum fuiſſe, aſſeritis, plenius continetur. Et licet, ſicut eadem ſubjungebat expoſitio, aſſignatio, unio, & incorporatio Oratorii prędicti Fratribus de Obſervantia Provincię Tuſcię facta fuerit, tamen intentionis communitatis, & hominum ipſius Caſtri Bibiennę ſemper fuit, quod ipſa domus de Bibienna domui veſtrę Sancti Marci Florentin. ejuſdem Ordinis duntaxat unita, & incorporata, ac illius membrum eſſet. Proinde tam Communitas dicti Caſtri, quam totius Ordinis Prędicatorum Vicarius (4), & vos Nobis humiliter ſupplicari curaſtis, ut in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, aſſignationem, unionem, annexionem, & incorporationem pręfatas ſolum, & duntaxat dictę Domui veſtrę S. Marci Florentin. factas fuiſſe, & eſſe, & ipſius tantum membrum exiſtere, & illi de Vicario, & Fratribus ad veſtrum nutum & juxta regularia inſtituta Ordinis, & obſervantię prędictorum ponendis & amovendis provideri debere, tenore pręſentium, Apoſtolica auctoritate, ſtatuimus, decernimus, & declaramus.

Declaratio.

In

In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die VI. Decembris MCCCCLXXXIII, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

L. Grifus.

1. *Florentin.*) In *Hetruria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Florentino*.
3. *Dilecti filii.*) Inſcriptio Diplomatis deeſt, ex ipſo tamen liquet ſic eſſe reſtituendam: *Dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus S. Marci Florentin.*
4. *Vicarius.*) Generalis enim Magiſter obierat hoc eodem Anno, ut dictum eſt.

Reſcindit literas, quibus Johannem Perdicarium (1) creaverat Inquiſitorem Regni Siciliæ, in præjudicium Conſtitutionum Ordinis.

Anno 1484 Die 16 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CLXXX.

Exordium.

Licet jus ſuum unicuique inviolabiliter conſervare intendamus, & in hoc deſiderium mentis noſtrę vehementer invigilet, tamen non poteſt uſque adeo humana conditio circa ſingula, quę noſtris humeris incumbunt, prudenter, circunſpecteque verſari, pręſertim in tanta rerum multitudine, & negotiorum diverſitate, ac petentium importuna ſollicitudine, quin aliqua prętereant aliquando in alieni juris prejudicium, quę poſtmodum aut moderatione, aut revocatione, indigere noſcuntur. Dudum ſiquidem per Nos accepto, quod in Regno Sicilię ultra Pharum pro conſervanda, manutenenda, & ſolidanda fide orthodoxa, ac fidelium cordibus in ea confirmandis, necnon propulſandis, extirpandiſque erroribus, & hęretica pravitate, opus erat Inquiſitore pravitatis ejuſdem, Nos, motu proprio, & ex certa ſcientia, dilectum filium Johannem Perdicarium Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Theologię Profeſſorem, Inquiſitorem pravitatis prędictę per totum dictum Regnum, auctoritate Apoſtolica, per alias noſtras literas fecimus, conſtituimus, & deputavimus, prout in illis plenius continetur. Nos autem provide attendentes, quod licet in terris prędictis privilegiis dicti Ordinis circa Inquiſitores hęreticę pravitatis hujuſmodi deputandos minime derogatum extiterit, tamen ex conceſſione noſtra hujuſmodi conſtitutionibus, & ordinationibus dicti Ordinis, & Provincię Regni prędicti, prout res ipſa indicat, alias non mediocre affertur prejudicium, ac volentes indemnitati dicti Ordinis, ad quem gerimus paternę caritatis affectum, ſalubriter providere, ex pręmiſſis, & ex certis aliis cauſis Nobis notis, motu ſimili, non ad alicuius Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed ex noſtra mera voluntate, & certa ſcientia, conſtitutionem, & deputationem de perſona dicti Johannis ad Officium Inquiſitoris hujuſmodi in dicto Regno per Nos, ut pręmittitur, factas, ac literas Apoſtolicas deſuper emanatas, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, revocamus, & annullamus, nulliuſque decernimus eſſe roboris, vel momenti. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo tertio (3), Quarto decimo Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

Diplomatis cauſa.

X
X
C. De Ubertis.
P. Pardo.

Jo. de . . .
P. . . . .
. . . . .
Super plicam, ſeu partem inflexam legitur.

G. de la Fiera.
Fr. Brugnolis

Regiſtrata gratis P. Mannio

A tergo legitur.

A. Ingheramius.

Regiſtrata
Pe. . . . .

1. *Johannem Perdicarium.*) Hunc non novit *Fontana* Inquiſitores Regni *Siciliæ* recenſens in *Theatro Dominicano*.
2. *Archivo.*) In quo Autographum, & exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CCVII fol.* 208.
3. *Octuageſimo Tertio.*) Stylo Bullarum, ęra communis *MCCCCLXXXIV*.

Anno 1484 Die 20 Maii.

S. Marci Prioratus unitur Cœnobio Placentin. (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXXXI. Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. IN ſuprema Apoſtolicę dignitatis ſpecula, meritis licet inſufficientibus, divina diſpoſitione locati, ad ea indeſinentur noſtrę mentis diffundimus cogitatus, ex quibus Religioſorum, & aliorum piorum locorum propagatio cum divini cultus augmento, & animarum ſalute provenire valeant, & ea, quę propterea pręſertim nobilium mulierum ſolicitudine, & proſecutione facta ſunt, ut firma perpetuo, & illibata permaneant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolico munimine roboramus; & alias ſuper his opportune providemus, prout conſpicimus ſalubriter in Domino expedire. Sane pro parte dilectę in Chriſto filię nobilis mulieris Eleonorę Pimentel (3) Placentię, olim Atrebaten. Duciſſę Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim pro ejus parte venerabili Fratri noſtro Roderico Portuenſi, tunc Albanenſi Epiſcopo, in partibus illis Apoſtolicę Sedis Legato, expoſito, quod ipſa Eleonora Duciſſa devotionis fervore ducta, quandam domum Ordinis Fratrum Pędicatorum in civitate Placentina ob penuriam virorum literarum ſcientia fulgentium, qui forent idonei ad pędicandum fidelium populis verbum Dei, & eorum Confeſſiones audiendum, pro aliquibus Fratribus dicti Ordinis de licentia Apoſtolicę Sedis fundare, & de bonis ſibi a Deo collatis ędificari facere cęperat, opere non modicum ſumptuoſo, quodque ad perfectionem operis hujuſmodi Chriſti fidelium eleemoſynę, & ſuffragia erunt plurimum opportuna, ac in eadem civitate, & Placentina Dięceſi erant nonnulla relicta ad pias cauſas, quorum aliqua propter negligentiam executorum teſtamentariorum, alia vero propter potentiam heredum, qui illa ſolvere tenebantur, executioni debitę eatenus demandata non fuerant, ipſaque Eleonora Duciſſa tum pro ipſorum teſtantium animarum ſalute, & exoneratione, quam etiam pro celeriori expeditione ipſius conſtruendę domus, auxilium, & favorem pręſtare intendebat, cupiebatque propterea, ut hujuſmodi relicta executioni debitę demandarentur, pręfatus Rodericus Legatus, habens ad hoc, ut aſſerebat, ab eadem Sede ſpecialiter per ejus literas facultatem, illius vigore, certis judicibus ſuis dedit literis in mandatis, ut ipſi, vel alter eorum omnes, & ſingulos detentores bonorum, & relictorum hujuſmodi ad reddendum de eis rationem, illaque realiter, & omnino ſolvendum compellere, necnon bona, & relicta hujuſmodi, quarta tamen parte illorum ad certos tunc expreſſos uſus reſervata, eidem domui conſtruendę aſſignare, & deputare, ipſorumque teſtantium voluntates quoad hoc commutare curarent, quarum quidem literarum vigore alter ex judicibus pędictis partem unius Delſę, ſeu petię terrę, quę dicitur Valtrabieſo, aut partem alterius Delſę, ſeu terrę, quę dicitur Elmironillo, & quandam parvam vineam, poſitas in termino civitatis Placentinę, & per quondam Alvarum de Carvaſal ad pias cauſas relictas, necnon unam partem cujuſdam hereditatis dela Ergurfuela, & partem alterius hereditatis, quę dicitur de Mari Juan, & partem alterius hereditatis, quę dicitur de la Baragona, & duas vineas poſitas in dicto termino, per quondam Catharinam Gimenex, mulierem Placentinam, etiam ad pias cauſas in ejus teſtamento relictas, pręfatę erigendę domui applicavit; & deinde cum pręmiſſa pro parte dictę Eleonorę Duciſſę Nobis expoſita fuiſſent, & in eadem expoſitione ſubjunctum extitiſſet, quod quamvis dictus Judex ad executionem literarum Roderici Legati hujuſmodi proceſſiſſet, nihilominus quia nonnulli executioni hujuſmodi ſe oppoſuerant, domus pędicta ex literis Legati hujuſmodi nullum, aut modicum eatenus fructum reportaverat, & pro parte ipſius Eleonorę Duciſſę Nobis humiliter ſupplicato, ut literas pędictas cum inde ſecutis confirmari, aliaſque pro complemento ędificii dictę domus, ac voto, & deſiderio ejuſdem Duciſſę in pręmiſſis, alias providere dignaremur, Nos tunc Cantori Salmanticen., ejus proprio nomine non expreſſo, & dilecto filio Martino de Iſanguas Canonico Placentin., Eccleſiarum, per alias noſtras literas dedimus in mandatis, ut ipſi, vel alter eorum, ſi, & poſtquam vocatis, qui forent evocandi, de pręmiſſis ipſis legitime conſtaret, pręfati Roderici literas pędictas, & in illis contenta, necnon proceſſus habitos per eaſdem, & inde ſecuta quęcunque Apoſtolica auctoritate approbarent, & confirmarent; ſupplentes omnes, & ſingulos defectus tam juris, quam facti, ſi qui forſan interveniſſent in eiſdem, & pro potiori cautela omnes, & ſingulas pias Chriſti fidelium Civitatis, & Dięceſis pędictarum ordinationes eatenus factas in eorum teſtamentis, codicibus, aliiſve ultimis voluntatibus, ſeu alias quomodolibet, etiam ſi pro redemptione captivorum apud infideles, conſtructione Monaſteriorum, & domorum, aut aliorum Religioſorum locorum quorumvis Ordinum, Militiarum, & Religionis, etiam Mendicantium, tam virorum, quam mulierum fundatione, hoſpitalium, & Capellaniarum, & aliorum ſimplicium Beneficiorum erectione, & dote, aut pro Miſſis, & aliis divinis officiis celebrandis, ac aliis certis, & determinatis etiam magis piis negotiis, & cauſis pure, vel ſub quavis conditione in diem certam, vel incertam facta forent, & in illarum executione nullatenus eatenus negligentia commiſſa eſſet, & forſan exequi inchoata exiſterent, & in quibuſcunque rebus, ac bonis mobilibus, & immobilibus, & ſe moventibus, ſeu pecuniis cujuſcunque valoris, & ſummę exiſterent, quas ob res, necnon bonorum, rerum, & pecuniarum hujuſmodi valorem, & cauſarum, pro quibus ordinatę erant, & ordinarentur, ac perſonarum ſic ordinantium nomina, & cognomina, dignitates, ac ſi nominatim expreſſa fuiſſent, haberi volumus pro expreſſis, in pręmiſſas pias cauſas, expeditionis in Turcas pro una, & fabricę dictę Domus pro altera, partibus, rerum, bonorum, jurium, ac pecuniarum hujuſmodi detentores, & ad pias voluntates exequendum, & adimplendum quomodolibet obligatos ad conſignandum bona, & res, & jura pędicta, ſolvendumque de-

Diplomatis causa.

debitas pecunias, & ad reddendum rationem adminiſtrationis eorum cum fructibus ex eis eatenus perceptis ſummarie, & de plano ſine ſtrepitu, & figura judicii, ſola facti veritate inſpecta, dicta auctoritate compellerent, Nos enim & confirmationem, & commutationem hujuſmodi, ſi per eoſdem Cantorem, & Canonicum fieri contingeret, prefatę Domui Placentinę, & illius pro tempore Priori, & Fratribus, quod ad adimplendum onera Miſſarum, & alia hujuſmodi piis diſpoſitionibus ordinata non tenerentur, & ad id inviti compelli non poſſint, quodque ipſius domus fabrica illorum loco in ſuffragium animarum, pro quarum ſalute pie ordinata erant, ſuccederet, auctoritate Apoſtolica indulſimus. Poſtmodum vero prefatus Martinus Canonicus ad dictarum literarum noſtrarum executionem procedens, illarum forma ſervata, literas Roderici legati hujuſmodi, ac omnia, & ſingula in eis contenta, necnon applicationes illarum vigore factas, prędicta Apoſtolica auctoritate approbavit, & confirmavit, ſupplevitque omnes, & ſingulos defectus tam juris, quam facti, ſi qui forſan adeſſent in eiſdem. Et inſuper certa bona quondam Sevillę Lupi, aliàs uxoris Baccallari de Camsogo, quę ſunt vineę domus magnę, in quibus ipſa habitabat, ac quartam Delſę, ſeu Terrę de Abdea Succeva de Veringues intra terminos dictę Civitatis, ac certas terras laborativas in termino oppidi de Galisleo, & unum molendinum exiſtens in adeols, termino, & juriſdictione dicti oppidi, necnon octavam partem molendini de Tababor in flumine dictę Civitatis prope pontem lapidis, quę omnia per dictam Sevillam in ejus ultima voluntate ad pias cauſas relicta fuerant. Pręterea tria millia morapetinorum (4) de redditibus, quos dimiſit expreſſe in ſuo teſtamento quondam Eſtavania Ivarez incola dictę Civitatis in hęreditate de Freſnedilla, quę eſt in termino dictę Civitatis, quę quidem tria millia morapetinorum juxta voluntatem dictę Eſtvanię debebant in quolibet anno diſtribui in pias cauſas, necnon certa bona exiſtentia in loco de Heruss termino, & juriſdictione oppidi de Vexar, quę fuerant dimiſſa cuidam Hoſpitali vocato dels Calleſa, quę ſunt vineę, domus, & unum molendinum, quę omnia deperdita, & alienata erant, prefatę Domui applicavit, & ſucceſſive pro parte dictę Eleonorę Duciſſę Nobis ſimiliter expoſito, quod Prioratus S. Marci extra muros Placentię Ciſtercienſis Ordinis ſitus erat in loco inhoneſto, & in illo communiter ad plus duo Monachi dicti Ciſtercienſis Ordinis habitabant &c., & quod ipſa Eleonora Duciſſa pro divini cultus augmento, & Religionis propagatione, domum prędictam pro uſu, & habitatione Fratrum Prędicatorum hujuſmodi conſtrui facere inchoaverat opere admodum ſumptuoſo, ſperans, quod incolę prefatę Civitatis Fratrum, qui pro tempore domum ipſam inhabitarent, exemplari vita, prędicationibus verbi Dei, conſiliis, & exhortationibus ſuarum animarum ſalutem poſſent veriſimiliter uberius conſequi, ac pro ejus domus ſtructurarum perfectionem, librorum, paramentorum, & aliorum eccleſiaſticorum ornamentorum, ad divina inibi celebranda neceſſariorum emptione, magna pecunię ſumma neceſſaria exiſtebat, & his etiam habitis expediebat providere, unde Fratres prędicti inibi pro tempore vivere poſſint, quodque ſi in Prioratu prędicto, etiam ſi Conventualis foret, dignitas Prioratus, & Ordo Ciſtercienſis, omniſque dependentia ipſius Prioratus penitus ſupprimerentur, & illius bona omnia mobilia, & immobilia, etiam divino cultui dedicata ſacriſtię dictę Domus, ad licitos uſus Fratrum Prędicatorum perpetuo applicarentur; profecto exinde domus ipſa pro divinorum inibi celebratione, & aliis ejus opportunitatibus magnum ſuſcepiſſet relevamen; Nos tunc ad ipſius Eleonorę Duciſſę humilem ſupplicationem, Cantori, & Theſaurario dictę Eccleſię Placentinę, eorum propriis nominibus non expreſſis, ac prefato Martino Canonico, per alias etiam literas noſtras dedimus in mandatis, ut ipſi, vel duo, aut unus eorum, ſi, & poſtquam vocatis quorum intereſſet, de pręmiſſis eis legitime conſtaret, in Prioratu prędicto, etiam ſi Conventualis foret, ut prefertur, dignitatem Prioratus, & Ordinem Ciſtercienſem, omnemque dependentiam illius penitus, & omnino ſupprimerent, & extinguerent, illiſque ſuppreſſis, & extinctis dicti Prioratus ſtructuris, & ędificis, ac mobilia, & immobilia bona omnia, etiam divino cultui dedicata, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis ſacriſtię prefatę domus ad licitos uſus Fratrum prędictorum convertenda Apoſtolica auctoritate perpetuo applicarent, & appropriarent, ita quod ſi dictus Prioratus quovis modo vacabat, tunc, alioquin, cedente, vel decedente ipſius Prioratus tunc Priore, ſeu alias dictum Prioratum quomodolibet dimittente, liceret Priori, & Fratribus dictę Domus per ſe, vel per alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem bonorum, ſtructurarum, juriumque, & pertinentiarum prędictorum propria auctoritate apprehendere, & illorum fructus, redditus, & proventus in ipſorum Fratrum licitos uſus convertere, & perpetuo retinere, Dięceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, & nihilominus ſi tunc Prior dicti Prioratus illum ad effectum applicationis, & approbationis prędictorum reſignare vellet, reſignationem ipſam ab eo, vel procuratore ſuo, ad id ab eo ſpecialiter conſtituto, dicta auctoritate reciperent, & admitterent, eaque recepta, & admiſſa, pro tunc Priore ejuſdem Prioratus penſionem annuam, tertiam partem fructuum, redditium, & proventuum dicti Prioratus non excedentem, reſervarent, conſtituerent, & aſſignarent, quarum quidem poſteriorum literarum vigore, unus ex prefatis judicibus in illis deputatis Prioratum prędictum, cujus fructus, redditus, & proventus ducentarum librarum Turonenſium parvorum ſecundum communem ęſtimationem, valorem annuum, ut aſſeritur, non excedunt, cum ſtructuris, ędificiis, ac omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, necnon nonnullis hęreditatibus, vineis, terris, & bonis ſuperius expreſſis, auctoritate prefata applicavit, & appropriavit, prout in noſtris continetur, & Roderici Legati hujuſmodi literis deſuper confectis, ac proceſſibus ſingularum literarum vigore habitis, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, in prefato loco de Heruss ſunt certa bona, olim dimiſſa cuidam Hoſpitali dicto del Montero, inter quę erant tria millia morapetinorum pro una Capellania dicti Hoſpitalis, quę dimiſſio effectum non habuit, ſed bona ipſa fuerunt per loci ordinarium aſſignata cuidam Capellano, qui poſtmodum dicta bona in prefatam Domum tranſtulit, ipſis ad ejus vitam reſervatis, dummodo annis ſingulis in ſignum directi dominii ſolveret Priori, & Fratribus dictę domus certam pecunię quantitatem tunc expreſſam, & dilectus filius Johannes Lupi Ordinis

Prędicatorum, & Theologię Profeſſor Eremitorium S. Marci in .... Placentinę Dięceſis, ſibi dudum per bonam memoriam Johannem Epiſcopum Portuenſem, tunc S. Angeli Diaconum Cardinalem, qui etiam Eccleſię Placentinę ex conceſſione, & diſpenſatione dictę Sedis pręerat, conceſſum, cujus fructus, redditus, & proventus novem librarum Turonenſium parvorum, ſecundum ęſtimationem prędictam, valorem annuum, ut etiam aſſeritur, non excedunt, ſimiliter in pręfatam domum tranſtulerit, necnon venerabilis Frater noſter modernus Epiſcopus Placentinus Eremitorium S. Dominici de los Prędicadores prope locum de Garandilia dictę Dięceſis, cujus fructus, redditus, & proventus tredecim librarum ſimilium ſecundum ęſtimationem prędictam valorem annuum non excedunt, ordinaria auctoritate conceſſerit, pro parte dictę Eleonorę Duciſſę Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut applicationibus, approbationibus, & translationibus, & conceſſioni prędictis, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes Beneficia eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem ſecundum ęſtimationem prędictam, etiam Beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus fieret commiſſio ad partes, vocatis quorum intereſt, & idem in confirmationibus unionum voluimus obſervari, fructuum, reddituum, & proventuum dictę ſacriſtię, verum annuum valorem pręſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnes, & ſingulas applicationes, appropriationes, & translationes, & conceſſionem prędictas, ac prout illas concernunt omnia, & ſingula in literis, & Inſtrumentis deſuper confectis, contenta, & inde ſecuta quęcunque auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, ac pręſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplemuſque omnes, & ſingulos defectus tam juris, quam facti, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, necnon pro potiori cautela Eremitoria prędicta cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis pręfatę ſacriſtię in perpetuum auctoritate prędicta harum ſerie unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod liceat eiſdem Priori, & Fratribus Prioratus, ac omnium, & ſingulorum bonorum applicatorum, & appropriatorum, ac translatorum, ac Eremitoriorum hujuſmodi, per ſe, vel per alium, ſeu alios, illorum videlicet, quę poſſident, poſſeſſionem continuare, aliorum vero poſſeſſionem propria auctoritate apprehendere, & perpetuo retinere, *ordinarii loci*, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Et nihilominus eadem auctoritate ſtatuimus, ordinamus, atque decernimus, quod quam primum dicta Domus in Prioratus, & Eremitoriorum, ac bonorum applicatorum, appropriatorum, & translatorum prędictorum pacifica poſſeſſione fuerit,

Nota. ex tunc in dicta domo, & illius expenſis una Cathedra Theologię erigatur, & inſtituatur pro uno ſufficienti, & idoneo in eadem Theologia Lectore, qui non per favores aliquomodo, ſed per idoneitatem, & ſufficientiam eligatur, & ut dicta Theologis ibidem publice omnibus audire volentibus, diebus, & horis competentibus, & conſuetis legat, nec ab auditoribus aliquid exigat, vel ejus nomine per alios exigatur, ſed ſibi ex bonis domus ipſius congruum ſalarium ſtatuatur. Pręterea dilectis filiis Decano Eccleſię Placentinę, ac Salmantino, & Placentino officialibus per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel per alium, ſeu alios ad executionem literarum ſingularum prędictarum juxta illarum formam, & tenorem, quoties opus fuerit, in *omnibus*, & per omnia procedant, ac ſi literę ipſę eis ſpecialiter directę fuiſſent, necnon pręmiſſa omnia, ac pręſentes literas, & in eis contenta, ubi, & quando expedierit, ac quoties pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum fuerint ſuper hoc requiſiti, ſolemniter publicantes faciant ea omnia, & ſingula inviolabiliter obſervari; ipſoſque Priorem, & Fratres Prioratus, Eremitorii, ac omnium, & ſingulorum bonorum applicatorum, appropriatorum, & translatorum prędictorum pacifica poſſeſſione gaudere, non permittentes, ipſos ſuper Prioratu, Eremitorio, ac aliis bonis prędictis, vel eorum aliquo, ſeu aliquibus per quoſcunque quomodolibet impediri, ſeu etiam moleſtari, impedientes, & moleſtatores, necnon contradictores quoslibet, & rebelles cujuſcunque, Eccleſię, vel mundanę dignitatis, ſtatus, gradus, nobilitatis, pręeminentię, Ordinis, vel conditionis fuerint, auctoritate noſtra per cenſuram eccleſiaſticam, & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus Ordinum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis contra*riis* quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod inter*dici*, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nulli ergo &c. noſtrę approbationis, confirmationis, communitionis, ſuppletionis, unionis, annexionis, incorporationis, ſtatuti, ordinationis, Conſtitutionis, & mandati infringere, vel ei &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Quarto, Tertio decimo Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo.

1. *Placentin.*) In *Hiſpania*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Autographo *Placentino*,
3. *Eleonora Pimentel*.) De qua jam dictum fuit.
4. *Morapetinorum*.) Seu *Morabotinorum*, rectius *Marabotinorum*, ſic vocatur *Hiſpanica* quædam moneta.

F. Tho-

F. Thomam (1) de Turrecremata laudat, quod multam operam rebus Apoſtolicæ Sedis præbuerit.

Anno 1484 Die 10 Junii.

Ex Lopez Hiſtor. Ord. Prædicatorum III Parte Lib.III Cap.LXXV.

Dilecto (2) filio F. Thomę de Turrecremata Ordinis Prędicatorum.

CLXXXII.

SIXTUS PP. IV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NOn latet, quid egeris pro cauſa Camerę Sedis Apoſtolicę, quodque pro juſtitia noſtra te apud Regiam Majeſtatem interpoſueris; quamobrem non mediocriter commendamus, & cum probe noverimus, quantum tibi tribuat eadem Regia Majeſtas, te hortamur, ut quod bene cępiſti, optime perficere ſtudeas; ipſamque Regiam Majeſtatem adducere coneris, ut impedimentis, quę dilectis filiis nobilibus de Pactis, immo nobis, & Camerę noſtrę prętatis inferuntur, occurras, nec contra Divina & humana jura res Sanctę Cruciatę inaudita damnum (3) exactione vexari patiantur, cui rei, cum juſtiſſima ſit, te quem bonę conſcientię virum, ac rectorum conſiliorum apud Regiam Majeſtatem auctorem audivimus, ſperamus, omni ſtudio operam daturum, ut & tibi apud clementiam noſtram retributionem ſperare liceat (4).

1. *Thomam.*) Legenda *Conſtitutio CLXXVI.*
2. *Dilecto.*) Hæc inſcriptio deſideratur apud *Lopez*,
3. *Damnum.*) Turbatus locus.
4. *Licet.*) Dies etiam & annus deſunt. Docet tamen *Lopez* Diploma datum die *X* Junii *MCCCCLXXXIV.*

Quædam Cœnobio Taurenſi (1) legata ſolvenda jubet.

Anno 1484 Die 13 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Scholaſtico Zamoren. (3). ac Archidiacono de Ledeſma, ac Didaco de Lobera Canonico Salamantin. (4), eccleſiarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CLXXXIII.

HUmilibus &c. (5). Exhibita ſiquidem Nobis, nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris & Fratrum domus Sancti Elefonſi oppidi de Thoro (6) Ordinis Fratrum Prędicatorum Zamoren. Dięceſis, petitio continebat, quod licet olim bonę memorię Alfonſus Archiepiſcopus Iſpalen (7), condens de bonis ſibi a Deo collatis in ſua ultima voluntate teſtamentum, cum ad illud faciendum per Sedem apoſtolicam ei eſſet attributa facultas, quandam Capellam in Eccleſia dictę domus, quam in vita ſua conſtrui facere inceperat, & in qua ſuam elegit ſepulturam, de bonis per eum relictis ędificari, & perfici, ac dotari, & in ea quoque certum numerum Capellanorum, qui miſſas, & alia divina officia quotidie pro ſua & parentum ſuorum animabus celebrarent, & pro ejus dotatione, & fabrica, certos annuos redditus aſſignari mandavit, omneſque libros eccleſiaſticos ad eccleſiaſtica officia, & ornamenta dictę Capellę, ac omnes alios libros ſuos, & nonnulla alia bona dictę domui reliquerit, voluitque in eadem domo quandam librariam fieri, in qua libri prędicti eidem domui relicti conſervarentur, necnon quondam Beatrix Roderici de Fonſeca (8) mulier, ejuſdem Archiepiſcopi genitrix, etiam in ejus ultima voluntate officia, ornamenta eccleſiaſtica, & nonnulla alia bona ſimiliter eidem domui in eleemoſynam ad uſus licitos ipſorum Fratrum pie reliquerit, tamen dilectus filius nobilis vir Alfonſus de Fonſeca Dominus locorum de Cora & Alaheios, Segobien. (9) Dięceſis, in oppido de Medina del Campo Salamantin. Dięceſis commorans, prętatorum Archiepiſcopi, & Beatricis hęres, & ad quem bona tam ipſius Archiepiſcopi quam prętatę Beatricis pervenerant, voluntates Archiepiſcopi, & Beatricis prędictorum, adimplere, & pręmiſſa facere indebite, & contra juſtitiam recuſavit hactenus, & recuſat, in animę ſuę periculum, dictorumque Prioris, & Fratrum, ac domus, & Capellę prędictorum, & voluntatis relinquentium hujuſmodi pręjudicium & gravamen. Quare pro parte Prioris & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut cauſas, quas ipſi contra prętatum Alfonſum de Fonſeca ſuper pręmiſſis movere intendunt, aliquibus probis viris in partibus illis committere, illiſque eundem Alfonſum de Fonſeca, ſi ad illum citandum tutus non pateat acceſſus, per edictum publicum citandi, facultatem concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, vocatis dicto Alfonſo de Fonſeca, & aliis qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem &c. non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, qua inter alia cavetur, ne quis extra ſuam civitatem & Dięceſim &c. ſeu ne Judices &c. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus &c. quibuſcunque, ſeu ſi prętato Alfonſo de Fonſeca &c. ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi &c. Nos enim ſi ad eundem Alfonſum de Fonſeca pro citationibus ſuper pręmiſſis faciendis tutus non pateat acceſſus, volumus, & citationes hujuſmodi contra eum per edictum publicum locis publicis partibus illis vicinis de quibus veriſimilis conjecturę ſit, quod ad notitiam ipſius Alfonſi de Fonſeca pervenire valeant, affigendas faciendi, facultatem concedimus per pręſentes,

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

ac

ac volumus, quod citationes prędictę eundem Alfonſum de Fonſeca perinde arctent, ac ſi ei intimatę & inſinuatę pręſentialiter extitiſſent. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Quarto, Idibus Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

1. *Taurenſi.*) Juris eſt Provincialis *Hiſpaniæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CCV fol.57.*
3. *Zamoren.*) In *Hiſpania*.
4. *Salamantin.*) Seu *Salmanticen.*, vulgo *Salamanca*, in Regno *Caſtellæ*.
5. *Humilibus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
6. *De Thoro.*) Seu *Tauren.*, vulgo *Toro*.
7. *Iſpalen.*) *Hiſpalen.*, vulgo *Sevilla*, in *Hiſpania*.
8. *Fonſeca.*) Gens eſt antiqua & nobilis, quæ nunc etiam floret.
9. *Segobien.*) Vulgo *Segovia*, in *Hiſpania*.

Anno 1484
Die . . .

F. Thomam (1) de Turrecremata laudibus ornat.

Ex Lopez Hiſtor. Ordinis Prædicatorum III Parte Lib. III Cap. LXXV.

CLXXXIV

Dilecto (2) Filio Fratri Thomę de Turrecremata Ordinis Prędicatorum.

SIXTUS PP. IV.

Dilecte Fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

MUltis nuper apud nos venerabilis Frater noſter Rodoricus (3) Epiſcopus Portuenſis S. Romanę Eccleſię Vicecancellarius Cardinalis Valentinus laudibus te proſecutus eſt, cujus in negotio Inquiſitionis hęreticę in Caſtellę, & Leonis Regnis operam ac ſtudium ſingulare affirmat, audivimus id maxima cum jucunditate, lętatique plurimum ſumus, te, qui doctrina, & auctoritate pręditus es, ſtudium tuum ad has res convertiſſe, quę ad laudem Dei, fideique orthodoxę utilitatem cedunt. Commendamus igitur te in Domino, & te, fili dilecte, hortamur ut indefeſſo ſtudio perſeveres, cauſam Fidei juves, atque promoveas, quod ſi feceris, ut confidimus, magnam tibi apud nos gratiam comparabis (4).

1. *Thomam.*) Conſulenda *Conſtitutio CLXXVI.*
2. *Dilecto.*) Inſcriptionem Diplomatis prætermittit *Lopez*, docet tamen *Thomæ de Turrecremata* ſcriptum fuiſſe.
3. *Rodoricus.*) *Rodericus* ſcilicet *Lenzolius Borgia*, de quo dictum fuit.
4. *Comparabis.*) Deeſt quidem Pontificatus annus, *Lopez* tamen anno *MCCCCLXXXIV* Diploma datum fuiſſe, dicit.

Anno . . .
Die . . . .

Ne, mortuo Generali Magiſtro, Vicarii ab ipſo conſtituti abeant ab officio (1).

Ex Bullario (2) Caſtellani Parte II pag. 126.

CLXXXV.

SIXTUS PP. IV.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AUctoritate Apoſtolica ſtatuimus, & decernimus, ut cedente, vel decedente Generali Magiſtro Ordinis pro tempore exiſtente, Vicarii ab eo inſtituti, remanere debeant, & remaneant in Officiis ſuis, donec per Vicarium totius Ordinis, aut Succeſſorem Magiſtrum aliter fuerit ordinatum. Non obſtantibus Conſtitutionibus ejuſdem Ordinis, & quibuſcunque aliis in contrarium. Datum &c.

1. *Officio.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Bullario.*) Legitur etiam in *Conſtitutionibus* anno *MDVII* vulgatis, *numero CX.*

AP-

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati Dignitates, Sixto IV Summo Pontifice, Promotos exhibens.

ARCHIEPISCOPI.

F. Henricus Lunguardus, ex Epiſcopo *Policaſtrenſi*, ut in *Appendice* præcedenti videre eſt, Archiepiſcopus Acheruntinus, & Materanus, in Regno Neapolitano. *Ughellas Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 54 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. I pag.* 51, *ex Plodio, & Tit. LIX pag.* 84. *Cavalerius Tomo I pag.* 290 *num. CCLVI.* Anno 1471.

F. Antonius de Neapoli, Archiepiſcopus Amalphitanus, *Amalfi*, in Regno Neapolitano. *Theodorus Vallius in Compendio Virorum Illuſtrium Provinciæ Regni. Cavalerius Tomo I pag.* 281 *num. CCXIX. Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap. VI ad annum MCCCCLXXII pag.* 366. In *Theatro* autem *Dominicano Parte I Cap. IV Tit. II pag.* 51 Archipræſulem iſtum ab *Antonio de Carlenis* diſtinguendum non eſſe *Fontana* ſuſpicatur. *Antonium de Neapoli*, inquit Fontana, *Amalphitanum Archiepiſcopum multi tertio loco ponunt, quem tamen non eſſe diſtinguendum ab Antonio de Carlenis credimus ex temporis ſimultate cum prædicto.* Eidem ſententiæ ſuffragatur *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLX pag.* 820 *col. II*, ubi queritur de *Toppio* prioris opinionis patrono. Verum, quænam ſit hæc *temporis ſimultas*, ex qua infert *Fontana*, Antonium de Neapoli *non eſſe diſtinguendum ab Antonio de Carlenis*, non facile dixiſſet idem Scriptor. *Antonius* ſiquidem *de Neapoli* florebat hoc anno *MCCCCLXXII*, ut *Fontana* docet loco mox laudato ex Monumentis Dominicanis, *Antonius* vero *de Carlenis* anno *MCCCCLX* mortuus eſt, ut ex eodem *Fontana in Theatro Dominicano*, ex *Echard*, & ex aliis mox citatis videre eſt. Iſte, *Antonius* nempe *de Carlenis*, Archiepiſcopus renunciatus eſt a *Nicolao V* anno *MCCCCXLIX*, ille vero, *Antonius* nempe *de Neapoli* creatus fuit Archiepiſcopus a *Sixto IV* anno *MCCCCLXXII*. Auctor eſt ipſemet *Fontana*. Quænam eſt igitur hæc *temporis ſimultas*? Et ſane, ſi bene meminit Fontana, *Piſano Concilio interfuit* Antonius de Carlenis *adhuc in minoribus conſtitutus, & Alexandri Papæ V partes infracto animo ſuſcepit*: verbis utor ejuſdem Scriptoris. Anno *MCCCCIX* celebratum fuiſſe *Piſanum* Concilium, nemo neſcit. Qui igitur fieri poteſt, ut qui per id tempus annis circiter *XL* natus erat, cum Summi Pontificis partes infracto animo ſuſciperet in illa Synodo, nunc decrepitus, centum annorum ſenex onus Metropolis Sedis ſuſceperit? Anno 1472.

F. Julianus Naldi de Ubalduris, Archiepiſcopus Colocenſis, *Colocz*, in Hungaria. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio*, ceteriſque. Succeſſit *Johanni*, ut ex hoc Diplomate liquet. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Juliano Naldi de Ubalduris, Electo Colocen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Johanne Archiepiſcopo Colocen., regimini Eccleſiæ Colocen., præſidente, nos capientes eidem Eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ, ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes, ex tunc irritum, & inane &c. poſtmodum vero præfata Eccleſia, per obitum ejuſdem* Johannis *Epiſcopi, qui extra Romanam curiam &c., nos vacatione hujuſmodi, fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat, incommoda &c poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, in Theologia profeſſorem, in Presbyteratus ordine conſtitutum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate, morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicibus virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia, perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ, de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. volumus autem quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram & Apoſtolicæ Sedis Benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Tertio, Duodecimo Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XLVI fol.* 9. Anno 1473 Die 20 Septembris.

F. Andreas de Udine, ſeu Utinenſis, Archiepiſcopus Craynenſis. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XXXIV pag.* 71, *ex Odorico, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag.* 291 *num. CCLVIII*, ubi de *Craynenſi* Sede multum laborat, nec enim hujuſce nominis Archiepiſcopatus reperitur. Ceterum tanta non eſſet difficultas de *Craynenſi* gente. Sic enim dictos crediderim *Carnos Tauriſcos* populos Anno circiter 1477.

No-

Noricos verſus Alpes *Julias*, ubi ounc *Carniola*, vulgo *Kraiu*, Italis *Cragno*. Regio eſt *Germaniæ*, quæ *Croatiam* habet ad ortum. *Andreas* auteni oatione *Croata* fertur. De *Vdine* vero dictus videtur ex Cœnobio *Vtinenſi*, vulgo *Vdine*, cujus alumnus fuerit,

Anno 1478. F. Benedictus Armenus, Archiepiſcopus Naſcivanen., vulgo *Naſſivan*, iu Armenia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.IV Tit.IX pag.*56, *ex Regeſtis Generalis Magiſtri Ordiuis Prædicatorum, ex Galano, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag.*303 *num.CCCVIII.*

Anno circiter 1481. F. *Gregorius Wiſſkot, Archiepiſcopus. . . ., Leopoli ſepultus MCCCCLXXXI, ſed cujus loci Archiepiſcopus fuerit, non apponitur iu ſepulcrali.* Hæc totidem verbis habet *Simou Okolski in Ruſſia Florida pag.*58. Suffragatur *Cavalerius Tomo I pag.*288 *num.CCLI., eu Souegio in Anno Dominicano*.

Anno 1483. F. Baptiſta de Judicibus, vulgo *de' Giudici*, ex Epiſcopo *Vintimilienſi*, ut in præcedenti *Appendice* dictum fuit, Archiepiſcopus Amalphitanus, in Regno Neapolitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.IV Tit.II pag.*51, *ex Vghello. Cavalerius*, & *Echard* ſupra laudati.

Anno 1484. IDem Archiepiſcopus Patracenſis, *Patras*, in Achaja. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit.LXXIV, ex Vghello, Plodio, & Luſitano. Cavalerius, & Echard* ſupra laudati.

EPISCOPI.

Anno 1471 Die 18 Septembris. F. Burchardus Tuberflug, Epiſcopus Sebaſtenſis, vel in Palæſtina ſub Nazareno, vel in ora Ciliciæ, ſub Tarſenſi. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio*, ceteriſque. Succeſſit *Georgio*, ut ex hoc Diplomate videre eſt. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Burchardo Tuberflug electo Sebaſten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Georgio Epiſcopo Sebaſten., regimini Eccleſiæ Sebaſten. præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes, eu tunc irritum, & inane. Poſtmodum vero præfata Eccleſia, per obitum ejuſdem Georgii Epiſcopi qui extra Romanam Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem quam de præficiendo ipſi Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem, & Theologiæ Magiſtrum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate, morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circunſpectione aliiſque multiplicibus virtutum donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in eo qui dat gratias &c. volumus autem quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini &c tuque præter æterna &c. noſtram & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo primo, Quarto decimo Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib.X fol.*223.

Anno 1472. F. Johannes Andreas Gattus, Meſſanenſis, Epiſcopus Cephaludenſis, *Cefalu*, io Sicilia, ſub Archiepiſcopo Meſſanenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap V Tit.CLIX pag.*164, *ex Pirro in Sicilia Sacra. Cavalerius Tomo I pag.* 293 *num. CCLXIX. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLXXXIV pag.*867.

Anno 1472. F. Petrus Gara, Epiſcopus Savonenſis, in Liguria, ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi. *Vghellus in Epiſcop. Savonen. Tomo IV Italiæ Sacræ pag.*741. *Edit.II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit. DXXVII pag.*289. *Cavalerius Tomo I pag.*310 *num. CCCXXVII.*

Anno 1473. F. Inguerandus, vel Enguerardus, Seignart, vel Sugnard, ex Epiſcopo *Salubrienſi*, ut in *Appendice ad Pontificatum Pii II* dictum fuit, Epiſcopus Antiſſiodorenſis, *Auxerre*, io Burgundia, ſub Archiepiſcopo Senonenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit. XXXIX pag.*126, *ex Gallia Chriſtiana, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag.*294 *num.CCLXX. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.*22.

F. Clau-

Anno 1473 Die 29 Aprilis.

F. Claudius Rup, Epiſcopus Claudionopolitanus, ſeu Claudiopolitanus, in Aſia Minori, ſub Archiepiſcopo Seleucienſi. *Claudius Rupis* vocatur a *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit. CLXXXV pag.*173, *ex Regeſtis Joachimi Turriani Generalis Magiſtri Ordinis Prædicatorum*, & a *Cavalerio Tomo I pag.*301 *num.CCCI.* Succeſſit *Jacobo*, ut ex hoc Diplomate liquet. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Claudio Rup, Electo Claudianopolitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Jacobo Epiſcopo Claudianopolitano &c. Poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ejuſdem Jacobi Epiſcopi &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, & in Theologia Magiſtrum &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo tertio, Tertio Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib.XCII fol.*194. Eadem de re triennio poſt *Claudius* alias hujuſce tenoris literas accepit. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Claudio Rup electo Claudiopolitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Cum itaque nos hodie Eccleſiæ Claudiopolitan. tunc certo modo paſtore carenti &c. nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem quam de præficiendo ipſi Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum expreſſe profeſſum, & in Theologia Magiſtrum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos, fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ Claudiopolitan. de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Claudiopolitan. tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Volumus autem, quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas, & apud illam reſideas perſonaliter &c. Jugum igitur Domini &c. ſuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Sexto, Tertio Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib.XCVII fol.*245. In alio vero Diplomate ſic legitur. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Claudio Rup Electo Claudiopolitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Perſonam tuam nobis, & Apoſtolicæ Sedi devotam &c. Cum itaque nos hodie Eccleſiæ Claudiopolitan. tunc paſtore carenti de perſona tua, nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de eorundem Fratrum conſilio duximus auctoritate Apoſtolica providendum, præficientes te illi in Epiſcopum, & Paſtorem prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur, nos tibi qui Theologiæ Profeſſor, &, ut accepimus, Ordinis Fratrum Prædicatorum expreſſe profeſſus exiſtis, ac ex fructibus, redditibus, & proventibus menſæ tuæ Epiſcopalis Claudiopolitan., cum dicta Eccleſia in partibus infidelium conſiſtat, nihil percipis, ut te commode ſuſtentare valeas, de alicujus ſubventionis auxilio providere, præmiſſorumque intuitu ſpiritualem gratiam facere volentes, motu proprio, non ad tuam, vel alterius, pro te nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra liberalitate tibi penſionem annuam ducentarum librarum Turonen. parvorum ſuper fructibus, redditibus, & proventibus ſigilli menſæ Epiſcopalis Gebennen. tibi quoad vixeris, vel donec, & quouſque de aliquo, vel aliquibus, beneficio ſeu beneficiis, Eccleſiaſtico, vel Eccleſiaſticis per Clericos ſeculares obtineri ſolitis, quorum fructus, redditus, & proventus ad ducentas libras ſimiles aſcendant, annuatim tibi in Civitate vel Diœceſi prædictis canonice proviſum fuerit, & poſtquam munus conſecrationis de mandato noſtro tibi impenſum fuerit, vel Procuratori tuo ad id a te ſpeciale mandatum habenti per dilectum filium Magiſtrum Johannem Ludovicum de Sabaudia noſtrum & ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolicæ Sedis perpetuum adminiſtratorem Eccleſiæ Gebennen. prædictæ, & Succeſſores ſuos Epiſcopos Eccleſiæ Gebennen. pro tempore exiſtentes pro una videlicet in Domini noſtri Jeſu Chriſti, & alia medietatibus penſionis hujuſmodi in Beati Johannis Baptiſtæ nativitatum Feſtivitatibus in Civitate Gebennen. annis ſingulis integre perſolvendam, ipſius Johannis Ludovici adminiſtratoris ad hoc expreſſo accedente conſenſu, auctoritate Apoſtolica reſervavimus, conſtituimus, & aſſignavimus, decernentes eoſdem Johannem Ludovicum adminiſtratorem, & ſucceſſores ad ſolutionem penſionis hujuſmodi juxta reſervationis, conſtitutionis, & aſſignationis prædictarum tenorem fore efficaciter obligatos, ac volentes, & auctoritate prædicta ſtatuentes, quod ille ex Johanne Ludovico Adminiſtratore, & ſucceſſoribus præfatis, qui in dictis feſtivitatibus, vel ſaltem infra triginta dies ſingulas eaſdem feſtivitates eaſdem immediate ſequentes, penſionem per eum tunc debitam hujuſmodi non perſolverit cum effectu, lapſis diebus eiſdem, ingreſſu Eccleſiæ ſit penitus interdictus, ſi vero per ſex menſes dictas triginta dies immediate ſequentes ſub interdicto hujuſmodi animo, quod abſit, permanſerit indurato, ex tunc lapſis menſibus eiſdem a regimine, & adminiſtratione dictæ Eccleſiæ Gebennen. ſuſpenſus eſſe cenſeatur eo ipſo, non obſtantibus &c. quibuſcunque. Aut ſi Johanni Ludovico &c. a dicta ſit Sede indultum quod interdici &c., & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia &c. de qua, cujuſque toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis &c. Nulli ergo &c. noſtræ reſervationis, conſtitutionis, aſſignationis, decreti, ſtatuti, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Sexto, Tertio Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib.XCVII fol.*245. Aliud vero Diploma hujus tenoris eſt. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Nicolao Carrilliati Canonico Lauſauen., & Biſuntin., ac Bellicen. Officialibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Hodie motu proprio dilecto filio Claudio Rup Electo Claudiopolitan. penſionem annuam ducentarum librarum Turonen. parvorum ſuper fructibus, redditibus & proventibus ſigilli menſæ Epiſcopalis Gebennen. eidem Claudio electo, quoad viveret, etiam poſtquam munus conſecrationis de mandato noſtro ſibi impenſum foret, vel Procuratori ſuo legitimo per dilectum filium Magiſtrum Jo-*

Johannem Ludovicum de Sabaudia Notarium noſtrum, & ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolicæ Sedis perpetuum adminiſtratorem Eccleſiæ Gebennen., & Succeſſores ſuos Epiſcopos Gebennen. pro tempore exiſtentes annis ſingulis in certis terminis tunc expreſſis ſub interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſuſpenſionis a regimine, & adminiſtratione dictæ Eccleſiæ Gebennen. pœnis integre perſolvendam, ipſius Johannis Ludovici adminiſtratoris ad hoc expreſſo accedente conſenſu. per alias noſtras literas reſervavimus, conſtituimus, & aſſignavimus, prout in illis plenius continetur. Quo circa diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta motu ſimili mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi & poſtquam dictæ literæ vobis præſentatæ fuerint, per vos, vel alium, ſeu alios faciatis auctoritate noſtra penſionem prædictam Claudio electo qui ordinem Fratrum Prædicatorum expreſſe profeſſus exiſtit, vel procuratori præfatis, juxta reſervationis, conſtitutionis, aſſignationis prædictarum, ac decreti noſtri in eiſdem literis appoſiti continentiam atque formam efficaciter perſolvi, & nihilominus quemlibet ex Johanne Ludovico adminiſtratore, & ſucceſſoribus præfatis, quem hujuſmodi interdicti, & ſuſpenſionis ſententias vobis incurriſſe conſtiterit, quoties ſuper hoc pro parte dicti Claudii electi requiſiti fueritis, tam dominicis quam feſtivis diebus in Eccleſiis, dum major inibi populi multitudo ad divina convenerit, interdictum, & ſuſpenſum publice nuncietis, faciatiſque ab aliis nunciari donec Claudio electo vel procuratori præfatis de penſione hujuſmodi tunc debita fuerit integre ſatisfactum, ipſeque interdictus, & ſuſpenſus ab hujuſmodi ſententiis relaxationis beneficium meruerit obtinere. Non obſtantibus omnibus quæ in dictis literis, voluimus non obſtare, ſeu ſi Johanni Ludovico adminiſtratori, & Succeſſoribus præfatis &c. ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi &c. Contradictores &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Sexto, Quarto Non. Maii, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XCVII fol. 245.*

Anno 1473 Die 10 Novembris. F. Antonius Cole, Epiſcopus Firminianus, ſeu Rhenianus, vulgo *Fermene*, in ejuſdem nominis Inſula Maris Ægæi. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio*, ceteriſque. Succeſſit *Andreæ*, ut ex hoc Diplomate videre eſt. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Antonio Cole Electo Firminian., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſponente clementia &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Andrea Epiſcopo Firminian. regimini Eccleſiæ Firminian. præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes, ex tunc irritum, & inane &c. poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ejuſdem Andreæ Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus, intellecta ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum expreſſe profeſſum, in Sacerdotio, & ætate legitima conſtitutum, literarum ſcientia præditum, religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum decorum, in ſpiritualibus providum, & temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum, donis, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus, inſignitum direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Eccleſiæ, de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo. In illo qui dat gratias, & largitur præmia &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis, benedictionem, & gratiam exinde, uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Tertio, Quarto Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXXIV fol. 27.*

Anno 1474. F. Antonius de Bolſac, Epiſcopus Dienſis, *Die*, in Delphinatu, ſub Archiepiſcopo Viennenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXII pag. 186, ex Regeſtis Leonardi de Manſuetis Generalis Magiſtri Ordinis Prædicatorum*, in quibus ſic legitur: *Magiſter Antonius de Bolſaco, de Provincia Hollandiæ, poteſt acceptare Epiſcopatum Dien., & retinere ſibi Socium F. Henricum Antuerpien. Converſum.* Hoc anno *MCCCCLXXIV* in Comitiis Generalibus *Romæ* celebratis Magiſter Ordinis renunciatus eſt *Leonardus de Manſuetis*. Hinc emendandus *Fontanæ* librarius a quo Decretum mox tranſcriptum datum dicitur 5 *Aprilis* 1570. Ejuſdem Præſulis meminerunt *Gallia Chriſtiana* in *Epiſcopis Dien.*, & *Cavalerius Tomo I pag. 282 num. CCXXII.*

Anno 1474. F. Petrus de Zeyedino, Epiſcopus Nandor Alben., ſeu Taurunen., vulgo *Nandor Alba*, in Pannonia inferiori, ſub Archiepiſcopo Colocienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXII pag. 245, ex Regeſtis Magiſtri Ordinis Leonardi de Manſuetis*, in quibus ſic legebat Fontana. *R. P. D. F. Petrus de Zeyedino, qui de licentia Ordinis fuit factus Epiſcopus Nandoralben. habuit conceſſionem omnium gratiarum, & ſuffragiorum, & beneficiorum Ordinis, & quod poſſit eligere unum Fratrem ex Ordine, & electum mutare &c. Romæ 9. Maii 1474.* Hic etiam *Fontanæ* librarius errat, & legendum 29 *Maii*; anno ſiquidem *MCCCCLXXIV* die *IX* Maii *Leonardus de Manſuetis* Generalis Magiſter Ordinis nondum creatus erat. Hoc munere donatus eſt die *XXVIII* Maii *MCCCCLXXIV*. In eundem errorem lapſus eſt *Cavalerius Tomo I pag. 282 num. CCXXIII.*

F. Jo-

F. Johannes Tullenſis, Epiſcopus Dolen., in Britannia minori, ſub Archiepiſcopo Turonenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit.CCXXVI pag.187, ex Regeſtis Magiſtri Ordinis Leonardi de Manſuetis*, ubi ſic legere eſt: *R. D. Jo: Tullenſis, Epiſcopus Dolen. ex Ordine noſtro poteſt retinere in ſua Curia F. Guillelmum de Conventu Turonen. nepotem ſuum. Nullus inferior moleſtet. Viterbii IX Septembris MCCCCLXXIV.* Eadem habet *Cavalerius Tomo I pag.282 num.CCXXIV.* Anno 1474.

F. Johannes de Quemada, Epiſcopus Calaguritanus, *Calaborra*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Burgenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit.CXI, ex Ægidio in Theatro Eccleſiæ Calaguritan., & ex Taegio. Cavalerius Tomo I pag.287 num.CCXLIV.* Anno circiter 1474.

F. Blaſius de Albania, Epiſcopus Liſſien., vel Lyſſien., vulgo *Aleſſio*, in Albania, ad oram maris Adriatici, ſub Archiepiſcopo Dyrrachino, ſeu Durracenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXXXVIII pag. 216. ex Regeſtis Leonardi de Manſuetis* Generalis Magiſtri Ordinis in quibus ſic legitur ad annum MCCCCLXXV. *R. D. Blaſius de Albania ex noſtro Ordine Epiſcopus Liſſien. habuit licentiam aſſumendi duos ſocios, quos voluntarios invenerit, dummodo habeant licentiam a ſuis Prælatis.* Ejuſdem Præſulis mentio apud *Cavalerium Tomo I pag.283 num.CCXXVII.* Anno circiter 1474.

F. Dionyſius Bard, Epiſcopus Cyrenen., vulgo *Cerlues*, in Inſula Cypri ſub Archiepiſcopo Nicoſienſi. Hunc non norunt *Fontana, Cavalerius*, ceterique. *Guffrido*, ſeu *Syfrido Piſcatoris*, de quo dictum fuit in *Appendice ad Pontificatum Eugenii IV*, ſucceſſit *Dionyſius* noſter, ut ex hoc Diplomate conſtat. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Dionyſio Bard electo Cyrenen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. dudum ſiquidem bonæ mem. Guffrido Epiſcopo Cyrenen. regimini Eccleſiæ Cyrenen. præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ejuſdem Guffridi Epiſcopi qui extra Roman. Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum & Theologiæ profeſſorem in Sacerdotio, & ætate legitima conſtitutum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Quocirca diſcretioni tuæ &c. mandamus, quatenus impoſitum tibi a Domino onus &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ ſedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus autem quod quam primum præſentes literas habueris expeditas ad ipſam Eccleſiam accedas &c. ac extra tuas Civitatem, & Diœceſim Cyrenen. pontificalia officia nequeas exercere. Datum Romæ apud S. Petrum Anno &c. Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quarto, Septimo Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro IV fol.* 39. Anno 1474 Die 9 Maii.

F. Philibertus Vuillodi, Epiſcopus Salonen., ſub Archiepiſcopo Athenienſi, in Græcia. Omittitur a *Fontana, Cavalerio*, ceteriſque. Succeſſit *Johanni*, ut ex hoc Diplomate videre eſt. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Philiberto Vuillodi electo Salonen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ mem. Johanne Epiſcopo Salonen. regimini Eccleſiæ Salonen. præſidente nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. poſtmodum vero præfata Eccleſia, per obitum ejuſdem Johannis Epiſcopi qui extra Roman. Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ Eccleſiæ de qua nullus præter nos &c ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Prædicatorum & Theologiæ Profeſſorem ordinem ipſum expreſſe profeſſum, & in Sacerdotio, conſtitutum, cui apud nos de Religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, ac aliis multiplicium virtutum donis fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c., tuque exinde præter æternæ retributionis &c. noſtram, & dictæ Sedis Benedictionem, & gratiam conſequi merearis. Volumus autem quod poſtquam præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te transferas &c. quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim pontificalia nequeas officia exercere. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſima Quarto, Quarto Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Tertio.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro L fol.* 352. Ceterum quod *Salonenſis* hæc Sedes non illa ſit quæ ſub Archiepiſcopo *Spalatenſi* eſt in *Dalmatia*, ſed ejuſdem nominis Epiſcopatus ſit ſub *Athenienſi* Archiepiſcopo, pro- Anno 1474 Die 29 Julii.

probatur ex ſequenti Diplomate. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Philiberto electo Salonen. Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridem Eccleſiæ Salonen. per obitum bonæ memoriæ Johannis Epiſcopi Salonen. Paſtoris regimine deſtitutæ de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio auctoritate Apoſtolica duxerimus providendum præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis pleains continetur. Nos igitur ad ea quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis ſupplicationibus inclinati, tibi ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, aſcitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus vel tribus Catholicis Epiſcopis, ſimilem gratiam, & communionem habentibus, munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto prius per eum a te, noſtro, & Romanæ Eccleſiæ nomine a te fidelitatis debitæ ſolito Juramento ut juxta formam præſentibus annotatam munus prædictum auctoritate noſtra impendere libere tibi poſſit, plenam, & liberam concedimus earundem præſentium tenore facultatem. Volumus autem, & auctoritate prædicta ſtatuimus & decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum dicto Juramento idem Epiſcopus munus ipſum tibi impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ipſe quam tu ab adminiſtratione, tam ſpiritualium, quam temporalium Eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea volumus, quod formam hujuſmodi a te tunc præſtiti Juramenti nobis de verbo ad verbum, per tuas patentes literas tuo ſigillo ſignatas, per proprium nuncium quantocius deſtinare procures, quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Athenien. cui præfata Eccleſia Metropolitico jure ſubeſſe dignoſcitur, nullum in poſterum præjudicium generetur. Forma autem Juramenti quod præſtabis hæc eſt: Ego Philibertus electus Salonen. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero B. Petro, Sanctæque Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, ac Domino noſtro Domino Sixto PP. IV, ſuiſque Succeſſoribus canonice intrantibus &c. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quarto, Quarto Non. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Tertio.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XX an. III fol.* 18.

Anno 1474 Die 7 Septembris.

F. Raymundus de Pomo, Epiſcopus Bellicaſtren., *Belcaſtro*, in Calabria, ſub Archiepiſcopo Siberenen., ſeu S. Severinæ. Omittunt *Fontana*, *Cavalerius*, ceterique Scriptores Ordinis. *Ughellus* vero in *Italia Sacra* meminit quidem *Raymundi*, ſed ipſius cognomen, & quod Ordinis Prædicatorum fuerit ſilet. Errat etiam *Raymundum* anno duntaxat *MCCCCLXXVI* Epiſcopum renunciatum fuiſſe docens in *Epiſcopis Bellicaſtren. Tomo IX Italiæ Sacræ pag.* 695 *Edit. I.* Succeſſit *Obiſio*, ut in ſequenti Diplomate legitur, vel *Opizoni*, ut ſcribit Ughellus mox laudatus. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Raymundo de Pomo, Electo Bellicaſtren, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. dudum ſiquidem bonæ memoriæ Obiſio &c, Epiſcopo Bellicaſtren., regimini Eccleſiæ Bellicaſtren. præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritam, & inane &c. poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ejuſdem Obiſii Epiſcopi qui extra Romanam Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem quam de præficiendo ipſi Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, & theologiæ Magiſtrum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicibus virtutum donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Volumus autem, quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini, tuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quarto, Septimo Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. VI fol.* 195.

Anno 1475.

F. Jacobus Derslaus, Polonus, Epiſcopus Margaritenſis, ſeu Margen., vulgo *Margo*, in Mœſiæ Prima, ſeu Superiori. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit CCCLXV pag.* 225, *ex Regeſtis Leonardi de Manſuetis Generalis Magiſtri Ordinis. Cavalerius Tomo I pag.* 283 *num. CCXXVIII. Dominicus Frydrychowicz in S. Hyacintho Poloniæ Patrono &c. pag.* 221. Suffraganeum, ſeu Vicarium *Plocenſis* Epiſcopi fuiſſe *Jacobum*, docent Auctores mox laudati.

Anno 1475 Die 3 Martii.

F. Johannes Oliſin, Epiſcopus Chriſtopolitan., ſeu Chriſtianopolitan., vulgo *Leondari*, in Peloponneſo, ſub Archiepiſcopo Corinthio. Gallus, cœnobii *Tullenſis* alumnus fuit, ut ex Regeſtis *Leonardi de Manſuetis* Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum docet *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXXI pag.* 169, ubi *Johannes* noſter cognominatur *Obſini*, & Epiſcopus *Chryſopolitanus* dicitur. Addit *Cavalerius Tomo I pag.* 282 *num. CCXXVI* hanc Sedem in *Arabia majori* ſitam. Verum quod cognomento fuerit *Oliſin*, & Epiſcopus *Chriſtopolitanus*, ſeu *Chriſtianopolitanus* dicendus ſit, liquet ex ſequenti Diplomate. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Oliſin. Electo Chriſtopolitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. dudum ſiquidem bonæ memoriæ Johanne &c. Epiſ-*

Digitized by Google

Epiſcopo Chriſtopolitan. regimini Eccleſiæ Chriſtopolitan. præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ, ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes, ex tunc irritum, & inane &c. poſtmodum vero præfata Eccleſia, per obitum ejuſdem Johannis Epiſcopi, qui extra Romanam curiam &c., nos vacatione hujuſmodi, fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat, incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, & Theologiæ Magiſtrum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium, & etiam temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicibus virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. volumus autem quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram & Sedis Apoſtolicæ Benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quarto, (Stylo Bullarum) Quinto Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Ex Archivo Apoſtolico Lib. VI fol. 107.

Anno circiter 1475.

F. Johannes Bilarus, alumnus Cœnobii Bleſenſis, Epiſcopus Bethleemitanus, in Judæa, ſub Patriarcha Jeroſolymitano. Cavalerius Tomo I pag. 285 num. CCXXXVI. Fontana Monumen. Dominican. Parte I Cap. V Tit. LXXXVIII pa. 141, ex Regeſtis Leonardi de Manſuetis, in quibus ſic legebat Fontana. Magiſter F. Jo. Bilarus Conventus Bleſenſis, qui de licentia Ordinis fuit aſſumptus ad Epiſcopatum Bethleemiticum habuit gratias in copia ſignata B. Datum Romæ XXV Septembris MCCCCLXXVII. Notandum quod Epiſcopus Bethleemitanus commoratur Clameciaci, vulgo Clamecy, in Niverneuſi Provincia Galliarum Regni.

Anno 1476.

F. Luinus Brunſtorp, alumnus Halberſtatenſis Cœnobii, Epiſcopus Dionyſien., ſub Boſtrenſi Metropoli Arabiæ Petreæ Cavalerius Tomo I pag. 284 num. CCXXX. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXIV pag. 186, ex Regeſtis Leonardi de Manſuetis, in quibus ſic legebat Fontana. P. F. Luinus de Brunſtorp, Halberſtaten. Conventus, de licentia Ordinis factus Epiſcopus Dionyſien., & Saffraganeus (id eſt Vicarius) Epiſcopi Prutunen. (fortaſſis Pruthenen.) habet gratias, & ſuffragia Ordinis. Romæ XII Januarii MCCCCLXXVI.

Anno 1476 Die 26 Aprilis.

F. Orewin, Epiſcopus Mathonen., ſeu Mothonen., rectius Methonen., vulgo Modon, in Peloponneſo, ſub Archiepiſcopo Patracenſi. Is ipſe videtur Anonymus cujus meminit Cavalerius Tomo I pag. 319 num. CCCLVI, quique Montenenſis Epiſcopus dicitur ex Taegio, & Plodio. Quod Epiſcopus Methonenſis fuerit, liquet ex hoc Diplomate, in quo amanuenſis incuria legitur: Mathonen. Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Orewin Electo Mathonen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Sane Eccleſia Machonen. certo modo paſtoris ſolatio deſtituta, nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem quam de præficiendo ipſi Eccleſiæ perſonam utilem & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, ac Theologiæ Magiſtrum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicibus virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. volumus autem quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Sexto, Sexto Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CXII fol. 196.

Anno 1476 Die 24 Maii.

F. Johannes de Ilten, Epiſcopus Dionyſien., ſeu Dionyſiopolis, vulgo Varne, in Bulgaria, ſub Iuadrienſi Metropoli. Ermannus cognominatur a Cavalerio Tomo I pag. 286 num. CCXLI. Ipſius etiam meminit Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXIV pag. 186, ubi hæc habet: Johannes Epiſcopus Dionyſien. a Sixto Papa IV inſtitutus acceptatur ad gratias Ordinis XXII Aprilis anno MCCCCLXXVIII a Magiſtro Generali Leonardo de Manſuetis. Ex Regeſtis ejuſdem Leonardi Generalis. Hæc ille qui Johannem noſtrum Luino Brunſtorp ſucceſſiſſe putat. Sed notandum quod ejuſdem nominis duo ſunt Epiſcopatus, unus in Arabia, alter in Bulgaria, illi præfuit Luinus, iſti Johannes, qui cognomento fuit de Ilten, ut ex his Diplomatibus conſtat. Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Ilten electo Dionyſien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Ex ſuſceptæ ſervitutis officio &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Arnoldo Epiſcopo Dionyſien. regimini Eccleſiæ Dionyſien. præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. Decernentes, ex tunc irritum, & ina-

inane &c. poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ejuſdem Arnoldi Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c ne longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem, in Sacerdotio, & ætate legitima conſtitutum, ac de legitimo matrimonio procreatum, cui de religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circunſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſia de ipſorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. volumus autem quod quam primum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Sexto, Nono Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XCVI fol.* 3. Aliud autem hujus tenoris eſt. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Ilten. Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori electo Dionyſien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridem Eccleſiæ Dionyſien. Paſtoris regimini deſtitutæ de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica, duximus providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Nos ad ea, quæ ad tuæ commoditatis cedere valeant augmentum favorabiliter intendentes, tuis ſupplicationibus inclinati, tibi, ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, aſcitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus, vel tribus catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam, & communionem habentibus, munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut, recepto prius per eum noſtro, & Roman. Eccleſiæ nomine a te fidelitatis debitæ ſolito juramento, juxta formam præſentibus annotatam, munus prædictum auctoritate noſtra impendere libere tibi poſſit plenam, & liberam concedimus earundem præſentium tenore facultatem. Volumus autem, & eadem auctoritate ſtatuimus, ac decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum dicto juramento, dictus Epiſcopus munus ipſum tibi impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ipſe, quam tu ab adminiſtratione tam ſpiritualium, quam temporalium Eccleſiarum univerſarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea volumus, quod forma hujuſmodi a te præſtiti juramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas, tuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium quantocius deſtinare procures, & quod per hoc venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Iaadrien., cui præfata Eccleſia Metropolitico jure ſubeſſe dignoſcitur, nullum in poſterum prejudicium generetur Forma autem juramenti, quod præſtabis hæc eſt. Ego Johannes electus Donyſien. ab hac hora in antea fidelis & obediens ero Beato Petro, Sanctæque Roman. Apoſtolicæ Eccleſiæ, ac Domino noſtro Sixto PP. IV, ſuiſque Succeſſoribus canonice intrantibus &c. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno &c. Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Sexto, Octavo Kal. Junii &c. Anno Quinto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XCVI fol.* 3.

Anno 1476 Die 17 Julii.

F. Dominicus de Ponte, Epiſcopus Sidonien., in Phœnicia, ſub Archiepiſcopo Tyrio. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio*, ceteriſque. Ipſius mentio variis in Diplomatibus. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Dominico Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, electo Sidonien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridem eccleſiæ Sidonien Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona tua, Nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica duximus providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur, Nos igitur ad ea, quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes, tuis ſupplicationibus inclinati, tibi, ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite, gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, acсitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus, vel tribus Catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam, & communionem habentibus, munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut, recepto prius per eum a se fidelitatis debitæ ſolito juramento juxta formam præſentibus annotatam, munus prædictum impendere auctoritate noſtra libere tibi poſſit, plenam, & liberam concedimus earundem præſentium tenore facultatem Volumus autem & auctoritate prædicta ſtatuimus, & decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum dicto juramento, idem Epiſcopus munus ipſum tibi impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ipſe, quam tu ab adminiſtratione tam ſpiritualium, quam temporalium Eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea volumus, quod formam a te tunc præſtiti juramenti Nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium quantocius deſtinare procures, quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Taren.* (Tyrio), *cui præfata Eccleſia Metropolitico jure ſubeſſe dignoſcitur, nullum in poſterum præjudicium generetur. Forma autem juramenti, quod præſtabis hæc eſt. Ego Dominicus Electus Sidonien. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro, Sanctæque Apoſtolicæ Roman. Eccleſiæ, & Domino noſtro Domino Sixto PP. IV, ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus &c Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Narniæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Sexto, Sexto decimo Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quinto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XCII fol.* 200. Eadem de re legenda ſequens Conſtitutio. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Dominico de Ponte electo Sydonien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Sane Eccleſia Sydonien. certo modo vacante, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſiæ verum, & ultimum vacationis modum præſentibus pro expreſſo habentes poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam*

Digitized by Google

etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, in Sacerdotio, & ætate legitima conſtitutum, cui apud nos de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicibus virtutum donis fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, præfatæ Eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio Apoſtolica auctoritate providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ejuſdem Eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. confidentes &c. jugum igitur Domini &c. prompta devotione ſuſcipiens &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram & Apoſtolicæ Sedis Benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. volumus autem quod poſtquam præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Sidonien. Pontificalia officia nequeas exercere. Datum Narniæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Sexto, pridie idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Ex Archivo Apoſtolico Lib. XCII fol. 199. Huc etiam ſpectat ſequens Diploma. Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Dominico Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, electo Sidonien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Perſonam tuam nobis, & Apoſtolicæ Sedi devotam &c. Hodie ſiquidem Eccleſiæ Sidonien. tunc Paſtoris ſolatio deſtitutæ de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, &; Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ejuſdem Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu tempore proviſionis, & præfectionis earundem Monaſterium Sancti Severi de Roſtagno, & S. Georgii de Medrievillo, ac Sancti Martini de Danmarerio Prioratus Ordinis S. Benedicti Tarinen. (Turonen.) & Andegaven. Diœceſum in commendam ex conceſſione, & diſpenſatione dictæ Sedis obtineres, prout obtines de præſenti, nos attendentes quod præfata Eccleſia in partibus infidelium conſiſtit, ac tibi, ut juxta Pontificalis dignitatis exigentiam ſtatum tuum decentius tenere valeas, de alicujus ſubventionis auxilio providere, teque favore proſequi gratioſo volentes, motu proprio non ad tuam, vel alterius pro te nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam ſed de noſtra mera liberalitate, tibi, ut etiam poſtquam munus conſecrationis tibi impenſum, aut tempus de conſecrandis Epiſcopis a Canonibus definitum lapſum fuerit, Monaſterium . . . cujus ad Centum, & triginta tres florenos auri de Camera in libris Cameræ taxati reperiuntur, & Sancti Georgii qui a Sanctæ Trinitatis de Vindocino Carnoten. Diœceſis, ac Sancti Martini, qui Majoris Monaſterii prope Turones dicti Ordinis Monaſteriis dependent, quique Conventuales non ſunt, etiamſi ad illos conſueverunt per electionem aſſumi, eiſque cura immineat animarum, ac quorum ducentorum ſcutorum novorum auri de Francia fructus, redditus, & proventus, ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, Prioratum prædictum quem per proviſionem, & præfectionem, aut muneris impenſionem, ſeu lapſum temporis hujuſmodi minime vacare, ac commendas prædictas nullatenus ceſſare decernimus, in eandem Commendam, una cum dicta Eccleſia quoad vixeris retinere, necnon debitis, & conſuetis Monaſterii Sancti Severi, & Prioratuum prædictorum, ac dilectorum filiorum Conventus ipſius Monaſterii Sancti Severi ſupportatis oneribus de reſiduis illorum fructibus, redditibus, proventibus, ſicuti veri Monaſterii Sancti Severi Abbates, & Prioratuum prædictorum Priores qui pro tempore fuerunt de illis diſponere, & ordinare potuerunt, ſeu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcunque bonorum immobilium Monaſterii Sancti Severi, & Prioratuum eorundem tibi penitus interdicta, diſponere, & ordinare libere, & licite valeas, Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ concedimus, & indulgemus, proviſo quod propterea dictum Monaſterium Sancti Severi, in ſpiritualibus, & temporalibus detrimenta non ſuſtineat, ac cultus divinus, & ſolitus Monachorum, & Miniſtrorum numerus in eo nullatenus minuatur, ac præfati Prioratus debitis non fraudentur obſequiis &c. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Narniæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Sexto, pridie idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Ex Archivo Apoſtolico Lib. XCII fol. 201. Ejuſdem tandem mentio in hac Conſtitutione. Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Dominico Ordinis Fratrum Prædicatorum Electo Sidonien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus &c. hodie ſiquidem Eccleſiæ Sidonien. tunc Paſtoris ſolatio deſtitutæ de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio duximus auctoritate Apoſtolica providendum, præficiendo te eidem in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis, in quibus voluimus, quod quam primum literas ipſas haberes expeditas ad præfatam Eccleſiam accederes, & perſonaliter apud illam reſideres, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Sidonien. Pontificalia officia exercere nequires, plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad præfatam Eccleſiam, quæ in partibus infidelium conſiſtit, abſque perſonali periculo commode nequeas te conferre, & apud eandem perſonaliter reſidere, Nos volentes te, præmiſſorum intuitu, favoribus proſequi gratioſis tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, quod ad Eccleſiam prædictam accedere, & apud eam perſonaliter reſidere minime tenearis, quodque poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis, in Civitate, & Diœceſi Veneten. duntaxat, dummodo ad id Epiſcopi Veneten. pro tempore exiſtentis expreſſus accedat aſſenſus, & de ſpeciali ipſius licentia hujuſmodi Pontificalia officia exercere libere, & licite valeas, voluntate prædicta, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis &c. nequaquam obſtan., auctoritate Apoſtolica tenore præſentium de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Narniæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Sexto, Pridie Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Ex Archivo Apoſtolico Lib. XCII fol. 200.

Anno 1476 Die 23 Septembris.

F. Petrus Ranzanus, Epiſcopus Lucerinus, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Ughellus in Epiſcop. Lucerin. Tomo VIII Italiæ Sacræ pag.322. Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit.CCCXLVIII pag.200. Cavalerius Tomo I pag.303 num.CCCIX. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCXCII pag.876.* Natione *Siculus*, patria *Panormitanus* fuit *Ranzanus*, vir ævo ſuo & poſteris eruditione, pietate, titulis, rebuſque præclare geſtis inſignis ut loquitur *Echard*. Varios Scriptores laudat, qui *Petri* laudes celebrant. In hoc autem emendandi *Cavalerius*, *Ughellus*, *Echard*, *Fontana*, ceterique, quod *Petrum* anno duntaxat *MCCCCLXXVIII* Epiſcopum *Lucerinum* conſtituunt. Hac ſane dignitate *Petrus* auctus eſt anno *MCCCCLXXVI*, ut ex ſequenti Diplomate liquet. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Ranzano Electo Lucerin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Ladislao Epiſcopo Lucerin. &c. poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ejuſdem Ladislai Epiſcopi &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, & Theologiæ Magiſtrum &c. Datum Fulginei Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Sexto, Nono Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Sexto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib.CXII fol 4.*

Anno circiter 1476.

F. Hermannus, vel Germanus, de Candore, Epiſcopus Tiberiaden., in Palæſtina, ſub Archiepiſcopo Nazareno. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXXXVII pag. 308*, ex Regeſtis *Leonardi de Manſuetis* Ordinis Prædicatorum Magiſtri Generalis, in quibus ſic legitur: *R. D. Hermanno de Candore ex noſtro Ordine Epiſcopo Tiberiadenſi, & F. Petro Licentiato Conventus Skenningen. committitur, ut judicent in cauſa Pauli Jo. de Dacia. Datum Romæ II Martii MCCCCLXXVI. Cavalerius Tomo I pag.284 num.CCXXXI.*

Anno circiter 1476.

F. Franciſcus de Magiſtro, vel de Magno, ut a nonnullis cognominatur, Epiſcopus Hipponenſis; *Bona*, in Africa. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.CCXCI pag.203, ex Pirro in Sicilia Sacra. Cavalerius Tomo I pag.306 num.CCCXVI.*

Anno 1477 Die 31 Januarii.

F. Johannes Tidelu, Epiſcopus Miſſinen., ſeu Miſinen., vulgo *Miſinl*, in Thracia, ſub Archiepiſcopo Hadrianopolitano. Hunc Eccleſiæ *Miſnenſi*, quæ Sedes Epiſcopalis eſt in *Saxonia Superiori*, ſub Archiepiſcopo *Magdeburgenſi*, præficiunt *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.CCCXCIII pag.238*, & *Cavalerius Tomo I pag 286 num.CCXLII.* Verum quod Eccleſiæ *Miſſinenſi* jus dixerit, liquet ex hoc Diplomate. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Tidelu, Electo Miſſinen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem Petro Epiſcopo Miſſinen. regimini Eccleſiæ Miſſinen. præſidente &c. Poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ejuſdem Petri &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem. & Theologiæ Magiſtrum &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Sexto* (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCLXXVII) *Pridie Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto*. Ex Archivo Apoſtolico *Libro CIX fol 27* Huc etiam ſpectant Regeſta Generalis Magiſtri *Leonardi de Manſuetis*. Sic in ipſis legebat *Fontana* mox laudatus. *R. D. Jo. ex Ordine noſtro Epiſcopus Miſſinen. recipitur ad beneficia Ordinis. Dat. Perusii XXII Aprilis MCCCCLXXVIII.*

Anno 1477 Die 16 Aprilis.

F. Johannes Robillerius, Epiſcopus Aveneten., vulgo *Aveo*, in Thracia. Nunc Metropolis eſt; Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio*, ceteriſque. Succeſſit *Petro*, ut ex hoc Diplomate liquet. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Robillerio, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. dudum ſiquidem bonæ mem. Petro Epiſcopo Aveneten. regimini Eccleſiæ Aveneten. præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ejuſdem Petri Epiſcopi qui extra Roman. Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem quam de præficiendo ipſi Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, & Theologiæ Magiſtrum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicibus virtutum donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Volumus autem quod quam primum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno &c. Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Sexto, Decimo Sexto Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Sexto*. Ex Archivo Apoſtolico *Libro CIX fol. 51.*

F. Al-

F. Alfonſus de Burgos, Epiſcopus Cordubenſis, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Toletano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCII pag. 179, ex Fernandez. Cavalerius Tomo I pag.* 308 *num. CCCXXII.* Ad Epiſcopatum *Concheuſem* tranſlatus fuit, ut in hac *Appendice* dicetur. Quo vero tempore jus Eccleſiæ *Cordubenſi* dixerit, habetur ex ſequenti Diplomate. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Alfonſo de Burgos Ordinis Prædicatorum Profeſſori, Magiſtro in Theologia, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolicæ Sedis gratioſa benignitas &c. Cum itaque nos hodie intendamus de perſona tua Eccleſiæ Corduben. paſtore carenti providere, Nos ne proviſio hujuſmodi, & ſingulæ literæ deſuper conficiendæ poſſint prætextu quarumvis cenſurarum Eccleſiaſticarum, quibus forſan ligatus aut innodatus exiſteres quomodolibet impugnari, te a quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, & inflictis, quibus forſan quomodolibet ligatus, aut irretitus exiſtis quoad hoc duntaxat, ut proviſio hujuſmodi, & ſingulæ literæ deſuper conficiendæ ſortiantur effectum, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium abſolvimus, & abſolutum fore cenſemus. Nulli ergo &c. noſtræ abſolutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Septimo, Pridie Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CX fol.* 227. Anno 1477 Die 30 Aprilis.

F. Gutterius de Quinnones, alias de Leon, Epiſcopus Libarien., ſub Archiepiſcopo Achelicenſi, Anno 1477. ſeu Anchialenſi, vulgo *Achelo*, & *Anchialo*, in Thracia. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio*, ceteriſque. Ipſius mentio variis in Diplomatibus mox tranſcribendis. Ubi notandum, quod *Libarienſis* Sedes dicitur eſſe ſub Metropoli *Aquiſicenſi*. Quæ vox corrupta videtur, & legendum: *Achelicenſi*, uti mox dictum fuit. Hujus autem tenoris ſunt Pontificiæ conſtitutiones. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Gutterio de Quinnones, alias de Leon, Electo Libarien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Cum itaque Eccleſia Libarien. per obitum illius ultimi Epiſcopi ſit Paſtoris ſolatio deſtituta, & tanto tempore vacaverit quod de illius ultimæ vacationis modo certa notitia non habetur, nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, illius ultimæ vacationis modum pro expreſſo habentes, & ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ celerem, & felicem, ne ipſa Eccleſia longioris vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum & Theologiæ profeſſorem, in Presbyteratus ordine conſtitutum, cui apud nos de vitæ munditia, ac morum honeſtate, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de eorundem Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. volumus autem quod quam primum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Septimo, Quarto Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib CLXVII fol.* 216. Ejuſdem meminit ſequens Diploma. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Gutterio Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori, electo Libarien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridem Eccleſiæ Libarien. Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona tua, Nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica duximus providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur, Nos igitur ad ea, quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes, tuis ſupplicationibus inclinati, tibi, ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite, gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, aſſitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus, vel tribus, Catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam, & communionem habentibus, munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut, recepto prius per eum noſtro, & Romanæ Eccleſiæ nomine a te fidelitatis debitæ ſolito juramento juxta formam præſentibus annotatam, munus prædictum auctoritate noſtra impendere libere tibi poſſit, plenam, & liberam concedimus earundem præſentium tenore facultatem. Volumus autem, & auctoritate prædicta ſtatuimus, & decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum dicto juramento, idem Epiſcopus munus ipſum impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ipſe, quam tu ab adminiſtratione tam ſpiritualium, quam temporalium Eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea volumus, quod formam hujuſmodi a te præſtiti juramenti Nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium quantocitius deſtinare procures, quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Aquiſicen. cui præfata Eccleſia Metropolitico jure ſubeſſe dignoſcitur, nullum in poſterum præjudicium generetur. Forma autem juramenti, quod præſtabis hæc eſt. Ego Gutterius Electus Libarien. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro, Sanctæque Apoſtolicæ Roman. Eccleſiæ, & Domino noſtro Domino Sixto PP. IV. ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus &c. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Septimo, Tertio Kal. Septembris* (Legerem Decembris) *Pontificatus noſtri Anno Septimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CLXVII fol.* 216. De eodem conſulendum ſequens Diploma. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Gutterio de Quinnones, alias de Leon Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. De ſtatu perſonarum quarumlibet per nos Eccleſiis præficiendarum &c. Cum itaque nos hodie intendamus Eccleſiæ Libarien. de perſona tua providere, teque illi præficere in Epiſcopum, & Paſtorem, nos ne proviſio, & præfectio prædictæ, & ſingulæ deſuper conficiendæ literæ poſſint prætextu quarumvis cenſurarum*

Eccleſiaſticarum quibus forſan ligatus exiſteres quomodolibet impugnari , te ab omnibus , & ſingulis excommunicationis , ſuſpenſionis , & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis , cenſuris , & pœnis, a jure , vel ab homine quavis occaſione , vel cauſa latis , & inflictis quibus forſan quomodolibet ligatus exiſtis quoad hoc duntaxat , ut proviſio, & præfectio prædictæ , & ſingulæ literæ deſuper conficiendæ ſortiantur effectum , auctoritate Apoſtolica tenore præſentium abſolvimus , & abſolutum fore cenſemus , non obſtantibus conſtitutionibus , & ordinationibus Apoſtolicis , ac dictæ Eccleſiæ Juramento, confirmatione Apoſtolica , vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis , & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque . Nulli ergo &c. noſtræ abſolutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Septimo , Quarto Kal. Decembris , Pontificatus noſtri Anno Septimo . Ex Archivo Apoſtolico *Lib.CLXVII fol.217.*

Anno 1477. F. Bernardus Lazaren. , Epiſcopus Veſtanen., ſeu Veſtanus , vulgo *Veſti* , in Regno Neapolitano , ſub Archiepiſcopo Sipontino . *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXXXI pag. 321* , ex *Ughello in Italia Sacra* , & ex Regeſtis *Leonardi de Manſuetis* Magiſtri Generalis Ordinis , in quibus ſic legitur : *R. D. Magiſter Bernardus Lazaren. de Sicilia , Conventus Capuani , Epiſcopus Veſtanenſis aſſumptus de licentia Ordinis habet ſuffragia in vita , & in morte , & teneat ad uſum ſuum quandiu vixerit libros & res ſuas . Romæ XXVII Septembris MCCCCLXXVII. Cavalerius Tomo I pag.*286 *num.CCXXXVIII.*

Anno 1478. F. Guilielmus Turin , Epiſcopus Hieropolitan., ſeu Hierapolitan., vel in Phrygia , ſub Archiepiſcopo Synadenſi , vel in Arabia , ſub Archiepiſcopo Petracenſi . Omittitur a *Fontana* , *Cavalerio* , ceteriſque . Ipſius mentio in ſequentibus Diplomatibus . *Sixtus Epiſcopus , Servus Servorum Dei , dilecto filio Gulielmo Turin. electo Hieropolitan. &c. Poſtmodum vero præfata Eccleſia Hieropolitan. certo modo vacan. , nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta , ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem , quam de præficiendo ipſi Eccleſiæ perſonam utilem , & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem , demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum & Theologiæ Profeſſorem , cui de Religionis zelo , vitæ munditia , honeſtate morum , ſpiritualium providentia , & temporalium circumſpectione , aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur , direximus oculos noſtræ mentis , quibus omnibus debita meditatione penſatis , de perſona tua, nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta , providemus , teque illi præficimus in Epiſcopum , & Paſtorem , curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus , & temporalibus plenarie committendo, In illo, qui dat gratias &c. Volumus autem quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini &c. , tuque præter æternæ &c. noſtram , & Apoſtolicæ Sedis Benedictionem . & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Brachiani , Sutrin. Diœceſis, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Octavo, Pridie Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Octavo .* Ex Archivo Apoſtolico *Libro CXXXII fol.* 36. De eodem *Guillelmo* loquitur ſequens Diploma. *Sixtus Epiſcopus , Servus Servorum Dei , dilecto filio Guillelmo Electo Hieropolitan. , Salutem . & Apoſtolicam Benedictionem . Perſonam tuam nobis , & Apoſtolicæ Sedi devotam &c. hinc eſt quod nos , tibi de cujus perſona nuper Eccleſiæ Hieropolitan. in partibus Infidelium exiſtenti , tunc paſtoris ſolatio deſtitutæ de Fratrum noſtrorum conſilio Apoſtolica auctoritate per quaſdam providimus, teque illi præfecimus in Epiſcopum. & Paſtorem , ac tibi per alias noſtras literas penſionem annuam ducentorum florenorum auri de Camera , ſuper fructibus , redditibus , & proventibus Menſæ Archiepiſcopalis Lugdunen. per dilectum filium Carolum tituli Sancti Martini in Montibus Presbyterum Cardinalem , qui Eccleſiæ Lugdunen. ex conceſſione Apoſtolica præeſt , & Succeſſores ſuos Archiepiſcopos Lugdunen., pro tempore exiſtentes in certis terminis , & locis tunc expreſſis annis ſinguli. perſolvendam de ipſius Caroli Cardinalis expreſſo conſenſu reſervavimus conſtituimus , & aſſignavimus , prout in dictis literis plenius continetur, & qui in Theologia Magiſter , ac, ut aſſeris, Ordinis Fratrum Prædicatorum expreſſe profeſſus exiſtis , ut ſtatum tuum juxta Epiſcopalis dignitatis decentiam melius tenere valeas, de alicujus ſubventionis auxilio providere , teque præmiſſorum intuitu gratioſo favore proſequi volentes , ac te a quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis , cenſuris , & pœnis , a Jure , vel ab homine , quavis occaſione , vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis , ad effectum præſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes , & abſolutum fore cenſentes , ac menſæ tuæ Epiſcopali Hieropolitan. fructuum , redditunm , & proventuum , verum valorem annuum præſentibus pro expreſſo habentes , tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati , tecum , ut quæcunque duo Secularia , vel quorumvis etiam Cluniacen. Ordinum regularia beneficia Eccleſiaſtica, etiamſi ſecularia, Parochiales Eccleſiæ , vel earum perpetuæ Vicariæ , aut dignitates , perſonatus, adminiſtrationes, vel officia in Cathedralibus, etiam Metropolitan., vel Collegiatis Eccleſiis, & dignitates ipſæ in Cathedralibus etiam Metropolitan. poſt principales majores , aut Collegiatis Eccleſiis hujuſmodi principales, regularia vero, Prioratus, Præpoſituræ, dignitates, perſonatus adminiſtrationes, vel officia, & Prioratus Præpoſituræ, aut dignitates Conventuales, ſeu officia hujuſmodi clauſtralia fuerint, & ad illos, illas, vel illa etiam regularia beneficia hujuſmodi conſueverint qui per electionem aſſumi, ſi tibi alias canonice conferantur, aut eligaris, præſenteris, vel aſſumaris ad illa, & inſtituaris in eis, recipere , & una cum dicta Hieropolitan. vel alia Cathedrali, etiam Metropolitan. Eccleſia ad quam te forſan conferre contigerit, in commendam quoad vixeris retinere illaſque ſimul vel ſucceſſive, quoties tibi placuerit, dimittere, & commendæ hujuſmodi cedere, ac loco dimiſſi, vel dimiſſorum, aliud, vel alia ſimile, vel diſſimile, ſimilia, vel diſſimilia, beneficium, ſeu beneficia Eccleſiaſticum, vel Eccleſiaſtica, duo duntaxat ſecularia, vel regularia, ſimiliter recipere, & etiam quoad vixeris, ut præfertur, in eandem Commendam etiam retinere. Ita quod debitis, & conſuetis ipſorum beneficiorum ſupportatis oneribus de reſiduis illorum fructibus , redditibus , & proventibus diſponere, & ordinare . ſicuti illa obtinentes de illis diſponere, & ordinare*

potue-

potuerint, ſeu etiam debuerunt. Alienationes tamen bonorum &c. tibi penitus interdicta, libere, & licite valeas, quod ejuſdem Ordinis Fratrum Prædicatorum, ut præfertur, profeſſor exiſtas, ac quibuſvis conſtitutionibus &c., & indultis Apoſtolicis dicto Cluniacen Ordini conceſſis &c. quibus inter alia expreſſe caveri dicitur, quod beneficia ipſius Cluniacen. Ordinis nullis niſi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus &c. ceteriſque &c. nequaquam obſtantibus auctoritate Apoſtolica &c. de ſpecialis dono gratiæ diſpenſamus &c. Proviſo, quod beneficia hujuſmodi debitis propterea non fraudentur &c. Nulli ergo &c. noſtræ abſolutionis, diſpenſationis, & derogationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Octavo, Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Octavo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXXXIII fol. 99.* Huc etiam pertinet hæc alia Conſtitutio. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Guillelmo Electo Hieropolitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Cum itaque nos hodie Eccleſiæ Hieropolitan. tunc certo modo paſtore carenti nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes, ex tunc irritum, & inane &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum expreſſe profeſſum, & in Sacerdotio, conſtitutum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, nobis, & Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Eccleſiæ, de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Hieropolitan. tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo. In illo qui dat gratias, &c. Volumus autem quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis, benedictionem, & gratiam exinde, uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Octavo, Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXVII fol. 55.*

F. Lazarus de Recanellis, Fugubinus, Epiſcopus Urbinas, in ejuſdem nominis Ducatu Italiæ. Nunc Metropolis eſt. *Ughellus in Epiſcopis Urbinaten. Tomo II Italiæ Sacræ pag. 795 Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. CXV pag. 111. Cavalerius Tomo I pag. 297 num. CCLXXXII.* Anno 1478.

F. Gaſpar Chincilla, Epiſcopus Byblien., vulgo *Gibel*, *Giblet*, *& Zibellet*, in Phœnicia, ſub Antiocheno Patriarcha. Suffraganeus, ſeu Vicarius ſui Epiſcopi Cordubenſis. *Cavalerius Tomo I pag. 311 num. CCCXXVIII, & CCCXXIX, ex Lopez, & Sovegio.* Anno 1478.

F. Andreas Acraſcede, Epiſcopus Citeren., ſeu Cithereo., & Cytheren., vulgo *Cithira*, in Inſula Cypro, ſub Archiepiſcopo Conſtantiæ, ſeu Salaminæ. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio*, ceteriſque. Quod Epiſcopus fuerit, liquet ex hoc Diplomate. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Andreæ Acraſcede Electo Citeren., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Sane Eccleſia Citeren. certo modo Paſtoris ſolatio deſtituta nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ac verum, & ultimum dictæ Eccleſiæ vacationis modum præſentibus pro expreſſo habentes, necnon ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem, ne Eccleſia ipſa longioris vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Theologiæ, & Ordinis Prædicatorum profeſſorem Ordinem ipſum expreſſe profeſſum, in Sacerdotio, ac legitima ætate conſtitutum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, ac aliis multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de ipſorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo. In illo qui dat gratias & largitur præmia &c. Volumus autem, quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas, &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Nono, Sexto decimo Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Octavo*, Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXXXVI fol. 20.* Anno 1479 Die 16 Junii.

F. Petrus Serambonus, vel Strambonus, ut ab *Ughello* mox laudando cognominatur, Epiſcopus Lucerinus, ſeu Nucerinus, vulgo *Nocera*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Salernitano. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio*, ceteriſque paſſim. *Ughellus* vero meminit quidem in *Epiſcopis Nucerinis Tomo VII Italiæ Sacræ pag. 743 Edit. I*, ſed primo ſilet, quod Ordinis Prædicatorum alumnus fuerit, ſecundo, anno duntaxat *MCCCCLXXX* præficit ipſum *Nucerinæ* Sedi, tertio, cenſet ipſum cuidam *Johanni* ſucceſſiſſe. Et in his omnibus emendandus, uti liquet ex ſequenti Diplomate. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Serambono Electo Lucerin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ mem. Petro Epiſcopo Lucerin. regimini Eccleſiæ Lucerin.* Anno 1479 Die 16 Junii.

præſidente, Nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ejuſdem Petri, qui extra Roman. Curiam &c. Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. de qua nullus præter Nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſorem, cui apud nos de vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circunſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. jugum igitur Domini &c. quo circa diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus tibi a Domino impoſitum onus regiminis dictæ Eccleſiæ ſuſcipiens reverenter &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram & Apoſtolicæ Sedis Benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millieſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Nono, Sexto decimo Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Octavo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXXXVI fol. 16.*

Anno 1480. **F.** Alfonſus de Burgos, ex Epiſcopo *Cordubenſi*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Concheoſis, *Cuença*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Toletano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXCV pag. 178, ex Fernandez. Cavalerius Tomo I pag. 308 num. CCCXXII.*

IDem ex Epiſcopo *Conchenſi*, Epiſcopus Palentinus, in Hiſpania ſub Archiepiſcopo Burgenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXLVII pag 258, ex Olmeda, ex Ægidio, & ex Alfonſi Epitaphio,* quod tranſcribit. *Cavalerius Tomo I pag. 308 num. CCCXXII.*

Anno 1480. **F.** Guillelmus de Sagona, Epiſcopus Sagonenſis, in Corſica, ſub Archiepiſcopo Piſano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DIII pag. 281, ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag. 304 num. CCCX, ex Regeſtis Salvi Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum.*

Anno circiter 1480. **F.** Nicolaus Danus, Epiſcopus Ottonien., vulgo *Otthen.*, & *Odenſee*, in Dania, ſub Archiepiſcopo Lundenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXXXVII pag. 252, ex Plodio, & Fernandez. Cavalerius Tomo I pag. 301 num. CCXCIX.*

Anno circiter 1480. **F.** Rodulphus, Epiſcopus Vicenſis, *Vich*, in Catalonia, ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXXXII pag. 322, ex Fernandez in Epiſcop. Hiſpanis. Cavalerius Tomo I pag. 297 num. CCLXXXIII.*

Anno 1480. **F.** Michael Belga, Epiſcopus Cameracen., *Cambray*, in Belgio. Nunc Metropolis eſt. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XXI pag. 64, ex Fernandez, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag.* 286 *num. CCL.*

Anno circiter 1480. **F.** Salomon Cardona, Epiſcopus Nimoſien., in Inſula Cypro, ſub Archiepiſcopo Nicoſienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXXIII pag. 248, ex Fernandez, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 287 num. CCXLVI.*

Anno circiter 1480. **F.** Offingus Germanus, Epiſcopus Bambergenſis, in Franconiæ circulo, ſub Archiepiſcopo Moguntino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXXIV pag. 137, ex Fernandez, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 287 num. CCXLV.*

Anno circiter 1480. **F.** Jacobus de Bydgoſzcza, e gente Zaremborum, ex Provinciali Poloniæ, Epiſcopus Laudicenus, in Syria, ſub Archiepiſcopo Damaſceno. Nunc Metropolis eſt. Suffraganeus, ſeu Vicarius, Epiſcopi Cracovienſis fuit Jacobus. *Dominicus Frydrychowiez in Sancto Hyacintho Poloniæ Patrono &c. pag. 218. Cavalerius Tomo I pag. 285 num. CCXXXV.*

F. Ri-

F. Richardus Wicheleus, Winchelſey, vel Wicheriei, Anglus, Epiſcopus Oſſorienſis, ſeu Oſſerien., *Oſray*, *Oſſery*, & *Kilkennic*, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Dublinienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap V Tit. CCCCXL pag. 252., ex Regeſtis Sixti IV. Cavalerius Tomo I pag. 288 num CCLII. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLXXXI pag. 560. Bernardus de Jonghe in Belgio Dominicano pag. 422.* Anno circiter 1480.

F. Dionyſius Fuyt, Epiſcopus Glandelacen., ſeu Glendelacen., vulgo *Glendalagh*, & *Glandeloure*, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Dublinien. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio*, ceteriſque. Succeſſit *Michaeli*, ut ex hoc Diplomate videre eſt. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Dionyſio Fuyt Electo Glandelacen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. dudum ſiquidem bonæ mem. Michaele Epiſcopo Glandelacen. regimini Eccleſiæ Glandelacen. præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ejuſdem Michaelis Epiſcopi qui extra Roman. Curiam diem clauſit extremum &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem quam de præficiendo ipſi Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, in Theologia Baccalarium, & Presbyteratus ordine conſtitutum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circunſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo primo, Undecimo Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro CLXXI fol.* 161. Anno 1481 Die 22 Octobris.

F. Hugolinus, Epiſcopus Theanenſis, *Tiano*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Capuano. *Cavalerius Tomo I pag. 289 numero CCLV, ex Johanne Marietta, & Plodio.* Iſtius non meminit *Ughellus*. Hinc *Cavalerius* ſuſpicatur, *Hugolinum Theanenſis* Epiſcopi ſuffraganeum, ſeu Vicarium, fuiſſe quidem, ſed inter *Theanenſes* Epiſcopos non recenſendum. Anno circiter 1481.

F. Donatus de Georgiis, Raguſinus, Epiſcopus Mercanen., & Tribunen., in Dalmatia, ſub Archiepiſcopo Raguſino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXX pag. 234, & Tit. DXCVIII pag. 312, ex Razzio. Cavalerius Tomo I pag. 290 num. CCLVII, ex Plodio*, qui refert Epitaphium *Donati*. Ejuſdem meminerunt Monumenta *Raguſini* Cœnobii. Anno circiter 1481.

F. Antonius Jaderenſis, Epiſcopus Modruſienſis, vulgo *Modruſch*, in Croatia, ſub Archiepiſcopo Spalatenſi. *Petrus Niger*, auctor æqualis. *apud Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad ann. MCCCCLXXXI pag. 862 col II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXCV pag. 236, ex Ferrario. Cavalerius Tomo I pag. 299 num. CCXCIV.* Anno 1481.

F. Petrus Pillars, alumnus Aragoniæ Provinciæ, Epiſcopus Dolien., in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Calaritano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXVII pag. 187, ex Plodio. Diago Hiſtor. Provinciæ Aragoniæ Lib. II Cap. XCII pag. 269. Cavalerius Tomo I pag. 292 num. CCLIX.* Anno circiter 1482.

F. Guido, Epiſcopus in Corſica. *Cavalerius Tomo I pag. 292 num. CCLX, ex Lopez, & Ambroſio Altamura.* Quiſnam vero ſit Epiſcopatus iſte, non dicunt. Anno circiter 1482.

F. Thomas Venetus, Epiſcopus Traguerienſis, *Trau*, in Dalmatia, ſub Archiepiſcopo Spalatenſi. *Cavalerius Tomo I pag. 292 num. CCLXI.* Diſtinguendum *Thomam* iſtum a *Thoma Thomaſino*, auctor eſt ſcriptor mox laudatus. Anno circiter 1482.

F. Jacobus Bla, alumnus Provinciæ Daciæ, Epiſcopus Gardenſis, in Gronelandia, ſub Archiepiſcopo Nidroſienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLVIII pag. 196, ex Fernandez. Cavalerius Tomo I pag. 289 num. CCLIV, ex Plodio, & Regeſtis Ordinis Prædicatorum.* Hinc autem emendandus *Echard*, qui *Tomo I Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.* 25 docet *Jacobum* iſtum non diſtinguendum a *Jacobo de La*, de quo dictum fuit in *Appendice ad Pontificatum Martini V Tomo II. pag.* 703. Anno circiter 1482.

F. Jo-

Anno circiter 1482. F. Johannes Romanus, Epiſcopus Interamneo., *Terni*, in Umbria, immediate ſub S. Sede. *Cavalerius Tomo I pag. 292 num. CCLXIII, ex Lopez.*

Anno circiter 1482. F. Reginaldus Polonus, Epiſcopus in Polonia. *Cavalerius Tomo I pag. 292 num. CCLXIV, ex Lopez.* Quiſnam ſit Epiſcopatus iſte, non produnt.

Anno 1482 Die 30 Januarii. F. Hermannus Rethem, Epiſcopus Sebaſtenſis, in Cappadocia, ſub Archiepiſcopo Cæſareenſi. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio*, ceteriſque. Ipſius mentio in ſequentibus Diplomatibus. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Hermanno Rethem Electo Sebaſten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Sane Eccleſia Sebaſten. Paſtoris ſolatio deſtituta, nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ac verum, & ultimum dictæ vacationis modum præſentibus pro expreſſo habentes, necnon ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem, ne eccleſia ipſa longioris vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ, perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem Ordinem ipſum expreſſe profeſſum, in Sacerdotio, & ætate legitima conſtitutum, cui apud nos de religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circunſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ, de ipſorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias, & largitur præmia confidentes &c. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris, prompta devotione ſuſcipiens &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Sedis Apoſtolicæ benedictionem, & gratiam uberius conſequi merearis. Volumus autem quod poſtquam præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te transferas &c. quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Pontificalia nequeas officia exercere. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Primo, Tertio Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CLXXI fol.* 99. Ejuſdem meminerunt ſequentes Conſtitutiones. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Hermanno Rethem Ordinis Fratrum Prædicatorum Electo Sebaſten., Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Perſonam tuam &c. Cum itaque nos hodie Eccleſiæ Sebaſten tunc Paſtore carenti de perſona tua &c prout in noſtris confectis literis plenius continetur, nos itaque tibi qui de fructibus, redditibus, & proventibus dictæ Eccleſiæ que, ut accepimus, in partibus infidelium exiſtit, nihil percipis, ut te aliqualiter ſuſtentare valeas, de alicujus ſubventionis auxilio providere, ſpecialemque gratiam facere volentes, motu proprio, non ad tuam, vel alterius &c. ſed de noſtra liberalitate penſionem annuam ducentorum florenorum Renen. ſuper fructibus, redditibus, & proventibus Caſtri de Vordis ad menſam Archiepiſcopalem Bremen. pertinentis per Venerabilem Fratrem noſtrum Henricum Epiſcopum Monaſterien. & perpetuum adminiſtratorem Eccleſiæ Bremen. per Sedem Apoſtolicam deputatum, cujus ad id expreſſus accedit aſſenſus, & poſtquam munus conſecrationis tibi de mandato noſtro impenſum fuerit, ac Succeſſores ſuos Archiepiſcopos Bremen. ſeu adminiſtratores ejuſdem Eccleſiæ Bremen. pro tempore exiſtentes, tibi quoad vixeris vel Procuratori tuo ad hoc legitime conſtituto pro una videlicet in Domini noſtri Jeſu Chriſti, & alia medietatibus penſionis hujuſmodi in Sancti Johannis Baptiſtæ nativitatum feſtivitatibus annis ſingulis perſolvendam, auctoritate Apoſtolica reſervamus, conſtituimus, & aſſignamus, decernentes eoſdem Henricum adminiſtratorem, & ſucceſſores ad ſolutionem penſionis hujuſmodi juxta reſervationis, conſtitutionis, & aſſignationis tenorem, fore efficaciter obligatos, ac volentes, & eadem auctoritate ſtatuentes quod quilibet ex Henrico adminiſtratore, & ſucceſſoribus prædictis, qui in feſtivitatibus ipſis, vel ſaltem infra triginta dies ſingulas feſtivitates eaſdem immediate ſequentes penſionem per eum tunc debitam hujuſmodi non perſolverit cum effectu, lapſis diebus eiſdem ingreſſu Eccleſiæ ſit penitus interdictus. Si vero per ſex menſes dictas triginta dies immediate ſequentes, ſub interdicto hujuſmodi animo quod abſit permanſerit indurato, ex tunc lapſis menſibus eiſdem a regimine, & adminiſtratione, hujuſmodi dictæ Eccleſiæ ſuſpenſus ſit & eſſe cenſeatur eo ipſo, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non dictæ Eccleſiæ Bremen &c quibuſcunque. Aut ſi Henrico adminiſtratori, & Succeſſoribus præfatis a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod ad præſtationem, vel ſolutionem alicujus penſionis, minime teneantur, & ad id compelli non poſſint per literas Apoſtolicas &c.. & qualibet alia indulgentia dictæ Sedis &c. de qua, cujuſque toto tenore, habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Nulli ergo &c. noſtræ reſervationis, conſtitutionis, aſſignationis, Deereti, voluntatis, & ſtatuti infringere &c. Si quis &c Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo primo, Tertio Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CLXXI fol.* 214. Alia Conſtitutio hujus tenoris eſt. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Hermanno Rethem electo Sebaſten. Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos hodie Eccleſiæ Sebaſten. Paſtoris regimine deſtitutæ de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio, auctoritdte Apoſtolica, duximus providendum præficiendo te in Epiſcopum, & paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur, nos igitur ad ea quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite, gratiam & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, aſtitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus, vel tribus aliis Catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam, & communionem habentibus, munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto per eum prius noſtro*

& Ro

Digitized by Google

& Romanæ Eccleſiæ nomine a te fidelitatis debitæ ſolito juramento juxta formam præſentibus annotatam munus prædictum auctoritate noſtra impendere tibi poſſit, plenam, & liberam concedimus earundem præſentium tenore facultatem. Volumus autem, & auctoritate prædicta ſtatuimus quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum dicto juramento idem Antiſtes munus ipſum tibi impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ipſe quam tu ab adminiſtratione, tam ſpiritualium, quam temporalium Eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea volumus, quod formam hujuſmodi a te tunc præſtiti juramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium quantocius deſtinare procures, quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Cæſareæ, cui præfata Eccleſia Metropolitico Jure ſubeſſe dignoſcitur nullum in poſterum præjudicium generetur. Formam autem Juramenti quod præſtabis hæc eſt. Ego Hermannus Electus Sebaſten. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro, Sanctaque Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, & Domino Noſtro Domino Sixto PP. IV, ſuiſque Succeſſoribus canonice intrantibus &c. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octageſimo primo, Tertio Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CLXXI fol. 214. In alia ſic legitur. Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Hildeſemen., & dilectis filiis Verden., & Sancti Blaſii Brunſwicen. Hildeſemen. Eccleſiarum Decanis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Hodie motu proprio dilecto filio Hermanno Rethem Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, Electo Sebaſten. ex certis cauſis penſionem annuam ducentorum florenorum Renen. ſuper fructibus, redditibus, & proventibus, Caſtri de Vordis ad menſam Archiepiſcopalem Bremen. pertinentis per venerabilem Fratrem noſtrum Henricum Epiſcopum Monaſterien., & adminiſtratorem Eccleſiæ Bremen. cujus ad id expreſſus acceſſit aſſenſus, & Succeſſores ſuos Archiepiſcopos Bremen. ſeu Adminiſtratores Eccleſiæ Bremen. pro tempore exiſtentes eidem Hermanno quoad viveret, & poſtquam munus conſecrationis de mandato noſtro ſibi impenſum foret in certis terminis tunc expreſſis ſub interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, & aliis pœnis etiam inibi expreſſis integre perſolvendam, per alias noſtras literas reſervavimus, conſtituimus, & aſſignavimus, prout in illis plenius continetur. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta motu ſimili mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam dictæ literæ vobis præſentatæ fuerint, per vos, vel alium, ſeu alios faciatis auctoritate noſtra penſionem prædictam Hermanno Electo, vel pro ipſo Procuratori præfatis, juxta hujuſmodi reſervationis, conſtitutionis, & aſſignationis continentiam, atque formam efficaciter perſolvi, & inhibemus quemlibet ex Henrico Adminiſtratore, & Succeſſoribus præfatis, quem hujuſmodi interdicti, & ſuſpenſionis ſententias vobis incurriſſe conſtiterit, quoties ſuper hoc pro parte dicti Hermanni Electi fueritis requiſiti, in Dominicis feſtiviſque diebus in Eccleſiis dum major inibi populi multitudo convenerit ad divina, interdictum, & ſuſpenſum publice nuncietis, faciatiſque ab aliis nunciari donec Hermanno electo vel Procuratori præfatis de penſione hujuſmodi tunc debita fuerit integre ſatisfactum, ipſeque interdictus, & ſuſpenſus ab hujuſmodi ſententia relaxationis beneficium meruerit obtinere, non obſtantibus omnibus quæ in dictis literis, volumus non obſtare, aut ſi Henrico adminiſtratori, & Succeſſoribus præfatis &c. ab Apoſtolica ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi mentionem. Contradictores auctoritate noſtra &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo primo, Tertio Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CLXXI fol. 214. Huc tandem ſpectat hocce Diploma. Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Hermanno Rethem Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Romani Pontificis copioſa benignitas &c. Sane cum intendamus hodie benedicente Domino de perſona tua Eccleſiæ Sebaſten. certo modo paſtoris ſolatio deſtitutæ de Fratrum noſtrorum conſilio ob tuorum exigentiam meritorum, nobis, & eiſdem Fratribus accepta providere, teque illi præficere in Epiſcopum, nos cupientes, ut proviſio noſtra hujuſmodi apud Deum laudabilis, & animæ tuæ fructuoſa exiſtat, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, te ab omnibus, & ſingulis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, quoad hoc duntaxat, ut de perſona tua eidem eccleſiæ provideri, tuque illi in ſpiritualibus, & temporalibus præfici poſſis in Epiſcopum, & Paſtorem. proviſioque, & præfectio noſtræ hujuſmodi alias ſuum debitum ſortiantur effectum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium abſolvimus, & abſolutum fore decernimus, Nulli ergo &c. noſtræ abſolutionis, & conſtitutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo primo, Tertio Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CLXXI fol. 214.

F. Gabriel de Franchis, Epiſcopus Adjacenſis, in Corſica, ſub Archiepiſcopo Piſano. Omittunt Cavalerius, & Fontana. Ughellus vero meminit quidem in Epiſcopis Adjacen. Tomo III Italiæ Sacræ pag. 495 Edit. Venetæ, ſed, quod Ordinis Prædicatorum alumnus fuerit, ſilet. Errat etiam docens anno duntaxat MCCCCLXXXVIII Gabrielem ſucceſſiſſe Jacobo de Mareo. Hoc anno MCCCCLXXXIII Epiſcopum renunciatum fuiſſe Gabrielem, liquet ex ſequenti Diplomate. Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Gabrieli de Franchis electo Adjacen. &c. certo modo vacans, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. De qua nullus præter nos, ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, & Theologiæ Magiſtrum, cui de Religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicibus virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta providemus, eeque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias &c. Volumus autem, quod quamprimum præſentes literas ha-

Anno 1482 Die 2 Octobris.

habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis Benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno &c. Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Secundo, Sexto Nonas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CLXXXIII fol.* 30.

Anno circiter 1482. F. *Johannes Gilbertus, Anglus, Cangenſem, ſeu Gangen., Eccleſiam regendam conſecutus eſt ab Apoſtolica Sede circa annum MCCCCLXXXII, ſicut refert Fernandez in Epiſcopis Anglis, ubi ſolum nomen hujus Epiſcopi refert.* Hæc habet *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXXXIII pag.* 154. Suffragantur *Cavalerius Tomo I pag. 292 num. CCLXV*, & *Bernardus de Jonghe in Belgio Dominicano pag.* 414. Verum *Johannes* iſte non videtur diſtinguendus a *Johanne Gilberto*, Epiſcopo *Bangorenſi*, in *Anglia*, de quo dictum fuit in *Appendice ad Pontificatum Gregorii XI Tomo II pag.* 294. Epiſcopus enim non *Bangorenſis*, ſed *Bengalenſis* forſan vocatus eſt; hinc *Gangenſis* nuncupatus fuit latine, vulgo *Bengala*, in *India ulteriori*.

Anno 1483 Die 21 Januarii. F. Jacobus de Grangia, Epiſcopus Xouſien. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio*, ceteriſque. Quod Epiſcopus fuerit, liquet ex hoc Diplomate. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Jacobo de Grangia Electo Xouſien. &c. Poſtmodum vero præfata Eccleſia Xouſien. certo modo vacante, nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos, ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, & Theologiæ Magiſtrum, cui de Religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicibus virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Volumus autem, quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis Benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Secundo, Pridie Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXCVI fol.* 249. Ceterum quænam ſit hæc Eccleſia *Xouſien.*, non facile dictu. Legendum fortaſſis *Xuntien.* Sic vulgo vocatur *Pechinum*, totius Imperii *Sinarum* Caput.

Anno 1483 Die 17 Martii. F. Johannes Payn, Hibernus, Epiſcopus Midenſis, ſeu Medeoſis, vulgo *Methe*, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Armachano. *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag. 26 col. I, ex Wæreo.* Succeſſit Willelmo, ut habetur ex hoc Diplomate. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Payn electo Miden., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. dudum ſiquidem bonæ memoriæ Willelmo Epiſcopo Miden. regimini Eccleſiæ Miden præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum ejuſdem Johannis Epiſcopi qui extra Romanam Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi, fide dignis relatibus, intellecta ad proviſionem dictæ eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te theologiæ profeſſorem, ac Fratrum Provinciæ Angliæ Ordinis Prædicatorum, ſecundum morem ipſius Ordinis, Priorem Provincialem. cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicibus virtutum donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo, in illo qui dat gratias, volumus autem, quod quam primum præſentes literas habueris expeditas, ad præfatam eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo ſecundo, Decimo ſexto Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib CXCVI fol.* 213.

Anno 1483 Die 7 Aprilis. F. Johannes Wervingerade, Epiſcopus Budinen. vulgo *Budoa*, in Dalmatia, ſub Archiepiſcopo Antibarenſi. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio*, ceteriſque. Ipſius mentio variis in Diplomatibus. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Wervingerade electo Budinen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Cum itaque nos hodie eccleſiæ Budinen. tunc certo modo Paſtore carenti &c. nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ, ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris*

ha-

habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum expreſſe profeſſum, & in Sacerdotio conſtitutum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Volumus autem quod quam primum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æterna &c. noſtram & Apoſtolicæ Sedis Benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Tertio, Septimo Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CXCII fol. 225. De eodem Johanne loquuntur quatuor aliæ Conſtitutiones, quarum prima hujus tenoris eſt. Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Wervingerade electo Budinen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. De providentia Sedis Apoſtolicæ &c. Cum itaque nos hodie eccleſiæ Budinen. tunc Paſtore carenti, de perſona tua &c. qui Ordinis Fratrum Prædicatorum expreſſe profeſſus exiſtis &c. prout in noſtris literis plenius continetur, nos tibi quod de fructibus, redditibus, & proventibus dictæ eccleſiæ, quæ, ut accepimus, in partibus infidelium exiſtit, nihil percipis, ut te aliqualiter ſuſtentare valeas, de alicujus ſubventionis auxilio &c. motu proprio non ad tuam &c. ſed de noſtra mera liberalitate penſionem annuam ducentorum florenorum Renen. ſuper fructibus, redditibus, & proventibus menſæ Epiſcopalis Halberſtaden. per Venerabilem Fratrem noſtrum modernum Epiſcopum Halberſtaden. ſeu adminiſtratorem eccleſiæ Halberſtaden., & Succeſſores ſuos Epiſcopos Halberſtaden. pro tempore exiſtentes tibi quoad vixeris vel procuratori tuo ad hoc a te ſpecialiter conſtituto, pro una videlicet in Domini noſtri Jeſu Chriſti, & alia medietatibus penſionis hujuſmodi in Sancti Johannis Baptiſtæ nativitatum feſtivitatibus annis ſingulis perſolvendam, auctoritate Apoſtolica reſervamus, conſtituimus, & aſſignamus, Decernentes eoſdem Epiſcopum &c. ad ſolutionem penſionis hujuſmodi juxta reſervationis &c. fore efficaciter obligatos, ac volentes, & eadem auctoritate ſtatuentes, quod cuilibet ex Epiſcopo &c. qui in feſtivitatibus ipſis, vel ſaltem infra triginta dies &c. penſionem per eum tunc debitam hujuſmodi non perſolverit &c. ingreſſus Eccleſiæ ſit penitus interdictus. Si vero per ſex menſes &c. a regimine, & adminiſtratione eccleſiæ Halberſtaden. ſuſpenſus eſſe cenſeatur eo ipſo, non obſtantibus &c. quibuſcunque. Aut ſi Epiſcopo &c. a Sede Apoſtolica ſit indultum quod ad præſtationem, vel ſolutionem alicujus penſionis &c., & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia &c., & de qua cujuſque toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Nulli ergo &c. noſtræ reſervationis, conſtitutionis, aſſignationis, decreti, voluntatis, & ſtatuti infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo tertio, Septimo Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CXCII fol 225. In ſecunda ſic legitur. Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Bremen., & Hildeſemen., ac Verden. Eccleſiarum Decanis &c., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Hodie motu proprio dilecto filio Johanni Wervingerade Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori Electo Budinen ex certis cauſis penſionem annuam ducentorum florenorum Renen. ſuper fructibus, redditibus, & proventibus menſæ Epiſcopalis Halberſtaden. per venerabilem Fratrem noſtrum modernum Epiſcopum ſeu adminiſtratorem Halberſtaden cujus ad id expreſſus accedit aſſenſus, & ſucceſſores ſuos Epiſcopos Halberſtaden. pro tempore exiſtentes eidem Johanni quoad viveret, & poſtquam munus conſecrationis de mandato noſtro ſibi impenſum foret, vel Procuratori ſuo ad hoc ab eo ſpecialiter conſtituto, in certis terminis tunc expreſſis ſub interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ, & aliis pœnis etiam inibi expreſſis annis ſingulis integre perſolvendam per alias noſtras literas reſervavimus prout in illis plenius continetur, quo circa Diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta motu ſimili mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi & poſtquam dictæ literæ vobis præſentatæ fuerint, per vos, vel alium, ſeu alios faciatis auctoritate noſtra penſionem prædictam Johanni electo, vel pro ipſo procuratori præfatis juxta hujuſmodi reſervationis, & conſtitutionis, & aſſignationis continentiam, atque formam efficaciter perſolvi, & nihilominus quemlibet ex Epiſcopo ſeu adminiſtratore, & Succeſſoribus præfatis quem hujuſmodi interdicti, & ſuſpenſionis ſententias vobis incurriſſe conſtiterit quoties ſuper hoc pro parte dicti Johannis electi fueritis requiſiti tam in Dominicis, quam feſtivis diebus in eccleſiis, dum major inibi populi multitudo convenerit ad divina, interdictum, & ſuſpenſum publice nuncietis, faciatiſque ab aliis nunciari donec Johanni electo, vel procuratori prædictis de penſione hujuſmodi tunc debita fuerit integre ſatisfactum, ipſique interdicti, & ſuſpenſi ab hujuſmodi ſententia, relaxationis beneficium meruerint obtinere, non obſtantibus omnibus quæ in dictis literis volumus non obſtare. Aut ſi Epiſcopo &c. quod interdici, ſuſpendi &c. per literas Apoſtolicas non facientes plenam &c. mentionem. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo tertio, Septimo Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CXCII fol. 225. Tertia hæc eſt. Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Johanni Wervingerade Epiſcopo Budinen Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus &c. hodie ſiquidem eccleſiæ Budinen. tunc Paſtore carenti, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum, accepta de Fratrum eorundem conſilio duximus auctoritate Apoſtolica providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris deſuper confectis literis in quibus volumus quod quam primum literas ipſas haberes expeditas, ad præfatam eccleſiam accederes, & perſonaliter reſideres apud illam, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Pontificalia officia exercere nequires, plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad eccleſiam præfatam quæ in partibus infidelium conſiſtit commode nequeas te conferre, & apud eandem perſonaliter reſidere, nos volentes te præmiſſorum intuitu favoribus proſequi gratioſis tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati tibi, quod ad eccleſiam prædictam accedere, ſeu apud eam perſonaliter reſidere minime tenearis, quodque poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis in Civitate vel Diœceſi Halberſtaden. duntaxat, dummodo etiam per Venerabilem Fratrem noſtrum Epiſcopum Halberſtaden. ſeu adminiſtratorem eccleſiæ Halberſtaden. ad id requiſitus fueris, etiam de ſpeciali ipſius licentia hujuſmodi pontificalia officia exercere, libere ac licite valeas, voluntate præ-

prædicta, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque nequaquam obſtantibus auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Tertio, Septimo Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CXCII fol. 225. In quarta tandem ſic legere eſt: Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Wervingerade Fratrum Ordinis Prædicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Romani Pontificis gratioſa benignitas &c Sane cum intendamus hodie, benedicente Domino, de perſona tua eccleſiæ Budinen. certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ de Fratrum noſtrorum conſilio, ob tuorum exigentiam meritorum accepta providere, teque illi præficere in Epiſcopum, & Paſtorem, nos cupientes, ut proviſio noſtra hujuſmodi apud Deum laudabilis, & animæ tuæ fructuoſa exiſtat, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, te ab omnibus & ſingulis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, quoad hoc duntaxat, ut de perſona tua eidem eccleſiæ provideri, tuque illi præfici & præeſſe poſſis, & valeas, proviſioque, & præfectio noſtræ hujuſmodi alias ſuum debitum ſortiantur effectum, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium abſolvimus & abſolutum fore decernimus. Nulli ergo &c. noſtræ abſolutionis, & conſtitutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Tertio, Septimo Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CXCII fol. 225.

Anno 1483 Die 22 Octobris.

F. Abel de Sano Zobrioco, Epiſcopus Dionyſien., ſub Boſtrenſi Metropoli. Hunc non norunt Fontana, Cavalerius, ceterique. Succeſſit cuidam Toſſano, ut ex ſequentibus Diplomatibus videre eſt. Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abel de Sano Zobrioco electo Dionyſien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. dudum ſiquidem bonæ mem. Toſſano Epiſcopo Dionyſien. regimini Eccleſiæ Dionyſien. præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ejuſdem Toſſani Epiſcopi qui extra Roman. Curiam diem clauſit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem quam de præficiendo ipſi Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum expreſſe profeſſum, & in Theologia Magiſtrum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Volumus autem quod quam primum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo tertio, Undecimo Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo. Ex Archivo Apoſtolico Libro CC fol. 14. De eodem legenda ſequens Conſtitutio. Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abel de Sano Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſori Electo Dionyſien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos, & Romanam geris Eccleſiam &c. hodie ſiquidem Eccleſiæ Dionyſien., tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio duximus auctoritate Apoſtolica providendum præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, volentes inter cetera, quod quamprimum litteras Apoſtolicas ſuper proviſionem, & præfectionem hujuſmodi haberes expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferres, & perſonaliter reſideres apud illam, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Pontificalia officia exercere nequires, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad præfatam Eccleſiam, quæ in partibus Infidelium conſiſtit, abſque perſonali periculo commode nequeas te conferre, & apud eam perſonaliter reſidere, nos volentes te præmiſſorum intuitu favoribus proſequi gratioſis, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, quod ad Eccleſiam prædictum accedere, & apud eam reſidere minime tenearis, quodque poſtquam munus conſecrationis rite ſuſceperis, in Civitate, & Diœceſi Remen. duntaxat, dum per illius Diœceſanum ad id requiſitus fueris, & de ſpeciali ipſius licentia Pontificalia officia hujuſmodi exercere libere, & licite valeas voluntate prædicta, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ, indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Tertio, Undecimo Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CCVII fol. 102. Huc etiam ſpectat ſequens Diploma. Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Abel de Sano Zobrioco Ordinis Fratrum Prædicatorum Epiſcopo Dionyſien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Perſonam tuam nobis, & Apoſtolicæ Sedi devotam &c. Cum itaque nos hodie Eccleſiæ Dionyſien., tunc certo modo paſtore carenti, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de eorundem Fratrum conſilio duxerimus auctoritate Apoſtolica providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in noſtris literis inde confectis plenius continetur, nos tibi, ut ſtatum tuum juxta Pontificalis dignitatis exigentiam decenter tenere valeas, de alicujus ſubventionis auxilio providere, præmiſſorum intuitu, ſpecialem gratiam facere volentes, motu proprio,

non

Digitized by Google

non ad tuam, vel alterius pro te nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate penſionem annuam ducentorum ducatorum auri de Camera ſuper fructibus, redditibus, & proventibus menſæ Archiepiſcopalis Remen., per venerabilem Fratrem Petrum modernum, cujus ad hoc expreſſus accedit aſſenſus, & Succeſſores ſuos Archiepiſcopos Remen. pro tempore exiſtentes, tibi, quoad vixeris, vel donec tibi per aliquem ordinarium Collatorem de aliquo beneficio eccleſiaſtico valoris dictæ penſionis canonice proviſum, tuque illud pacifice aſſecutus fueris, vel procuratori tuo ad hoc a te ſpecialiter conſtituto pro una ſcilicet in Domini noſtri Jeſu Chriſti, & alia medietatibus penſionis hujuſmodi in B. Johannis Baptiſtæ nativitatum feſtivitatibus annis ſingulis perſolvendam auctoritate Apoſtolica reſervamus, conſtituimus, & aſſignamus, decernentes eoſdem Petrum Archiepiſcopum, & Succeſſores ad integram ſolutionem penſionis hujuſmodi juxta reſervationis, conſtitutionis, & aſſignationis prædictarum tenorem fore efficaciter obligatos, ac volentes, & eadem auctoritate ſtatuentes, quod quilibet ex Petro Archiepiſcopo, & Succeſſoribus prædictis, qui in feſtivitatibus prædictis, vel ſaltem infra triginta dies ſingulas feſtivitates ipſas immediate ſequentes penſionem tunc debitam hujuſmodi tibi non perſolverint cum effectu, lapſis diebus eiſdem ingreſſus Eccleſiæ ſit penitus interdictus, ſi vero per ſex menſes dictos triginta dies immediate ſequentes ſub interdicto, animo, quod abſit, permanſerit indurato, ex tunc lapſis menſibus eiſdem regimine, & adminiſtratione dictæ Eccleſiæ Remen. ſuſpenſus eſſe cenſeatur eo ipſo non obſtantibus, quod tu Ordinem Prædicatorum expreſſe profeſſus exiſtis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Aut ſi Petro Archiepiſcopo &c. quod ad præſtationem, vel ſolutionem alicujus penſionis minime teneantur, & ad id compelli non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes &c. & de quacunque toto tenore habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Nulli ergo &c. noſtræ reſervationis, conſtitutionis, aſſignationis, decreti, voluntatis, & ſtatuti infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Tertio, Undecimo Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo. Addenda ſequens Conſtitutio. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Decano Eccleſiæ Sancti Petri de Materiis Remen. Diœceſis, & Remen., ac Pariſien officialibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Hodie motu proprio venerabili Fratri noſtro Abel de Sano Zobrioco Ordinis Fratrum Prædicatorum Epiſcopo Dionyſien. penſionem annuam ducentorum ducatorum auri de Camera ſuper fructibus, redditibus, & proventibus menſæ Archiepiſcopalis Remen. per venerabilem Fratrem noſtrum Petrum modernum, & Succeſſores ſuos Archiepiſcopos Remen. pro tempore exiſtentes eidem Abel, quoad viveret, vel donec ſibi per aliquem ordinarium Collatorem de aliquo beneficio eccleſiaſtico valoris dictæ penſionis canonice proviſum, ipſeque illud pacifice aſſecutus foret, vel procuratori ſuo legitimo in certis terminis tunc expreſſis ſub interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, & aliis pœnis etiam tunc expreſſis annis ſingulis integre perſolvendam præfati Petri Archiepiſcopi Remen. ad id expreſſo accedente conſenſu per alias noſtras litteras reſervavimus, conſtituimus, & aſſignavimus, prout in dictis litteris plenius continetur. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam dictæ aliæ litteræ vobis præſentatæ fuerint, per vos, vel alium, ſeu alios faciatis auctoritate noſtra penſionem prædictam Abel Epiſcopo, vel procuratori præfatis juxta reſervationis, conſtitutionis, & aſſignationis, necnon decreti noſtri in aliis litteris prædictis appoſitis continentiam, atque formam efficaciter perſolvi, & nihilominus quemlibet ex Petro Archiepiſcopo, & Succeſſoribus præfatis, quos interdicti, & ſuſpenſionis ſententias hujuſmodi vobis incurriſſe conſtiterit quoties pro parte dicti Abel Epiſcopi fueritis requiſiti, tam in Dominicis, & aliis feſtivis diebus in eccleſiis, dum major inibi populi multitudo ad divina convenerit, interdictum, & ſuſpenſum publice nuncietis, faciatiſque ab aliis nunciari, donec Abel Epiſcopo, vel Procuratori præfatis de penſione hujuſmodi, tunc debita fuerit integre ſatisfactum, ipſeque interdictus, & ſuſpenſus ab hujuſmodi ſententiis relaxationis beneficium meruerit obtinere Contradictores eadem auctoritate noſtra &c. non obſtantibus omnibus, quæ in prædictis aliis litteris voluimus non obſtare, aut ſi Petro Archiepiſcopo, & Succeſſoribus præfatis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab eadem Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Tertio, Undecimo Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCVII ſol.* 103.

F. Johannes Heichiſades, Anglus, Epiſcopus, Landavenſis, *Landaff*, in Anglia, ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.CCCXVI pag* 211, *ex Fernandez, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag.*300 *num.CCXCV. Bernardus de Jonghe in Belgio Dominicano gag.*414. **Anno 1483.**

F. Dominicus Terdonenſis, Epiſcopus Sanctarien., ſeu Theraſien., vulgo *Santorini*, & *Santerini*, Gallis *Saint Erin*, Nautis *S. Helena*, in ejuſdem nominis Inſula maris Ægæi, ſub Archiepiſcopo Nicoſienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte* 1 *Cap.V Tit.DXIV pag.*285, *ex Regeſtis Magiſtri Ordinis Prædicatorum .Cavalerius Tomo I pag.*293 *num.CCLXVIII.* **Anno circiter 1483.**

F. Petrus Quadrati, vulgo *du Quarre'*, Epiſcopus Arauſicanus, *Orange*, in ejuſdem nominis Principatu in Gallo Provincia, ſub Archiepiſcopo Arelatenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XLVI pag.*128, *ex Epitaphio Petri, ex Regeſtis Magiſtri Ordinis, ex Gallia Chriſtiana, & ex Actis Conſiſtorialibus. Cavalerius Tomo I pag.*320 *num.CCCLXI. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.* 24. Succeſſit *Johanni*, ut ex hoc Diplomate conſtat. *Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Quadrati Electo Auraycen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Johanne Epiſcopo Auraycen. regimini Eccleſiæ Auraycen. præſidente &c. Poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ejuſdem Johannis Epiſcopi &c. Demum ad te Ordinis* **Anno 1484 Die 19 Januarii.**

FF. Prædicatorum Profeſſorem, & Theologiæ Magiſtrum &c. Datum Fulginei Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Tertio, Decimo Quarto Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Decimo Tertio. Ex Archivo Apoſtolico *Lib.CCVI fol.265*.

LEGATUS.

Anno 1482. F. Salvus Caſſetta, Generalis Magiſter Ordinis, Legatus ad Fredericum Cæſarem, Principeſque Germaniæ miſſus. *Fontana Theatro Dominicano Parte II Tit.II num.XXXII pag.358. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLXXXI pag.860.*

IN-

Digitized by Google

INDEX,

Hujus Tertii Voluminis Diplomata recenſens.

EUGENIUS	IV	Habet	306.
In Appendice			58.
NICOLAUS	V		111.
In Appendice			13.
CALISTUS	III		33.
In Appendice			13.
PIUS	II		69.
In Appendice			7.
PAULUS	II		47.
In Appendice			1.
SIXTUS	IV		185.
In Appendice			50.
			893.

INDEX CHRONOLOGICUS

Diplomatum Tertii Voluminis.

	Conſtitutio:	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
EUGENIUS IV.	I.	1431	Martii.	11	SAn-Maximinen. Fratres ab iiſdem poſſint abſolvere, quibus Epiſcopi ſubditos ſuos ſolvunt.	1
	II.				De F. Bernardo Boxedos Pœnitentiario Avenione conſtituendo.	2
	III.				Privilegium de non ſolvenda Canonica portione ad jus commune revocatur.	3
	IV.				De S. Theologiæ Doctoribus in Armenia Majori creandis.	4
	V.				Firmat Privilegia Fratribus Unitis conceſſa.	4
	VI.		Aprilis	19	Electionem quandam reſcindendam jubet, ſublata appellatione ad Apoſtolicam Sedem.	5
	a VII. ad XI.				Pœnitentiaros, & Capellanos Summi Pontificis conſtituit.	6
	XII.		Maii	1	Rogatu Caroli Francorum Regis F. Jacobum Ragongeey Eccleſiaſtico beneficio donat.	7
	XIII.		Julii	13	F. Johannes Graveran Inquiſitor Rotomagen. creatur.	8
	XIV.		Auguſti	21	Ne Fratres Mendicantes ad alios Ordines tranſeant.	8
	XV.		Octobris	8	Bugeilenſis Cœnobii fundandi facultas.	9
	XVI.			29	F. Leonardus de Chio Fidei Cenſor renunciatur.	9
	XVII.	1432	Februarii	1	De Conſtitutione -- *Super Cathedram* -- in Sicilia ſervanda.	10
	XVIII.			18	Firmat compoſitionem Fratres inter Mendicantes initam de jure præcedendi in Univerſitate Toloſana.	12
	XIX.		Martii	18	Fratres Panormitanos Quarta portione de legatis ſolvenda reddit immunes.	14
	XX.		Maii	10	Monaſterium S. Dominici de Via Levata committit curæ Fratrum Mediolanenſis Conventus S. Euſtorgii.	15
	XXI.				Eiſdem Fratribus demandat curam Monaſterii S. Petri extra muros Mediolanen.	15
	XXII.			12	Sorores Recluſorii Colonien. apud Fratres Prædicatores peccata deponant, & ſepeliantur.	16
	XXIII.			29	Bubuenſis Cœnobii fundandi facultas.	17
	XXIV.			30	F. Bartholomæus de Florentia Lector Sacri Palatii Apoſtolici renunciatur.	17
	XXV.		Septemb.	22	Si Moniales Monaſterii S. M. Magdalenæ Epiſcopi Valentini poteſtati ſe ſubjiciant immutent veſtitum.	18
	XXVI.		Decembr.	2	Carolus Secundus, Dominus Deſpotatus &c. uti poſſit opera duodecim Prædicatorum, aut alterius Ordinis Fratrum.	19
	XXVII.	1433	Januarii	27	Firmat donationem Sacelli *Domini* factam Cœnobio de Villalon.	20
	XXVIII.		Februarii	28	F. Andream Ros Inquiſitorem Regni Valentiæ conſtitutum declarat.	20
	XXIX.				F. Sebaſtianus Abbatis Inquiſitor Rotomagenſis creatur.	21

In-

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
EUGENIUS IV.	XXX.	1433	Maii	26	Indulgentias die Feſto SS. Corporis Chriſti, & quoties defertur infirmis, conceſſas firmat, & auget.	21
	XXXI.		Junii	30	Parochiam B. Mariæ in Camuccia Tudertin. committit curæ Fratrum Prædicatorum.	22
	XXXII.		Auguſti	29	Facultas celebrandi tempore interdicti conceſſa Barchinonen. Societati S. Catharinæ.	23
	XXXIII.				Aliis privilegiis eandem Societatem donat.	23
	XXXIV.			30	Fratres Minores ornat privilegiis a Johanne XXII Fidei Præconibus Ordinis Prædicatorum conceſſis.	24
	XXXV.	1434	Martii	18	Urlarienſis Cœnobii fundandi facultas.	25
	XXXVI.				De quodam Caſtro Monaſterii S. Blaſii de Tenax.	26
	XXXVII.			25	F. Mundonus Belvayletus Pœnitentiarius Avenionen. conſtituitur.	27
	XXXVIII.		Aprilis	12	De reformando Panormitano Monaſterio S. Catharinæ de Caſſero.	27
	XXXIX.		Julii	4	Compoſitionem Parochos inter, & Fratres Cœnobii de Pontevedra factam confirmat.	28
	XL.			16	Generali Magiſtro de conſtituendo Inquiſitore Valentiæ.	28
	XLI.		Septembr.	13	Eximit Conventum Bononienſem a quovis tributo.	29
	XLII.		Octobris	5	Sepulturam in Cœmeterio Cœnobii Muriani liberam eſſe declarat.	30
	XLIII.			28	F. Danieł de Paniceriis fit Pœnitentiarius Avenionen.	30
	XLIV.		Novembr.	19	De reficiendis ædibus ſacris, & Cœnobio S. Floriani Brixien.	31
	XLV.		Decemb.	6	Tertii Ordinis Fratres veniant in poſſeſſionem Cœnobii S. Michaelis de Agnano Piſan. Diœceſeos.	32
	XLVI.	1435	Martii	11	In Montalbanenſes, qui Fratres Prædicatores morti dederant.	32
	XLVII.			12	Unit Monaſterium S. Archangeli extra muros Fanen. Monaſterio S. Catharinæ Ariminen.	33
	XLVIII.		Maii	6	De Decretali -- *Super Cathedram* -- Patavii ſervanda.	34
	XLIX.			18	Fundationem Monaſterii Venetiarum Corporis Chriſti ratam habet, & firmat.	34
	L.			21	Confirmat ea, quæ de eodem Monaſterio a Bonifatio IX ſancita ſunt.	36
	LI.			23	Quædam Beneficia confert Conventui S. Maximini.	37
	LII.			29	Innovat, & confirmat ea, quæ de clauſtris, ſeu clauſura Monialium Urbanus VI decreverat.	38
	LIII.		Junii	2	Hoſpitium pauperum Montis Politiani curæ Fratrum Prædicatorum committit.	39
	LIV.			17	Quæ de Monaſterio Corporis Chriſti Venetiarum ſancita ſunt, refert, & firmat.	40
	LV.			19	Facultas fundandi Florentini Cœnobii, cui Parochiam S. Georgii confert.	41
	LVI.			20	Montis Politiani Monaſterium S. Agnetis concedit Fratribus, & Moniales transfert ad Urbevetanum Monaſterium S. Pauli.	42
	LVII.			22	Genuenſis Cœnobii fundandi facultas.	43
	LVIII.		Julii	22	De perficiendis ſacris ædibus Cœnobii San-Maximinen.	43
	LIX.		Auguſti	13	De Cœnobio Tolonenſi perficiendo.	44
	LX.				De quibuſdam poſſeſſionibus permutandis.	45
	LXI.			23	Quædam bona immobilia aſſignat Conventui San-Maximinen.	45
	LXII.				De reficiendo S. Guillelmi Monaſterio de Monte Peſſulano.	46
	LXIII.		Septemb.	30	Unit Eccleſiam S. Laurentii terræ S. Geminiani Conventui Sanctiſſimæ Annunciatæ.	46
	LXIV.		Octobris	1	Florentina Monaſteria B. Mariæ, ſeu Reginæ Cœli, & S. Luciæ, unit Monaſterio S. Catharinæ. Mo-	47

Digitized by Google

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
EUGENIUS IV.	LXV.	1435		29	Monaſterium Florentinum S. Mariæ de Nive confert Sororibus de Pœnitentis S. Dominici.	48
	LXVI.		Novemb.	29	Ut Hoſpitium pauperum in oppido Turnnvi conſtituatur, ipſique F. Claudius Hoſpitis præficiatur.	49
	LXVII. ad XCVIII.				Nonnullis Fratribus eccleſiaſtica Beneficia confert.	50
	XCIX.		Decemb.	13	Annua penſio illius Monaſterii ſit, in quo Soror, cui eſt aſſignata, diem obierit extremum.	53
	C.			20	De compoſitione facta inter Moniales S. Sixti, & Monaſterium S. Oſwaldi de Noſtle.	54
	CI.	1436	Januarii	1	Fratres Prædicatores mittit in poſſeſſionem Cœnobii extra muros Papien.	55
	CII.			7	Priorem S. Sabinæ delegat, qui ſacras ædes S. Mariæ in Porticu de Urbe reficiendas curet.	56
	CIII.			21	Fratres Prædicatores e Cœnobio S. Georgii transfert ad Cœnobium S. Marci Florentin.	57
	CIV.		Junii	3	De poſſeſſionibus Monaſterii Brixien. cum aliis commutandis.	59
	CV.		Julii	10	F. Didacus de Quero eremiticam vitam agere poſſit.	59
	CVI.			27	Cœnobii Bnnonien. ſacellum, in quo quieſcit Corpus S. P. Dominici, viſitantes *Indulgentiis* donat.	60
	CVII.		Octobris	11	Domum, & Sacellum a Sororibus noſtris relicta aſſignat Argentinenſi Cœnobio.	61
	CVIII.			21	Controverſiam Fratres Prædicatores Patavinos inter, & quoſdam Clericos, ac laicos dirimendam decernit.	61
	CIX.		Novemb.	22	Firmat tranſlationem Conventus S. Archangeli Fanen. ad Monaſterium S. Catharinæ Ariminen., & quaſdam poſſeſſiones Monaſterii S. Archangeli aſſignat Cœnobio S. Dominici Fanen.	62
	CX.			28	De ſacris ædibus Argentinen. Cœnobii in quibus nonnullæ Reliquiæ SS. Innocentium ſervantur.	63
	CXI. ad CXLIX.				Varia Cœnobia Indulgentiis ornat.	63
	CL.				De annua penſione Faventin. Fratribus ſolvenda.	68
	CLI.		Decemb.	5	Quædam immobilia bona incorporat Collegio Gregoriano Bononien.	69
	CLII.	1437	Februarii	21	Bononien. Fratrum, & Sororum S. Agnetis lites diſceptatione compendiaria dirimantur.	70
	CLIII.		Martii	14	Cœnobii Raguſini fundandi facultas.	71
	CLIV.		Aprilis	9	De Cœnobio Ripano reficiendo.	71
	CLV.		Junii	21	Cœnobii Montis Acuti conſtituendi facultas.	72
	CLVI.		Julii	4	Argentin. Sorores de Pœnitentia S. Dominici juris, ac poteſtatis ſint Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum.	73
	CLVII.				Monaſterium de Clingental Ordinis Fratrum Prædicatorum juriſdictioni reſtituit.	73
	CLVIII.			8	Beneficium eccleſiaſticum confert Monaſterio de Caeli corona.	75
	CLIX.			14	Wormacienſe Monaſterium Beneficio donat.	76
	CLX.			15	Idem pro Dienſi Cœnobio.	77
	CLXI.				Imperatori Græcorum, & Conſtantinopolitano Patriarchæ F. Johannem de Raguſio, ceteroſque ad Græcos a Baſileenſi Concilio Legatos commendat.	78
	CLXII.		Auguſti	1	De Beneficio fundato a Duciſſa Bavariæ Ordinis S. Dominici Moniale.	79
	CLXIII.		Septemb.	12	Firmat donationem factam Monaſterio B. M. Mag-	

Conſtitutio.	Annus.	Menſ.	Dier.	ARGUMENTUM.	Pagina.
EUGENIUS IV.	1437	Septemb.		Magdalenæ, ad lapides nuncupato, in ſuburbiis Baſileæ ſito.	80
CLXIV.		Octobris	11	De recipiendis in Monaſterio Juliomagen.	80
CLXV.			30	Privilegia conceſſa Magiſtro Sacri Palatii firmat, & auget.	81
CLXVI.		Novemb.	5	Monaſterium de Bono loco unitur Prioratui Montis Peſſulani Ordinis Prædicatorum.	82
CLXVII.			13	De Reliquiis S. Thomæ dono dandis Johanni Regi Caſtellæ, & Legionis.	83
CLXVIII.	1438	Februarii	4	Firmat donationem Monaſterii S. Mariæ de Virginibus factam Peruſin. Fratribus Ordinis Prædicatorum.	83
CLXIX.				De litibus Peruſinorum Fratrum diſceptatione compendiaria ſtatuendum.	84
CLXX.			13	Prior Cœnobii S. Dominici vota Cortonen. commutare poſſit.	85
CLXXI		Martii	3	Quarta pars eduliorum, panis, vini, carnium &c. quæ dantur ob ſepulturam, Parochiæ non ſolvatur.	85
CLXXII.			13	Mantuani Fratres e Cœnobio S. Matthæi ad Angelorum Cœnobium ſe transferant.	86
CLXXIII.			24	Eadem de re.	87
CLXXIV.		Maii	23	Monaſterii S. Agnetis Bononien. Sorores a quocunque tributo reddit immunes.	87
CLXXV.		Octobris	2	F. Johannem de Turrecremata Magiſtrum S. Palatii Apoſtolici beneficio eccleſiaſtico donat.	88
CLXXVI.			21	De Parmen. Monaſterio reficiendo.	89
CLXXVII.		Novemb.	18	Tangermuoden. Cœnobii fundandi facultas.	90
CLXXVIII.		Decemb.	5	Unit Monaſterium de Payola Bononien. Monaſterio S. Mathiæ Bononien.	91
CLXXIX.			15	Firmat & auget privilegia Fidei præconibus, ſeu Miſſionariis, conceſſa a B. Benedicto XI.	91
CLXXX.				Fidei Præcones in Albaniam, ceteraſque regiones miſſos commendat.	93
CLXXXI.			23	Firmat concordiam Archiepiſcopum inter & Fratres Prædicatores Cœnobii S. Dominici Neapolitan.	93
CLXXXII.	1439	Februarii	18	Fratres Cœnobii S. Severini veniant in poſſeſſionem reddituum Monaſterii Sororum ejuſdem Prædicatorum Ordinis.	97
CLXXXIII.		Martii	11	De Monaſterio *Dominarum* uniendo Cœnobio S. Mariæ de Mercato de S. Severino.	98
CLXXXIV.				Monaſterium B. Mariæ de Payola Monaſterio S. Mathiæ Bononien. uniendum decernit.	99
CLXXXV.		Aprilis	9	De Privilegiis Ordinis Prædicatorum nunquam derogatur niſi ejuſdem Ordinis, ipſius Generalis Magiſtri, eorundemque privilegiorum ſpecialis mentio fiat.	100
CLXXXVI.			16	Donationes Fratribus Wratislavien. factas confirmat.	101
CLXXXVII.				Firmat ſtatuta pro Cœnobio & Monaſterio Wratislavien. a Generali Magiſtro edita.	101
CLXXXVIII.			30	Sororibus Tertii Ordinis Peruſin. concedit domum ipſis aſſignatam.	101
CLXXXIX.		Maii	10	Conſtituit judicem de lite inter Moniales Montis-Peſſulani Monaſterii Ordinis Prædicatorum, & Abbatem Monaſterii Vallis Magnæ Ciſtercien. Ordinis.	102
CXC.			13	De reficiendo Peruſino Cœnobio.	103
CXCI.			14	De Tertii Ordinis Regula.	104
CXCII.			22	Protectores Hoſpitalium Januen. a Prioribus Ordinum Carthuſien., Montis Oliveti, & S. Dominici conſtituendi;	104
CXCIII.		Julii	3	De litibus Mutinenſium Fratrum.	105
CXCIV.			31	Unit Monaſterium S. Cæſarii Monaſterio S. Sixti de	

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
EUGENIUS IV.		1439	Julii		de Urbe.	106
	CXCV.		Auguſti	12	F. Ludovicum de Piſis, ceteroſque Fidei Præcones in oriente commendat.	108
	CXCVI.				Eoſdem privilegiis ornat.	109
	CXCVII.			17	Idem.	110
	CXCVIII.		Octobris	20	F. Johannem de Turrecremata, alloſque legat, ad conciliandam pacem Reges inter Galliarum & Angliæ.	111
	CXCIX.		Novemb.	21	Inſerit Conſtitutionem Fratres Prædicatores eximentem Epiſcoporum juriſdictione.	112
	CC.			23	De bonis a Fratribus Mutinen. abalienandis.	112
	CCI.				Eadem de re.	113
	CCII.		Decemb.	27	De reficiendo Tolonenſi Cœnobio.	113
	CCIII.	1440	Januarii	2	Fratres de Pœnitentia S. Dominici ſint immunes omni tributo.	114
	CCIV.		Februarii	21	Indulgentia conceſſa viſitantibus ædes Sacras Ferrarienſis Cœnobii.	115
	CCV.			22	Mendicantes Fratres omni tributo immunes eſſe declarat.	115
	CCVI.		Aprilis	11	Inſerit & firmat Conſtitutiones quibus Bonifatius IX, & Martinus V Ordinem Prædicatorum variis præconiis, & privilegiis ornant.	116
	CCVII.				Firmat privilegia Fratribus Ordinis Prædicatorum a ſuis Prædeceſſoribus conceſſa.	117
	CCVIII.		Maii	1	F. Henricus Kaltyſen Magiſter Sacri *Palatii* creatur.	122
	CCIX.			14	Septenſis Cœnobii fundandi facultas.	122
	CCX.			18	Confirmat ſententiam, qua Fratribus Cœnobii S. Geminiani adjudicatur Eccleſia S. Laurentii *Al Ponte*.	123
	CCXI.				De Albenſi Cœnobio reficiendo.	125
	CCXII.		Julii	12	Ratam habet donationem Monaſterii S. Mariæ Fratribus noſtris Peruſin. factam.	126
	CCXIII.		Auguſti	3	De damnatis Articulis Philippi Norreys contra Prædicatores, & alios Fratres Mendicantes.	127
	CCXIV.			24	Eadem de re.	128
	CCXV.		Octobris	9	Curam animarum Parochialis Eccleſiæ S. Dominici Firman. Fratribus Prædicatoribus committit.	130
	CCXVI.			26	De Cœnobio extra muros Ferrarien. fundando.	130
	CCXVII.	1441	Januarii	11	Bona Societatis S. Mariæ Laudum, & S. Petri Martyris apud Fratres Prædicatores Florentiæ conſtitutæ tributis ſolvendis obnoxia non eſſe, decernit.	131
	CCXVIII.				Conſervatores hac de re creati.	132
	CCXIX.			17	De reficiendo, & ampliando Monaſterio Venetiarum Corporis Chriſti.	133
	CCXX.		Junii	11	Fratres Cœnobii Brunen. Proceſſionem, ſeu ſupplicationem, Corpus Dominicum deferendo, Dominica die infra Octavas Corporis Chriſti, ut moris eſt, habeant.	133
	CCXXI.			14	De fundando Januen. Cœnobio S. Mariæ de Caſtello.	134
	CCXXII.		Julii	2	Narbonenſis Archiepiſcopus, ipſiuſque Suffraganei Provinciæ Narbonen. Inquiſitorem habeant commendatum.	135
	CCXXIII.			19	Ne quis exportet libros e Collegio S. Auguſtini, vel e Cœnobio Papien.	136
	CCXXIV.		Auguſti	8	De Sacello conſtruendo in ædibus Sacris Firmani Cœnobii.	137
	CCXXV.			19	Albenſes Sorores de Pœnitentia S. Dominici veniant in poſſeſſionem Domus Humiliatorum.	138
	CCXXVI.		Septembris	6	F. Eliam Bodandi delegat, qui Lemovicenſes abſolvat.	139
	CCXXVII.			7	Fratres commendat Prælatis, & populo Duracen., Antibaren., Albanen., Cunanien., Polaten., Raſ-	

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
EUGENIUS IV.		1441	Septemb.		Raſciæ, & Serinæ.	140
	CCXXVIII.			20	Sororibus de Pœnitentia donat Palatium, & Eccleſiam S. Cæciliæ de Urbe.	140
	CCXXIX.		Octobris	4	F. Didacus de Davalns in eremitorii S. Mariæ *de la Vega* poſſeſſionem mittatur.	141
	CCXXX.			15	Excommunicatos decernit nonnullos, qui moleſtiis affecerant Fratres ſupplicationem habentes die feſto S P. Dominici.	142
	CCXXXI.		Novemb.	5	F. Andreæ Rhodiorum Archiepiſcopo, ne Latini Cyprii ſe Græcorum communione abſtineant.	143
	CCXXXII.			28	De reficiendo Confluentinn Cœnobio.	144
	CCXXXIII.		Decemb.	13	Unit Eccleſiam Parochialem S. Luciæ Monaſterio Monialium Corporis Chriſti de Venetiis.	144
	CCXXXIV.			21	De quibuſdam propoſitionibus a nonnullis Presbyteris in Mendicantes Fratres prolatis.	145
	CCXXXV.	1442	Januarii	5	Fratres laudibus effert, & elargitur Indulgentiam pro Generali Capitulo.	146
	CCXXXVI.		Februarii	18	Florentinum Monaſterium S. Luciæ confert Monialibus Ordinis.	146
	CCXXXVII.				Creat Conſervatores ejuſdem Monaſterii.	148
	CCXXXVIII.		Martii	24	De Fratribus Mendicantibus promovendis ad Gradus Scholaſticos in Univerſitate Pariſien.	149
	CCXXXIX.				Conſervatores dat, qui præcedens Diploma executioni mandandum curent.	150
	CCXL.		Aprilis	4	Ut Fratres Florentiam mittantur.	150
	CCXLI.			17	F. Nicolaum de Anno privilegiis ornat.	151
	CCXLII.			25	Fratres qui Senenſe Cœnobium reforment mittit, & apprime commendat.	152
	CCXLIII.			28	Monaſterium, ad Lutum Leporis nuncupatum, Ordinis juriſdictioni reſtituit, & reformandum jubet.	152
	CCXLIV.		Junii	9	Curam animarum Eccleſiæ S. Mariæ Novellæ Florentin. Fratribus committit.	153
	CCXLV.			15	Ædes Sacras S. Mariæ extra muros Lycien. ſitas, confert Fratribus Prædicatoribus.	154
	CCXLVI.			22	Animarum cura committitur Florentin. Fratribus Cœnobii S. Marci.	154
	CCXLVII.		Julii	5	Indulgentia conceſſa viſitantibus ædes Sacras Xantonen. Cœnobii.	155
	CCXLVIII.				Donationem a ſe factam Peruſin. Conventui S. Dominici firmat.	156
	CCXLIX.			9	Monaſterium Monialium B. Mariæ de Nazareth Papien. donat Fratribus Ordinis noſtri in fabricæ, ac Fratrum ſtudentium commodum.	157
	CCL.		Auguſti	5	De quatuor Cœnobiis in Provincia Siciliæ conſtruendis.	158
	CCLI.			11	Firmat compoſitionem factam Fratres inter, & Rectores Eccleſiarum de Viveyro, Mindonien. Diœceſeos.	159
	CCLII.		Septemb.	15	De conſtituendo Cœnobio in Caſtro Pontis Latronis.	160
	CCLIII.			28	Unit Monaſterium S. Catharinæ Conventui S. Cataldi Ariminen.	160
	CCLIV.		Novemb.	10	Monaſterium de Bono Loco uniatur Monaſterio Montis-Peſſulani Ord. Præd.	161
	CCLV.	1443	Januarii	4	Eximit omni tributo Monaſterium Monialium S. Dominici Piſan.	163
	CCLVI.			7	Juſſu ſuo, ſeque præſente, Sacras ædes Florentin. Cœnobii S. Marci dedicatas eſſe declarat, ipſas viſitantibus Indulgentias elargitur, & Dedicationis officium transfert.	164
	CCLVII.			9	Priores Carthuſien., & Prædicatorum viſitent, & reforment Papien. Monaſterium SS. Mariæ, & Arelani Ordinis S. Benedicti.	164
	CCLVIII.			26	De fundando Cœnobio Montis Murenſis.	165

Ra-

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
EUGENIUS IV.	CCLIX.	1443	Martii	22	Ratam habet fundationem Cœnobii de Villalon.	166
	CCLX.				Ejuſdem Cœnobii Conſervatores conſtituit.	169
	CCLXI.				Delegat Fratrem Petrum de Jeremia, alioſque nonnullos, qui reforment Monaſterium S. Placidi de Calonero.	169
	CCLXII.			27	De donatione regia facta Conventui de Villalon.	171
	CCLXIII.		Maii	16	Mutinenſes Fratres quædam bona poſſint alienare.	171
	CCLXIV.			29	Suavenſis Cœnobii fundandi facultas.	172
	CCLXV.		Junii	8	Firmat ea, quæ de Januen. Cœnobio S. Mariæ de Caſtello fundando ſanxerat.	173
	CCLXVI.			30	Ut Caſertanum Cœnobium fundetur.	174
	CCLXVII.		Julii	6	Hoſpitalem domum, & Humiliatorum Cœnobium unit Brixien. Monaſterio S. Catharinæ.	174
	CCLXVIII.		Auguſti	29	Eadem de re.	176
	CCLXIX.		Septemb.	3	In Hugonem quendam, qui tenebat hæreditatem, quæ F. Wilhelmo Cinper obvenerat.	176
	CCLXX.		Decemb.	7	De Sacellis in ædibus Sacris Januenſis Cœnobii S. Mariæ de Caſtello fundatis.	177
	CCLXXI.	1444	Januarii	4	Aſſignat domum Sororibus de Pœnitentia de Urbe.	178
	CCLXXII.			15	Firmat literas, quibus Panormitanos Fratres Quarta portione de legatis ſolvenda redduntur immunes.	178
	CCLXXIII.			24	Mendicantes Decimis ſolvendis exempti.	179
	CCLXXIV.		Februarii	21	Quomodo ſit intelligenda clauſula: *Salva juſtitia Eccleſiarum, a quibus mortuorum corpora aſſumuntur.*	180
	CCLXXV.		Martii	7	Delegat F. Petrum de Jeremia, qui Monialibus Monaſterii S. Catharinæ de Callere Ordinis S. Benedicti agenda præſcribat.	181
	CCLXXVI.			11	Altimontis Cœnobii fundandi facultas.	182
	CCLXXVII.			28	Moderatores Confraternitatis S. Petri Martyris conſtituit Fratres, ac laicos per Fratres ipſos eligendos.	183
	CCLXXVIII.		Aprilis	1	Sororibus de Pœnitentia donat domum in Urbis regione S. Angeli ſitam.	183
	CCLXXIX.			7	F. Jacobum Richer Vicarium Apoſtolicum in Hungariam mittit, illumque, ac ipſius ſocios commendat.	184
	CCLXXX.		Maii	13	Fidei præcones, ſeu Miſſionarios Tranſylvaniæ privilegiis ornat.	185
	CCLXXXI.		Junii	6	Ut Mutinenſes Fratres in nonnullorum prædiorum poſſeſſione permaneant.	186
	CCLXXXII.		Auguſti	19	Rata habet, quæ pro reficiendis Peruſini Cœnobii Sacris ædibus Peruſini cives decreverunt.	187
	CCLXXXIII.			31	De annua penſione ſolvenda a Monialibus Brixienſis Monaſterii S. Catharinæ.	188
	CCLXXXIV.		Novemb.	24	Fratres curam gerant Mantuani Monaſterii S. Dominici.	190
	CCLXXXV.	1445	Januarii	18	De F. Mundono Belvayleto in priſtinum Pœnitentiarii Avenionen. munus reſtituendo.	190
	CCLXXXVI.		Februarii	3	Sorores de Pœnitentia, utpote perſonas eccleſiaſticas, tributis ſolvendis exemptas eſſe declarat.	191
	CCLXXXVII.		Martii	11	Cœnobii Caſtri Abbatis fundandi facultas.	192
	CCLXXXVIII.		Junii	16	De Viglevanen. Cœnobio fundando.	193
	CCLXXXIX.		Julii	1	Inquiſitori Carcaſſonen. in veneficos, alioſque nonnullos.	193
	CCXC.			7	Ut Sedenenſe Cœnobium fundetur.	194
	CCXCI.			17	De Logronnenſi Cœnobio alio transferendo.	195
	CCXCII.			21	Ratam habet concordiam factam Canonicos Regulares inter, & Moniales Brixien.	195
	CCXCIII.		Auguſti	....	Narrat ea, quæ F. Andreas Archiepiſcopus Coloſſenſis, S. Sedis Legatus, geſſit, ipſumque laudibus effert.	197
	CCXCIV.		Septemb.	29	Dividit Florentinum Cœnobium Sancti Marci a Con-	

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
EUGENIUS IV.		1445			Conventu S. Dominici Feſulan.	198
	CCXCV.		Decemb.	31	Cibinienſis Cœnobii reædificandi facultas.	199
	CCXCVI.	1446	Februarii	8	Inſurripientes bona Mutinenſis Cœnobii.	200
	CCXCVII.		Martii	12	Jadrenſe Monaſterium juriſdictioni Fratrum reſtituit.	200
	CCXCVIII.			15	Donationem Fratribus, & Sororibus Tertii Ordinis de Killcarbayn factam confirmat.	201
	CCXCIX.		Aprilis	27	De duodecim Fratribus delegandis, qui tempore Capituli Provincialis Provinciæ Daciæ fideles omnibus peccatis ſolvere poſſint.	202
	CCC.		Maii	15	Fratres, & Sorores Tertii Ordinis de Urbe omni ſecularium juriſdictione reddit immunes.	203
	CCCI.		Junii	8	Sorores Tertii Ordinis præficit cuidam Pauperum hoſpitio de Urbe.	203
	CCCII.		Julii	10	Quædam in gratiam Fulginaten. Monaſterii ſancita confirmat.	204
	CCCIII.			26	S. Matthæi domus unitur Brixienſi Monaſterio S. Catharinæ.	205
	CCCIV.	1447	Januarii	16	Damnat articulos, quibus Mendicantes Fratres impetuntur.	206
	CCCV.		Februarii	13	F. Petrus de Jeremia locationem cujuſdam domus damno Melivetani Epiſcopi factam reſcindat.	207
	I-I	1431	Martii	9	De F. Juliano ab Univerſitate Sancti Severini ad Eugenium IV Oratore miſſo.	236
NICOLAUS V.	I.	1447	Martii.	19	Prior Cumani Cœnobii executioni mandet ea quæ de Cumano Monaſterio ſanxerat Eugenius IV.	237
	II.				Quæ F. Alexius de Albicis teſtamento cavit, perficiantur.	238
	III.				F. Henricus Kaltyſen Apoſtolici Palatii Scholarum Magiſter Eccleſiaſticum beneficium aſſequi poſſit.	239
	IV.		Aprilis	2	F. Johannem de Neapoli Inquiſitorem Siciliæ commendat.	240
	V.			6	Confirmat omnia privilegia a Martino V, & Eugenio IV conceſſa.	240
	VI.				Indulgentia pro Capitulo Generali.	241
	VII.		Maii	6	S. Stephanini Oratorium unitur Prioratui S. Marcelli Papien.	241
	VIII.			8	Monaſterium Mantuanum juris ac poteſtatis ſit Magiſtri Generalis.	242
	IX.		Junii	1	F. Johannes de Colonia beneficium Eccleſiaſticum aſſequi poſſit.	243
	X.			17	Fratres & Sorores de Pœnitentia ſecularium juriſdictione reddit immunes.	243
	XI.		Octobris.	27	F. Thomas de Eugubio veniat in poſſeſſionem Eccleſiæ S. Michaelis Conſtantinopolitan. Diœceſeos.	244
	XII.		Novemb.	17	Conſentini Cœnobii fundandi facultas.	244
	XIII.		Decemb.	3	Ferrarienſes Fratres biduo ante & poſt Aſſumptionis Feſtum iiſdem peccatis ſolvant fideles, quibus Epiſcopi poſſunt abſolvere.	245
	XIV.	1448	Januarii	12	Declarat Fratres quatuor Ordinum Mendicantium, & Moniales eiſdem ſubjectas immunes eſſe ſubſidio, ſeu tributo, juſſu Sedis Apoſtolicæ ſolvendo Regi Aragonum.	246
	XV.		Februarii	10	Reſtituendum decernit quicquid Fratres Mendicantes propter ſubſidium, ſeu tributum, Aragoni Regis gratia indictum, ſolverunt.	248
	XVI.		Martii	7	De Sacello S. Antonii fundando juxta ſacras ædes Finarienſis Cœnobii.	249
	XVII.			14	F. Chriſtophorus de Campo Corſo Pœnitentiarius Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe creatur.	250

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
NICOLAUS V.	XVIII. ad XX.	1448			Alii Pœnitentiarii conſtituti.	250
	XXI.		Aprilis.	5	F. Antonius de Orrietis beneficium Eccleſiaſticum aſſequi poſſit.	250
	XXII.			11	Quoddam Beneficium Monaſterio Hedingen. uniendum decernit.	251
	XXIII.				Ratam habet donationem Neapolitani Cœnobii S. Spiritus factam Fratribus Ord. Prædicatorum.	252
	XXIV.			16	Ne inſignia gentis de Spinolis e Sacello S. Nicolai ſito intra ſepta Cœnobii Fratrum Prædicatorum Peræ tollantur.	254
	XXV.		Junii.	13	Valvernenſis Cœnobii fundandi facultas.	255
	XXVI.			29	Innovat & firmat Eugenii IV Conſtitutionem, qua damnantur errores Johannis de Poliaco, ipſiuſque aſſeclarum.	256
	XXVII.		Julii.	6	Fratres Prædicatores veniant in poſſeſſionem Senenſis Cœnobii S. Spiritus.	256
	XXVIII.			18	Ex Eugenii IV Conſtitutione Philippum Norreys Fratribus Mendicantibus infenſum damnandum, & carceri mancipandum decernit.	257
	XXIX.			31	His qui in Cœnobiis noſtris commorantur Sacramenta miniſtrare, eorumque cadavera ſepulturæ tradere poſſunt.	258
	XXX.		Auguſti.	17	Fulginatenſes Moniales Ordinis Prædicatorum, annua penſione propoſita, quaſdam domus cedere poſſint Confratribus *Hoſpitalis Pietatis* nuncupati.	258
	XXXI.			21	Aragoniæ Provinciali agendi rationem præfinit.	259
	XXXII.		Septemb.	5	Encinenſe Monaſterium fit juriſdictionis Fratrum Prædicatorum.	261
	XXXIII.			6	Inquiſitori & Provinciali Græciæ, ne Latini deficiſcant ad Ritus Græcos.	262
	XXXIV.		Octobris.	15	F. Laurentius Valaſcii Portugalliæ Regis Orator caſibus Epiſcopalibus abſolvere poſſit.	262
	XXXV.			19	Roterodamenſis Cœnobii fundandi facultas.	263
	XXXVI.		Decemb.	4	Firmat & inſerit Conſtitutiones quibus Gregorius XI, Martinus V, & Eugenius IV Ordinem Fratrum Prædicatorum privilegiis ornarunt.	263
	XXXVII.			30	F. Conradus Wrin eccleſiaſticum beneficium aſſequi poſſit.	265
	XXXVIII.	1449	Januarii	4	Vallis Tarlenſis Cœnobii fundandi facultas.	266
	XXXIX.			13	F. Leonardus Abbas Monaſterii SS. Andreæ, & Gregorii de Urbe renunciatur.	267
	XL.		Martii	15	Inſerit Diploma, quo Martinus V ex Conſtitutione Bonifatii IX Fratres Prædicatores Epiſcoporum juriſdictione, Decimis, Tributis &c. immunes eſſe declarat.	267
	XLI.				In Johannem de Poliaco.	268
	XLII.				Confirmat Mare Magnum Eugenii IV.	269
	XLIII.		Aprilis	5	Unit Monaſterium B. Mariæ de Nazareth Conventui S. Apollinaris Papien.	269
	XLIV.		Julii	5	F. Henricum Kalkyſen Magiſtrum Sacri Palatii beneficio eccleſiaſtico donat.	270
	XLV.		Auguſti	18	Fratres Prædicatores aliud a Cœnobio S. Anaſtaſiæ Veronæ ponere poſſint.	271
	XLVI.			20	De reficiendo Papien. Cœnobio S. Thomæ.	272
	XLVII.		Septemb.	2	Quicquid pro Cœnobiis reformatis conſtitutum fuit ſervetur, mortuo licet Generali Magiſtro totius Ordinis.	273
	XLVIII.		Decemb.	9	Tergeſtenſis Cœnobii fundandi facultas.	273
	XLIX.			15	Idem pro Argentienſi Cœnobio.	274
	L.	1450	Januarii	10	Firmat ea quæ Peruſini ſtatuerant ad ædes ſacras Cœnobii Fratrum Prædicatorum ejuſdem civi-	

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
NICOLAUS V	LI.	1450	Januarii		civitatis perficiendas.	275
	LII.		Martii	9	Confirmat indulta Monialibus Monaſterii B. Mariæ Mediolanen. a Bonifatio IX conceſſa.	275
	LIII.			13	Inſtitutiones Vicariorum Generalium, Privilegia quibuſdam Fratribus conceſſa, ceteraque Conſtitutionibus Ordinis non conſona reſcindit.	276
	LIV.			28	Monaſterii Corporis Chriſti Genuæ fundandi facultas.	278
	LV.		Aprilis	21	F. Chriſtophorus de Corbera ſe, ſuaque devoveat hoſpitio Pauperum Placentin.	279
	LVI.		Maii	7	De fundando Cœnobio S. Juliani de Monte.	279
	LVII.			21	Moniales Monaſterii Phortzemenſis quibuſdam beneficiis donat.	280
	LVIII.		Junii	9	Ut Cœnobium Squillacen. fundetur.	281
	LIX.		Auguſti	1	F. Thomas Simeonis de Caphaſta mittatur in poſſeſſionem quorundam beneficiorum.	282
	LX.				Ne, mortuo Generali Magiſtro totius Ordinis, ejuſdem Generalis Vicarii ab officio abeant.	282
	LXI.		Septemb.	13	Ut Vicarii Generales Cœnobiorum reformatorum ab officio removeri poſſint.	283
	LXII.		Novemb.	30	Contra detentores bonorum Ordinis Prædicatorum.	283
	LXIII.	1451	Januarii	5	Conſtituit judices qui de lite Fratribus Prædicatoribus Portugallien. illata ſententiam ferant.	284
	LXIV.		Martii	13	Confirmat omnia privilegia Cœnobio San-Maximinenſi conceſſa.	285
	LXV.			19	De F. Johanne de Raguſio, aliiſque Fratribus in Boſnam, ſive Serviam mittendis, ut ibidem Evangelium prædicent, & Cœnobia ponant.	286
	LXVI.			30	Vicarius Generalis Italiæ Fratres extra Conventus degentes revocet.	287
	LXVII.		Aprilis	3	De Portione Canonica non ſolvenda.	287
	LXVIII.			4	Helſingoburgenſis Cœnobii fundandi facultas.	288
	LXIX.		Maii	8	De reformando Bergomenſi Monaſterio S. Marthæ, eoque committendo curæ celebris Congregationis Lombardiæ.	289
	LXX.			15	Bononienſe Cœnobium quibuſdam redditibus in gratiam ſtudentium donat.	291
	LXXI.			17	Innovat Conſtitutionem qua B.Benedictus XI Moniales Ordinis immunes reddit Epiſcoporum juriſdictione, Tributis &c.	291
	LXXII.			18	Ex Martini V præſcripto prohibet, ne Mendicantes Fratres ad Monachorum, Carthuſianis exceptis, Ordines tranſeant.	292
	LXXIII.				Monaſterii Toletani fundandi facultas.	293
	LXXIV.			19	Donationem Toletano Monaſterio factam confirmat.	294
	LXXV.		Junii	26	Ordinis Conſervatores in Hiſpania, Galliiſque conſtituit.	295
	LXXVI.			28	Cœnobii prope Halduſten. fundandi facultas.	296
	LXXVII.		Julii	1	Madritenſe, ac Toletanum Monaſteria variis privilegiis ornat.	297
	LXXVIII.			3	Compoſitionem Parochum inter & Horteſianos Fratres initam confirmat.	298
	LXXIX.			10	De ampliando Pinarolien. Cœnobio.	298
	LXXX.		Auguſti	1	Doctrinam S. Thomæ laudibus celebrat, & providet Cœnobio Toloſano reficiendo.	299
	LXXXI.			6	Inquiſitorem Toloſanum variis privilegiis ornat, ipſique conceſſa firmat.	301
	LXXXII.			17	Inſerit, & firmat Conſtitutiones, quibus Bonifacius IX, Martinus V, & Eugenius IV Ordinem Fratrum Prædicatorum præconiis, & privilegiis ornant.	301
	LXXXIII.		Octobris	18	Albenſe Monaſterium ſolius Generalis Magiſtri juriſdictioni eſſe declarat.	302

De-

Digitized by Google

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
NICOLAUS V.	LXXXIV.	1451	Novemb.	27	Decernit quæſtionem de Miraculis, & vita S.Vincentii Ferrerii.	303
	LXXXV.		Decemb.	1	Abrogat literas a ſe datas de Canonica portione ſolvenda, vel non ſolvenda.	304
	LXXXVI.	1452	Januarii	27	Ne mortuo Generali Magiſtro Ordinis F. Vincentius abeat ab officio Vicarii Generalis Conventuum reformatorum Italiæ.	305
	LXXXVII.		Februarii	7	Eccleſiaſticum beneficium confert Finarienſi Cœnobio.	306
	LXXXVIII.		Martii	4	Fratres Prædicatores Veneti domum ſibi legatam abalienare poſſint, ad canonis, ſeu penſionis annuæ ſortem rependendam.	307
	LXXXIX.			28	Unit Eccleſiaſticum Beneficium Monaſterio Kirchemien.	307
	XC.		Aprilis	5	Phortzemenſe Monaſterium quibuſdam beneficiis donat.	308
	XCI.		Junii	6	Hoſpitale S. Lazari unitur Varaginen. Cœnobio Fratrum Prædicatorum.	309
	XCII.			10	De Januenſi Monaſterio S. Silveſtri fundando.	309
	XCIII. &				F. Thomas de S. Dionyſio fit Abbas Monaſterii S. Michaelis de Zebegen.	311
	XCIV.				Alios Abbates conſtituit.	311
	XCV.			16	Unit quædam beneficia Cœnobio S.Mariæ de Victoria.	312
	XCVI.			27	De reſcindenda ſententia ab Epiſcopo Portugalen. in quoſdam Fratres lata.	313
	XCVII.	1453	Januarii	4	Concordiam initam inter Monaſterium S. Silveſtri de Piſis Januen., & Archiepiſcopum Januenſem confirmat.	314
	XCVIII.			11	De F. Martino in ſtudiis alendo a Conventu S.Crucis Tragurien. ex his quæ vel ipſe Martinus, vel illius mater eidem Conventui contulerunt.	315
	XCIX.		Martii	28	Fratres reformatos commendat.	316
	C.		Aprilis	10	F. Rolandus de Coſic Inquiſitor Regni Franciæ conſtituitur.	317
	CI.		Maii	11	Salernitan. Monaſterii S. Mariæ Magdalenæ Moniales Regulam S. Benedicti ſervent, licet Ordinis noſtri veſtes induant.	317
	CII.		Junii	16	F. Nicolaus de Aymo Duciſſæ Calabriæ Sacelli præfectus variis privilegiis ornatur.	318
	CIII.		Julii	21	Firmat tranſactionem inter Fratres Prædicatores, & Rectorem quendam Majoricenſes.	319
	CIV.				Conſervatores creat, qui Conſtitutionem præcedentem ſervandam curent.	320
	CV.		Octob.	6	F. Dominicus de Neapoli fit Generalis Vicarius Ravellenſis Diœceſeos.	321
	CVI.		Novemb.	24	Conſtituit judices, qui de lite Reatinis Fratribus illata ſententiam ferant.	322
	CVII.	1454	Januarii	24	Mirenſis Cœnobii fundandi facultas.	322
	CVIII.		Aprilis	9	Cavet, ne quis ex Fratribus imperium Generalis Magiſtri detrectare poſſit.	323
	CIX.			16	Quædam Bononien. Cœnobio reſtituenda jubet.	325
	CX.		Maii	23	Leydenſe Monaſterium juris, ac poteſtatis ſit Ordinis.	327
	CXI.		Decemb.	19	Reſcindit literas, quarum auctoritate nixus Abbas Ordinis S. Benedicti venerat in poſſeſſionem Tridentini Monaſterii Monialium Ordinis noſtri.	327
CALISTUS III.	I.	1455	Aprilis	20	De perficiendo Papienſi Cœnobio.	337
	II.		Maii	20	Ne Bononienſis Epiſcopus, & Cœnobii FF. Prædicatorum Prior teſtamenti Franciſci de Pepolis curatores tributum in gratiam fabricæ S. Petronii indictum ſolvant.	338
	III.			28	Monaſterii Tertii Ordinis Florentiæ erigendi fa-	

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
CALISTUS III.			Maii		facultas.	339
	IV.	1455	Junii	7	Conventus Florentinus S. Marci ſit in poſſeſſione annuorum redituum, aliorumque ſibi legatorum.	340
	V.				De reficiendo ſeptempedano Cœnobio.	340
	VI.		Julii	10	De quibuſdam agris Viterbienſis Cœnobii ſub annuo cenſu perpetuo locandis.	341
	VII.			25	F. Antonio Archiepiſcopo Florentino de quibuſdam beneficiis conferendis.	342
	VIII.			29	Ne Monaſterium de Turreboldon. uniatur Pergamen. Monſterio.	343
	IX.		Septemb.	25	F. Gaſpar Melchioris, Friderici Imperatoris Capellanus, licet eccleſiaſticum beneficium ſit conſecutus, in Cœnobiis Ordinis commorari poſſit.	344
	X.		Octob.	30	Calcarienſis Cœnobii fundandi facultas.	344
	XI.		Novemb.	25	Bononienſium Collegiorum Gregoriani, Avenionen., & Brixien. nuncupatorum redditus confert Bononienſi Cœnobio.	345
	XII.	1456	Februarii	24	Cœnobii in Portugalliæ Regno fundandi facultas.	346
	XIII.			27	F. Mathiam de Rapica commendat, & in nonnullos neophitos animadvertendum decernit.	347
	XIV.		Martii	14	Qui peccata deponunt apud Prædicatores, ceteroſque Mendicantes Fratres, non tenentur eadem Parocho confiteri.	347
	XV.			25	Cœnobium B. Mariæ de Victoria quibuſdam beneficiis donat.	348
	XVI.		Aprilis	27	Mareiegnii Cœnobii fundandi facultas.	349
	XVII.		Maii	29	Albenſe Monaſterium variis privilegiis ornat.	350
	XVIII.		Auguſti	21	Decretalem, quæ incipit -- *Super Cathedram* -- ſervandam decernit.	352
	XIX.			31	De eadem Decretali.	354
	XX.		Octobris	9	Privilegium conceſſum Taraſcoaen. Confraternitati B. Mariæ Virginis.	355
	XXI.		Novemb.	13	Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter examinet orationes habendas coram Summo Pontifice.	356
	XXII.			22	Bononienſes Fratres, & Moniales omni tributo ſolvendo immunes.	357
	XXIII.	1457	Januarii	29	Epiſcopo, & Inquiſitori Taurinen. contra hæreticos.	359
	XXIV.		Februarii	6	Monaſterii in Regno Siciliæ fundandi facultas.	360
	XXV.			8	Ut Soror Franciſca de Urſinis Fratris Angeli de Periis conſiliis regatur.	361
	XXVI.		Martii	23	Firmat Fratrum Mendicantium privilegia de Confeſſionibus excipiendis, & ſacris concionibus habendis, reſcindens ea, quæ Rector Univerſitatis Pariſienſis adverſus eoſdem Fratres ſanxerat.	362
	XXVII.		Junii	8	Statuit annuam penſionem F. Bartholomæo ſolvendam ex redditibus Coronenſis Eccleſiæ.	364
	XXVIII.		Octobris	11	Concordiam Pariſienſem Univerſitatem inter, & Mendicantes Fratres ſine conſenſu Generalium eorundem Fratrum initam reſcindit.	365
	XXIX.		Novemb.	3	Drepanenſis Monaſterii fundandi facultas.	365
	XXX.			5	De fundando Bruxellenſi Cœnobio.	366
	XXXI.	1458	Martii	24	Locationes quaſdam damno Fratrum Catharen. factas reſcindit.	367
	XXXII.		Junii	3	Ut Miſſæ Sacrificium ex Johannis de Viromercato teſtamento in Sacrario Cremen. Cœnobii celebrandum confici poſſit in ejuſdem Cœnobii templo.	368
	XXXIII.		Julii	9	Inſerit, & Firmat Innocentii IV Conſtitutionem adverſus hæreticos.	368

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
PIUS II.	I.	1458	Septembr.	26	Firmat fundationem nonnullorum Cœnobiorum Regni Siciliæ citra farum.	377
	II.				De Sacello fundando in ædibus ſacris Monaſterii Lucerini.	378
	III.				De Conventu Crotonien. intra Civitatem transferendo.	379
	IV.		Octobris	1	Bulla Canonizationis S. Vincentii Ferrerii.	379
	V.			18	Ne Fratres Mendicantes, privilegiorum Univerſitatibus conceſſorum prætextu, ſuorum Ordinum juriſdictionem effugiant.	384
	VI.		Novembr.	21	Petrenſis Cœnobii fundandi facultas.	385
	VII.		Decemb.	12	Sodales Fraternitatis S. Catharinæ Interdicti tempore ſacris intereſſe poſſint in Eccleſia Fratrum Prædicatorum Barchinonen.	386
	VIII.			19	Contra detentores bonorum Monaſterii B. Mariæ Magdalenæ Alben.	386
	IX.			31	Confirmat omnia privilegia conceſſa Conventui de Victoria.	387
	X.				Cœnobium de Victoria quibuſdam beneficiis eccleſiaſticis donat.	388
	XI.	1459	Januarii	13	Ordo ſupplicationis ſolemnis Florentiæ die Feſto Corporis Chriſti quotannis habendæ.	389
	XII.		Maii	4	Ædes Sacras Januen. S. Silveſtri confert Monaſterio Corporis Chriſti.	391
	XIII.			15	Poteſtatem facit Monialibus Januenſis Monaſterii Corporis Chriſti eligendi Fratrem, qui curam Monaſterii gerat.	392
	XIV.		Junii	5	Ratum habet Monaſterium Vallislilium reædificatum fuiſſe.	393
	XV.			28	Ne Monaſteria conſtruantur prope Venetiarum Monaſterium Corporis Chriſti.	393
	XVI.		Julii	28	Moniales Lucan. Monaſterii S. Juſtinæ Ordinis S. Benedicti ad Ordinem Prædicatorum tranſire poſſint.	394
	XVII.		Auguſti	29	Ne Fratres ad normam Conſtitutionum, & legum ſuorum Ordinum viventes moleſtiis afficiantur.	395
	XVIII.		Septemb.	1	De componenda lite inter Monaſteria Bergomen. Matris Domini, & de Turre.	396
	XIX.		Octobris	1	F. Johannes Comes confirmatur Inquiſitor Barchinonenſis.	397
	XX.			6	Lemagenſe Monaſterium quibuſdam beneficiis eccleſiaſticis donat.	398
	XXI.		Novemb.	6	Duo Cœnobia in terris Ducis Burgundiæ, & Brabantiæ fundandi facultas	399
	XXII.			12	De reformando Harlemenſi Cœnobio.	399
	XXIII.	1460	Februarii	1	Ne quis Florentinum Monaſterium S. Jacobi de Ripolis ingrediatur, & ut velum prætendatur cratibus cellæ colloquii.	400
	XXIV.		Maii	7	De reformando Foroſlvienſi Cœnobio.	401
	XXV.			24	Quædam, rogatu Regis Portugalliæ conceſſa, reſcindit quia legibus noſtris contraria.	401
	XXVI.			30	Moniales Ordinis Prædicatorum a tributis ſolvendis immunes.	402
	XXVII.		Julii	21	Ne Vicarius Generalis Lombardiæ Conventus reformare teneatur inſcio Summo Pontifice.	402
	XXVIII.		Auguſti	1	F. Paulus Plegati veniat in poſſeſſionem Prioratus S. Pauli de Campo Barchinonen. Ordinis S. Benedicti.	403
	XXIX.			23	In detinentes Urbevetani Cœnobii bona.	403
	XXX.			...	De quodam legato Conventui Lucano S. Romani perſolvendo.	404
	XXXI.			...	Bona Lucenſis Monaſterii de Angelis nuncupati confert Conventui S. Romani.	405
	XXXII.		Decemb.	30	De componenda lite inter Florentina Monaſteria S. Jacobi de Ripolis, & S. Petri Martyris.	405

Ut

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
PIUS II.	XXXIII.	1461	Martii	1	Ut Decretalis, quæ incipit -- *Super Cathedram* -- ſervetur in Dalmatia.	406
	XXXIV.		Maii	16	Aveyrenſis Monaſterii fundandi facultas.	407
	XXXV.		Junii	9	Firmat quorundam beneficiorum collationem factam Monaſterio Lemagen.	408
	XXXVI.			29	Bulla Canonizationis S. Catharinæ Senenſis.	409
	XXXVII.		Julii	31	De reformando Regienſi Cœnobio.	414
	XXXVIII.		Octobris	13	Vicarius Generalis Congregationis Lombardiæ curam habeat Cœnobii Aquilanen.	415
	XXXIX.				F. Johannes Comes confirmatur Inquiſitor Barchinonen.	415
	XL.	1462	Januarii	31	Pitilliaoen. Cœnobii fundandi facultas.	417
	XLI.		Aprilis	11	Ne Fratres Congregationis Lombardiæ Parochialium Eccleſiarum, vel Monaſteriorum curam gerant ſine Vicarii Generalis conſenſu.	417
	XLII.		Maii	1	Indulgentia Plenaria conceſſa pro Generali Capitulo Senis congregando.	418
	XLIII.			14	F. Dominicus de Ponte, ſtipi erogandæ præfectus a Rege Galliarum, fit Abbas Monaſterii S. Sentri de Roſtagno.	419
	XLIV. ad LIV.				Fratres Beneficiis donat.	419
	LV.			18	Thienſe Cœnobium juris ſit Vicarii Generalis Congregationis Lombardiæ.	420
	LVI.			31	Ne Fratres Prædicatores, & Minores habeant quæſtionem de ſanguine Chriſti Paſſionis tempore effuſo, & de ejus corpore in ſepulchro jacente, & ut Vicarius Generalis Lombardiæ deleget Fratres hac de re coram Summo Pontifice tractaturos.	421
	LVII.		Septemb.	22	Bergomenſi Conventui S. Stephani unit Eccleſiam S. Mariæ de la Baſella, & Cœnobium ibidem conſtructum.	422
	LVIII.			...	F. Rolandus Lecorle fit Inquiſitor Franciæ.	423
	LIX.	1463	Januarii	27	Facultas fundandi Cœnobii Mediolaneo. in ſuburbio Portæ Vercellinæ.	423
	LX.		Martii	17	Rezonicenſis Cœnobii fundandi facultas.	425
	LXI.		Maii	30	F. Bartholomæus Epiſcopus duos Ordinis Fratres ſibi ſocios adſciſcere poſſit.	427
	LXII.		Julii	5	Reſcindit literas ad Monaſterium in Lauſeo. abolendum datas.	428
	LXIII.			...	Ut Vicarius Generalis Congregationis Lombardiæ recurrere poſſit ad Magiſtrum Ordinis, quo temperet, & mutet ejuſdem Congregationis leges.	429
	LXIV.			...	Magiſtro Generali poteſtatem facit mutandi leges Congregationis Lombardiæ.	430
	LXV.		Septemb.	22	Monialibus Monaſterii in Varier, Conſtantien. Diœceſeos, ut diebus vetitis veſci poſſint lacticiniis, & butyro.	430
	LXVI.	1464	Maii	5	Bononienſes Fratres rerum ſuarum procuratores create poſſint.	431
	LXVII.		Junii	11	Societatem Peregrinantium, Fidei nempe Præconea, ſeu Miſſionarios, Ordinis Prædicatorum, privilegiis ampliſſimis ornat.	431
	LXVIII.			13	Unit Parochialem Eccleſiam in Oberſunnaw, Conſtantien. Diœceſeos, Monaſterio Monialium in Sirunuaw, ejuſdem Diœceſeos.	433
	LXIX.		Auguſti	1	Ne nota hæreſeos inuratur iis, qui ſanguinem Chriſti in Paſſione effuſum a Deitate ſeparatum fuiſſe, dixerint.	434

Le-

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
PAULUS II.	I.	1464	Septemb.	16	Leges a Pio II pro Barcbinonen. Monaſterio Montis Sion ſancitas confirmat.	440
	II.			25	F. Barnabas de Neapoli Inquiſitor Provinciæ Siciliæ citra farum renunciatur.	441
	III.		Octobris	8	Indulgentia conceſſa viſitaotibus æde Sacras Placentini Cœnobii.	442
	IV. a d VI.				Indulgentiæ.	442
	VII.			19	Urbevetani Fratres ſint io poſſeſſione cujuſdam prædii, & Sacelli S. Catharinæ.	443
	VIII.		Novemb.	13	Leges ſancit pro Congregatione Lombardiæ.	443
	IX.	1465	Januarii	4	Tabernenſis Cœnobii fundandi facultas.	446
	X.		Maii	10	Contra moleſtias exhibentes Viterbien. Hoſpitio pauperum.	447
	XI.			17	Inſerit, & firmat Innocentii VII Conſtitutionem, qua Tertii Ordinis Regula confirmatur.	448
	XII.		Junii	7	De Cœnobio fundando in Trajectenſi Diœceſi.	448
	XIII.				Quæ pro Conventu, ac ſtudio Colonien. Cœoobii reformandis acta ſunt, confirmantur.	449
	XIV.		Julii	2	Cœnobii S. Mariæ de Falconada fundandi facultas.	449
	XV.				Vliſlonen. Cœnobio quoddam beneficium eccleſiaſticum confert.	450
	XVI.		Septembris	6	Fratres in Provincia Teutoniæ, ſemel in die, ter in bebdomada carnibus veſci poſſint.	451
	XVII.			12	Conſervatores creat qui præcedentes literas ſervandas curent.	452
	XVIII.	1466	Jnnii	17	Cretenſis Cœnobii fundandi facultas.	452
	XIX.		Julii	4	Confirmat concordiam inter Fratres noſtros Conventus Panormitan. ex una, & Archiepiſcopum Panormitan. ex altera partibus ſuper Quartam legatorum.	453
	XX.			9	Cœnobii S. Severini fundsndi facultas.	454
	XXI.		Decemb.	8	Firmat ea quæ Pius II de legibus, inſtitutiſque noſtris adamuſſim in Elborenſi Cœnobio ſervandis ſtatuerat, & ſubreptitiam conſtitutionem a ſe datam reſcindit.	454
	XXII.	1467	Januarii	2	Ex Conſtitutione Urbani VI, hic inſcripta, Monaſterium Valleoleti conſtruendum diſtet CXL *cannis* a Cœnobio noſtro S. Pauli.	456
	XXIII.			16	Ferrarienſe Cœnobium S. Mariæ ab Angelis immobilia bona quæcunque & annuos redditus habere poſſit.	456
	XXIV.		Martii	7	Kiichbergenſe Monaſterium ſua, ſanctæque Sedis clientela tutatur.	457
	XXV.	1468		1	De bonis eccleſiaſticis non alienandis.	458
	XXVI.			27	Ut Decretalis - *Super Cathedram* - ſervetur in Hungaria.	458
	XXVII.		Aprilis	1	Firmat donationes Segethuſenſi Conventui factas.	459
	XXVIII.		Julii	5	Uratislavienſis Epiſcopus Brumnenſi Monaſterio quædam reſtituenda curet.	460
	XXIX.		Septemb.	10	Eſtenſis Cœnobii fundandi facultas.	460
	XXX.		Decemb.	6	Fraternitatem Capellæ B. Mariæ de Gratia ſitæ in ædibus ſacris Cœnobii S. Dominici Cuſentin. privilegiis ornat.	461
	XXXI.			17	Erfordenſes Fratres, quibus poteſtatem fecerit Prior, ter in hebdomada ad quinquennium, carnibus veſci poſſint.	462
	XXXII.	1469	Februarii	4	Sacellum Sancti Lucæ de Albatio Conventui noſtro S. Mariæ de Caſtello Januen. uniendum decernit.	463
	XXXIII.		Martii	6	De fundando Caſalenſi Cœnobio.	463
	XXXIV.			10	Idem pro Cœnobio S. Mariæ de Saxo.	464
	XXXV.		Aprilis	14	Fratres præficit qui Bullam *a Cœna Domini* vulgo dic-	

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
PAULUS II.		1469			dictam publicent.	465
	XXXVI.			22	Iſchienſis Cœnobii fundationem confirmat.	466
	XXXVII.		Septemb.	11	De Cœnobio, & Bibliotheca Raguſin. perficiendis.	467
	XXXVIII.			21	F. Martiali Auribelli Generali Magiſtro totius Ordinis de reformandis Monaſteriis & Cœnobiis ditionum Mutinen. & Ferrarien.	468
	XXXIX.			29	Monaſterium Mantuanum curæ Vicarii Generalis Lombardiæ committit.	468
	XL.		Decemb.	20	Louſſebergen. Cœnobii fundandi facultas.	469
	XLI.	1470	Maii	4	Tabienſis Cœnobii fundationem confirmat.	470
	XLII.			19	De Feſto Corporis Chriſti Feria V poſt Octavas Pentecoſtes in ædibus Sacris Cœnobii Tudertin. celebrando.	471
	XLIII.		Julii	23	Regiu. Monaſterium curæ Vicarii Generalis Congregationis Lombardiæ committit.	472
	XLIV.		Septemb.	9	Monaſterium Corporis Chriſti Jauuen. ſit ſub cura Fratrum Domus S. Mariæ de Caſtello.	473
	XLV.		Octobris	27	Firmat compoſitionem inter Archiepiſcopum Piſanum, & Moniales Monaſterii S. Auguſtini de Via Romea prope Piſas.	474
	XLVI.		Novemb.	17	Unit beneficium S. Andreæ Montis Surdi Monaſterio Monialium B. Mariæ Magdalenæ Alben.	475
	XLVII.	1471	Februarii	16	Unit Sacellum S. Nicolai Monaſterio Ordinis loci de Rut. apud Wilperg.	476
SIXTUS IV.	I.		Auguſti	25	Paiaſollenſis Cœnobii fundandi facultas.	480
	II.		Septemb.	12	De Cœnobio Styrenſi fundando.	481
	III.			18	Idem pro Lewenſi Cœnobio.	481
	IV.		Octobris	26	Ut Politienſe Cœnobium fundetur.	482
	V.		Novemb.	28	Moniales Januenſis Monaſterii Corporis Chriſti Privilegiis ornat.	483
	VI.				Chienſe Cœnobium curæ Vicarii Generalis Lombardiæ committit.	484
	VII.		Decemb.	7	Conſtitutionem a Caliſto III contra Decretalem quæ incipit - *Super Cathedram* - latam reſcindit.	484
	VIII.				Unit eremitorium S. Antonii de Pranelio Conventui Cæſenatenſi.	486
	IX.		....		F. Blaſius de Bonis Inquiſitor creatur.	487
	X. *a* ... *ad* XII.				Alii Inquiſitores conſtituti.	487
	XIII.	1472	Januarii	16	Florentinas Sorores de Pœnitentia nuncupatas privilegio donat.	488
	XIV.			23	Cœnobii S. Onuphrii fundandi facultas.	488
	XV.			31	Idem pro Caſaenſi Monaſterio.	489
	XVI.		Martii	10	Moniales Monaſterii Raguſini veniant in poſſeſſionem fundationis a Niiy de Sorgo factæ.	490
	XVII.			12	Curæ Vicarii Lombardiæ Conventum Civitatis Theatin. committit.	491
	XVIII.			14	Ne Frater, qui Marchioniſſæ Finarii a confeſſionibus erit, ex uno ad aliud Cœnobium transferatur.	491
	XIX.		Julii	10	Conſtantienſis Diœceſis Sororibus, de Pœnitentia nuncupatis, puellas in numerum Sororum recipiendi, libera ſit facultas.	492
	XX.				Conſervatores creat, qui præcedens Diploma ſervandum curent.	492
	XXI.		Septemb.	24	De quibuſdam legatis Savillianen. Cœnobio.	493
	XXII.	1473	Januarii	9	Giennenſis Monaſterii fundandi facultas.	493
	XXIII.			12	De confirmanda ſententia, quam Provinciæ Franciæ Prior adverſus Priorillam, Monaſterii de Monte Florito tulit.	494
	XXIV.			29	Quid Protectoribus Ordinum Mendicantium ſit ageo-	

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
SIXTUS IV.		1473			agendum, & quænam eorundem auctoritas.	495
	XXV.		Martii	30	Ædes ſacras Heidelbergen. Cœnobii viſitantes Indulgentiis donat.	497
	XXVI. a ad XXX.				Indulgentias impertitur.	498
	XXXI.		Aprilis	1	Varia privilegia Fratribus Peregrinantibus, Fidei nempe Præconibus, conceſſa.	498
	XXXII.				De Stugardenſi Cœnobio fundando.	499
	XXXIII.			3	De poſſeſſione, Caſale nuncupata, reſtituenda Viterbienſi Cœnobio.	500
	XXXIV.		Junii	2	F. Johannes de Piſtorio Forum Livii petat, ut ibidem Conciones ſacras habeat.	501
	XXXV.			5	Ratum habet, F. Marcum Inquiſitorem Regni Siciliæ a Generali Magiſtro totius Ordinis renunciatum fuiſſe.	501
	XXXVI.		Julii	1	Firmat fundationem Cœnobii SS. Annunciationis in terra S. Georgii, illudque Cœnobium variis privilegiis ornat.	502
	XXXVII.			5	Accepta provocatione Fratris Rolandi officialem Redonenſis Epiſcopi, ceu judicem non legitimum rejicientis, judices qui de lite cognoſcant conſtituit.	503
	XXXVIII.			9	Ut Senogallien. Cœnobium fundetur.	504
	XXXIX.			27	Idem pro Cœnobio Heidelbergen.	505
	XL.				Bona Fratribus, & Sororibus Ordinis Prædicatorum jure hæreditario obvenire poſſe decernens, irritas facit quarundam Sororum renunciationes.	505
	XLI.		Octobris	7	De quibuſdam poſſeſſionibus Bergomenſis Cœnobii venditis, abalienatis, locatis &c.	506
	XLII.		Novemb.	28	F. Johannes de Piſtorio Raguſium, ut ſacras conciones ibi habeat petere jubetur.	508
	XLIII.		Decemb.	30	Vercellenſe Cœnobium quodam Beneficio donat.	508
	XLIV.		....		Ne Firmani Fratres moleſtiis afficiantur, & ut in poſſeſſionem cujuſdam viæ redeant.	509
	XLV.	1474	Januarii	10	Bellimontis Cœnobii fundandi facultas.	509
	XLVI.			21	F. Salvus Caſſetta frumentum e Sicilia Romam mittendum curet.	510
	XLVII.		Februarii	14	De fundando Cœnobio Montis Capreoli.	511
	XLVIII.		Martii	29	Idem pro Curienſi Monaſterio.	511
	XLIX.		Aprilis	4	De Prioratu S. Marci uniendo Cœnobio Fratrum Prædicatorum Placentin.	512
	L.		Junii	5	De ſententia ſecundum Fratres Zegedinen. Cœnobii lata confirmanda.	514
	LI.			13	Priorilla Monaſterii B. Mariæ de Inſula Danubii quolibet triennio eligenda.	514
	LII.			18	Baſſolenſis Cœnobii fundandi facultas.	515
	LIII.		Auguſti	31	Mare Magnum.	516
	LIV.		Septemb.	16	De Calviſienſi Cœnobio fundando.	520
	LV.		Octobris	26	Ut F. Antonius de Veſaco qui Borbonio Duci a confeſſionibus erat, eccleſiaſticum beneficium conſequi poſſit.	521
	LVI. a ad LXII.				Idem pro aliis Fratribus.	521
	LXIII.	1475	Januarii	12	Eccleſiam & Parochiam S. Mariæ Rezzonici Fratribus noſtris concedit.	522
	LXIV.		Martii	18	Prior Luchentenſis Cœnobii Fratres ad Baccalaureatus & Magiſterii gradus promovere poſſit.	524
	LXV.		Aprilis	27	Dublinienſis Univerſitas rogatu Fratrum Prædicatorum, aliorumque Mendicantium conſtituitur.	525

Quæ-

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
SIXTUS IV.	LXVI.	1475	Maii	1	Quædam pro Cœnobiis reformandis obſervanda præſcribit, & cavet, ne Fratres de obſervantia nuncupati aliorum Cœnobia occupare præſumant.	526
	LXVII.		Junii	11	Lavelleo. Cœnobium, & Hoſpitale fundentur.	528
	LXVIII.		Julii	1	Facultas habendi poſſeſſiones.	528
	LXIX.				Reſcindit literas, quibus Raguſina Cœnobia Congregationi Lombardiæ univerat.	529
	LXX.			9	Eadem de re.	530
	LXXI.			26	Fratres Prædicatores veniant in poſſeſſionem Cœnobii S. Hilarionis.	530
	LXXII.		Auguſti	28	Facultas fundandi tria Cœnobia in Provinciis Saxoniæ, & Poloniæ pro Fratribus reformatis.	531
	LXXIII.		Septemb.	30	De reficiendis ſacris ædibus, & Cœnobio Mantuan.	532
	LXXIV.		Octobris	5	Ut tertii Ordinis Fratres, & Sorores, utpote perſonæ eccleſiaſticæ, privilegiis ſibi conceſſis, & eccleſiaſtica libertate fruantur.	532
	LXXV.			6	De Belnenſi Cœnobio fundando.	533
	LXXVI.			11	De Feſto S. Petri Martyris Dominica Secunda poſt Feſtum Paſchatis celebrando in Piroenſi Cœnobio	534
	LXXVII.		Novemb.	17	Magiſter Sacri Palatii F. Petrum de Hanturlibus ad Doctoris gradum promoveat.	534
	LXXVIII.		Decemb.	28	Pedrogami Cœnobii B. Mariæ de Luce fundandi facultas.	535
	LXXIX.	1476	Februarii	5	Suſpenſas declarat eccleſiaſticas pœnas ab ipſo latas in eos qui S. Catharinæ Senenſis imagines ſacris Stigmatibus ornarent.	536
	LXXX.		Martii	30	Unit Parochialem eccleſiam S. Luciæ Monaſterio B. Mariæ Venetiarum Ordinis noſtri.	536
	LXXXI.		Aprilis	8	Trevirenſe Monaſterium S. Catharinæ variis privilegiis ornat.	539
	LXXXII.				Conſervatores creat qui præcedentes literas executioni mandandas curent.	540
	LXXXIII.			22	Ut Moniales Monaſterii Vallis B. Mariæ in Micheiſtenen. in priſtinam poſſeſſionem Eccleſiæ Parochialis in Cziriaco reſtituantur.	540
	LXXXIV.		Junii	14	Literas quibus Monaſteria de Turre & Matris Domini unita fuerant, reſcindit.	541
	LXXXV.			16	Tranſactionem inter Venetiarum Monaſteria Corporis Chriſti, & Annunciatæ initam confirmat.	543
	LXXXVI.		Octobris	1	De lite inter Corporis Chriſti, & Nunciatæ Monaſteria Venetiarum mota.	546
	LXXXVII.		Decemb.	3	Prorogat Capitulum Generale ad alium annum.	547
	LXXXVIII.	1477	Martii	15	Ne Fratres proprios ſibi eligant Confeſſores qui ſolvant eos a reſervatis.	547
	LXXXIX.			18	Hoſpitia duo Regni Scotiæ Conventus nomine inſignienda jubet.	547
	XC.		Aprilis	10	Beneficium confert Monaſterio S. Salvatoris, de Jeſu nuncupato.	548
	XCI.				Unit Parochiam S. Michaelis Monaſterio S. Salvatoris, de Jeſu nuncupato.	549
	XCII.			13	De poſſeſſionibus emendis ex pecunia Nobis legatis.	550
	XCIII.			19	Ne, mortuo Generali Magiſtro, Vicarii Provinciales, ab ipſo conſtituti, Vicariatus officio abeant.	551
	XCIV.		Maii	10	Regis Renati rogatu Parochiam Cœnobii San-Maximinen. ab uno ex Fratribus regendam jubet.	551

San-

	Conſtitutio	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
SIXTUS IV.	XCV.	1477	Maii		San-Maximinen. Cœnobium variis privilegiis ornat.	552
	XCVI.		Junii.	13	De ampliando Murianenſi Cœnobio.	553
	XCVII.			17	De quadam fundatione facta in Monaſterio Altenſi.	554
	XCVIII.			23	Miraculum refert, quod inſtituendæ feſtivitati Corporis Chriſti dedit occaſionem. S. Thomam de Aquino proprium ejuſdem Solemnitatis officium compoſuiſſe narrat, & Indulgentias impertitur viſitantibus ædes Sacras Urbevetan.	555
	XCIX.		Auguſti.	1	De variis privilegiis San-Maximinenſi Cœnobio conceſſis.	556
	C.			16	De reficiendo Urbevetano Cœnobio.	558
	CI.			21	B. Mariæ Zamoren. Monaſterium mittatur in eorum poſſeſſionem quæ cuidam Moniali venerant hæreditario jure.	559
	CII.	1478	Januarii	28	Albæ Regalis Monaſterii S. Margaritæ Conſervatores conſtituit.	560
	CIII.		Martii	17	Fratres Eccleſiaſtica Beneficia conſecuti, nec ferendi, nec accipiendi ſuffragii jus habent.	561
	CIV.		Aprilis	2	Firmat ea quæ pro dirutis Monaſteriis Argentinen. geſta ſunt.	561
	CV.			25	De nonnullis ad novum Cremonen. Cœnobium fundandum legatis.	563
	CVI.				Toletani Monaſterii S. Dominici Monialibus impertitur Indulgentias ad Stationes Urbis conceſſas.	564
	CVII.		Maii	30	Indulgentia plenaria die feſto S. P. Dominici, & tempore mortis, ac ceteris ad Stationes Urbis conceſſis Indulgentiis donat Ordinis Prædicatorum Fratres & Sorores, etiam Tertii Ordinis.	564
	CVIII.				Leges pro Congregatione Hiſpanica a Generali Magiſtro Leonardo de Manſuetis latas confirmat.	565
	CIX.				Segontienſi, Cordubenſi, ac Caurienſi Epiſcopis de Legibus ab Ordinis Prædicatorum Generali Magiſtro conſtitutis pro Hiſpanica Congregatione ejuſdem Ordinis.	565
	CX.				Societatem Sanctiſſimi Roſarii Indulgentiis ornat.	567
	CXI.		Junii.	9	Hiſpaniæ Regis, & Reginæ rogatu, Fratres Prædicatores variis privilegiis ornat.	567
	CXII.			25	Moniales Monaſterii S. Sixti de Urbe ſint in poſſeſſione Monaſterii S. Cæſarii.	568
	CXIII.		Octobris.	3	De Sacris S. Catharinæ Senenſis Stigmatibus.	570
	CXIV.		Novemb.	5	Columbarienſe Monaſterium beneficiis eccleſiaſticis donat.	670
	CXV.	1479	Januarii	21	De F. Jacobo Borell in Inquiſitoris priſtinam dignitatem reſtituendo.	672
	CXVI.			30	Delegat Rigenſis Cœnobii Priorem, qui litem componat inter Archiepiſcopum & Cives Rigenſes.	572
	CXVII.		Februarii	4	Priori Prædicatorum, & Guardiano Minorum Rigen. de mutua pecunia Archiepiſcopo a Rigenſibus data.	573
	CXVIII.			25	Leges a Generali Magiſtro pro Egrenſi Cœnobio ſancitas, ratas habet, & firmat.	574
	CXIX.		Aprilis.	15	Novæ Civitatis Cœnobii fundandi facultas.	574
	CXX.				Eadem de re.	575
	CXXI.		Maii	2	Unit quædam beneficia Cœnobio Brixienſi S. Dominici.	575
	CXXII.			12	Approbat Roſarium, ipſumque recitantibus Indulgentias elargitur.	576
	CXXIII.		Julii	6	F. Thomas Gognati Viennenſis Inquiſitor creatur.	577
	CXXIV.			26	Aurea Bulla, ſeu Conſtitutio Prædicatorum, & Mi-	

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
SIXTUS IV.		1479			Minorum Ordines ampliſſimis privilegiis ornans.	578
	CXXV.			30	Luciferiſani Cœnobii ſundandi facultas.	581
	CXXVI.		Auguſti	3	S. Audomari Conventus transferendi facultas.	581
	CXXVII.			25	F. Antonius Cuberti fit Pœnitentiarius Avenionen.	582
	CXXVIII.		Decemb.	30	Zubor-Zentzivialenſia Cœnobii fundandi facultas.	583
	CXXIX.	1480	Januarii	27	De fundando Regin. Monaſterio.	583
	CXXX.		Martii	14	Privilegia conceſſa Monialibus Monaſterii Terræ Salarum.	584
	CXXXI.			18	Conſervatores creat, qui Conſtitutionem de reformandis Cœnobiis editam ſervandam curent.	585
	CXXXII.		Maii	15	Ne Monaſterium de Turre uniatur Monaſterio Matris Domini.	586
	CXXXIII.		Junii	13	De Cœnobiis in Hiſpania reformandis.	588
	CXXXIV.		Julii	7	Ne Sorores, Converſæ nuncupatæ, recipiantur in numerum Sororum, quas velatas vocant.	590
	CXXXV.			22	De Mugnonenſi Hoſpitio fundando.	591
	CXXXVI.		Auguſti	2	Fratres iter habentes cuilibet Sacerdoti confiteri poſſunt.	592
	CXXXVII.			18	Venetæ Sorores, de Pœnitentia nuncupatæ, poſſint eligere Confeſſorem, qui eas peccatis, cenſuris eccleſiaſticis &c. ſolvat.	592
	CXXXVIII.		Octobris	10	Otiatienſe Cœnobium ſundetur.	593
	CXXXIX.		Novemb.	21	Romam accerſit F. Johannem de Piſtorio.	594
	CXL.			23	De Abulenſi Cœnobio fundando.	594
	CXLI.		Decemb.	18	Declarat ſuam Conſtitutionem incipientem - *Dum contingit interdum* -.	595
	CXLII.	1481	Januarii	18	Leges pro Veneto Cœnobio SS. Johannis, & Pauli conſtitutas confirmat.	595
	CXLIII.		Martii	14	Hiſpani Fratres in Lombardia degentes Hiſpaniam petant ad reformanda Cœnobia.	597
	CXLIV.			27	Firmat inſtrumentum, quo S. Juliani Monaſterium Florentinum cellerat bonis hæreditario jure ipſi venientibus a patre cujuſdam Monialis.	597
	CXLV.		Aprilis	18	Indulgentia pro Capitulo Generali.	598
	CXLVI.		Maii	10	Ebulenſis Cœnobii fundandi facultas.	599
	CXLVII.			28	Hiſpaniæ, & Lombardiæ Congregationum Vicariis, Prioribus, eorumque vices gerentibus poteſtatem facit, Fratres abſolvendi, & diſpenſandi, ſeu immunes alicujus rei reddendi.	600
	CXLVIII.		Junii	8	Ut Petrenſe, ac Toyramenſe hoſpitia fundentur.	601
	CXLIX.			20	De bonis Novitiarum, quæ, votis ſolemnibus nondum nuncupatis, exeunt e S. Mariæ Magdalenæ Monaſterio Valentino.	601
	CL.			23	Vicarius Congregationis Lombardiæ quinque, vel ſex Cœnobia fundandi habeat poteſtatem.	602
	CLI.			24	Congregationis Lombardiæ Vicarius ob mortem ſui prædeceſſoris extra conſuetum tempus electus, expleto biennio, perſeveret in eo munere, quo uſque Paſchali tempore alius eligatur.	603
	CLII.				Congregationis Lombardiæ Fratres, permiſſu Vicarii Generalis, bona abalienare poſſunt.	603
	CLIII.			28	Aquilani Cœnobii curam Magiſtro Generali Ordinis committit.	604
	CLIV.		Julii	16	De Fratribus ſolvendis a cenſuris eccleſiaſticis.	604
	CLV.			21	S. Mariæ Veteris Monaſterium Cumanum Ordinis S. Benedicti curæ Fratrum Ordinis Prædicatorum committit.	605
	CLVI.			28	F. Johannem de Piſtorio laudibus, & Privilegiis	

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
SIXTUS IV.		1481			ornat.	605
	CLVII.		Auguſti	22	F. Thomas de Viterbio viſitator Provinciæ Lombardiæ conſtituitur.	605
	CLVIII.		Decemb.	1	De ſepeliendis in Cœmeteriis noſtris.	606
	CLIX.	1482	Januarii	21	Quod F. Salvus Caſecta ſine ſuffragiorum rogatione, cæleſti quodam mentis inſtinctu Magiſter Generalis creatus ſit, ratum habet.	607
	CLX.		Februarii	21	De Decimis non ſolvendis a Monaſterio S. Mariæ Magdalenæ ad lapidea in ſuburbio Baſileen.	608
	CLXI.		Aprilis	16	Aſceterii B. Mariæ Angelorum in ſuburbiis Barchinonen. fundandi facultas.	608
	CLXII.		Maii	2	Eccleſiam Parochialem unit Aveyrenſi Monaſterio.	609
	CLXIII.		Junii	10	De commutandis quibuſdam bonis Monaſterii B. Mariæ de Nazareth.	610
	CLXIV.		Novemb.	8	Cœnobium S. Sabinæ de Urbe curæ Generalis Vicarii Congregationis Lombardiæ committit.	611
	CLXV.	1483	Februarii	15	De fundando Balneolenſi Cœnobio.	612
	CLXVI.			18	De quodam Beneficio Conventus Firmani Sacrario uniendo.	613
	CLXVII.		Martii	8	Boienſis Cœnobii fundandi facultas.	614
	CLXVIII.		Aprilis	23	De Sacramentis miniſtrandis, ſepultura, Decimis, ceteriſque id genus.	614
	CLXIX.		Maii	13	Sorores Colonien. Recluſorii variis privilegiis ornat.	615
	CLXX.				Conſervatores creat, qui præcedens Diploma ſervandum curent.	617
	CLXXI.			29	Moſcazanen. domus fundandæ facultas.	617
	CLXXII.		Junii	8	De fundanda domo Bucha de Pignon. nuncupata, ac Segeſtenſi Cœnobio unienda.	618
	CLXXIII.		Auguſti	15	Ne Fratres in Gallia moleſtiis afficiantur.	619
	CXXIV.			31	Cardinalis tituli S. Sixti nihil ex ejuſdem Monaſterii redditibus exigere poteſt.	620
	CLXXV.		Septemb.	11	Vivæ vocis oraculum damnans aliquot propoſitiones, & verſus quoſdam ab errore vindicans.	621
	CLXXVI.		Octob.	17	F. Thomas de Turrecremata Generalis Inquiſitor Aragoniæ, Valentiæ, & Cataloniæ conſtituitur.	622
	CLXXVII.			27	Congregationis Hollandiæ privilegia firmat.	623
	CLXXVIII.		Novemb.	13	De quibuſdam poſſeſſionibus Nurimbergen. Monaſterio S. Catharinæ reſtituendis.	624
	CLXXIX.		Decemb.	6	Oratorium S. Mariæ de Saxo nuncupatum Florentino Cœnobio S. Marci unitum fuiſſe declarat.	624
	CLXXX.	1484	Februarii	16	Reſcindit literas, quibus Johannem Perdicarium creaverat Inquiſitorem Regni Siciliæ in præjudicium Conſtitutionum Ordinis.	625
	CLXXXI.		Maii	20	S. Marci Prioratus unitur Cœnobio Placentin.	626
	CLXXXII.		Junii	30	F. Thomam de Turrecremata laudat, quod multam operam rebus Apoſtolicæ Sedis præbuerit.	629
	CLXXXIII.			13	Quædam Cœnobio Taorenſi legata ſolvenda jubet.	629
	CLXXXIV.		. . . .		F. Thomam de Turrecremata laudibus ornat.	630
	CLXXXV.		. . . .		Ne, mortuo Generali Magiſtro, Vicarii ab ipſo conſtituti abeant ab officio.	630

I N-

INDEX ALPHABETICUS
Diplomatum hujus Tertii Voluminis.

INDEX RERUM REPERIETUR TOMO ULTIMO.

A

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
AD Apoſtolicæ.	CXXI.	Sixtus IV.	575
Ad aures noſtras.	LIX.	Nicolaus V.	282
Ad damnandarum.	XXXV.	Sixtus IV.	501
Ad decorem.	CCLXXXIV.	Eugenius IV.	190
	VIII.	Nicolaus V.	242
Ad Eccleſiarum.	LV.	Eugenius IV.	41
	CCLI.	Eugenius IV.	159
	CCLXVI.	Eugenius IV.	174
	XXII.	Pius II.	399
	LXVIII.	Pius II.	433
Ad ea ex.	XXXVI.	Eugenius IV.	26
	LX.	Eugenius IV.	45
	CIV.	Eugenius IV.	59
	VII.	Nicolaus V.	241
	XLVI.	Nicolaus V.	272
	LVI.	Nicolaus V.	280
	LXXXVI.	Nicolaus V.	306
	V.	Caliſtus III.	340
Ad ea libenter.	CLX.	Eugenius IV.	77
	CLXVI.	Eugenius IV.	82
	CXCIV.	Eugenius IV.	106
	XVII.	Pius II.	395
	XIV.	Caliſtus III.	347
Ad ea per quæ.	XXXI.	Eugenius IV.	22
	XLIV.	Eugenius IV.	31
	XLVII.	Eugenius IV.	33
	LXIII.	Eugenius IV.	46
	CV.	Eugenius IV.	59
	CLIX.	Eugenius IV.	76
	CLXXI.	Eugenius IV.	85
	CLXXXII.	Eugenius IV.	97
	CCII.	Eugenius IV.	113
	CCXVII.	Eugenius IV.	131
	CCXXV.	Eugenius IV.	138
	CCXXXIII.	Eugenius IV.	144
	CCXLIV.	Eugenius IV.	153
	CCLIII.	Eugenius IV.	160
	CCLV.	Eugenius IV.	163
	CCLXIII.	Eugenius IV.	171
	CCLXV.	Eugenius IV.	173
	CCLXVII.	Eugenius IV.	174
	CCLXXI.	Eugenius IV.	178
	CCLXXV.	Eugenius IV.	181
	XXVII.	Paulus II.	459
Ad ea potiſſimum.	CLXIV.	Sixtus IV.	611
Ad ea quæ.	CLXXVIII.	Eugenius IV.	91
	CXCVIII.	Eugenius IV.	111
Ad ea Romanus.	CCLXXXI.	Eugenius IV.	186
Ad fructuoſa.	VIII.	Paulus II.	443
Ad fructus uberes.	LXXXIX.	Sixtus IV.	547
Ad hoc nos.	LXIV.	Nicolaus V.	286
	LXV.	Pius II.	430
Ad jugem.	CCXXXVIII.	Eugenius IV.	149
Ad Monaſteriorum.	LI.	Eugenius IV.	37
	CLVIII.	Eugenius IV.	75
Admonet Nos.	I.	Pius II.	377
	XLV.	Sixtus IV.	509
Ad noſtrum.	CCLXXXIX.	Eugenius IV.	193
Ad omnia.	CLIII.	Sixtus IV	604
Ad ſtatum.	CCVI.	Eugenius IV.	116
Adveſperaſcente.	CXCVII.	Eugenius IV.	110
Ad vitam.	LII.	Nicolaus V.	276
Ambitioſæ.	XXV.	Paulus II.	458
Animarum ſaluti.	CCXXVI.	Eugenius IV.	139
Ante thronum.	CVI.	Eugenius IV.	60
Apoſtolicæ injunctæ.	XLIX.	Eugenius IV.	34
Apoſtolicæ Nobis.	XXVII.	Eugenius IV.	20
	LIV.	Eugenius IV.	40
	CCXCII.	Eugenius IV.	195
	XXII.	Nicolaus V.	271
	CLXII.	Sixtus IV.	609
Apoſtolicæ Sedis.	CLI.	Eugenius IV.	69
	XVIII.	Pius II.	396
	XXV.	Pius II.	401
	XLIII.	Paulus II.	472
	XLIV.	Paulus II.	473
	LXIII.	Sixtus IV.	522
	XCI.	Sixtus IV.	549
	CXXXIV.	Sixtus IV.	590
Apoſtolicæ ſervitutis.	CCXLIII.	Eugenius IV.	152
	XXXV.	Pius II.	408
	XXXI.	Sixtus IV.	498
	CXVI.	Sixtus IV.	553
	CLXVI.	Sixtus IV.	613
Apoſtol. ſolicitudinis.	XCII.	Nicolaus V.	311
A ſuperno.	XLII.	Pius II.	418
	CXLV.	Sixtus IV.	598
A ſupremo.	XCVII.	Sixtus IV.	554
Auctoritate.	CLXXXV.	Sixtus IV.	630

B

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
BEatiſſime.	XCV.	Sixtus IV.	552
Benedictus.	CCXCIII.	Eugenius IV.	197
Benigna.	XXIII.	Paulus II.	456
Benigne.	XVI.	Sixtus IV.	490

Cir-

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
C			
Circumſpecta.	LV.	Nicolaus V.	279
	XXIII.	Pius II.	400
Cognita.	X.	Caliſtus III.	344
Conſiderantes.	XIII.	Eugenius IV.	8
	XXIX.	Eugenius IV.	21
	C.	Nicolaus V.	317
	LVIII.	Pius II.	423
	IX.	Sixtus IV.	487
	LXVIII.	Sixtus IV.	528
	LXXXVII.	Sixtus IV.	547
	CXXIII.	Sixtus IV.	577
Conſtituimus.	CCXLII.	Eugenius IV.	152
Conſueverunt.	XXXV.	Paulus II.	465
Copioſus.	LXV.	Sixtus IV.	525
Cunctarum.	CCXLVII.	Eugenius IV.	155
Cupientes.	CLV.	Sixtus IV.	605
Cupientibus.	VI.	Sixtus IV.	484
Cum a Nobis.	CLXXXVI.	Eugenius IV.	101
	LXIII.	Nicolaus V.	485
Cum de.	XXII.	Eugenius IV.	16
Cum dilectum.	XL.	Eugenius IV.	28
Cum dilectus.	IV.	Nicolaus V.	240
Cum & plantare.	LXXIX.	Nicolaus V.	299
Cum ex parte.	CLXVII.	Eugenius IV.	83
Cum Fratres.	XCIX.	Nicolaus V.	316
Cum in.	CLI.	Sixtus IV.	603
Cum itaque.	CCXXXV.	Eugenius IV.	146
	VI.	Nicolaus V.	241
Cum ob ſalutem.	CXCV.	Eugenius IV.	108
Cum per.	XXVII.	Pius II.	407
Cum pridem.	CLXI.	Eugenius IV.	78
Cum ſedula.	XLIII.	Pius II.	419
Cunctorum.	CXXXVII.	Sixtus IV.	592
D			
Debitum Paſtoralis.	CCXLIX.	Eugenius IV.	157
Decet Romanum.	CLXXIII.	Sixtus IV.	619
De credito.	XXX.	Paulus II.	461
De injuncto.	VII.	Paulus II.	444
Deo devotarum.	CCXXVIII.	Eugenius IV.	140
De providentia.	CIV.	Sixtus IV.	561
De Statu.	CXVIII.	Sixtus IV.	574
Devotionis.	XXVIII.	Eugenius IV.	20
Devotis.	XXXVI.	Paulus II.	466
Digna exauditione.	CCLIV.	Eugenius IV.	161
	LXXXVIII.	Nicolaus V.	307
	XV.	Paulus II.	450
	CXIV.	Sixtus IV.	570
Digna reddimur.	LXXVI.	Nicolaus V.	297
	LXXXII.	Nicolaus V.	302
	III.	Caliſtus III.	339
	XX.	Pius II.	398
	XXXIX.	Paulus II.	468
	CXLIX.	Sixtus IV.	601
Dignum arbitramur.	LXXVII.	Sixtus IV.	534
Diligentia ſemper.	LXVI.	Nicolaus V.	287
Diſpoſitione divina.	XXXVIII.	Pius II.	415
	LXXX.	Sixtus IV.	536
	CXXVI.	Sixtus IV.	581

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
Dudum ex.	CLXV.	Eugenius IV.	81
Dudum felicis.	XXVIII.	Nicolaus V.	257
Dudum juſtis.	CCLXXIII.	Eugenius IV.	179
Dudum ſiquidem.	CCLXXII.	Eugenius IV.	178
	XXII.	Paulus II.	456
Dudum videlicet.	CCV.	Eugenius IV.	115
Dum ad vitam.	CVIII.	Nicolaus V.	323
Dum a Nobis.	XXIV.	Paulus II.	457
Dum levamus.	LXVII.	Pius II.	431
Dum ſingulos.	LXVI.	Sixtus IV.	526
E			
EA quæ dilectus.	I-t.	Eugenius IV.	236
Ea quæ ex.	CXXII.	Sixtus IV.	576
Ea quæ judicio.	LXXVII.	Nicolaus V.	298
	LXXXV.	Sixtus IV.	543
Ea quæ pro.	CVII.	Eugenius IV.	61
	CLXIII.	Eugenius IV.	89
	CCXII.	Eugenius IV.	126
	CCLXXXII.	Eugenius IV.	187
	CCXCVIII.	Eugenius IV.	201
	CCCI.	Eugenius IV.	203
	CCCII.	Eugenius IV.	204
	X.	Nicolaus V.	243
	L.	Nicolaus V.	275
	CX.	Nicolaus V.	327
Eccleſiarum.	CCXI.	Eugenius IV.	125
Etſi ad.	XCVII.	Nicolaus V.	314
Etſi cunctarum.	LXXXI.	Sixtus IV.	539
Etſi Eccleſia.	XCIX.	Sixtus IV.	556
Etſi juxta.	CCLVII.	Eugenius IV.	164
Etſi perſonarum.	LXIV.	Sixtus IV.	524
Etſi qualibet.	CCIV.	Eugenius IV.	115
Etſi quibuslibet.	LI.	Nicolaus V.	275
	XC.	Sixtus IV.	548
Ex Apoſtolica.	LII.	Eugenius IV.	38
	CLXX.	Eugenius IV.	85
Ex Apoſtolico.	XLVI.	Paulus II.	475
Excellentiſſimum.	XXX.	Eugenius IV.	21
Ex clementi.	LXX.	Nicolaus V.	291
Ex copia.	XLVI.	Sixtus IV.	510
Ex debito.	LXXIII.	Nicolaus V.	294
	XIII.	Paulus II.	449
	XXXII.	Paulus II.	463
	C.	Sixtus IV.	558
	CXXIX.	Sixtus IV.	583
Exhibita Nobis.	CCXIV.	Eugenius IV.	128
	CLXXIX.	Sixtus IV.	624
Exhibita ſiquidem.	L.	Sixtus IV.	514
Exigit ſacra.	XIX.	Pius II.	397
Exigit ſummæ.	LXI.	Pius II.	427
Exigit tuæ.	XVIII.	Sixtus IV.	491
Exigit veſtra.	XIII.	Sixtus IV.	488
Exigunt tuæ.	VII.	Caliſtus III.	342
Eximiæ.	XXXII.	Sixtus IV.	499
	XXXIX.	Sixtus IV.	505
	XLVIII.	Sixtus IV.	511
	LXVII.	Sixtus IV.	528
Ex injuncto.	CLVI.	Eugenius IV.	73
	CLVII.	Eugenius IV.	74
	LVII.	Pius II.	422
	LXXVIII.	Sixtus IV.	535
	CXII.	Sixtus IV.	568

Ex-

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
Expoſcit.	CCLXXVIII.	Eugenius IV.	183
Expoſuiſti.	CLIV.	Sixtus IV.	604
Ex providentia.	CLXXIX.	Eugenius IV.	91
Ex proviſione.	XI.	Paulus II.	448
Ex ſuſcepto.	CLXIV.	Eugenius IV.	80

F

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
F*Acti certiores.*	CLVII.	Sixtut IV.	60[illegible]
Fecerunt.	XVII.	Sixtus IV.	491
Feciſti Nobis.	XCIII.	Sixtus IV.	551
Frequentes hactenus.	XVII.	Eugenius IV.	10
	XLVIII.	Eugenius IV.	34

G

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
G*Eneris tui.*	XX	Caliſtus III.	3[illegible]5
	XLVII.	Sixtus IV.	511
Gerentes de.	XXXVIII.	Paulus II.	468
Gerentes in.	LIII.	Eugenius IV.	39
Grata familiaritatis.	XLIV.	Nicolaus V.	270
Gravem dilecti.	XLVI.	Eugenius IV.	32
Gregis Nobis.	CCCIV.	Eugeniut IV.	206

H

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
H*Abilitavimus.*	CIII.	Sixtus IV.	561
His per quæ.	LII.	Sixtus IV.	515
His quæ.	XXV.	Nicolaus V.	2[illegible]5
	LXXXVIII.	Nicolaus V.	307
	CVIII.	Sixtus IV.	565
	CXVI.	Sixtus IV.	572
	CXVII.	Sixtus IV.	573
	CXXXV.	Sixtut IV.	591
	CXLII.	Sixtus IV.	595
	CXLIV.	Sixtus IV.	597
	CLXIII.	Sixtus IV.	610
Hodie ad.	LXXXII.	Sixtus IV.	540
Hodie a Nobis.	CIX.	Sixtus IV.	565
	CXX.	Sixtus IV.	575
Hodie dilectis.	XX.	Sixtus IV.	492
Hodie dilecto.	XXVIII.	Pius II.	403
Hodie ex.	CV.	Sixtus IV.	563
Hodie nonnulla.	CLXX.	Sixtus IV.	617
Hodie noſtræ.	CCXXXIX.	Eugenius IV.	150
	CIV.	Nicolaus V.	320
Hodie ſiquidem.	CCXVIII.	Eugenius IV.	132
	CCXXXVII.	Eugenius IV.	148
	CCLX.	Eugenius IV.	169
Hodie ſupplicum.	LVIII.	Engenius IV.	43
	CC.	Eugenius IV.	112
Humilibus.	LIX.	Eugenius IV.	44
	LXI.	Eugenius IV.	45
	LXII.	Eugenius IV.	46
	XCIX.	Eugenius IV.	53
	CVIII.	Eugenius IV.	61
	CIX.	Eugenius IV.	62
	CLIV.	Eugenius IV.	71
	CLXVIII.	Eugenius IV.	83
	CLXXXVIII.	Engenius IV.	101
	CLXXXIX.	Eugenius IV.	102
	CCXX.	Eugeniut IV.	133
	CCXXX.	Eugenius IV.	142
	CCXXXII.	Eugenius IV.	144
	CCXXXIV.	Eugenius IV.	145
	CCXLV.	Eugenius IV.	154
	CCLXVIII.	Eugenius IV.	176
	CCLXIX.	Eugenius IV.	176
	CCLXXXVI.	Eugenius IV.	191
	XVI.	Nicolaus V.	249
	XXIV.	Nicolaus V.	254
	LVIII.	Nicolaus V.	282
	LXII.	Nicolaus V.	284
	XC.	Nicolaus V.	309
	XCI.	Nicolaus V.	309
	XCVIII.	Nicolaus V.	315
	II.	Caliſtus III.	338
	VI.	Caliſtus III.	341
	XIII.	Caliſtus III.	347
	XXXI.	Caliſtus III.	367
	XV.	Pius II.	393
	XXXII.	Pius II.	405
	LXII.	Pius II.	428
	LXVI.	Pius II.	431
	XXVI.	Paulus II.	458
	XXVIII.	Paulus II.	460
	XXIII.	Sixtus IV.	494
	XXXVII.	Sixtus IV.	503
	LXXXVI.	Sixtus IV.	546
	CI.	Sixtus IV.	5[illegible]9
	CXXXI.	Sixtus IV.	585
	CXXXII.	Sixtus IV.	586
	CLVIII.	Sixtus IV.	606
	CLX.	Sixtus IV.	608
	CLXXVIII.	Sixtus IV.	624
	CLXXXIII.	Sixtus IV.	629

I

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
I*Is quæ.*	L.	Eugenius IV.	36
	XIX.	Paulus II.	453
Illa Chriſti.	LXVI.	Eugenius IV.	49
Illius licet.	XVIII.	Caliſtus III.	352
Immenſa.	XI.	Pius II.	389
Indulti tua.	CLVI.	Sixtus IV.	605
Ineffabilis.	LXIX.	Pius II.	434
Injunctum.	XXXIII.	Eugenius IV.	23
	XXXIV.	Nicolaus V.	262
	XXXIII.	Caliſtus III.	368
	X[illegible]IV.	Sixtus IV.	551
	CVII.	Sixtus IV.	564
In ſuprema.	CLXXXI.	Sixtus IV.	626
Intelleximus.	LVI.	Pius II.	421
Inter cætera.	VI.	Eugenius IV.	5
	CCLXXVI.	Eugenius IV.	182
	CCXCI.	Eugenius IV.	195
	XXVI.	Caliſtus III.	362
	II	Pius II.	378
	XXX.	Pius II.	404
	XXXVIII.	Sixtus IV.	504
Inter cæteras.	LXVIII.	Nicolaus V.	289
Inter cæteros.	LV.	Pius II.	410
Inter curas.	CCLXI.	Eugenius IV.	169
	XXXIV.	Paulus II.	464
Inter ſolicitudines.	XVI.	Eugenius IV.	9
	XXXIX.	Nicolaus V.	267

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
Inter univerſa.	XV.	Sixtus IV.	489
Juſtis & honeſtis.	XVIII.	Eugenius IV.	12
	XLII.	Eugenius IV.	30
	XXIX.	Nicolaus V.	258
	VIII.	Caliſtus III.	343
	LXXXIV.	Sixtus IV.	541
Juſtis & humilibus.	XXI.	Paulus II.	454
	XCVI.	Nicolaus V.	313
Juſtis petentium.	CCCV.	Eugenius IV.	207
	X.	Paulus II.	447
Juſtis ſupplicum.	CXI.	Nicolaus V.	327
Juxta paſtoralis.	II.	Paulus II.	441
L			
Licet alias.	LXIV.	Pius II.	430
Licet ea.	LXXXI.	Nicolaus V.	301
Licet ex.	V.	Nicolaus V.	240
	XXXVI.	Nicolaus V.	263
Licet jus.	CLXXX.	Sixtus IV.	625
Licet ſupra.	CLXXX.	Eugenius IV.	93
	CCXXVII.	Eugenius IV.	140
Licet ubilibet.	XXI.	Caliſtus III.	356
Licet vigilis.	XVI.	Pius II.	394
Loca Sanctorum.	CX.	Eugenius IV.	63
M			
Mandavimus.	XLII.	Sixtus IV.	508
Meditatio cordis.	CXC.	Eugenius IV.	103
Merentur.	IX.	Nicolaus V.	243
Meritis tuæ.	LIV.	Nicolaus V.	279
Meruit Sacræ.	XIV.	Sixtus IV.	488
Militanti.	LXXIV.	Nicolaus V.	295
	VIII.	Pius II.	386
	CII.	Sixtus IV.	560
Miſericordias.	XXXVI.	Pius II.	409
Mittimus tibi.	XXXVII.	Pius II.	414
Monaſteriis.	XXXVIII.	Eugenius IV.	27
Moti devotione.	CL.	Sixtus IV	602
Multis nuper.	CLXXXIV.	Sixtus IV.	630
N			
Nolentes quod.	LXXXV.	Nicolaus V.	305
Nolentes ſicut.	XXVIII.	Caliſtus III.	36
Non latet.	CLXXXII.	Sixtus IV.	629
Nos Oliverius.	CLXXV.	Sixtus IV.	621
Nuper ex.	LXX.	Sixtus IV.	530
Nuper Nobis.	CXV.	Sixtus IV.	572
Nuper noſtras.	XVII.	Paulus II.	452
Nuper per noſtras.	XV.	Nicolaus V.	248
	XCII.	Sixtus IV.	550
Nuper pro.	XIX.	Caliſtus III.	354
	XXXIII.	Sixtus IV.	500
O			
Oblata Nobis.	CCXXXI.	Eugenius IV.	143
Olim diſcretioni.	CXIII.	Sixtus IV.	570
Olim pro.	XXXIII.	Pius II.	406

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
Omnia & ſingula.	LXXX.	Nicolaus V.	301
Opportunum.	CXXXIX.	Sixtus IV.	594
Ordinis Fratrum.	XXII.	Nicolaus V.	252
Ordinis veſtri.	CLXXXVII.	Eugenius IV.	101
P			
Paſtoris æterni.	XXXII.	Eugenius IV.	23
	VII.	Pius II.	336
	LXXVI.	Sixtus IV.	534
	CX.	Sixtus IV.	567
Paſtoralis officii.	LXV.	Eugenius IV.	48
	CLXXXI.	Eugenius IV.	93
	XXVII.	Nicolaus V.	256
	CIII	Nicolaus V.	319
	XXXVI.	Sixtus IV.	502
	LXXIII.	Sixtus IV.	532
Perſonam tuam.	XXVII.	Caliſtus III.	364
Pervenit.	XXXIII.	Nicolaus V.	262
Pia conſideratione.	X.	Pius II.	388
	XLVII.	Pius II.	476
Pia cunctorum.	XXX.	Nicolaus V.	258
Pia Deo.	XII.	Caliſtus III.	346
	XXXIV.	Pius II.	407
Pia devotorum.	XXIX.	Caliſtus III.	365
	LXXV.	Sixtus IV.	533
Pia vota.	CLXXIII.	Eugenius IV.	87
Piis Chriſti.	XXX.	Caliſtus III.	366
	LIX.	Pius II.	423
	CXLVI.	Sixtus IV.	599
Piis fidelium.	XXXV.	Eugenius IV.	25
	CLIII.	Eugenius IV.	71
	CLXXII.	Eugenius IV.	86
	CCLXXXVIII.	Eugenius IV.	193
	CCXCV.	Eugenius IV.	199
	XXXV.	Nicolaus V.	263
	XXXVIII.	Nicolaus V.	266
	XLIX.	Nicolaus V.	274
	LXXV.	Nicolaus V.	296
	CVII.	Nicolaus V.	322
	XVI.	Caliſtus III.	349
	VI.	Pius II.	385
	XXI.	Pius II.	399
	LX.	Pius II.	425
	XVIII.	Paulus II.	452
	XX.	Paulus II.	454
	XXXIII.	Paulus II.	463
	XL.	Paulus II.	469
	IV.	Sixtus IV.	482
	XLIX.	Sixtus IV.	512
	LIV.	Sixtus IV.	520
	LXXI.	Sixtus IV.	530
	CXXV.	Sixtus IV.	581
	CLXV.	Sixtus IV.	612
Piis ſupplicum.	XV.	Eugenius IV.	9
	CCXVI.	Eugenius IV.	130
	CCLXXXVII.	Eugenius IV.	192
	II.	Sixtus IV.	481
	III.	Sixtus IV.	481
	XXII.	Sixtus IV.	493
Piis votis.	LVI.	Eugenius IV.	42
Placet & volumus.	LXV.	Nicolaus V.	287
Placet Nobis.	XLI.	Pius II.	417
Plantatus olim.	CXCVI.	Eugenius IV.	109

Pri-

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
Pridem.	LXIX.	Sixtus IV.	529
Promptum.	CLXVII.	Sixtus IV.	614
Pro parte.	XLIV.	Sixtus IV.	509
Pro paſtorali.	CLII.	Sixtus IV.	603
Proſpicientes.	CCLXXIX.	Eugenius IV.	184
Provida.	III.	Pius II.	379
Proviſionis noſtræ.	C.	Eugenius IV.	54
	CXCI.	Eugenius IV.	104
	CXCIX.	Eugenius IV.	112
	XXVI.	Nicolaus V.	256
	XL.	Nicolaus V.	267
	XLI.	Nicolaus V.	268
	XLII.	Nicolaus V.	269
	XXVI.	Pius II.	402
Prudentes Virgines.	XII.	Pius II.	391

Q

Quamvis.	CII.	Eugenius IV.	56
	III.	Paulus II.	442
	XLII.	Paulus II.	471
Quia cum.	CLXVIII.	Sixtus IV.	614
Quia in.	VII.	Sixtus IV.	484
Quia occurrit.	LXIII.	Pius II.	429
Quia pium.	CLIX.	Eugenius IV.	84
Quoniam rumor.	XLVII.	Nicolaus V.	273
Quoniam in his.	LXXII.	Sixtus IV.	531
	CXXVIII.	Sixtus IV.	582
Quoniam omnes.	CXLVII.	Sixtus IV.	600

R

Rationi congruit.	I.	Eugenius IV.	1
	II.	Eugenius IV.	2
	III.	Eugenius IV.	3
	IV.	Eugenius IV.	4
	V.	Eugenius IV.	4
	I.	Nicolaus V.	237
	II.	Nicolaus V.	238
	III.	Nicolaus V.	239
	I.	Caliſtus III.	337
	IV.	Pius II.	379
	I.	Paulus II.	440
	I.	Sixtus IV.	480
Regimini.	XXXI.	Nicolaus V.	259
	LXXXIV.	Nicolaus V.	304
	XL.	Sixtus IV.	505
	LI.	Sixtus IV.	514
	LIII.	Sixtus IV.	516
Regnans.	CCXIII.	Eugenius IV.	127
Regularem.	CLXXIV.	Sixtus IV.	620
Regularis.	CXIX.	Nicolaus V.	291
Religionis zelus.	VII.	Eugenius IV.	6
	XII.	Eugenius IV.	7
	XXXVII.	Eugenius IV.	27
	XLIII.	Eugenius IV.	30
	CLXXV.	Eugenius IV.	88
	CCVIII.	Eugenius IV.	122
	CCXXIX.	Eugenius IV.	141
	CCXLI.	Eugenius IV.	151
	XI.	Nicolaus V.	244
	XVII.	Nicolaus V.	250
	XXI.	Nicolaus V.	250
	XXXVII.	Nicolaus V.	265
	LXXXIX.	Nicolaus V.	308
	CII.	Nicolaus V.	318
	CV.	Nicolaus V.	321
	IX.	Caliſtus III.	344
	XXXIX.	Pius II.	415
	LV.	Sixtus IV.	521
	CXXVII.	Sixtus IV.	582
Religioſorum.	V.	Pius II.	384
Romani.	LXIV.	Eugenius IV.	47
	CCXXI.	Eugenius IV.	134
	CCXXXVI.	Eugenius IV.	146
	LXXXIII.	Sixtus IV.	540
Romanum.	VIII.	Sixtus IV.	456
	XLIII.	Sixtus IV.	508
Romanus.	XXXIV.	Eugenius IV.	24
	CCVII.	Eugenius IV.	117
	XCV.	Nicolaus V.	312
	XV.	Caliſtus III.	348
	XXII.	Caliſtus III.	357

S

Sacræ devotionis.	CCLXIV.	Eugenius IV.	172
Sacræ Religionis.	XIX.	Eugenius IV.	14
	XX.	Eugenius IV.	15
	XXI.	Eugenius IV.	15
	XLI.	Eugenius IV.	29
	XLV.	Eugenius IV.	32
	LVII.	Eugenius IV.	43
	CI.	Eugenius IV.	55
	CL.	Eugenius IV.	68
	CLII.	Eugenius IV.	70
	CLXII.	Eugenius IV.	79
	CLXXIV.	Eugenius IV.	87
	CLXXVI.	Eugenius IV.	89
	CLXXVII.	Eugenius IV.	90
	CLXXXIV.	Eugenius IV.	99
	CLXXXV.	Eugenius IV.	100
	CXCIII.	Eugenius IV.	105
	CCI.	Eugenius IV.	113
	CCIX.	Eugenius IV.	122
	CCX.	Eugenius IV.	123
	CCXV.	Eugenius IV.	130
	CCXLVI.	Eugenius IV.	154
	CCXLVIII.	Eugenius IV.	1[illegible]6
	CCLVIII.	Eugenius IV.	165
	CCLXXVII.	Eugenius IV.	183
	CCLXXX.	Eugenius IV.	185
	CCXC	Eugenius IV.	194
	CCXCIX.	Eugenius IV.	202
	CCCIII.	Eugenius IV.	205
	XXXII.	Nicolaus V.	261
	XLIII.	Nicolaus V.	269
	CIX.	Nicolaus V.	325
	IV.	Caliſtus III.	340
	XI.	Caliſtus III.	345
	XVII.	Caliſtus III.	350
	XXXII.	Caliſtus III.	368
	IX.	Pius II.	387
	XIII.	Pius II.	392
	XXXI.	Pius II.	405
	XII.	Paulus II.	448
	XXXI.	Paulus II.	462

Digitized by Google

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
	XXXVII.	Paulus II.	467
	V.	Sixtus IV.	483
	XIX.	Sixtus IV.	492
	XLI.	Sixtus IV.	506
	CXXXVIII.	Sixtus IV.	593
Sacra Minorum.	XXIV.	Sixtus IV.	495
Sacri Prædicatorum.	CXXIV.	Sixtus IV.	578
Sacroſancta.	LXXIV.	Sixtus IV.	532
Sacroſancta.	XXIX.	Paulus II.	460
	CLXXII.	Sixtus IV.	618
Salvator noſter.	XCVIII.	Sixtus IV.	555
Sanctorum Patrum.	LXXXIII.	Nicolaus V.	303
Scribimus Vicariis.	LX.	Nicolaus V.	283
Scripſerunt Nobis.	XXIV.	Pius II.	401
Scripſit Nobis.	CCXXII.	Eugenius IV.	135
Sedis Apoſtolicæ.	XXXIX.	Eugenius IV.	28
	CCXXIV.	Eugenius IV.	137
	CCLIX.	Eugenius IV.	166
	CCLXII.	Eugenius IV.	170
	CCLXXIV.	Eugenius IV.	180
	CCLXXXIII.	Eugenius IV.	188
	CCXCIV	Eugenius IV.	198
	CCXCVII.	Eugenius IV.	200
	XIV.	Nicolaus V.	246
	LXXII.	Nicolaus V.	293
	LXXVIII.	Nicolaus V.	298
	XIV.	Paulus II.	449
	XLI.	Paulus II.	470
	CXI.	Sixtus IV.	567
	CXXX.	Sixtus IV.	584
	CXXXIII.	Sixtus IV.	558
	CLXIX.	Sixtus IV.	615
Sic decet.	CCLXXXV.	Eugenius IV.	190
Significarunt.	CCXCVI.	Eugenius IV.	200
	LXI.	Nicolaus V.	283
	XXIX.	Pius II.	403
Sincera.	XXIII.	Eugenius IV.	17
	XXVI.	Eugenius IV.	19
	CLXXXIII.	Eugenius IV.	98
	CCL.	Eugenius IV.	158
	XII.	Nicolaus V.	244
	XIII.	Nicolaus V.	245
	XXV.	Caliſtus III.	361
	XL.	Pius II.	417
	CXIX.	Sixtus IV.	574
Sincera.	CCXL.	Eugenius IV.	150
Solet.	LVII.	Nicolaus V.	281
Solicitudo Paſtoralis.	LXXI.	Nicolaus V.	292
	CLXXVII.	Sixtus IV.	623

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pootifex.	Pag.
Specioſus forma.	CCXIX.	Eugenius IV.	133
	CCLVI.	Eugenius IV.	164
Sua Nobis.	CVI.	Nicolaus V.	322
	XXI.	Sixtus IV.	493
Summi Patris.	XXV.	Sixtus IV.	497
Super gregem.	CIII.	Eugenius IV.	57
	XVI.	Paulus II.	451
Superioribus diebus.	CXLI.	Sixtus IV.	595
Superna.	CXL.	Sixtus IV.	594
	CXLVIII.	Sixtus IV.	600
	CLXI.	Sixtus IV.	608
Supplicari.	CXXXVI.	Sixtus IV.	592
	CLXXI.	Sixtus IV.	617
	CLXXVI.	Sixtus IV.	622
Supplicationibus.	XXXIV.	Sixtus IV.	501
Supplicatum.	CXLIII.	Sixtus IV.	597
Suſcepti curæ.	XLV.	Nicolaus V.	271
T			
TEnorem.	XIV.	Eugenius IV.	8
Te Vicario.	LXXXVIII.	Sixtus IV.	547
Tuis in hac.	LXXIX.	Sixtus IV.	536
Tunc iniunctum.	XLVIII.	Nicolaus V.	273
Tunc Paſtoralis.	CVI.	Sixtus IV.	564
V			
VBeres fructus.	CLIX.	Sixtus IV.	607
Venerabilis.	XXV.	Eugenius IV.	18
Virtutibus.	XXIV.	Eugenius IV.	17
Virtutum.	CC[illegible]	Eugenius IV.	203
Votis fidelium.	CLV.	Eugenius IV.	72
	CCLII.	Eugenius IV.	160
	CCLXX.	Eugenius IV.	177
	LIII.	Nicolaus V.	278
Votis humilibus.	CI	Nicolaus V.	317
Votis humilium.	XXIII.	Caliſtus III.	359
Voto Religionis.	CCIII.	Eugenius IV.	114
Vt ea per.	XIV.	Pius II.	393
Vt ea quæ.	LXVII.	Nicolaus V.	288
	XLV.	Paulus II.	474
Vt illa quæ.	CCXXIII.	Eugenius IV.	136
Vt inter.	XXIV.	Caliſtus III.	360
Vt piæ Chriſti.	CXCII.	Eugenius IV.	104
Vt ſacer.	IX.	Paulus II.	446

M E N D A

Quæ hoc in Tertium Volumen irrepſerunt.

Pagina.	Linea.	Errata.	Corrige.
87 in argumento Conſtitutionis 174		Immunes	Immune
104 Conſt. 192.	28	deſcentibus.	deſcendeotibus
143 Nota 5 Conſt. 230.		aquid	aliquid
218	6.	Prygia	Phrygia
289 in argumento Conſtit. 68.		S. Matthæi	S. Marthæ
Ibidem Conſtit. 68.	29	S. Sephani	S. Stephani
421 Conſtitut. 56	3.	ea	ac
572 Nota 4 Conſtit. 115.	3	tritcrium	trirenium.

1021631

Digitized by Google

Digitized by Google

81 Doctoraty 535 : 270 · 356
Communicatio ad gratis 143 · Maronite 192

Digitized by Google